BEATI ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM, COMMENTARII IN LVCAM.

Recogniti per R. A. P. F. PETRVM IAMMY, ſacræ Theologiæ Doctorem, Conuentus Gratianopolitani, eiuſdem Ordinis,

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.

Operum Tomus Decimus.



LVGDVNI,

Sumptibus CLAVDII PROST. PETRI & CLAVDII RIGAVD, Frat. HIERONYMI DELAGARDE. IOAN. ANT. HVGVETAN. *Via Mercatoria.*

M. DC. LI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, à Nos Amez & feaux Conseillers,les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenants, & à tous autres de nos Iusticiers & Officiers qu'il appartienda, Salut: Nostre cher & bien Amé IEAN-ANTOINE HVGVETAN, le fils, Marchand Libraire à Lyon, Nous a fait remonstrer qu'il desireroit imprimer les *Oeuures d'Albert le Grand*, ce qu'il ne peut faire sans grand frais, desquels il craindroit d'estre frustré s'il n'auoit Nos lettres sur ce necessaires, lesquelles il nous a tres-humblement suppliés de luy accorder. A CES CAVSES, Nous auons permis & permettons par ces presentes, à l'Exposant d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeissance ledit liure, en vn ou plusieurs Volumes,en telles marques, en tels Caractaire, & autant de fois qu'il voudra, durant vingt ans entiers & accomplis, à compter du iour que chaque Volume sera acheué d'imprimer pour la premiere fois: & faisons tres-expresses deffences à toutes personnes de quelle qualité & condition qu'elles soyent de l'imprimer,faire imprimer,vendre ny debiter en aucun lieu de nostre obeyssance soubs pretexte d'augmentation, correction, changement, de tiltre, fausses marques ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, sans le consentement de l'Exposant ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze mille liures d'amande, payables par chacun des Contreuenans, & applicables vn tiers à Nous,vn tiers à l'Hostel Dieu de Paris,& l'autre tiers audit Exposant,de confiscation des Exemplaires contrefaict, & de tous depens dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique, & vn à celle de nostre tres-cher & Feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, auant que l'exposer en vente à peine de nullités des presentes. Du contenu desquelles Nous voulons que vous fassiez ioüir plainement & paisiblement l'Exposant, ou ceux qui auront son droit, empeschant qu'il ne leur soit donné aucun empeschement, Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chasque Volume dudit Liure, vn Extraict des presentes, elles soient tenuës pour duëment signifiées, & que foy y soit adioustée & aux coppies, collationnées par l'vn de nos Amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier Nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous exploits necessaires sans demander autre permission. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, &

autres

autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neufiéme iour de Nouembre, l'an de grace mil six cens quarante-quatre, & de nostre Regne le second.

Signé par le Roy en son Conseil.

CONRART.

Ledit Huguetan a associé au susdit Priuilege Claude Prost, Pierre & Claude Rigaud, Freres, & Hierosme de la Garde, pour en iouyr auec luy durant le temps porté par iceluy, conformément à leur Scrit du 7. Feurier 1644.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 5. Nouembre 1650.

D. ALBERTI



PROOEMIVM BEATI LVCÆ IN Euangelium ſuum.



QVONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ ſunt rerum: ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi aſſecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, vt cognoſcas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem.

Toti huic operi Lucas præmittit procemium, in quo facit quinque quæ facienda ſunt in principio cuiuſlibet operis: neceſſitatem ad ſcribendum cogentem, & inducentem materiam de qua ſcribendum eſt: perfectionem auctoris: formam quam tenet in ſcribendo, & finem. Omnis enim ſapiens ſcriptor præſtituit finem, quem contingere vult ſcribendo: quem cum contingit, perfectum eſt ſcriptum. Neceſſitas autem cogens, eſt multitudo Pſeudo-Euangeliſtarum conatu propriæ præſumptionis ſcribentium friuola ſpiritu proprio & non veritatem Spiritus ſancti. Materia de qua ſcribendum eſt, res ſuot ſacramentis plenæ quæ per Chriſtum completæ ſunt in nobis. Scriptor perfectiſſimus eſt Lucas, aſſecutus omnia per eos qui ab initio viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Sicut enim perfectus medicus non eſt, vel medicinæ ſcriptor, qui medicinæ artem non eſt aſſecutus à præceptoribus medicinæ: neque perfectus Grammaticus, niſi grammaticam ſit aſſecutus à præceptoribus grammaticæ: & ſic de Geometricis, & Dialecticis, & omnibus alijs. Ita perfectus ſcriptor Euangelij non eſt, niſi qui à præceptoribus Theologis aſſecutus eſt ſcientiam Euangelicorum Sacramentorũ. Modus ſiue ſcribendi forma hiſtoriam Euangelicam eſt, vt ex ordine & diligenter Sacramenta cum ſuis circumſtantijs & adiunctis ſcribantur. Finis verò intentus & vtilitas eſt, vt Theophilus, & in ipſo Deum amantes cognoſcant Apoſtolicæ & Euangelicæ fidei (de qua inſtructi ſunt cum fidem ſuſceperunt) liquidam & perſpicuam veritatem. Dicit ergo.

[Quoniam quidem] hoc eſt, certè [multi] qui vnitatem Catholicam non ſeruauerunt, de qua *Paulus Rom.* 12. Multi vnum ſumus in Chriſto. *Can.* 7. Vna eſt columba mea. A qua vnitate in multitudinem & in multas ſectas ſe diuiſerunt multi hæretici. *Iud.* 15. Vulpes Samſonis capita diuiſa habent, caudis colligatis, hoc eſt, intentione veritatis impugnandæ. *Eccleſ.* 1. Stultorũ infinitus eſt numerus. De quibus dicit *Apoſtolus Coloſſ.* 2. Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Iſti autem in diuiſa multitudine exiſtentes [conati ſunt] propriis viribus & conatibus innitentes: cum tamen dicat *Apoſtolus* 2. *Cor.* 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare, &c. *Eccli.* 43. Multa dicemus & deficiemus verbis: conſummatio ſermonum ipſe eſt. 1. *Cor.* 15. Gratia Dei ſum id quod ſum. Iſti è contra de ſuis præſumentes viribus conantur. *Iſa.* 16. Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio pluſquam fortitudo eius. Et quia ſuperbi ſunt & inflati ſenſu ſuo, non ædificati ſpiritu diuino: ideò non veritati ſtudentes conati ſunt [ordinare] hoc eſt, limpida oratione dicere [narrationem] falſam & pulchram, non veram & ſimplicem. Contra quod dicitur. 1. *Cor.* 2. Non veni ad vos in ſublimitate ſermonis, aut ſcientiæ, &c.

Quæ in nobis cõpletæ ſunt rerum] Ecce ſecundum quod eſt materia tam pſeudo quam verorũ Euangeliſtarũ. Et eſt ſenſus: Conati ſunt ordinare narrationem earum, quæ in nobis, non à nobis [completæ ſunt] hoc eſt, perfectæ ſunt. Alia litera [redundarunt.] quod notat plenitudinem exuberantem [rerum] ſacramentalium Chriſti. Res autem hic dicitur, non à reor, reris, quod eſt opinor, aris: quia ſic & phantaſiæ hæreticorum res eſſent. Sed dicitur res hîc, ens ratum & fixum; ſicut ſunt omnia dicta & facta Chriſti, *Matth.* 23. Cælum & terra tranſibunt, &c. *Pſal.* 101. & *Hebr.* 1. Velut amictum eos mutabis, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, &

anni tui non deficient. Dicit autem [in nobis] hoc est, inter nos. Vel [in nobis] hoc est, ad salutem nostram; non à nobis. *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Io.* 15. Sine me non potestis quicquam facere. *Io.* 1. Omnia per ipsum facta sunt, &c. Vel [redundant] Est enim triplex plenitudo, sufficientiæ, exuberantiæ, & redundantiæ: Plenitudo sufficientiæ sufficit ad salutem. Plenitudo exuberantiæ exuberat & effluit in quosdam. Redundantiæ autem exuberando diffundit, & replet omnes. De prima *Act.* 7. Stephanus plenus gratia & fortitudine De secunda *Iob* 32. Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. Et *Idem.* En venter meus quasi mustum absque spiraculo: & coarctat me spiritus vteri mei. Et *Psalmo* 18. Repleti sumus mane misericordia, &c. De tertia *Act.* 2. Et repleti sunt omnes Spiritu, &c. Per loquelam enim redundabat Spiritus in omnes. Dicit autem [completæ sunt] quia Deus de factura sua nihil relinquit imperfectum. Aut enim perfectam rem facit: aut rei à se factæ virtutem vnde se perficiat indidit. Sicut lunam nouam in initio noctis fecit; sed tamen motum in circulo suo vnde procederet ad oppositionem solis, & sic perficeretur in lumine indidit: sic dicit *Aug.* *Deu.* 32. Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera [rerum] Vt eus ratum dicat: quia quamuis verbum nostrum sit transitorium; & sicut dicit *Horatius*: Semel emissum volat irreuocabile verbum: & sicut dicit *Philosophus*: Quod dictum est semel, amplius resumi non potest. Tamen verbum Dei, vt dicit *Gl.* substantiuum est: & non transit, sed permanet. *Heb.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. *Psal.* 118. In æternum Domine permanet verbũ tuum.

Sicut tradiderunt] Ecce tertium. Et incipe constructionem *ibi* [visum est] Sic. Ita quidam fecerunt Pseudoeuangelistæ. Et quoniam ita est [visum est & mihi] inter alios Euangelistas, qui ante me scripserunt: Mihi dico [assecuto] per studium & memoriam [omnia] facta, verba & sacramenta [à principio] incarnationis, prædicationis, & passionis; resurrectionis, & ascensionis Domini Iesu. Assecuto, dico [sicut tradiderunt nobis] discipuli fideli traditione illi [qui ab initio] incarnationis [viderunt] Nam segnius irritant animum demissa per aures: quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus [&] non tantum viderunt, sed per fidem plenam [ministri] per obsequium & opus [fuerunt sermonis] hoc est, rerum, de quibus est sermo. Ecce perfectio Auctoris, qui meritu facilitatem scribendi accepit. Sic ergo credamus sicut tradiderunt nobis. 1. *Cor.* 11. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. Neque tamen Lucas & Marcus tantum didicerunt ab aliis; sed & Matthæus & Ioannes: quia quæcumque de ortu, & natiuitate, & infantia Saluatoris scripserunt: hæc & ab aliis didicerunt: & præcipuè à beata Virgine & Ioseph, & Magis & Pastoribus. Sic enim discere præceptum est Prophetæ *Isa.* 8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. *Eccl.* 2. Appropinquate ad me indocti, &c. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius [qui ab initio ipsi] *Act.* 1. Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati, &c. [viderunt] Non tam corpore quam mentis fide. *Luc.* 10. Beati oculi qui vident, &c. *Mat.* 5. Beati mundo corde, &c. *Iob vlt.* Auditu auris audiui te: nunc, &c. Sed quia non sufficit videre, nisi addatur opus: ideo subiungit [& ministri] operatores [fuerunt] *Iac.* 1. Nolite esse auditores verbi tantum, fallentes vosmetipsos. *ibidem.* Si quis permanserit in verbo, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Sic enim cœpit Iesus facere & docere. *Act.* 1. Vnde *Augustinus* dicit, quod medico dicenti herbas esse venenosas quas comedit, & salubres quas nullo modo gustat: nemo credit. In omnibus enim scientiis suadentibus virtutes & opera, magis respicitur in Doctore exemplum quam verbum. Vnde *Philosophus in moral.* Sunt quidam ad rationem confugiẽtes, qui quærunt philosophari & esse boni: aliquid simile facientes ægris, qui quidem medicos audiunt studiose, faciunt autem operandorum nihil. Et quemadmodum isti nunquam bene habebunt corpore sic excruciati: ita nec illi mente bene habebunt sic philosophantes. Propter quod *Leu.* 1. præcepit Deus os turturis retorqueri ad ascellam in sacrificio: vt ori coniungatur actio, quæ per ascellam designatur: & visioni scientiæ ministerium coniunctum sit actionis. *Isa.* 42. Qui vides multa, nonne custodies? Sed de nostri temporis doctoribus possumus dicere: Qui cadens apertos habet oculos *Nu.* 24.

Visum est] inter alios: non visione videntia tantum (sicut multi vident visiones capitis sui) sed visione rei; quia res ipsa hoc exigit. Sicut fuit visio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem *Isa.* 1. [& mihi] inter alios, siue præ aliis friuola docentibus, & de sapientia seculari præsumentibus. Sicut filij Agar, qui exquisierunt sapientiam, quæ de terra est. *Baruch* 3. *Abdia*: Perdam sapientes de Idumæa: & prudentiam de monte Esau [assecuto] quia discipuli est sequi, donec assequatur doctrinam magistri. *Philip.* 3. Sequor autem, si quo modo comprehendam in quo comprehensus sum [à principio] initij sermonis. *Heb.* 2. Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum ab eis, &c. [omnia] Distributio est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, quæ vocatur accommoda distributio, pro his quæ pertinent ad salutem. Per singula enim nemo vnquam intellexit omnia, quæ vera & facta sunt de Verbo incarnato. *Io. vlt.* Nec ipsum arbitror mundum capere, &c. *Eccl.* 6. Faciendi libros plures nullus est finis.

Consequenter tangit modum in scribendo [scribere diligenter ex ordine] Scribere autem est propter memoriam rei gestæ [diligenter] vt nihil negligatur necessariorum: quamuis forte non omnia scripserit quæ assecutus est; quia non oportet omnia omnibus reuelari. 2. *Cor.* 12. Audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui [ex ordine] autem, ne historia sacramentorum Iesu confundatur. Scribere enim expedit, sicut dicitur *Isa.* 8. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, hoc est, ad intellectum humanum rationabilem. *Habac.* 2. Scribe visum, & exara eum super tabulas, vt percurrat facile

facile qui legerit [diligenter] vt nihil necessariorum omittatur. *Matth.* 5. Iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege. Et [ex ordine] 1. *Cor.* 14. Omnia honeste secundum ordinem fiant in vobis. *Deut.* 32. Fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. In stillis enim vna post aliam cadit: & significat ordinem sacri eloquij. *Iob* 29. Stillabat super eos eloquium meum.

Deinde tangit finem [tibi optime Theophile] qui es persona potens, per quem multi fidem Deo dante percipient, & qui es amans Deum, & figuram omnium Domini prætendis amantium. *Eccl.* 33. Videte quod non mihi soli laboraui, &c. Et adiungit finem intentionis ad finem operis, dicens [vt cognoscas] per sciptura huius testimonia [verborum] Dei [de quibus eruditus es] extra ruditatem gentilitatis & infidelitatis positus es [veritatem] *Io.* 8. Si vos manseritis in sermone meo, &c. & cognoscetis veritatem &c. 2. *Esdra* 3. Super omnia vincit veritas. Veritas autem, vt dicit *Philosophus*, est adæquatio rerum ad intellectum. *Io.* 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Veritati autem opponuntur vanitas, falsitas, & mendacium. De vanitate *Ier.* 2. Secuti sunt vanitatem, & vani facti sunt. De falsitate *Iob* 16. Suscitatur falsiloquus contra faciem meam, contradicens mihi. De mendacio *Sapi.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. Et hæc tria competunt hæreticis, qui vani sunt in pulchritudine sermonis, falsi in re ipsa, & mendaces in seipsis. Fuerunt autem isti hæretici Basilides & Apelles: & alij quidam, sub nomine Thomæ & Matthiæ multa friuola de Saluatore scribentes. Vnde etiam sub nomine Thomæ induxerunt, quòd paradisus terrestris sit in quodam monte adeo alto, quod vsque ad lunarem globũ attingit: quod nullo modo permittit natura. Et multa alia ad odium scripturæ & veritatis induxerunt, prælibatis Apostolis sua mendacia imponentes.

INCIPIT EVANGELIVM secundum Lucam.

CAPVT I.

FVit in diebus Herodis regis Iudeæ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.

Hic incipit explanatio historiæ. Mixtim autem exequitur hic de natiuitate Ioannis, & natiuitate Christi. Et quinque facit quorum primum est de annuntiatione, secundum est de Christi annuntiatione, tertium est de Ioannis præcursu quem fecit in vtero matris, quartum est de Ioannis natiuitate: & hæc quatuor in hoc primo capite continentur. Quintum de Christi natiuitate, & hoc in principio sequentis capituli continetur. Ipsa autem Ioannis annuntiatio diuiditur in quinque particulas. Describuntur enim primo parentes, quibus fit annuntiatio. Secundo locus & tempus & opportunitas annuntiationis. Tertio seriatim ponitur annuntiatio. Quarto signum veritatis expetitur: & quinto conceptus in ipsa annuntiata, sicut prædicta est, perficitur. Quales autem sint quibus fit annuntiatio describitur tripliciter, quales videlicet generis & honorum claritate, quales meriti & vitæ sanctitate, quales naturali ad generandum potestate. Claritas autem generis & honorum dignitas primo describitur in patre, & deinde in matre.

Describit autem claritatem patris à temporis congruitate, ab honoris & officij dignitate, a nominis designatione, a sui ordinis & gradus sublimitate. A temporis quidem congruitate, quia [fuit in diebus Herodis regis] Herodes iste fuit Ascalonita, alienigena à semine Iudeorũ (vt dicit *Iosephus*) sub quo iuxta prophetiam Iacob & Danielis Christus nasci debuit. Transeunte enim regno Iudæorum ad alienigenam, incepit regnum Christi: Vnde Iacob *Gen.* 49. Non deficiet sceptrum de Iuda & Dux. &c. *Dan.* 9. secundum aliam translationem: Cùm venerit Sanctus sanctorum cessabit vnctio vestra, & sacrificium. Herode enim alienigena regnante (sicut narrat *Iosephus*) vendebatur sacerdotium à Romanis & Regibus, qui regnabant sub ipsis: sicut narrat historia Machabæorum & ideo translato regno, & iam de transferendo sacerdotio impleta prophetia; incipere debuit Christi regnum, & Christi sacerdotium: quia aliter populus Dei capite vtroque caruisset. Et ideo, licet Augustus Cæsar maior fuerit Herode: tamen non fit hic mentio Augusti Cæsaris; vt congruentia temporis ex impleta prophetia designetur. Tres autem fuerunt huius nominis per ordinem regnantes in Iudæa, pariter sibi nomine & malitia succedentes: Herodes Ascalonita, Herodes Antipas, & Herodes Agrippa. Primus horum occidit pueros innocentes volens occidere Christum *Mat.* 2. Secundus decollauit Ioannem *Mat.* 14. Tertius in passione Christum spreuit, & decollauit Iacobum majorem, & vinxit in carcere Petrum *Act.* 12. Vnde versus.

Ascalonita necat pueros, Antipa Ioannem,
Agripa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Fuit ergo [in diebus Herodis] cùm Herodes prosperitate lucis huius mundi clarus regnaret, nihil de nocte & tenebris mortis curans: de quo *Ier.* 17. Diem hominis non desideraui. *Psal.* 55. Ab altitudine diei timebo. *Iob* 3. pereat dies in qua natus sum. Vnde & Herodes diem natalis sui celebrat *Matth.* 14. Herodes qui secundum nomen suum gaudens, pelliceus, & glorians in pellibus interpretatur, hoc est, in exterioribus. *Iudith* 1. Gloriabatur quasi potens in potentia sua. Contra quod dicitur *Ier.* 9. Non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosce me. Diei enim istius lux temulenta est & est siderum errantium, sicut dicitur in *Cano. Iudæ* [regis] verius dixisset tyranni, sed vulgariter loquitur: quia vulgus eos qui tyrannice regnant, etiam reges vocat: cum tamen secundum *Arist.* & *Boe.* & *Tull.* & *Dion.* Rex sit, qui omnia statuit ad vtilitatem populi. Tyrannus qui ad vtilitatem sui statuit, & populi nocumenta. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, &c. *Osee* 13. Dabo tibi regem in furore meo [Iudææ] vt sciat translatum esse regnum Iudæorum. Et hoc permisit Deus pro-

pter peccata populi. *Iob* 34. Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Descripto tempore patris, describit claritatem ab officij dignitatè, cum dicit [sacerdos] Officij enim dignitatem dicit sacerdotium. Singularitatem autem & specialitatem in illo notat cum dicit [quidam] vt de communi sacerdotum numero sic exceptus. Sacerdotium autem officium est summi ordinis,& per consequens etiam summæ dignitatis. *Eccl.* 46. Ecce sacerdos magnus. *Sap.* 18. In veste enim poderis eius totus erat orbis terrarum, &c. [quidam] non qui ignem concupiscentiæ obtulit: sicut duo filij Aaron *Leu.* 10.sed qui ignem diuinum in cordis thuribulo exhibuit *Leu* 6. Ignis in altari meo semper ardebit [Zacharias nomine] Et hoc congrue; quia memor Domini sui semper fuit;& memor sponsionis, quam accipiens sacerdotium emisit: & ideo dicitur Episcopo consecrato, quod memor sit sponsionis suæ, quam fecit in die, quando adeptus est dignitatem. *Thr.* 3. Memoria memor ero, &c. E contra est de malis, qui nec Dei, nec sponsionis suæ, nec officij sui vnquam recordantur. 1. *Reg.* Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum nec officium sacerdotum, &c. *Ier.* 2. Ambulauerunt post vanitatem, &c. *Ier.* 2. Confusi sunt domus Israel, ipsi, &c. Sacerdos autem præcipuè debet quatuor memorari, scilicet, throni eius cui præsidet: vt in omni Iudicio meminerit cuius iudicium exercet,& dicat: De vultu tuo iudicium meum prodeat. Iudicij quo iudicatus est Dominus: & iudicandus est prælatus. *Luc.* 22. Si hæc in viridi, in arido quid fiet? *Sap.* 6. Iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Verbi iudicis qui iudicaturus est, qui dixit *Luc.* 22. Reges gentium dominantur eorum: sic non,&c.sed qui maior est, &c. Et dispensationis quam ipse princeps iniunxit. *Matth.* 24. Quis putas est fidelis dispensator & prudens, &c. Primi debet meminisse, vt sit iustus, & rectus, & æquus: secundi,vt sit in sublimitate timoratus: tertij, vt seruet humilitatem: quarti, vt in commisso non deserat fidelitatem. Sequitur.

[De vice Abia] Indeclinabile,tãquã diceret[de vice Abiæ] Et in hoc describit patrem Ioannis à sui ordinis,& gradus sublimitate. Hoc autem vt intelligatur:oportet reuoluere historiam 1. *Paralip.* 24. Vbi legitur quòd Dauid volens ampliare cultum diuinum, loco Eleazar & Ithamar constituit vt essent 24. summi sacerdotes. Sedecim sumes de filiis Eleazar, & octo de filiis Ithamar: & constituit vt vnusquisque in vice suæ septimanæ ministraret. Præuidens autem quod vna septimana in sacrificiorum ritu vtilior esset quam alia: & sic æmulatio inter sacerdotes posset oriri de ministerio: posuit sortes inter eos, quis qua septimana ministraret. Cum autem esset propheta, & omnia talia spiritu sancto inspiratus ordinaret: non est credendum quod alia fuerit sors nisi exploratio diuinæ voluntatis. In hac ergo sorte quidam de filiis Eleazar nomine Abia octaua sorte vel septima ministrabat: de cuius posteritate natus Zacharias de vice fuit Abiæ, octaua sorte ministrans. Et hoc congruit mysterio: quia octaua propter resurrectionem nouo testamento congruit:sicut septima congruit veteri testamento propter septenarij obseruantiam. Vnde *Eccl.* 9. Da partes septem necnon & octo: quia vtrumque testamentum mysticè referendum est ad obsequium Dei: Vetus vt figura: Nouum autem,vt veritas implens figuram. Hoc est ergo secundum literam quod dicit [de vice Abia] Neque nomen cadit à significatione: Abia enim interpretatur pater dominus: & significat quod iste sacerdos hereditario iure omnibus illis se exhibuit patrem, quorum erat dominus. Pater enim erat affectu & humilitate: Dominus autem seueritate & honore. 2. *Mach.* 5. Qui pro affectu pater Iudæorum dicebatur. *Isa.* 22. Potestatem tuam dabo in manu eius, & erit quasi pater habitantibus Ierusalem. *Iob.* 29. Cum sederem quasi rex circumstante exercitu;eram tamen mœrentium consolator. Vnde etiam Moyses *Exod.* 33. primò pro populo supplicauit vt pater: deinde proteruos iudicauit vt Dominus. *Augustinus de Prelato* Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat quam timeri: semper cogitans se pro vobis redditurum esse rationem. *Io.* 13. Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. 2. *Pet.* 5. Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Sequitur

[Et vxor illi] Commendatio est à matre. Commendat autem matrem à coniunctione, à genere,& à nomine. A coniunctione quidem cum dicit[vxor illi] Libera est. Sacerdotis non erat vxor nisi libera: alioquin ancilla existens, in concubinam & non in vxorem esset assumpta. *Gen.* 21. Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo. Non etiam dicitur vna de duabus, vt notetur amor castitatis in patre, sicut & in Isaac, qui vna vxore fuit contentus. Et maluisset forte nullam habere, si hoc tempore fuisset opportunum. Tunc enim cum propagatione seminis, fuit etiam propagatio religionis, quando adhuc non erat tẽpus reuelatæ gratiæ: quando filij spirituales per verbum prædicationis in matre Ecclesia procreantur. De qua ait *Iac.* 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis: vt simus initium aliquod creaturæ eius [De filiabus Aaron] Commendatio est à genere. Filiæ enim Aaron arctiori custodia custodiebantur: quia sacerdotibus pollutæ non iungebantur, neque repudiatæ. Et dicitur filia Aaron non tam carnis, scilicet quàm religionis imitatione, & nominis interpretatione. De religione Aaron dicitur *Sap.* 18. Properans homo sine querela, opposuit orationis suæ scutum, & per incensum deprecationem allegans restitit iræ, & finem imposuit necessitati; & inuenit eam quæ ad viuos est viam. Sic & ista filia Aaron sine querela vixit multarum orationum pro redemptione Israelis existens restitit iræ Dei: & seipsam incendens in deuotione, restitit iræ Dei: & inuenit viam vitæ, annunciato liberatoris præcursore. Montanus autem interpretatur quod emin ntiam significat iustitiæ. *Ier.* 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ,& mons sanctus.

Sequitur descriptio à nomine [& nomen eius Heli] Nomen dicitur quasi notamen, in quo Pythagoras ponit vitam & mortem: fortunium

tunium & infortunium. Vnde etiam extat rota Pythagoræ super nomen. Notamen ergo hoc beatam fecit de se quod sit Elisabeth, hoc est, Dei mei saturitas: vel Deus meus cognouit. Quorum primum est in virtute quæ satiat: secundum in cognitione veritatis quæ milluinat. De gratia quidem virtutis dicitur *Isa.* 4. Apprebendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: panem nostrum comedemus. Septem mulieres sunt mulier ista decorata septem virtutibus. Panem suum comedere, est proprias dulcedines cor confortantes exhibere. *Prouerb.* 13. Iustus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis est: quia secularia non satiant: vnde *Agg.* 1. Comedistis & non estis saturati. De cognitione veritatis dicitur *Io.* 17. Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est. De ista dicitur *Sap.* 8. Hanc amaui à iuuentute mea: & exquisiui mihi eam in sponsam accipere: & amator factus sum formæ illius. Pulcherrima forma virtutis & veritatis: virtutis in affectu: veritatis in intellectu. *Can.* 1. Pulchræ sunt genæ tuæ vt turturis, hoc est, pudoratæ virtutis; & castæ veritatis, quæ est theologia: quæ casta stat intra limites fidei, nec luxuriatur per phantasias: sicut scenicæ meretriculæ aliarum scientiarum. Hæc mulier est de qua dicitur *Iudith penult.* Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Hæc pro certo est, quæ competit tali sacerdoti; dicente Domino *Gen.* 2. Faciamus ei adiutorium simile sibi. *Prouer.* 5. Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te iugiter.

Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Ecce descriptio, quales sint merito & vitæ sanctitate. *Amb.* Plena laudatio quæ & genus in moribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandatis, iudicium in iustificatione comprehendit. Summatim autem perstringendo, commendatur in merito iustitiæ & simplicitate innocentiæ. In merito quidem iustitiæ à tribus: à merito iustitiæ, à rectitudine, & à profectu. A merito quidem iustitiæ: quia [erant ambo] sacerdos & vxor [iusti] non generali iustitia tantum (quæ est legum congruentia) vt in omnibus legibus diuinis & humanis congruant: & nec legi prohibitum vnquam committant. Quia vt dicit *Tullius*: Lex est ius scriptum, adsciscens honestum, prohibensque contrarium. 2. *Mach.* 4. In leges diuinas impie agere, impune non cedit. *Prouerb.* 6. Mandatum lucerna est: & lex lux: & via vitæ increpatio disciplinæ. Hæc autem iustitia non completur, nisi per omnem virtutem, & omnem legis obseruationē: quia dicitur *Iac.* 2. Qui offendit in vno factus est omnium reus. Est autem alia iustitia specialiter in duobus, commutandis & distribuendis. Commutandis quidem, vt omne quod commutatur aliqua commutatione, proximo vendendo vel emendo: iusto vendatur pretio sine fraude. Sicut præcepit Dominus *Leu.* 19. Æquus modius, æquusque sextarius. *Mich.* 6. Adhuc ignis in domo impij, & mensura minor iræ plena. In distribuendis autem, vt vnicuique distribuat propria eius dignitate: regi quod suum est, & cuilibet superiori: & pari quod suum est, & similiter inferiori. *Rom.* 13. Reddite omnibus debita: cui tributum tributum, cui vectigal vectigal. *Ibid.* Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis. Sic ergo ambo erant iusti. Et subiungit de modo iustitiæ, dicens [ante Deum] vt intensam, occultam, & sinceram denotet iustitiam. Intensam quidem: quia valde intense iustum est, quod ante Deum iustum reputatur, cum dicatur *Iob.* 4. quod etiam in Angelis suis reperit prauitatem. *Isa.* 64. Facti sumus vt immundi omnes nos: & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ. Occulta autem, quia quod ante Deum est, occultum est aliis. 1. *Reg.* 16. Homines vident quæ parent, Deus autem intuetur cor. *Matth.* 6. Sit eleemosyna tua in abscondito; & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Sincera autem, quia quod ante Deum est, humana laude non est coinquinatum, vel promixtum. *Prouer.* 16. Omnes viæ hominis patent oculis eius: spirituum autem ponderator est Dominus [Incedentes] Ecce commendatio à profectu. Dicit autem tria: profectum; profectus generalitatem in operibus virtutum; & profectus eiusdem generalitatem in iustificationibus. De profectu dicit [incedentes] hoc est de virtute in virtutem proficientes. *Psal.* 83. Ibunt de virtute in virtutem. 2. *Cor.* 3. A claritate in claritatem; tanquam à Domini spiritu. *Isa.* 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo. *Eze.* 9. Vnumquodque animalium ante faciem suam erat, & gradiebatur, hoc est, ad semper ingrediendum. *Seneca*: Ibi desinis esse bonus, vbi desinis velle fieri melior. *Ber.* Stare in via Dei, retrocedere est. Et subiungit profectus generalitatem in moribus [in omnibus mandatis] mandatum & præceptum idem est in substantia, differunt tamen in ratione: quia mandatum dicitur secundùm quod mandat, siue nuntiat voluntatem diuinam: præceptum autem secundùm quod est regula morum, vt ars, est collectio præceptorum ad eundem finem tendentium. *Psal.* 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Idem, Beati immaculati in via &c. *Psal.* 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur, &c. [& in iustificationibus Domini] Iustificationes, iudicia. *Arist.* enim in 5. *Ethi.* ostendit, quod iustificatio non est iustitia: sed iustificatio est exhibitio iustitiæ de re, de qua potest esse quæstio: de qua confugitur ad iudicem sicut ad iustum animatum. *Eccl.* 18. Ante iudicium para iustitiam tibi.

Fit autem iustificatio duobus modis, actiuè, & passiuè: passiuè quidem, quando aliquis per iudicium reducitur ad iustitiam non renitens iustitiæ. Actiuè autem duobus modis, scilicet, per iudicem: & quando aliquis per se ipsum sine iudicio reddit alicui quod suum est. *Deut.* 1. Quod iustum est iudicate: siue ciuis sit ille, siue peregrinus: nulla erit distantia personarum: quia Dei est iudicium. *Iob.* 23. Nolo multa fortitudine contendat [mecum] æquitatem proponat contra me [sine querela] ecce innocentia. Quia sicut in præhabitis fuerunt simplices & recti, ita in isto recesserunt à malo. *Psal.* 24.

Innocentes & recti adhæserunt mihi. *Iudith* 8. Non erat qui diceret de illa verbum malum. Sic enim accusator non habet locum. *Apoc.* 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte. 1. *Pet.* 2. Vt bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Sic enim iustus euadit querelam omnem in indicio. *Psal.* 111. Disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.

Et non erat illis filius.

Ecce quales sunt in generandi potestate. Quod describitur ad magnitudinem miraculi. Dicit autem hic duo: carentiam videlicet prolis: & causam. Carentia prolis describitur cum 'dicit [Et non erat illis filius] cum tamen bonum prolis sit omni modo bonum matrimonij. Omni autem modo dico: quia matrimonium aliquando est in officium ciuile: & aliquando in sacramentum. In officium quidem, secundùm quod a Deo institutum Legibus contrahentium ordinatur; ne terra depopuletur. Et sic patet quòd est propter prolem. In sacramentum autem duobus modis, scilicet, secundùm quod est medicina, in remedium vt concupiscentia prona in ruinam, honestate excipiatur nuptiarum. *vt dicit Aug. in libro de nup & concupis.* In sacramentum autem, quod est sacræ rei signum, scilicet, coniunctionis: quæ est inter animam sanctam & Deum. Et sic istis duobus modis habet tria bona, fidem, prolem, & sacramentum. Et cum ita commendati sint parentes: videbantur tamen maledictioni subiacere [quia non erat eis filius] *Exo.* 23. Non erit apud vos infœcunda. *Deut.* 7. Non erit apud te sterilis vtr usque sexus. Dicit autem [filius] & non filia, quia principalis sexus qui expectabatur, erat filius. Filia enim ex commistione viri & mulieris matri iuuare non poterat: quia corrupta fuit. Similiter poteris aduertere, quod omnes fere mulieres magnos viros generantes, quasi dono Dei acceperunt fœcunditatem: sicut Sara, & Rebecca, & Rachel, Anna mater Samuelis, Vxor Manue patris Samsonis. Sara *Gen.* 18. Rebecca *Gen.* 25. Rachel *Gen.* 30. Anna 1. *Reg.* 1. Vxor Manue. *Iudic.* 13. Hoc autem fit. vt donum Dei ostendatur in prole: quæ sicut supra facultatem naturæ datur, ita etiam in gratia super communem legem exaltatur. Isti enim significantur potius esse filij promissionis quàm humani seminis: licet in eis sit vtrumque.

Eo quod esset Elisabeth sterilis: & ambo processissent in diebus suis.

Ecce causa: Et dicit duo, scilicet, causam in matre, naturalem sterilitatem: & causam in vtroque antiquitatem. Et ambo processerant in diebus suis. Dicit ergo [eo quod esset sterilis Elisabeth] hoc est, conclusam haberet vuluam ad concipiendum ex concupiscentia; quam aperuit promissionis gratia. *Sap.* 3. Fœlix sterilis & coinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Et notatur hic, quod Zacharias & Elisabeth desperantes de prole; voluptati operam non dabant: cui, vt dicit *Aug.* etiam in iuuentute operam dare verecundum est. *Gen.* 18. Postquam consenui, & dominus meus vetulus est; voluptati operam dabo? 1. *Reg.* 1. Dominus concluserat vuluam Annæ [& ambo processissent in diebus suis] dies bonorum sunt claritates in gratia: quibus diebus pleni sunt sancti. Sicut dicitur de Iacob *Gen.* 50. quod mortuus est Iacob plenus dierum. *Prou.* 4. Semita iusti quasi lux splendens: & crescit vsque in perfectum diem. Processus autem dierum inducit frigiditatem & siccitatem: quæ sunt duæ causæ infœcunditatis: sic *Isa.* 51. dicitur de Abraham & Sara: Attendite ad petram vnde excisi estis: & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum: & ad Saram quæ peperit vos. Hoc autem fecit, vt tota fœcunditas detur fidei, & non naturæ. *Rom.* 6. Non considerauit corpus suum iam emortuum: cum fere esset centum annorum: & emortuam vuluam Saræ: sed contra spem in spem credidit. Contra spem naturæ, in spem gratiæ, vt dicit *Augustinum*, vt fieret pater.

Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exiit vt incensum poneret ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris, hora incensi.

Hic incipit ponere locum & tempus & opportunitatem annuntiationis. Ponit autem hic tria: opportunitatem videlicet ex opere officij, cui deditus fuerat: opportunitatem ex tempore: & opportunitatem ex loco. De primo dicit [factum est autem] quasi diceret, quia tales erant parentes qui hoc merebantur ex congruo: licet non ex condigno [factum est] hoc est, ex diuina dispensatione, [factum est] opportunitate nacta ex opere magis congruo tantæ annuntiationi [cum] ipse Zacharias memor Domini in opere officij [sacerdotio] hoc est, actu sacerdotali summo [fungeretur] & hoc fuit decimo die septembris, cum deprecaretur pro populi redemptione. Tunc enim de domo sua exierat, & in exhedris iuxta templum habitabat in domo castitatis: quia in ministerio sacrificij non licebat sacerdotibus vacare amplexibus: & ideo exhedræ, hoc est, exteriores ædes factæ sunt iuxta templum; in quibus tempore sui ministerij habitarent. Sicut præceperat Moyses *Exod.* 19. Sanctificamini, & ne appropinquetis vxoribus vestris: cum deberent occurrere Domino. *Ioel.* 2. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Vbi dicit *Hieron.* quòd tempore supplicationis vacandum est ab amplexibus. *Et Greg.* dicit: quod cum patriarchæ & prophetæ vacabant amplexibus; Spiritus Sanctus non tangebat corda ipsorum. Ecce opportunitas ex opere. Et sequitur, ponens opportunitatem ex tempore dicens [in ordine vicis suæ] hoc est, vicis Abiæ: quæ octaua occurrit in ordine ministerij, quam instituit Dauid. Et illo anno accidit vt veniret in septembri suum ministerium, decimo die mensis. In mense autem

autem septembris tria erant festa. Festum autem Neomeniæ, hoc est, nouæ lunæ: quando clangebatur cornibus arietum, in principio mensis celebrabatur: sicut dicit *Psal.* 80. Buccinate in Neomenia, hoc est, in principio mensis, tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. Decimo autem die eiusdem mensis fuit festum trinomium. Dicebatur enim festum afflictionis, festum expiationis, & festum propitiationis. Festum quidem afflictionis: quia illo die quilibet affligere tenebatur seipsum, ieiunando à mane vsque ad crepusculum. *Leuit.* 16. Anima quæ hac die afflicta non fuerit, peribit de populis. Dicebatur festum expiationis: quia illo die cum sanguine vitulæ rufæ & hirci, circumposito ligno cedrino & hyssopo, summus pontifex intrabat in Sancta sanctorum, habens in vna manu sanguinem in vase quodam, & in alia manu thuribulum cum igne, & puluerem thymiamatis: & nunquam plus illo anno intrabat nisi illo die. Et fumo quidem fecit nebulam, in qua inuisibiliter habitaret Dominus: ne forte morerentur, qui indigni visione eius viderent eum. 3. *Reg.* 8. Dominus dixit vt habitaret in nebula. *Eccl.* 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ. Cum sanguine autem expiabat templum, & vasa, & populum aspergens septies contra velum, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad nos Deus. Et hoc continetur *Leuit.* 16. de sanguine vitulæ rufæ. Et *Hebr.* 9. Hæc ergo dicebatur dies expiationis. Dicebatur etiam dies propitiationis: quia tunc in ingressu summi sacerdotis intra velum, scilicet, Sancta sanctorum: gloria Domini aliquando appparuit super propitiatorium inter duas alas Cherubim: & propitiabatur populo. *Exod.* 25. Solus ergo summus pontifex semel in anno, intrabat in Sancta sanctorum cum sanguine. Et hæc ordinatio illo anno contigit Zachariæ, secundum sortem administrationis, quam ordinauit Dauid. Et ideo patet: quod vel ipse fuit summus sacerdos inter illos viginti-quatuor: vel vnusquisque fuit summus in administratione vicis suæ. Et cum de vtroque sint opinantes, puto quod prior opinio est verior [Ante Deum] cui soli placere per hoc desiderabat. *Galat.* 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. *Psal.* 52. Qui hominibus placent, hoc est, placere quærunt, confusi sunt: quia Dominus spreuit eos. In hoc autem ostendit se filium Abrahæ: de quo dicitur *Roman.* 4. Patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti: qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Sic & iste emortuus, & emortuus vterus vxoris viuificati sunt: propter hoc quod omnia fecit ante Deum, & non ante homines.

Sequitur de loci opportunitate, cum dicit [secundum consuetudinem sacerdotij] in quo alter successit alteri in ministrando per viginti-quatuor vices. Quam tamen consuetudinem per ambitionem mutauerunt tempore passionis Domini Annas & Caiphas: vsurpantes sibi summum sacerdotium aliis viginti-duobus exclusis; vt vno anno regnaret Annas, & alio Caiphas. Sic innuitur *Ioan.* 19. Et arguuntur de præsumptione, quod mutare præsumpserunt quod David Spiritu sancto inspiratus ordinauerat. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Sequitur [sorte exiit] Non sorte, quæ tunc temperaretur, sed quæ missa fuerat tempore Dauid; & permansit ad tempora Annæ & Caiphæ. *Psal.* 30. In manibus tuis sortes meæ. *Prou.* 16. Sortes mittuntur in sinum: & à Domino temperantur [vt incensum poneret] quod dupliciter exponitur [vt incensum poneret] intra Sancta sanctorum in thuribulo, quod ferebat in manu. Vel [vt incensum poneret] egressus de Sanctis sanctorum, vt poneret incensum in altari incensorum, siue thymiamatis. Et hoc altare secundum Iosephum, & omnes sanctos præter Augustinum, erat in sanctis ante velum: ad quod intrabat sacerdos cata mane, & cata vespere: ponens incensum quando offerebat iuge sacrificium in holocaustum: agnum vnum in mane; & agnum vnum in vespere, quolibet die, sicut dicitur *Exod.* 29. [Ingressus in templum Domini] vel intra Sancta sanctorum cum thuribulo: vel intra sancta eum incenso. *Eccl.* 44. Fungi sacerdotio, & habere laudem in nomine eius, & offerre illi incensum dignum in odorem suauitatis. *Gen.* 8. Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & benedixit eis.

Fungitur autem sacerdotio, qui scit & exhibet officium sacerdotum ad Deum, & ad populum. Quod fit in oratione fusa ad Deum; in sacrificij salutaris oblatione: Et peccatorum discretione; quod fit in confessione populi. De legis eruditione, & in rerum templi fideli custoditione. De primo horum 2. *Machab.* 1. Orationem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium. De primo & secundo simul *Sap.* 18. Per incensum deprecationem allegans restitit iræ, & finem imposuit necessitati. De tertio *Leuit.* 14. præcipitur vt omnis leprosus ducatur ad sacerdotem, vt fiat iudicium de lepra: & vtrùm sit mundatus an non. De quarto *Agg.* 2. Interroga sacerdotes legem. *Mal.* 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius. *Et Ibidem*; Lex veritatis fuit in ore eius: & iniquitas non est inuenta in labiis eius: in pace, & in æquitate ambulauit mecum; & multos auertit ab iniquitate. De quinto *Leuit. per totum.* 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. *Matth.* 25. Euge serue bone, & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Hæc sunt quinque talenta de quibus dicitur *Matth.* 22. Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Sic bonus sacerdos ingreditur in templum Domini.

Templum autem dicitur à templor, templaris, quod non est in vsu nisi in composito, contemplor, aris: quia ibi apparitiones & contemplationes Domini manifestantur. Vnde & alio nomine phanum, siue apparitio nominatur: & ideo cum reuerentia est intrandum. *Psal.* 41. Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Et arguuntur qui non cum reuerentia intrant *Amos* 6. Væ vobis qui opulenti estis in Sion: & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. *Gen.* 20. Pauensque

que, quàm terribilis est (inquit) locus iste. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Nota etiam quod incensum incenditur, ponitur, dirigitur, & eleuatur. Incenditur per charitatis deuotionem: ponitur per operis virtutem: dirigitur per rectam intentionem: eleuatur per intellectus contemplationem. De primo *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt ardeat? De secundo *Thre.* 3. Leuemus corda nostra cum manibus in cælum. *Apoc.* 8. Ascendit fumus aromatum de orationibus sanctorum in conspectu Domini de manu angeli, hoc est, de bona operatione, quæ per manum designatur. De tertio *Psal.* 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. De quarto *Can.* 3. Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Quod autem orabat sacerdos intus: consono corde deprecabatur populus foris. Et hoc est quod sequitur [Et omnis multitudo, &c.] Præceptum fuit legis *Exod.* 23. quod tribus vicibus omnis homo appareret in Ierusalem in conspectu Domini: in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Scenopegia. In septembri autem erat Scenopegia: quando in vmbraculis & tabernaculis habitabant in memoriam egressionis de Ægypto. Sceno enim idem est quod vmbra, siue vmbraculum. In septembri autem erant tria festa, Neomeniæ, expiationis, & propitiationis: vt diximus. Et in fine festum Tabernaculorum, siue Scenopegiæ.

Ad hoc ergo festum celebrandum omnis multitudo omnium ciuitatum fuit in Ierusalem. Et hoc est quod dicit [& omnis multitudo populi] In aliis enim temporibus, tempore iugis sacrificij intrabat sacerdos singulis diebus mane & vespere in sancta, ponens incensum. Sed tunc non tenebatur conuenire omnis multitudo populi. Sed in isto festo, tota aderat multitudo. *Psa.* 121. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini testimonium Israël: ad cõfitendum nomini Domini. *Ioel.* 2. Congregate populum: sanctificate Ecclesiam: coadunate senes: congregare paruulos, & sugentes vbera. Dicit enim *Hieronymus*, quod multorum preces impossibile est non exaudiri [Erat orans foris in atrio] quia non licebat eis intrare templum. Foris autem fuerunt laici quidem in atrio mundorum: inferiores autem sacerdotes in atrio interiori: & pœnitentes & immundi, in atrio exteriori & immundorum: & princeps in porta orientali. *Ezech.* 44. Porta orientalis erit clausa principi [hora incensi] illius solemnis: quando in die propitiationis intrauit summus pontifex (alias sacerdos) in Sancta sanctorum. Hoc est significatum *Sap.* 18. vbi dicitur de veste summi sacerdotis: quod in veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum, hoc est, in affectu orationis eius tota orbis multitudo. *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse Dominus cum eis erit eorum Deus. *Apoc.* 7. Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum. Omnium enim interesse intererat, vbi agebatur de communi omnium Salutore. Bonus enim sacerdos verbo & exemplo omnes attrahit in deuotionem. *Eccl.* 44. Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus.

Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

Hic ponitur annuntiatio: & dicuntur in ea quatuor, in quorum primo describitur persona annuntiantis angeli: secundo turbatio occasionata sacerdotis Domini: tertio confortatio turbati: quarto ipsa nuntiatio seriatim exprimitur. Describitur autem persona annuntiantis angeli per sex: per modum (videlicet) suæ manifestationis: per officium suæ legationis: per auctoritatem se mittentis: per situm suæ positionis: per differentiam situationis: per ministerium eius iuxta quod stetit altaris. Modus autem suæ manifestationis est quod apparuit. Apparere enim, est subito manifestum fieri eum, in cuius potestate est videri quando vult: & non videri quando non vult, & sicut non vult. Et hoc dicit *Glossa*. Angelus enim diffinitiue est in loco: & cum est in vno loco, non est in alio: & cum est in cælo, non est in terra: & cum est in medio, non est in extremis. Quòd autem visibilis stat, vt dicit *Glossa*, est in potestate sua: hoc autem est vt dicit *Aug.* per assumpti corporis figuram & speciem.

Vtrum autem illud corpus sit aëreum, vel alterius naturæ: quamuis sit maioris egens inquisitionis, tamen sine præiudicio maioris sententiæ dico quod est species corporis intentionalis: sicut sunt species visibiles quando sensibus obiiciuntur. Talis enim species magis competit naturæ spirituali: & talis habet terminos figurarum, quas non contineret aër, si de aëre corpus assumeret. In tali ergo specie corporis apparens, visibilis factus est sacerdoti. Talis etiam species directa ad vnum, & non ad alium, facit eum visibilem vni & non alij. Hoc ergo est quod dicit [apparuit] quantum ad modum manifestationis. *Psal.* 79. Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. *Psal.* 88. Locutus es in visione sanctis tuis [Angelus] Descriptio est à legatione. Angelus idem est quod legatus, vel nuntius, *Heb.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. *Psal.* 103. Qui facit Angelos suos spiritus. Et quia lex deitatis est per prima media, & per media vltima reducere: vt dicit *Dionys.* ideo omnes Angeli dicuntur; quia per primos Angelos medij, & per medios vltimi reducuntur in illuminationes diuinas. Nos autem qui per animam & intellectum sumus illuminationum (quæ sunt à primo) vltima relatione perceptiui: reducimur in illuminationes diuinas Dei per Angelos. *Heb.* 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: supple per Angelos. *Osee* 12. Ego visiones multiplicaui: & in manu prophetarum assimilatus sum. Notatur in hoc quintum, segregatus fuit iste sacerdos à tumultu peccatorum & mundi: cui tam familiariter se exhibebant Angeli. *Heb.* 7. Talis decebat vt esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segre

ſegregatus à peccatoribus : & excelſior cælis factus. Angelorum enim meretur conſortium, qui io puritate, & officio, & familiaritate eſt Angelorum. Vnde *Mal.* 2. dicitur de ſacerdote: Angelus enim Domini exercituum eſt. 1. *Cor.* 11. Debet mulier velamen habere ſuper caput propter Angelos. *Gloſſa*, propter ſacerdotes [Domini] ecce deſcriptio per auctoritatem ſe mittentis. Angelus enim aliquando eſt nuntius alterius Angeli, ſicut dicitur *Zach.* 2. Alius Angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum; curre, loquere ad puerum iſtum. Et ideo dicit hic [Domini] vt oſtendat quod Deus ipſe legationem iniunxit : qoia ad obſequendum præcurſori filij ſui eum miſit. Et propter hoc dicitur *Tob.* 12. Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui in conſpectu Dei aſtamus. *Dan.* 7. Millia millium miniſtrabant ei : & decies centena millia aſſiſtebant ei [Stans] Ecce deſcriptio ex modo ſuæ poſitionis, quam prætendit in figura aſſumpti corporis. Status autem ſignificabat rectitudinem ad quam erigenda erat humana natura : quam ex peccato diu ſuſtinuerat. *Baruch* 4. & 5. Surge, & ſta in excelſo, circumſpice ad orientem, & vide iucunditatem à Domino Deo tuo tibi venientem. 4. *Reg.* 3. In cuius conſpectu ſto[a dextris] Ecce deſcriptio à differentia ſituationis. Dextra enim pertinet ad ſalutem, & ad ſaluandos : ſiniſtra vero ad condemnandos. *Prou.* 4. Vias quæ à dextris ſunt nouit Dominus : peruerſæ verò ſunt quæ ſunt à ſiniſtris *Matth* 6. Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua [altaris] Ecce deſcriptio per miniſterium eius, iuxta quod ſtetit [incenſi] Quod dicit ad differentiam altaris holocauſtorum, quod erat in atrio extra templum, vbi animalia cremabantur. Et per altare holocauſtorum ſignificatur immolatio animalium, paſſionum & motuum in corpore. Per altare incenſi ſignificatur deuotio orationis in mente. Et datur intelligi, quod in deuotione mentis citius apparet Dominus quàm in corporis exercitatione. 1. *Timoth.* 4. Exercitatio corporis ad modicum vtilis eſt : pietas veró ad omnia valet: promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Significabat etiam, quòd incipiebat Sacramentum quod à tota Eccleſia celebrandum eſt legitimum, & ſempiternum.

Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum.

Hic deſcribitur turbatio occaſionata ex viſu Angeli: & in hac dicit tria. quorum primum eſt turbatio : ſecundum turbationis cauſa: & tertium timor ex vtroque cauſatus. De primo dicit [Et Zacharias] ſacerdos aſſuetus ſacris viſionibus ex ſcriptura, in qua legerat ſæpe huiuſmodi viſiones apparuiſſe [turbatus eſt] Turbatio fit ex mixtura opaci cum perſpicuo claro, per commotionem opaci cauſata. Sicut fit turbatio fontis per admixtionem limoſi, & lutulentæ ſubſtantiæ : ita fit turbatio luminis in ratione per admixtionem paſſionis terrenæ & corporeæ ſubſtantiæ lutulentæ ; quando apparet aliquid præter ſpem & facultatem videntis. Et in illa obtenebratione, ratio non poteſt redire ad lucem ſuam, vt præſtet cordi ducatum; vt expediat ſe cognoſcendo & ordinando id quod apparet, & cauſas ipſius. Vnde *Gloſſ.* Solemus turbari, & à noſtro affectu (quem, ſupple, ratio noſtra ordinat) alienari, quando perſtringimur (hoc eſt, intra noſtram paruitatem concludimur) ſuperioris poteſtatis occurſu. Et hoc fit ideo : quia turbatio eſt fuga cordis ſecundùm ſyſtolem, hoc eſt, ſecundùm contractionem. Et hoc fit dupliciter : ex occurſu, ſcilicet, magni; quod ſupra facultatem noſtram in cognoſcendo & operando eſt eleuatum. Et fit etiam in occurſu mali nocentis. Et primum quidem inducit in turbatione admirationem : ſecundum autem inducit in turbatione triſtitiam. Infra *eodem cap.* Quæ cum audiſſet, turbata eſt io ſermone Angeli : & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

Videns] Cauſa eſt turbationis. Subito enim præter ſpē oſtenſos Angelus turbationem inducit. *Dan.* 10. Domine in viſione tua ſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium. *Ezech.* 3. Ecce gloria Domini ſtabat quaſi gloria, quam vidi iuxta fluuium Chobar : & cecidi in faciem meam.

Et timor] qui eſt fuga cordis in ſeipſum, vt dicit *Auguſtinus* [irruit] vi ſuperioris poteſtatis apparentis [ſuper eum] quia deſuper timor venit : & non de aliquo malo inferiori. *Pſal.* 54. Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ: in rationis, ſcilicet, obumbratione. *Iſa.* 21. Corrui cum audirem, turbatus ſum cum viderem, emarcuit cor meum; tenebræ obſtupefecerunt me. Tanta autem turbatio non tantùm ex magnitudine rei viſæ exorta eſt : ſed etiam ex ſancti ſacerdotis humilitate, qui ad tantam viſionem non ſe reputabat idoneum. *Iſa.* 6. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum : & in medio populi polluta labia habentis ego habito : & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. *Iudic.* 13. Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Boni cordis eſt pauere ad omnem aſpectum diuinum. Vnde *Luc.* 18. Nolebat oculos ad cælum leuare : ſed percutiebat pectus ſuum dicens; Deus propitius eſto mihi peccatori. *Exod.* 3. Cum appareret Dominus, abſcondit Moyſes faciem ſuam. *Amb.* Sicut humani defectus eſt terreri: ita angelicæ benignitatis eſt, pauentem de ſuo aſpectu blandiendo conſolari E contrario dæmones ſi quos de ſua præſentia terreri ſenſerint, ampliori horrore concutiunt. Et hoc ipſo ſigno poterat Zacharias bonum cognoſcere Angelum. Et hoc eſt quod ſequitur.

Et ait ad illum Angelus : Ne timeas Zacharia : quoniam exaudita eſt deprecatio tua.

Hic ponitur turbati confortatio. Sed quæritur, quomodo ſonans Angelos dixit ſermones iſtos ? Dico ſicut ſupra, quòd vtebatur potiùs vocum intentionibus, quàm commotione aëris. Eſt enim in voce & ſono quod naturalis motus eſt : & quod eſt ſpeciei ſenſibilis. Vtebatur autem Angelus ſpecie ſenſibili, ſicut fiunt in ſpiritu reflexo ad ſenſum : vbi penitùs ſunt ſoni ſine aëris commotione. Hoc enim magis competit operatiooi ſubſtantiæ ſpiritualis. Et ſic ſonat ad vnum, & non ad alterum. Quia ſi cum

commotione aëris esset : oporteret quod sonaretad omnes,ad quos attingeret aër commotus. In auditu etiam naturali hæc duo manifestantur. Commotio enim aëris percutit auris tympanum : vis autem animæ in tympano præter commotionem accipit soni intentionem absque omni commotione : quia commotio non est agens ad operationem animæ , sed organi corporalis. Et ideo quidam philosophorum naturalium in omnibus sensibilibus posuerunt duo actiua , quorum vnum est agens ad passionem corporis siue organi corporalis:alterum ad passionem animæ sensibilis. Et agens quidem ad passionem corporis diuersum est in sensibus: quia in visu est lumen corporeum , & in auditu aër commotus,& in aliis aliud. Sed in omnibus dixerunt esse vnum agens ad passionem animæ, quod vocabant lucem incorpoream : eo quod omnis anima accipit intentionem formæ sensibilis sine omni materia & materiæ dispositione : sicut cera speciem accipit sigilli sine metallo & metalli dispositione naturali. Quid autem de his verum sit:non est præsentis intentionis ; nisi quoad hoc quod modum hic ostendimus magis conuenientem quo visibilis fit Angelus,qui per naturam est inuisibilis. Et qualiter loquatur , qui per naturam verbis non vtitur in aëre sonantibus. Hoc est ergo quod dicit.

Ait autem ad illum Angelus] Et dicuntur hic tria : modus videlicet loquendi , confortatio , & causa confortationis. De modo loquendi iam dictum est. Et iste modus est quasi loqui in nobis. *Psal.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Quamuis autem Angelus sit extra eum cui loquitur quando apparet : tamen loquendo vtitur intentione sermonis,eo modo quo est in audiente:& ideo cum loquitur vni , ille audit ; & alij assistentes non audiunt. *Zach.* 4. Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me [Ne timeas Zacharia] Signum beneuolentiæ ponit per nomen sacerdotis. *Exod.* 33. Inuenisti gratiam coram me : & teipsum noui ex nomine. Vnde antiqui Hebræorum dicunt , quod apparenti Angelo tenemur credere nos nominanti. *Isaie* 7. Vide ne timeas: & cor tuum ne formidet. *Matthæi* 28. Nolite timere eos. *Gregorius* Illi timeant qui ad cælestia non pertinent. Vos autem cur timetis , qui vestros ciues videtis? Et subiungit causam confortationis , dicens [quoniam exaudita est oratio tua] Oratio , vt dicit *Damasc.* est petitio decentium à Deo. Nihil ergo tam decens fuit sicut liberatio populi, quando tempus reconciliationis sacerdos inspiratus & eruditus cognouit esse impletum. *Gal.* 4. Quando venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege : vt eos qui sub lege erant redimeret. Hoc autem tempus impletum cognouit sacerdos : & ideo in oratione instanter & feruenter perseuerauit. Sicut *Dan.* 9. Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum , de quo factus est sermo Domini ad *Ierem.* prophetam , vt complerentur desolationis Ierusalem. 70. anni; & posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere. Et sic fecit *Zachar.* 1. Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es , iste enim iam septuagesimus annus est?

Dicit autem iam exauditam esse orationem: Et hoc videtur friuolum : Quia non videtur petiuisse prolem quam desperabat : sicut dicit *Glossa* , quam tamen prænuntiat Angelus. Et ad hoc dicendum quod orabat iste liberationem populi:cuius liberationis tempus cognouit esse impletum : & super hoc pro bono charitatis, quia fideliter orauit pro populo. Auditur etiam de bono prolis , quæ initium fuit quoddam futuræ liberationis. Et ideo exponendum est [exaudita] hoc est , extra id , & supra id quod petebas audita [est oratio tua] Alia litera habet [deprecatio tua] Et vt dicit *Glossa super Epistolam ad Titum* , Deprecatio est in amouendis malis : quia orabat vt captiuitas , qua Diabolus genus humanum captiuauerat , solueretur. *Isa.* 49. A forti tolletur præda : & quod ablatum fuerat à robusto saluabitur. Extra hæc autem audita est oratio:quia super hoc donum nobilissimæ prolis accepit. Et hoc est quod sequitur.

Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium : & vocabis nomen eius Ioannem.

Ecce hic per ordinem exprimitur annuntiatio. Et dicuntur in ea duo : vnum est ipsa annuntiatio : secundum est præconium annuntiati. Annuntiatio autem exprimitur in tribus, quorum primum est laus matrimonij, quia non est de soluto concubitu:secundum est sexus nascentis : & tertium nomen annuntiati. Laus autem legitimi filij exprimitur à nomine matris, à coniunctione legitima, & à partu. Dicit ergo [Elisabeth] cuius iam emortuus erat vterus,vt superius dictum est. Vt ostendatur quod plus potest gratia quam natura. *infrà eodem c.* 1. Et hic mensis est sextus illi qui vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum: *Gen.* 18. Quare risit Sara ? Numquid Deo quidquam erit difficile ? [vxor tua] ne illegitimus reputetur ad actus gratiæ. Abraham enim filio legitimo dimisit hæreditatem : filiis autem concubinarum largitus est munera temporalium *Gen.* 25. [Pariet tibi] hoc est, ad vtilitatem tui [filium] sicut natus est Ioseph ipsi Iacob ad liberationem. Et non tantum ad liberationem patris:sed etiam ad liberationem omnium fratrum eius. Vnde significatur per Ioseph , de quo dicitur *Eccl.* 49. Et Ioseph qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis , rector fratrum , stabilimentum populi [& vocabis nomen eius Ioannem] Designatur hic ex nomine quòd paucissimis est concessum: quod prænominentur. Et possunt notari speciales gratiæ Ioannis , quæ sunt sex in nominibus: septem in officiis : priuilegia quatuor in modo conceptionis & natiuitatis : & præeminentiæ septem:tres aureolæ.

Nomina autem sex sunt ista : Ioannes , Vox verbi , Lucerna , Lucifer , Angelus , Elias. Ioannes quidem dicitur hic : & interpretatur in quo est gratia. 1. *Corinth.* 15. Gratia Dei sum id quod sum : & gratia eius in me vacua non fuit. Omnibus enim Ioannes innotescit per gratiam:quia quicquid in eo videtur, gratiæ est, & non naturæ. Vox autem dicitur *Ioan.* 1. Ego

vox

vox clamantis in deserto. Vox enim fuit Verbum incarnatum sonans, & ad aures deuehens hominem. Lucerna autem dicitur, in quantum demonstrando Christum hominibus viam parat. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. *Psal.* 131. Paraui lucernam Christo meo. Lucifer autem, in quantum veram lucem prænuntiauit. *Iob* 38. Nunquid produces luciferum in tempore suo? Et de hoc supra dictum est. Angelus autem nominatur, in quantum diuinæ voluntatis est nuntius. *Mal.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam: & statim veniet. Elias autem, in quantum primi aduentus præco est: sicut etiam secundi aduentus prænuntius erit Elias. *Infra eodem*: Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ. *Matth.* 17. Elias autem iam venit: & fecerunt in eo quæcunque voluerunt.

Officia eius sunt septem. Scilicet, quòd est Propheta, Præcursor, Baptista, Præco, Prædicator, Testis, Paranymphus. De Propheta enim dicitur *infra eodem*: Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, &c. De Præcursore *ibidem*: Præibit enim ante faciem Domini parare vias eius. De Baptista *Matth.* 3. *Mar.* 1. *Ioan.* 1. & *Luc.* 3. Vbi dicitur quòd Ioannes venit in omnem regionem Iordanis baptizans. De Præconis officio *Mar.* 1 Parate viam Domini, &c. *Ezech.* 4. Parate viam Domini: rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Prædicator etiam fuit, sicut dicitur in eisdem prædicans baptismum pœnitentiæ. *Infra cap.* 3. multum est de prædicatione ipsius. Et quoad hoc dicitur sagitta electa quoad bonos: quos verbis suis sicut sagitta compunxit. *Isaia capite* 49. Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua me abscondit. Dicitur etiam gladius acutus, quoad malos quos præscidit. *Psalm.* 119. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, &c. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. De Testimonio dicitur *Ioan.* 1. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. De Paranymphi officio dicitur *Ioan.* 3. vbi Ioannes dicit de seipso: Amicus sponsi stat & audit, & gaudet ad vocem sponsi & sponsæ.

Priuilegia autem Ioannis sunt quatuor. Scilicet, quòd ab Angelo annuntiatus: & quòd ab Angelo prænominatus antequam natus: quòd in vtero sanctificatus: & quòd nondum natus in occursum Saluatoris est in gaudio motus. Et de annuntiatione quidem habetur hic. Et in figuram huius annuntiatur Isaac *Gen.* 18. & Samson *Iudic.* 13. Neque plures inueniuntur in veteri testamento prius annuntiati.

Prænominati autem ante natiuitatem in veteri testamento non inueniuntur nisi sex: Ismaël, Isaac, Samson, Iosias, Cyrus, & Agag. Et duo in nouo testamento, scilicet, Ioannes, & Christus. Ismaël quidem *Gen.* 16. Isaac autem *Gen.* 18. Samson secundùm aliam translationem *Iudic.* 13. Cyrus *Isa.* 45. Iosias 3. *Reg.* 13. Agag *Numer.* 24. in prophetia Balaam. Nec aliquis ante natiuitatem nominatur: nisi quia fuit salutis communis specialis figura, vel speciale impedimentum. Sicut Ismaël nominatur, qui fuit Isaac persecutor: in quo magis claruit virtus Isaac, qui est Saluatoris figura. Samson autem prænominatur, quia Saluatoris in nomine & actu figura. Cyrus autem, quia liberator populi à captiuitate Babylonica: & in hoc Saluatoria figura extitit. Iosias autem, quia & religione & opere præostendit Saluatorem. Agag autem, quia fuit causa translationis regni Saul: quod significabat regni veteris translationem in regnum Christi. In nouo autem testamento non prænominantur, nisi Ioannes & Iesus: vt hic. De sanctificatione autem dicitur hic. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris. Et *Ierem.* 1. Priusquam te formarem in vtero noui te: & antequam exires de ventre sanctificaui te. De motu autem eius in vtero in occursum Saluatoris, *Infra eodem.* Vt facta est vox salutation a tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo.

Septem autem præeminentiæ sunt, quòd est plusquam propheta, maior homine, cu-tor eremi, sanitas patris, donum matris, stupor vniuersi, terminus prophetarum & legis. Quòd sit plusquam propheta *Matthæi* 11. Dico vobis prophetam, & plusquam prophetam. De secundo *Ibidem* Nullus maior surrexit inter natos mulierum Ioanne Bapt. *Augustinus contra Felicianum.* Si nullus maior inter natos mulierum, nullus maior hominum. Ergo nullus maior sub Deo: excepta beata Virgine, ad quam nihil creatum est comparabile. Et hoc est contra quosdam, qui suos Sanctos omnibus aliis præferunt. De Anachoretæ vita infra dicitur, quod erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël. Et ideo cibo parcissimus, & vestimento asperrimus erat. Vnde *infra* 3. & *Matthæi capite tertio.* Esca eius erat mel syluestre & locustæ: & vestimentum eius de pilis camelorum: & zona pellicea circa lumbos eius. Hæc enim sunt habitus, & victus eremitarum. Quòd sit sanitas patris, *infra eodem.* Et apertum est illicò os eius, & lingua eius. Et quòd sit gaudium matris, patet *Isa.* 54. Lauda sterilis quæ non paris: decanta canticum quæ non pariebas. Quia videlicet supra potestatem naturæ datus est tibi filius gratiæ. Vnde de ea dicitur *Ruth vltim.* Benedictus Dominus qui non est passus vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Israël: & habeas qui consoletur animam tuam. Quòd autem sit stupor vniuersi, *infra eod.* Posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes. Quis putas puer iste erit?

Tres autem sunt aureolæ ipsius: Virginitatis, Doctoris, & Martyris. Vnde *Hieron. in hymno* Serta ter denis alios coronant aucta crementis, duplicata quosdam: trina centeno cumulata fructu te facer ornant. *Isa.* 62. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. In tot igitur & talibus numeratus est Ioãnes.

Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

Ecce Præconium annuntiati. Et dicuntur hic quatuor: qualis videlicet erit ad homines, qualis ad Deum, & qualis in fructu, & qualis in officio. Duo autem dicuntur hic de qualitate eius ad homines: qualis videlicet erit ad parentes, & qualis ad omnes. De primo dicitur [Et] hic

hic filius [erit gaudium] hoc est, materia & causa gaudij [tibi] Gaudium, vt dicit *Augustinus*, est diffusio animi in conceptione boni. *Isaiæ* 60. Videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum. *Ierem.* 13. Vt essent mihi in nomen, & in laudem, & in gloriam. Hic enim non tam carnalis quam spiritualis est filius. In quo etiam omnis gratiæ filius significatur: qui nascitur quando renascitur & reuificatur in gratia. *Prouerb.* 23. Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit filium, lætabitur in eo. *Luc.* 15. Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est [& exultatio] Exultatio, vt dicit Cassiodorus, est redundantia gaudij cordis in corpore, quæ in protensione spiritus & sanguinis demonstratur. *Isa.* 61. Gaudens gaudebo in Domino: & exultabit anima mea in Deo salutari meo. *Psal.* 83. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum [Et multi] Ecce qualis est ad omnes quantum est in se: ad multos autem in effectu. Et hoc est quod dicit. [Et multi in natiuitate eius gaudebunt] hoc est, de natiuitate: quia omnes illi quos conuertet ad Dominum Deum patrem ipsorum. *Philip.* 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. *Prouerb.* 28. In exultatione iustorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum. *Prouerb.* 29. In mutiplicatione iustorum lætabitur vulgus. *Ioan.* 16. Iam non meminit pressuræ: quia natus est homo in mundum; tam rationalia & tam diuinus. *Iudith penult.* Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.

Erit enim magnus coram Domino: vinum & siceram non bibet.

Hic tangit qualis futurus erat in vita, & ad Deum. Et tangit tria: qualis sit futurus quantitate virtutis: qualis austeritate victus & conuersationis: & qualis in mente, & in miraculis. De primo autem dicit duo: quantitatem, scilicet, virtutis: & sinceritatem veritatis. De primo dicit [erit enim magnus] non quantitate molis, sed quantitate virtutis: quæ triplex est: magnitudo scilicet virtutis ad operationem: magnitudo honoris ad virtutis congruam remunerationem: & magnitudo opinionis & laudis ad omnium intuentium ædificationem.

Magnitudo autem virtutis patet per singulas virtutes. Prudentia magnus fuit, qui omnes docuit. Temperantia magnus fuit, qui non solum à deliciis, sed etiam à necessariis temperauit. Iustitia magnus, qui vnicuique quod suum erat attribuit: bonis & malis, & militibus & aliis. Fortitudine magnus, qui insaniam regis & reginæ sustinuit. Vel virtute magnus est, qui eam quæ magna virtus propriè vocatur, præ aliis habuit. Hæc autem est quæ magnanimitas vocatur: quam sic diffiniunt Philosophi: quòd est amplitudo quædam animi dignitatem suam recognoscentis: & non reputare sibi satis magnum, quod minus est ipso. Sicut fecit Ioannes omnia contemnens, & ad Deum & ad cælestia se extendens. *Phil.* 3. Quæ mibi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem. *Seneca ad Lucillum*. Magnus est, cui magno existenti nihil est magnum. *Arist. in lib. Ethic.* 4. Magnanimus est, qui seipsum dignificat dignis dignus existens. *Bern. in lib. de consider.* 2. Magnus est enim, cui dignitas seculi si arrisit, non irriserit: neque minor est illo qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientia. *Iob* 1. Erat vir magnus inter omnes orientales, hoc est, in quibus est ortus sol iustitiæ. Et iden dicit *Ambr.* quòd erat magnus, non virtute corporali, sed animi magnitudine.

Huic magnitudini tria sunt opposita. Quorum vnum est, scire quidem propriam dignitatem: & non audere se dignificare sibi dignis: & ista est pusillanimitas. Aliud autem est nescire propriam dignitatem: & ideo se non dignificare dignis: & hic vocatur insipiens. Tertium est nullo dignum esse: & tamen dignificare se magnis: & hic vocatur arrogans & ambitiosus. Nihil horum passus est Ioannes: quia vt dignus existens, se Israëli ostendit, & testimonium perhibuit, & baptizauit Christum, & multa fecit magna, & suiipsius quantitatem cognouit: & vt dicit *Gregor.* elegit magis solidè subsistere in se; quam humana opinione & fama inaniter eleuari supra se. Dicit enim *Ptolomæus*, quòd insipiens est, qui suiipsius ignorat quantitatem. Et *Arist.* dicit, quòd insipiens est qui nescit seipsum. *Can.* 1. Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres: egredere. Arrogans etiam non fuit, qui sibi etiam discipulis æmulantibus non vsurpauit Christi dominium. *Ioan.* 3. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quia dixerim, quia non sum ego Christus. Sed seipsum sibi dignis dignificauit, paranymphum se vocans, dicens *Ibid.* Amicus sponsi stat & audit, & gaudet propter vocem sponsi & sponsæ.

Magnus etiam fuit honore, qui sicut dicit *Philosophus*, est præmium virtutis. Est enim honor exhibitio reuerentiæ in signum virtutis, siue testimonium virtutis. *Psal.* 8. Gloria & honore coronasti eum Domine: & constituisti eum super opera manuum tuarum. Et hoc factum est cum ore Saluatoris dictum est: quòd non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista *Matth.* 11. Magnissimus enim fuit opinione, vt à multis Christus reputaretur *Ioan.* 1. quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas, vt interrogarent eum, Tu quis es? Sic ergo erat magnus sincera & vera magnitudine virtutis, quæ est quando sic est [coram Domino] 2. *Cor.* 10. Non enim qui seipsum cõmendat ille probatus est: sed quem Deus commendat. *Prouerb.* 16. Spirituum ponderator est Dominus. Sunt enim sicut dicit *Psal.* 61. Mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate laudis in idipsum. Multi enim multo carius se vendunt in statera dolosa, quam veræ virtutis pondere valeant. Et ideo dicit coram Domino quem nihil latet. 2. *Cor.* 4. In veritatis manifestatione commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Veritas enim & sinceritas semper vincunt falsam & dubiam hominum opinionem: quia dicitur in apocriphis 3. *Esdra* 3. Super omnia vincit veritas.

Et vinum] Ecce qualis erat in se in vitæ austeritate. Et hic quidem non ponitur nisi parsimonia in potu. *Matth.* autem 3. de victu & vestitu

ftitu. Dicit ergo quòd non bibet vinum. Vinum enim immoderate sumptum inebriat: moderate autem sumptum, sicut dicit *Philosophus*, bonæ spei facit homines, & de se præsumentes: quia dissoluit sanguinem, & subtiliat spiritum, & ideo resoluit in vana gaudia & præsumptionem. Et ideo iste Ioannes in grauitate sapientiæ volens consistere, vinum neque moderate neque immoderate bibit. *Ephes.* 5. Nolite inebriari vino in quo est luxuria. *Ierem.* 35. Non bibemus vinum quia pater noster Ionadab filius Rechab præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum. *Prouer.* 31. Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum. Ideo etiam licet filij beati Iob non legantur immoderate vsi fuisse vino, tamen quia inanes lætitias generat, legitur *Iob.* 1. Filiis tuis & filiabus tuis in domo fratris sui primogeniti vescentibus & bibentibus vinum: repente venit ventus à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus; quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt.

Et siceram, &c.] Sicera interpretatur ebrietas: & significat omne quod inebriare potest. Bria autem mensura græce: & brians, antis, est mensura aut cyphus capacitati hominis proportionatus: capacitatem autem dico, quæ est ad sanitatem & bonam habitudinem membrorum interiorum & exteriorum, & sobrietatem sensuum ordinata proportio: extra quam mensuram neque qualitate potus, neque quantitate excessit Ioannes; potum aquæ etiam in mensura hibens. *Prou.* 31. Nullum secretum vbi regnat ebrietas. 1. *Reg.* 1. Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo mades. *Prou.* 23. Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? Nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? *Isa.* 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatē sectandam, & ad potandum vsque ad vesperam vt vino æstuetis. *Eccli.* 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. *Mat.* 3. dicitur quod esca eius erat mel syluestre & locustæ: & vestimentum eius de pilis camelorum. Innocens enim initio vitæ hominis innocentis se cōformauit. *Eccli.* 29. Initium vitæ hominis aqua & panis. 1. *Timo. vlti.* Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus.

Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.

Tangit hic qualis futurus sit in mente & miraculis. Quòd enim dicit replendum Spiritu sancto, dicit sanctitatem mentis. Quòd autem dicit, ex vtero matris, est miraculi specialis. Circa primum horum tangit duo, scilicet, quo plenus erit: & modum plenitudinis, quo plenus erit, quia Spiritu sancto. Modum autem innuit cum dicit, replebitur. Attende quod quidam sunt pleni Spiritu, qui de sanctitate Spiritus nihil habent: sicut qui accipiunt inspirationem ad intellectus illuminationem, & non ad virtutis operationem: sicut fecit Balaam *Num.* 22. *Iob.* 32. Vt video, Spiritus est in hominibus, & inspiratio Altissimi dat intelligentiam. Iste autem accepit Spiritum ad veritatis cognitionem, ad sanctitatem, ad virtutis operationem: propter quod dicitur Spiritus virtutis, & Spiritus veritatis. *Io.* 16. Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. De spiritu virtutis *Act.* 1. Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos. Sic ergo accepit Spiritum sanctum.

De modo autem acceptionis dicit [replebitur] Repletio vt dicunt *Galenus* & *Auicen.* sonat plenitudinem prementem: & ideo in repletis visus hebescit, nausea excitatur, & appetitus hebescit. Plenitudo ista premit pectus, & est quasi plenitudo exuberans: sicut in Ioanne, vbi plenitudo exuberans redundabat in alios. *Act.* 11. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. *Psalm.* 89. Repleti sumus mane misericordia tua, & exultauimus & delectati sumus.

Sequitur de miraculo [adhuc ex vtero matris suæ] Hoc priuilegium paucissimis est concessum, quod Spiritu sancto (non inquantum est Spiritus tantum, sed etiam inquantum est sanctus) ex vtero matris egressus est repletus: quia in hoc in vtero est sanctificatus, sicut superius diximus: quia Spiritus sanctus non habitaret in corpore subdito peccato originali: neque etiam intraret in animam non sanctificatam. *Sap.* 1. Non intrabit in maleuolam animam, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctificatus igitur est in vtero, sicut dicitur *Ier.* 1. Priusquam te formarem in vtero noui te: & antequam exires de vulua sanctificaui te: & Prophetam in gentibus dedi te. Quod paucissimis concessum est, quia non nisi tribus: Ieremiæ quidem, & Ioanni, & beatæ Virgini. Ieremiæ quidem & Ioanni ad deletionem peccati originalis & debilitatem fomitis: vt non moueat ad mortale, sed ad veniale poterat mouere. Beatæ autem Virgini vt nec ad mortale neque veniale mouere possit. Et hoc innuitur de Ieremia quidem, quod veniale habuit vbi dixit: Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Quod intelligitur esse factum ex impedimento peccati. De Ioanne autem, quia dixit: Ego à te debeo baptizari. *Glo.* hoc est, à peccato mundari: quod ad minus innuit cum veniale habuisse. Sed *Augu.* dicit, quod cum de peccatis agitur; nullam de gloriosa Virgine vult fieri mentionē. *Exod.* 25. Deaurabis arcā auro mundissimo intus & foris. Beata Virgo de dignissima gratia erat mundissima in corpore extra, & in anima intus. Omnes autem alij Sancti si conuenirent, & dicerent quia peccatum non habemus: seipsos seducerent, & in eis veritas non esset. Hoc est ergo miraculum Dei speciale. Sequitur qualis futurus est iste in fructu: & de hoc dicit.

Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum.

Non omnes quia *Mat.* 20. Multi sunt vocati: pauci vero electi. *Mat.* 8. Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham,

Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. *Isa.* 60. Quando cõuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi [filiorum Israël] hoc est ideo, quia gentilibus non prædicabat: qoia adhoc non erat via patefacta ad gentes. *Mat.* 10. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Et quia Christus gentibus non prædicauit: ideo Ioannes (qui fuit præcursor eius) ad gentes se non conuertit. Significatur autem mysticè per hoc, quod Ioannes eos qui Deum habent præ oculis conuertit: & de indeuotis non curauit per effectum, licet curauit per affectum charitatis. Et deuoti significantur per filios Israël. *Gen.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Et ibidem.* Nequaquam vocaberis vltra Iacob: sed Israel erit nomen tuum. *Mat.* 7. Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos [conoertet ad Dominum Deum] Conuersio est ordinata dispositio animæ & corporis, & omnium virium quæ sunt in anima & corpore: sicut peruersio est inordinata dispositio omnium eorũ quæ dicta sunt. Conoersio autem est dispositio qua ordinatur corpus ad animam: & in anima sensus ad imaginationem: imaginatio ad rationem: ratio ad intellectum: intellectus ad illuminationem diuinam. *Ioelis* 2. Conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est. *Isa.* 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas: & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Et è contra de malis dicitur *Isa.* 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël abalienati sunt retrorsum. Ioannes autem rectè docens & opere probans, conuertit eos ad rectam dispositionem. *Iere.* 15. Conuertentur ipsi ad te: & tu non conuerteris ad eos.

Ad quem autem cõuertentur, dicit [ad Dominum Deum] *Dionys.* vult quod Dominus sit nomen potestatis: & Deus nomen prouidentiæ. Dominus autem dicit potestatem cum dominio, hoc est, superpositione: quæ nititur bonis & pulchris se subleuantibus, & stat vigore non nutante (& sunt verba *Diony. in lib. de diui. no.* ista) & bonorum omnimoda possessio vera, & non cadere valens fortitudo. Ad hunc ergo Dominum conuertit: quia ille potest saluare, in altitudine quidem existens: & habens pulchra & bona quibus saluet, & quos saluet: virtute non nutante conseruans. *Exo.* 6. Nomen meum Adonai non indicaui eis. *Psal.* 67. Dominus nomen illi, hoc est, nomen admirabile: quia in alto positum. Hoc autem nomen, Deus, dicit prouidentiam & curam: sicut dicit *Damas.* quia cuncta circuit quæ feruntur prouidentia sua. *Eccle.* 23. dicit. Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspiciẽtes omnes vias hominum. *Psal.* 31. In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. Dominus autem premit potestate, & eleuat bonitate. Deus autem est quem latere nihil potest, & curam habet de omnibus sua charitate. *Sap.* 11. Diligis omnia quæ sunt: & nihil odisti eorum quæ fecisti. Hic autem qoi potestate Dominus est, & prouidentia Deus est [ipsorum] est per cultum & obsequium. *Heb.* 11. Non confunditur Deus vocari Deus eorum. Et debet constroi Deus possessiuè quia qui colit Deum & diligit, possidet eum ad votum. *Exo.* 3. Hæc dices ad filios Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum. 2. *Macha.* 1. Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium. *Glossa.* Arguit hic argumentationem necessariam. Dicit enim scriptura, quod Ioannes conuertit multos filiorum Israël ad Dominum Deum ipsorum: conuertit autem ad Christum: ergo Christus est Dominus Deus ipsorum.

Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.

Ecce præcursoris officium. Dicit autem quatuor: præcursorem videlicet, & quem præcedet, & quo spiritu & virtute, & quo fine. De præcursore dicit [Et ipse] scilicet puer præcedet in annontiatione, natiuitate, baptismo, prædicatione, morte. *Infra eodem.* Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. *Isa.* 40. Parate viam Domini: rectas facite in solitudine semitas dei nostri. *Isa.* 62. Transite, transite per portas: præparate viãn populo: planum facite iter: & eligite lapides, hoc est, offendicula. Per annuntiationem autem parauit viam fidei in conceptu virginali: vnde dicit: & ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deom omne verbum. Et ideo tu crede te virtute Altissimi concepturam. Nascendo autem parauit viam nascenti. Et hoc ostendit in gaudio occurrens etiam ei intra matris viscera. Baptizans autem parauit viam baptizando. Vnde *infra* 3. & *Mat.* 3. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est fortior me erit, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Et *Act.* 1. Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies. Et *Act.* 19. Dixit autem Paulos. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent. Et sic vt crederent, præiuit prædicando prædicantem. *Ioan.* 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Moriens autem præiuit ad inferos descendentem. *Mat.* 11. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Sic ergo [præcedet ante illum] quia dignum fuit vt ante tanti aduentum præcederet vox præconis. *Ioan.* 1. Ego vox clamantis in deserto. Multi enim Prophetæ clamauerunt: & ideo vt desiderio eorum satisfaciat, & ne imparatis tantus rex superueniat, iste præcedet. *Amos* 4. Præparare in occursum Dei tui Israël.

In spiritu & virtute Eliæ [Ecce qua virtute

tute Eliæ] Ecce qua virtute præcedet, & quo spiritu. Dicit autem *glossa*, quod præcedet in Spiritu sancto: sicut dicitur *Iudic.* 6. Spiritus Domini induit Gedeonem, hoc est, vtebatur eo sicut indumento: quod continet indutum, & figuram accipit induti, & ad operationes induti & non ad alia se extendit. Et in his tribus induit Ioannem Spiritus Domini: quia repleuit eum, & ad se per communionem configurauit, & omnia opera sua per eum exercuit. Repleuit autem eum plenitudine supereffluentiæ. *Luc.* 6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Et ideò ex effluxu eius fluxit in alios; sicut per canalem: vnde dicit Ecclesia de Ioanne & aliis vasis gratiæ *Ier.* 4. Spiritus plenus ex his veniet mihi. Configurauit autem eum sibi, hoc est, aptauit. Sicut dicitur *Act.* 9. de *Paulo*; Vas electionis est mihi iste. Quia etiam liquor figuram vasis accipit. Operabatur etiam per eum. 1. *Cor.* 12. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Propter quod etiam dicitur *Sap.* 7. Spiritus vnicus & multiplex. Vnicus in se: multiplex autem in operatione.

Virtute] *Glossa* dicit, signorum. Sed hoc videtur friuolum: quia *Ioan.* 10. dicitur: Ioannes quidem signum fecit nullum. Ad hoc autem dicendum, quod in opere Ioannes nullum signum ostendit; quia si signa fecisset; iam nõ ad Christum, sed ad seipsum populum conuertisset ignorantem. Secus autem fuit de Apostolis: qui postquam Christus cognitus erat, signa in in nomine eius fecerunt. Sed Ioanne prædicante Christus non notus innotescere debuit: & ideo Ioannem minui, Christum autem crescere opertebat: ideo Ioannes diminutionem suam ostendit nullum signum faciendo, Christus autem magnitudinẽ accepit per signa. Tamen vt dicit *Chrys.* Tota vita Ioannis stupor fuit & miraculum tam in natiuitatis eius miraculis quam in vitæ eius virtutibus, quæ supra hominem fuerunt. Sed quod ipse non fecit signum prædicando: causa est quæ dicta fuit. Et quoad hoc qui minor fuit in regno Christi, maior fuit illo: quia omnes illi parui & magni miracula multa fecerunt: vt in omnibus verificaretur sermo Ioannis: Me oportet minui, illum autem crescere. Et hæc expositio notanda est: quia illa sola omnibus aliis est verior, & literalior. Tamen possemus dicere etiam, quod præcessit in Spiritu sancto tanquam in authore sapientiæ & sanctitatis: & præcessit in virtute, tanquam in perfectione ad opera meritorum. *Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam & virtutem: quibus in vita nihil est vtilius hominibus. Optimè & securè præcessit Spiritum hominis ducentem & virtutem confortantem. Fidelis præco ex Spiritu: idoneus autem ex virtute. *Isa.* 63. Spiritus Domini ductor eius fuit. *Psalm.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. De virtutis idoneitate *Eccl.* 44. Homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes. Sequitur

Eliæ] *Glossa.* Sicut Elias præco fuit iu-

dicis 3. *Reg.* 17. sic Ioannes præco Redemptoris *Marc.* 1. Ambo in deserto. De *Elia* 3. *Regum* 19. De Ioanne *Luc.* 3. & *Ioan.* 1. Ambo victu parci. De Elia 3. *Reg.* 17. De Ioanne *Matth.* 3. Vestitu inculti; etiam in eisdem locis: quia vterque habuit vestimentum de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos vtriusque. De *Elia* 4. *Reg.* 1. Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. De Ioanne *Matth.* 3. Ambo regum insaniam & reginarum tulerunt. *Elias* 3. *Reg.* 18. vbi Achab & Iezabel persequuntur Eliam; & quærunt eum occidere. De Ioanne *Matth.* 14. vbi Herodes propter Herodiadem incarcerat Ioannem, & truncat capite. Ille, scilicet Elias Iordanem cælum periturus diuisit 4. *Reg.* 2. Hic, scilicet Ioannes ad lauacrum salutare, hoc est, baptismum Christi, quo cælum aperitur: multos suo baptismate conuertit *Ioan.* 1. & *Matth.* 3. & *Luc.* 3. Hic, Ioannes scilicet, cum Domino conuersatur in terris; inducens ad credendum in Christum. Ille scilicet Elias cum Domino manifestatur in gloria *Matth.* 17. vbi transfiguratus est Dominus. Vnde de eo dicit *ibidem*, Elias iam venit: & fecerunt de eo quæcunque voluerunt. *Matth.* 11. Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est: quia sicut Elias secundum aduentum, ita Ioannes primum præcessit. Et ideo sicut dicit *Greg.* quamuis non sit Elias in personali discretione: tamen est Elias in spiritu & virtute. *Eccl.* 48. Surrexit Elias propheta sicut ignis: & verbum ipsius sicut facula ardebat. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Ecce officium Ioannis. Sequitur,

Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

Ecce finis tanti officij, & tanti officialis [vt conuertat] Et dicit tria quæ habuit in intentione: quorũ primum est conformare filios patribus in intellectu fidei: secundũ reducere incredulos ad veritatem reuelatæ fidei: tertium est, quod verè finis est, parare viam Christo per veritatem acceptæ fidei. De primo dicit [vt conuertat] Iam dictum est quod conuersio debita & naturalis est dispositio corporis & animæ, & eorum quæ sunt in vtroque. Debitus autem ordo est, quod corda patrum tanquam radicalia sugentia succum & vigorem fidei de reuelationibus diuinis, conuertantur ad stipitem & ad ramos. Quia sicut non rami radicem portant, sed radix eos: & sic fiunt rami socij radicis oliuæ & pinguedinis *Rom.* 11. Sic etiam egreditur virga de radice Iesse: & flos de radice eius ascendit, super quem Spiritus Domini requiescit *Isa.* 11. Iesse enim interpretatur Incendium, & significat ardorẽ desiderij patrum suspirantium Christi in carne præsentiam. Virga autem est propagatio filiorum: flos autem filius Virginis, super quem in se & in suis Spiritus requiescit. Sic enim dicit *Apostolus Rom.* 11.

quod Synagoga dilectiſſima fuit propter patres. Retorqueantur ergo [corda patrum] ſecundum illuminationes à Deo receptas [in filios] vt intelligant & illi eum qui patribus promiſſus eſt: & conuerſa ſint [corda patrum in filios] *Hebr.* 11. In fide teſtimonium conſecuti ſunt ſenes patres. *Deut.* 32. Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi: maiores tuos & dicent tibi. Sic Leuiathan extrahitur hamo *Iob* 40. Sequitur.

Et incredulos] ſupple filios incredulos patribus conuertat [ad prudentiam] iuſtorum Diſcipulorum Chriſti: ſicut Andream qui primo adhæſerat Ioanni, conuertit ad prudentiam Diſcipulorum Chriſti *Matth.* 13. & omnes diſcipulos Ioannis qui primò æmulabantur Ioannem, conuertit ad Chriſtum Ioanne relicto. Quando enim non credebant fidei patrum, tunc indicabat eis Chriſtum, vt ſic acciperent prudentiam [iuſtorum] *Rom.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. *Rom.* 4. Abraham ex fide iuſtificatus eſt: & non ex operibus legis. Qui enim incredulus eſt, infideliter agit *Iſa.* 21. Vnde *Glo.* Prudentia iuſtorum eſt, non de legis operibus iuſtitiam præſumere: ſed ex fide ſalutem quærere: vt quamuis in lege poſiti legis iuſſa perficiant; gratia tamen Dei ſe ſaluandos per Chriſtum intelligant. *Habac.* 2. & *Hebr.* 10. & *Rom.* 1. Iuſtus ex fide viuit. *Mal.* 4. Mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini, magnus & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram anathemate. Sequitur.

Parare Domino] Finis eſt vltimus quoad intentionem Ioannis: quia totum factum eius via fuit ad Chriſtum: & quòd nullus ſtaret in ipſo; ſed vt ipſe diminueretur, & Chriſtus creſceret. Et hoc eſt quod dicit [parare] hoc eſt, per modum miniſtri præparare. Vnde prædicauit Chriſtum, & baptizauit populum: non vt gratiam in baptiſmo conferret, ſed vt ad baptiſmum Chriſti perduceret aſſuefaciendo. Sic omnis miniſter parat Domino ſuo. 1. *Cor.* 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Miniſter enim formam Domini aſſumens, infidelis eſt in Dominum: quia gloriam Domini ſibi vſurpat: cum dicat *Iſa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. *Bern.* Fidelis profecto miniſter eris, ſi de vniuerſa gloria Domini tui, etſi tranſeunte per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. Et ideo [Domino] non ſibi parat [plebem perfectam] Plebem autem dicit propter plebeios & humiles, quos Dominus elegit. 1. *Cor.* 1. Videte vocationem veſtram fratres: quia non multos ſapientes elegit Deus, non multos potentes, non multos nobiles. *Matth.* 11. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis. *Iacob.* 4. Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. *Luc.* 1. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Hanc plebem humilem miſſus eſt parare [perfectam] vnumquemque in ſuo ordine: Perfectum enim eſt cui nihil deeſt in ſuo ordine. *Gen.* 6. Noë erat vir iuſtus & perfectus in generatione ſua, cum Deo ambulauit. *Matth.* 5. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt. Sequitur.

Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.

Ecce hîc eſt petitio ſigni: & hîc dicuntur tria, quorum primum eſt ſigni expetitio: ſecundum ſigni datio: tertium ſigni manifeſtatio. In primo tria dicuntur, quorum vnum eſt Zachariæ cum Angelo locutio: ſecundum ſigni expetitio: tertium autem ratio quare ſignum expetatur. De primo dicit [& dixit Zacharias ad Angelum] dixit autem corporali quidem voce: quam tamen Angelus vocis tantum accepit ſpeciem. Et de his ſatis ſuprà dictum eſt [vnde hoc ſciam] hoc eſt, in quo ſigno hoc ſciam: cum contrarium totum oſtendit natura, quæ impotens eſt ad generandum? Similiter *Gen.* 14. Poſtquam conſenui & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? *Iudic.* 6. Obſecro mi Domine in quo liberare potero Iſrael? familia enim mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. Cum igitur ſic contrarium ſit in cauſis humanis, & ignorentur à me cauſæ diuinæ; vnde hoc ſcire potero? *Iob* 4. Non in poteſtate hominis eſt conſilium tuum: vnde ergo ſcire potero? Et hoc eſt quod ſequitur de cauſa: & tangit cauſam ex parte ſui, & cauſam ex parte vxoris. Ex parte ſui.

Ego ſum ſenex] Senex eſt maſculini generis. Cuius cauſa eſt: quia ſenectus non eſt tantum ſtans in corpore ſicut in ſigno; ſed etiã in mente, quando reſident motus complexionis: tunc enim fit fortis conuerſio ſuper ſpecies receptas, & conueniens iudicium intellectus: & hoc eſt conueniens viris, & non fœminis, nec aliis animalibus. Et ideo de muliere non dicit quòd ſit ſenex, ſed de ſe. Quod autem dixit Sara *Gen.* 18. Poſtquam conſenui: abuſiuè ponitur, & non propriè. *Sap.* 4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata. *Ariſt.* *Phyſicor.* 7. Non æquè iudicant iuuenes presbyteris, id eſt, ſenibus. *Ariſt.* in 3. *Ethic.* Nemo eligit iuuenes duces; quia non conſtat eos eſſe ſapientes. Mulier enim imperfecta eſt ad iudicium veritatis: & ideo *Paulus* 1. *Timoth.* 2. prohibet mulierem docere in Eccleſia, dicens: Docere autem mulieri non permitto. Senex autem frigidus eſt & ſiccus: & ideo ad generandum inhabilis: quia frigiditas ſiſtit motum generatiuæ, & ſiccitas abſcindit ſemen generationis.

Et vxor mea proceſſit in diebus ſuis] hoc eſt, à tempore cõceptionis procul ceſſit ſicut Sara: quæ ideo dicitur cauerna laci: ſicut ſupra dictum eſt: quia forte ſenex per iuuenculam generaret, ſicut Abraham quando duxit aliã vxorem, nomine Ceturam *Gen.* 25. Sed vetula non

concipit

concipit neque per senem, neque per iuuenem: sed tamen per iuuenem concipere minus esset inconueniens quam per senem. Similiter de Anna prophetissa *infra* 2. dicitur, quòd hæc processerat in diebus multis. Notatur autem in hoc quòd dicit, processerat, profectus virtutis & claritatis huius mulieris. *Prouer.*4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit: & crescit vsque in perfectam diem. Sancti enim sicut procedunt ætate temporis: ita proficiunt incrementis gratiæ & virtutis. *Luc.* 2. Iesus autem proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines. *Isa.* 65. Non erit ibi amplius infans dierum, & senex: qui non impleat dies suos. Facit autem hoc ad commendationem miraculi: quia vetulæ propter spasmationem membrorum non sunt aptæ ad concipiendum, & minus aptæ ad pariendum.

Si autem quæritur: Quæ causæ fuerunt quòd iste verbis Angeli statim non credidit, cum omnis homo naturaliter citius de se credat læta futura & magna: ita quòd etiam quidam de se credant futura impossibilia? Respondendum, quòd quatuor causæ huius incredulitatis esse poterãt. Magnitudo videlicet promissionis: difficultas eius quod promittebatur impletionis: consideratio ad id quod promittebatur propriæ inhabilitatis: & recognitio naturalis impossibilitatis. De promissionis magnitudine: quòd aliquando inducat dubitationem. *Gen.* 15. Cum terra promitteretur Abrahæ, & semini eius, dixit: Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer: mihi autem non dedisti filium. Difficultas etiam adipiscendi rem promissam aliquando generat incredulitatem: vnde *Numer.* 13. Cum redirent exploratores & renuntiarent, quòd terra quidem esset optima; tamen habitatores essent gigantes, & vrbes ad cælum vsque muratæ: populus discredidit se posse expugnare, & voluit redire in Ægyptum. Consideratio etiam propriæ inhabilitatis ad adipiscendum generat incredulitatem. Sicut *Iudic.* 6. de Gedeone legitur, quòd cum ei diceretur ab Angelo quòd in hac fortitudine sua liberaturus esset Israël: respondit: Domine, obsecro in quo liberare potero Israël? ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Consideratio etiam naturalis ad rem promissam impossibilitatis facit maxime discredere: vnde *Gen.* 18. Postquam consenui & Dominus meus vetulus est: voluptati operam dabo? quasi dicat, impossibile est. Dicit enim *Philosophus*, quòd senectus & vetustas sunt corruptiones naturales: & ideo senum & vetularum corpora sunt sicut ruinosa ædificia, quæ omni die secundùm partem, & partem ruunt, donec totaliter decidant. Et hæc omnia fuerunt in isto sene: & ideo dubitauit. Sed tamen, quia hæc omnia sunt sumpta ex consideratione causarum inferiorum, non erant reputanda ad promissionem cælestem. Attende etiam quòd iste, qui quæsiuit qualiter sciret futurum promissum; nihil dubitauit de Angelo, an esset Angelus lucis, an tenebrarum: quia cognouit Angelum bonum esse ex signis superius inductis: & ex his quæ adhuc infra dicentur.

Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

Ecce hic dubitantis certificatio: & tangit hic duo: Certificationem Angeli missi, & certificationem rei nuntiatæ. De certificatione Angeli dicit tria: certificat enim se discretione personali, & auctoritate legationis, & beneficio nouæ gratiæ. Circa primum tria sunt notanda, quorum primum est modus illuminationis: secundum nomen illuminantis: & tertium est modus reductionis. De primo dicit sic [Et respondens &c.] Modus autem illuminationis diuinæ est ad cor loqui. Dæmonum autem astutia est primo cor sciscitari, & postea ad suas deceptiones inclinare: & ideo dicit *Gregorius*, quod Dæmon tentans primo insidiando circumuolat, & post suadendo blanditur, aut comminando terret, aut promittendo decipit, aut opprimendo rapit, aut desperando frangit. Angelus autem bonus semper ad cor loquitur propter illuminationem diuinam, cuius ipse est minister & executor. *Isa.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem; & vocate eam, hoc est, ad illuminationem consolationis vocate. *Osee* 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Secundum notatur in hoc quod dicit [ego sum Gabriel] quasi dicat: Nec fortitudinem Dei & virtutem Altissimi superuenientem, neque promissæ rei attendas magnitudinem; nec adipiscendi secundum causas inferiores difficultatem, neque tuam respice ad hæc quæ promittuntur ex humilitate paruitatem, neque etiam naturæ impossibilitatem: quia apud fortitudinem Dei non erit impossibile omne verbum, nec virtuti Altissimi erit quicquam difficile: qui in omni natura retinuit sibi originales causas, quibus eas, sicut vult; ad honorem nominis sui administrat. *Rom.* 4. Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. De reductione in Deum dicit [qui asto ante Deum] Illuminationem enim à Deo accipiens venio. Asto autem ab infimis non recedens: vt in Deum reducam eos, quos illuminauero. Quia licet Angelus diffiniatur in loco: sicut supra dictum est: Deus tamen incircumscriptus & indiffinitus in loco est spiritus, intra quem (vt dicit *Beda*) Angeli currunt, quocunque mittuntur. Intra Deum autem dicuntur currere: quia Deus nusquam deest, vt dicit *August.* Nec Angelis sanctis faciem ideo abscondit, quia ad nos ministrantes veniunt: Vnde etiam dicit [asto] quia assistit rectus in intellectu, & confirmatus in beatitudine visionis. *Matth.* 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. *Tob.* 12. Ego sum Raphaël Angelus vnus de septem, qui in conspectu Dei astamus [& missus sum] Ecce auctoritas legationis. Et attende quod licet Angeli ma-

li aliquando legantur permissam sibi habere potestatem: tamen non leguntur se dicere esse missos: quia magis malitiæ voluntatis innituntur in persequendo iniunctum ministerium, quam auctoritati potestatis: & ideo omni actu suo & opere semper peccant. Et hoc patet in serpente *Gen.* 3. Et in spiritu mendace qui decepit *Achab.* 3 *Reg.* 6. Et in satan egresso a facie Domini *Iob* 1. Et in diabolo qui tentauit Dominum *Mat.* 4. Et in omnibus visionibus Apostolicis, & maxime *Apoc.* 13. Et sic de omnibus aliis. Bonus autem Angelus auctoritatem profitetur suæ professionis [& missus sum loqui ad te] *Ps.* 103. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentē. *Heb.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi? *Malach.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum.

Et hæc tibi Euangelizare] Ecce nouæ gratiæ commendatio. Euangelizare enim est bonum nuntiare quod omnibus bonis melius est denuntiatio nouæ redemptionis. *Luc.* 2. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum *Isa.* 52. Quam pulchri supra montes pedes Euangelizantium bona. Iam enim vox speculatorum sonat, hoc est, Angelorum. *Isa.* 52. Leuauerunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.

Et ecce, eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

Hic dat signum, quod & signum sit promissionis venturæ, & pœna incredulitatis culpæ. Signum autem rei promissæ: quia ille qui nasciturus erat, vox clamantis vocatur, quæ discerni non potuit nisi per silentium antecedens: vt ex silentio vox clamantis in gratia generaretur. Pœna autem est culpæ incredulitatis: quia iustum fuit vt impotentia loquendi plecteretur, qui non considerata potentia Dei defectum inferiorum putauit obuiare promissis diuinis, & talem defectum contra Dei promissa nisus est allegare. Dicit autem in hac pœna duo. In primo enim determinat silentium secundum quod ipsum est futuræ promissionis signum: & secundo determinat idem secundum quod est incredulitatis pœna. De primo dicit tria: tangit signum, & signi modum, & signi limitationem & terminum. Signum tangens, dicit [& ecce, eris tacens] q. d. in euidenti & statim [eris tacens] vt in te vox clamantis, & ex te ortum accipiat: quæ non oritur nisi prius spiritus vocis in silentio congregetur & attrahatur. *Isa.* 30. In silentio & in spe erit fortitudo vestra. *Exod.* 14. Dominus pugnabit pro nobis: & vos tacebitis. *Isa.* 42. Tacui, semper silui [& non poteris loqui] Ecce signi modus, quia auferam modulos loquelæ: & ex hoc intelligitur, quod etiam fuit surdus: & ideo *infra* 3. Innuebant patri eius quem vellet vocari eum. Innuere autem non oportebat nisi surdus esset. Hoc autem ideo factum est, vt interim nihil humanum audiret. *Eze.* 3. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans. Sequitur.

Vsque in diem] Ecce signi huius limitatio. Non enim semper permansit mutus, sed [vsque in diem quo hæc fiant] Tunc enim illico congregato spiritu, apertum erat os Zachariæ & Prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël. Et recognouit in se quam difficile sit contradicere sermonibus sanctis. Dies autem hic ponitur pro illustratione: quia ortu noui præconis omnes illustrabuntur, & trahentur ad rei promissæ admirationem [pro eo quod non credidisti] Iterat hic signum, inquantum est pœna: & debet repeti quod prædictum est, scilicet, quod [non poteris loqui, pro eo quod non credidisti verbis meis] *Isa.* 21. Qui incredulus est, infideliter agit [quæ implebitur tempore suo] eo quod de futuro sunt adhuc veritas pendet: sed verbum veritate implebitur: sicut signum impletur signato suo tempore, quod est terminus præfinitionis. *Gal.* 4. Vsque ad tempus præfinitum à Deo. *Dan.* 12. Claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.

Quæritur autem hic; Quare iste punitus sit petendo signum? cum Iudæorum proprium sit ad omne promissum signum petere siue quærere, sicut dicitur 1. *Cor.* 1. Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: vnde Abraham *Gen.* 15. signum quæsiuit & accepit sine pœna: & non videtur dubitasse de persona apparente, sed de re promissa: sicut & iste. Simile de Moyse *Exod.* 4. qui petiuit signum & inuenit de virga quæ in colubrū versa erat: etiam cæteris non credentibus signa. Similiter Gedeon *Iud.* 6. signum accepit in vellere & area de rore. Eodem autem modo 4. *Reg.* 10. & *Isa.* 38. Ezechias quæsiuit signum, & inuenit regressum solis in horologio Achaz retrorsum per decem lineas. Et *Isa.* 7. præcipitur Achaz vt de re promissa signum accipiat, cum dicit scriptura: Pete signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra: & redarguitur quod petere noluit. In nouo etiam testamento Angelus loquens pastoribus signum dedit, dicens: Et hoc vobis signum inuenietis infantem pannis inuolutum. Quare ergo iste punitur quia signum petiuit?

Ad hæc *Glossæ* diuersas dant responsiones, de quibus non est curandum. Sed dicendum, quod iste punitur: quia cum esset Sacerdos sciens legem, & per Spiritum expectans redemptionem Israël; debuit scire & sciuit tempus præfinitum esse impletum. Et hoc quidem sciuit, sed non contulit: & ideo non aduertit. Si autem dicitur, quod non tenebatur credere quod per senem ista essent implenda. Dicendum, quod factum Abrahæ eum docuisse debuerat, quod erat figura istius: vnde non est simile de Abraham, qui adhuc per legem edoctus non fuerat. Et idem dicendum est de Moyse. Gedeon autem laicus fuit simplex: & ideo cum contrarium rei promissæ videret in causis inferioribus, poterat signum petere. Et idem est de Ezechia, qui secundum causa inferiores moriturus erat: quod etiam ex sermone

mone prophetiæ sibi fuerat prænuntiatum. Quòd autem præcipitur vt Achaz peteret signum: hoc fuit vt infidelitas sua conuinceretur: & ideo vituperatur, quia gloriam Dei volebat attribui idolis: & ideo signum per quod maiestas Dei innotesceret, petere noluit. Pastores etiam simplices fuerunt, & ideo per signum edocendi: nec tamen hoc fuit signum maiestatis, sed indicium quoddam per quod puerum ab aliis cognoscerent & discernerent. Et ideo patet quòd iste iuste punitur. *Isa.* 1. Cognouit bos possessoré suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & pupulus meus non intellexit. *Iere.* 8. Miluus in cœlo cognouit tempus aduentus sui: turtur & hirundo & ciconia cognouerunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Hæc est ergo causa quare punitur, præcipuè cum cognouerit veritatem nuntij: sicut patet ex superius inductis.

Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.

Hic per ordinem plebis exprimitur deuotio idem petentis cum Sacerdote. Dicuntur autem hic quatuor, scilicet in oratione perseuerantia: more inconsueto Sacerdotis in admiratione suspensio: & quòd visione cælesti lætificatus esset cognitio: & signi quod accepit ad plebem significatio. De primo dicit [Et erat plebs expectans Zachariam] tanquam oues pastorem: qui quando bonus est, proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit & educit eas *Io.* 1. Ingressus fuerat pro eis: & ideo non recedebant nisi benediceret eis. Sicut Salomon in dedicatione templi non dimisit multitudinem nisi benediceretur eis. 3. *Reg.* 8. Hinc enim præcipitur Sacerdotibus quòd benedicant populo *Num.* 6. Et ideo inolcuit quòd in fine hostiæ missæ, cum dicitur: Ite missa est, Sacerdos benedicit populo. *Act.* 1. Eleuatis manibus ferebatur in cælum, & benedixit eis. Perseuerantia autem notatur in oratione. *Luc.* 11. Si perseuerauerit pulsans: etiamsi non dabit illi surgens eo quòd amicus eius sit: tamen propter improbitatem eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios. Et ideo oportet sẽper orare, & non deficere. *Iac.* 5. Multum valet deprecatio iusti assidua. *Psal.* 39. Expectans expectaui Dominum. Et *Psal.* 26. Expecta Dominum, viriliter age: confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Et mirabantur quòd ipse tardaret in templo] Ecce secundum: & in hoc commendatur populus, quia non sicut multitudo filiorum Israël *Exod.* 32. Videns autem populus quòd moram faceret Moyses descendendo de monte, congregatus aduersus Aaron dixit: Surge: fac nobis Deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus quid factum sit. Non sic isti, sed in deuotione perseuerantes: quamuis mirarentur quod propter consuetum tardaret Sacerdos; tamen expectabant. *Iob* 29. Qui me audiebant, expectabant sententiam; & intenti tacebant ad consilium meum: & ideo meruerunt exauditionem. *Hab.* 2. Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet. Est autem & hic notandum, quòd bonus Sacerdos victus delectatione orationis & contemplationis, etiam vltra condictum sæpe tardat in templo: nec populus bonus inquietat eum, sed expectat. *Can.* 2. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. *Psal.* 36. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. *Sap.* 8. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius: nec tædium conuictus illius. *Psal.* 83. Melior est dies vna in atriis tuis super millia.

Egressus autem] Hic ostenditur qualiter signum istud, & pœna innotuit, & per signum visio quam vidit, & dicit [egressus autem de templo] ad ostium atrij interioris [non poterat loqui ad illos ; sicut consuetum fuit: quod egressus Sacerdos postquam expiauerat templum, loquebatur ad plebem de legis explanatione & promissi, & benedicebat illis: sicut dicitur *Hebr.* 9. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, aspersit sanguinem in eos, dicens: Hic est sanguis testamenti quod mandauit ad nos Deus. Tunc autem siluit: quia silentium legi & sacrificiis legalibus impositum fuit. *Matth.* 11. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Exod.* 4. Impeditioris linguæ factus sum, ex quo locutus es ad seruum tuum.

Et cognouerunt] In hoc ipso [quod visionem] cælestem [vidisset in templo] postquam obmutuisset. Hoc tamen non videtur esse necessarium: quia *Isa.* 6. Propheta magnam vidit in templo visionem, & tamen loquebatur. Vidit enim Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & Seraphin stare super illud & clamare: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Ad hoc dicendum, quod quidem non est necessarium tacere ex viso signo, sed isti ex posteriori arguebant præcedens. Viderunt enim mutũ, & cognouerunt quod causa aliqua esset non naturalis, & tunc oportuit quod causa esset visio cælestis, quæ destituit homines à potentiis naturalibus: sicut *Dan.* 9. *Ezech.* 3. qui ambo dissoluti corruerunt.

Est autem visio triplex: corporalis, imaginaria, & intellectualis. Corporalis, quæ est ante oculos: imaginaria, quæ est per rerum imagines in spiritu: dicit enim *August.* quod spiritus est quidem mente inferior, in qua imagines rerum imprimuntur. Intellectualis vero est, quando rerum veritatem ipse intellectus videt. Et has omnes habuit Zacharias: quia speciem Angeli vidit, & vocem audiuit, siue species vocum sensibiles, & imagines retinuit, & intellexit intentionem. *Dan.*

10 Intelligētia opus eſt in viſione. Quia ſi aliquis in ſenſu viſionem cæleſtem videat, vel imaginatione aliquid percipiat & nō intelligat, non eſt propter hoc propheta: quia reuelatio non eſt ſibi facta, ſed recta vidit quæ vidit: Sicut *Dan.* 5. vbi Balthaſar ſenſibiliter articulos in pariete ſcribens vidit: & tamen non intellexit. Daniel autem propheta fuit qui intellexit: quamuis articulos non viderit. Similiter *Gen.* 41. Pharao ſpicas & boues per imaginationem vidit: & quia non intellexit, propheta non fuit: ſed Ioſeph, qui imaginatione non vidit; ſed intellectualem reuelationem intellexit de eis. Talem igitur viſionem perfectam & reuelationem agnouerunt Sacerdotem vidiſſe. *Pſal.* 88. Locutus es in viſione cum ſanctis tuis. *Oſee* 12. Ego viſiones multiplicaui eis. Indicium enim boni ſacerdotis viſio diuina. *Exod.* 33. Ego oſtendam tibi omne bonum, & vocabo in nomine Domini coram te. *Luc.* 10. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. *Iſa.* 26. Secundum tranſlationem Lxx. Auferatur impius, vt non videat gloriam Domini. Videmus autem Dominum in contemplatione per intellectum, & in ſcriptura per ſtudium, & in oratione per deſiderium. De primo *Geneſ.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem; & ſalua facta eſt anima mea. De ſecundo 2. *Corinth.* 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. De tertio *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Pſal.* 83. Ibunt de virtute in virtutē, videbitur Deus in Sion.

Et ipſe erat innuens illis] viſionem ſignificādo, & promiſſionem, & exauditam eſſe orationem. Innuere enim cōponitur ab in præpoſitione, & nutum facere; vnde innuere eſt ad intus intentionis & intellectus nutum facere. Nutus autem fit manu, quæ ſignificat operationis bonæ virtutem: qui nutus in ſuadendo populo maioris eſt efficaciæ quam ſermo. Vnde Dominus *Ioan.* 8. cum conuincere vellet rebelles digito ſcripſit, id eſt, opere. Dominus cum ad obedientiam induceret multitudinem, digito ſcripſit mandata *Exod.* 24. ac *Act.* 13. Surgens autem Paulus & manu ſilentium indicens ait. *Agg.* 1. Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi [& permanſit mutus] Secundum eſt quod veritas ſigni certitudinem dat promiſſæ rei. Aliquando etiam de diuinis percipientes, muti eſſe debemus exemplo iſtius ad populum: vnde Apoſtolus cæleſtem viſionem annis 14. occultauit: & tunc ex neceſſitate coactus dixit: hæc enim ſunt arcana verba quæ non licet homini loqui 2. *Corint.* 12. *Prou.* 25. Gloria Dei eſt celare verbum. Iſte igitur accepit hoc ſibi in pœnam rei futuræ in ſignum: & nobis ad cautelam & doctrinam. *Iob vlt.* inſipienter locutus ſum. *Iob* 21. Obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro. Et 29. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.

Et factum eſt vt impleti ſunt dies officij eius: abiit in domum ſuam.

Hic incipit promiſſio verificationis: & dicuntur duo, Sacerdotia & vxoris coniunctio, & Præcurſoris conceptio.

De coniunctione dicitur [Et factum eſt vt impleti ſunt dies] ſeptem [officij] adminiſtrationis [eius] quos oportuit eadē die eſſe impletos: & ſic reſtabāt adhuc 7. dies, ſeptem dies Septembris: quia vlterius loqui non poterat. Dictum autē fuerat ſuprà, quod hæc fuit decima dies menſis lunaris: & ſecundùm noſtros ſolares menſes erat viij. Kal. Octobris. Nota quod iſte Sacerdos diligenter vices ſuas expleuit: nec alium pro ſe poſuit: neque ſicut quidam, qui quando ſemel in anno apparent, ſtatim vadunt, & alios pro ſe in eccleſiaſticis officiis ponentes ipſi per ſe temporalia colligunt. Contra quod dicit Petrus *Act.* 6. Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Expleto ergo miniſterio abiit in domum ſuam vbi erat vxor cum familia. *Gen.* 30. Iuſtū eſt, vt aliquando domui meæ prouideam. Nec credo quod ſtatim abierit: ſed de templo abiens & de miniſtratione, iuit celebrare feſtum tabernaculorum, quod vltimis ſeptem diebus ſeptembris celebratur. Et ideo in principio Octobris primo ad amplexus rediuit vxoris, & hoc magis conſonat ſequentibus.

Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius; & occultabat ſe menſibus quinque, dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

Hic agit de conceptu & veritate promiſſi: & tangit duo: conceptum, & verecundiam concipientis. De conceptu dicit [Poſt hos dies] adminiſtrationis & celebrationis feſti [concepit Eliſabeth] Concluſio duorum ſeminum in matrice dicitur conceptus [vxor eius] ne credatur per alium genuiſſe, ſed quæ fuit ſterilis & anus; ex promiſſione Dei concepit: vt fides haberet meritum, cui humana ratio nullum præbet experimentum. Et ſubiungit de verecundia dicens.

Et occultabat ſe &c.] Duo dicit: ſignum verecundiæ, quia [occultabat ſe menſibus quinque] *Gloſſa* dicit, vt probaret vtrum verè concepiſſet: eo quod in talibus per molam matricis mulieres ſæpe decipiuntur. Quæ cauſa nulla videtur eſſe, quia tunc non feciſſet ex verecundia: quia *Auguſt.* dicit eam ex verecundia hoc feciſſe. Verecundabatur enim eo quod videbatur in ſenio operam voluptati dare: cui etiam in iuuentute operam dare verecundum eſt, niſi ob ſpem prolis. *Eccl.* 25. Tres ſpecies odivit anima mea: pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatū, id eſt, luxurioſum. Poteſt enim dici in veritate, quod ex verecundia ſe abſconderit: & vt probaret, hoc eſt probatum oſtenderet quod non ex libidine, ſed ex obedientia voluptati operam dediſſet. Quinque autem menſes quibus occultabatur

fuerunt

fuerunt october, nouember, december, ianuarius, februarius. Et forte verior ratio est occultationis: quod noluit se, & infantem quem gestabat in vtero exhibere vulgo: nisi prius exhiberet in vtero suo eundem Christo vt opus suæ præcursionis primo inciperet coram eo; cuius præcursor ordinatus fuerat.


Dicens: Quia sic fecit] Ecce pudoris verbum [quia sic fecit mihi Dominus; auctoritate & promissione, non maritus, nisi impraegnationis mysterio. 2. *Machab.* 7. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi Creator qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem [in diebus] suæ præfinitionis [quibus respexit] hoc est, visum quem propter primi hominis inobedientiam auerterat, ad nos reduxit in misericordia & beneplacito suo. *Sap.* 4. Respectus eius in electos illius. Respectio enim est reductio visus ad posterius; auferre sterilitatis meæ opprobrium; de qua supra dictum est [inter homines] quia apud Deum omni honore digna fuit: licet inter homines opprobrium sterilitatis per Dei dispensationem sustineret. *Isa.* 54. Opprobrij quoque viduitatis tuæ non recordaberis amplius. 1. *Reg.* 2. Sterilis peperit plurimos. Quia in vno peperit omnes filios Dei: quia eum qui præcursor & dux est omnium bonorum.

Attende: Quædam *Glosse* hic dicunt, quod introitus summi Sacerdotis in templum significat allegoricè introitum Christi (qui est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech) in Mariam, quæ est templum Dei specialiter sanctificata. *Psal.* 92. Domum tuam Domine decet sanctitudo. Aliæ *Glosse* dicunt, quod introitus Sacerdotis in sancta sanctorum pro populo, significat introitum Christi in cælum: & hanc allegoriam facit Apostolus *Hebr.* 9. Non enim manufacta sancta introiuit Iesus exemplaria verorum; sed in cælum: vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Exitus autem Sacerdotis de templo signat exitum nostri Sacerdotis de cælo: & ideo vnus Sacerdos intrauit & exiuit; quia sicut dicitur *Ephes.* 4. Qui ascendit in cælum, ipse est & qui descendit, vt adimpleret omnia. Alia autem dicit, quod Zacharias significat vetus sacerdotium, & Elisabeth legem per exercitium studij Sacerdotum spiritualibus intellectibus fœcundandam: sed sterilis remansit vsque ad natiuitatem Christi; quæ iuuenis fuerat sub Moyse, & adulta sub Prophetis: quia spirituales filios vsque ad gratiam Christi non produxit: & ideo tempore gratiæ Ioannem concepit, qui gratia Dei interpretatur; & tunc sterilitatis eius aufertur opprobrium: & tamen verecundatur; quia sub aliis sterilitati subiacuit. 2. *Cor.* 3. Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem quis conuersus fuerit ad Deum, auferetur ei velamen. Alia quæ sunt in *Glossa* sunt manifesta cuilibet per se.

In mense autem sexto.

Hic incipit Euangelista tangere de noui solis ortu, quem producit lucifer: de quo iam ante habitus est sermo. Tangit autem circa conceptionem Saluatoris tria, videlicet annuntiationem, salutationem, & conceptionem. Circa salutationem tangit tria, personas salutantes, personam salutatam, & tempus consonum salutationi. De tempore dicit [In mense autem sexto] à conceptione Ioannis: quia in martio, octauo Kal. Aprilis. Cuius ratio literalis est: quia præcursor prius motibus vitæ excipere debuit regem venientem; & sic ante eum præcurrere: Sensibiles autem motus vitæ non habet infans ante sextum mensem: in primis enim quatuor mensibus fortiter radicatur in matrice: in quinto autem residentibus aliquantulum motibus humorum, præparatur ad sensum & ad motum: & in sexto mense dat motum sensibilem localem.

Sunt etiam præter hanc rationem aliæ tres rationes, quare in sexto mense: quarum prima est, vt tempori nostræ condemnationis tempus congrueret reparationis: secunda, vt creationi mundi consonaret eiusdem mundi in homine reparatio: tertia, vt tempori refloritionis mundi Verbum incarnatum mundum reflorere faciens consonaret. Et quantum ad primam notandum, quod in martio 8. Kalend aprilis factus est mundus: & in ipso cecidit Adam per peccatum post meridiem, vt dicitur *Gen.* 3. Dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem, vocauit Dominus Deus Adam, & dixit: Adam vbi es; & sicut dicitur *Ier.* 15. Occidit enim sol, cum adhuc esset dies. Et iterum *Ier.* 6. Væ vobis: quia declinauit dies, quia longiores factæ suot vmbræ vesperi. Obscuritates enim super vos prolongatæ sunt occidente sole iustitiæ. Apte ergo tunc etiam fit mundi reparatio. Hoc significatum est 1. *Machab.* 4. Secundum tempus & secundum diem in quo contaminauerunt gentes templum, in ipso renouatum est. Sic enim lignum in quo cecidimus tunc notauit, vt dicit *Ambros.* damna ligni vt solueret. Ita tempus tunc notauit, vt in ipso lapsum primi hominis repararet. *Isa.* 49. In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. 2. *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis: nemini dantes vllam offensionem. Hæc ergo est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea *Psal.* 117.



Circa secundam autem rationem notandum: quod dicit *August.* quod ideo Deus (cuius perfecta sunt opera) in senario dierum perfecit opus suum, quia senarius numerus perfectus & constans ex suis partibus totus, non monstruosam vltra totum generans superfluitatem, neque citra remanens generat imperfectionem. Ab inchoatione ergo nostræ salutis, quæ in Ioannis conceptione inchoata est, eadem ratione nostram perfecit salutem in senario mensium ille qui operatus est salutem in medio. *Iob* 5. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Hoc significatum

significatum est *Ioan.* 4. vbi dicitur, quod sexta hora sedit super fontem. Vnde nobis fluxeruot fluenta gratiarum. *Luc.* 13. Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo venite, & curamini. *Deut.* 32. Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera. *Ioan.* 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Sic enim iuxta prophetam *Isa.* 66. erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato: quādo menses & dies operis creationis respondent operi redemptionis.

Circa tertiam rationem notandum, quod tunc sol ad æqualitatem diei & noctis ascendens facit florere terram nostram habitabilem, & ideo etiam congruum est, vt nostra salus & floruerit, & flos ortus sit, qui ascendit de radice Iesse *Isa.* 11. 2. *Reg.* 23. Cuncta salus mea & omnis voluntas: nec est quicquā ex eo quod nòn germinet. *Isa.* 55. Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & dat semen serenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misit illud. Tunc enim omnia elementa seminibus suis gestiunt se cōformare flori, qui oritur in gloriosa Virgine. Hoc est igitur quod dicit [in mense sexto] vt congruat & numerus, & tempus, & euentus: numerus in perfectione, tempus in salutis germinatione, & euentus in primi lapsus reparatione. Rorent igitur cæli desuper & nubes pluant iustum, & terra vteri beatæ Virginis aperiatur, & germinet Saluatorem. *Isa.* 45. *Ierem.* 23. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex & sapiens erit. Istud est tempus, de quo dicitur 2. *Machab.* 1. Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo. Vnum enim tempus lucidum claro sole refulget, quia tunc timentibus Deum ortus est sol iustitiæ & sanitas in pennis eius *Malach.* 4 Sequitur.

Missus est.

Describitur salutantis & annuntiantis persona & dicuntur duo: Angelus minister exequens, & Deus legationem & salutationem mandans & iniungens. De Angelo itaque dicit [Missus est] & in hoc notat auctoritatem [Angelus] & in hoc tangit ministerium [Gabriel] & in hoc tangit officium & virtutem. Non enim tantam legationem arrogare sibi quisquam auderet, nisi à Deo missus esset. 2. *Corinth.* 5. Ad hoc tam idoneus nullus inuenitur in cælo, qui ad tantum sacramentū diceret: Ecce ego, mitte me *Isa.* 6. nisi ipse sua præciperet auctoritate. Est autē hæc legatio admirabiliter digna, ardore desiderij patrum diu desiderata, & ab omni eo qui spiritualis est dulcissimè audita, & clamore deuotionis omnium fidelium & in communi denuntiata. Propter admirationem altitudinis eius & dignitatis dictum est *Abd.* 1. Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit, hoc est, ad gentium vtilitatem. *Gen.* 37. Veni, mittam te ad eos. Ardorē desiderij patrum sonat vox illa, *Gen.* 49. Salutare tuum expectabo Domine. *Exod.* 3. Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Dulcedinem vocis eius ostendit *Prouerb.* 25. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. Flumina enim gratiarum ex tunc fluere cœperunt, ex quo vox Gabrielis sonuit in auribus beatæ Virginis. *Can.* 2. Vox tua dulcis. Promulgatur autem ab omnibus ex tam magno clamore Hebræorum, quod venit Deus in castra. 1. *Reg.* 4. & 4. *Reg.* 7. Dies hæc, dies boni nuntij est. Si tacuerimus & noluerimus annuntiare, sceleris arguemur. Hanc igitur legationem nemo præsumeret, nisi ab ipso Deo missus esset. Et ideo missus dicitur, & non per se venisse.

Angelus.

Angelus autem dicit ministerium: qui a Angelus nūtius interpretatur. Propter tria autem puto Deum nostræ saluti interposuisse Angelū nuntium: quod videlicet tanto gaudio angelica natura quoad ministerium non priuaretur, & quia Angelorum ruina ex hoc reparatur, & quia circa hominem custos & minister Angelus deputatur. Hoc enim est ministerium, sicut dicitur *Ephes.* 3. à seculis in Deo absconditum, & nunc per Angelum administratum: vt ex hoc illuminationem & gaudium potissimum Angelus habeat, & congratuletur. Sic enim ipsi dicunt Angeli *Luc.* 2. Gloria in altissimis Deo. In altissimis enim Deo gloria est, quando gloria noua innotescit. Angeli igitur gloriantes & gaudentes in affectu nouæ exultationis dicunt *Isa.* 63. Quis est iste qui venit de Edom: iste formosus in stola sua: & in *Psal.* 23. Quis est iste rex gloriæ?

Ruina etiam Angelorum ex hoc reparatur, sicut significatur *Luc.* 15. & *Matth.* 18. de drachma decima quæ perdita erat, & est inuenta: Sic etiam dicitur *Ezech.* 43. Mensura hominis & Angeli in beatitudine. Et ideo homines assumuntur in sortem Angelorum, vt decimus chorus ex hominibus reparetur, qui cecidit ex Angelis. Non quod decem chori sint futuri, sicut dicunt sancti, sed quod de quolibet ordine (supple coniunctim) tot ceciderūt quot sunt in choro, & ille numerus ex hominibus reparatur. Ad hoc ergo Angelum iustum est mitti, vnde sua ruina reparatur. *Amos* 9. Restituam tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo ruinas eius. *Deuter.* 32. Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.

Ministerium etiam istud congruit Angelo: quia ipse est custos hominum, & ideo perditus homo per suum ministerium reparandus. *Psalm.* 90. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Hæc igitur est causa quare missus est Angelus. *Isa.* 28. Ite Angeli veloces ad gentē conuulsam & dilaceratā: ad populum terribilem post quem non est alius: ad gentem expectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius: ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion. Iudæorum enim gentem describens vocat conuulsam tentationibus, & dilaceratam peccatis.

peccatis. Gentem tamen Dei promissa expectantem, & conculcatam seruitute Dæmonum, cuius terram & habitationem iam flumina vanitatum diripuerant: cum tamen ex scientia legis & Prophetarum esset terribilis: ita quod secundam in protectione Dei non haberet, si legem spiritualiter obseruasset. Ad hanc ergo (dictis tribus causis) Angeli veloces mittuntur, vt annuntient opus redemptionis.

Nec est credendum, quod Angelus vnus venerit: sed cum eo principali nuntio multitudo aliorum aduenit. *Luc.* 2. Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantiū & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc significatum est *Gen.* 24. vbi cum pater Abraham mitteret ad ducendum vxorem filio suo, misit quidem vnum Eliezer domus suæ procuratorem; qui tamen comites multos habuit: ita Pater summus mittens ad desponsandam sibi naturam humanam, vnum quidem præcipuæ dignitatis Angelum misit; tamē cum illo multos creditur misisse secundæ dignitatis Angelos. Sequitur.

Gabriel.

Ecce tangit officium: Gabriel enim fortitudo Dei interpretatur. Fortitudine enim Dei opus erat, vt legibus naturæ occurreret, vt scoriam peccati de medio tollendam significaret, vt vltima primis coniungenda nuntiaret. Legibus enim naturæ occurrit qui virginem manentem virginem concepturam & parituram nuntiaret Hoc est enim mirum super omnia mira: vt impotentia ad actum remanente, actus nuntietur inesse. Si enim cæcus per miraculum accipiat oculum, non erit mirum si videat accepto oculo. Similiter autem si mortuus accipiat vitam, nihil erit mirum si postea viuat. Sed super omne mirum esset si non accepto oculo, vel vita, videret, vel viueret. Et ita est hic. Virgo enim secundum naturam impotens est ad conceptum, & si maneat virgo, semper erit impotens. Si ergo concipiat & pariat, omnino hoc est nouum: & non nisi virtute fortitudinis Dei fieri potest. *Ier.* 31. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum. *Apoc.* 21. Dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. *Eccls.* 36. Innoua signa, immuta mirabilia. Manus enim & brachium fortitudinis Dei hoc annuntiari operatur, & ideo Gabriel mittitur.

Scoria etiam peccati hic tollitur: vt quod ex ea nascitur sanctum, vocetur Filius Dei. Quod etiam non nisi fortitudine Dei fieri potuit: quia conceptus virginalis sicut in matre omni caruit concupiscentia: sic vt dicit *Ansel.* in concepto & originali caruit culpa. *Sap.* 7. Propter suam munditiam nihil inquinatum incurrit in illam. *Sap.* 8. Sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum. Iste est subcineritius panis azymus, factus ex Sara principe, sapientia diuina: azymus, quia sine fermento peccati: subcineritius autem, quia sub pœnalitatum humilitate huius vitæ. Hæc autem potentia & fortitudo separandi naturam à culpa, conceptum ab originali inertia, pœnalitates à pœnæ causa quis efficere potuit nisi fortitudo diuina?

Sic igitur iterum huius annuntiationis minister merito fortitudo Dei nominatur. Quis enim vnquam vltimum primo coniungeret, nisi summa Dei fortitudo? Vltima autem in facturis Dei est homo: primum & principium omnium Deus. Quis ergo hæc coniungeret nisi summa, cui nihil obstat, Dei fortitudo? *Isa.* 41. Confortauit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: glutino bonum est. Faber enim ærarius, qui fortitudine sua omnia domat per Filium suum, qui tunc temporis cudebat mundum, confortauit, hoc est, in fortitudine sua cum vltima factura primum coniunxit: & ita sibi glutinauit, vt neque morte solui posset: & ideo bonum esse opus huius glutinationis pronuntiatur ab Angelis. Ecce procul, & de vltimis finibus, simul glutinatis, pretium fortissimæ mulieris *Prou.* vlt. Finis enim, ante quem nihil, Deus est: & finis post quem nihil, homo: & sic Christus est alpha & omega. *Apoc.* 1. 2. & *vlti.* Ego sum alpha & omega, primus & nouissimus, principium & finis. Mira res & mirabile sacramētum *Iob.* 33. Ecce Angelus loquens cum annuntiatione, futurum esse vnum de similibus. Primum enim exemplar Deo simile, quod est verbum Patris, imago Patris Filius: & vltimum, scilicet, homo factus ad imaginem & similitudinem Dei *Gen.* 1. vnum effici debent: & nuntiat loquens ad Mariam Angelus: & ideo perficitur opus liberationis, de quo subiungit: Liberabo eum, ne descendat in corruptionem. His igitur & talibus rationibus, nuntius istius sacramenti [Gabriel Angelus] hoc est, fortitudo Dei merito nominatur. Missus igitur: quia qui non missus, venire ab illo non præsumeretur: & venienti ad nos non misso, à nullo vnquam de tantis mysteriis crederetur. Et hoc est quod sequitur.

A Deo.

Leguntur enim nonnunquam Angeli missi ab Angelis aliis: sed hæc noua superueniens auctoritas inducitur in annuntiatione mysterij quod à nullo nisi à Deo præsumeretur. *Isa.* 52. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Morem etiam in hoc seruat Dei benignitas. Quantumcumque enim pauperem ad nuptias suas vocat rex magnus puellam: nuntio quem mittit, ipse rex legationem iniungit, & non alius paruus vel magnus de curia. Sic ergo desponsaturus naturam nostram rex cælestis, per seipsum legationem iniunxit. *Sap.* 8. Quæsiui mihi eam sponsam assumere: & amator factus sum formæ illius. Possumus autem in hoc notare tria: tantam in Domino maiestatis ad nos charitatem, compassionē, & in miseriis nostris ei esse delicias. Et de charitate quidem *Iere.* 31. In charitate perpetua dilexi te, &c. De secundo autem *Osea* 11. In funiculis Adam traham eos, in vincu-

lis charitatis. Funiculi enim Adam fuerunt compassio, & affectus, & miseratin quam ad nos habuit: qui cum non rapinam arbitraretur se fieri æqualem esse Deo, compatiendo ex visceribus affectus & miserationis elamauit: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est *Gen.* 3. Et hæc compassio in Deo perseuerauit: donec vnus de naturalibus quasi vnus ex nnbis factus est in similitudinē hnminum, & habitu inuentus vt homn. Et si Deus vt vnus ex nobis, & nos sumus consequenter sicut vnus ex tribus personis:ecce funes Adam trahentes nos ad Deum, & Deum ad nns. De deliciis suis reputatis vt sit nobiscum, habetur *Prou.* 8. Delectabar per singulos dies ludens in orbē terratum: & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Iden iuste *Isa.* 7. vocatur nnmen eius Emanuel: quod est, nobiscum Deus. Vide quam verum est quod dicit *Micheas* 6. c. Solicitum te ambulare cum Deo tun, qui delicias reputat esse tecum in miseriis: vt tuam tecum operetur salutem. Denique sustinuit crucem confusione contempta. *Heb.* 12. Vt te redimeret proposito sibi gaudin tuæ redemptinnis. Pudeat ergn nolle te secum esse: qui ad hne quod tecum sit, misit Angelns. His & similibus causis à Deo missus est, & non ab alio.

In ciuitatem.

Sequitur de descriptione personæ ad quam mittitur hic tam nobilis nuntius. Describitur autem à loco suæ habitationis, & à proprietatibus sibi conuenientibus. A loco quidem tripliciter, communissimn, qui est prouincia: speciali, qui est ciuitas: & tandem proprium adiungitur nomen ciuitatis, quæ vocatur Nazareth. Dicit ergn quia missus est [in ciuitatem] tangens locum specialem habitationis beatæ Virginis. Ciuitas autem (vt dicit Tullius) dicitur quasi ciuium vnitas: & hoc est quod dicit *Psal.* 121. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum. Habitantium enim communi participantiu n idipsum locus habitationis, ciuitas vocatur. Huius autem quatuor sunt vnitates, ius vnnm, libertas vna, locus habitationis vnus, communitas vna. Hæc autem maxime huic congruunt ciuitati. *Isa.* 1. Restituam iudices tuos vt fuerunt prius, & cnnsiliarios tuos sicut antiquitus. Pnst hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia. Hoc autem factum est, quando descendit & regnanit in ea ille, de quo dicitur *Ier.* 23. Regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Et hoc est nnmen quod vocabūt eum, Dnminus iustus nnster. In hac enim ciuitate Dnminus noster Rex est: Senatores Angeli venientes: & Regina Virgo glnriosa: pnpulus autem vniuersitas fidelinm De libertate autem dicitur *Io.* 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. *Gal.* 5. Vos in libertatem vocati estis. *Gal.* 4. Non sumus ancillæ filij sed liberæ. De communione dicitur *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam aliquid eorum quæ possidebat suū esse diecbat, &c. quia licet possessin sit priuata fidelium, tamen vsus temporalium est communis. 1. *Io.* 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? De habitatione dicitur *Psal.* 86. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthinpum, hi fuerunt illic. Omnes enim venientes ab Oriente & Occidente, recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob *Mat.* 8. Alieni conuersi ad fidem, de angustia Tyri, & de nigredine peccatnrum venientes. Et de omnibus his subinfertur, quod sicut lætātium nmniū in suffragiis huius ciuitatis existentium habitatio est in te: & nomen ciuitatis ex die illa, & deinceps Dominos ibidem. *Eze.* 48. *Isa.* 62. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vncatur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua nnn inhabitata: quia cnmplacuit Dominn in te. Sic igitur in hanc ciuitatem est missus. Hæc est ciuitas.

Galilææ.

Quam prouinciam vocat propter nominis interpretationem sacramentn conuenientem, prnpter prophetiæ completionem, & prnpter fidei in prouincia illa dilatationem. Et nnminis qnidem interpretatin est transmigratio facta, vel rota, quæ etiam volubilis semper migrare videtur. *Psal.* 76. Vox tnnitrui tui Deus in rota, hoc est, sonus annuntiatinnis in Galilæa transmigrationis. Habitum in ea assumpsit ille, qui stabilis manens, dat cuncta moueri. *Iere.* 14. Sicut colnnus futurus est in terra, & quasi viator declinans ad manendum. *Eze.* 12. Fili hominis fac tibi vasa transmigratinnis, &c. *Mat.* 8. Vulpes foueas habent, &c. Cnngruit autem prophetiæ: quia ibi erant gentes quas ibi posuerat Hirām rex Tyri in tempore Salomonis. Vnde *Isa.* 9. Trās Inrdanem Galilææ Gentium. Pnpulus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mnrtis lux orta est eis. Ibi enim lux cælestis primo oriri debuit, vbi prophetia prædixerat, vt veritas vmbræ respnnderet. Et ideo suam incepit prædicationem: & ibi ostendit Discipulis lucem suæ resurrectinnis: propter quod etiam Discipuli Galilæi sunt vocati. *Lu.* 23. Cnmmouit pnpulum docens per vniuersam Iudæam: incipiens à Galilæa vsque huc. *Mat. vlt.* Vndecim Discipuli abierunt in Galilæam, &c. Lux ergo oriens annuntiatinnis, lux prædicationis, lux resurrectionis in Galilæa fulsit: & ideo Galilæi fideles vocantur. *Act.* 1. Nnnne omnes isti qui lnquuntur Galilæi sunt? *Ibid.* Viri Galilæi, quid statis, &c.

Notatur etiam in hoc fidei dilatatio, & transitus à Iudæis ad Gentes. *Isa.* 49. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas mihi tribus Iacob: & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Malac.* 1. Ab ortu snlis vsque ad occasum magnum nnmen meum in Gentibus, &c. *Mat.* 5. Nemo accendit lucernam

ternam, &c. *Hiero.* significat notitiam claritatis nequaquam abscondendam, neque sub modio, hoc est, inter terminos Iudææ claudendam; sed palam omnibus exhibendam. Et hoc congruè fecit in Galilæa, vbi & Gentiles & Iudæi habitant. Sic ergo ista ciuitas fuit Galilææ.

Cui nomen Nazareth.

Locus est proprius habitationis. Nazareth autem conuenienter nominatur: quia Nazareth sanctum, vel flos interpretatur. Sanctus autem vt dicit *Glo.* quia concipi ibi debuit sanctus sanctorum. *Dan. 9.* Et qui sanctificat omnes. *Heb. 2.* Et qui sanctificat & qui sanctificatur, ex vno omnes. Quod enim in hac ciuitate natum est sanctum in vtero Virginis, causa est sanctificationis omniũ. *Ioan. 17.* Sanctifica eos in veritate. Flos autem congruit: quia ibi flos campi nasci in vtero & concipi voluit. *Can. 2.* Ego flos campi, & lilium conuallium. Amat enim, vt dicit *Bern.* florigeram patriam, flos de radice Iesse: nec concipitur nisi ab eo qui se florem, & non cicutam per mundi insaniam, vel vrticam per carnalis peccati pruritum, vel spinam per mundi sollicitudines exhibuerit. In flore autem est species pulchritudinis, & fragrantia odoris, & spes fructificationis. Et species quidem pulchritudinis in virtute conuersationis: fragrantia vero odoris in odore bonæ opinionis; spes autem fructificationis in intentione bonæ retributionis: quæ omnia competunt fidelibus, & præcipuè beatæ Virgini. De specie conuersationis *Iudith 10.* Cui etiam Dominus contulit splendorem: quia omnis ista pulchritudo non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in eam pulchritudinem ampliauit, vt omnium oculis gratiosa incredibili pulchritudine crederetur. De odore bonæ opinionis *2. Cor.* Christi bonus odor sumus Deo, in his qui pereunt & in his qui salui fiunt. *Ibid.* Et odorem notitiæ suæ Deus per nos. *Can. 4.* Odor vestimentorum tuorum, &c. *Psal. 44.* Myrrha, & gutta, & casia (supple suspirant) à vestimentis tuis à domibus eburneis, hoc est, à corporibus castis. De intentione æternæ retributionis *2. Reg. 22.* Cuncta salus mea. *Osee 14.* Iustus germinabit sicut lilium. Sic etiam thalamus conscientiæ in quo susceptus est, floridus est. *Can. 1.* Lectulus noster floridus est. *Matthæus* assignat rationem, quare in Nazareth nutritur & concipitur, impletionem scilicet prophetiæ: quia Nazaræus vocabitur. Et de hoc ibi satis dictum est, cum exponeretur *Matthæus.*

Ad virginem.

Hic describit Virginem salutatam à suis proprietatibus: & ponit titulum pudicitiæ virginalis, & sponsionem vinculi matrimonialis, & excellentiam gloriosi nominis. De titulo quidem pudicitiæ virginalis dicit [ad virginem] Bene virginem vt dicit *Glos.* quæ prima inter fœminas Deo virginitatis gloriosũ munus obtulit. Non enim hæc de fatuis virginibus, quæ lampades castitatis habent extinctas *Mat. 25.* Sed cuius lampas flamma limpidissima lucet in conspectu Domini. Et ideo ex ea ortus est ille, de quo dicitur *Isa. 62.* Egrediatur vt splendor iustus eius; & saluator eius sicut lampas accendatur.

Virginitatis autem lampas in quinque rutilabat in ea: in corde quidem in tribus, & in duobus in corpore. Primum in corde est, quod virginitatis integritatem & incorruptionem continuo quantum potuit referebat. Secundum quia angelicæ munditiæ æmula, vitam cælibem in contemplatione ducebat. Tertium, quod hoc in voto prima quantum valuit & licuit Deo continentiam offerebat. De primo dicit *Aug.* quia virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Et hoc significatum est *Exo. 25.* vbi præcipitur arca Dei de lignis Setim fieri, quod est lignum imputribile. De secundo dicitur *Can. 6.* Formosa tanquam Ierusalem, quæ est ciuitas munditiæ Angelorum. De tertio vero dicitur *1. Cor. 7.* Virgo cogitat quæ Domini sunt, &c. Hoc enim intelligitur de vouentibus virginitatem: quia aliis non est prohibitum cogitare de nuptiis. *Luc. 1.* Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Hoc est, me non cognituram propono. Hæc est Rebecca, quæ multum gratiæ recepit: virgo pulcherrima & incognita viro, quam Summus Patriarcha filio suo Isaac gaudio vniuersæ terræ elegit in matrem. Duo autem lucent in corpore: integritas pudoris, & verecundia virginalis. De integritate quidem corporis dicitur in figura eius *Tob. 3.* Scis quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. De verecundia virginali *Eccl. 26.* Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. *Eccli. 32.* Ante verecundiam præibit gratia.

Desponsatam.

Ecce descriptio à vinculo coniugali. Quærunt autem Patres, quare de fœmina? Et quare de fœmina virgine? Et quare de fœmina virgine desponsata Christus nasci voluit? Quare autem de fœmina. *Bed.* reddit rationem: quia sicut fœmina initium peccati & mortis fuit: ita fœmina initium & via salutis. Quia igitur fœmina spiritu superbiæ viro gustum necis obtulit: ita fœmina ab Angelo salutata mundo salutis auctorem edidit; aliter enim ille sexus omnino contemptibilis esset, & despectus. Quia igitur masculini sexus salutem est operatus: congruum fuit, vt idem salutis auctor de fœmina sit natus, vt vterque sexus ad vitam pertinere se præsumat. *Gal. 4.* Misit Deus Filium suum natum ex muliere, &c.

Voluit autem de fœmina virgine propter tria: scilicet, vt generatio sua humana diuinæ quantum possibile est assimilaretur, vt omnis generationis series impleretur, vt miraculum matris miraculo filij proportionaretur. Diuina autem generatio est de Patre sine fœmina sine corruptione, sicut candor nascitur de luce: & ita humana generatio de matre, sine

fine patre fine omni corruptione, ficut radius nafcitur de ftella; & ideo flos vocatur: quia (ficut dicit *Pythagoras*) flos in terra eft fine patre, fed in cælo habet patrem folem; in terra autem habet matrem terram. *Sap.* 7. Candor enim lucis æternæ, & fpeculum fine macula Dei maieftatis, & imago bonitatis illius. Omnis enim generationis feries fic impleta eft: ne aliquid in creaturarum ordine vacuum remaneret. Præceffernnt enim tres feries generationum viri: videlicet de terra virgine, & mulieris virginis de viro virgine, & filiorum de viro & muliere corruptis: & reftabat quarta fecundæ refpondens, quod vir virgo de fœmina virgine produceretur. *Gen.* 15. Generatione quarta reuertentur huc: ad ftatum videlicet gratiæ, & reconciliationis, & libertatis. Sicut etiam miraculo filij miraculum matris inquantum poffibile eft affimilatur. In nato enim impoffibilia coniunguntur: per naturam quidem incompoffibilia; diuinæ autem virtuti poffibilia. Natus enim Deus homo creatus & increatus, paffibilis & impaffibilis, temporalis & æternus. Mater autem gaudium matris habet cum virginitatis pudore, nec primã fimilem vifa eft nec habere fequentem: & ideo fola eft fine exemplo, & fic filius nullum habet in cælo vel in terra fimilem. *Ifa.* 66. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius tempus, peperit mafculum. Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic fimile?

Quare autem de defponfata plurimæ à patribus tam myfticæ quam literales affignantur rationes valde conuenientes, quarum & nos fuper *Mat.* plures affignauimus: hic autem tantum ponemus duas, quarum vna eft quam tangit *Glo.* quia videlicet tanta cura erat ei de matris infamia: quod maluit aliquos de fuo ortu, quam de matris infamia dubitare: & ideo maluit quod ipfe filius crederetur effe Iofeph, quam quod mater infamaretur de fornicatione, fi grauida non defponfata apud vulgus inueniretur. *Exod.* 20. Honora patrem & matrem. Secunda caufa eft: quia fi de non defponfata nafceretur, illegitimus haberetur, nec admitteretur ad actus legitimos; & fic doctrina eius iufte coram hominibus refutaretur. *Ifa.* 52. Ecce intelliget feruus meus: exaltabitur, & eleuabitur, & fublimis erit valde. Hæc autem fublimitas calumniam habuiffet, fi de matrimonio natus non fuiffet. *Deut.* 23. Non ingredietur Manzer, hoc eft de fcorto natus, in Ecclefiam Domini. Adhuc autem, bonum fummæ prolis non effet alicuius matrimonij: fed fuo fummo bono priuatum effet matrimonium. Dicit autem defponfatam.

Viro.

Et defcribit hunc virum à fexu, à genere, & à nomine. A fexu quidem; quia dicit [viro] quià virore dicitus: quia viret omni virtute. *Iere.* 17. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: erit enim quafi lignum viride, quod ad humorem mittit radices fuas: in tempore ficcitatis non erit folicitum, nec aliquando definet fructum facere. *Grego.* Vir eft qui contra biformes fortunæ infultus, voiformi conftantia mentis militat præmunitus. De tali viro dicitur *Eccli.* 6. Vnus de mille: alij enim omnes effœminati funt, & ad mulierum illecebras & mollitiem refoluti.

Cui nomen erat Iofeph.

Ecce defcriptio per nomen. Quatuor autem legimus huius nominis infignes viros, quorum primus in figura Saluatoris mundi præceffit, vnus & faluator mundi. *Gen.* 44. eft vocatus: qui fuit Iofeph filius Iacob Patriarchæ. Secundus autem eft ifte qui obfequitur matri Saluatoris & paruulo. Tertius autem qui obfequitur fepulturæ Domino mortuo: qui fuit Iofeph ab Arimathia. Quartus autem Iofeph, qui iuftus cognominabatur, qui teftimonium perhibuit à mortuis refufcitato. In primo horum commendatur prudentia; quia patriam faluauit ab imminentibus famis periculis: in fecundo continentia fiue temperantia, quia ab amplexu abftinuit in matrimonij thoris: tertius à fortitudine, quia audacter introiuit, & immifit fe furiis populi & præfidis, corpus Iefu petens fepulturæ tradendum officiis: quartus autem à iuftitia; quia à iuftitia cognominatus, teftis fuit veritatis. *Eccl.* 49. Iofeph qui natus eft homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ftabilimentum populi. Et primus quidem fuit fratrum princeps: alius autem gentis fulcimentum in cuftodia Domini: Iofeph autem ab Arimathia nobilis decurio, rector fuit fratrum difperforum in morte Domini: ftabilimentum autem populi contra perfidiam negantium Refurrectionem, fuit Iofeph iuftus.

De domo Dauid.

Ecce defcriptio à genere: & dicitur referri ad Iofeph & ad Mariam; quia vterque fuit de domo Dauid. Domus autem hic vocatur genus, ficut *ibidem*, Domus Aaron benedicite Domino. Ifti autem coniuges de domo fuerunt Dauid & familia per fucceffionem hæreditariam *Infra fecundo*: eo quod effet de domo & familia Dauid, cum Maria vxore fua fibi defponfata prægnante. Dauid autem hic propter fex præcipue nominatur: quorum vnum eft, quod in expugnandis aduerfariis in populo Dei nullus eo fortior. Secundum, quia in exemplo conuerfationis in populo Dei quoad exemplum nullus fuit afpectu defiderabilior: ita vt etiam animam Ionathæ fibi conglutinaret. Tertium, quia in altis nullus humilior. Quartum, quia ad inimicos in aduerfitatibus nullus mitior & manfuetior; & hæc quatuor habuit in feipfo. Quintum, quia repromiffionem expreffius omnibus aliis Prophetis acceperat. Sextum, quod ifte plus aliis peccatoribus, pro quibus faluandis Chriftus venit, fpem falutis dare potuit.

De omnibus autem iftis Scriptura dat teftimonium. Quòd enim ifte propulfauerit populi Ifraël aduerfarios 1. *Re.* 18. vbi præcinebat ei populus; Saul percuffit mille, & Dauid decem millia. Vnde & leonem & vrfum & Goliath Gethæum

Gethæum interfecit 1. *Reg.* 18. & ideo manu fortis interpretatur: figura eius qui leonem, id est, diabolum strauit: & vrsum, id est, nostræ carnis illecebras: & gigantem, id est, mundum cum tentatione congrediens interfecit. 1. *Machab.* 3. & *Eccl.* 47. Quòd etiam aspectu desiderabilis sit suis in exemplo 2. *Reg.* 23. Sicut aurora oriente sole mane absque nubibus rutilat: significans eum qui pretiosus est præ filiis hominum & præ pulchritudinibus Angelorum. Et hæc habuit Christus ex matre filia Dauid, de cuius fortitudine dicitur: Ipsa conteret caput tuum. Et de pulchritudine *Can.* 6. quod præcessit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna. In altissimis autem fastigiis regni erat humilis, sicut dicitur 2. *Reg.* 6. Ludam & vilior fiam plus quam factus sum: & ero humilis in oculis meis. Et huius humilitatis erat beata Virgo, cum dixit: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Et Christus, cum dicit *Matt.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quòd autem inimicis in aduersitatibus fuerat mitis & mãsuetus dicitur 2. *Reg.* 16. vbi Semei maledicente sibi, & mittente contra ipsum lapides, dixit: Dimittite eum vt maledicat mihi iuxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Et huius hæres fuit beata Virgo, cum Simeon de ea dixit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Lu.* 2. Et Christus, quando dixit: Pater ignosce illis, &c. Et ideo dicitur, quod ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus: qui adeò mollis est, quod tactu non sentitur. De repromissione autem dicitur *Psal.* 131. De fructu ventris tui ponam, &c. Et *Isa.* 9. Super solium Dauid, & super regnum eius: & sic vsque in sempiternum. Peccator autem fuit, adulter, homicida, & proditor fidelis militis sui: & tamen ad pœnitentiam receptus; nec propter suum peccatum euacuata est promissio, sicut ipse dicit *Psal.* 50. Iustificeris in sermonibus tuis, &c. Hoc est, veri fiant sermones promissionis tuæ: & cum iudicauerint homines quod cassanda sit promissio propter peccata, vincas peccata mea & iudicium illorum: vt omnis peccator speret de misericordia tua promissa. *Lu.* 5. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. 2. *Paralip. vlti.* in oratione Manasses. His qui tibi non peccauerunt, non constituisti pœnitentiam. Ecce quare dictum est: De domo Dauid.

Et nomen Virginis Maria.

Ecce descriptio Virginis ex nomine. Habet autem quatuor interpretationes: interpretatur enim illuminatrix, stella, amarum mare, & syriaca lingua, Maria interpretatur Domina. Illuminatrix quidẽ, quia illuminat in dubiis: stella poli, quia ducit in deuiis: amarum mare, quia compungit in illecebris: Domina autem, quia protegit in aduersis. Sic ergo tenebras nostras illuminatrix illuminat, fluctuationes tentationum nostrarum in hoc magno mari stella tranquillat, noxias delectationes nostras vt amarum mare abundanter amaricat, aduersitates nostras vt Domina comprimit & sedat. Si ergo circundatus es tenebris, & abscondita est tibi via tua *Iob* 3. respice illuminatricem, inuoca Dei genitricẽ, & nomina Mariam. Si autem surgunt venti suggestionum malarum, & eleuentur procellæ tentationum: respice ad stellam, & nomina Mariam. Quòd si illecebræ carnis te trahant, & superantes iam ad illicitas delectationes te propellant: baptiza te in amaritudine maris, & inuoca intercessionem Dei matris, & nomina Mariam. Tandem etiam si aduersitates tribulationum te iactent, & iam superantes te quasi prosternant: leua oculos ad Dominam, & inuoca Mariam. Et sic pro certo in teipso experieris, quam iustè vocatum est nomen Virginis Maria.

De illuminatrice enim habes *Apoca.* 12. vbi apparet in cælo mulier amicta sole: & luna sub pedibus eius, &c. Amicitur enim gloria solis in conuersatione sanctitatis. Lunam purã habet sub pedibus, hoc est, Ecclesiam in gratiæ suffragiis. Coronam autem duodecim stellarum in capite in virtutum radiis, prudentia, temperantia, fortitudine, & iustitia. Ex prudentia quidem lucent stellæ tres: ex prudentia enim siluit turbata, intellexit audita, sapienter & respondit ad proposita. Similiter ex temperantia fulgent stellæ tres: carnis pudicitia, sermonis modestia, cordis munditia. Nihilominus ex fortitudine tres: quia ex fortitudine votum & propositum virginitatis Deo obtulit, oblatum firmiter tenuit, & rei tam immensæ quantam promisit Angelus firmissimè fidem adhibuit. Deinde etiam ex iustitia micant tres stellæ: reddidit enim omnibus debita, duris quidem gessit morẽ in sua desponsatione, in filij circumcisione, in legali purificatione: afflictis autem exhibuit compassionem in nuptiis, vini multiplicationem petendo à filio *Io.* 2. Sanctis autem communionem: quia erat cum mulieribus & Discipulis in oratione perseuerans. *Act* 1. De stella autem habes *Nume.* 24. Orietur stella ex Iacob: & consurget homo de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth: & erit Idumæa possessio eius. De amaritudine eius *Ruth.* 1. Non vocetis me Noemi, hoc est pulchra: sed vocate me mara, hoc est, amara: quia amaritudine me valde repleuit omnipotens. Et hoc fuit: quia tempus partus natura in eam repetebat in passione cum vsura gemituum, quos paritura naturæ derinuit. De Domina autem habes in *Can.* 6. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eam, vt vniuersitatis videlicet Dominam. Sic ergo nomen Virginis est Maria.

Et ingressus Angelus ad eam dixit.

Ecce salutatio: & dicuntur hic quatuor. Primo enim ibi eulogium innuitur: secundo, salutatio ex ordine ponitur: tertio, Virgo salutata puellariter turbatur: & quarto, ab Angelo more bonorum Angelorum consolatur. De primo horum dicit [Et ingressus] per quod habetur Mariam in secreto fuisse, videlicet

in conclaui: ſicut adhuc ſpecus quædam in monte demonſtrat: in quam ingreſſus Angelus, Virginem in ſecreto orantem inuenit. Et in hoc patet, quod à mundi ſtrepitu petiuit orationis ſecretum: qualiter non vt vaga & vana, fugit fatuarum virginum ſpectaculum, quæ internæ conſolationis ſola ſitinit affatum. De primo *Mat.* 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum: tunc inuocabis & Dominus exaudiet. *Iſa.* 26. Vade populus meus intra cubicula tua, & claude ſuper te oſtia tua. De ſecundo dicitur in *Iudith* 8. quod in ſuperioribus domus ſuæ cubiculum ſecretum fieri fecit: in quo cum puellis ſuis clauſa commorabatur, & non iuit vaga per plateas. Similiter autem *Tob.* 3. Perrexit Sara ad locum ſecretum, &c. De conſolatione autem Diuina ſic eſt, quod non datur admittentibus alienam. *Pſal.* 44. Audi filia, &c. & tunc tandem concupiſcet rex decorem tuum. *Can.* 3. Paululum cum pertranſiiſſem eos, inueni, &c. Ad interiora igitur penetralium ſuorum clauſis oſtiis [ingreſſus Angelus] Angelo enim oſtia non obſtant [ad eam] ſicut ad Cornelium *Act.* 10. & ſicut ad Petrum in ſolario orantem *Act.* 10. Angeli frequenter & libenter ſunt cum orantibus. Aliquando præuenientes orationis tempus. *Pſal.* 66. præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus. Hæc autem Virgo beata noſtra eſt tympaniſtria: quia ſicut Maria ſoror Moyſi ſumpſit tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris quibus præcinebat *Exod.* 15. Sic & hæc B. Virgo præceſſit cum tympano mortificationis carnalis voluptatis, ludens in choro Angelorum: quam multitudo magna virginum, quibus ipſa præcinuit, eſt ſubſecuta. De qua dicitur *Iere.* 31. Virgo Iſraël adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.

Et inde aptum noſtræ redemptionis initium. Sicut enim Angelus malus ſuaſit Euæ guſtum perditionis: ita è contra Angelus bonus obtulit Virgini eulogium ſalutationis. Et eſt notabile quod in annuntiatione Ioannis (qui plus habuit de patre quam de matre: quia ſenex plus aptus eſt generare quam vetula conciperet) annuntiatio incepit à patre; & deriuata eſt ad matrem: eo quod in talibus caput mulieris eſt vir, vt dicitur 1. *Cor.* 11. Ita è contra in annuntiatione Chriſti (qui in terris eſt ſine patre) annuntiatio incepit à matre: & deinde de multis præmonuit Angelus Ioſeph patrem putatiuum, ſicut quod non timeret accipere eam, & propterea, quia quod in ea natum eſſet, de Spiritu ſancto eſſet. *Mat.* 1. Et eodem ordine præceſſerat in figura. In annuntiatione enim Iſaac (qui riſus interpretatur) incepit Angelus à patre & deriuabatur in matrem; qui illum ſignificat Iſaac, in cuius natiuitate multi gaudebunt. In annuntiatione autem Samſonis, Angelus primo nuntiat matri: & per mulierem venit ad patrem annuntiatio; quia Samſon ſol fortis interpretatur, & ſignificat Chriſtum, de quo dicitur *Malach.* 4. Vobis timentibus nomen meum, orietur ſol iuſtitiæ: & ſanitas in pennis eius. Sic ergo Angelus Gabriel ingreſſus in conclauis ſecretum oſtio clauſo & firmato ad beatam Virginem, dixit.

Aue.

Et vt dicit *B. Bernard.* Hæc ſalutatio tanto eſt pretioſior quanto eſt rarior, & bonis omnibus plenior aliis ſalutationibus. In iſta enim ſalutatione duo ſunt: amotio vniuerſalis mali, & imprecatio omnis boni. Et amotio quidem mali tangitur per hoc quod dicitur, Aue: & hoc habet iſta ſalutatio ſingulare. Nunquam enim legitur aliquis ſalutatus ante hoc per mali amotionem; ſed potius malum eſt intimatum omnibus, ſicut *Gen.* 3. Mulieri dixit: Multiplicabo ærumnas tuas: & viro: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, cum operatus fueris terram, non dabit fructum, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi; & ideo maledicta terra in opere tuo. Per terram intelligitur potius terra quam gerimus, quod eſt corpus noſtrum, quàm terra quam terimus, quæ eſt poſſeſſio noſtra: & ideo dicitur *Apoc.* 8. Væ, væ, væ habitantibus in terra, concupiſcentiæ væ in carne, culpæ væ in mente, & væ condemnationis in vtroque. Quomodo ergo ſine væ eſſent, qui tot væ ſubiacebant? *Apoc.* 18. Væ, væ, væ ciuitas illa magna Babylon. Et nulli pax in terra, ſed omnia væ concludebat. Nunc autem cum prædicanda eſſet pax hominibus bonæ voluntatis, electa eſt Virgo ſtirpis dauidicæ: ex cuius aue, etiam alij de poſteritate Euæ à væ purgarentur: quæ ſicut canalis ad nos fluenta traducit gratiarum, quæ ante per omne tempus defluxerunt. Canalis autem munda eſſe debet, ne aquam mundam turbet. *Ezech.* 36. Effundam ſuper vos aquam mundam &c. De boc aquæductu *Eccli.* 24. Sicut aquæductus exiui de paradiſo. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. Sic igitur vt purus ſit per eam ad nos tranſitus gratiæ: ſine væ eſt concupiſcentiæ, culpæ, & pœnæ æternæ: quam nemo vnquam meruit, & ideò ſola vt canalis gratiæ ſic digna fuit. *Amos* 5. In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt dicetur: væ, væ. Planctus enim eſt tentationis concupiſcentiæ, & cunctis qui foris ſunt extra conclaue & triclinium gratiæ dicetur primo, væ culpæ: & conſequenter væ reatus pœnæ æternæ. Propter quod & Dina egreſſa ad ſpectacula vanitatum, vt videret mulieres regionis illius: rapitur, & corrumpitur, & triſtis blanditiis amatorum mundi delinitur *Gen.* 34. Maria autem in conclaui ſine væ fit conclaue verbi, & thalamus ſponſi æterni, & veſtibulum Filij Dei regis ſummi, & triclinium totius Trinitatis, & fabricatoris mundi fabrica: in quam ingreſſus Angelus, dixit [Aue] conuerſo nomine Eua, notans quod & Euam reducit ad benedictionem.

Fuit autem Euæ triplex væ, quod hæreditario iure miſit ad Filias, in conceptione videlicet, & portatione, & parturitione: in conceptione quidem eſt væ triplex libidinis ſcilicet in tentatione, corruptionis in ſexuum

com

commixtione, & improbæ delectationis, in feminis susceptione: in portatione etiam est triplex væ, scilicet, ponderis in onere, pressuræ in oneris portatione, & angustiæ in vteri impletione. Triplex etiam in partu est væ: doloris scilicet in parturitione, destitutionis virium in generatione, & effractionis sigillorum in emissione. Et post omnia hæc dubia benedictio in prolis susceptione.

Ab omnibus autem his libera est Virgo regia Dauid ica puerpera. Libidinem enim nunquam habuit: quia in persona sua dicitur *Tob.* 3. Mundam seruaoi animam meam ab omni concupiscentia. Deflorationis corruptionem non habuit, quæ dixit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? hoc est, non cogniturum propono. A delectatione improba aliena fuit, in cuius persona dicitur *Tob.* 3. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Dicit enim *Philosophus in* 7. *Ethi.* quòd lusiuus est incontinens. Et *Hieron.* Tactus & ioci, risus & sibili, moriturae virginitatis solent esse principia. Et ideo significatur per fiscellam scitpeam *Exod.* 2. in qua vagit noster Moyses verus legislator, & dux, & liberator populi: quæ bitumine linita fuit intus præsentia Deitatis: extra, continentia perpetuæ castitatis: ne aliquhi subintraret aqua, & rumperet, & submergeretur flumine noxiæ & illecebrosæ carnalitatis.

Similiter tria væ quæ sunt in portatione non habuit. Onus enim nobile portauit sine sensu ponderis, quòd de se dixit: Onus meum leue est: non tantum in se, sed etiam alleuians portantem. Pressuram etiam non sensit ex portatione: quia portauit eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ *Heb.* 1. Neque coarctationis angustiam: quia virtus Altissimi obumbrauit ei: vt ventris sui circulos sine coarctatione portaret, quem non continet ambitus cæli: & hoc significatur per vas illud, de quo dicitur *Exod.* 16. Sume vas vnum, & mitte in illod manna, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino ad seruandum in generationes. Vas enim illud, neque pondere cælestis panis est grauatum, nec oppressum: necatctitudine aliqua coangustatum: & in miraculum omnium seculorum conseruatum. Gomor enim est mensura trium modiorum: quia nobile illud triclinium continebat corpulentam substantiam Christi, animam & deitatem, vetus, & nouum, & æternum: vetus in materia corporis; nouum in anima tunc de nouo creata: æternum autem in Deitate.

In parturitione etiam nullum habuit væ aliarum matrum. Non enim habuit dolorem cum parturiret: quia dicitur *Isa.* 66. Antequam parturiret, peperit, hoc est, antequam dolorem sentiret parturitionis: quem post sensit in passione, cum sentiret gladium quem promiserat ei Simeon. Nec viribus destituta est in generatione: quia *Isa. ibidem.* Antequam veniret tempus partus per destitutionem virium, peperit masculum. Similiter etiam in emissione filij nihil claustri pudoris effractum est: quia *Can.* 4. dicitur, Hortus conclusus, fons signatus. Et ideo merito exclamat *Isa.* 66. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Et hoc significatur *Ezech.* 44. per portam templi orientalem, de qua dicitur *ibidem*: Porta hæc clausa erit, & non aperietur: & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam. Sic ergo merito dicitur ei & singulariter [Aue] Isti sunt 9. lapides pretiosi, de quibus dicitur *Ezech.* 28. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolythus, onyx, & beryllus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus. Decores enim, quos Angelus abiecit & ab Eua abstulit, Virgo beata assumpsit. Sic enim Deus posuit in capite eius coronam de lapide pretioso. Sic igitur sine væ existens, merito sola sic salutatur per [Aue]

Gratia plena.

Sequitur secunda pars salutationis, quæ est in omnis boni imprecatione. Colligit enim hæc salutatio id quod bonam facit virginem in seipsa, & omne quod beatam facit ad Deum, & omne quod mirabilem facit ad Angelos & ad homines. Gratia enim bonam facit in seipsa: secum autem esse Dominum, beatam facit ad Deum: & benedictam esse in mulieribus, mirabilem facit ad Angelos & homines. Attende autem quòd hæc bona nullis simul imprecata sunt, & perpaucis optata per partem. Vitam aotem alicui per salutationem legimus optatam. *Dan.* 2. Rex in sempiternum viue. Quibusdam etiam salutem, sicut 1. *Reg.* 16. Salue rex, salue rex: & hæc ab hominibus. Ab Angelis autem paucos legimus salutatos, & particulariter ista optata. Ad Gedeonem enim dixit Angelus: Dominus tecum virorum fortissime. Et hoc quidem est pars horum bonorum: sed à Gedeone excusatur, cum respondit: Si Dominus nobiscum est, quare apprehenderunt nos hæc omnia? *Iudic.* 6. Tobiam aotem salutauit Angelus dicens: Gaudium tibi sit semper. Et quamuis hoc sit gratiæ eiusdem: tamen nec ab eo receptum est. Quia respondit: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video? *Tob.* 5. Huios autem causa est: quia nisi væ abstersо & purgato, benedictioni perfectæ nullus est locus. Primò ergo tollatur væ per aue: & postea optentur & prædicentur dona gratiarum in virgine. Omittit autem Angelus interponere nomen, Maria, quod tamen Ecclesia nominat: qoia ante est nominatum, vel in aliud tempos nominandum, postquam gratiæ eius fuerunt explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretur. Quantum autem significet nomen, Maria, in parte superius est explanatum. Dicatur ergo vt digna tanto nomine intelligatur [Gratia plena] Gratia quidem virtutis, & gratia dignitatis. Gratia virtutis est in eius sanctitate, gratia dignitatis in admiratione.

Gratia virtutis in septem gradibus virtutum consistit: fidei quidem, & spei, & charitatis. Fidem enim habuit in excellentissimo,

quæ tam immensæ rei sibi promissæ, fidem adhibuit, quæ etiam discipulis dubitantibus non dubitauit, quæ omnia possibilia esse credenti certissima fuit. De primo horum dicitur *Luc.* 1. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur eã quæ dicta sunt tibi à Domino. De secundo dicitur *Iob.* 19. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. Consumptis enim carnibus, hoc est, mollibus discipulorum cordibus per dubitationem: adhæsit os solidum (cor Virginis gloriosæ) pelli (extensæ in cruce) per fidem. De tertio dicitur in figura sua: Abraham in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia: sed confortatus fide plenissimè sciens, quia quæcumque promisit ei Deus, potens est & facere. *Gen.* 15.

Spem etiam in summo habuit: quæ viuam, certam, affligentem cor eius spem tenuit. Viua enim est spes firmata per gratiam, operibus meritorum innitens: de qua 1. *Petr.* 1. Regenerauit nos in spem viuam. Certa autem est spes, iam habens arrhas rei speratæ & pignus: de qua *Heb.* 6. Tenemus propositam nobis spem: quam sicut anchoram habemus tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis. Affligens autem spes est, quæ ex desiderio multo rei speratæ ad languorem inducit sperantem. *Prouer.* 13. Spes quæ differtur, affligit animam. Spe autem viua in rem speratam semper tetendit: spe certa cælestibus continuo inhæsit: & spe affligente peregrinationem istam continuo finiri cupiuit.

Charitas etiam eius in summo fuit. Charitas enim quoad feruorem est languens, & vulnerans, & interficiens: languens, ex desiderio amari, vulnerans ex penetratione amantis in amatum, interficiens ex occisione omnium præter solum amatum qui in corde viuit amantis. Et talis fuit amor Virginis: ex amore enim amati in se destituta languet desiderio, ex penetratione amati vulnerata portat telum, ex interfectione amati non sibi sed tota viuit amato. De primo dicitur *Can.* 2. Nuntiate dilecto quia amore langueo: De secundo dicitur, Vulnerata charitate plena sum. De tertio *Can. vlt.* Fortis vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio. Sic ergo in summo has virtutes habuit. De aliis autem quatuor cardinalibus supra dictum est. Sic igitur fidem ad magna habuit indubitatam, & omnia omnipotentiæ possibilia credidit: spem viuam certam, & affligentem habuit: & charitatem languentem, vulnerantem, & interficientem.

His coniunge donum, quod est in adiutorium virtutum (vt dicit *Gregor.*) & beatitudinem, quæ est perfectus status operum: & fructum spiritus, qui est gustus dulcedinis beatorum: & habebis iterum duodecim. Donum enim adiuuat virtutes, vt attingant præmium: beatitudo autem perficit statum, vt attingat id quod est perfectum: & fructus dulcorem gustus, vt desideretur finiri exilium. De donis *Isa.* 11. De beatitudinibus *Matth.* 5. De fructibus spiritus *Galat.* 5. De virtutibus diuinis, 1. *Cor.* 13. Perfecta igitur in gratia est quæ habet virtutem in summo, donum in adiutorio, beatitudinem in perfectione, & fructum habet in gustu. Et licet dona sint septem: vna tamen est ratio adiutorij virtutum. Et quamuis beatitudines sint octo: tamen vnum statum perficiunt perfectionis. Et licet fructus duodecim: tamen vnum ingerunt gustum dulcedinis æternæ. Et ideo hæc in duodecim computantur: quia virtutes sic in vno non consistunt: sicut dona, & beatitudines, & fructus in vnum tendunt. Et isti sunt lapides duodecim qui internitentibus gemmis radiant in vestimento sacerdotis, & in plateis cælestis ciuitatis. *Sap.* 16. Patentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta. Quatuor enim ordines lapidum sunt ordines virtutum, donorum, beatitudinum, & fructuum. *Apoc* 21. Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octauum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, vndecimum hyacinthus, duodecimum amethistus.

Talibus ergo fulta & repleta est gemmis virtutum. Fidei enim attribuuntur tres primi: magna enim fides viret, vt iaspis: indubitata cælicum colorem habet, vt sapphirus: & omnipotentia nitens in calce est, quo non potest amplius, vt chalcedonius. Similiter spes viua est virens intus virtute & meritis, vt smaragdus: spes certa solida est & lucens, vt sardonyx: spes affligens est rutilans & rubens sanguine Christi, vt sardius. Charitas autem languens solis speciem habet intus splendore auri, vt chrysolithus in virore speculum est aurei solis. Et charitas vulnerans elicit ignem in oppositione solis posita, vt beryllus: quia *Can. vl.* Lampades eius, vt lampades ignis, atque flammarum. Et charitas interficiens est vt typus auri fului perlucidi propter ardorem cordis & lucem veritatis. Donum autem adiuuans virtutes est vt chrysoprasus, passionem auri primi sustinens & igniti: quia in ipso micant virtutes, sicut in adiutorio suo. Et beatitudo, sicut hyacinthus cælestis color perfectionis, in aqua huius mortalis & fluxibilis vitæ. Fructus autem est sicut amethistus, rubor scilicet cælestis in obscuritate mortalitatis terrenæ. 2. *Cor.* 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas non sit ex nobis sed ex virtute Dei. Hæc igitur Virgo fide fuit solidissima, spe certissima, charitate feruentissima, dono super omnes adiuta (plus enim omnibus donatũ est ei) beatitudine perfectissima (quam beatam dicent omnes generationes) quæ gustauit & vidit quoniam bona est negotiatio eius, & non extinguẽtur in nocte lucerna eius *Prou. vl.* Et ideo datum est ei fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima *Sap.* 3. Sic igitur gratia virtutis est plena: si virtus in dono, & donum in beatitudine, & beatitudo in fructu perfecta esse intelligatur. Sic igitur est gratia plena.

Est etiam gratia dignitatis eius vt dicit Beatus *Bernard.* in duodecim. Quatuor micant, de cælo, quatuor in carne, & quatuor in corde ipsius. De cælo enim micat Virginis huius sãctificatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti super

superuentio, & veneranda Filij incatnatio. In carne autem pudor virginalis, & quod est sine corruptione fœcunda, sine grauitate grauida, & sine dolore puerpera. In corde vero deuotio humilitatis, magnitudo credulitatis, mundiria spiritualis, & martyrium cordis. Et de omnibus his iam in præmissis satis est dictum. Hi sunt duodecim lapides, quos sustulit Iosue de Iordanis alueo *Iosue 4.* cum portaretur arca per Iordanem huius labentis vitæ; & remanent in monimentum æternum. Hæc enim duodecim Matrem Dei ne concupiscentia deflueret, solidam esse fecerunt. Et ecce qualiter fuit gratia virtutis, & gratia dignitatis plenissima.

Est autem in his omnibus tripliciter plena, & signo plenitudinis duplici. Est enim in his plenitudo mentis, plenitudo ventris, plenitudo nostræ assumptionis. Plenitudo mentis communis est cum Sanctis: plenitudo ventris specialiter Virginis matris: plenitudo assumptionis est plenitudo Dei ad nos vnionis. De plenitudine mentis, quæ communis est omnibus sanctis in persona Stephani *Actor.* 7. Stephanus plenus gratia & fortitudine &c. De plenitudine ventris *Iudic.* 6. In plenitudine conchæ, quæ expressa est de vellere. De plenitudine nostræ assumptionis *ibidem*: In plenitudine roris in vellere. *Col.* 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Prima plenitudine plena est gratia diuina, secunda plenitudine plena est Deitatis pluuia, tertia plenitudine plena partu diuino. Ex prima est idonea, ex secunda delibationis massa, ex tertia delibationis & delibantis arca. *Rom.* 11. Quod si delibatio sancta est, & massa. Ex prima est pura, secunda nitet ea qua sub Deo nequit similior inueniri puritate, ex tertia candet puritate diuina. Ex prima est concha gratiæ, ex secunda aquæductus gratiæ, ex tertia est vena fundens fontem misericordiæ. De eius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Propter primam dicitur quod inuenit gratiam, propter secundam quod fecit Dominus magna, propter tertiam dicitur ei, Dominus tecum. Sic igitur iterum est gratia plena.

Signa vero plenitudinis duo in ea non deficiunt: exuberantia videlicet, & quod aliud nihil capere potest. Exuberantia quidem, quia effluit ex ea gratia in omnes. 4. *Reg.* 4. Omni qui obtulit vas vacuum, mulier in figuram huius infudit gratiæ & misericordiæ oleum: non ex defectu copiæ, sed ex defectu vasorum offerentium. Oleum enim effusum est nomen eius, *Cant.* 1. De hoc autem quod aliud non recipit, dicitur *Sap.* 7. Propter suam munditiam nihil inquinatum in eam incurrit. *Bernard.* Non est quo se ingerat vanitas, vbi totum repleuit charitas. Sic ergo est quod dicitur *Prouer.* vltimo: Multæ filiæ congregauerunt gratiarum diuitias; ipsa autem sola supergressa est vniuersas. Sic igitur est gratia plena. Sequitur

Dominus tecum.

Et colligit hic omne, quod beatam facit hanc Virginem ad Deum: vnde quinque hic notantur. Primum est, quod Dominum & non Deum vocat, qui secum esse dicitur. Secundum, cum Deus sit vbique & in omnibus, qualiter dicatur esse cum ipsa. Tertium, quare ipsa non dicitur esse cum Domino; sed Dominus secum. Quartum, quid sui, vel de suo cum Domino in hoc opere incarnationis habuerit. Quintum & vltimum, si aliqua in hoc matri conferatur principalitas, quod Dominus esse secum perhibetur.

De primo ergo, quare dicitur Dominus & non Deus esse secum, notandum quod Dominus dicit tria: maiestatis altitudinem, diuitiarum honorabilium honorem, & virtutem, siue fortitudinem nullo modo aliqua impulsione nutantem. Et hæc tria dicit beatus *Dionys. in lib. de diuinis no.* his verbis: Dominus dicit non inferiorũ excessum tantum & suppositionem: sed etiam omnium pulchrorum bonorum diuitem possessionem, & veram, & non cadere vel nutare valentem virtutem, siue fortitudinem maiestatis. Et his tribus releuat nostrum casum humilitatis, paupertatis, & infirmitatis: humilitatis, quoad nostri status vilitatẽ; paupertatis, quoad gratuitorum & beatitudinis spoliationem; infirmitatis, quoad nostram vulnerationem. Et suam nobis largitur eleuationem, ditationem, & fortitudinem: altitudinem quidem in dignitate, vt homo honore dignus sit: diuitias, vt habeat vnde mereri possit: fortitudinem autem, vt hosti resistere possit, & hæc tria simul non dicit aliud nomẽ, nisi Dominus. Quod enim Dominus sit, qui nos de statu in quem cecidimus sustollat, patet 1. *Reg.* 2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem: vt sedeat &c. *Psalm.* 112. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat & humilia respicit &c. Sic ergo eleuat ad statum pristinæ & deperditæ dignitatis. Quod autem Dominus ditet nostram paupertatem, patet *Rom.* 10. Idem Dominus omnium: diues in omnes, qui inuocant illum. 1. *Cor.* 2. In omnibus diuites facti estis in illo &c. *Psal.* 33. Non est inopia timentibus illum &c. *Luc.* 1. Esurientes impleuit bonis &c. Magnificatus est enim Dominus & noster verus Salomon diuitiis & gloria super omnes reges vniuersæ terræ 2. *Paral.* 9. Quomodo ergo aliquem de suis dimitteret pauperem: cum sit magnificus in sanctitate, & virtutum & gratiarum largitione? *Esther* 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. Hoc significatum est 4. *Reg.* 4. vbi à creditore diabolo liberat filios viduatæ Ecclesiæ, olei sui, hoc est gratiæ suæ multiplicatione. De fortitudine autem nos protegente & continente *Numer.* 24. Dominus eduxit eum de terra Ægypti; cuius fortitudo est similis rhinocerotis. Huius ergo Domini altissimi locus est humilitas Virginis: theca thesaurorum, diuinitas: benignitas Virginis, ligatio fortitudinis: vt ad nos veniant exempla castitatis Beatæ Virginis. Bene igitur dicitur quoad hæc tria, Dominus tecum. Hic enim simul in vnum fuit sublimis & humilis, diues & pauper, fortis & imbecillis: sicut & Dominus.

Dicitur autem Dominus esse cum ipsa plusquam cum aliis. Orauit enim, vt dicunt patres, redemptionem Israel, & ipse Dominus exaudiuit orationem eius, faciens redemptionem ipsam per humilitatem susceptæ carnis. Cum ipsa enim esse Dominum, significat consentire Dominum votis eius, orationi, & operibus eius: ita vt verum sit quod dicitur 2. *Reg.* 7. Omoe quod est in corde tuo vade & fac, quoniam Dominus tecum est. Similiter dicitur *Iosue* 1. Ego ero tecum, & non te deseram neque derelinquam. Oportuit enim vt præ aliis votis eius consentiret Dominus: quæ sic sibi eum attraxit, vt visceribus eius se infunderet, & Emanuelis in ipsa nomen acciperet, quod est nobiscum Deus: Dominus enim nobiscum *quinque facit*. Consensus enim eius in nobis expeditas reddit virtutum operationes, coofortat contra retrahentiam timoris, omnes antiqui & callidi hostis dissoluit machinationes, & prosternit & in fugam conuertit hostium acies & congregationes, magnificas confert de victoria & liberatione præsumptiones. De primo horum, scilicet, quod expeditas teddit virtutum operationes; iam habitum est ex Prophetia Nathan ad Dauid: Omne quod est in corde tuo vade & fac, &c. quasi dicat, expeditus es in omnibus, & nihil habebis impedimenti. Quòd confortet contra insurgentium machinationes, *Ezech.* 2. & 3. Ne timeas eos, quia ego tecum sum. *Isa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus: & ideo non sum confusus. *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quòd dissoluat omnis callidi hostis machinationes, *Isa.* 8. Inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum & non fiet: quia nobiscum Deus. Quòd in fugam conuertat & prosternat hostium acies, *Iudic.* 6. vbi Angelus dixit ad Gedeonem: Dominus tecum. In virtute sermonis (quod vmbra & figura est verbi istius) prostrauit, & in fugam conuertit castra Madian. Quod in conceptu virginali spiritualiter est impletum: vnde *Isa.* 9. Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quòd magnificas de victoria & liberatione conferat præsumptiones, in *Psal.* 126. dicitur: Tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis. Vnde 1. *Reg.* 4. Territi hostes dicunt: Væ nobis, venit Deus in castra. Ex aduentu autem Domini in castra lætificatus est exercitus Israëlis, & vociferatus clamores deuotionis & gratiarum actionis.

Tertium (quod superius notandum esse diximus) est, qualiter etiam Beata Virgo sit cum Domino: quia, cum, præpositio notat associationem: si Dominus secum est, ipsa etiam est cum Domino: Profectus videlicet circa virtutem, consurrectio contra iniquitatem, & contemplatio & amor circa veritatem. De primo horum dicitur *Gen.* 5. Ambulauit Enoch cum Deo & non apparuit: quia tulit illum Deus. De secundo in *Psal.* 93. Quis consurget aduersus malignantes? quasi dicat, rarus; sed tamen charus. De tertio *Ioan.* 17. Volo pater, vt quos dedisti mihi, vbi ego sum, ipsi sint & mecum: vt videant claritatem meam.

Quartum verò (quod superius notatum est) est, quod scire desideramus quid sui, vel de suo in hac operatione cum Domino habuerit: & dicimus quod duo: consensum videlicet humilis charitatis, & fidem indubitatam promissæ veritatis. De primo ipsa dicit: Ecce ancilla Domini fiat mihi, &c. De secundo dicitur: Beata quæ credidisti, quooiam perficientur, &c.

Quiotum supra notatum est: quid principalitatis detur ei per hoc quod dicitur, Dominus tecum. Dicimus enim in sophisticis: quod cum vnus dicitur esse cum alio, principalitas notatur esse in re ablatiui, cui deseruit præpositio cum: sicut dicitur miles esse cum rege: & non è conuerso, rex cum milite. Duas autem principalitates ex dignitate concedit Dominus virgini, honoris videlicet, & subiectionis. Ille enim qui legem dedit de honorandis parentibus *Exod.* 20. Et natus ex muliere, factus est sub lege *Gal.* 4. legem non dissoluit, sed obseruauit in matre: maximè cum non venit legem soluere, sed adimplere, *Matt.* 5. *Tobiæ* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Audi ergo nos Virgo Beata: nam te filius nihil negans, honorat. Subiectionis autem principalitatem notat *Luc.* 2. Descendit cum illis, & subditus erat illis. Quis, quibus? Deus, hominibus: filius, parentibus: doctor, discipulis. *Heb.* 9. Patres quidem habuimus carnis nostræ eruditores, & reuerebamur eos. Hoc autem fecit vt exemplo suo subiecti esse non dedignemur, etiam his qui nobis inferiores esse videntur.

Sed mirum admodum est de dictis Aogeli: præuenit ad salutandam Virginem ex Domini sui parte: & innuit præuenisse Dominum, etiam ipsum celerem aduentum nuntij. Quod etiam innuit *Can.* 2. Dum alloquerentur eam sodales sponsi de amore: sponsus ipse aculeis amoris incitans, reuelat aduentum suum oculis sponsæ: & illa facibus & flammis & lampadibus amore sponsi succensa, clamauit dicens: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Sic & nunc præuenit nuntium suum Dominus, inuentus a nuntio circa sponsam: vt fidem habeat sponsa de verbis nuntij, secum in cordis thalamo iam perhibet esse Dominum. Profecto est hoc quod dicit *Isa.* 9. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Vt enim dicitur *Sap.* 7. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia: & ideo Angelos veloces ipse præuenit. Exultauit enim vt gigas ad currendam viam vsque, non ad nos, sed in nos: à summo cælo, à summo Patris, à regalibus sedibus descendens, inuisceranit se nobis in visceribus Virginis. *Greg.* Nescit enim tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Amanti enim omnis velocitas tarda est: & ideo reditum nuntij non expectat, qui renunciet de consensu, decore virgiois & lenocioiis irretitus.

Benedicta tu in mulieribus.

Sequitur id quod est ad proximum [benedicta tu in mulieribus.] Quatuor enim in hac salutatione dicuntur: Aue videlicet, qood debetur innocentiæ Virginis: Gratia plena,

quæ

quæ ſcilicet plenitudo debetur vacuitati humilitatis; quia dicitur *Iacob.* 4. quod humilibus dat gratiam. Et idem dicitur 1. *Pe.* 4. Et benedictio, quæ debetur cælibatui caſtitatis. Et in hoc eſt perfectio ſalutationis.

Dicit ergo [benedicta tu] Et ne aliquid videatur vacare à myſterio & gratia ſpeciali in verbo propoſito: benedictionem notat, & excellentiam. Benedictionem cum dicit, benedicta. Diſcretionem, in pronomine tu. Excellentiam cum dicit, in mulieribus. Vel ſolam intelligens benedictam, vel benedictam præ omnibus.

Benedictio autem munit & tutat contra malum: multiplicat ſpirituale & verum bonum: & conciliat nobis Deum. Quòd munit & tutat contra malum, *Gen.* 32. Benedixit eum in eodem loco, & diait: Si contra Deum fortis fuiſti: quanto magis contra homines præualebis? Adauget etiam omne bonum; ſicut dicitur *Iob* 1. Operibus manuum eius tu benediaiſti. Et ſtatim ſequitur: Poſſeſſio eius creuit in terra. Quòd Deum conciliat *Iſa.* 65. Qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo. Dicit propheta: Ameo. & *Nume.* 6. Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſraelis: & ego benedicam eis. Sit igitur benedictio ſuper caput Virginis.

Dicit autem, tu: diſcretionem notans, & ſignificantiam. Diſcretionem quidem: quia eſt benedicta ſingulariter. Significantiam autem: quia benedictionem habet inſignem. Diſcretiuè enim benedicitur, de qua canitur: Benedicta filia tu à Domino. Sigoaoter autem benedicitur, cui principalis & inſignis datur benedictio. *Deuter.* 33. Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. Qui enim in rubo apparuit, Virginem incombuſtam per concupiſcentiam deſignauit, deſponſatam Ioſeph: cuius Iacob Patriarcha figura fuit; & hoc ſuper verticem Nazaræi eius, hoc eſt, ſancti ſanctorum Chriſti deſcendit, & per ipſum in matrem. Hæc enim benedictio eſt omnium gentium, hoc eſt, in quo benedicentur omnes gentes: quod fit per Chriſtum, qui ſolus eſt ſemen benedictum: ſicut dicitur *Gen.* 17. & ad *Gal.* 3. Sic igitur diſcretiuè & ſignanter es benedicta tu.

Subiungit autem [In mulieribus] hoc eſt, inter mulieres, vt præpoſitio notet medium. Per participationem extremorum medium vocatur: optimum enim mulierum in honore eſt virginitas, & optimum vtilitate eſt fœcunditas: quod vtrumque Virgo glorioſa participauit. Gaudium enim matris habet cum virginitatis pudore: nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſeqoentem. Virgo enim & mater eſt actiuæ vitæ in prole: & contemplatiuæ in ſpecie, figura virginali. Hoc eſt enim caſtellum, in quod veniens Dominus maieſtatis in ſpecie peregrini, apud nos primum ſuſceptus eſt: Martha, hoc eſt, actiua eius vita adminiſtrante: & Maria, hoc eſt, contemplatione eius aſſidente: in qoa tamen felia & beatiſſima Virgo Maria, & beatiſſima mater optimam partem elegit, quæ nuuquam auferetur ab ea. Nobis enim adeſt per miniſterium miſericordiæ: Filio autem aſſidet per aſpectum gloriæ: nec nobis deerit affectus miſericordiæ: nec ipſa Filio ſubducitur in contemplatione gloriæ, fœcunditatem habens in pleniſſimo gaudio matris: pudorem autem in ſummo honore virgiois: vt de ipſa tantum verum ſit, quod Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Hæc igitur eſt ſalutatio Beatæ Virginis, & ſecundum præceptum *Apoſtoli ad Rom.* 16. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis. Sicut enim in ſententia dicit *Apoſtolus* 2. *Cor.* 5. ſiue in contemplatione mente excedit Deo: ſiue in actione ſobria eſt: totum pro nobis eſt: virginitatis præferens lilium, & fœcunditatis offerens filium, & totum pro oobis impendens virtutis meritum. Salutemus ergo eam frequenter, & ſapienter: frequenter; vt nec a corde, nec ab ore recedat: ſicut ſuadet *Iſa.* 23. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui ſit. Frequenter etiam, vt io deuotione ſalutemus: ne forte dicat nobis illud *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me: ſine cauſa colunt me. Sapienter autem, vt ſalutans ſalutationi congruat: & ſalutatio concordet intentioni. Qualiter enim aut luxurioſus virginem; aut ſuperbus humilem, aut maledictus benedictam ſalutare præſumit? Congruitas enim illa ſignificatur in hoc quod cum ſalutationis huius eulogium primum ipſa in Eliſabeth propagaret, exclamauit Eliſabeth: Ecce vt facta eſt voa ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans &c. Salutat autem ipſa habentem in vtero Ioannem, hoc eſt, in corde gratiam: eſt eoim de ſanctis, communionem ſanctorum ſeruans: noo ſalutans neque reſalutans eum, qui à Deo excommunicatus eſt; dicente *Ioanne in* 2. *cano.* Qui venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim diaerit ei Aue, communicat operibus malignis. Si ergo incongruus eam ſalutauerit, non reſalutat: & tunc fiet quod dicitur *Eccl.* 41. Erubeſcite à ſalutantibus de ſilentio. Dicit enim *Ariſt.* quod multas amicitias irreſalutatio diſſoluit. Salutemus ergo nos inuicem in oſculo ſancto columbino: vt ſicut ab ea volumus, ita nos eam ſalutemus. Tunc enim non compreſſione labiorum, ſed coniunctione ſpirituum noſtra perficietur ſalutatio.

Quæ cum audiſſet.

Ecce hic deſcribit poſt inconſuetã ſalutationem turbationem verecundam. Taogit autem tria: Virgiois verecundæ turbationem, cauſam turbationis, & quam diſcretè ſe habuit in turbatione. De turbatione autem dicit duo: loquentis Angeli auditum, & occaſionatum exinde turbationis affectum. De primo dicit [Quæ cum audiſſet] hoc eſt, peraudiſſet, hoc eſt, propoſita omnia auditu percepiſſet, & perfectè collegiſſet. Et circa hoc ſecundò notantur virtutes audientis, & modus audiendi. Virtutes audientis ſunt tres, Virginis in ſuſceptione verborum manſueta modeſtia, & patientiſſima

patientissima in peraudiendo sapientia, & in gerendo morem puellarem Angelo mirabilis disciplina. Fecit enim iam de primo, quod longo tempore post præcepturus erat *Iacob* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Propter enim salutem quam promittebat verbum in modestia susceptum est: quia verbum solatij summi fuisset, si fuisset consuetum: sicut dicitur *Hebr.* 13. Rogo fratres vt sufferatis verbum solatij. Si enim verbum solatij est verbum Dei ab homine prolatum: quanto magis verbum maximæ consolationis, fuit verbum ab ore Angeli auditum? De patientissima in peraudiendo sapientia dicit *Sapiens*, Est patiens, qui multa gubernatur sapientia. Et destulto per oppositum: Qui respondet priusquam intelligat, stultum se esse demonstrat. *Prouer.* 1. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit. *Prouer.* 29. Totum spiritum suum profert stultus: sapiens vero differt, & reseruat in posterum. Has enim fœminas *Genadius* in libro de contemplatione vocat ad loquendum catulas, quæ procaces sunt & proteruæ: pro quolibet vno verbo multa respondentes, & nunquam aliquid ad plenum audientes. De disciplina vero dicitur *Eccli.* 26. Disciplina mulieris donum Dei. Inurbanum viro est puellam virginem promptulam esse ad loquendum: maximè quæ amica est conscientiæ, & solitudinis in contemplatione æmula, angelorum cupiens frui colloquiis, & consolatione Spiritus sancti delectari. Dicit enim lex: quòd inciuile est, lege non prospecta, respondere de lege. Mos igitur puellaris est, ad omnem sermonem quietè audire, & eum disciplina rei exitum expectare: imitando in hoc filium, de quo dicitur *Ioan.* 19. Cum de multis interrogaretur à Pilato, non respondit vllum verbum: ita vt miraretur Præses vehementer. Vnde potuit dicere illud *Isa.* 42. Tacui, semper silui, patiens fui. Probat autem se esse puellam stirpis Dauid, qui dixit *Psal.* 76. Turbatus sum, & non sum locutus. Sic igitur in suscipiendo verbum est modesta & mansueta, in peraudiendo sapiens & patientissima, in gerendo morem Angelo disciplinata.

Modus autem audiendi est, quòd auditum referat ad intellectum, hoc autem est, auris corporis ad aurem cordis. Non enim fuit de illis de quibus dicitur *Isa.* 6. Audite audientes, & nolite intelligere. Sed in schola summæ sapientiæ edocta, sapienter & diligenter aduertit: sciens quòd aurem audientem & oculum videntem, vtrumque fecit Dominus. Hinc est quòd ornamentum aureum *Can.* 1. promittitur ei, quando dicitur: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Murenulæ enim sensui illabuntur vermiculi argentei dulcisono tinnitu. Ita virginis auris illapsam Angeli vocem auræ lenis audiuit: & dulcem tinnitum cordis auribus vermiculantem, motibus flexuosis per omnes vias cordis induxit. *Eccl.* 32. Audi tacens simul & quærens *Psal.* 44. Audi filia corpore, vide corde, & inclina aurem tuam taciturnitatis, humilitatis. Sequitur.

Turbata est.

Ista turbatio (sicut audiuimus) nihil aliud est, nisi quòd perstricta gloria luminis superioris & cælestis visionis, & auditus in se vt humilis recidit & mixtionem quandam luminis rationis sensit: sed aliter quam Zacharias, & aliter quam Daniel *Dan.* 10. Est enim turbatio, propassio, & est turbatio passio: vt dicit *Augustinus*. Turbatio quidem propassio est, quæ tangit & rationem non abducit: turbatio autem passio est quæ tangit, & cordis affectum suis tenebris cingit, & abducit, & attonitum aliquando prosternit. In Christo igitur fuit turbatio tangens tantum. *Ioan.* 12. Nunc anima mea turbata est. Turbatio autem tangens & cingens, ita scilicet quæ de modo impletionis nubilum & admirationem inducit: in beata Virgine fuit. Turbatio autem tangens, & cingens, & abducens in incredulitatem fuit in Zacharia. Turbatio tangens, & cingens, & attonitum prosternens fuit in Daniele. Et ideo Zacharias arguitur de incredulitate, Daniel erigitur à casu, & instruitur de ignoratis, & beata Virgo de modo impletionis expeditur.

Quatuor autem sunt, quæ huiusmodi turbationem in ipsa occasionabant: subita videlicet Angeli apparitio: verecundia quæ debetur pudori virginali ex aspectu viri: hoc etiam debetur inauditæ omnibus seculis salutationi: & tandem etiam debetur magnitudini promissæ rei. Quòd autem hoc consueuerit facere subita incogniti & insperati apparitio, patet *Luc. vlt.* vbi apparente subito Domino, dicitur de Apostolis: Turbati vero & exterriti existimabant se spiritum videre. Idem cum appareret ambulans supra mare, clamabant conterriti & turbati quia phantasma est, *Iob.* 4. Pauor tenuit me & tremor, &c. Quòd etiam hoc debeatur pudori virginali, cui in conclaui in silentio orationis positæ contraria nimis est species viri, *Tob.* 3. vbi in figura istius Virginis dicitur: Tu scis quia nunquam concupiui virum. *Ambros.* Castæ virginis est ad omnem viri pauere aspectum. Vnde sicut dicitur de beato *Iob* 31. quòd pepigit fœdus cum oculis suis, vt non cogitaret quidem de virgine: quòd non videret quod illicitè concupisceret. Ita & ista pepigerat fœdus cum oculis suis, vt de viro nunquam cogitaret. *Psalm.* 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Hæc etiam fecit inaudita omnibus seculis salutatio, quæ continebat omnis mali amotionem, & omnis boni io se, ad Deum, & ad proximum adeptionem, qualis nunquam fuit aote audita *Ruth* 2. Vnde hoc mihi, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse dignareris me peregrinam mulierem? Hoc etiam fecit promissæ rei magnitudo. Magna enim promissio plenitudine gratiæ, in Domini susceptione, in sui super omnes benedictione: & ipsa in se non sensit nisi humilia; & ideo turbata. *Ruth* 2. Domine mi consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius famularum tuarum. Sequitur.

In

In ſermone eius.

Ecce cauſa turbationis. Turbatur enim in ſermone, non de ſermone: quia ea quæ ſermo dixit, ipſa in oratione petiuit. Sed quia in ſermone, ſermonem ad eam tam humilem conuertit; ideo turbata eſt. Fuit enim ſermo terribilis in auditu, profundus in ſenſu, & admirabilis in dictis. Locutio enim Angeli ad Moyſen terribilis fuit: quod dicit *Apoſtolus Hebr.* 12. Ita terribile erat quod videbatur, quòd ipſe Moyſes qui primus inter homines fuit, dicit: Exterritus ſum, & tremebundus. Et idem dicitur in *Pſal.* 76. Vox tonitrui tui Deus in rota, hoc eſt, ſonus terribilis Angeli in Galilæa. *Iob.* 26. Cum vix ſtillam paruam ſermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? Propter quod etiam dicitur *Ioan.* 12. cum blande de clarificatione Pater loqueretur ad filium: turbæ aſtantes exiſtimabant tonitruum factum eſſe. Et ſimiliter *Actor.* 9. Cum de cælo Chriſtus loqueretur Paulo, ipſe Paulus corruit: & cæteri qui comitabantur cum eo ſtabant ſtupefacti. Iſta autem Virgo omnibus conſtantior & fortior non cecidit, nec confuſionem paſſa eſt: ſed in ſermone humanum & puellare aliquid paſſa, eſt turbata. Fuit etiam iſte ſermo profundus ſenſu. Quia ſicut dicit *Salom. Prouerb.* 18. Aqua profunda ex ore viri; quanto magis ex ore Angeli? *Hebr.* 5. De quo grandis nobis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles ſumus ad audiendum. Iſte ſermo in dictis fuit mirabilis. Eſt enim omnibus mirabilibus mirabilius (quòd cum dicat *Eccle. c.*7. quòd mulierem bonam ex omnibus non inuenit: quin potius inuenit amariorem morte mulierem) quòd mulier ſit aquæductus gratiæ; vas dulcedinis diuinæ, & propagatio benedictionis in omnes: & ideo poterat dicere beata Virgo illud *Sap.* 17. Magna ſunt iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua. Sequitur.

Et cogitabat

Ecce quam diſcretè ſe habuit in turbatione, vere feliciſſima. Sapiens enim dicit, quòd felicis eſt decenter ferre fortunas. Tangit autem hic tria: rationis ſcilicet actum, qui eſt cogitatio: & quid cogitabat: & qualiter. Rationis actus (vt dicit *Auguſtinus*) eſt cogitatio, quaſi coagitatio dicta; propter collationem quam in ratione fecit. Et propter hoc patet quod diximus, quòd ex turbatione in nullo confuſionem paſſa fuit: quia confuſi & attoniti conferre de auditis non poſſunt. Hæc collatio dicitur *Luc.* 2. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Sciebat quod poſtea dicturus erat *Ioan.* 1. *canon.* 4. Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: non enim probari poſſunt niſi per collationem. Non enim periit propter turbationis imminentes tenebras: nec operuit faciem rationis in corde eius caligo *Iob.* 23. Et dicit [cogitabat] quia in ipſo momento erat in cogitando. Præteritum enim imperfectum actum continuat in præſens. Qualia autem cogitabat?

Qualis eſſet iſta ſalutatio.

Vtrùm videlicet ſibi congrua, quæ ſibi videbatur humilis & indigna? Vtrum in futurum expectanda, aut ſtatim ſperanda? Paruam autem ſe ſentiendo, ſe filiam Dauid eſſe probabat, qui dixit: Vilior fiam, & ero humilis in oculis meis 2. *Reg.* 6. Et ideo dixit illud *Gen.* 32. Minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Et illud quod poſtea dicturus Regulus *Matth.* 8. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Et qualiter ero digna, vt te immittas viſceribus meis. Cogitabat etiam vtrum in futurum exhibenda, vel ſtatim ſperanda? Multæ enim conſolationes promiſſæ fuerunt, quæ omnes in futurum expectabantur: ita quòd tædio victus populus clamabat illud *Iſa.* 28. Manda, remanda: expecta, expecta: modicum ibi, modicum ibi. Et alius *Pſal.* 12. dicit: Vſque quo obliuiſceris me in finem. Quaſi dicat: Oblitus es mei. Et ſi aliquando conſolationem per nuntium mittis, vacua videtur eſſe conſolatio: quia viſio in tempus longum: ita quòd ipſi nuntij ex verecundia ſe excuſant: Moyſes quidem, quia impeditioris linguæ ſit: Iſaias, quia polluta labia habeat: Ieremias, quia neſcit loqui quia puer ſit: Et hoc ideo quia dicitur omnibus: Vbi eſt verbum Domini? Veniat. Et ideo etiam iſta [cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio] ne videretur conſolari ſanctos; & poſteà conſolationem in longum differre futurum. Sapiens enim fuit, & in Scripturis per Spiritum ſanctum erudita.

Et ait Angelus ei

Non dicit, reſpondet: quia nihil loquebatur: ſed potius tacuit & contulit, vt ſapienter proferret ſermonem. Angelus autem miſſus à Domino, videns turbatam & quaſi dubiam, confirmans dixit.

Ne timeas.

Et iſta eſt pars vbi agit de conſolatione turbatæ, & dicit duo: confortationem, & confortationis cauſam. Confortationem, cum dicit [ne timeas] Et circa hoc dicit duo: abſterſionem timoris, & cognitionem per nomen in ſignum ſpecialis dilectionis. Confortationem quidem per abſterſionem timoris, cum dicit, Ne timeas. Et videtur mirabile, cum Propheta in Spiritu ſancto loquens, dicat: Timete Dominum omnes Sancti eius: quòd Angelus præſumit dicere [ne timeas] Sed ad hoc ante nos, etiam Sancti reſponderunt. Eſt timor ſeruilis, qui eſt initium ſapientiæ & donum Spiritus ſancti: ſicut ſeta inducit filum, cum aliud ſit de filo: & hic eſt initium extra. Et eſt timor initialis, qui eſt quando facies iudicis ſic timetur; vt tamen præſentia ipſius ametur: qui ſic timet pœnam, quòd etiam amat gloriam: & hic eſt cum

Spiritu

Spiritu sancto. Et de vtroque istorum dicitur 1. *Ioan.* 4. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Est etiam timor filialis, qui timet offensam; cum filius patrem nolit offendere: & hic est timor Domini sanctus, permanens in secula seculorum. Et est timor sponsalis, quo sponsa si non semper se decoram & speciosam exhibeat, timet differri amplexus sponsi: & hic est timor delicatus, semper parans ea quæ delicata sunt sponso; vt continuo sit in delieiis thori. Et hoc allegat sponsa cum sponsus amplexus differt *Can.* 1. Lectus noster floridus. Et ille illectus amore sponsæ, & captus decore eius, dicit *Can.* 4. Tota pulchra es amica mea, &c. De nullo autem talium timorum hic est mentio: sed (sicut diximus in præcedentibus) timor est hic non respectu mali, sed respectu magni: qui timor est admirationis, & reuerentiæ: & hic facit stare cor in aliqua obnubilatione propter apparentem subito maiestatem: & hic est quem auertere nititur hic Angelus à pudore & humilitate virginali. *Ioan.* 14. Non turbetur cor vestrum neque formidet.

Sed mirum est: quia supra nulla est mentio de timore, sed de turbatione solummodo: & Angelus inducit timorem, dicens [ne timeas] sed dicendum est ad hoc: quòd & turbatio est quidam timor reuerentialis propter fugam cordis in suam paruitatem, ex consideratione visæ magnitudinis: sicut dicitur in *Psal.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, &c. Et ex illo timore quasi dubiam non tam confortat, quam certificat Angelus, dicens [Ne timeas] *Isa.* 7. Vide ne timeas, & cor tuum ne formidet.

Maria.

Hic nominat eam ex nomine, vt sciat gratiam inuenisse. *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim. *ibid.* Cognosco meas, & cognoscunt me meæ. 2. *Timoth.* 2. Nouit Dominus qui eius sunt. Argumentum autem quare non timendum sit subiungit, dicens:

Inuenisti enim gratiam apud Deum.

Ecce tria dicit: quòd inuenit, quid inuenit, & inuentum vbi reposuit [inuenisti] inquit perditam ab Eua, à te quæsitam. Ab Eua quidem perditam: quia totius mundi gratiam originalem ipsa perdidit. 1. *Timoth.* 2. Vir non est seductus: sed mulier in præuaricatione seducta fuit. *Gen.* 3. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi. Ecce inuenta est amarior morte mulier. *Eccle.* 7. A te autem quæsitam diligenter inuenisti. *Luc.* 15. Si perdiderit mulier sapiens drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Mulier hæc beata Virgo est, quæ in Eua perdidit drachmam decimam, ad imaginem summi regis insignitam: & accendit lucernam flamma deitatis, operiens in testa assumptæ humanitatis, infundens liquorem pinguissimum deuotionis, & euertens domum creaturarum Dei: donec inuentam demonstraret drachmam; & in ipsa inuenisse se gaudens eum, quem diligit anima sua *Can.* 3. Sic igitur inuenisti, non emisti, non meruisti. Et quia non emisti, gratis pro nobis accepisti. Legem tene filij: gratis accepistis, gratis date *Matth.* 10. Et quia non meruisti, meritum non require: sed omnibus iustis gratiam, peccatoribus veniam tribue, dicens *Gen.* 24. Bibe Domine: nam & camelis tuis potum tribuam: homines, hoc est, rationabiliter viuentes, saluans: & iumenta, qui iumentaliter viuunt. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei 1. *Cor.* 2. [apud Deum] Ecce vbi reposuit in tuto: quia qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos *Psal.* 52. Qui enim gratiam non reponit apud Deum, fatuus est: sicut dicitur *Eccli.* 20. Gratiæ fatuorum effundentur. Talis enim gratia *Prouer. vlt.* Fallax est, & vana pulchritudo virtutis popularis. Sed mulier timens Deum: ipsa laudabitur. 2. *Timoth.* 1. Scio cui credidi & certus sum, &c. Hæc igitur dicta sunt de Salutatione.

Ecce.

Hic incipit agere de annuntiatione: & facit duo: annuntiationem ponit, & præconium annuntiati. De annuntiatione autem dicit tria: annuntiat enim conceptum, partum, & nomen. De conceptu dicit [Ecce] Per aduerbium demonstrandi notans inuisibilem per naturam futurum esse visibilem: vt dum visibiliter Deum cognoscimus; per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. Conceptum autem virginalem notat per verbum concipiendi. Per hoc quòd dicit in vtero, notat modum conceptionis. Demonstrans igitur & in euidenti ponens inuisibilem, dicit *Isa.* 40. Ecce Deus vester: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Quomodo enim inuisibilia esse persuaderet, vel nobis amorem in illa prouocaret: nisi per visibilia, quæ argumētum de inuisibilibus facerent? *Baruch* 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei salutare tuum. *Iob. vlt.* Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te, &c. Nam sicut dicit Horat.

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

De conceptu autem dicit

Concipies.

Est autem hic difficultas. Conceptus enim est captio duorum seminum permixtorum ad generationem: quorum vnum est agens, & alterum patiens. Hoc autem non est fas dicere de Virgine, de qua cantatur: quæ sine virili commixtione genuit filium, qui suo mundum cruore redemit. Si autem ad hoc dicatur, quòd concepit corpulentam substantiam virginis, & Spiritum sanctum qui illam substantiam formauit: incongruum est & illicitum; quia Spiritus sanctus eo quod est immensus non

Io.3.d.3 non concipitur, nec includitur alicubi. Vnde di-
a.12.& ceodum, quod cum ſua corpulenta ſubſtantia
d.4.a.4. concepit virtutem Spiritus ſancti, quæ illam corpolentam ſubſtantiam primo decidit à ſanguine Virginis, & poſtea conuertit eam, & formauit, & figurauit, & in membra diſtinxit, & animauit.

Ex hoc autem arguunt Eutyches & Neſtorius, quod Spiritus ſanctus pater ſit filij ſecundum humanam generationem. Quod non ſequitur: quia pater eſt, qui aliquid ſuæ ſubſtantiæ habet in Filio, quæ in Filium conuertitur. Si autem Spiritus ſanctus aliquid ſui haberet in Filio, ſequeretur quod ſua ſubſtantia eſſet diuiſibilis, & ita ipſe non eſſet ſimplex: quod abſurdum eſt. Præterea, Si eſſet conuertibilis ſubſtantia eius: iam non eſſet Deus nec æternus, ſed temporalis & corporeus: quod eſſet adhuc maior abſurditas: & ideo hoc non eſt dicendum. Et ideo dicit *Ambroſ.* quod cum dicitur: Chriſtus eſt cõceptus de Spiritu ſancto: illa præpoſitio, De ootat poteſtatem & non materiam. Chriſtus enim conceptus eſt de poteſtate Spiritus ſancti, & non de ſubſtantia ipſius genitus: ſicut cultellus eſt de ferro, id eſt, de ſubſtantia ferri fabricatus: & Filius oaturalis de Patris ſubſtantia: & ideo cum Filios non ſit de ſubſtantia Spiritus ſancti, non eſt Spiritus ſanctus Pater Filij. Si enim Filius eſſet de ſubſtantia Spiritus ſancti, oporteret quod eſſet de Spiritu ſancto ſubſtantialiter: & cum etiam Spiritus ſit procedens de Filio, oporteret quod vterq; ſecundum ſubſtantiã eſſet de altero: quod eſt abſurdum. Iam enim ſequeretur duos patres eſſe in Trinitate, quod vtetque eſſet pater ſecundum ſubſtantiam: quod eſt inconuenieos & reprobatum in Nicena ſyoodo. Quod licet poſtea prædicauerit Leporinus monachus: tamen hoc in Concilio Epiſcoporum Galliæ reuocauit.

Si autem quæratur, Vnde Virgo concepit, vtrum verbo Angeli, vel de quo? Diceodum quod non verbo Angeli: quia verbum Angeli in aëre ſonuit, & non permanſit: & ideo ſanguinem eius nec diſtinxit ſeparando, nec conuertit, nec formauit: id autem de quo concipitur, & ſeparat ſanguioem, & format, & figurat. Et ideo condemnatum eſt quod cantatur, Concipies per aurem: ſed cantetur, Concipies & paries Deum ſimul & hominem. Sed concepit de Spiritu ſancto, ſicut dicit ſymbolum Apoſtolorum.

Quæritur, Vtrum in conceptione Beata Virgo aliquid efficientis cauſæ contulerit? Scitur enim & ſupponitur ab omnibus, quod ipſa contulit corpulentam ſubſtantiam, ex qua factum eſt corpus Ieſu Chriſti. Et dicunt quidam, quod in materia generationis quæ fit ex commixtione ſexuum, duplex eſt forma: vna quarum dicitur formatiua, & hæc eſt de ſubſtantia patris: alia autem eſt informatiua, quæ eſt de ſubſtantia matris. Et dicunt quod formatiua agit & operatur per ſe, diſtinguendo ſanguinem, & conuertendo, & formando, & figurando: informatiua autem ſubagit & ſuboperatur per modum miniſtrantis; & ideo non agit niſi excitata, & tunc ſubminiſtrat. Et hęc eſt ſententia *Galeni*. Non tamen eſt hæc ſententia *Ariſtotelis*, & Philoſophorum, qui ſecuti ſunt eum in ſcientia oaturali: ſed potius quod ſola virtus informatiua eſt in gutta patris, nec aliqua vis formatiua vel informatiua eſt in gutta matris, niſi ſit forma confuſa & indeterminata & indiſtincta: & ideo nihil agit penitus nec ſubminiſtrat, ſed agitur in eam per guttam viri: gutta enim viri intrat in guttam fœminæ, ſicut ſpiritus in corpus: quia etiam gutta patris conuertitur io ſpiritum, & intra viſcoſitatem guttæ maternæ continetur: operans diſtinguendo, conuertendo, formando, figurando, & cæteras operationes in ea faciendo. Ita in conceptu virginali totam operationem & actionem damus virtuti Spiritus ſancti: & corpulentam ſubſtantiam, de qua operatus eſt Spiritus ſanctus, Beatæ Virgini: & ideo ipſa eſt vere mater Dei, quia Deus ipſe eſt de ſua ſubſtantia factus homo. Nec tamen Spiritus ſanctus eſt pater Chriſti: quia nihil de ſubſtantia Spiritus ſancti eſt conuerſum in Filium. Hæc eſt fides Catholica circa conceptum Chriſti, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

Hinc eſt etiam quod neſcit tarda molimina Spiritus ſancti virtus & gratia: ideo Spiritus ſanctus non eſt operatus paulatiuè vt natura: ſed ſimul in vno momento corpulentam ſubſtantiam à corpore Beatæ Virginis diuiſit, & formauit, figurauit, animauit, & Diuinitati vniuit. Et ideo Virgo Beata ſimul in vno momento concepit virum perfectum in figura lineamentorum, & anima, & gratia, & virtute, & ſapientia: quia Chriſtus nunquam profecit in aliquo iſtorum; niſi ſicut dicitur profeciſſe in facie hominum, quando plus vno die oſtendit ſapientiæ & gratiæ coram hominibus quam alio, licet proficeret in vtero & extra vterum in corporis & membrorum quantitate: & quicquid vnquam meruit, nobis ab inſtanti meruit conceptionis. Et hoc eſt quod dicitur *Ierem.* 31. Nouum faciet Dominus ſuper terram: fœmina circumdabit virum, numero & figura lineamentorũ, & anima, & Deitate, & gratia, virtute, & ſapientia perfectum: quod præ omnibus nouis nouius, & omoibus mirabilibus mirabilius. Deficiebat enim ſola quantitas perfecta, propter vteti neceſſitatem. Et ſicut primus Adam de manibus Dei extitit perfectus: ita ſecundus de manibus Dei conſtitutus eſt perfectus: vt deinus magnificentiam Deo ooſtro; quia perfecta Dei ſunt opera *Deuter.* 32. Et ſciamus congruum eſſe nomen concepti *Iſa.* 8. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. Quia antequam ſciat poer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci. Adhuc enim intra viſcera conceptus, detraxit & abſtulit ſpolia naturæ noſtræ: non ſolum ad Deitatis reconciliationem, ſed etiam ad vnionem cum natura diuina. Magnus prædator Chriſtus, qui totum quod poſſederat Diabolus, ſimul vno momeoto traxit ad ſeipſum. Hoc autem ootatur per hoc quid dicit: Coocipies.

In vtero.

Præpoſitio, in continentiam notans, vult quod intra vterum effectiua cauſa fuerit conceptus, & non ab extrinſeco ſicut io fœminis quæ lege naturæ concipiunt: in his ab extra immittitur vnde concipiant, quod in iſto conceptu impium eſt dicere, ſed eſt Spiritus ſancti virtute. Florens enim virtutũ & bonorum aromatibus hic vterus

non deflorer, sed florebit in æternum apud Dominum: & ideo horto florigero comparatur. Sicut enim virginem cum Angelo contemplati sumus in cubilibus dilecti salutatam: ita nunc contemplemur eam in hortis aromatum in conceptu. Vere enim vterus ille hortus est, in quo ortus est flos campi de radice Iesse, flos in quo tota refloruit salus nostra.

In decem autem hic vterus horto comparatur. Est enim hortus conclusus sigillo castitatis perpetuæ, sicut dicitur *Cant.* 4. Hortus conclusus, fons signatus: cui nunquam (vt dicit *Orige.*) communicauit alienus. Iste hortus est paradisus Domini; eo quod omnia spirat propter aromata virtutum. *Cant.* 4. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, &c. Secundo est hic hortus fossus sarcleo omnis disciplinæ. *Isa.* 28. Proscindet, & sarriet humum suam. Disciplina autem notatur virtutum & meritorum exercitium. *Heb.* 12. Omnis enim disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Sic enim intelligimus Virginem euntem ire & flere, mittentem semina sua: quæ postea in gaudio messuit in florentibus & benedictis aromatibus, quæ protulit in cælum & in mundum. Tertio iste vterus est hortus per exercitium disciplinæ, adæquatus virtutum omomnium æqualitate: omnis enim virtus in æqualitate quadam consistit. *Isa.* 28. Nonne cum adæquauerit faciem eius seret gith, & cyminum sparget? Æqualis est enim tota superficies huius agri, quæ nunquam intumuit prosperitate, & adaduersitate non decidit, & in mirabilibus Dei sibi propositis nunquam à mentis excidit æqualitate, eo quod extensa sit ad perpendiculum. Quarto est sicut hortus irriguus: vndique fluente in eam fluminis impetu, qui totam lætificat ciuitatem Dei. *Isa.* 58. Eris sicut hortus irriguus, cuius non deficient aquæ. *Ierem.* 31. Anima nostra erit sicut hortus irriguus. *Eccl.* 24. Dixi: Rigabo hortum plantationum. Et, quod mirum est, factus hortus est in ea fons vitæ irrigans vniuersam superficiem paradisi. Quinto hortus ille est irroratus angelica salutatione, & omnium cælestium virtutum familiaritate. *Isa.* 26. Quasi ros lucis ros tuus. *Osea* 14. Ero quasi ros: & Israel germinabit quasi lilium. *Isa.* 45. Rorate cæli desuper &c. Sexto Compluitus est pluuia Prophetarum. *Isa.* 45. Nubes pluant iustum. *Psal.* 67. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Septimo euocata est terra istius calore & flatu Spiritus sancti. *Psal.* 140. Audient verba mea, quoniam potuerunt, hoc est, efficaciter valuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram. Sicut patet in vere, quando intima terræ euocantur & erumpunt ad superficiem ad modum vermiculorum. *Isa.* 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Octauo est impinguatus adipe deuotionis. *Psal.* 62. Sicut adipe &c. Nono seminatus est verbi conceptione. *Matth.* 13. Exiit qui seminat seminare semen suum. Et *ibidem.* Semen est verbum Dei. *Gen.* 26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit in illo anno centuplum, Decimo terra ista optima omni perfectione sanctificationis. *Matth.* 13. Semen cecidit in terram bonam. *Psal.* 84. Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. Hic hortus nunquam fuit à malis stirpibus purgatus: quia nulla penitus spina, & plantæ adulterinæ intrauerunt in eam. Sic ergo Virgo gloriosa concipies in vtero florigero: concipies florem.

Et paries filium.

Qui habet in cælo patrem: in terra autem vteri tui habet matrem: sicut & alij omnes flores secundum *Pythagoram* solem habent in cælo patrem, & terram matrem.

Et vocabis nomen eius Iesum.

Ecce annuntiatio de nomine. Et cum omne nomen habet rei proprietatem: hoc nomen præ omnibus à proprietate, & actu, & effectu salutis est vocatum. Nomen vero mirabile, quod à Deo Patre per generationem æternam Filio datum est, à Patriarchis præsignatum, à Prophetis promissum, & ab Angelo vocatum, à matre Virgine impositum, à Ioseph nutritio pueri promulgatum, ore omnium fidelium vulgatum, ab omnibus Sanctis desideratum, & à beatis in patria in gaudium æternum glorificatum. A Patre enim per generationem æternam est Filio datum, sicut habes *Isa.* 61. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. A Patriarchis præsignatum: duo enim magnifici viri huius nominis præcesserunt, & tertius qui nominis interpretationem magnifice exhibuit. Iesus sacerdos magnus qui populum à Babilonica seruitute reduxit *Zachar.* 3. Et Iesus filius Naue, qui populum in terram promissionis introduxit. *Iosue* 1. Confortare & esto robustus: tu enim sorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam illis. Tertius fuit Ioseph filius Iacob, qui saluans mundum à periculis famis, Saluator mundi lingua Ægyptiaca appellatus est *Genes.* 41.

Et hæc omnia veritate impleuit noster Iesus, qui salutem fecit populum suum à peccatis eorum *Matth.* 1. tanquam à confusionis æternæ populum seruiture liberans: & populum introduxit in cælum tanquam in terram promissionis, sicut dicit *Moyses Exod.* 15. Introduces, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine quod firmauerunt manus tuæ. Hic etiam à fame verbi Dei, gratiæ, & Eucharistiæ populum suum saluauit: dans panem & vinum qui de cælo descendit, vt det vitam mundo *Ioan.* 6. *Sap.* 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Hoc etiam à Prophetis est promissum. *Habac.* 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Ab Angelis etiam vocatum est concinentibus millibus Angelorum, *inferius* 2. *cap.* Natus est vobis hodie Saluator, qui interpretatur Iesus. Et subito facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium Deum. A matre Virgine impositum *Luc.* 1. Vocabis nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. A Ioseph patre putatiuo promulgatum *Matth.* 1. Pariet quidem filium (dixit Angelus Ioseph) & vocabis

vocabis nomen eius Iesum. Ab ore omnium fidelium est vulgatum: quia *Cant.* 1. Oleum effusum nomen eius super femur tuum potentissime, quod salubriter omnibus salutarem profudit salutem. *Ioelis* 2. Omnis quicunque nomen Domini inuocauerit saluus erit. Ab omnibus autem Sanctis desideratum. *Isa.* 26. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei salutare tuum, hoc est, Iesum. Et quod ille iustus in desiderio vidit, Iacob in desiderio expectauit *Genes.* 49. Salutare tuum expectabo Domine, hoc est, Iesum, qui salutare interpretatur. Et omnis vtriusque sexus in desiderio inuocat: Iesus enim mel in ore, melos in aure, & in corde iubilus: vt dicit *Bern.* Hoc nomen etiam à beatis in gaudium æternum est glorificatum. *Phil.* 2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu, &c.

Hic erit magnus.

Ecce præconium annuntiati. Qualiter enim pariet filium, supra dictum est, & qualiter sine media parturitione peperit, & infra erit opportunum dicere quis filius sit. In præconio autem isto tria continentur, dignitas ex magnitudine majestatis, hæreditas diuinæ altitudinis, & regnum honoris. Dignitas majestatis describitur cum dicitur [hic erit magnus] Et videtur hoc contrarium esse Prophetiæ *Isa.* 9. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Paruulus enim minor est paruo: paruum autem & magnum contrarias habent rationes circa quantitatem dictas: nisi forte dicatur, quod Propheta loquitur secúdum tempus nouitatis, & Euangelista de tempore futuro perfectæ ætatis: quod nihil est. Dominus enim noster non fuit enormis in quantitate corporis. Et ideo dicendum, quod paruus & magnus est: paruus humilitate, & magnus majestate: paruus assumpta humanitate, & magnus siue immensus majestate siue æternitate. *Iob* 3. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à domino suo. Sicut & *Psal.* 48. dicit. Simul in vnum diues & pauper. Et in *Prouerb.* 22. Diues & pauper obuiauerunt sibi. 2. *Cor.* 8. Propter nos egenus factus est, cum esset diues, &c. Sic ergo magnus erit, & est magnus: erit quidem in notitia hominum, cum innotescet: est autem nunc in Deitate occulta sub assumpta paruitate. Magnus ergo erit, & crescet super magnum Ioannem: quia sub magno Deo, magnus Ioannes paruus erit, & minor minimo, qui futurus est in regno suo. Nisi enim diminueretur Ioannes, vt ante diximus, non cresceret Christus & regnum eius: & hoc maxime in ostensione est majestatis in miraculis: in his enim minimus in regno Christi maior fuit Ioanne: & hoc conueniebat præcursori, vt ante diximus.

Est autem hæc magnitudo in sex: quia magnus Diuinitatis ambitu, & magnus accepto præ aliis spiritu, magnus sui nominis effectu, magnus omnis virtutis profectu, magnus gloriæ & diuitiarum spiritualium apparatu, magnus dignitatis excellentiæ fastu. Quòd enim magnus sit Diuinitatis ambitu. *Psal.* 112. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, &c. Quoniam Deus magnus Dominus, &c. Hanc autem magnitudinem omnia ambientem comprehendit Apostolus in quatuor *Ephes.* 3. vbi dicit: Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. In hac enim magnitudine latitudo est potestatis, qua attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter *Sapient.* 8. Longitudo autem est extensio & immensitas æternitatis, qua includit & excellit omne æuum & tempus. Sicut enim nunc temporis includit omnem locum & quicquid est in loco; ita nunc æternitatis includit omne æuum & tempus in præteritis, futuris & in præsentibus. Sublimitas autem est celsitudo gloriæ & honoris. 1. *Tim.* 1. Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria. *Luc.* 2. Gloria in excelsis Deo. Profundum autem est abyssus sapientiæ & iudiciorum Dei: iudicia enim Dei abyssus multa. *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei (altum enim & profundum idem sunt) quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c.

Est etiam magnus accepto præ aliis spiritu. *Ioan.* 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio: sed aliis dat ad mensuram, diuidens singulis prout vult, 1. *Cor.* 12. Vnde etiam *Isaias*, qui tamen spiritum ad mensuram accepit, *Eccl.* 48. dicitur spiritu magno vidisse vltima, & consolatus esse lugentes in Sion. Est etiam magnus nominis sui effectu, quod est Iesus, quod interpretatur Saluator: quia *Matth.* 1. Saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Eccl.* 46. Magnus Iesus secundum nomen suum in salutem electorum Dei. *Exod.* 15. secundum aliam translationem. Gloriose magnificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare, hoc est, in Iesum: quia Iesus salus, vel Saluator interpretatur. Est etiam magnus virtutis profectu. Cum enim omnis virtus sit vel humana, vel heroica, vel contemplatiua: hic super omnes virtutem diuinam accepit. *Psal.* 146. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, &c. Et cum laudabilium bonorum sit virtus, propter excessum suæ virtutis dicitur magnus & laudabilis nimis: & ideo *Exod.* 15. Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, &c. *Iob* 5. Qui facit magna & inscrutabilia, &c. Est adhuc magnus diuitiarum fastu, quo transgreditur omnes: vnde *Prou.* 8. Mecum sunt diuitiæ & gloriæ, opes superbæ & iustitia. Superbum dicitur quasi super vnum, quia transgreditur omnes diuitias. Et hæ diuitiæ sunt in possessione pulchrorum bonorum. 3. *Regum* 10. Magnificatus est rex Salomon diuitiis & sapientia & gloria, super omnes reges vniuersæ terræ. Et omnis terra desiderabat videre vultum Salomonis nostri veri pacifici: vultum tuum deprecabantur omnes diuites plebis: vt de plenitudine eius omnes accipiant gratiam pro gratia *Ioan.* 1. Est tandem magnus magnitudine dignitatis regiæ. *Ps.* 94. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus, &c. Dij enim vocantur prælati, in dignitate super alios exaltati. 1. *Cor.* 8. Siquidem sunt dij multi & domini: nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia, & nos ex illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Ideo dicitur *Ierem.* 10. Magnus tu & magnum tuum: quis non

non timebit te ô Rex gentium? Sic ergo erit magnus:

Et Filius Altissimi vocabitur.

Hic commendat ab hæreditate Diuinitatis: & refert futurum ad notitiam hominis, sicut ante dictum est. Dat autem Deus dona quædam alta, in quibus & ipse altus dicitur: & dat quædam altiora, propter quæ altior prædicatur: & dat altissima, quæ per superabundantiam dicta vni soli conueniunt. Alta sunt enim ea, quæ vocantur gratis data, quæ tam corporalia quam spiritualia confert omnibus: quia nullus est quoad hoc, qui se abscondat à calore charitatis eius. Sicut enim dicit *Psal.* 92. Mirabilis in altis Dominus, & sic habitat in altis; & humilia respicit in cælo & in terra, omnem imperfectionem & humiliationem donis suis releuans. Altiora autem dona sunt gratiæ gratum facientes, quibus sanctitatem in homine perficit: & altiores Sanctos ipse Dominus altos facit. *Ephes.* 4. Ascendens in altum Dominus captiuam duxit captiuitatem. Ascendens autem in altum, altior efficitur, quo saltu plus exaltatur. *Psal.* 63. Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. De altissimo autem sui protulit dona Filij, cui dedit gratiam in dextera sua exaltari, in potioribus & potissimis bonis altissimum fieri. Vnde *Luc.* 2. Filio nato cantant Angeli: Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc enim quod *Isa.* 14. per rapinam concupiuit Diabolus, per hæreditatem datum est Filio: quod conscendat in cælum, & super omnia astra cæli in æqualitate Patris ponat sedem, & similis sit Altissimo.

Hic ergo altissimus in se, & in donis gratiæ, non habitualis sed vnionis est, cuius Filius per adeptionem altissimorum Iesus noster vocabitur. Filius (inquam) æterni Patris imago in diuinis: eo quod secundum naturam Filius est hæres; Filius primogenitus & fratrum princeps: Filius primogenitus omnis creaturæ: Filius primogenitus mortuorum, solus inter mortuos liber: Filius vnigenitus: Filius dilectus in quo Pater sibi complacuit, omni duritia in omnes modos deposita. Æterni enim Patris est imago Dei indifferens: quia *Apostolus* dicit, quod est imago Dei inuisibilis: eo quod in Christo præfulget omnis decor sanctitatis Patris. *Psal.* 109. Ex vtero ante luciferum genui te, in splendoribus Sanctorum, hoc est, ex fœcunditate protuli per generationem substantialem, ante omnem ortum lucis angelicæ cælestis & humanæ, splendentibus in te omnibus radiis sanctitatis diuinæ. *Ioan.* 1. Quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hominum. Sicut enim dicit *Psal.* 49. Pulchritudo agri mecum est. Et *Boetius*:

Mundum mente gerens pulchrum, pulcherrimus ipse.

Nec vnquam faceret mundum intellectualis Deus: nisi mentali verbo ab eodem genito prius apud se mundum gestaret: & similiter quantum vnicuique est possibile, imagine formaret quæ producit in esse. *Psal.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum. Sic enim Pater dixit ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Hic est hæres paternæ gloriæ: sicut & impij Iudæi profitentur *Matth.* 21. Hic est hæres, venite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Sic enim dicitur ad *Coloss.* 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ. Nunquam enim possent esse filij adoptionis, nisi esset filius verus & naturalis: filius enim adoptionis, in ius filij est assumptus: & si nullus sit filius, in nullum ius assumeretur filius adoptiuus. Propter quod etiam secundum leges humanas adoptare non potest, qui non habet filium: vel qui impotens est ad habendum filium. Adoptione igitur facti sumus filij & hæredes: hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi *Rom.* 8. Est etiam hic filius primogenitus, ius habens primogenituræ. *Heb.* 3. Christus fidelis est in omni domo patris tanquam filius: quæ domus sumus nos. *Psal.* 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Est etiam primogenitus omnis creaturæ *Coloss.* 1. *Eccl.* 24. Ego ex ore Altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam. Non enim exiret in esse creatura, nisi ad imaginem & formam quam habuit in mente opificis, sicut dictum est. Et ideo verissime dicitur, quod si filius non dicatur ab æterno genitus à Patre: sequitur mundum per creationem à Deo non exiuisse: quod est absurdum. Et hæc est sententia *Basilij*. Hic etiam est primogenitus fratrum: Vnde *Apostolus Rom.* 8. Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, qui omnes in adoptionem filiorum Dei per filium naturalem vocati sunt. *Ioan.* 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, &c. Vsque: sed ex Deo nati sunt. *Ioan.* 20. Vade, & dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. *Heb.* 2. Quia pueri communicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem. Est etiam iste filius vnigenitus. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius gloriam, &c. *Basilius*. Vnigeniti, qui secundo genitum non habet: & ideo cum altero paternam gloriam non diuisit, sed totum possedit affectum paternum simul & gloriam cum nullo diuidens. Hic est Filius dilectus, in quo Pater sibi complacuit mundum reconciliare sibi & omnia, turbatione deposita. *Matt.* 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Sic ergo [Filius Altissimi vocabitur] Et tu merito adoptionis Filius Altissimi vocaberis, si discordantes ad concordiam vocaueris, inimicos dilexeris, & pauperum misereberis. De primo horum dicitur *Matth.* 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. De secundo *ibidem*. Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est. De tertio *Eccl.* 4. In iudicando, esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi. Sequitur.

Et dabit illi Dominus Deus sedem.

Præconium est annuntiati quantum ad potestatem honoris regalis. Et dicit tria: Collationem scilicet sedis regalis, actum regiminis, & durationem æternitatis. De sede dicit quatuor: quis videlicet conferet, quia Dominus Deus: qualiter videlicet conferet, quia gratis dando: quid conferet, quia sedem: & quo iure, quia hæreditario ex Dauid patre suo.

Dicit

Dicitur igitur quod [Dominus] qui potest,& [Deus] qui scit idonee conferre,& vult omnibus per eum prouidere. Confert enim Dominus: quia (sicut iam ante habitum est) & præsidentem nominat,& diuitem,& non nutantem: & ex hoc quod præsidet,ius habet præuidendi: ex copia autem diuitiarum habet vnde prouideat: & ex robore multitudines regendas continente suum est vocare eos, qui secum regendo multitudines contineant. Deus autem sicut dicit *Damas.* dicitur, vel quia prouidet & videt omnia: vel quia curat de omnibus:vel quia circuit omnia: Theos enim græcè, vel videre vel ardere sonat. Theaste autem sonat circumire. Videt enim omnia:&ideo scit quis sit idoneus ad regendum. *Heb.*4. Omnia nuda & aperta oculis eius ad quem nobis sermo. *Eccl.*23. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem,circunspicientes omnes vias hominũ. Quòd autem cura sit sibi de omnibus:&ideo nobis in tali prouidere velit *Sapient.*6. Pusillum & magnum ipse fecit:& æqualiter est ei cura de omnibus. Quòd autem circumeat,& consideret, & diligentiam ponat vt vtilem inueniat *Eccl.* 24. Gyrum cæli circuiui sola. Sic ergo scit, quis sit vtilis: & talem vult & ostendit; vt vtiliter circumeat cum Iesu per vicos & castella & ciuitates, prædicans Euangelium regni *Matth.* 4. *Cant.* 3. Circumibo ciuitatem: quæram quem diligit anima mea.

Quid autem dabit, subiungit quia [sedem] Est autem omnis cathedra sedes, sed non conuertitur: & omnis thronus cathedra & sedes,sed non conuertitur. Thronus enim regum: & cathedra, sedes cathezizantium,hoc est,docentium. Thronus autem sedes regum: & ille tenetur docere ius,& in quiete promulgare: propter quod præcipitur iudicibus, vt sedendo pronuntient sententiam. Quies ergo iudicantis accipitur per sedem: doctrina autem iustitiæ per cathedram: & thronus dicit dignitatem regiam. De sede *Apoc.*4. Sedes posita erat in cælo. De cathedra *Psal.*106. Exaltent eum in Ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum. De throno *Psal.*9. Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam. Christus autem Dominus qui de se dicit: Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim: habet & thronum, & cathedram. Et cum dicat de eo *Isa.*42. quod non contendet, neque clamabit, nec audietur foris vox eius: sed quietus requiescet super humilem & quietum: habet etiam sedem. Vel forte omnia tria hæc comprehendens,dicit [sedem]

Hæc sedes significatur 3. *Reg.*10. vbi dicitur, quod thronum fecit sibi Rex Salomon ex ebore grandem: & vestiuit eum auro fuluo nimis,qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus singulas: & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. Ebur enim candens innocentiam significat regis,qui talis est, de quo nullus vnquam conquestus est. Aurum autem fuluum nimis, est sapientia Dei in rege nostro ad faciendum iudicia.

Sex autem gradus quibus ascenditur, sunt sex modi iudiciorum, quibus regnum regitur & continetur: quorum vnus gradus est iustitia directiua operum in communibus: secundus est iustitia solutiua & custoditiua legum in casibus emergentibus: tertius est præceptiuus legum in communibus: quartus est ordinatiuus potestatum maiorum & minorum: quintus præparatiuus acierum & tyronum ad contritionem insurgentium: sextus & vltimus est regitiuus præsidentium in regnantibus, penes quos summa consistit negotiorum & regiminis. Primus fit per iustitiam duplicem, commutatiuam videlicet,& distributiuam: secundus fit per eam quam Græci vocant epikeyam, hoc est,superiustitiam; tertius per legislatiuam: quartus per potestatiuam; quintus per eam quæ de re militari pertractat; sextus autem per eam quæ est dominatiua vocata iustitia. Nunquam enim regnum est integrum, nisi sex ista contineat. Et de prima quidem dicitur *Isa.*32. Ecce in iustitia regnabit Rex: & principes in iudicio præerunt; reddendo videlicet, in causis vnicuique quod suum est, distributiuè,vel commutatiuè. De secunda iustitia expressè habetur 1. *Machab.* 2. vbi populus legem tenens sabbati occisus est. Mathathias autem soluendam aliquando sabbati legem iudicans populum saluauit. De tertia iustitia *Isa.*33. dicitur: Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos. De quarta dicitur *Rom.*13. Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: ergo qui resistit potestati,Dei ordinationi resistit. De quinta *Ier.*11. dicitur Dominus Sabaoth, hoc est, exercituum, per quos potestates aëreæ debellantur. *Psal.* 23. Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, hoc est, exercituum in virtute contrarias potestates conterentium. De sexta dicitur *Ierem.*23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et qui hæc sex non habet, ascendere ad regendum non debet. Non enim Rex est, qui in se rectus,vt Dominus,non est. Nec Rex est,qui virtutem exercitus non habet. Nec item Rex est,qui non habet ordinem potestatum in Ducibus & Comitibus & Præsidibus, & aliis huiusmodi potestatibus. Nec iterum Rex est, qui leges non condit. Rex etiam non est, qui vbi tenenda & soluenda est lex, ignorat. Nec iterum Rex est, qui nec secundum æquale distributiuum: nec secundum æquale commutatiuum iustitiam conquerentibus reddit.

In his sex gradibus duodecim sunt leunculi hinc & inde: leo enim est animal terribile. Et sunt duodecim iniuriæ, quæ contrariantur huiusmodi institiis, deterrentes. Primæ iustitiæ quæ redditur in communibus, duæ iniuriæ opponuntur: magis videlicet accipere, quam dedit in commutatione: vel magis quam dignitati congruit in distributione. Et has iniurias deterrent duo leones, hoc est, duæ æqualitares, à quibus inflexibilis est animus iudicis. Contra secundam iustitiam duæ sunt iniuriæ: dum aut indiscreta lex omnino iudicatur esse tenenda: aut ex incuria de obseruantia legis nihil curatur. De prima dicitur: Noli esse nimis iustus,sed iustitiæ tuæ pone modum. De secunda *Osee* 8. Scribam multiplices leges meas, quæ velut alienæ reputatæ sunt. Contra tertiam iustitiam duæ sunt iniuriæ: impias videlicet leges scribere, aut calumniosas: de quibus dicitur *Isa.*10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim

facerent causæ humilium populi mei. In vtroque gradu sunt duo leones: dum iustus Rex facit teneri legem, & solui pro loco & tempore, & iustas & æquas absque calumnia condit leges. Contra quartam sunt duæ iniuriç: dum potestates imperant in acceptione personarum, aut in cupiditate munerum. Leones ista vitia deterrentes sunt: ita paruum vt magnum audire, & sine muneribus velociter exhibere quod iustum est. Contra quintam sunt duæ iniuriæ: dum miles, aut violentiam infert, aut remissus miles fugit ab acie. Leones vero deterrentes sunt, strenuitas in hostes, & humanitas in ciues. Contra sextam sunt duæ iniuriæ: vt dum dominatus aut vilipenditur propter perditionem auctoritatis, aut propter efferationem elationis. Leones autem hæc vitia deterrentes sunt, auctoritatis firmitas, & odium in malos subiectos, & mansuetudo in bonos. Quia & dominatus non nisi propter inferiores accipitur: & tamen Dominus per naturam illi cui præsidet similis inuenitur. Et ideo dicit *Petrus* 1. *Can.* 5. Non vt dominantes in cleris: sed forma facti gregis ex animo.

Iste ergo est thronus in quo sedet per istos gradus ascendens: habens adhuc duos leones habentes brachia, & manus appodiatas ex latere. Quorum vnus est dignitas regia, significata in leonis regali proprietate: & alter est maiestas terribilis malis, significata in leonis maiestate. *Prou.* 20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Manus autem hominis retro recipientes; humanitatem lenitatis & rationabilitatis in occulto in corde significant in Rege. Rotunditas vero throni similitudinem significat æterni regni, cui se bonus Rex quantum potest conformat. Iste ergo thronus sibi collatus *Ierem.* 17. Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel. Quo iure autem deuoluitur ad ipsum thronus iste, siue sedes, subiungit, dicens.

Dauid patris eius.

Et hoc propter quatuor virtutes in Rege Dauid, (inquantum ipse Rex est) existentes: vna quarum est misericordia pauperum defendendorum; secunda est amor iustitiç regendorum; tertia est odium iniquitatis conterendorum; & quarta est clementia inimicorum pro iniuria personali, non publica persequentium. De prima dicitur 1. *Reg.* 22. Conuenerunt ad Dauid omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps. *Isa.* 16. Præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. Misericordia enim pauperum defendendorum debet mouere Regem ad suscipiendum regnum, vt dicat in corde suo illud *Psal.* 9. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. De secunda dicitur 1. *Reg.* 30. cum dicerent viri procedentes ad bellum, quod viri remanentes ad sarcinas non deberent accipere portionem in spoliis, sed deberet eis sufficere quod quilibet acciperet sua: dixit Dauid, quod æqua deberet esse portio remanentis ad sarcinas, & procedentium ad bella, & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum quasi lex in Israel, vsque in diem hanc. *Deut.* 16. Semper in corde debet dicere Rex: Iuste quod iustum est persequeris: & nulla erit personarum distantia. De tertia habetur 3. *Reg.* 2. vbi ex odio iniquitatis fecit interfici Ioab filium amitæ suæ, qui occiderat proditiosè duos viros iustos & meliores se. Et de his duobus simile dicitur in *Psal.* 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, &c. De quarta habetur 22. & 24. *primi Reg.* vbi bis traditus est Saul in manus eius: & semper clementer pepercit eidem. *Psal.* 119. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, &c. Iste autem Dauid pater Iesu dicitur; eo quod ab ipso descendit secundum corpulentam substantiam: & quia hæres suus erat secundum illud *Matth.* 15. Miserere mei Domine fili Dauid, *Matth.* 21. Hosanna filio Dauid, &c. Sequitur.

Et regnabit.

Præconium est ab actu regiminis. Dicit autem duo: regnum, & super quos regnat. Regnare autem Iesum nihil aliud est, quam leges suas & potestatem indicere his super quos regnat. Illas autem leges indicit suis tribus modis: in corde videlicet, & in aure, & in docendo quod lex impleatur vbi vacua esse monstratur. In corde scribit per spiritum: in aure per verbum prolatum. Implere autem legem docet per mysterium. De scriptura cordis *Iere.* 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et *Hebræ.* 8. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas. *Isa.* 8. Signa legem in discipulis meis. Sic enim oramus vt adueniat regnum Patris, qui es in cælis *Matt.* 6. 2. *Corinth.* 6. Epistola nostra vos estis. Et subinfert, quod est scripta Spiritu Dei viui. Intellectus autem & affectus in quibus leges regni sui scribit Deus, sunt duæ tabulæ scriptæ digito Dei *Exod.* 34. In aure autem scripsit *Luc.* 8. Qui habet aures audiendi, audiat. Per aurem etiam scribitur: per auditum enim fidem accipit de regno. *Rom.* 10. Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Implet autem legem, spiritualiter docens intelligi regnum & legem, 2. *Cor.* 3. Litera occidit: spiritus autem viuificat. *Matth.* 5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Vacua enim est lex sine spiritu. Hoc igitur est regnare Christum in his in quibus regnat, dum leges & mandata in corde suscipiunt, & audita pertractant, & quæ vacua sunt carnaliter, intellecta spiritualiter implent. Hi autem qui sic legibus suis contradicunt, nolunt eum regnare super se: & ideo inimici reputantur, & occidendi coram ipso. *Luc.* 19. Inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Et *Apocal.* 19. Regnabit Dominus Deus noster omnipotens: gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei. *Isa.* 9. Super solium Dauid, & super regnum eius, &c. Et *Psal.* 24. Virga directionis virga regni tui. Sic ergo regnabit

In domo Iacob.

Hoc est in familia Iacob. Sed quare potius in familia Iacob, quam in familia Abraham, vel Isaac?

Isaac? Ad hoc dicendum, quod hoc est propter hoc quod domus Abraham nunquam in toto benedicta fuit: & ideo Christi regni neque figura, nec veritas fuit: quia Ismael fuit de reprobatis & eijciendis extra domum. Vnde *Gen.* 21. Eijce ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Similiter autem & domus Isaac, non tota ad benedictionem pertinebat: quia Esau cum omnibus ad se pertinentibus de reprobatis fuit. *Malach.* 1. Iacob dilexi: Esau autem odio habui.

Si autem quæratur, Quare non dicit: In domo Dauid? Dicendum, quod Dauid nunquam habuit domum vniuersalem: sed regnum habuit vniuersale & domum particularem de domo Iacob, de tribu Iuda, & de familia Iesse. Et ideo cum regnum Christi sit vniuersale: non regnat in domo Dauid, sed regnat in domo vniuersali Iacob. Sedes autem Dauid vniuersalis fuit: & ideo sedet super sedem Dauid, & in domo Iacob. Quòd autem regnat in domo Iacob, decem sunt causæ. Vna quarum est propter vocantis electionem. Secunda est propter fratris supplantationem. Tertia propter innocentiæ simplicitatem. Quarta est propter primogenituræ adeptionem. Quinta propter benedictionis surreptionem. Sexta propter carnalis & mali fratris persecutionem. Septima propter cælestium visionum reuelationem. Octaua propter eam quam ad Angelum habuit directionem. Nona propter suæ familiæ ad statum totum Ecclesiæ significationem. Decima propter benedictionis in totam familiam suam, & domum propagationem.

Sic igitur Christus totam domum Ecclesiæ & regnum desponsauit: vt primò electos vocaret, hoc est, de massa perditionis separaret. Secundo vt fratrem, carnem scilicet, supplantaret, hoc est, subuertere doceret, quod non carni & sanguini acquiescere, sed contraire doceret. Tertio, vt simplicitatem se & innocentiam diligere doceret. Quarto, vt iura primogenituræ suos habere doceret, hoc est, vt principalia patris bona, & duplicia in hæreditate possiderent. Principalia autem sunt dona gratiarum, & secundaria sunt temporalia: vnde *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, &c. Duplicia autem sunt dona gratiæ & gloriæ. Quinto, vt benedictionis hæredes suos demonstraret. Sexto, vt omnes bonos persecutiones pro Christo passuros demonstraret. Septimo, vt per visionem cælestem ostenderet quicquid ad sanctitatem & cultum Dei pertineret. Octauo, vt qualiter Angelorum & cælestium spirituum promeretur auxilium reuelaret. Nono, vt per familiam domus Iacob ostenderet, quod in tota Ecclesia per ministros Ecclesiæ gignendo filios Ecclesiæ efficeret. Sicut enim dicit *August. in lib. de Bap. paruulorum contra Donatistas.* Iacob quatuor habuit vxores, duas liberas, & duas ancillas: & per vteros vniuscuiusque earum genuit de semine suo: & per vterum alienum filios ad benedictionem pertinentes. Duæ liberæ significant statum actiuorum (quem significat Lia) & statum contemplatiuorum (quem significat Rachel) & siue sacramenta conferat actiuis, siue contemplatiuis in forma Ecclesiæ: semper sacramenta tanquam vuluæ liberarum generant filios Ecclesiæ ad benedictionem pertinentes. Duæ autem ancillæ significant duo genera ministrorum, qui peccatis seruiunt: vnum genus est minister, qui actu malus est, & tamen fidem tenet: secundum genus est minister hæreticus, qui & actu malus est, & fide caret. Vterque autem istorum dummodo formam Ecclesiæ & intentionem eius quod facit Ecclesia teneat, filios spirituales generat in salutem tanquam ex Christi semine: generans & paruulas seruituri, hoc est, peccato subiectas. *Gen.* 17. Super Ismael quoque exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde. Decima causa est, quia Christus (sicut Iacob) benedictionem & in omnes Apostolos & in omnes eos qui credituri erant per doctrinam eius propagauit.

De primo horum dicitur *Rom.* 9. Quasi ex vocante dictum est ei: quia Iacob dilexi, Esau autem odio habui. *Gen.* 25. Maior minori seruiet. *Malachiæ* 1. Iacob dilexi, Esau odio habui. De secundo dicitur *Gen.* 27. Iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice. *Osee* 12. In vtero supplantauit fratrem suum, hoc est, euertit & machinationes exclusit. *Genes.* 25. Protinus alter, hoc est, Iacob egrediens plantam fratris tenebat. De tertio dicitur in *Psal.* 24. Innocentes & recti adhæserunt mihi, &c. *Psal.* 83. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. 1. *Paral.* 29. Scio Deus meus, quod probes corda & simplicitatem diligas. *Gen.* 25. Iacob vir simplex habitans in tabernaculis. De quarto *Gen.* 25. Vende mihi primogenita tua. Et *ibidem*. Abiit paruipendens quod primogenita vendidisset. Quòd autem potiora bona habiturus sit primogenitus *Gen.* 49. Ruben primogenitus meus prior in donis, maior in imperio. Et quod duplicia accepturus sit, dicit Dominus quod pater dabit ei duplicia *Isa.* 61. In terra sua duplicia possidebunt, &c. *Isa.* 40. Suscepit de manu Domini duplicia. *Prou.* 31. Omnes domestici sui vestiti sunt duplicibus. Quòd etiam benedictionem possessuri sunt, dicitur 1. *Pet.* 3. In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditare possideatis. *Gen.* 27. Benedixi ei & erit benedictus. De persecutione autem fratris 2. *Tim.* 3. Omnes qui pie volũt, &c. *Matth.* 5. Beati qui persecutionem patiuntur.

De septimo autem, quod est visionum cælestium reuelatio, in quo certa docetur cultura Ecclesiastica, *Gen.* 28. vbi Iacob vidit cælum apertum, & scalam stãtem super terram, & Dominum innixum scalæ desuper: & Angelos ascendentes & descendentes per eam, dixitque: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam: pauensque, quam terribilis est locus iste, inquit: Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. Et *Exod.* 3. Locus in quo stas, terra sancta est. Et *Ios.* 3. Locus in quo stas, sanctus est. Cælum enim apertum significat sanguine Christi cælum aperiendum: scala descensum Angelorum ad custodiam, & ascensum ad oblationem votorum nostrorum, & intellectuum ad Dominum: locus sanctus siue terra sancta, Ecclesiam sanguine Christi sanctificandam: terribilis locus venerationem sacrorum locorum: Dominus autem in loco, significat operationem Domini in sacramentis per gratiam: domus autem Dei, culturam Ecclesiæ vniuersalem in laudibus diuinis. *Sap.* 10. Hæc autem profugum iræ fratris Iacob scilicet iustum, deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, hoc

est, Ecclesiæ culturam in qua regnat: & dedit illi scientiam sanctorum neutri generis, hoc est, scientiam sanctitatis Ecclesiæ: honestauit illum in laboribus, & compleuit in omni perfectione sanctitatis labores illius.

Octaua causa, qua Iacob qualiter fideles in regno Christi existentes Angelorum auxilium promereantur reuelat: & de hac secundum historiam *Gen.* 32. Quod vir luctabatur cum Iacob vsque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Et dixit ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et lucta quidem significat luctam orationis per fletum & deuotionem, cui resistere non valuit Angelus, eo quod deuotos in oratione diligit, & ab eis recedere non potest: vnde dicit *Hieron.* quod duobus brachiis luctabatur, fletu & deuotione. Benedictio autem tutat contra hostes dæmones, confortatio contra fratrem significat confortationem contra mundi tentationem, & tactus femoris significat concupiscentiæ carnalis extinctionem.

Nona autem est, de qua dicitur *Isa. vlt.* Nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Sion filios suos? *Matth.* 8. Multi ab Oriente & Occidente venient: & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum. *Isa.* 43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & austro, noli prohibere. Oriens enim propter ortum lucis est minister bonus contemplatiuus: & Occidens in quo occidit lux fidei, est minister malus hæreticus, formam tamen Ecclesiæ tenens in sacramentorum collatione: Aquilo autem plaga frigida, est minister malus fidelis, cuius non occidit lux fidei. Aquilo enim vt dicit *Greg. super Iob*, semper voluitur & nunquam occidit. Auster autem plaga lucida & calida, significat ministrum bonum actiuum. *Hebr.* 3. Christus tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos.

De decima autem, hoc est, in totam domum benedictionis propagatione, dicitur *Gen.* 49. vbi Iacob omnibus duodecim filiis benedixit singulis benedictionibus. Et *Deut.* 33. Vbi Moyses similiter, sicut & Christus duodecim Apostolis *Matth.* 10. & *Luc.* 6. Et orauit pro omnibus, qui credituri erant nomini eius per ipsos *Ioan.* 17. Propter quod etiam vniuersitas saluandorum signatur per Patriarchas *Apocal.* 6. Et vniuersitas portarum, per quas intratur in regnum *Apoc.* 22. Hac igitur de causa regnat Christus in domo Iacob super solium Dauid, & in throno Salomonis sedet. Regnare enim nihil aliud est, quam multitudines in regno continere sermone coactiuo, vel promissiuo: vt dicit *Arist.* Sermo enim persuasiuus in legibus & in moribus non valet: quia leges non dantur sciendi gratia, sed vt boni fiamus. Et ideo sermo syllogisticus in talibus non valet, sed coactiuus per pœnarum comminationes: vel promissiuus per præmiorum spem & expectationem, sicut dicit *Isa.* 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis: gladius deuorabit vos; quia os Domini locutum est. Regnabit autem

In æternum.

Isa. 9. Sedebit super solium Dauid, & super regnum eius: vt confirmet illud & coroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum. Quia claritas regni gratiæ continuatur ad regnum gloriæ: de quo dicitur *Matth.* 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.

Obijcitur autem ex hoc quod dicitur 1. *Cor.* 15. Cum tradiderit regnum Deo Patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem. Vbi dicit *Gloss.* quod vsque ad diem iudicij & Dæmones Dæmonibus, & Angeli Angelis, & homines hominibus præsunt. Et post iudicium omnis cessabit prælatio. Ad quod dicendum, quod tam in cælo, quam in mundo, & in inferno cessabit in Angelis, hominibus, & Dæmonibus prælatio, quoad curam & actum regiminis: sed in Deo nunquam cessabit. Licet quoad curam regiminis & exercitium cesset in omni creatura rationali; tamen quoad aliquid manebit in æternum. In prælatione enim duo sunt, honor, & onus. In desiderantibus igitur honorem vt præsint & non prosint, nec onus portent inferiorum: cessabit honor, & remanebit onus quod præessendo meruerunt. *Ezech.* 21. Tu autem profane, impie Dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita? Hæc dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam. Cidaris est ornamentum sacerdotum: & corona ornamentum dignitatis regum. *Isa.* 25. Coronans coronabit te tribulatione in onus, & non in honorem. In his autem qui desiderant prodesse potius quam præesse, subeuntes onus potius quam fulgentes honore: sicut dicit *Augustinus*. Honore coram vobis prælatus sit: vobis timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Et *Heb.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. In his (inquam) remanebit honor, & cessabit prouidentiæ onus. *Prou.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, gregesque tuos considera: non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generatione & generationem. In hoc enim quod dicit: Non habebis iugiter potestatem, cessationem oneris notat. In hoc autem quod dicit: Corona tribuetur tibi in generatione & generationem in regno (quæ est finis generationum eorum, qui reguntur in gratia) notat permanentiam honoris. *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt? noli extolli: sed esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic considera, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe: vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis.

Et regni eius.

In quo ostendit istius regni durationem. Est autem Regnum vt dicit *Dionys. in lib. de di. no.* omnis finis & boni, legis & ordinis distributio: hoc est dicere: Distributio congruens dignitati personarum diuersa, quæ ab Apostolo 2. *Cor.* 1. vocantur personæ multarum facierum. Distributio inquam finis, quem intendit Rex in personis regni efficere: finis enim non est tantum

vnus,

vnus, neque omnes regni personæ ad vnum finem duci possunt. Et est distributio boni diuersi, quo frui debent personæ regni sub regimine Regis. Et distributio legum, quæ etiam diuersæ sunt secundum diuersitates personarum, locorum, & temporum. Et distributio ordinum & graduum, quæ etiam variantur secundum status personarum. Omnis, inquam, talis secundum omnem diuersitatem distributio, est & vocatur regnum. Sic enim Christus in nobis regnat & regnabit, distribuens nobis fines gratiæ in quos tendamus perficiendo cursum nostrum. *Act.*20. Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummen cursum meum. 2 *ad Tim.*4. Cursum consummaui, fidem seruaui. *Matth.* 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Heb.*3. Si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus.

Distribuit etiam nobis bona: diuersarum enim personarum in Ecclesia diuersum est bonum: aliud enim bonum prælati, & aliud bonum subditi, aliud bonum militis, aliud bonum eius quem miles defendit, aliud bonum religiosi, aliud bonum secularis, aliud bonum matronæ, & aliud bonum viduæ, & aliud virginis, & sic de aliis Ecclesiæ gradibus. De omnibus pro diuersitate personarum dicitur *Isa.*55. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. *Thren.*3. Bonus est Dominus sperantibus in se: animæ quærenti illum. *Psal.*24. Anima eius in bonis demorabitur, &c. *Eccli.*44. Cum semine eorum perseuerat bona hæreditas sancta. *Prou. vlt.* Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Hoc significatur *Matth.*25. Tradidit illis bona sua secundum propriam virtutem, hoc est, dignitatis suæ congruitatem.

Est etiam hæc distributio legum, quia non omnes ligat vna lex, sed pro diuersitate personarum, & locorum, & temporum leges diuersificantur. *Eccli.*24. Legem mandauit nobis Moyses in præceptis iustitiarum, hoc est, quæ distribuuntur pro vniuscuiusque congrua dignitate. *Deut.* 33. In dextra eius ignea lex. Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius. *Psal.*18. Lex Domini immaculata conuertens animas. *Ps.*118. Legem pone mihi Domine, &c.

Est etiam distributio ordinis vniuscuiusque personæ in gradu suo. *Dan.* 10. Sta in gradu tuo. Sicut enim in ordinibus cæli nemo est qui mutat ordinem & gradum, in quo positus est: ita in terra quilibet in gradu suo, in quo vocat Deus eum, permanere debet. *Psal.*47. Distribuite domus eius, &c. 1. *Corinth.*7. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Sic igitur regnat super nos Dominus Deus noster, Rex regum, qui habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium *Apoc.*19.

Hoc autem regnum corrumpit tyrannus, qui non curatis finibus & bonis graduum diuersitatis hominum, omnia statuit ad vtilitatem propriam, & oppressiones & calumnias hominum. *Isa.*10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei. *Osee* 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium: & Rex fortis dominabitur eorum. Sed de regno Regis nostri dicitur quod est regnum omnium seculorum. *Psal.*71. Dominabitur à mari vsque ad mare, hoc est, in tota tribulatorum multitudine: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, hoc est, ad descensum fluminis Spiritus sancti, vsque ad extremos Ecclesiæ. Hoc est regnum Catholicum, hoc est vniuersale, in quo regnabit Christus, donec ponet inimicos suos scabellum pedum suorum 1. *Cor.*15. & in *Psal.*109. Huius autem regni

Non erit finis.

Et hoc iam in præcedentibus expositum est. *Dan.*6. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. *Isa.*9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.

Dixit autem.

Sciens beata Virgo quod dicitur *Isa.*30. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Cum orasset pro liberatione generis humani, spem posuit in exauditione. Audiens autem Angelum de hoc loquentem, diu siluit: sciens quod dixit *Moyses Exod.*14. State & videte quod Dominus facturus est hodie. Et post hoc dicit: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Nunc autem audiens sapienter Angelum loqui, quem in specie viri apparentem vidit, iuxta consilium sapientis *Eccli.*6. attendit in ipsum, parans discretam responsionem. *Eccli.* 6. Si videris sensatum euigila ad eum. Audiuit autem diu loquentem, & salutantem, & confortantem, & annuntiantem tacens: seruans hoc quod dicit sermo diuinus *Eccli.* 32. Audi tacens simul & quærens: & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Et ideo verecundiæ vim faciens loqui exorditur. *Beda.* Verecundia soror est continentiæ. Et adeo fideles sunt istæ sorores, vt plerunque mallet vtralibet damnum proprium incurrere, quam sororis suæ incommodum sustinere. Semper enim in sapientibus mulieribus verecundia cedit continentiæ. In fatuis autem nonnunquam continentia cedit verecundiæ: vnde Dina rapta passa est damnum castitatis, ne verecundiam subiret clamoris. *Gen.*34. Sed Susanna ne verecundiam pateretur castitatis, subiit verecundiam clamoris *Dan.*13. Ideo etiam beata Virgo diu præmeditata, audiens se futuram pronuntiari matrem: ne damna sustineret pudoris contra propositum continentiæ verecundiæ cessit, & Angelo loquebatur de seruando pudore. *Bern.* Vt scias quam verecunda sit: attende qualiter in loquendo sui sermonis seruauit custodiam. Dixit enim custodite vias suas, vt non delinqueret in lingua sua: attendens quod postea dixit *Iacob.*3. In multis quidem offendimus omnes. Siquis autem in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Videbis enim custodiam si attendas cui, quid, vbi, quantum, quoties, quando, & quomodo locuta sit. Cui: quia non nisi quatuor diuersitatibus personarum, angelo videlicet, & filio, matertera

teræ vetulæ, & ministris nuptiarum *Ioan.* 2. docens puellam Dei & iuuenem puellarem cum Angelo in contemplatione, cum Deo in oratione: non cum qualiber muliere, sed cum cognata vetula, quæ Deo plena sit vt Elisabeth in consolatione & congratulatione: & cum his qui necessariorum temporalium ministri sunt, de necessariis esse loquendum.

Quid autem locuta sit si scire velis. Cum Angelo de secretis & dubiis: cum filio de expedientibus ad salutem propriam, ne perdatur Iesus, hoc est, salus: cum matertera de congratulatione boni & laude Dei: cum ministris autem de expedientibus proximo ad Dei gloriam patefaciendam locuta: docens à vaniloquiis esse cessandum, & de vtilibus tantum esse loquendum.

Porro, si aduertas vbi locuta sit. Non est locuta garrula in plateis, neque iocet puellas patula, sed in conclaui solitudinis. Filio autem in templo sanctificationis, aut in honestis nuptiis: ne tanquam ad cælibatum quasi ad frugem melioris vitæ conuolans, nuptias detestari & condemnare videretur. Aut in domo Sacerdotis summi sancti & honestate repleti, cum matertera locuta est: non in angulis platearum, non valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis.

Si autem attendas quoties locuta est. Non inuenitur nisi septies esse locuta: cum Angelo bis: semel quærens modum annuntiatorum Angeli: & sciens modum, secundo, adhibens consensum. Cum filio bis: semel quærens filium, ne perdat desideratum sibi: secundo proximorum vtilitatibus reuerenter interpellatis. Etiam bis cum matertera: semel salutans in congratulatione boni, quod Elisabeth annuntiauerat Angelus: & semel in gratiarum actione de bonis, quæ de ea prædicauerat Elisabeth. Semel autem tantum de necessariis cum ministris, inuitans eos ad obediendum Filio ad gloriam Dei declarandam.

Quantum vero locuta est, delectabile est audire. Parum enim valde, & vix insonuit in quæstionibus dubiorum: sciens quod oporter mulierem in Ecclesia non docere vel esse clamorosam. Similiter parum perlocuta est in salutatione, & necessariorum postulatione. Multum autem effluxit in Dei laude & gratiarum actione, decantans canticum nouum. Magnificat anima mea Dominum: docens quod à laude Dei nunquam esset cessandum.

Liber etiam aduertere quando locuta. Nunquam enim locuta est (nisi bis) non præuenta: & tunc etiam quodammodo præuenta fuit, & quasi coacta ad loquendum. Hic enim post longam deliberationem, cum ageretur quod mater futura esset, quæ castitatem vouerat, & castitatis periculum timeret; locuta est cum Angelo bis. Materteram etiam salutat præuenta sermone Angeli, qui eam concepisse nuntiauerat: & gratias agit præuenta prædicatione matertetæ de bonis in ea perficiendis à Domino. Filium perdere timens, reuerenter inquirens: & ibi quodammodo præuenta timore perditionis ipsius, & dolens, incitatur ad quærendum qualiter se subtraxerit Filio. Similiter & ministris loquitur præ angustia, & præuenta necessitatibus proximi. Et sic absque causa nihil vnquam legitur fuisse locuta. *Eccli.* 32. Adolescens loquere in tua causa vix cum necesse fuerit.

Quomodo autem locuta est si scire desideras. Quam modeste, quam sapienter, quam silenter. Ita vt videatur verum esse de ipsa quod de Anna 1. *Reg.* 1. legitur: quod tantummodo labia eius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Sic ergo verecundiæ cedens: castitati autem cauens [Dixit] os silenter aperiens

Maria ad Angelum.

In hoc præbens exemplum virgini Marthæ. *Ioan.* 11. quæ sub silentio vocauit sororem Mariam dicens: Magister adest, & vocat te. *Eccli.* 32. Audi tacens simul & quærens: & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Et castitati timens quærit dicens.

Quomodo fiet istud?

Glossa. Liquet quod futurum credidit, quæ de modo quæsiuit. Et ideo mirandum est de istius virginis pudore & sapientia. Modum enim sapienter quæsiuit rei, quam per certitudinem nuntij & immutabilem prophetiæ enuntiationem futuram esse cognouit. Legerat enim *Isa.* 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et certitudinaliter sciuit esse venturum. Qualiter autem futurum erat, sapienter dubitauit. Sicut etiam dicitur *Eph.* 3. Hoc mysterium est à seculis in Deo absconditum. A Prophetis enim non fuerat plene enuntiatum, sed Angelo qualiter futurum esset ad explanandum reseruatum: & ideo à Virgine sapienter, ab Angelo de modo est quæsitum. Et hæc est sententia cuiusdam *glo. Ambro.* Verificatum est in ea quod de bona muliere *Prou. vlt.* dicitur: Fortitudo & decor indumentum eius. Fortis enim fuit in continentiæ proposito, & omni decore vestita in verecundia virginali: cui tamen cessit, vincens fortitudinem propositi virginalis: cum audiret meciorem fieri (vt sibi videbatur) fœcunditatis, quæ secundum legem naturæ non erat, nisi cum violatione virginitatis: & ideo tunc erumpens dicit cum reuerentia pudoris [Quomodo fiet istud] Vide nostram Euam matrem omnium viuentium per gratiam, omnino aliter esse affectam, quam Euam matrem viuentium per culpam & & miseriam. Illa enim audiens promissionem Diuinitatis & elata, deiecta est in illecebras concupiscentiæ carnis, quasi duobus funibus à beatitudine deiecta *Gen.* 3. Hæc summas promissiones audiens, in humilitate perstitit: & vorum viriliter tenens, omnes abhorruit illecebras & carnalis concupiscentiæ delectationes. Solent homines ad laudes suas in elatione more pauonum efferri: sicut Herodes *Act.* 12. qui sibi in laudibus fecit acclamari voces Dei & non hominum: & consumptus à vermibus expirauit, percussus ab Angelo Domini: experiens in sua putredine quod dicit Antiochus 2. *Mach.* 9. Instum est hominem subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Solent etiam promissionibus exhibitis inaniter hilarescere: sicut Sara risit post ostium *Gen.* 18. Et redarguta est ab Angelo. Nonnulli etiam si contraria promissionibus

nibus diuinis in se viderint, solent promissionibus per infidelitatem diffidere: sicut Zacharias. Hæc autem Virgo beata, nec elata, nec dissoluta, neque incredibilis effecta est, sed rem futuram credens modum quærit, & dicit [Quomodo fiet istud]

Istius autem quæstionis duæ quidem possunt esse causæ ex parte Virginis: & quatuor ex parte promissionis. Ex parte quidem Virginis profundum humilitatis, & votum perpetuæ castitatis. Profundo enim humilitatis nihil tam magnum sibi reputauit idoneum & congruum, dicens in corde suo illud *Ruth* 2. Locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum sicut vna de familiaribus domus tuæ. Et illud 1.*Reg*.25. Ecce ancilla Domini mei, sit in obsequium vt lauet pedes seruorum Domini mei. Paruum enim parua decent. Verus enim humilis, vt dicit *Bern.* vilis vult reputari, & non humilis prædicari. Hoc sanet superbos quod laudes contemnit, & magnalia non de se credere potuit. Votum etiam perpetuæ obstabat castitatis: quod qualiter virgo permanens conciperet & pareret, videre non potuit. Et hoc innuit, cum dicit.

Quoniam virum non cognosco.

Hoc est, me cognituram non propono. *Tob*. 3. Tu scis quod nunquam concupiui virum: & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.

Vna autem causarum ex parte promissionis fuit immutabilis Dei æternitas, quæ eum nouum & nasci non permittit: quia nasci mutari est. Et de hoc dicitur in *Psal*. 101. Tu idem ipse es: & anni tui non deficient. Et 1.*Tim*.6. Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. Super quem locum *Augustinus*. Immortalitas est vera immutabilitas & vera æternitas: quia in his quæ mutantur, ipsa mutatio nonnulla mors est. *Iac*. 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Isa*. 43. 44. & 45. & *Malach*. 3. Ego Dominus non mutor. *Num*. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis vt mutetur. Qualiter igitur de me nascetur? [Quomodo fiet istud?]

Secunda causa, est existentis in tanta perfectione inconsueta secundum naturam natiuitas. Quod enim ille qui est & perfectus est, iterum nascatur, inconsuetum est: vnde & Nicodemus qui fuit Magister in Israel, hoc impossibile reputans: à Christo (cui per omnia credidit) modum istius sermonis inquisiuit *Ioan*. 3. sic dicens: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? Et tamen sicut Christus duas natiuitates habuit: ita oportet quemlibet qui est Christi, habere duas natiuitates.

Tertia causa, est eius quod promittebatur insignis dignitas. Quomodo enim crederetur nun abhorrere fœminæ vterum, qui candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius? *Sapient*.7.*Isa*.40. Ecce omnes gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei. Quam ergo imaginem infantilem in vtero fœminæ acceptam ponemus ei? Et tamen iste tam dignus, Virginis vterum non abhorruit: videns quod tam congrue aliter generi humano succurendum non fuit. Filius enim in æqualitate Patris existens, quodammodo remota occasio fuit casus per fœminam: eo quod ab æterno natus à Patre lusit in orbe terrarum; & deliciæ suæ esse cum filiis hominum *Prou*.8. In ordine igitur sapientiæ diuinæ præordinatum est, quod creatura sessura erat in dextera Patris. Et hoc Lucifer qui mane oriebatur plenus sapientia & decore, in deliciis Paradisi existens, in spiritu vidit & inuidit: & ad illam altitudinem ascendere cogitauit *Isa*. 14. Deiectus autem ad terram, ne homo illuc ascenderet vnde ipse deciderat, quantum valuit impediuit, persecutionibus tentationum insurgens. Videns autem Filius Dei se esse huiusmodi persecutionum occasionem: maiestatis oblitus, dignanter misericordia motus, dolore cordis intrinsecus tactus *Gen*.6. dixit illud *Ionæ* 1. Si propter me est hæc tempestas: mitte me in mare, hoc est, in amaritudinem & miseriam humanæ vitæ. *De primo peccato Angeli accuratè in 2.d.5 a.1.*

Quarta vero causa potest esse, quod præsumptionis esset homini mortali cum immortali Deo vnum & eundem filium communicare. *Isa*. 55. Sicut exaltantur cæli à terra: sic exaltatæ sunt viæ meç à viis vestris; & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. *Iob* 4. Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem: & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? *Et iterum*. Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. Qualiter ergo ego debilis, ero parens Filij parentis Dei? Quomodo igitur fiet istud? *Isa*. 53. Generationem eius quis enarrabit? Altissimum huiusmodi negotium, & longe à Virginis humilis inuestigatione [Quomodo ergo fiet istud?] Ad Patrem enim loquens secum: filium dicit esse principium, in die æternitatis genitum, in splendoribus sanctorum. Qualiter ergo & ego principium principij, per quod & ego & omnia facta sunt? Hæc est etiam causa, quod hæretici Nestoriani, & Eutychiani matrem Christi noluerunt vocari Theotocos, sed Christocos eã vocauerunt: non vidētes qualiter vnius eiusdemq; filij parens esset Virgo & pares æternus Dominus [Quomodo ergo fiet istud?] Et allegat quod maxime in voto habuit, dicens [Quoniam virum non cognosco] Hoc est, non cogniturum propono. Non cognoscens enim virum; tamen proponens experiri quomodo concipere potest & parere. Ecce in veritate Rebecca, quę multum à Deo accepit, seruo summi Patriarchæ se ostendit quod sit virgo pulcherrima & incognita viro *Gen*.24.

Per hoc autem quod est Virgo pulcherrima & incognita viro quinque habet. Est enim illibata, intacta, subtracta, abscondita, & incombusta: illibata lenociniis à proco, intacta ludentium ioco, subtracta vanitatibus fatuarum puellarum choro, abscondita concupiscentium oculo, incombusta libidinis facibus & foco. Procus enim libat, hoc est, tentat virginem: sed hæc illibata, ab alio amatore præuenta est; ne procum possit admittere. *Cant*. 7. Ego dilecto meo: & ad me conuersio eius. Qualiter enim alterius amatoris procum susciperet, quæ sui amatoris iam charitatis lampades ignis atque flammarum in desiderio accensa, æstuans, & anhelans ita inextiguibiliter senserat, quod vulnerata charitate & destituta

ſtituta amoris deſiderio languebat? Quippe fortis eſt vt mors dilectio, quæ nihil in corde eius, niſi dilectum viuere permittebat. Erat dilectus ſuus, ſicut ſignaculum profundatum, ſigillatus in corde: fulta læua, & amplexata dextera ipſius, (inter cuius vbera tanquam faſciculus myrrhæ iugiter commorabatur) iam habens impreſſum oſculum oris ſui in labiis cordis, vt non alium reciperet procum vel amatorem: illibata eſt penitus. Et hoc figurate dictum eſt *Cant.* 7. Iuncturæ feminum tuorum ſicut monilia. Sicut enim dicit *Iſido.* Monile quaſi munile dicitur: eo quod munit ſinum, ne procus inferat manum, & ſcrutetur caſtitatis ſecretum, & violet vel maculet pudoris ſigillum.

Intacta eſt etiam io eis ludentium. Dicit enim *Ariſtot.* quod luſiuus eſt incontinens. Vnde Sara ludos Iſmael laſciuos, quos filium ſuum Iſaac docere tentauit, perſecutionem reputauit, interpellans Patriarcham quod eijceret ancillam cum filio eius *Gen.* 21. Dicit enim *Hieron.* quod riſus & ioci, tactus & ſibili, morituræ virginitatis ſolent eſſe principia. Vnde in figura beatæ Virginis dixit Sara virgo *Tobiæ* 3. Nunquam cum ludentibus me miſcui. Et ſic iterum fuit vito incognita.

Abſcondita fuit à concupiſcentium pellicienteoculo. Vnde *Iſa.* 7. Vbi noſtra habet litera, ecce virgo concipiet: hebræus ſermo habet halma, quod interpretatur abſcondita: quæ tantum meruit recipere ſacramentum. *Eſther* 2. Eſther erat virgo pulcherrima & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur: Eſther autem abſcondita interpretatur. *Pſal.* 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.

Erat autem choris puellarum in vanitate ambulantium ſubtracta, ſicut dicitur *Tob.* 3. Cum his qui in leuitate ambulant, nunquam participem me præbui. *Ruth* 3. Benedicta filia tua Domino, & ptiorem gratiam, propoſitæ ſcilicet caſtitatis, poſteriore ſuperaſti: quia non es ſecuta iuuenes pauperes, ſiue diuites, ſicut vagæ, garrulæ, quietis impatientes, virgines fatuæ.

Eſt etiam incombuſta facibus libidinis. Vnde *Exod.* 3. Vadam, & videbo viſionem hanc magnam: quare rubus ardeat, & non comburatur. Rubum enim quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem ſancta Dei genetria. Iſta eſt in cuius figura dicitur *Gen.* 24. Egrediebatur virgo pulcherrima & incognita viris. Sic igitur virum non cognoſco.

Et reſpondens Angelus.

Nota proceſſum Angeli & Virginis. Primo ingreditur Angelus ſalutans, ſecundo conſolans, tertio annuntians, quarto rei annuntiatæ modum explanans: per ſalutationem ſe oſtendens Angelum pacis, per conſolationem ſpiritum benignitatis, per annuntiationem fidelitatem ſuæ oſtendens legationis, per explanationem modi ſe probans Angelum lucis. Angelus enim pacis probatur fuiſſe per hoc quod poſtea dixit: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ecce columba cum ramo virentis oliuæ reuerſa ad arcam Domini *Gen.* 8. Per conſolationem Virginis ſe probat eſſe nuntium eius, qui dixit: Quomodo ſi cui mater blandiatur: ita ego conſolabor vos *Iſa.* 66. Per legationis fidelitatem oſtendit quomodo verè de ea ſcriptum eſt *Prou.* 13. Legatus fidelis, ſanitas. Per modum explanationis oſtendit ſe eſſe Angelum lucis, ſicut ſcriptum eſt: Subito circumfulſit illos lux de cælo, quæ cum Angelo apparebat.

Sed non eſt prætereundum quod dicitur hic reſpondiſſe Angelus: ante hoc autem propoſuiſſe & dixiſſe commemoratur. Et hoc ideo: quia Virgo ante hoc, nunquam aliquam propoſuit quæſtionem. Non enim eſt reſponſio, niſi ad quæſtionem tacitam vel expreſſam. Omnis enim qui reſpondet, dicit: ſed non omnis qui dicit, reſpondet. Hac igitur de cauſa, quia quæſtioni reſpondet, hic reſpondiſſe perhibetur. Turbationem enim puellarem iam ante ſedauerat: nunc autem etiam adhibet rei quæſitæ plenam explanationem. Virgo autem primum quidem turbata: poſtea de qualitate ſalutationis expedita, & de annuntiatæ rei altitudine & de propoſito ſui voto anxia, reuerenter quæſiuit. Hic autem per reſponſionem Angeli certificata, conſenſum humiliter adhibuit: per turbationem oſtendens virgineum pudorem, per quæſtionem ſuam promens diſcretionem, & per conſenſum plenam probans fidem & humilem obedientiæ deuotionem. Quærens enim oſtendit quod nemo cordi ſuo in talibus confidere debet. *Prou.* 12. Qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit. *Prou.* 28. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt. Hoc igitur ſciens, quod non eſt in hominis poteſtate conſilium Dei *Tobiæ* 3. diſcretè quæſiuit, & votum firmiter tenendum allegauit: oſtendens quod fortitudo & decor indumentum ſunt laudabilis mulieris, fortitudo propoſiti, & decor quæſiti conſilij. *Bern.* Felix propoſitum in quo firmitas conuenit puritati: & fortitudo propoſiti non obſiſtit inquiſitioni conſilij. Nam licet quantumlibet pura fuerit deliberatio: minus habet ſi defuerit puritatis fortitudo, & conſilij firmitas. Vbi non eſt puritas, non virtutis obtinet gratiam, ſed obſtinationis incurrit offenſam. Hæc autem Virgo beata vtrunque habuit, & propoſiti puritatem & firmitatem, & conſilij diſcretionem: & ideo Angeli meretur reſponſionem. Vnde etiam in *Cant.* 7. de ea dicitur: Collum tuum ſicut turris eburnea. Turris enim firmitatem, ebur caſtitatem: collum autem (quod medium eſt capitis & corporis) ſignificat conſilij diſcretionem, caput mentis cum corpore aliarum virium animæ continuans. Hac ergo tam diſcreta quæſtione per modum inquiſitionis conſilij propoſita: Reſpondens Angelus

Dixit.

Nec additur, Dixit illi: quia iam explanationem modi non in eam, ſed in Deum reponit: omnipotentiæ Dei nihil impoſſibile eſſe demonſtrans. Ad auditum ergo Virginis verba protulit: ſed totum modum in omnipotentia Dei demonſtrauit. Dicit autem hic tria. Modum enim tantæ rei per cauſas eiuſdem rei explicat: & ideo ſecundò effectum mirabilem futurum enuntiat: & tertio quod firmus ſit ſermo ipſius & velociùs implendus per ſuaſionem inductam, oſtendit quid miraculi factum ſit in Eliſabeth, Virgini prædicans

prædicans in gaudiorum accumulatione. Vbi autem modum ex parte causæ efficientis inducit, duo dicit. Primo quidem ostendens hoc esse virtutem sancti Spiritus: secundo autem vmbram virtutis Altissimi horum mirabilium efficere complementum. De primo dicit quatuor. Dicit enim primo hoc operari Spiritum: secundo, sanctitatis suæ diceos non deesse effectum: tertio tangit operationis modum, quia superueniendo hoc operatur: quarto dicit tam sublimis operationis locum. Dicit igitur.

Spiritus.

Siue DEVS trinitas intelligatur Spiritus, sicut dicitur *Ioan.*4. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Siue etiam Spiritus intelligatur tertia in trinitate persona: semper proprietates Spiritus in hoc opere manifestantur. Sunt autem duodecim Spiritus proprietates: & vna tertia decima est quam seruat in omnibus aliis; maximè tamen in isto. Prima est, quòd Spiritus omne opus diuinum ornat. Secunda est, quòd omni operi diuino virtutes aduehit & inuehit. Tertia est, quòd omni operi diuino vitam indit. Quarta est, quòd omne opus diuinum innouat & reducit ad nouitatem. Quinta est, quòd omni operi spirituali & diuino dat intellectus illuminationem. Sexta, quòd docet omnes tales ad veritatem. Septima, quòd omnibus talibus filiorum confert adoptationem. Octaua, quòd omnes quos adoptat, agit ad opera. Nona, quòd omnibus eis est magnificus largitor donorum. Decima est, quòd omnes sic muneratos ducit in via. Vndecima, quòd accendit desiderio patriæ. Duodecima autem est, quòd reducit in securitatem patriæ. Miscet autem vnam cum omnibus, quòd occultat in omnibus his à mundanis, modum suæ inspirationis.

Quòd autem ornat omne opus diuinum, patet *Iob* 26. Spiritus Domini ornauit cælos: & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus. *Psal.* 32. Verbo Domini cæli firmati sunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Qualiter igitur qui speciosus est præ filiis hominum, & etiam præ vultibus Angelorum, in quem 1.*Pet.*1. desiderant Angeli prospicere: conciperetur sine ornante eum Spiritu? Quòd idem omni operi Dei virtutem inuehit *Luc.*6. Sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto, & *Act.*1. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus in vos. *Iudi.*6. Spiritus Domini induit Gedeonem, vt in virtute contereret castra Madian. Et eum qui Dei virtus est, & Dei sapientia 1.*Corinth.* 1. quomodo Spiritus Domini in conceptu negligeret, vt omnem suæ possibilitatis non ingereret virtutem? Et ideo dicit in operatione virtutum *Luc.*8. Ego cognoui virtutem de me exisse. Et alibi *Luc.*6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Adhuc hic Spiritus opus Dei viuificat, sicut dicitur *Ioan.* 6. Spiritus est qui viuificat. Et *Ezech.*37. Veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. *Ezech.*1. Spiritus vitæ erat in rotis. Et hic illum in conceptu formauit, qui omnibus vitam indidit & reparauit. *Eccl.*4. Sapientia vitam filiis inspirauit. Sapientia autem est Filius Dei incarnatus. *Ioan.*10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Hic etiam Spiritus omne rectum in opere Dei innouat. *Apocal.* 21. Dixit qui sedebat in throno. *Gloss. interl.* Spiritus sanctus. Ecce noua facio omnia. Hic igitur Spiritus conuenientet affuit, vbi omnibus nouis nouius fuit. *Eccl.* 36. Innoua signa, immuta mirabilia. *Ierem.*31. Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum.

Quòd autem hic spiritus illuminando dat intelligentiam, *Iob* 32. Vt video, spiritus est in hominibus: & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. *Sapient.* 7. Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus. Hic autem Spiritus in conceptione illius fuit, qui lux est vera illuminans omnem hominem. Est etiam hic spiritus omne opus Dei docens ad veritatem. *Ioan.*14. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Et ille spiritus illi deesse non potuit, qui dixit: Ego veritatem dico vobis. De quo dicit *Apostolus* 2.*Corinth.* 1. Dei Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, non fuit in illo, est & non, sed est in illo fuit. *Ioan.*8. Si manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos. Hic etiam spiritus est adoptionis filiorum, sicut dicitur *Rom.* 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. Et qualiter iste spiritus fontem suum in conceptione desereret: cum nullus adoptetur in filium nisi per Filium Dei naturalem? sicut superius expressum est. Quòd autem agat ad operationem, eo quod primus motor est in eis, dicitur *Rom.*8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Et hic iterum spiritus egit in conceptu Filij Dei, de quo dicitur *Isa.*26. Quia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et *Ioan.*15. Sine me nihil potestis facere.

Magnificus etiam largitor munerum, sicut dicitur 1.*Corinth.* 12. Enumeratis multis donis sapientiæ, scientiæ, fidei, operationis virtutum, interpretationis sermonum, subinfert. Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et ideo hic in omnibus diuitiis donorum in eo quieuit, qui ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus *Eph.*4. *Matth.*25. Dedit seruis suis bona sua, vnicuique secundum propriam virtutem. *Esther* 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. Hic est etiam spiritus, qui conducit in via, sicut dicitur *Isa.*63. Spiritus Domini ductor eius fuit. Sic eduxisti populum tuum, vt faceres tibi gloriam. *Psal.* 142. Spiritus tuus bonus, &c. Et hic spiritus incarnationem illius operatus est, qui dux est & via suorum: qui dixit *Ioan.*14. Ego sum via, veritas, & vita: qui dirigit pedes nostros in viam pacis *Luc.*1. Qui dicit *Ioan.*14. Vado parare vobis locum. Hic etiam inflammat desiderio patriæ. *Luc.*24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dum nobis loqueretur in via, &c. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Et hic spiritus illum concipi fecit, qui totus illo igne excoctus dixit: Maiorem charitatem hac dilectione nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Rom.* 5. Commendat Deus suam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici essemus, Deus pro nobis mortuus est. Hic

Hic etiam spiritus est qui reducit ad patriam, vnde Christus mittitur, & vnde venit. *Eccli.* 1. Lustrans vniuersa per circuitum pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur, hoc est, æternitatem Patris & Filij. Et *ibidem*. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluat, hoc est, flumina gratiarum Spiritus sancti. Et hic cum ipso est, qui egreditur à summo cælo, & occurrit vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius *Psal.* 18. quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo *Ioan.* 3.

Sic igitur nulla operationum spiritus destituitur filius: & ideo spiritus fontem illum à quo fluit non deserit: sed in omni diligentia illi corpus in conceptione præparat, à quo ipse habet quod Deus & spiritus sit. Et ideo *ibidē* testatur in eo hunc spiritum esse: ita quod ab ipso fluere demonstretur, & per ipsum omnem spiritum malignum ab obsessis eijcere *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Digitus enim Dei, perspicua vocatur Sancti Spiritus demonstratio: à quo quasi à tertio signo magi defecerunt dicentes *Exod.* 8. Digitus Dei hic est. Adhuc autem, Cum in omni partu humano & naturali nihil operetur distinguendo, formando, figurando: nisi spiritus naturalis: qualiter posset stare, quod in partu diuino non operaretur spiritus diuinus? Hoc igitur dictum sit de spiritu. Sequitur

Sanctus.

Sanctus est in quatuor interpretationibus, quæ omnes competunt Incarnationis sacramento. Sanctum enim idem est quod mundum. Sanctum idem est quod firmum. Sanctum est scientia eorum quæ ad Deum iusta sunt secundum *Arist.* Sanctum sanguine tinctum. De sancto quod est mundum, dicit *Dionysius in lib. de diu. no.* Sanctitas est ab omni inquinamento libera & perfecta munditia. Sanctitas quæ est confirmatio, est de qua dicitur *Eccli.* 24. In plenitudine sanctorum detentio mea, hoc est, in plenitudine firmitatis. Sanctitas quæ est scientia eorum quæ ad Deum iusta sunt est, quam diffinit *Arist. in libello laudabilium bonorum*, dicens: Sanctitas est virtus scire faciens ea quæ ad Deum iusta sunt. Sanctitas autem quæ est sanguinis tinctio vel tactus, est qua dicuntur leges sanctæ, quia sanguine confirmatæ sunt, Romulus enim in sanguine Remi fratris sui leges sanciuit.

De prima harum sanctitatum. 1. *Cor.* 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu, hoc est, munda. Et 1. *Reg.* 16. Sanctificamini & venite mecum vt immolem. De sanctitate secunda dicitur *Luc.* 1. In sanctitate & iustitia coram ipso. *Exod.* 15. Sanctuarium tuum quod firmauerunt manus tuæ, &c. De tertia, sciendum quod scientia duplex est: contemplatiua, & practica: vnde & *Priscianus* dicit, quod verba contemplatiua construuntur cum accusatiuo, vt scio grammaticam, & scio logicam, & scio medicinam. Verba autem prohæretica, hoc est, practica, siue operatiua desiderant infinitiuum: sicut scio vigilare, scio molere. Et talis scientia est, qua sciuntur ad Deum iusta facere, & talis virtus est sanctitas. Sicut sacerdotum est scire quæ pertinent ad templi sanctitatem: & hæc sunt quæ pertinent ad officium sacerdotum & ritum sacrificiorum. Et ad hanc scientiam sanctificantur sacerdotes. *Isa* 61. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini Dei nostri, dicetur vobis, &c. 2. *Machab.* 6. Domine qui habes sanctam scientiam, tu scis, quod cum à morte possem liberari secundū corpus, propter te sustineo labores corporis. *Sapient.* 10. Dedit illi scientiam sanctorum. *Prou.* 30. Non didici sapientiam, & noui sanctorum scientiam, hoc est, scientiam sanctitatis. De quarta autem sanctitate dicitur *Apoc.* 7. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. *Hebr.* 9. Sine sanguinis effusione non fit mundatio. Alia translatio habet: sanctificatio.

Sic igitur Sanctus superueniet: quia sanctitatem omnimode in opere Incarnationis facit. Mundauit enim sanguinem, ad ampliorem munditiam deducendo, sicut dicitur in *Psal.* 50. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Hyssopus enim herba est sanguinem purificans. Confirmauit autem cor, vt crederet: & corpus, vt ista contineret. Vnde cantat *Ecclesia*. Confirmatum est cor Virginis, in quo diuina mysteria Angelo nuntiante concepit. *Psal.* 67. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis à templo sancto tuo, hoc est, Diuinitatis tuæ excelso habitaculo: quia nisi ipse confirmaret, nec vterus Virginis nec mundus sustineret. Similiter autem sanctitatem operatus est in scientia sacramentorum. Qualiter enim virgo simplex congruo ministerio in tanto sacramento ministraret, nisi scientiam sanctitatis haberet. Vnde significata per Beseleel, quem repleuit Deus sapientia *Exod.* 31. Impleui eum spiritu Dei, & sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære, &c. Et sequitur: vt faciant cuncta quæ præcepi tibi. Hoc enim maxime necessarium est in hoc Incarnationis opere, in quo est aurum Deitatis, & argentum eloquij Angelici, & æs resonans in vocibus Prophetarum. Beseleel enim vmbraculum Dei mei interpretatur: & significat virtutem Altissimi obumbrantem beatæ Virgini. Quid vero magis sanguine tinctum vel tactum est quam vterus, qui ipso sanguine tingitur, qui de ea assumitur in Deitatis vnionem? *Exod.* 4. Sponsus sanguinum tu mihi es. Ipse enim sanguine tinxit vterum, & candidauit, quem de ipso vteri sanguine assumpsit. *Leuit.* 4. Omnem reliquum sanguinem fundit in basim altaris holocausti. Reliquus autem sanguis est relictus, quem non assumpsit. Holocaustorum autem altare est corpus Christi, in quo omnia nostra incendimus & immolamus. Basis huius est vterus beatæ Virginis, qui totus est infusus sanguine glorioso & consecrato & sanctificato. Sic igitur omnem modum sanctificationis in Virgine Spiritus est operatus. Optimè ergo dicit, Spiritus sanctus. Sequitur.

Superueniet.

Sicut enim in spiritu totum ponit modum sanctitatis: & per hoc quod dicit, sanctus, totum ponit modum sanctitatis in opere: ita in superaduentu

aduentu totum notat modum operis. Non enim modo de subter venit, vel de iuxta; sed de superius, sumens de potioribus suis vnde operetur. Sumit enim de Patre & Filio, à quibus ipse procedit: & totum quod sumit in hoc expendit opere. Iste est enim Spiritus qui procedit de throno majestatis, Filio Dei corpus adaprans. *Ad Heb.* 10. Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Et *Psal.* 39. Sacrificium & oblationem, legalia supple, noluisti: antes autem perfecisti mihi. Propter hoc *Ioan.* 8. Vos de deorsum estis: Ego autem de superius sum *Ioan.* 3. Qui desursum venit super omnes est. Ita quod nihil habet nisi de sublimissimis gratiis Spiritus aptatum. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me Dominus: vnctione pro certo Spiritus, præ omnibus participibus suis. Sicut dicitur in *Psal.* 44. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, &c. Et ideo etiam dicit [superueniet] quia de sublimissimis Dei vnctionibus venict, & priori vnctione superueniet; quia in mente gratia plena prædita est, aliorumque sanctorum omnium vnctionibus eminebat: hoc enim decebat vt qui aliis vnctionem profluere debuit, præ cæteris omnibus abundaret in vnctione. *Psal.* 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in oram vestimenti eius. Caput enim Ecclesiæ Christus est: barba adhærens ori, Apostoli: vestimentum, Ecclesia: Fimbria siue ora vestimenti, quilibet simplex de Ecclesia. Sic igitur superueniet Spiritus: prius quidem in mentem, nunc autem propter sacramenti perfectionem etiam in ventrem, implens eum omni pinguedine gratiæ, & deuotionis: & ideo dicitur *Cant.* 7. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Tornatilis enim est volubilis, significans Spiritus operationem: infusus pinguedine gratiæ, vt nullis indigeat de cætero poculis, tanquam arefactus spiritus vnctione. Sequitur

In te.

In quo modo loquendi tangitur locus istius tam mirabilis operationis. In aliis enim mulieribus, licet in ipsis factus sit conceptus: tamen non ab intrinseco sibi concipiunt, sed ab extrinseco semen recipientes, intus claudunt. Sicut dicitur in lege *Leuit.* 12. Mulier quæ suscepto semine peperit masculum, &c. Beata autem Virgo non nisi in ipsa concepit, quæ semen ab extrinseco non suscepit. Et hoc est, quod dicit [In te] Hoc enim mirum est & admirabile sacramentum: quod illius Spiritus (qui vbique est & nusquam deest) operatio in ipsa definitur: & sic operatur quod ad ipsam nihil ab extra recipitur; quia totum quod extra est, peccato est inquinatum. *Gen.* 14. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abraham. Ecce verbum summi Patriarchæ, diuitis & sufficientis sibi, ex his quæ habet in domo sua ad omne opus suum. Domus enim Dei Patris, vterus est Virginis. Quæ extra sunt: in aliquo possidet rex Sodomorum, concupiscentiæ fomes, & castitatis & munditiæ inimicus. Nihil horum quæ sua sunt assumit in opus Spiritus Patris à filo subtegminis, quod est minimus motus concupiscentiæ, vsque ad corrigiam qua calceatur in venereis & peccatis. Apud enim *Homerum*: corrigia Veneris, delectatio vocatur: quæ aliquando trahit & ligat etiam sapientes in apostasiam: Vnde *Aristoteles* dicit Homerum dicere, quod corrigia Veneris furatur aliquando, & ligat mentem valde sapientum. Nihil enim inquinatum occurrit in illam *Sapient.* 7. Hoc igitur est quod dicit [Spiritus sanctus superueniet in te] Sequitur

Et virtus.

Postquam autem tetigit id quod operatus est ibi Spiritus: tangit id quod operata est ibi virtus Altissimi, quæ siue sit Deus trinitas, siue Deus (vt dicit *Cassianus*) ferè redit in idem quoad expositionem. Sunt autem tria hic notanda. Virtus scilicet, quæ est actiua potentia tendens in hoc, vltra quod non potetit. Et quod dicit, Altissimi, quæ de altissimis Dei operationem sumit. Et in quid ipsam deducit operationem: quoniam in vmbram quandam diuinæ majestatis.

De primo horum in præcedentibus nos dixisse meminimus: quia virtus est vltimum illud in quo stat potentia, non valens in amplius aliquid. Et sic virtus est potentia, vel potestas vltimata. Dei autem potentia vltimata infinita est & omnipotens, & plusquam omnipotens. Vt enim ita dicam, Deus plusquam omnia potest. Potest enim multa quæ nunquam fuerunt: & tamen esse poterant secundum Dei potentiam infinitam. Et hoc ostendit in Filio: quia nihil maius facere poterat, quam hominem talem & tantum quantus est ipse. Vnde loquens ad Moysen de mysterio incarnationis dicit: Ego apparui Abrahæ in Deo omnipotente, & nomen meum magnum Adonai non indicaui ei *Exod.* 6. Figurâ enim corporis virtutis eius indicauit ei, & non effectum. Sed filius dicit ad Patrem de effectu totius virtutis Patris in *Psal.* 109. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, &c. Virtutem enim suam totam ostendit Deus in die qua Filium in carne in vtero Virginis concipi fecit: & intra carnem omnes Sanctorum splendores continere. Hic enim fuit infinitæ virtutis effectus: factura enim mundi respectu huius nihil fuit: sed illud fuit infinitæ vltimatæ virtutis eius demonstratio. *Eccli.* 36. Glorifica manum, & brachium dexterum. Manus enim & brachium, virtutem & virtutis opus significant. Glorificatio enim vtriusque significat eiusdem generis vltimationem. *Psal.* 144. Et virtutem terribilium tuorum dicent, &c. Terribilia enim sunt ista propter suæ infinitatis admirationem. Superualuit enim omnibus operibus suis hæc virtus in opere Incarnationis. *Eccl.* 43. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. Hæc igitur virtus incomprehensibilis est, & infinita. Modum autem operis sumit de altissimis. Et boc est quod dicit

Altissimi.

Quæ enim altiora esse possunt his, quæ hic conue

conueniunt? Mater & Virgo illibata vniuntur sibi inuicem, ima & summa, vltima & prima: & quod omnibus altius est, cum corde humano ista mirabilia. Mater & Virgo per incompossibilitatem distabant hactenus, ima & summa per infinitatem à se inuicem discedebant, cor humanum ab his per irrationabilitatem. De duobus dicit quidam:

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

De coniunctione secundorum *Apocal.* 1. Ego sum Alpha & O, primus & nouissimus. *Isa.* 43. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ante me quidem non est; quia ego sum principium. Post me non erit; quia ego sum finis. De tertiis autem duobus dicitur *Deut.* 30. & *Rom.* 10. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Et addit *Apostolus*: Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quod enim irrationabile videbatur esse per rationem, fide factum est prope, in corde ipso conceptum. Ecce Altissimi modus operationis. Neque vnquam ista perficeret, nisi Altissimus. Gloria ergo in altissimis Deo. *Gen.* 14. Benedictus Abraham Deo excelso, qui in apprehendendo semen Abrahæ, ram excelsa operatus est. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente nos, sic hostes sunt in manibus Abrahæ. *Psal.* 96. Tu Dominus altissimus super omnem terram. Hic enim ista faciens, in altissimis habitat: & thronus suus in columna nubis, quæ carnem significat conceptam Saluatoris *Eccl.* 24. Sic ergo omnes redempti benedicant nomini tuo excelso in omni benedictione & laude 2. *Esdræ* 9. Hæc igitur virtus Altissimi.

Obumbrabit tibi.

Vmbra in se habet quinque: refrigerium, visus temperamentum, lucis immissæ quandam sibi temperationem, opacitatem, & eius cuius est vmbra habet imaginem & simulachrum. Et quantum ad hæc quinque reducuntur expositiones Patrum, qui ante nos exposuerunt locum istum. Quoad hoc enim, quod vmbra quoddam ponit refrigerium, sunt duæ *Glossæ*. Vna quæ dicit, quod vmbrare est ab incentiuo vitiorum refrigerare: incentiuum autem vitiorum est fomes: & sic virtute Altissimi Beata Virgo fuit à fomite purgata.

Sed dices. Hoc falsum videtur; quia ipsa fuit sanctificata in vtero ab originali peccato. Ad quod dicendum, quod in vtero fuit sanctificata à peccato, & ab omni sorde vitij originalis: sed ipse fomes non fuit in ea extinctus, sed ligatus: vt nec in actum venialis, neque mortalis posset moueri: & postea per exercitium bonorum operum fuit cum ligatione debilitatus, ita quod non sentiebatur: in ipsa autem conceptione Verbi fuit penitus extinctus, vt nullus esset omnino. Et hoc est quod dicit *Glossa*.

Secunda *Glossa* penes idem sumpta dicit, quòd vmbra dicit & refrigerium protectionis contra tempestatum (quæ sunt persecutionum) incursum. Quasi dicat. Ne tanto thesauro à te concepto, & ex te nato: vel ab Herode, vel à quouis alio priueris: erit tibi virtus Altissimi vmbra protectionis, siue in Ægyptum fugienti, siue denuo inde huc reuerenti.

Nos addimus ad has duas expositiones tertiam penes refrigerium vmbræ sumptam, quæ est Chrisostomi, quòd videlicet refrigerium vmbræ in conceptu virginali commemoratur: ne aliquid de incendio, vel ardore libidinis ibi esse cogitetur. Ideo enim & Verbum esse & Filius ille qui concipitur, dicitur: vt dum Verbum (quod non nisi spiritu concipitur) annuntiatur: per spiritum, sine libidine facta esse conceptio intelligatur. Dum autem Filius nominatur: expressa & indistans & essentialis Patri similitudo, & æqualitas concepta esse, fide certa credatur.

Prima harum expositionum confirmatur per illud *Isaiæ* 51. In vmbra manus meæ protexi te. Secunda *Isa.* 4. Erit Dominus in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & in absconsionem à turbine & à pluuia. Æstas enim significat seuidam principum contra matrem & puerum iram: turbo autem, persecutionis & inuolutionis astutiam: pluuia autem tempestuosa, impetuosum tortorum incursum. Tertia probatur *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem desiderabam, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Vnde etiam *Cant.* 6. Conceptus paruulus hinnulo ceruorum comparatur. Quod exponens *Greg.* dicit, quod hinnulus in meridie vmbram quærit; quia supercælestis ille sanctorum verus ceruorum (hoc est patriarcharum) hinnulus, in vtero ab æstu cócupiscentiæ refrigerato, delectabiliter quieuit.

Habet etiam vmbra visus temperamentum. In hoc enim quod lucem temperat, lucem visiuam adunat, & adunando confortat. Propterea etiam (vt dicit *Basilius*) natura oculum sub profundo ciliorum locat, & supercilia nigra desuper ordinat & disponit, vt vmbra ex hoc resultans, visum in se adunet, & sic virtutem visiuam colligendo fortiorem reddat. Hinc est etiam quod & nos, quando diligenter & longe videre nitimur, manum latam super cilia ponimus: vt ex obiectu manus, sparsus visiuus colligatur radius, & in seipsum collectus fortior fit, & visum acuat ad diligentius & fortius discernendum quod videre desideramus.

Secundum autem proprietatem vnam accipitur cuiusdam *Glossæ* expositio. Quòd enim hoc sacramentum in Virgine fieret, & Virgine m lateret mysterium: esset non satis congruum honori Virginis matris, & nobis esset periculum. Non enim ab Euangelista scriberetur, nec ab Ecclesia prædicaretur, nisi à Virgine doceretur. Nec à Virgine posset manifestari, quod à Virgine non posset cognosci. Sic igitur ô Beata obumbrauit tibi virtus Altissimi: vt visu mentis tuæ adunato, mysterium posset à te cognosci. Et hæc expositio est *Beati Bernardi*. Confirmatur autem per hoc quod dicitur *Zach.* 1. Ecce vir stabat inter myrteta quæ erant in profundo. Ibi enim habet alia translatio: In medio myrteti vmbrosi. Myrtus enim temperantia est perpetuæ castitatis: vir autem, ingressus ad eam Angelus: vmbrositas vero virtutis Altissimi, coadunatio visus intellectualis: vt tot & tantos mysteriorum absconditorum posset comprehendere globos lucis, & nobis salubriter reuelare.

Vmbra etiã dicit circũfusæ lucis tẽperamentum aliqualiter

mentum aliqualiter sibi per reflexionem immissum. Et secundum hoc vna accipitur *Ambrosij* expositio, quòd vmbra videlicet dicat nubem carnis contemperantem virginitatem: Diuinitatem vt sustinere possit,quam aliter nulla posset sustinere creatura. *Isa.*33. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Deut.*4. Et ad *Heb.*12.Deus noster ignis consumens est. Sic igitur vmbram per modum nubis opponit: vt flamma Deitatis portabilis efficiatur. *Isa.* 19. Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, hoc est,mundum. Et dicitur nubes leuis,quia pondere peccati non est aggrauata.

Vmbra item dicit quandam opacitatem, quæ est absconsiua eorum quæ in vmbra latent.Et sic adhuc Dei Filij carnis pœnalitas & mortalitas vocatur nubes, siue vmbra. Hæc enim opacitas fecit latere majestatis suæ perpetuam lucem, & quodammodo obumbrari.*Ezech.*32. Solem nube tegam.Et *Isa.*50.Induam cælos tenebris. Hoc est vmbraculum culminis Lot, in quod ad hospitandum ingressi sunt Angeli: & cuius ostium nullus vnquam reperit malignorum, concupiscentiæ carnali subiacentium *Gen.*19.

Vmbra habet etiam eius, cuius est vmbra, figuram & simulachrum. Et secundum hoc, imago quæ resultat in speculo dicitur vmbra. Sicut etiam sumitur vmbra *Heb.* 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum: non ipsam imaginem rerum. Vmbram enim vocat configuratam similitudinem. Et quantum ad hanc vmbræ proprietatem dicit *Origenes*,quod infiniti pelagi diuinæ majestatis vmbræ, perfectè assimilatum est verbum abbreuiatum incarnatum. Sicut si infinitæ quantitatis gigantem (qui longitudine pedum excederet abyssum, & altitudine capitis excederet polum, & extensione brachiorum in infinitum extenderetur per ortum & occasum) imaginari velimus: opponamus ei speculum paruum, in quo quicquid ipse est,resultat totum.Vel dicamus eum generare paruissimũ filium,qui ad similitudinem eius totam configuraretur: in vmbra enim illa exigua,cognosceremus quicquid in gigante totum.

Et sic majestas Dei infinita, in puritate Virginis tanquam in speculo sibi obiecto refulsit, & vmbram in ea suæ similitudinis reliquit, quæ conceptum diuinum perfecit: quod nulla vmbra alterius facere potuit. Sic ergo vmbra similis virtute Altissimi in vterum Virginis immissa, vocatur vmbra. Sicut enim natura hominis generantis vmbram sibi similem relinquit in semine, quæ partum & conceptum format humanum: sic supermundana & diuina illa Patris virtus, vmbram suam produxit in Virginem, quæ conceptum & partum formaret diuinum. Et hæc est omnibus aliis melior expositio ab *Origene* accepta. Magni enim quantumuis montis vmbra in speculo paruo resultat: maximè si speculum animatum sit: vnde tota vmbra montis resultat in oculo muris. Et huius causam dicunt *Geometræ*, quod forma visibilis in puncto anguli tota recipitur, sed in quantitate anguli videtur.Sed vtrum hoc ideo sit,vel non: non est præsentis speculationis.

Sed hoc tenendum, quod vmbra est simulachrum eius cuius est vmbra: & quantumcunque sit quod vmbram facit: forma tota illius per vmbram in speculo cognoscitur paruissimo, si animatum fit. Sic igitur virtus Altissimi infinita in purissimo speculo virginalis claritatis effigiata refulsit,quæ diuinum in ea conceptum formauit. *Sapient.* 7. Est enim hoc speculum sine macula Dei majestatis,& imago bonitatis illius: in qua effulsit in imagine parua, ille qui est figura substantiæ Dei Patris, & splendor gloriæ *Heb.*1. Et huius causa est quam dicit *Isa.*10. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam,quia verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram. Ista est vmbra de qua dicit *Psal.*16. Sub vmbra alarum tuarum protege me. Alis enim his (quæ sunt spiritus & virtus Altissimi) nobis aduolans Dominus majestatis,in tali vmbra & imagine nobis se configurauit: tantus existens quantus in speculo oculi nostri figurari posset: vt dum sic visibiliter Deum paruum cognoscimus, per hunc in inuisibilium & infinitorum amorem rapiamur. Sic igitur ô Virgo beata virtus Altissimi obumbrabit tibi. Sequitur

Ideoque & quod nascetur ex te.

Infert ex præhabitis duo, interponens notam causalitatis. Quod enim nascetur erit sanctum, & vocabitur Filius Dei. Quid,vbi omni spiratione spirat Spiritus, & vbi omnem modum suæ perficit sanctitatis, nasci potest nisi secundum? [ideo] igitur, quia Spiritus sanctus superueniet in te, quod nascetur ex te erit sanctum. Quid item,vbi totam in vmbra se virtus Altissimi effigiat, natum vocari poterit nisi Filius Dei? Hac igitur de causa de prædictis duobus, duo causata eliciens, dicit: Et quod nascetur esse sanctum, & vocandum Filius Dei. Vides (vt dicit Beda) qualiter vndique obstruit rimas peccati: & sicut cataractas quasdam cæli, vias aperit gratiarum. Quid enim ex parte eius, quæ gratia est plena, quæ pro omnibus nobis gratiam apud Deum inuenit, in qua plenitudo Deitatis habitauit, quæ fuit Spiritus sancti, virtutis Altissimi speculum purissimum, peccato daret ingressum? *Cant.*7. Venter,tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis. Tritici enim nostri corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi collecta in hoc ventre sunt grana, de purissimis guttis sanguinis eius tanquam ex granis: & ideo vallatus vndique sanctitatis est liliis (quibus diximus) tanquam custodibus perpetuæ castitatis. Per talia enim lilia non peccati aditus datur, sed occluditur, & virginitas consecratur. Ideoq; [Quod nascetur ex ea sanctum] Item, considera causas operantes in partu,Spiritum sanctum in superaduentu,Filium in carnis assumptæ opere, Patrem in vmbra virtutis Altissimi. Et videbis nullas rimas peccati, sed potius omnis gratiæ fontes vberrime manantes: Iustis quidem gratiam, & veniam pœnitentibus[Ideoq; quod nascetur ex te sanctũ]est.

Adhuc,Nihil in concepto est, nisi vel Spiritu sanctificatum, antequam sit ad opus assumptum: aut à Deo creatum, & creando in vas mundum infusum: vel æternum, in quod nihil potest intrare immundum propter suam munditiam. Ibi ergo quidem peccatum omnino exclusum est. *Sapient.*7. Sum quidem & ego mortalis homo similis

similis hominibus: & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. Et *infra Sapient.* 8. Sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum [Ideoque quod nascetur ex te] vocabitur, & erit sanctum.

Dicit autem quod nascetur [ex te] Non enim dicit, à te, quia tota causa efficiens Spiritui sancto, & virtuti Altissimi debetur. Sed suprà dicens, in te, & notans locum conceptionis, hic dicit ex te, notans concepti materiam. Causa enim efficiens datur Spiritui sancto, & virtuti Altissimi, sicut iam dictum est. Formans autem causa, est sapientia diuina: dulcorans autem effectiua, est dulcedo diuinæ bonitatis. Et materiam, & locum administrat Beata Virgo Maria. Hoc autem satis apertè significatur *Gen.* 18. vbi magnus Patriarcha dicit vxori suæ Sarai. Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes. Sata enim interpretatur princeps, & significat sapientiam diuinam. Patriarcha autem summus pater multarum gentium Abraham, est Pater cælestis. Hic ergo dicit vxori suæ: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes azymos. Sata enim similæ sunt purissimi sanguines gloriosæ Virginis Mariæ. Tria sata tres mensuræ corporis, & animæ, & deitatis: corporis innouati de antiqua vetustate, animæ de nouo creatæ, & deitatis æternæ. Commixtio autem horum, vnio est. Quia hoc modo quo in naturis sumitur mistio, nullam mixtionem passæ sunt tres naturæ corporis, & animæ, & deitatis. Ea enim quæ in natura miscentur, sic miscentur quod vtrunque transit & cum altero confunditur: & tertium quoddam quod neutrum istorum est ex vtrisque confingit: sicut aqua cum vino ad æqualitatem mixta neutrum est, & argentum cum auro quoddam electrum nominatur. Sic non est commixtionem passus Dei Filius: sed Deitate manente, virtus aliorum manifestabatur: sicut dicitur *Matth.* 8. Tetigit leprosum & sanauit. Vbi tactus, in eo quod extrema fuerunt simul, fuit corporis: in eo autem quod fuit sensus obuiantis fuit animæ: sed Deitatis erat quod leprosus sanabatur.

Sic ista tria sata similæ commixta, hoc est, vnita sunt, & à diuinitate assumpta. *Matth.* 13. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit sub farinæ satis tribus: donec fermentetur totum. Fermentum autem non significat hic corruptionem, sed virtutem Altissimi diuinam, quæ attrahit ad se totum residuum: quia deitatem habet cuius ipsa est virtus: carnem penetrat, vt tactu carnis opus manifestetur Deitatis: animam penetrat, vt claritas Deitatis claritas fit animæ: Deitatis quidem, vt causæ efficientis: animæ autem vt claritatis formam in profundum sui per totum recipientis. In omnibus autem his Virgo materiam ministrat, & virtus diuina operatur.

Hæc est igitur causa quod non dicit à te, sed ex te nascetur. Nascetur autem, quod tamen iam in ea natum est. *Matth.* 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quia duas natiuitates singulares habuit Christus: primam in vtero in qua conceptus est in virum perfectum secundum corporeorum lineamentorum figuram & numerum & animationem, & ad Deitatem vnionem: sicut superius docuimus. Et ideo ista natiuitas est singularis. Aliam autem ex vtero, vbi egreditur non dissoluto, neque confracto, neque remoto repagulo pudoris: sicut radius de stella. *Psal.* 18. In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Tabernaculum enim sui corporis in sole posuit: quando in vtero Virginis, quæ sole amicta est, clausus fuit. De thalamo autem vteri tanquam sponsus progressus est: quando ex ea genitus non vt matrem violauit, sed tanquam sponsam non habentem maculam neque rugam consecrans, dilexit. Hoc igitur est quod dicit [Quod nascetur ex te] Sequitur,

Sanctum.

Non addit quid sanctum; quia quicquid adderetur, minus esset dictum, quam in sancto intelligatur. Neutri enim generis est hic sanctum. Neutrum enim genus informem dicit essentiam, & omni forma formabilem. Est autem sanctitatis forma dupliciter informans. Est enim sanctum, quod per essentiam sanctitatis sanctum dicitur, sicut Deus, qui omnibus sanctis causa est sanctitatis. Apud enim Philosophuos principium est & regula, quod quicquid est in pluribus per vnam rationem, primò & principaliter est in vno, quod omnium aliorum est causa. Et sic sanctitas per essentiam dicta in Deo existens, causa est omnium eorum quæ sunt facta sancta. Est etiam sanctum, quod dictum est sanctum, per sanctitatis informationem. Et hoc dupliciter habet enim aliquid ad sanctitatem profectionem, ita quod de non sancto fit sanctum: & aliquid habet eam, non per motum, sed per donationem sanctitatis eius, quod essentialiter sanctum est. Nos enim non sumus sancti, nisi de non sanctis sancti efficiamur, operatione Dei: propter quod dicitur de nobis *Eph.* 2. quod omnes nascimur filij iræ. Et ideo oportet quod per sacramenta & gratiam Dei, de non sanctis sancti efficiamur. Aliquid autem participat sanctitatem, quod nunquam de non sancto fit, sed confertur ei cum esse sanctitas à sancto Deo: sicut sola caro Christi & anima, quæ nunquam non sancta fuerunt. Et hoc est quod habet essentiam puram sanctitatis sine omni admixtione contrarij. Et hoc est sanctum sanctorum, quasi in demonstratione essentiæ sanctitatis habens sanctitatem: ita quod aliorum quodlibet tantum habet sanctitatis, quantum accedit ad demonstrationem essentiæ sanctitatis illius.

In his autem quæ fiunt sancta, adhuc duo sunt modi. Quædam enim fiunt sancta ad puritatem perfectam sanctitatis sine admixtione contrarij. Quædam vero non puram recipiunt sanctitatem, sed aliquid habent de contrario admixtum: sicut etiam fit in his, quæ de nigro fiunt alba. Et quæ quidem ad purum fiunt sancta, sunt sanctissima, ad purā accedentia & primā nominis impositionem: sicut dicitur in sex principiis. Alia autem non accedunt ad nomen purum, sed aliquid internitescent contrarium: sicut dicitur *Isa.* 64. Sicut pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ. Sanctissima igitur est caro Beatæ Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium.

Omnes

Omnes autem sancti contrarium aliquid admiserunt.

Sic igitur, istud quod nascetur, multas & differentes habet rationes sanctitatis. Est enim vt Deus, sanctum essentialiter: vt homo autem, sanctum sanctorum: & vt sumptum de Virgine, sanctissimum. Et forte ideo est, quod non est determinatum, quid sit illud quod nascetur sanctum: quia vna determinatione non poterat determinari. Si enim dixisset sanctum quod est Deus, non satis esset. Et iterum si dixisset, sanctus homo, minus satis esset. Et quicquid aliud dixisset, minus sibi dixisse videretur. Sed dicit indefinitè [sanctum] vt multis modis sanctitatis determinetur. De sancto autem quod per essentiam est sanctum dicitur *Leuit.* 20. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. De eo quod in demonstratione essentiæ sanctum est *Dan.* 9. Et adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum. *Iterum* 12. Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit vnctio vestra. De sanctissimo, quod ad veram & ad putam accedit nominis sanctitatis impositionem, dicitur 1. *Machab.* 14. Sanctissimum Dei templum, in quo habitauit diuinitaris plenitudo corporaliter. Et propter istas tres sanctitates in Christo quiescentes, dicitur ter Sanctus *Isa.* 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.

Hoc autem sanctum est causa omnis sanctitatis: vt efficiens causa, vt formalis, & exemplaris, vt vas non materia, & vt finalis. Facit enim sanctitatem Christus: sicut dicitur *Ioan.* 17. Ego pro eis sanctifico meipsum: sibi attribuens quod in membris perficit. Formam autem sanctitatis vt exemplar ostendit, quando *ibidem* dicit ad Patrem: Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Quasi diceret. Formam sanctitatis eis tribue, quam verbis ostendi, & operibus comprobaui. Vas autem omnis sanctitatis est Christus, quod significatur in pyxide, cuius odor vnguenti totam domum repleuit *Ioan.* 12. Et hanc sanctitatem sacramentis infudit, vt in illis inueniatur & quæratur. Finalis etiam causa est, quia ad ipsum omnis sanctitas ordinatur & consummatur. *Eccl.* 46. Viderunt omnes filij Israel, quia bonum est obsequi sancto Dei, hoc est, Deo sanctos consummari. De isto sancto dicitur *Dan.* 4. Vigil & sanctus descendit de cælo. Omnibus ergo his modis erit quod ex te nascetur, sanctum. Sequitur

Vocabitur Filius Dei.

Ideo enim quod potentia Dei se in tè vltimat, & ad virtutes se contrahit, summam & de altissimis Dei sumit operationem, & ad similitudinem Dei operationis educit effectum sola carne obumbratam. Ideo (inquam) quod nascetur [vocabitur] & erit [Filius Dei] Vide nomen quod est super omne nomen. Filius enim Dei Deus est, & perfectus Deus est; quia Deus nihil generat imperfectum, Filius Dei perfectus Deus est: & quia perfectum in omni natura; tale alterum est, qualis est ipse qui genuit: ideo Filius Dei Deus est, & perfectus Deus est; & per omnia æqualis ei qui genuit: & ideo gignendo, dedit ei nomen quod est super omne nomen. In hoc enim nomine, omne nomen prophetiæ ad effectum suæ significationis deducitur: & quicquid in ipso speramus adimpletur.

Isaiæ 9. Octo nomina signantur, quæ omnia in isto nomine suæ significationis sortiuntur effectum. Vocabitur enim Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Et ante hoc, 8. scilicet, vocatus est Puer, Velociter spolia detrahe. Et parum ante hoc, scilicet 8. Emanuel est vocatus. Hæc autem omnia nomina in hoc implentur nomine. Quia in modo Incarnationis vocatur Admirabilis, in quo tā ex parte suiquā ex parte matris omnia mirabilia côiunxit. *Gen.* 32. *Iosue* 5 *Iudic.* 13. Cur quæris nomen meū quod est mirabile? *Esther* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum. In modo vero Redemptionis est Consiliarius: quia hoc cōsilium æternum fuit, vt hominem non per potentiam, sed conuenientissimo modo liberaret Dei Filius. *Isa.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet Dicitur etiam Consiliarius à dante consilium, & non à consilium quærente. Est autem hoc consilium, immobilis definitio Dei de faciendis: vt dicit *Greg.* Sic etiam dicitur Deus: sicut enim Dei Filius, Deus est: sic & hominis filius, homo est, idem ipse Deus Christus. Fortis autem est in prostratione hostis. *Luc.* 11. & *Matth.* 12. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit illum: intrabit domum fortis, & alligabit eum; & omnia vasa eius distribuet in quibus confidebat. Pater autem futuri seculi dicitur ab effectu prudentissimæ & benignissimæ gubernationis. *Isa.* 22. Erit quasi pater habitantibus Ierusalem. Princeps autem pacis dicitur ab ea quam suis confert tranquillitatem mentis. *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Dicitur autem, Spolia detrahe: quia virtute Deitatis suæ detraxit spolia, quæ hostis antiquus abstulerat. *Ephes.* 4. Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, hoc est, quos diabolus captiuauerat, ipse reduxit: & spolia gratiarum quæ abstulerat, reddidit. Emanuel autem dicitur, in quantum est hominis & Dei Filius: nobiscum habens, quod homo est: & cum Deo, quod Deus est.

In hoc etiam nomine, omne habemus quod speramus. Voluimus enim habere Mediatorem, Redemptorem, Reconciliatorem, Pretium, & Sacrificiū. Mediatorem, qui susceptione medius esset: Redemptorem, qui reducere deberet & posset: Reconciliatorem, qui audacter nos ad Deum introduceret: Pretium, quod damnum Deo illatum rependeret, & Sacrificium siue Hostiam, quæ reprobari non possit. Quod Mediatorem non habuimus, *Iob* 9. conquerebatur cum dixit: Non est qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Nunc autem, hoc est, Sanctum ex Beata Virgine datum, Filius hominis, & ex Deo natus Filius Dei; ponit manum Deitatis in Patre, & manum humanitatis in nobis. Et ideo dicit *Apostolus* 1. *Timoth.* 2. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. *Gal.* 3. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est. *Heb.* 8. Melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Medias enim inter nos & Deum, sicu

sicut bonus pontifex futurorum bonorum *Heb.9.*

Redemptor etiam est: quia Deus per iustitiam suam ab eo qui peccauit satisfactionem exegit: & quoniam vnde satisfacerer non habuit, mortem interminauit. Angelus autem pro nobis satisfacere nec debuit; quia non peccauit: nec potuit; quia totum quod erat & potuit, sicut & omnis alia creatura, pro seipso debuit: & quod pro nobis de suo daret, nihil penitus habuit: & ideo non debuit, & non potuit, nisi qui Deus & homo fuit. Debuit enim, vt homo ex charitate superna pro nobis satisfacere: & potuit, vt Dei Filius. Hic enim de suo pro nobis dare potuit, qui nulli quicquam debuit. Vnde *Psal.* 71. Ab vsuris & inquitate redemit animas eorum. Iniquitas enim fuit omnius deceptionis & promissionis, quem serpens obtulit & in peccatum detrusit. Vsura autem mortis debitum, quod quotidie accrescit.

Reconciliator etiam fuit per gratiam quam obtulit. *Ioan.*1. Gratia & veritas per Iesum facta est. Pretium etiam nostrum, damnum omne superabundanter restituens. Quod enim Deus in Adam perdidit, originalis iustitia fuit, quam in omnes Adam (si stetisset) posteros transmisisset. Quæ quidem potentia & virtute fuit infinita; quia si mundus in infinitum stetisset, semper in omnes talem propagasset iustitiam. Sed quod Filius Dei reddidit iustitiam, est pretium vniuersorum. Et si in infinitum staret mundus, omnes essent redempti; quia ipse pretium est omnium. *Gen.* 31. Ego damnum omne reddebam: quicquid furto perierat à me exigebas.

Est autem & irreprobabile sacrificium. Et hoc probat *Augustinus in 4. de Trinit. Dei*, per quatuor, quæ sunt in isto sancto, quod vocatur Filius Dei. Est enim vnum cum eo cui offertur, & est vnum cum eo quod offertur, & est vnum cum offerente, & est vnum cum eo pro quo offertur. Si ergo Pater non reprobat seipsum, non reprobat oblatum; quia hoc est cum ipso sanctum. Et non reprobat offerentem: quia hoc est vnum cum ipso sanctum. Et non reprobat eum pro quo offertur; quia oblatum est vnum cum eo pro quo offertur sanctum. *Iob vlt.* Iob seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non imputetur vobis stultitia. Sic ergo quod nascetur ò Virgo sanctum ex te, vocabitur Filius Dei: implens omne nomen prophetatum, & omnem gratiam conferens nostræ redemptionis.

Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.

Miræ diligentiæ est etiam iste Angelus in peragenda legatione nostræ salutis. Ecce enim quòd pacificus fuit suus ingressus, ostendit in salutatione. Quòd mirabilium sacrorum fuit nuntius, manifestauit in legationis suæ apertione. Quòd secretorum Dei conscius, declarauit in hoc, quod tantimysterij modum reserauit. Nunc autem etiam addit de Elisabeth conceptione, quod sciuit eo maiore desiderio audite Virginem: quo etiam audito, non sustinuit diutius quin iret ad salutandum noui præconis matrem. Probat se esse Legatum fidelem, qui sic vndique sanæ eius ad quam missus est mentem. Videtur autem quod ista interpositione, vellet astruere nihil eorum esse Deo difficile, quæ naturæ & humanæ rationi videntur obuiare. Vnde de Elisabeth tria proponit: quòd videlicet cognata, & ideo Virginem debere ex affectu eius bonis congratulari de conceptu præter vim ætatis: & inde debere Virginem admirari. Deinde quòd conceptum iam vsque ad confortationem in vtero tenuerit: & inde debere Virginem de aborsu cognatæ minimè timere: quæ omni raro concepitui earum, quæ præter legitimam ætatem concipiunt, frequentius solent euenire. Innuit autem totum hoc virtuti diuinæ esse attribuendum, per hoc quod subiungit, nihil esse Deo impossibile. Hæc autem omnia sequens declaratio manifestabit.

Dicit igitur primò tria. Primò quidem in euidenti ponens miraculum dicens [Ecce] Quasi in euidenti est. Conceptus enim sex mensium occultari non potest. *Isa.*43. Ecce ego facio noua: & nunc orientur. Si forte quæritur, Quare de conceptu Elisabeth sermonem adducit in medium? Non enim fas est credere virginem per hoc velle ad fidem inducere, quæ nunquam discredidit Dei sacramentum. Ad hoc quidam sancti ante nos plures & probabiles adduxerunt rationes, quarum prima est, vt dum noua & desiderata per Angelum nouis adiunguntur, gaudium gaudio cumuletur. *Isa.*61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo salutari meo.

Secunda est, vt Virgo sacramentū de natiuitate præcursoris in proximo per homines diuulgandum, non ab homine, sed à reuelatione accipere cognosceretur. Hominum enim verba incerta sunt. Reuelatio autem diuina certissima. Ex hoc enim & certius Euangelistas & Apostolos docuit: & nos firmius credimus, habentes de cælo testimonium veritatis. 2.*Pet.*1. Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri virtutem: sed speculatores facti illius magnitudinis.

Tertia ratio est, ne Virgo à Deo electa, secreta Dei ignorare, & ab homine discere videretur. *Gen.*18. Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Scio enim quod præcepturus est filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini. *Amos.*3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi prius reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Quomodo ergo faceret verbum quod non prius reuelauerit matri?

Quarta ratio est, vt puella iuuenis & carne coniuncta, audiens vetulam iam pondere partus grauatam & doloribus vicinam, & ex verecundia aliis secretum non libenter aperire: ad obsequium in tam secreto & sancto partu præpararetur. *Rom.*15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Et *Gal.*6. Alter alterius onera portate, &c. Ex hoc enim imitata est Filium, qui dicturus erat: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. *Luc.*22.

Quinta ratio est, vt opportunum tempus conceptus virginalis, ex instante natiuitate præcursoris ostenderetur. *Matth.*24. Vos cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est regnum Dei. Sicut enim astra matutina lucem præcurrendo ostendunt, & ad iubilum aues diem desiderantes excitant & præueniunt: ita signa ista vicina, ortum

ortum lucis gratiæ præuenerunt, & Sanctos in io laudem euigilare fecerunt & gratiarum actionem. *Iob* 38. Vbi eras cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.

Sexta ratio est, vt tanto gaudio (quod est io conceptu Virgiois, quo Deum concepit) Elisabeth sicut gaudij particeps congratulans inueniretur: & ex hoc pondus vteri sui, & dolores mitigarentur. Et hoc videtur ipsa innuere Elisabeth quando dixit: Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit iofans in vtero meo. Sicut enim mulier cum peperit, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum *Ioan.* 16. ita pro certo probabile est, quod ista oon meminerit pressuræ propter gaudium: quia digna habita vt præsentem sibi sentiret Dominum per Beatæ Virginis & matris aduentum. Vnde in gaudio clamans dicit: Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me?

Septima causa est, quia dignum fuit, vt Virgo præsentaret Ioanni suum conceptum: vt vbique peragetet suæ præcursionis officium. Et ideo nuntiatur Ioannis ætas in vtero, qui iam posset præcurrere Saluatoris conceptum. Et hoc dicit *Ambros.* Et idem dicit *Hieron. in hymnis* dicens:

Ventris obstruso positus cubili,

Senseras regem thalamo manentem.

Sensum enim hunc ostendit motu occursionis ad ipsum. *Amos* 4. Præparate in occursum Dei tui Israel. Quia ecce formans montes & creans ventum, annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Domious Deus exercituum nomen eius. Format enim montes, in quibus fundantur Ecclesiæ, virtutes exercituum Ecclesiasticæ fidei & potestatis. Iam incepit afflare ventus sancti Spiritus. Iam per Gabrielem enuntiauit eloquium. Iam excelsa terræ conculcauit, exinaniens seipsum, formam serui in seipso accipiens, & formam ancillæ in matre. Iste est Dominus exercituum Angelorum, cui à vero Israel est occurrendum.

Octaua ratio est, vt per Elisabeth conceptum, sermo Angeli confirmaretur: non quidem vt dubius; sed sicut verum & certum aliquando rationibus adiuuatur, & sicut fides de credito diuina iuuatur ratione. Et hæc est ratio *Bedæ in Glossa. Gen.* 41. Quod autem secundo vidisti ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis est indicium, eo quòd fiat sermo Dei, & velocius impleatur. *Osea* 12. Ego visiones multiplicaui eis, & io manibus Prophetarum assimilatus sum. Talibus igitur & tantis rationibus conceptus Elisabeth adducitur in medium. Dicit igitur.

Ecce Elisabeth.

Elisabeth illa, quam non libido titillans incitauit, cui conceptum oratio Sanctorum impetrauit, cui maritus incensum ponens fœcunditatem promeruit, cuius conceptum Angelus prænuntiauit, cuius partum magno præconio Angelus extulit: & gaudium toti mundo edidit & effudit. Denique si libido titillans conceptum extorsisset; in ea locum haberet, quod dixit Raphael Angelus *Tobiæ* 6. In eos qoi coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, in quibus oon est intellectus: habet potestatem dæmonium. Et talis non fuit hæc sancta Dei saturitas. Huic etiam sanctorum conceptum impetrauit oratio: vnde supra dictum est, quod omnis plebs orans erat foris hora incensi, cum conceptus Ioannis anountiaretur. Simile *Genes.* 34. Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Zacharias etiam incensum ponens huic fœcunditatem promeruit. Simile ei est quod 1. *Reg.* 1. Heli sacerdos dixit ad Annam: Vade in pace, Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum. Hæc est cuius conceptum Angelus prænuntiauit. Simile fuit ei quod fecit *Iudic.* 13. Sterilis es, & absque liberis; sed concipies & paries filium. Hoc enim dixit ei per maritum supra *eodem.* Elisabeth vxor tua pariet tibi filium. Partum etiam eius magno præconio extulit: quasi dicetet illud *Ruth* 4. Benedictus Dominus, qui non est passus vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocetur nomen eius in Israel; & habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem tuam. Hæc est etiam, quæ gaudium toti mundo edidit & effudit: vnde illud *Genes.* 30. dicere potuit: Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres. Hæc igitur est ista Elisabeth

Cognata tua] quæ non tam propinquitate sanguinis, quam affinitate gratiæ & virtutis se probat esse generosam. Qui fecerit (inquam) voluntatem Patris mei qui in cælis est; ipse meus frater, soror, & mater est *Matth.* 12. Beata consanguinitas vbi formatus in corde Christus matrem, ex vno patre generatio diuina fraternitatem, & ordo charitatis totam perficit secundum diuersos gradus generis propinquitatem. De primo enim hotum *Galat.* 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. In quo autem Christus formatur, mater est, & mater vocatur. De secūdo *Ioa.* 20. Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. De tertio *Cant.* 2. Ordinauit io me charitatem. Hæc igitur est Elisabeth cognata tua.

Et ipsa concepit] Ecce conceptum proponit honorabilem, amabilem, & mirabilem. Honorabilem quidem, quia Spiritu sancto & virtute plenum. *Suprà:* Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Amabilem quidem, quia in gaudium mundi nasciturum. *suprà:* In natiuitate eius multi gaudebunt. Admirabilem quia ex vtero matris suæ consecratus est Propheta. *Eccl.* 49. A ventre matris cōsecratus est Propheta.

Filium] quod mirabile est: quia etiam fœcunda, cum ex antiquitate virtus concipiendi deficere incipit, primo à filiis deficit in filias, & à filiabus in abortum, & deinde deficit in totum secundum naturam. Hæc autem concepit filium qui totum possideret patentum effectum, & hæres esset sanctitatis. *Tob.* 7. Benedictio sit tibi fili mi: quia boni & optimi viri filius es. *Eccls.* 47. Surrexit post eum filius sensatus & propter illum deiecit potentiam omnium inimicorum.

In senectute sua] Hoc omni admiratione dignum est. Senectus enim secundum naturam corruptio est, in qua membra sunt intus sicca, destituta, & extra madida humiditate corrupta & viscosa. In qua ætate etiam siquid concipitur

corrum,

corrumpitur: & nunquam tamen aliquid concipi consueuit, maxime ex semine senis, & iam corruptione præpediti. Hoc igitur facit ad commendationem miraculi. Hoc enim illi non erat difficile: qui, sicut dicitur *Ezech.* 37. Spiritus insufflat super interfectos, & reuiuiscunt: maxime vbi senectus non est tantum à canicie corporis, sed à canicie virtutis: sicut dicitur *Sapient.* 4. Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Hic filius senectutis est ille de quo dicitur *Tob.* 5. Filium nostrum baculum senectutis nostræ. *Ruth* 3. Natus est qui te diligat, & enutriat senectutem tuam. Sequitur.

Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Miraculum commendat; quia si vetula aliquando concipiat propter destitutionem vteri à calido & humido subtili, vincentibus in ipsa frigido & sicco qualitatibus mortificatiuis, abortum patitur. Nunc autem iste filius ad finem sexti mensis coaluit. Iam enim de Martio, qui erat sextus mensis non restabant nisi dies octo. Hæc enim 8. Kalendas Aprilis peracta sunt. Et ideo intelligit, quòd eiusdem virtute infans in ventre coaluit: cuius virtute & oraculo conceptus fuit. Virtus enim vetulæ infantem non nutrit, sed destitutum deijcit. Vnde & de Sara *Gen.* 18. dicitur, quòd defecerant Saræ fieri muliebria. Et *Rom.* 4. dicitur, quòd emortua fuit vulua Saræ. Et hæc dicuntur in figura huius.

Et addit [illi quæ vocatur sterilis] vt & impotentiam naturæ supra defectum accumulet ætatis. Non enim vocatur sterilis, nisi à longo tempore fœtu fuisset priuata. Fœcunda enim est, quæ absque impedimento concipit. Conclusa autem in Scriptura vocatur, quæ quidem impedita est ad susceptionem conceptus: sicut 1. *Reg.* 1. de Anna legitur, quòd concluserat Dominus vuluam eius. Et *Gen.* 20. quod conclusit Dominus omnem vuluam domus Abimelech. Sterilis autem est, quæ naturale in obstrictione venarum & pororum matricis habet impedimentum in seminis susceptionem. Et hæc vocatur non vere sterilitas, nisi quando hoc post vsum viri efficitur cognitum, & medicorum arte remoueri non poterit impedimentum. Et ideo maledictioni subiacebat in lege. Et ideo *suprà* dixit: quia sic fecit mihi Dominus in die, quando respexit auferre opprobrium meum inter homines. Sequitur hoc quod ex præhabitis intendit.

Quia non erit impossibile apud, &c.] Attende quòd de his quæ fiunt: quædam dicuntur esse in natura, quædam esse apud Deum, & quædam in Deo abscondita. In natura sunt, quorum causas seminales vt fiant Deus naturæ indidit: sicut dicitur *Gen.* 1. Germinet terra herbam virentem. Dicit *Augustinus*, hoc est, virtutem germinandi in causis seminalibus accipiat. Et hæc sola potentia sunt in elementis: quia generale principium Philosophi est, quòd nihil est in potentia in aliquo, nisi quod in vno motore, & in vnius speciei motore educitur de illo. Vnde idolum non est potentia in cera, sed in arte. Et cuprum potentia in terra: quia cuprum vno motore educitur de terra, qui est calor solis: & non eodem, sed intellectu artificis educitur idolum de cupro.

Apud Deum autem sunt, quæ in natura non habent nisi causam obedientiæ, & perfectionem habent suæ generationis apud Deum. Et illa non sunt in natura vt fiant: sed vt de ipsis naturalibus fiant, administrante virtute diuina: sicut est conceptus vetulæ, & generatio senis: & quod in tali vtero, & ex tali semine infans coalescat. *Gen.* 18. Nunquid Deo quicquam est difficile?

In Deo autem absconditum est, quod omnino super naturam, & cuius potentiæ in natura contrarium est: sicut est conceptus virginis, quæ manet virgo. *Ephes.* 3. Est sacramentum à seculis in Deo absconditum. Et hoc facere, in Deo est: & non conceditur huius operatio alicui creatæ naturæ. Et hoc est quod dicit: quia non erit impossibile apud Deum. Et ideo *Ierem.* 32. Nunquid mihi erit difficile omne verbum?

Dicit autem [omne verbum] & non omne factum: quia in omnibus quæ procedunt ab intellectu operatiuo: primum faciens, verbum mentis est. Sicut in eo qui facit arcam, primum faciens arcam, forma concepta in mente est; quia dicit arcam esse faciendam. Sic etiam omnis operatio intellectus diuini est Verbum à quo procedunt facta omnia, & cuius formam induūt. Omnia enim per Verbum facta sunt: & sine ipso factum est nihil *Ioan.* 1. Vnde minus diceret si dixisset, omne factum, sed totum dicit quando dicit [omne verbum] Verbo enim Domini cæli firmati sunt: quia sic dixit, & facta sunt. Et sic dixit Deus, fiat *Gen.* 1. hoc est, verbum genuit in quo erat, vt fieret.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit Angelus ab illa.

Illud est ad quod laboratum est. Primò enim audiens turbata est ad speciem viri, & inconsuetum modum salutationis. Deinde quasi confortata, modum quæsiuit annuntiationis. Modo autem certa de oraculo, nec dubitans de nuntio: iam quasi se totam dat, vt votum adipiscatur. Et hoc est quod in ordine notatur verborum.

Dixit autem Maria] Illa enim illuminata illuminatrix quid diceret, nisi quòd mundo lucem pareret? Processit in dicto, quasi aurora consurgens solem conceptura supernum. Quid vero stella orta ex Iacob dicto suo panderet, nisi solem de stella nasciturum, vel lucis æternæ radium sine omni sui corruptione mundum illuminaturum? Quid item amarum pro salute generis humani mare, nisi consolationem toti mundo profuturam? Quid tandem Domina mundi (quæ omnibus gubernationis ex sua benignitate exhibet officium & subsidium defensionis) responderet, nisi quod ad suorum pertinet defensionis præsidium & prudentiam gubernationis. Lumen enim mundi est, sicut scriptum est: Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ *Eccli.* 26. O Beata Virgo ostende igitur te illuminatricem, & per consensum tuum illumina eos qui in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam

in viam pacis *infra eodem*. Stellam te proba poli, ducens nos ad portum tuum & quietum, post tot tentationum iactationes. Nobis enim in te lux noua oriri visa est, & sol nouus in conceptu & fons paruus humilis gratiæ tuæ creuit in fluuium maximum: & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos, qui hactenus de sua gloriabantur deiectione. *Esther* 11. Cum enim omnes in amaritudine essemus: tu quasi mare amarum, amaritudinem omnium tuam fecisti. Et pro nobis, dolens, & pro te Ionam illum in figura filij tui ad hoc induxisti, vt diceret: Si propter me est hæc tempestas, mittite me in mare *Ionæ* 1. Rursumque tu Domina omnium es, & Virgo virginum: Nisi ad tuum florem declinet ille rhinoceros seruiens tibi ad redemptionem (filius vnicornium si es *Psal.* 28.) quis liberabitur de cornu potestatis eius? *Iob* 39. Nunquid volet rhinoceros seruire tibi? Dic ergo beata, & dic ad Angelum.

Ecce ancilla Domini] Tria autem dicit promptitudinem exequendi, consensum sacramenti, & consonantiam verborum Angeli. Promptitudinem exequendi tangit: cum dicit [Ecce ancilla Domini] Ancilla enim dicitur ab an, quod est circum: & cilleo, es, ere, quod est moueor moueris, quia vbique mobilis. Prompta est ad obsequendum, humilis ad seruiendum, & deuota ad obediendum, & prudens in omni commisso, simul & fidelis. Quòd enim prompta sit, ex nomine probatur, quia circummobilis est in omne quod iubetur. Vnde *Prou. vlt.* Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. De humilitate, *infra eodem*: Respexit humilitatem ancillæ suæ. De deuotione ad obediendum dicitur in *Psal.* 122. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. Oculi enim ancillæ aspiciunt ad nutum manus vt semper obediant, & deuotè subseruiant. Prudens est etiam ista ancilla. *Prou. vlt.* Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Sapienter enim sibi, & nobis clementer in hoc responso temperauit sermonem: quod in voto fuit & per sermonem Angeli futurum expectabatur, in oratione ponens & dicens.

Fiat mihi] Præsumptionis enim videretur si diceret: Fiet mihi; quia hoc à gratia Domini quam nemo promeruit speratur. Hoc ab Adam & à tota posteritate sua mirabiliter efflagitatur. Hoc ab Angelo expectatur. Hoc ab omnibus fidelibus desideratur & oratur. Quòd enim à gratia Dei speretur dicit *Ieremias Thren.* 3. Misericordiæ Dei, quòd non sumus consumpti. Quòd autem ab Adam & posteritate sua efflagitetur, dicitur in *Psal.* 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? Vsquequo, id est, Cur. Quòd ab Angelo expectetur, patet: quia nuntium hoc egit, & omnia fecit quæ ad consensum Virginis pertinent inclinandum. Nunc autem expectat salutare hoc responsum. Ac si diceret illud *Gen.* 49. Salutare tuum expectabo Domine. Omnes fideles hoc desiderauerunt, dicentes illud *Isaiæ* 26. Domine miserere nostri: te enim expectauimus. Et illud *ibidem*. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Hæc etiam attendens, & consensum præbens, orando cum aliis dixit

[Fiat] Non enim præsumpsit dicere, fiet, sed totam se diuinæ dispositioni committens orauit: vt cunctis fieret salus quam Angelus nuntiauit. Sciuit enim illud *Iacob.* 4. quod Deus resistit superbis, & humilibus dat gratiam. Dicit autem

Mihi] Non ad me. Multifarie enim, multisque modis factum est verbum Domini ad Prophetas. *Abdiæ* quidem ad aures, quando dixit *Abdias* 1. Auditum audiui à Domino. *Isaiæ* ad visum, quando dixit *Isa.* 1. Visio *Isaiæ*, &c. Et quidem: Beati oculi & beatæ aures, quæ viderunt & audierunt quæ vos videtis & auditis *Luc.* 10. Alicui autem ad manus, sicut *Aggæo* qui dixit, quod verbum Domini factum est in manu Aggæi. Et sic diuersimode diuersisque modis, & pro diuersis factum est. Sed non sibi. Beatæ Virgini Mariæ fit, ad aurem quidem in oraculo annuntiationis & eulogio salutationis: ad visum autem, quia viderunt oculi sui salutare Dei sui: ad manum etiam fit contrectationis: & ad brachium oblationis: & ad gremium sustentationis: & ad vbera lactationis: & ad viscera incarnationis: & aliis modis infinitis sibi soli notis, nato Verbo de se incarnato. *Luc.* 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Sic ergo fiat mihi

Secundum verbum tuum] Secundum: præpositio, vel aduerbium, vel nomen ordinale. Primo quidem modo sensus est [secundum verbum tuum] hoc est, iuxta verbum tuum; & hoc est, sicut dixisti. Et hunc puto esse sensum literæ. *Matth.* 5. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt: quinimo iota vnum, aut vnus apex non præteribit. *Isa.* 34. Requirite diligenter in libro Domini & legite: vnum ex eis non defuit. *Isa.* 5. Quid vltra debui facere tibi, & non feci? Potest etiam ly secundum, nomen esse ordinale, vt sit sensus [secundum verbum tuum] quod in salutatione positum est inter ea quæ sunt de adipiscendis bonis. Hoc enim est, Dominus tecum. Primum autem, gratia plena. Gratia autem plena fuit ad sui sanctitatem. Dominus autem tecum ad nostram redemptionem. Sic enim dicent inter Gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis. Siquidem magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes *Psal.* 125. Hoc enim est illud magnum nomen Emanuel & vtile nobis, quod est, nobiscum Deus: in quo omnes euacuantur insidiæ inimici. Per hoc enim continet in gremio cælum terramque regentem, quem habemus hostium terrorem, pignus nostræ redemptionis, & contra omnia quæ passi sumus Saluatorem [fiat] hoc [secundum verbum tuum] mihi: sicut in aure auditum, & in corde creditum, & ore confessum: ita in visceribus incarnatum, vt possim læta nuntiare fidelibus, dicens: Habete fiduciam: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & in proximo videbitis gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis *Ioan.* 1. Hæc igitur vox abore Virginis exultationis & salutis audita est in tabernaculis iustorum. Sequitur

Et discessit ab illa Angelus] officio peracto. Tempus enim erat, vt reuerteretur ad eum qui eum misit. Nos autem benedicamus Deum, & enarremus omnia mirabilia eius. Discessus autem Angeli nihil aliud fuit: nisi quod visui humano se subduxit. Nunquam enim ita ad obsequen-

dum

dum habuit Angelos, ſicut ex quo Filium Dei Dominum Angelorum concepit. Ex tunc enim acceſſerunt ad eam Angeli, & miniſtrabant ei *Matth.* 4.

Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth.

Hic adhuc tria circa beatam Virginem determinat Euangeliſta quorum primum eſt, qualis fuit pietatis officio: ſecundum, quantæ gratitudinis in percepto Dei dono: tertium, quòd continuò perſeuerans fuit in obſequio; quia permanſit obſequens debili cognatæ tribus menſibus, donec cognata releuata fuit in vtero. De primo dicit tria: qualiter videlicet ad obſequendum ſe parauit, & qualiter feſtinauit, & quam benigne ſe exhibuit. Præparatio autem commendatur in duobus: à modo, & à tempore.

A modo autem: quia [Exurgens] Decompoſitum eſt: quia notat quod extra ſurſum fuit ſe agens; ſicut corpore ita & mente. Per mirabilia enim dona munerata fuit, & ſupra ſtatum priorem eleuata, accedens ad cor altum: & ſciens cui plus donatur, ab eo plus exigitur: volens exaltari in ſe Deum, hoc eſt, altum oſtendere: ex priori ſtatu altius ſurſum ſe proficiendo egit; audiens vocem dilecti clamantis *Cant.* 2. Surge, propera amica mea & veni. Nihil enim vacat à ſignificatione in tanta Virgine & Dei Matre. Si autem ipſa de alto in altius ſe egit: pudeat nos à ſorde vitiorum non exurgere. Sicut etiam monet Apoſtolus *Epheſ.* 5. Surge qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Hæc enim Virgo & quieta, non vaga non garrula, non quietis impatiens, reſidebat in ſolitudinis & conſcientiæ quiete. Sicut *Iſa.* 52. Surge, ſede Ieruſalem. Nunc anima exurgit in actionis vtilitate & neceſſitate. Sedere autem eam fecit charitas veritatis, & recepit eulogium ſalutationis, & partum & conceptum diuinæ annuntiationis. Nunc autem facit exurgere eam veritas charitatis, quæ aliquando deliciis quietis apponere cogitur neceſſitatem actionis. *Pſal.* 126. Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Quamdiu enim pane iſto arcto doloris ſuſtentamur, neceſſitates proximi cogunt exurgere in actionem obſequij. Exurge ergo & tu primò quidem à ſtercore vitiorum: ſecundò de virtute in virtutem, ad ſtatum altiorem: & tertiò de contemplationis quiete ad actionem. Duobus autem modis Maria exurrexit: de tertio autem non indiguit; ſed vt tu exurgere poſſis effecit.

Maria] cum conceptu virginali; quia qui portabatur, matrem portabat, & contra conſuetudinem prægnantium fecit leuiorem. Duobus enim temporibus grauidatis motus interdicitur à Phyſicis: in principio videlicet conceptionis, cum conceptus mollis eſt, facile à matrice ſolubilis: & in fine poſt quintum menſem vel ſextum, quando grauis eſt & pondere ſuo per motum matris ſeipſum ſua abrumpit grauitate. Iſta autem vt diuinum oſtendat partum, ſtatim primo exurgit, & cum feſtinatione mōtana conſcendit: quæ fieri non poſſent ſine aborſu, ſi partus humanus & non diuinus eſſet conceptus. Beatus ergo venter qui te Chriſte portauit; quia non humana ſed diuina virtute te tenuit & corroborauit *Luc.* 11. Iſta enim Domina vas admirabile fuit in opus excelſi *Eccli.* 53. & 50. Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. Ornatum quidem omni lapide pretioſo virtutum. Solidum, quod humana virtute moueri non poſſet, in diuini conceptus præiudicium. Et forte ſic virtus Altiſſimi obumbrauit ei, ne conceptus moueretur impulſu obſequij. Tangit autem præparationem temporis, cum addit.

In illis diebus] Illuſtrationes clariſſimas hæc Virgo habuit, vt dicit *Ambroſ.* dum non incredula fuit oraculo, non incerta de nuntio, non dubitans de exemplo: ſed læta propoſito, voto religioſa, proprietatis officio exurgens, & feſtina præ gaudio, vadit viſitare Eliſabeth: probans illud *Prou.* 4. Semita iuſti quaſi lux ſplendens, & continuis incrementis creſcens vſque ad perfectam diem. Hoc enim illi dies ſignificant. Hæc enim eſt dies (quia iſti incipiunt) quam fecit Dominus oriri ſuper terram: exultemus & lætemur in ea. Dies, inquam, qui non ſicut vmbra declinauerunt: ſed potius (de quibus dicit *Habac.* 3.) Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo. Et de ipſo habitaculo vteri, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ: vt vere probent matrem eſſe lunam, & natum ſolem: quæ (inquam) luna concepit lumen ſolis, vt vere illuminatrix dici poſſit. Deinde tangit modum itineris. Dicit enim quòd abiit: & per quid: & qualiter. Modus quidem eundi eſt, quod

Abiit] hoc eſt, à ſe receſſit. Receſſit enim à ſecreto orationis, à quiete contemplationis, à deliciis delectationis ſpiritualis: à ſecreto quidem orationis, procedens in publicum actionis: à quiete contemplationis, exiens in laborem neceſſitatis: à deliciis delectationis ſpiritualis, exurgens in amaritudinem humanæ turbationis [Abiit] ergo cum Sara filia Raguelis de ſecreto orationis *Tob.* 3. in publicum actionis. Cum *Iudith* 10. exiuit de quiete contemplationis in laborem neceſſitatis. Cum ſponſa autem *Cant.* 8. proceſſit de deliciis delectationis ſpiritualis in amaritudinem humanæ turbationis. Dicitur enim ſic *Cant.* 8. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sic ergo abiit. Per quid autem abierit ſubiungit.

In montana] Vide quod aſperitas itineris non retardat in ea obſequium pietatis. Non enim dicit cum Lot *Gen.* 19. Nun poſſum in montem aſcendere: ne forte apprehendat me malum. Sed omnia potens in eo qui eam confortat, audacter conſcendit montium culmina. Facti ſuot enim ex amore obſequendi parua in directa, & aſpera in vias planas. *Iſa.* 40. Iam enim culmina virtutum mente conſcenderat: & ideo iugia montium tranſcendere leue reputabat. Culmina autem montium tria conſcenderat: ſpiritus, virtutum, & intellectus: ſpiritus quidem in affectus altitudiae, virtutum in honeſtatis ſublimitate, intellectus vero in contemplationis ſumma arce. De primo dicitur *Pſalm.* 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis, hoc eſt, ſpiritus eleuationibus: quia in illa eſt ſpiritualis vitæ fundamentum. Si enim ſpiritus inclinatur, totum ruit ſpiritualis vitæ ædificium. De ſecundo *Ierem.* 31.

Benedi

Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. De tertio dicitur. *Psalm.67.* Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. *Genes.19.* Non stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac. De secundo *Iosue.* 2. Ad montana conscendite, ne fortè occurrant vobis reuertentes. De tertio *Ezech.* 40. Adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis. Qualiter autem abiit dicit.

Cum festinatione] Festinauit autem propter tria: vt videlicet cito publicum Virgo verecunda euaderet, vt obsequendi desiderio satisfaceret, vt cito dilectam videret. De primo *Prou.3.* Currens non habebis offendiculum: quod vaga sæpe inuenit euagando: sicut Dina *Genes.* 34. De secundo *Isa.*40. Current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient præ desiderio perueniendi. De tertio *Ierem.* 51. Venite, nolite stare: recordamini procul Domini, & Ierusalem ascendat super cor vestrum. *Eccli.* 16. Festina tempus, & memento finis. Quasi di. Si finis memor fueris, citius festinabis. Dicit enim *Augustinus* quod qui plus dilexit, velocius cucurrit, & citius peruenit.

In ciuitatem Iuda] Ecce quo abiit: ad locum templi, vbi cultus erat Dei. Ciuitas enim Iuda hic vocatur Ierusalem: eo quod principalior erat inter ciuitates. *Psalm.* 121. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Iuda autem dicitur, non quod fuit de sorte Iuda, sed potius in sorte Beniamin: sed quia Beniamin eã capere non potuit: ideo occupanti iure belli concessa fuit. Quia igitur Dauid eam de manu Iebusæorum accepit, sibi data fuit & sorti Iuda adiuncta. In hanc igitur ciuitatem intrauit, templum honorans auctore templi, quem in vtero habuit. *Malach.* 3. Statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, &c. *Psalm.* 5. Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, & confitebor nomini tuo. Nos etiam cum concepetimus Deum, deceret ad ciuitatem pacis pergere, & non in mundo partum extinguere. *Eccle.* 10. Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in vrbem pergere: vbi sunt muniti. Ciuitas enim Iuda vrbs est confessionis & glorificationis: de qua *Isa.* 26. Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.

Et intrauit in domum Zachariæ] sacerdotis senis & sancti: non secuta lasciuias iuuenum. *Ruth* 3. Benedicta filia tu à Domino, & priorem gratiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes pauperes, siue diuites. *Eccli.*17. In partes vade seculi sancti cum viuis, & dantibus confessionem Deo. Quam etiam benigne se obsequio exhibuit subiungit, dicens.

Et salutauit Elisabeth] Quam enim Dominus in benedictionibus dulcedinis præuenit; ipsa etiam omnes præuenit in salutis officiis. Et ideo quamuis maior fuerit omni homine, & maiur à minore secundum illius terræ consuetudinem consueuerit salutati: tamen vt perfecte humilis, inferiori se humiliat: & primò salutat columbina simplicitate cognatam præueniens in obsequiis charitatis. Trium autem est signum salutatio, & tribus modis peragitur: verbo scilicet pacis, vt pacificus signetur ingressus: occursu corporis, vt concors in omne bonum notetur affectus: & osculo oris, vt mixtio & vnio spiritus in charitate designetur De primo horum dicitur *Matth.*10. In quancunque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui: & si ibi sit filius pacis, requiescet super eum pax vestra. De secundo dicitur *Rom.* 12. Idipsum inuicem sentientes. De tertio *Cantic.*1. Osculetur me osculo oris sui. *Rom. vltim.* & 2. *Corinth.*3. Salutate inuicem in osculo sancto.

Sed quare non salutauit Zachariam? Respondeo: quia adhuc erat propter incredulitatem mutus & surdus. Nec decebat pudorem virgineum cum viro nutibus signorum occupari. Talia enim lasciuiam prætendunt.

Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Exposito quam benignam se exhibuit ad obsequendum, deinceps ostendit quam grata fuit ad gratias agendum. In hoc autem dicit tria. Primo enim narrat Euangelista, qualiter Elisabeth dona gratiarum matris Dei reserat, & secundo qualiter eadem in congratulatione proposuit: & tertio quam magnificas Virgo Beata gratias egit Adhuc circa primum innuit duo. Dicit enim, quod auditu salutationis Elisabeth præuenit infantem: & secundò dicit, quod sensu præsentiæ Dei & matris eius, infans præuenit matrem. Et hæc sunt Dei mirabilia, quibus magnificauit & mirificauit Ioannem. De primo igitur dicit.

Et factum est] Non quidem casu sed diuina virtute. *Iob* 5. Nihil terra sine causa fit. Sicut & Ezechiel exorsus est dicens: Et factum est [vt audiuit] Hoc est, statim postquam auditu sensit [salutationem] hoc est, salutationis eulogium à Saluatore concepto vim trahens [Mariæ Elisabeth] Iam enim intra viscera clausum habuit IESVM salutis auctorem, cuius spiritus corporeus cum suo spiritu mixtus, vehiculum fuit verbi & materia vocis: & sic vox illa melliflua influebat auribus Elisabeth. *Cantic.* 2. Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. Mixtus enim spiritus filij cum spiritu matris, pro certo gratiam diffudit in labiis, & mel & lac faciebat sub lingua: gratiam quidem ad cor mouendum, mel in dulcedine auditus, & lac in desiderio refectionis verbi quod proferebant. Salutet igitur & loquatur; quia fauus distillans sunt labia sua. Salutent frequenter vt resalutet; quia à se salutantibus erubescit de silentio. *Eccli.*41.

Sic ergo vt audiuit salutationem Elisabeth, miro modo ex virtute Christi in verbo matris factum est, quod in gaudio & sensu præsentiæ Dei [infans] non fari potens, nec libertas vitæ capiens

piens auras [exultauit] quod motum corporis ſonat ex gaudio cordis procedentem [in vtero eius] adhuc pendens à radicibus vteri anilis & ſterilis. Attende quam lætus fuit aure in auditu iſte infás, qui præſentiam Dei ſenſit in voce Virginis per aurem ſuæ matris: & præuenit eam, quæ vocem ipſam ante eum ſuſceperat. *Iob* 4. Vocem eius quaſi auræ lenis audiui, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. *Ioan.* 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis. Et Ioannes quidem ſcit vnde veniat, aut quo vadat: licet hi qui ſunt magiſtri in Iſraël hoc ignorent. Ex motu igitur exultationis infantis ad geſtum præcurſoris, probauit quam verum ſit quod dixit Angelus: Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Et ex hoc etiam vterus ſenſit qui præſens erat in vtero contra quem infans geſtiuit præcurſoris officio. Ecce ſic præſentem Deum in vtero Virginis cognouit Eliſabeth. Non enim Virgo verecunda de ſe tanta dixiſſet, niſi ipſa Eliſabeth hoc à Deo didiciſſet. *Ierem.* 31. Non docebit vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognuſce Deum: quia omnes ſcient me à minore vſque ad maiorem eorum. *Iſa.* 52. Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Sequitur.

Et repleta eſt] Ecce qualiter proponit, & quid. Qualiter quidem, quia repleta Spiritu ſancto, & clamans. De primo horum dicit [Et repleta eſt] Modus iſte repletionis eſt ſicut quando aliquid habetur in habitu, & cum gaudio ſubito prorumpit in actum. Tunc enim gaudium ſpiritus diffunditur in corde ſimul & corpore, & replet pectus, & coarctat, vt & ordinatè propalari non poſſit. Et hoc quidem aliquando facit anxietas, ſed impetuoſius facit hoc gaudium. Anxietas quidem facit ſicut *Baruch* 3. Et nunc Domine Deus Iſraël anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. Gaudium autem facit hoc impetuoſius, ita quod ad modum iubili prorumpit in vocem. *Iſa.* 54. Decanta laudem, & hinni quæ non pariebas. Hoc eſt ergo quod dicere intendit [Et repleta eſt] repletione premente [Spiritu ſancto Eliſabeth] *Pſalm.* Repleti ſumus mane miſericordia tua, exultauimus & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris. *Eccli.* 36. Reple Sion inenarrabilibus virtutibus tuis, & gloria tua populum tuum. *Pſalm.* 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem.

Et] ideo [exclamauit] Exclamare, hoc eſt, conceptum ſpiritum clamore valido excutiendo prodere: ſicut *Iob* 32. Coarctat me ſpiritus vteri mei: loquar ergo & reſpirabo paululum. Sic etiam eſt quando proditur anguſtia in clamore: ſicut *Daniel.* 13. dicitur, quod exclamauit Suſanna. Intenſio enim clamoris notat intenſionem maximæ deuotionis: ſicut *Matth.* 27. I E S V S clamans voce magna tradidit ſpiritum. Et de clamore in deliciis amoris *Cantic.* 8. Dilectus meus clamat ad me. Pone me ſicut ſignaculum in corde tuo, vt ſignaculum ſuper brachium tuum; quia fortis eſt vt mors dilectio [voce] Vox dicitur quia cum imaginatione & intentione prolata. 1. *Cor.* 14. Si neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus [magna] quia de magnis. *Pſalm.* 67. Dabit voci ſuæ vocem virtutis. Mirabilis eſt virtus vocis, cui ſpiritus I E S V immixtus eſt, vt perueniat ad infantem, vt interius formet ſermonem, vt extra proferat vocis virtutem, vt in auditu ſuam oſtendat auctoritatem. Peruenit ad infantem hic. Et *Ierem.* 1. Antequam exires de ventre ſanctificaui te, & prophetam in Gentibus dedi te. Prophetæ autem de Spiritu ſancto Dei loquuntur. Quod intus formet ſermonem *Pſalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, &c. Et extra etiã profert vocis virtutem, &c. 2. *Cor.* 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Quod in auditu ſuam oſtendat auctoritatem *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et ideo dicit ad Moyſen *Exod.* 3. Ego ero in ore tuo.

Videamus autem quid clamat. Clamat matris Dei benedictionem, honorem, admirationem, & beatitudinem. Benedictionem quidem duplicem: in ſe, & in fructu. Benedictionem in ſe, dicens.

Benedicta tu in mulieribus] Hoc quidem dixerat Angelus: dicit & Eliſabeth. Angelus in perſona Eccleſiæ triumphantis quam Virgo reparauit: Eliſabeth in perſona Eccleſiæ militantis, quam mortuam ſua benedictione Virgo reſuſcitauit. Dicit ergo [benedicta tu inter mulieres] hoc eſt, bonis mulierum præ omnibus addicta eſt & conſecrata. Mulier autem dicitur à mollitie mollientè herom. Et quia mollis eſt, rectore indiget ſub quo ſit. Et ideo virtus mulieris propria, ſecundum comparationem ad virum, eſt humilitas qua ſubdita ſit: in ſeipſa quia mollis eſt, virtus ſtruens mollitiem, eſt continentia vt caſta ſit. In comparatione autem ad domum eſt operoſitas, vt nunquam otioſa ſit. Vnde *Ariſt.* dicit in Rhetorica, quod bonum mulieris eſt operoſitas. Hæc tria bona præ cunctis habuit Virgo Beata: & ideo in mulieribus benedicta. De humilitate quidem habes: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Et Filius in *Matth.* 11. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. De caſtitate *Cantic.* 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Omnes enim aliæ ſpina ſunt cruentatæ, ſed ipſa ſola ſpinę neſcia. De operoſitate *Prouerb. vltim.* Panem otioſa non comedit. *Matth.* 20. Dicitur de aliis: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Multa enim mala docuit otioſitas.

Et benedictus fructus ventris tui] Et ideo venter benedictus. *Hebr.* 6. Terra ſuper ſe venientem ſæpe bibẽs imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Hoc eſt enim germen Domini quod eſt in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis *Iſa.* 4. [fructus] in quo ſolo fruendum eſt, hoc eſt, amore inhærendum propter ſeipſum. Fructus ſpecioſus in viſu, fragrans in olfactu, puriſſimus in contactu, dulciſſimus in guſtu, ſuauiſſimus in ſumptu, pretioſiſſimus in valore, nobiliſſimus in munere. De ſpecioſitate *Pſalm.* 44. Specioſus forma præ filiis hominum. Vnde lignum vitæ contra lignum Euæ, quod erat pulchrum viſu, & aſpectu delectabile. Hic enim fructus lignum vitæ eſt his, qui apprehenderunt eum *Prouerb.* 3. *Cant.* 1. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. *Cantic.* 5. Dilectus candidus, & rubicundus. Fragrans eſt olfactu. *Geneſ.* 27. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Ibidem.* Statim vt ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam benedixit ei. De puritate tactus eius & virtute *Luc.* 4. Quotquot tangebant eum,

curabantur,

curabantur: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes nihil impuritatis est in ipso, sed totum sanum, totum sanans, & ad puritatem reducens. De suauitate in gustu *Cantic*.2. Fructus eius dulcis gutturi meo. 1.*Petr*.2. Si tamen gustastis quia dulcis est Dominus. *Psal*.33. Gustate & videte, &c. De pretio valoris, quia datur omnibus in pretium. *Psal*.126. Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, Filij merces, fructus ventris. Hæreditas nostra est merces Filij intransitiuè. Hæc merces quæ est Filius, qui est fructus ventris, nobilis est: quia *Cant*.5. Electus est ex millibus. *Genes*.43. Sumite de optimis terræ fructibus, vel frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, & erit vobis placabilis. Terra enim vteri virginalis hunc fructum portauit: & ideo beatus vterus. Sic ergo in medium protulit quod est benedictionis. Et subiungit quod est honoris, dicens.

Et vnde hoc mihi] Hoc, quo pacto vel debito vel merito vel dignitate? Prorsus nulla. Et non glorietur omnis caro coram illa. Sed quod non tibi ô Elisabeth, hoc sibi debetur: quæ quanto maior est, humiliat se in omnibus, sequens odorem & sentiens fructum sui ventris, qui dixit *Luc*.22. Nam quis maior est qui ministrat, aut qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. *Ioan*.13. Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui vestros pedes Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Sic exhibens se ad obsequium, iam dicit mater. Ac si dicat illud 1.*Reg*.25. Ecce famula tua sit in ancillam vt lauet pedes seruorum Domini mei. Inde ergo tibi ô Elisabeth vt veniat obsecutura mater Domini mei ad te, cuius tu es ancilla: dicente rege Dauid *Psalm*.115. O Domine quia ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Et idem dicit magnificus Salomon *Sapient*.9. Si autem sumus serui filij tui, sumus & serui matris Domini nostri. Et quod venit ad nos, suæ humilitatis est, clementiæ, & dignationis. Hoc igitur est præconium honoris, qui est præmium virtutum eius apud nos. Honor enim est exhibitio reuerentiæ in signum virtutis. Hæc est enim illa mater, de qua dicitur *Eccli*.15. Obuiabis illi quasi mater honorificata. Et de qua dicitur *Ruth* 3. Scit omnis Israël mulierem te virtutis esse. Honorem igitur habebimus dominæ & matri nostræ omnibus diebus vitæ nostræ *Tob*.4. Memores vberum, quibus vberibus fudit lac conceptæ dulcedinis, veniens ad nos in spiritu dulcedinis, veniens ad nos in spiritu humilitatis & in obsequiis pietatis, inebrians nos lacte puritatis & dulcissimæ suæ consolationis. Et subiungitur id quod est præconium admirationis, dicens.

Ecce enim vt facta est vox] mixta cum spiritu Verbi tui incarnati & inuiscerati [salutationis tuæ] Hæc enim est vox turturis audita in terra nostra *Cantic*.2. *Cantic*.4. Fac me audire vocem tuam [in auribus meis] quæ est melos aurium mearum [exultauit in gaudio infans in vtero meo] Admiratione dignum est, quod infans applaudit in vtero voci, quam Adam timuit in paradiso: sicut dicitur *Genes*.3. Audiui Domine vocem tuam, & abscondi me. Ille de publico in absconditum fugit & latebras quærit: infans de abscondito in lucem gestit, & omnibus indicare gestit agnum qui tollit peccata mundi. Ille enim reus formidat iudicem cuius præsentiam ferre non potuit. Iste autem conscius sibi de Spiritu sancto, quo plenus fuit: & agnoscens quod Pater non misit Filium vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum *Ioan*.3. omnes inuitat ad eum, vt vitam habeant in ipso. Quasi diceret illud *Cantic*.2. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Paries enim est compago corporis. Fenestra lucis, munditia Virginis. Cancelli rimæ, gratiæ per quas se manifestauit.

Et beata quæ credidisti] Ecce adiungit quod est beatitudinis. Si beatitudo est actus secundum perfectam animi virtutem: ista maxime beata fuit, quæ virtutum & gratia fuit plena, quæ tam prudens, quæ tantæ fidei vt fide mereretur concipere, & fide totius Ecclesiæ sit fundamentum & columna. Credere autem vt dicit *Augustinus*, est cum assensu cogitare, & tota deuotione inniti credito. Assentiendo enim dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum: cogitando autem quæsiuit modum: deuotione autem quæsiuit creditum, quando in oratione ad se traxit Verbum dicens in spiritu illud *Cantic*.2. Dilectus meus mihi, & ego illi. *Cantic*.8. Innixa super dilectum suum. Fides autem est, vt dicit *Beatus Dionysius*, lumen quod locat in credentibus veritatem, & veritas in ipsis locata. Ergo tota in prima veritate innitebatur sapientiæ Dei, quæ filius eius est: sicut dicitur 1.*Corinth*.1. Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Sic igitur [beata quæ credidit] quoniam de veritate contemplando cum admiratione cogitauit: plena fide & veritati assensit, & hac charitate veritatis in oratione deuotissime quæsiuit, & per conceptum inuenit: per cognitionem in ipsa locata fuit, & per assumptionem carnis veritas fuit locata in ipsa. *Genes*.28. Vere Dominus est in loco isto. Quia locus iste à Deo factus est inæstimabile sacramentum. Cum enim in corde omnium fidelium locetur veritas, in beata Virgine etiam in ventre locata est. Non demus ergo somnum oculis nostris, neque palpebris nostris dormitationem; donec inueniamus locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce beata quæ credidit.

Quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino] Video quod fides est fundamentum rerum sperandarum *Hebr*.11. Fundamentum autem in corde Mariæ nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. *Ambros*. Hæc est fides Christi IESV. 1.*Corinth*.3. Fundamenta æterna supra petram stabilem immobilis veritatis. *Eccli*.26. Quicquid desuper ædificatur stabit in æternum [Perficientur] igitur quæcunque dicta sunt ei à Domino. Quænam autem sunt illa? Quænam, inquam, quæ non sunt iam vere impleta? Ecce gratia plena est. Dominus secum est, & in mente, & in ventre. Benedicta tu in mulieribus, benedictum fructum ventris baiulat. Quid igitur adhuc restat? Certe omnia restant sacramenta nostræ redemptionis. Quæ quamuis dicta non sunt ab Angelo: tamen à Prophetia sunt prædicta, & ab Angelorum illuminatione comparata. *Num*.23. Non enim Deus est vt homo vt mentiatur: neque vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet: locutus est, & non implebit? Omnia ergo perficientur quæ di-

cta sunt ei à Domino. Perfectum autem est, cui nihil deest vt dicitur 3. *Physic.* Nihil autem est quod locutus est, quod non factum sit. *Isa.* 34. Requiriie diligenter in libro Domini, & legite: vnum ex omnibus non defoir, alter alterum non quæsiuit. *Matth.* 5. Iota vnum aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant. Et *Mich.* 6. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Et *Isa.* 5. Habitatores Ierusalem, & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam, quid vltra debui facere vineæ & non feci ei? Perfecta igitur sunt omnia quæ dicta sunt ei à Domino de se, & de nobis, & de ipso. Et ideo *Matth.* 27. in cruce pendens dixit: Consummatum est.

Demus ergo magnificenriam Deo nostro, quia perfecta Dei sunt opera redemptionis, sicut perfecta sunt opera creationis. Et speramus quod ita perficientur opera glorificationis: vt occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi *Ephes.* 4. Et cum ea coi dicta sunt perficienda, gratias agamus dicentes.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.

Tandem iam per multa victus est pudor virginalis, iam effluit tota in gratiarum actione. Cum enim iam in publicum propositum sit à cognata, de benedictione præ omnibus mulieribus recommendata, de benedictione fructus ventris omnibus Gentibus danda, de dignitate matris Domini omnium creaturarum, de effectu vocis mixtæ cum Spiritu Filij eum qui fere nondum fuit excitante ad gaudium & præcursum, de magnitudine fidei & beatitudine ipsius tam vlterius non ferens seipsam, ne ingrata reputetur ad Dei dona [Et] vt exemplo suo excitet alios ad gratias agendum. Quasi dicat. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius io idipsum [ait Maria] *Eccli.* 47. Dedit enim in hoc cantico in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ. Vsque hodie enim & in æternum cantatur hoc canticum in honorem ipsius in laudibus vespertinis. Concinnit enim Maria *Exod.* 15. canticum, quando transierunt filij Israël de manu Pharaonis liberati. Concinuit Debora, quando liberati sunt de manu Sisaræ *Iudic.* 5. Hæc igitur non cantabit liberatorem enixa, qui per mare rubrum eduxit in baptismo, de Pharaone, hoc est, de diabolo liberauit? Cantabit certe & dignius aliis, qui figuram huius sacramenti tantum decantauerunt. Cantauit item Moyses legem donans, & per canticum populum ad seruandam legem contestans. Cantauit & Anna Prophetam fidelem generans. Dignius autem & cantat Maria, quæ & legislatorem protulit & Dominum Prophetarum. *Iudic.* 5. Ego sum, ego sum, quæ Domino canam; psallam Domino Deo Israël. Cogitauit enim quod dicitur *Eccli.* 31. quod est verecundia adducens gloriam. Et hanc hactenus in taciturnitate tenuit. Et quod est verecundia adducens ignominiam, quæ claudit os à confessione laudis. Et hanc vlterius tenere noluit [Et] ideo aperiens os suum [ait Maria] *Sapient.* 10. Sapientia aperuit os muti dum in corde conciperetur, & linguas infantium fecit disertas. Quanto magis sapientia Verbum in carne factum, reserabit os matris in laudem Dei decantantis? Quæ vnquam fuerunt nuptiæ tam solennes, in quibus non cantaretur epithalamium? Nubere enim no.i potoit caro gloriosius, maritati noluit Verbum Patris altius. Mater ergo sponsi, quæ simul etiam thalamus est, dignè cantabit. Ait ergo Maria cantando.

Magnificat anima mea Dominum] Duo autem facit in hoc cantico. Dicit enim modum laudis diuinæ, & materiam. Modum autem exprimit in duobus: in laude, & exultatione. In laude quidem tangit tria: modum laudis, quid in ea potissimum laudet, & quid laudatur. Modus autem laudis exprimitur, cum dicitur [Magnificat anima mea] hoc est, laude extollit magnifica. *Eccli.* 43. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. Magnificatur autem Dominus quinque modis: laude scilicet, opere, profectu virtutis in nobis, & membrorum augmentatione, & miraculis. De magnificatione laudis est in excellentia suæ bonitatis. *Psalm.* 68. Laudabo nomen eius cum cantico, & magnificabo eum in laude. De operibus *Eccli.* 18. Quis inuestigauit magnitudinem eius? Non est minuere, neque addere, nec inuestigare magnalia eius. De profectu virtutis in nobis *Philip.* 1. Sicut semper & nunc magnificabitur Dominus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Et hoc est quod dicit *Ambros.* Magnificatur, non quod humana vox ei aliquid adiungat, sed quia magnificatur in nobis. De magnificatione, quæ est in membrorum augmentatione, dicit *Isa.* 33. Magnificatus est Dominus qui habitauit in excelso: repleuit Sion iudicio & iustitia. Hæc autem augmentatio fit, quando fideles & populus Deo seruiens numero augetur & merito. *Psalm.* 33. Magnificate Dominum mecum. De magnificatione in miraculis est, quando mirabilia eius prædicantur: maxime mirabilia quæ in Incarnatione. *Daniel.* 3. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius; quia magna sunt: & mirabilia quorum non est numerus, quia fortia. *Iob* 5. Qui facit magna & inscrutabilia, quorum non est numerus. Igitur his quinque modis magnificat.

Anima] Anima autem est pars animæ quæ animat corpus vegetando & sensificando: à quo etiam dicitur animalitas. Hæc enim in gloriosa Virgine & beata principaliter magnificat: quia in animalitate illa, in visceribus eius fouetur & nutritur & crescit secundum quantitatem corporalem. Et ideo etiam licet spiritus pars animæ dignior sit: tamen in hoc conceptionis sacramento, anima est coniunctior verbo incarnato: & ideo plus inducitur laudans. *Psalm.* 102. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius: sanguis, viscera, & totum quod intrinsecus latet. Anima enim est actus corporis, operans vt foueatur & nutriatur & coalescat & crescat sanctus iste conceptus. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Hæc est enim anima principium vitæ & causa: sicut dicit *Aristot.* 2. de anima: quæ iam vitam & fontem vitæ fouet & nutrit. *Deuter.* 6. Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua ô Virgo Beata: vt totum ad conceptum in te Deum

referas

referas vitam tuam. Sic ergo Magnificat anima mea. Et quem?

Dominum] Præter alias Domini proprietates duas tangit *Dionysius*, quod videlicet dominationis incessanter appetitiuus, & quod nunquã dominatio legitur missa ad exterius ministerium aliquod. Neque est ambitionis, quod dominationem vere Dominus existens appetit: quia dominatio sibi naturalis est: & caderet à natura, si scabellari appropinquaret subiectioni, vel seruili conditioni se subiiceret. Adhuc autem si exterioribus ministeriis occuparet se, altero quodam superiore ad exteriora ministrando mitteretur: & sic Dominus non superponeretur. Si ergo hæc in angelicis dominationibus & hominum ita se habent: pensandum est quotæ dignationis sit, quod Dominus maiestatis quasi dominationis oblitus, formam serui induit, & in extremis & humillimis seruitiis seruis suis ministrauit. Omni laude profecto dignus est, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo *Philip*. 2. Vltra quam lingua exprimere potest magnificandus: qui cum maior esset, & vt Dominus recumbere deberet; erat in medio nostrum sicut qui ministrat *Luc*. 22. Et forte magnalia huiusmodi humilitatis notans, dicit

Magnificat anima mea] Plus enim potest anima cogitatu quam lingua effatu. Lingua autem dignam laudem his magnalibus referre non potest, neque etiam anima. Sed efferentes anima, nihil habemus in nobis quod aliquid amplius possit. Quis enim digna laude efferat Dominum maiestatis, carnis sacco indutum, obsequio humili humiliatum, morte mactatum, & corpore turpatum? *Eccli*. 43. Multa dicimus & deficimus in verbis: consummatio sermonum ipse est. Sic igitur, Magnificat anima mea Dominum.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Tangit hic modum laudis & cantici. In iucunditate enim hoc canticum editum est, & cum exultatione spiritus prolatum: sicut dicit *Apost*. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino *Ephes*. 5. Dicit autem & hic tria: modum videlicet laudis ex parte laudãtis, & quid in ea laudat, & quid potissimum in Domino laudatur. Laudis quidem modus est exultationis, vt exultatio sit quædam exultatio in iubilo, cum cordis gaudium saltat in corporis iucunditatem. Tunc patet quod exultare spiritum, est iucundari spiritum, etiam in tripudio corporis. *Zach*. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. *Psalm*. 149. Exultationes Dei in gutture eorum. Et quid exultabit. [spiritus] inquit [meus] Spiritus vt dicit *Ambros*. est pars mentis nostræ superior, quæ ad imaginem Dei est insignita. Hæc ergo pars merito exultat, suscipiens eum qui est imago Dei inuisibilis. *Col*. 1. Per quem cum imaginem nostram assumpserit: & ipsa spiritus imago erit reformanda. Sicut dicitur *Iob* 33. Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem: miserebitur eius, & dicet: Liberabo eum ne descendat in corruptionem. Et hanc auctoritatem iam superius exposuimus: & ideo transimus. *Isa*. 61. Gaudens gaudebo in Domino. Et exultabit spiritus meus [in Deo salutari meo] In Deo inquit [salutari meo] Ac si diceret. In Deo IESV meo: quia IESVS saluator, vel salutaris interpretatur. Ipse enim est qui imaginem reformando à peccatis saluat. *Habac*. 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. Sequitur.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes

Hic beneficia commemorat, quæ extollendo laudat: & primo quædam specialia, secundo generalia ponit, & tertio ponit ea quæ pertinent ad veritatem promissam de Incarnatione. De se autem specialiter dicit duo. Vnum quidem quod est in ipsa per humilitatis meritum: secundum autem quod est in Domino per potentiæ diuinæ effectum. Id autem quod est in ipsa per humilitatis meritum, est prædicatio suæ beatitudinis: secundum autem quod est in ea per potentiæ effectum, est operatio magnitudinis per nomen sanctitatis. Circa primum dicit duo: respectum videlicet meriti, & per congruitatem adaptationem præmij. De respectu meriti dicit: Quia respexit humilitatem. Et dicit tria: respectum diuini beneplaciti, & acceptationem meriti, & talis meriti deuotissimam exhibitionem. Sic continua: Magnificat anima mea Dominum: exultauit spiritus meus in Deo: quia omnem sic canentem Deo excitat aliquod bonum diuinum: ideo & ego cano

Quia] Dominus Deus salutaris meus [respexit] oculo beneplaciti sui approbando. Sic *Gen*. 4 Respexit ad Abel & ad munera eius. Ad Cain vero & ad munera eius non respexit, sed potius eum & munera eius despexit. Attende, quod respicere est visum in id quod posterius relictum est reducere. Humana enim natura post tergum Dei relicta fuit post eiectionem Adæ de paradiso (vbi in præsentia Dei relicta fuit, & oculos suos ibi super eã posuit) Nunc autem per beatæ Virginis humilitatẽ visum super eã reduxit: misericordiæ primò, & gratiæ consequenter, & beneplaciti tertiò, & deinde oculos quasi fixos super eam firmauit. Misericordia enim primò ad nos faciem Dei conuertit. Gratia quæ gratos fecit, intueri nos fecit. Beneplacitum autem quod est placens voluntas, oculos in nobis ne iterum auerterentur tenuit. Suffragium vero Virginis in nobis eos fixit & firmauit. De primo dicit Dauid *Psalm*. 24. Respice in me, & miserere mei De secundo item in *Psal*. 83. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui, hoc est, vncti chrismate gratiæ. De tertio item in *Psalm*. 68. Ne auertas faciem tuam à puero tuo. Et *Isa*. 64. Ecce Domine respice: populus tuus omnes nos. De quarto adhuc in *Psalm*. 31. In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos.

Aliter enim Dominus respicit cõmuniter homines, aliter obstinatos, aliter pœnitentes, & aliter perfectos siue electos. Cõmuniter enim omnes respicit, gressus eorum discutiendo. *Cantic*. 2. En ipse stat post parietem nostrum prospiciens per cancellos, respiciens per fenestras. Paries enim corpus est, post quem solus in rectitudine stetit. Cancelli sunt rimæ luminis, quibus conscientias illu-

strat Fenestra, illustrationes apertæ quibus opera ponderat & manifestat. Obstinatos autem respicit condemnando, iratum vultum ad eos conuertendo. *Exod.* 14. Factum est in vigilia matutina respexit Dominus super castra Ægyptiorum, & subuertit totas currnum, ferebanturque in profundum. Et de hoc respectu dicit *Habac.* 1. Quare non respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Pœnitentes autem respicit respectu misericordiæ, dissoluendo glaciem cordis eorum. *Luc.* 22. Conuersus Dominus respexit Petrum: & egressus Petrus foras fleuit amarè. Nec mirum quia oculi Domini sunt sicut flamma ignis. *Apocal.* 1. Et à facie ignis dissoluitur glacies. *Psalm.* 67. Sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores à facie Dei. Electos autem & perfectos respicit oculo beneplaciti sui. *Sapient.* 4. Respectus eius in electos eius. 2. Reg. 19. Mecum trãseat Chamaan, hoc est, trasmutatus, & ponam oculos meos super eum Sic ergo respexit

Humilitatem] Non dicit: Castitatem: quia sicut dicit *Augustinus in libro de sancta virginitate*: Plus humilitas virginis quam castitas placuit, quando cum humilitate ea quæ non casta fuit placuit: sicut mulier quæ erat in ciuitate peccatrix *Luc.* 7. Nunquam autem placuit castitas sine humilitate. Vnde virgines fatuæ vanitate superbiæ euanescentes displicuerunt *Matth.* 25. Humilitas autem ab humo dicitur: eo quod se in humum in infimo prosternit. Spernit enim mundum, spernit nullum, spernit se se, spernit se sperni. Vnde beatus *Malachias* versu

Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese,
Spernere se sperni: quatuor hæc bona sunt.

Et ideo dicit *Beatus Bernardus.* Verus humilis vilis vult reputari, & non humilis prædicari. Hoc solo sanè superbit quod laudes contemnit. De contemptu mundi *Isa.* 37. Despexit te virgo filia Sion: post te mouebit caput filia Ierusalem. De hoc quod nullus spernatur *Isa.* 58. Carnem tuam ne despexeris. *Rom.* 14. Tu quare contemnis fratrem tuum? De contemptu suiipsius *Phil.* 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Quod autem & contemnat se contemni 1. *Cor.* 4. Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. *Psalm.* 52. Confusi sunt qui hominibus placent, hoc est, placere intendunt: quoniam Deus spreuit eos. *Galat.* 1. Si adhuc hominibus placerem, hoc est, placere quærerem, Christi seruus non essem. Hæc fuit gloriosæ Virginis humilitas, quæ mundum spreuit, & ideo cultum muliebrem non quæsiuit *Esther.* 2. Quæ nullum spreuit, quia omnibus matrem pietatis se exhibuit. *Psalm.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Quæ se spreuit, & ideo se inferiori seruituram exhibuit. 1 *Reg.* 25. Ecce famula Domini mei. Spreuit se sperni, & ideo castitatem vouit, quæ in lege improperio & maledicto subiacebat. Vnde Elisabeth dixit: Quia sic fecit mihi Dominus in die, quando respexit auferre opprobrium meum inter homines. Sic ergo respexit humilitatem. Modus autem quo humilitatis meritum exhibuit subiungitur, quando dicit.

Ancillæ] quæ ad omnem nutum parebat & circummouebatur, ad omne obsequium Domini parata. Et hoc est quod dicitur *Cantic.* 5. Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Aurum enim in manibus splendorem diuinæ sapientiæ significat in operibus: tornalitas, obedientiam volubilem ad omne signum volontaris: hyacinthi (qui cælestis coloris sunt) in omnibus his cælestem intentionem. Ecce vere ancilla Domini, sapiens in ordine obsequij, volubilis in celeritate ministerij, & omnino cælestis intentione. Respexit ergo humilitatem ancillæ [suæ] Pro certo in qua nihil iuris inuenit alienus. Vnde confidenter dicit illud *Genes.* 31. ad diabolum, & ad mundum: Quid inuenisti in me de cuncta substantia domus tuæ? Et illud *Ioan.* 14. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Et ideo congruum huius meriti sequitur præmium.

Ecce enim ex hoc beatam] Tangit autem circa hoc quatuor: euidentiam, causam, præmium, & à quibus. Euidentiam tangit cum dicit [Ecce] quia iam pignus & arrham in vtero clausit. *Cant.* 3. Egredimini filiæ Ierusalem, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, hoc est, in carne coronata eum lapide pretioso virtutis: in die desponsationis eius, quando sibi nostram naturam desponsauit: & in die lætitiæ cordis illius, quo in vtero tam florigero tam delectabiliter quieuit [ex hoc] hoc est, ex nunc: vel [ex hoc] hoc est ex isto humilitatis meæ merito *Cantic.* 1. Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus enim humilis est frutex, optimi odoris, & redolentiam significat humilitatis. Odorem enim secutus rex cælestis in accubitu vteri delectatus est, ita vt seipsum exinaniret.

Beatam me dicent] hoc est, nominabunt. Et ideo, sicut secundum Poetas tonans nominatur Iupiter: & Paulus secundum Sanctos intelligitur, cum dicitur Apostolus: ita cum dicitur Beata Virgo, intelligitur mater Dei. Nec aliter est nominanda quã Beata Virgo: ex quo ipsa sibi hoc nomen dicit ab omnibus deberi Beata igitur dicetur: quia quatuor sunt Beati diffinitiones, quas omnes sibi B. Virgo singulariter vendicauit. Dicit enim *Tullius*, vt dicit *Augustinus*, quod Beatus est, cui omnia optata succedunt. *August* autem dicit, quod beatus est, qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult. *Aristot* autem dicit, quod beatus est habens actus secundum perfectam animi virtutem. *Boetius* autem *in lib. de consolat. philosophica* dicit, quod beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Beata igitur hæc sola fuit, cui omne quod voluit, in vno solo volito & læto ad votum successit. *Psalm.* 67. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Quasi diceret. Nihil. Hæc etiam fuit quæ nihil vnquam mali voluit, & ideo nunquam peccauit: quia voluntas mala causa est peccati: sicut dicit *Augustinus*. Et ideo *Cantic* 5. dicitur immaculata colũba, & tota formosa. Habens ergo omne quod vult, & nihil mali volens, beata est Virgo. Hæc sola est etiam, quæ secundum perfectam animi virtutem semper operata est: quia aliter in vacuum plenitudinem gratiæ accepisset. Contra quod dicitur. 2. *Cor.* 6. Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Et ideo dicta est gratia plena, quia gratiam in omni virtute animi ad perfectum eduxit. Et ideo dictum est ei, quod perfecta sunt quæ dicta sunt ei à Domino. Hæc etiam sola fuit, quæ omnium bonorum congregatione statum habuit perfectum.

Quia

Quia præter bona quæ elansit in viero, virgo fuit & mater, virgo & matrona sancto matrimonio iuncta, quod sanctissimum fuit pari voto continentium & vidua: postea tamen commissa fuit Ioanni Apostolo *Ioan.* 19. *Prouerb. vltimo.* Tu supergressa es vniuctsas. *Psalm.* 44. Astitit regina in vestimento deaurato, fulgore diuinitatis circumamicta. Beatificatur virgo ab omnibus hominibus, varietate omnium bonorum congregatione perfecta. Merito igitur eam simpliciter & vniuersaliter dicent beatam

Omnes generationes] Cnm enim Dominus salutem nostram operatus sit in ipsa; tanquàm in medio terræ operatus est eam. Ipsa enim medium terræ dicitur: proprietate illa medij, qua ad ipsam omnia extrema sicut ad reparatricem respiciunt. Cælestium quidem generatio: quia per eam quæ in cælo corruerant sunt restaurata. Terrestrium vero: quia omnes qui veniunt ab Oriente & Occidente & ab Aquilone & Meridie, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum *Matth.* 8. sunt reconciliati. Infernorum autem, quia tam in his qui in limbo patrum Christum expectabant, quam illis qui in purgatorio continuo purgantur, per ipsam sunt à captiuitate reducti. Vnde ipsa est mulier quæ in cælo amicta sole apparuit in splendore diuino: & coronam duodecim stellarum, hoc est, claritaris sanctorum restauratæ ruinæ habuit in capite. Ipsa est item, quæ in mundo gratia plena effulsit: de qua dicitur *Ruth* 3. Scit omnis Israël mulierem te virtutis esse. Ipsa est, de qua eiulantes clamant apud inferos dæmones: Vna mulier Hebræa fecit confusiooem in domo Nabuchodooosor regis, qui diabolum significat *Iudith* 14.

Vel adhuc [omnes generationes] virorum, mulierum, coniugatorum, virginum & viduarum, viuentium, morientium, & mortuorum. Virorum enim generatio dicit beatam: quia ad viros per eam propagata benedictio; sicut per primam matrem maledictio. Vt sicut dixit vir: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno vetito, & comedi *Genes.* 3. Ita nunc dicat: Mulier quam dedisti mihi dominam, dedit mihi lignum vitæ, & maledictum primum ademit. Sic enim dicitur *Eccli.* 26. Mulieris bonæ beatus est vir. 1. *Corinth.* 7. Sanctificatus est vir infidelis nimium incredulus verbis coniugis, per mulierem fidelem, in qua perfecta sunt quæcunque dicta sunt ei à Domino. Mulierum autem generatio beatam dicit: quia per eam liberata est à maledictionis opprobrio. *Genes.* 30. Hoc pro beatitudine mea. Ex hoc enim beatam me dicent omnes mulieres. Virginum generatio dicit beatam: quia Virgo virginum est, & flos florum, florem seruans pudicitiæ, quæ nonquam emarcuit. *Cantic.* 4. secundum antiquam translationem: Viderunt eam filiæ Sion & beatam dixerunt. Viduæ autem prædicant beatam in Annę persona. *Luc.* 2. Anna confitebatur Domino, & loquebatur de illo. Coniugatæ autem in persona Elisabeth clamant: Beata quæ credidit, quoniam perficientur à Dominn quæcunque dicta sunt. Omnes enim fuerunt filiæ suæ per gratiam, quas visceribus charitatis progenuit, & visceribus carnis redemptorem edidit. Beatam dicent *Prouerb. vltim.* Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: Ecce generatio morientium. Generatio enim viuentium est, de qua dicitur in *Psalm.* 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Hæc ergo beatam dicit; quia decus cæleste & similitudinem immortalis vitæ in terra moriens cælibatum ostendit. *Matth.* 22. In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. Generatio autem mortuorum beatam dicit, quæ suæ beatitudiois fructum & gustum etiam in inferno gustauit: cum Christus in plenitudine Diuinitatis descenderet ad inferos. *Isa.* 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Vnde hæc est mulier de qua dicitur *Prouerb. vltim.* Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Vnde *Iudith* 15. dicitur: Tu gloria Ierusalem: & hoc dicunt hi qui sunt in patria. Tu lætitia Israël: & hoc dicunt qui adhuc sunt in via. Tu honorificentia populi nostri: & hoc dicit generatio mulierum. Quæ fecisti viriliter: & hoc dicunt qui redempti sunt ab inferis, quos à captiuitate absoluit. Eo quod castitatem amaueris: & hoc dicunt virgines. Et post virum tuum alterum nescieris: & hoc dicunt viduæ.

Vel sic: Dixit Dominus ad Abraham, quod seruiturum sit genus suum quadringentis annis in terra non sua: generatione autem quarta reuertetur huc *Genes.* 15. Reductores de seruitute Ægyptiaca fuerunt de tribu Leui: Moyses, & Aaron. Et ideo quatuor generationes secundum tribum Leui computatæ, significant omnes generationes de seruitute diaboli liberatas. Leui ergo genuit Chaat. Chaat genuit Amram. Amram genuit Aaron. Aaron genuit Eleazar. Intrauit autem in Ægyptum Chaat cum patre suo Leui: & Aaron cum filio suo Eleazar exiuit de Ægypto. Erant ergo generationes quatuor, Chaat, Amram, Aaron, Eleazar. Chaat vero dolens interpretatur, qui significat pœnitentes: Amram pater excelsus, qui significat innocentes: Aaron montanus, qui figura est Prælatorum: Eleazar separatio Domini, qui significat iam beatos à miseria separatos. Et hæ omnes generationes beatam dicunt. Ipsa enim est spes veniæ dolentium & expiantium peccata in mundo. Et in inferno ponent exemplum, miraculum Theophili, quem per veniæ gratiam reformauit. Excelsi autem in gratia innocentes, habent eam canalem gratiæ, qua à peccato custodiri sunt. *Eccli.* 24. Sicut aquæductus exiui de paradiso Prælati venerantur vt Dominam, cui nihil negatur à summo pastore Filio. 3. *Reg.* 2. Pete à me mater mi: non enim est fas, quidquam negare tibi. Beati refundunt in eam, sicut in causam suæ beatitudinis gloriam. *Psalm.* 8. Eleuata est magnificentia tua, hoc est, magnificata mater tua super cælos Deus. Sic ergo beatam me dicent omnes generationes, dicit Virgo Beata.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

Hic tangit quod est in ipsa per diuinæ potentiæ effectum. Dicit autem tria: primo tangit effectum, secundo potentiæ facientis modum, tertio laudem secundum nomen Dei sanctum. Sic ergo continua: Magnificat ideo anima mea Dominum [quia fecit mihi magna] Vel ideo beatam me dicent omnes generationes [Quia fecit mihi magna] 2. *Machab.* 1. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus. Et hoc quan-

tum ad continuationem primam. Quantum autem ad secundam *Psalm.95.* Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri: quæ tota matrem veniæ, gratiæ, & gloriæ beatam dicit. Hic ergo qui potens est, fecit mihi magna. Et quænam magna fecit in in humili ancilla? Magna quidem quantitate gratiæ, maiora vero per administrationem virtutis angelicæ, maxima autem per mirabilia virtutis diuinæ.

Magna autem in quantitatem gratiæ perfecit quatuor. Perfecit in vtero sanctificationem, in virtute perfecit vitæ puritatem, in voto primam virginitatis oblationem: & quod omnibus maius est, in tot bonis humilitatis profunditatem. Secundum primum est ipsa arca de lignis setim perfecta *Exod.26.* quæ sunt ligna spinæ albæ imputribilia & incombustibilia; sicut dicunt Sancti. Spina enim alba, est compungens pœna sine culpa. Nigra enim spina, est pœna cum culpa. Quamuis enim culpam traxerit: tamen ante ortum eius ex vtero, spina per sanctificationem dealbata fuit, imputribilis per libidinem contractam, incombustibilis per concupiscentiam alienam. Quantum autem ad vitæ puritatem *Cantic.4.* quod odor vestimentorum eius est sicut odor thuris quo thurificatur Deo: quia tota conuersatio eius in odore Domini fragrabit cultus & deuotionis De voto autem virginitatis intelligitur hoc quod dicitur in *Psalm.44.* Adducentur regi virgines post eam: quia ipsa prima fuit: & exemplo eius post eam secutæ sunt aliæ quæ se offerunt in templum regi Domino. De profundo humilitatis in tot bonis, intelligitur hoc quod dicitur *Cantic.2.* Sicut lilium conuallium. Valles enim humiles sunt: conualles autem profundæ & humiles. *Psalm.64.* Valles abundabunt frumento: quia in vallibus multiplicauit humilitatem ipsius: seminatum est granum illud frumenti quod de cælo descendit, & sicut germen Domini in omnem iustitiæ frugem abundauit: ita quod omnes Ecclesiæ iam albæ sunt ad messem.

Per angelicã etiã administrationẽ fecit quatuor magna: magnum videlicet salutationis, magnum confortationis, magnum annuntiationis, & magnum expeditionis suæ quæstionis. Salutationis quidem, quando ingressus Angelus salutauit eam in signum pacis: confortationis, quando trepidantem confortauit in signum specialis amoris: magnum annuntiationis, in signum sublimis honoris: magnum expeditionis quæstionis, in signum altissimæ admirationis. Primum significatur per oliuam speciosam in campis *Eccli.24.* Sic enim fundit pinguedinem pacis in omnes, in tota latitudine campi habitantes. Quoad secundum, exaltata est quasi palma in Cades. Cades autem sancta interpretatur. Palma autem victoriæ est signum; quia confortata & vicit, & sanctitatem perpetuæ gratiæ inuenit. Quod signum fuit specialis amoris. Quoad tertium, exaltata est quasi plantatio rosæ in Iericho; quia per illud iam rosa fulgoris æterni rubens sanguine, plantati iam incipit in defectibus nostris. Iericho enim interpretatur defectus. Quoad quartum, exaltata etiam quasi platanus iuxta aquam in plateis. Platanus procera & celsa est arbor: & significat quia omnes transeuntes plateas Scripturarum latas, iuxta aquas intelligentiæ Spiritus sancti, altitudinem mirantur huius mysterij (quod auditum & cognitum est) in exemplo quæstionis Virginis. Vnde *Augustinus in libro Confessionum* 10. nec satiabatur illis diebus præ dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij diuini super salutem humani generis. Magna igitur & alta, & ideo maiora fecit ei Dominus.

Maxima autem fecit sibi per seipsum, in Spiritus diuini superuentione, in virtutis Altissimi obumbratione, in Filij incarnatione, in sui in omnibus his in integritate conseruatione. Magnum enim est, quod Spiritus quoad dona gratiarum in aliquem venit: maius, quod per seipsum: maximum autem, quod de superuis mirabilibus venit ad istius sacramenti effectum. Quantum ergo ad primum, quod est in Spiritus superuentione, dicitur *Eccli.* 24. Sicut balsamum non mixtum odor meus. Per balsamum enim quod in toto redolet, significatur Sancti spiritus vnctio, quæ in toto redolentiam ponit vnctionis spiritualis. *Isa.61.* Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me Dominus. Quantum autem ad vmbrationem virtutis Altissimi dicitur *ibidem.* Sicut Libanus non incisus euaporaui habitationem meam. Habitatio enim illa fuit vterus ipsius, nunquam incisus, sed integer & intemeratus Libanus, qui candidatio interpretatur. Vmbra enim illa in candore custodiuit, & virtus euaporans suauitatem in fragrantia Quantum ad tertium dicitur *ibidem.* Ego quasi vitis fructifi aui suauitatem odoris. Ipsa enim est terra, in qua vitis illa plantata est, quæ dicit: Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Et flores sui sunt fructus honoris & honestatis. Quia omnes boni & honesti sunt palmites & flores & fructus vitis huius: palmites in spiritu, flores in virtutibus, & fructus in operibus. Quantum ad quartum vero, comparatur myrrhæ electæ, quæ dedit odoris suauitatem. Myrrha enim conseruatiua est corporis à putredine. Et hæc est gratia diuina, quæ in maternitate conseruauit virginitatem, in grauidatione leuitatem conseruauit, in puerperio conseruauit sine omni dolore maximam iucunditatem. Sic ergo fecit mihi magna: & hoc nemo facere potuit nisi

Qui potens est] Sunt autem quatuor modi potentiæ imperfectæ: Priuata videlicet potentia, obligata, determinata, & limitata Quas potentias sequitur quinta, quæ sola est perfecta, quæ plena est, & absoluta. Priuata est materialis. Obligata est addicta materiæ, & extra congruentiam illius nihil agens penitus. Determinata est quæ extra terminos suos nihil agit vel poterit. Limitata vero est illa cui superior potentia modum præfigit & limitem.

Priuata quidem & materialis est, quæ nihil expeditè poterit: sicut claudicantis potentia ad gressum. Et talis est potentia eius quod peccato vulneratum est: sicut *in libro De Libero arbitrio* dicit *Augustinus.* De qua dicitur *Matth.7.* Non potest arbor mala fructus bonos facere. *Luc.10.* Plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. *Ier.13.* Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietatem suam: potestis & vos benefacere cum didiceritis malum.

Obligata est quæ quidem non saucia, vel priuata; sed tamen non potest aliquid vltra proportionem naturæ suæ: sicut visus potentia in oculo non potest aliquid, nisi ad quod complexionatus est

potentias multas Deus posuit in corpore: vt pro inuicem solicita sint membra, 1. *Cor.* 12. Si dixerit pes quia non sum oculus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore. Et sic sunt potentiæ gratiarum in membris corporis mystici: vbi quod potest Doctor, non potest Procurator vel Præpositus, & sic de aliis. Et quod potest sapiens, non potest ille, qui accepit gratias curationum. Et de omnibus subditur: Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. 1. *Cor.* 7. Vnusquisque prout donum habet à Deo. Vnus quidem sic, alius autem aliter. Et hoc potest ad quod accepit donum vt possit.

Sunt autem potentiæ determinatæ, quæ licet in multa possint, & vniuersaliter possint in illa ad quæ acceperunt potentiam; tamen determinatas habent potentias: sicut in naturis intellectus qui potest in omnia intelligibilia; sed tamen in alia non potest, quæ non sunt intellectualia, & his potentibus similia. Sunt autem gratuita, quæ sunt sicut capita, quæ potestatem in multa alia membra acceperunt. *Psalm.* 17. Eripies me de contradictionibus populorum, constitues me in caput Gentium.

Potentia autem limitata est potentia potestatum ordinatarum à Deo, quæ limitatæ sunt, nec possunt vltra quam sibi concessum est. *Rom.* 13. Non est potestas nisi à Deo: quæ sunt à Deo, ordinata sunt. Et secundum hoc dicit *Apostolus.* 2. *Corinth.* 13. Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed omnia pro veritate.

Potentia autem absoluta est, quæ nec priuatione, nec obligatione, nec termino, nec limite à quoquam posito vel ponendo potest coarctari. Et ista est potentia Dei. Et ideo simpliciter dicit sine determinatione adiuncta [qui potens est] *Num.* 23. & 24. Cuius potentia est sicut rhinocerotis, in vno cornu potestatis, omnia quæcunque vult facientis. *Psalm.* 134. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra: in mari & in omnibus abyssis. *Luc.* 24. Potens in opere & in sermone coram Deo & omni populo. Hic est ergo qui potens est.

Et sanctum nomen eius] Meminimus nos in expositione Euangelij secundum *Matthæum* dixisse, quod nomen quoddam imponit natura: quoddam autem est ab impositione. Natura quidem imponit nomen cuius formam donat: sicut hoc nomen homo à natura imponitur, quantum ad causam impositionis. Sic etiam nomen diuinum imponitur ei, cui Deus suam largitur Deitatem, secundum quod de quibusdam in *Psalm.* 81. dicitur. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. *Ioan.* 10. Illos dixit deos, ad quos sermo diuinus factus est. Hoc est nomen, quod nomen à Deo imponitur, clarificatur, & sanctificatur. Imponitur autem vt dictum est in prima participatione: clarificatur in depuratione: sanctificatur in consummatione. De primo dicitur *Ierem.* 17. Tu in nobis es Domine, & nomen sanctū tuum inuocatum est super nos. Per hoc enim inuocatur, quod in nos vocatur, & participatur à nobis. *Isa.* 61. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. De clarificatione nominis *Ioan.* 17. Pater clarifica nomen tuum. Hoc enim intelligitur non in se, sed in membris: in quibus depuratur, vt in eis auferatur quicquid contrarium est nomini. Et sanctificatur, quando mondum & sine omni terrenitate confirmatur. Et consummatur vt sit Deus in nobis, omnia in omnibus: sicut dicitur 1. *Corinth.* 15. Erit Deus omnia in omnibus. *Matth.* 6. Sanctificetur nomen tuum. Et sic fuit in B. Virgine, in qua nihil fulsit nisi diuinum. *Anselmus.* Decebat vt ea puritate Virgo illa niteret: quam Deus Pater Filio suo (quem de corde suo genitum tanquam seipsum diligebat) matrem præparauerat. Et quam Spiritus sanctus ei (de quo ipse secundum dignitatem procedebat) in matrem sanctificauit. Et quam Filius (qui est speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius) sibi in matrem elegit. Hoc ergo nomine in ipsa sanctificato, effectum est quod magna cum ipsa fecit qui potens est.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Hic tangit beneficia communia Sanctorum, & duo tangit: primò quidem beneficia misericordiæ: secundò autem beneficia potentiæ. Beneficia quidem misericordiæ dicit continua esse, & timentibus eum debita. Dicit igitur [Et misericordia] Quasi di. Sic fecit mihi qui potens est: & hoc fecit maxime nomen sanctum eius, cui debetur omne quod Deus facit nobis. *Ezech.* 36. Non propter vos ego faciam domus Israël, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum. Propter idem autem nomen[misericordia eius] &c.

Attende quod secundum Ioan Chrys. duplex est misericordia: liberans videlicet, & relaxās. Liberans est quæ in toto dimittit: relaxans autem est, quæ absoluit in parte. Relaxans igitur est in omnibus operibus Dei, sicut dicitur: Misericordia eius super omnia opera eius. Quia secundum illam punit, quos punit, citra condignum. Et illa est de qua dicit *Iacob.* 2. Superexaltat autem misericordia iudicium. Misericordia autem liberans illa est absoluens in totum. *Psalm.* 58. Misericordia eius præueniet me omnibus diebus vitæ meæ. Prima igitur misericordia est à progenie in progeniem omnibus timentibus, & non timentibus Deum. *Exod.* 20. Ego sum Deus zelotes vindicans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem: tamen cum dulcore misericordiæ relaxantis partem pœnæ, & faciens misericordiam in millia his qui timent nomen meum.

Hæc igitur misericordia Dei magna est, continua, & multa, suauis, & discreta. Magna, quia magna remittit: sicut dicitur in *Psalm.* 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et iterum *Psalm.* 85. Misericordia tua Domine magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Continua autem est, quia nunquam deficit: proprium enim non derelinquit subiectum suum. Dicit autem *Gregor.* quod natura Dei dulcedo est: proprium autem misereri & parcere. Vnde *Thren.* 3. Misericordiæ Dei quod non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius. Multa vero est, quia multis & multa remittit: & ideo dicitur suauis & mitis & copiosus in misericordia omnibus inuocantibus. *Psalm.* 50. Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. *Isa.* 55. Multus est Dominus ad ignoscendum. Suauis autem est misericordia sua: quia dulciter ignoscit sine improperatione, *Psalm.* 108. Tu Domine, fac mecum

mecum propter nomen tuum:quia suanis est misericordia tua. *Sapient.* 8. Disponit omnia suauiter. *Psalm.* 33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Discreta autem est misericordia paterna, quæ per flagella corripit & corrigit, ne gladio extremi iudicij interficiendo sæuire cogatur. *Isa.* 54. Ad punctum in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te: in indignatione mea parumper abscondi faciem meam à te:& in misericordia sempiterna misertus sum tui, hoc est, ad tempus tribulationibus te exposui:vt in æternum misericordia sempiterna te colligerem. 2. *Mach.* 6. Non multo tempore sinere peccatoribos ex sententia agere: sed statim vltiones adhibere extremi beneficij est. *Sapient.* 12. O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Ideoque eos qui exerrant partibus, corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris:vt relicta malitia, credant in te Domine. Dicitur autem hic spiritus ita:quia irati sufflant spiritum per nares. Et ille bonus est in nobis:quia partibus, hoc est, particulariter corrigit & admonet:vt relicta malitia credamus in Deum fide operante per dilectionem. Sic igitur misericordia Domioi est proprium.

Proprium autem misericordis est, expectabilem esse, patientem, loganimem, præstabilem, & benignum. Expectabilem, in non statim vlciscendo. Patientem, in non statim irascendo. Longanimem, in diu cum æquanimitate dissimulando. Præstabilem, in facile condonando. Benignum, io dulciter suscipiendo. De expectatione habes *Isa.* 30. Expectat vos Dominus vt misereatur vestri. Hoc est, vt misericordia locum habeat in vobis. De patientia *Isa.* 42. Tacui, semper silui, patiens fui. *Rom.* 9. Sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta io interitum vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparanit io gloriam. De longanimitate *Rom.* 2. An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis eius contemnis? De præstabilitate *Iocl.* 2. Benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. De benigoitate *Rom.* 2. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Exemplum de filio prodigo quem pater cum adhuc longe esset cum amplexibus & osculo suscepit, prolato anulo, & stola prima, & calceamentis in ornatum *Luc.* 15.

Est autem misericordia differens à miseratione:quia misericordia dicit habitum, & miseratio dicit actum. Misericordia autem habitus, non est sine passione;& ideo non cadit in Deo nisi metaphoricè, & non propriè. Et cum dicitur Deus misericors, intelligitur per humanam similitudinem, hoc est, quod habet se sicut homo in opere misericordiæ, in hoc quod afflicto condescēdit & subuenit. *Osee* 6. Misericordiam voloi & non sacrificium:& scientiam Dei plosquam holocaustum. Et hac similitudine dicitur in *Psalm.* 111. Misericors & miserator & iustus Dominus. Et iterum *Psalm.* 129. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Hæc igitur copia diuitiarum misericordiæ apud Deum est.

A progenie in progenies] A progenie videlicet cælesti, in progenies terrestres: & à progenie Iudæorum, in progenies Nationum siue Gentium:& à progenie patrum, in progenies filiorum: & à progenie Sanctorum, in progenies peccatorum. De progenie cælestium & terrestrium dicitur *Ephes.* 3. Flecto genua mea ad Deum Patrem: ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Est enim prima progenies, hoc est, generis siue naturæ propagatio ex Patre in Filium per æternam generationem:& à Patre & Filio in Spiritum sanctum per æternam charitatis spirationem. Et est secunda progenies in cælo à Trinitate beata, & luminis, & beatitudinis in angelicam naturam propagatio. Et tertia cælestis progenies, ab Angelo in Angelom, luminis à Deo accepti per assimilationem illuminationis & transfusionem informatio, & in Deum reductio. Sic enim, vt dicit *Dionysius*, fiunt dij, & deorum patres, & deorum filij. Dij quidem per acceptam illuminationē à Deo. Deorum autem patres, per illuminationis transfusionem. Deorum autem filij, per similem vnius ex altero ad lumen informationem. 1. *Corinth.* 8. Etsi sunt qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt dij multi & Domini multi) Ibi *Gloss.* quod sunt qui participatiue dij sunt, & dicuntur. Et hæc participatio est per dictum modum.

Quia igitur hæc participatio à Deo & Angelis etiam in homines, ad similem vtcunque luminis informationem descendit, & hoc ex Dei misericordia nobis in hoc subuaniente: est misericordia Dei [à progenie] cælestium [in progenies] terrestrium. *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cæli, & rationem eius pones in terra? *Apoc.* 21. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo. Et vt de aliis taceam:in hoc sacramento sic per misericordiam Dei factum est: quia à Den in Gabrielem, & à Gabriele in Beatam Virginem, & à Beata Virgine in omnem mundum sic est propagatum. *Psalm.* 67. Terra mota est:etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël. Sic rorant cæli desuper, & nubes pluunt iustum: aperitur terra & germinat Saloatorem. Sic efficimur & nos Dei progenies. *Act.* 17. Ipsius & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro & argento aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitatioois hominis, Diuinum esse simile.

Est etiam [à progenie] Iudæorum [in progenies] Nationum siue Gentium. *Isa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Et præcedit ibi, quod ex hoc fluent ad montem Domini omnes Gentes. *Rom.* 15. Dico Christum IESVM ministrum fuisse circuncisionis ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Lætamini Gentes cum plebe eius. *Act.* 11. Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.

Est etiam de progenie patrum in progenies filiorum. *Psalm.* 21. Annuntiabitur Domino generatio ventura. Et adiungit de progenie cælestium dicens: Et annuntiabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus: per huius gratiæ informationem. *Deut.* 32. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. *Psalm.* 77. Filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis: vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei: & mandata eius exquirant. Sic etiam reputantur filij legitimi, qui in timore & fide Dei suscipiuntur, & in timore Dei nutriuntur.

Est etiam à progenie iustorum in progenies peccatorum.

peccatorum: quia ſic peccatores efficiuntur iuſti, & iuſtorum filij. *Galat.*4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. *Iſa.*60. Populus tuus omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram, germeo plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille,& paruulus (hoc eſt humilis) in gentem robuſtiſſimam. Vnde ſubdit.

Timentibus eum] *Eccli.*1. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari: & ideo non valet ei hæc propagatio. Timentes autem Deum, multis modis timent: qui omnes modi boni ſunt ex miſericordia Dei. Sunt timentes magnitudinem eius,& ſunt timentes eius iuſtitiam. Magnitudo eius timetur timore admirationis, & timore reuerentiæ. Admirans enim Deum timet, ſtupens in ſeipſo: eo quod fugit in impotentiam ſuam: eo quod non valet in id quod non videt, cognoſcendo cauſam, vel operando aliquid ſimile. Et de hoc dicitur *Iob* 25. Poteſtas & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. *Exod.*20. Perterriti ac pauore concuſſi ſteterunt procul. Non enim aliquid mali, ſed multum de magnitudine viderant ſic pauore concuſſi. Facit enim magna & inſcrutabilia & mirabilia, quorum non eſt numerus:& ideo paruum cor humanum credens hoc ſtupet,& pauet in ſeipſo, & ſuſpenditur cogitando magnitudinem eius. De timore autem reuerentiæ dicitur *Malach.*1. Si ego Dominus, vbi timor meus? Reuerentia enim Domino debetur maieſtatis.

Timor autem mali eſt ſeruilis recedens ab actu peccati ex concuſſione creditæ pœnæ. Et timor initialis ſimul ex timore pœnæ & amore iuſtitiæ. Et timor filialis qui timet iram non occidentis, ſed corrigentis patris. Et timor ſponſalis, quo ſponſa timet differri ſponſi amplexus. De primo horum dicit *Beda.* Cum iudex ſic timetur, quod facies iudicis non amatur: timor ex timore eſt,& non ex charitate. Et de hoc habes 1. *Ioan.*4. Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem. De hoc dicitur quod introducit ſapientiam, ſicut ſeta introducit filum, de filo nihil exiſtens. Sic enim iſte timor nihil eſt de ſapientia. *Geneſ.*21. Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Filius enim manet in domo in æternum. *Ioan.*15. Seruus neſcit quid faciat Dominus eius. De initiali autem dicitur *Eccli.*1. Timor Domini expellit peccatum. Iſte enim timor non actum ſolum peccati, ſed cum actu formidat peccandi affectum. De tertio dicitur in *Pſalm.*18. Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi. Item *Pſalm.*33. Timete Dominum omnes Sancti eius: quoniam nihil deeſt timentibus eum. De quarto dicitur *Prouerb. vltim.* Fallax gratia & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deum, ipſa laudabitur. Omnibus igitur ſic timentibus Deum conceſſa eſt iſta miſericordia: ſicut dicitur *Malach.*4. Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ: & ſanitas in pennis eius.

Fecit potentiam in brachio ſuo.

Hic tangit effectus potentiæ, & tangit primò quidem potentiam efficientem: ſecundo autem quinque effectus tam in bonis quam in malis. Primo quidem tangit diſpoſitionem potentiæ efficientis per metaphoram cum dicit [Fecit] Dicitur autem Deus facere, cum ſe feciſſe demonſtrat. Potentia ſicut ſupra dictum eſt, eſt potentia abſoluta, de qua iam ante dictum eſt. Hanc autem potentiam fecit [in brachio ſuo] Brachium enim Filius incarnatus eſt: quia ſicut brachium de corpore, & de brachio manus; ſic Filius de Patre, & de Patre & Filio eſt Spiritus ſanctus. Vnde cum adiutorium bonorum fecit in Filio, tunc potentiam fecit in brachio. Propter quod etiam ſuperior pars brachij, quæ eſt inter cubitum & humerum, apud naturales vocatur adiutorium: quia in illo eſt fortitudo adiutorij. *Iſa.*51. Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini: conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſeculorum. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis: qui poſuiſti profundum maris viam, vt tranſirent liberati? Bis dicit, Conſurge, & tertiò quod induat fortitudinem, & quartò quinque ponit effectus fortitudinis eius. Conſurgit enim hoc brachium aduerſus diabolum fortem, & aduerſus mundum. Contra carnem enim Chriſtus in ſe non pugnauit. Contra diabolum *Matth.*4. & *Luc.*4. vbi in tentatione vicit diabolum. Contra mundum *Ioan.*16. Confidite, quia ego vici mundum. Fortitudinem autem exercuit in reducendo captiuitatem. *Luc.*11. & *Matth.*12. vbi intrauit in domum fortis fortior,& omnia vaſa eius diſtribuit in quibus confidebat. Quinque autem effectus eius ſunt. Primus quidem, quòd percuſſit ſuperbum in faſtu & pompa ſeculi, per humilitatem ſui & ſuorum. *Matth.*11. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. *Habac.*3. Percuſſiſti caput de domo impij, hoc eſt, ſuperbiam. Secundus eſt, quod vulnerauit, non extinxit draconem, hoc eſt, pectore & ventre repentem concupiſcentiam per abſtinentiam & carnis auſteritatem. Vnde non legitur delicatis vſus, ſed pane hordeaceo & piſciculis, qui minores ſunt quam parui piſces, & paucis. 1. *Corinth.*9. Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Tertiò ſiccauit mare fluctibus ambitionis huius ſeculi per contemptum mundi: quia cum quæreretur ad regnum, abſcondit ſe. *Ioan.*6. Et coram Pilato dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. *Ioan.*18. Quarto ſiccauit aquam abyſſi vehementis, quæ eſt aqua auaritiæ huius ſeculi: quæ ſunt aquæ de fontibus Tantali.

Quo plus ſunt pota, plus ſitiuntur aquæ:

ſicut dicit poëta. *Matth.*5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *Matth.*8. & *Luc.*9. Vulpes foueas habent,& volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quintus eſt, quòd in mari, hoc eſt, in mundo, dedit viam omnibus ſuis vt tranſeant liberati: & hoc per viam ſtudij ſpiritualis, cui nihil adhæret de cogitationibus ſeculi. *Pſalm.*135. Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones. *Habacuc* 3. Viam paraſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Equi enim quibus inſidet Dominus vt prælietur in fortitudine brachij ſui, ſunt viri ſpiritualis vitæ ſtudium habentes.

Eſt autem hoc brachium formans nos in forma Dei, aduerſarios expugnans, ſuos liberans, liberatos

beratoa protegens, protectos congregans & portans, portatos autem gubernans & regens, & quos rexerit amplexans. De formatione *Eccli.*38. Figulus sedens ad opus suum, in brachio suo formabit lutum: & ante pedes suos curuabit virtutem suam. De brachio expugnationis *Isa* 63. Saluabit mihi brachium meum, & indignatio mea auxiliata est mihi. De brachio liberationis *Psalm* 97. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. De brachio protectionis *Psalm.*117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem. De brachio congregationis & portationis *Isa* .40. In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. De brachio gubernationis & regiminis in *Psalm.*135. Eduxit Israël de medio eorum in manu potenti, & brachio excelso: in quo texit eos quos eduxit & deduxit. *Psalm.*88. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Duobus autem brachiis amplexatur dilectos. *Cantic. vltim.* Læua eius sub capite meo: & dextera eius amplexabitur me. Omnia hæc fecit Dominus, postquam fecit potentiam in brachio suo, hoc est, in Filio suo incarnato: cui Pater vitæ & mortis & omnium dedit potestatem. De potestate vitæ & mortis *Sapient.*16 Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem. *Ioan.*10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum resumendi eam. Quod autem omnium habeat potestatem *Matth.*18. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Sic ergo fecit potentiam in brachio suo. Et hoc præsciens Propheta orauit, dicens *Psalm.*144 Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me.

Dispersit superbos mente cordis sui.

Quinque tangit effectus potentiæ brachij: quorum primi duo sunt contra superbos: duo autem in humilibus, & vnus in diuitibus huius seculi. Primus est quod [Dispersit] hoc est, in diuersa sparsit: quia non sunt vnius voluntatis ambitiosi, sicut nec luxuriosi, & sicut nec auari. De ambitiosis quidem dicitur *Genes.*11. Inde dispersit eos in omnem regionem de campo, scilicet, Sennaar, qui ædificauerunt turrim Babel: & illi fuerunt superbi. Sic dispersi sunt luxuriosi: quia non vnum diligunt, sicut dicitur in *Psalm.*82. Disperierunt in Endor: facti sunt vt stercus terræ. Endor enim interpretatur fons generationis. Sapiens autem *Eccli.*9. dicit, quod mulier quæ est fornicaria, quasi sicut stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Auari etiam dispersi sunt in diuersa volita, sicut habetur *Exod.*5. Dispersus est populus ad colligendas paleas, hoc est, temporalia. Sic ergo dispersit [superbos] hoc est, superuacuos, hoc est, super alios in omnibus viam excellentiæ habere quærentes.

Superbia autem triplex est: specialis, generalis, & generalissima. Specialis vt dicit *August.* est improba voluntas excellendi alios in dignitatis honore & potestate. Generalis est improba voluntas excellendi in laude cuiusque rei. Generalissima est voluntas, siue fastus efferens se extra præceptum & præcipientem: cui tamen subesse tenetur. Prima est Luciferi & suorum, qui dicit *Isa.*14. In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo. Hoc enim adhuc dicunt hi, qui præter vocationem & merita cathedras & gradus dignitatum concupiscunt. In cælum enim conscendere quærit, qui ad domum Dei quærit ascendere. Super astra solium locare, est super bonos quærere dominari. In monte testamenti sedere, est in eminente dignitate quiescere. In lateribus Aquilonis (quæ plaga est frigida & tenebrosa) exaltari, est ad modum dæmonis (cum sit zelo animatum, & charitatis destitutione frigidus) quærere dignitate excellere. Hos dispersit Dominus de loco dignitatis eiiciens, & in infimum sempiterni opprobrij proiiciens. *Ezech.*28. In terram proieci te: ante faciem regum dedi, hoc est, in exemplum superborum. *Isa.*14. In infernum detraheris in profundum laci.

Generalis est, quæ vocatur excellentia siue in nobilitate, siue in victoriis, siue in scientiis, siue in quibuscunque aliis. Et hi sunt qui volunt sibi acclamari vocibus Dei & non hominum, in omni laudabili facto. Et ideo significantur per Herodem *Act.*12. Et hos dispersit Deus. Vnde *ibidem*. Populo acclamante voces Dei, & non hominum; Angelus Domini percussit Herodem: & consumptus vermibus expirauit. *Psalm.*35. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Generalissima superbia proprie vocatur tumor vel inflatio cordis. *Iob* 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus? *Gregor.* Tumor mentis obstaculum est veritatis. Isti significantur *Exod* 9. vbi dicitur, quod erant in hominibus & iumentis vlcera & vesicæ turgentes. Et *ibidem* dicitur, quod steterunt turgentes in conspectu Pharaonis. Hæc superbia est initium omnis peccati. *Eccli.*10. Initium omnis peccati superbia. Quia statim vt homo peccare proponit, voluntatem præcepto Dei & Deo non subiicit. *Tob.*4. Superbiam in toto corde tuo nunquam dominari permitte: quia in ipsa initium sumpsit omnis perditio. Hos dispergit Deus, sicut Beato *Iob* 40. loquitur dicens: Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia: respice cunctos superbos & confunde eos, & contere impios in loco suo. Hos igitur omni modo superbos dispersit.

Mente cordis sui] Mens autem vt *Ioannis Damasc.* dicit, à metiendo dicitur: quia mente ea quæ corde tractamus mensurantur. Mens igitur superborum mensura est eorum, qualiter fastum & altitudinem quam corde tractant, ad effectum perducant. A mente autem cordis dispersi sunt, quando iniquè conceptum & tractatum perficere non possunt. *Iob* 5. Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. *Isa.*8. Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet. 2. *Reg.*15. Dissipa Domine consilium Achitofel.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Hic tangit secundum effectum brachij Domini in

in superbis: & continuatur sic. Dispersit enim superbos. Et modus quidem dispergendi est, quia [Deposuit potentes de sede] Tria autem notantur in hoc effectu. Primum est, quod deiciuntur inuiti. Secundum autem est, quod scilicet obnitantur; tamen nihil perficiunt per potentiam seculi. Tertium est, confusio prioris honoris indignè accepti. Dicitur igitur [Deposuit] quod sonat deiectionem inuoluntariam: non enim per se cedunt, sed contra voluntatem deponuntur. *Isa.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Hi significantur per Saul, qui contra voluntatem depositus est. 1. *Reg.* 15. Scidit Dominus Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. 1. *Mach.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, cuius gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.

Potentes] hoc est, in potestate gloriantes, & potestate abutentes: de quibus dicitur *Sap.* 6. Cum essetis ministri regni eius, non rectè iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Sunt autem huiusmodi potentes, qui non nisi potentia vtuntur ad pauperum oppressionem: de quibus dicitur *Sap.* 2. Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ Quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Et isti sunt qui propriè vocantur tyranni: quia potestas est quæ stat circumterminata limitibus iusti & æqui: sicut dicitur *Rom.* 13. Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Hi ergo potentes sunt in tyrannide potentiâ exercentes: qui nomine vsuali potentes vocãtur, & potentia ad voluntatẽ, non ad rationem vtuntur. Potentia autem tali etiã vtuntur: quia peruersa potestate contra Deum in peccatis abutuntur. *Isa.* 57. Viam manus tuæ inuenisti, hoc est, peruersæ potestatis ad peccandum. *Isa.* 5. Væ qui potentes estis ad bibendum, ad ebrietatem sectandam vsque ad vesperam vt vino æstueris, hoc est, seculari gaudio. Hos igitur potentes deponit Dominus. *Iob.* 12. Effundit oppressionem super principes, & eos qui oppressi sunt liberat.

De sede] honoris; vt vltimum genus miseriæ eorum infelicitatis sit, recordari de pristino statu suæ gloriæ. *Eccli.* 10. Omnis potentatus vita breuis. Et Infrà *ibidem*: Radices gentium superbarum arefecit Dominus. Et *Ibidem*: Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis. *Ibidem*: Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vsque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum à terra. Memoriam superborum perdidit.

Et exaltauit humiles] Humiles sunt ab humo cui prostrati sunt, dicti: eo quod nihil inferius se reputant nisi humum, & se conculcandos omnibus exhibent: & isti exaltari propter hoc merentur. *Isa.* 40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Placet enim Deo vt quælibet creatura sibi congruentia cogitet. Et ideo qui factus est de humo, humiliari debet: & exaltatio sibi non debetur, nisi per humilitatis meritum. 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Debentur autem humili quatuor præmia per quatuor quæ sunt in ipso. Est enim in eo sui depressio, sensus suæ vacuitatis, exiguitas, & abiectio. Per depressionem, debetur ei exaltatio: per vacuitatem, impletio: per exiguitatem, gratia: per abiectionem autem sui, gloria. De primo dicitur *Luc.* 14. Omnis qui se humiliat, exaltabitur. De secundo dicitur 4. *Reg.* 4. quod mulier offerentibus sibi filiis impleuit vasa vacua, non pauca. De tertio *Iacob.* 4. & 1. *Petr.* 4. Humilibus dat gratiam. De quarto *Prouerb.* 29. Humilem spiritu suscipiet gloria. Sic ergo exaltauit humiles. *Philip.* 2. Exinaniuit seipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et sequitur: Propter quod & Deus exaltauit illum.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Ecce secundus e[illegible]s brachij in bonis: quia [Esurientes] Est autem esuries vt dicit *Aristo.* *in.* 2. *de anima*, Appetitus desiderij naturalis: & est appetitus refectionis secundum naturam: quod est calidum & siccum quod reficit & restaurat substantiam. Vnde esurientes sunt: qui appetunt cibum, qui non perit. *Ioan.* 6. Quem Pater cælestis dat petentibus se. Est autem hæc esuries gratiæ, Eucharistiæ, sapientiæ, & consolationis Spiritus sancti. De esurie gratiæ *Matth.* 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. 1. *Reg.* 2, Famelici saturati sunt Et 1. *Cor* 4. vsque in hanc horam esurimus & sitimus. De esurie Eucharistiæ dicitur *Ierem.* 31. Implebo animas Sacerdotum pinguedine: & populus meus replebitur bonis. Anima enim ibi dicitur desiderium animale, quod desiderat refectionem. *Psalm.* 62. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, supple, desiderat, esurit, & sitit. *Sapient.* 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Et sequitur: Voluntati vniuscuiusque deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Voluntas enim hic dicitur esuries.

De esurie sapientiæ dicitur in *Psalm.* 80. Aperi os tuum, hoc est, desiderium tuum, & implebo illud. *Eccli.* 15. Cibauit eum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. *Isa.* 21. Occurrentes sitienti ferte aquam: cum panibus occurrite fugienti. Cum panibus (inquam) gratiæ, Eucharistiæ, & sapientiæ. *Luc.* 11. Accõmoda mihi tres panes, quia amicus meus venit de via, & non habeo quod ponam ante illum. Qui de via venit, propter viæ laborem, refectionem esurit.

De esurie consolationis Spiritus sancti *Eccli.* 24. Qui edunt me, adhuc esurient. Dulcedo enim illius cõsolationis semper excitat desideriũ vt iterum accipiatur, & amplius infundatur, & etiam vt habita continuetur. Sic igitur esurientes implet Deus. Et hoc est quod dicit.

Impleuit] hoc est, intus plenos fecit. Vt in hoc notet, quoniam mentem reficit, non ventrem, neque esurientem atrari crumena. *Psalm.* 89. Repleti sumus mane misericordia tua &c. *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Hoc enim implet, quod desiderum satiat & quietat.

Psalm. 77. Mandocauerunt & saturati sunt nimis; & desiderium eorum attulit eis Dominus: non sunt fraudati à desiderio suo. Taliter etiam esorientes impleuit

Bonis] Bonum quidem in tria diuiditur; quorum tamen primum est in secundo, sed non conuertitur: & secundum & primum sunt in tertio, sed non conuertitur. Hæc autem tria sunt: vtile, delectabile, & honestum. Omne igitur vere delectabile est vtile, sed non conuertitur: & omne vere honestum est delectabile & vtile, sed non conoertitur. Primum horum est adminiculans ad meritum, secundum trahens desiderium, tertiom autem perficiens ad virtutis actum. Primum est sicut instrumentum quo vtimur, secundum autem sicut dulcedo qua prouocamur, & tertium sicut quoddam præmiũ ad quod vocamur. Primum est qood ad aliud referimus, vt quod appetendum est obtineamus: sicut necessaria ad vitæ sustentationem, vel ad morum emendationem, vel ad peccati per pœnam emundatiooem, siue expiationem: sicut *Isa.* 48. Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans in via qua ambulas. *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & venerabamur eos: nonne magis obediemus Patri spirituum? Et illi quidẽ in tempore paucorum dierum erudiebant nos secundum suam voluntatem. Hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. *Sapient.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet, & virtutem & iustitiam quibus in vita nihil est vtilius hominibus. De bono delectabili dicitur in *Psalm.* 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem. *Psal.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. De bono honesto (quod optimum est) *Eccli.* 24. Flores mei fructus honoris & honestatis. Fructus enim est quo fruimur. Dicit autem *Augustinus*, quod fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. *Eccle.* 24. Rami mei honoris & gratiæ.

• Hæc bona duplicem habent saporem animæ secundum naturã delectabilem: dulcem videlicet, & pinguem: qui soli sapores sunt secundum naturam delectabiles. Dulce solum nutrit, & pingue facile resoluitur in spiritum. De dulci *Sap.* 16. Substantiam tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas. *Eccli.* 24. Spiritus meus super mel dulcis: hæreditas mea super mel & fauum. De pinguedine dicitur in *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. *Isa.* 55. Audite audientes me, & comedite bonũ: & delectabitur in crassitudine anima vestra. Hos esurientes vt sic esuriant esurit Deus, & comedens & bibens incorporat eos sibi. *Matth.* 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. *Matth.* 27. *Ioan.* 19. Cum penderet in cruce dixit: Sitio. Et statim postea: Consummatum est.

Sunt autem alij esurientes, quos nunquam replet Deus. Et isti sunt triplices: esurientes videlicet pompam seculi, res huius mundi, & lacerationem famæ proximi. Prima est esuries vana, secunda auara, tertia detractoria. Vana, est ambitiosorum: auara, cupidorum; detractoria, est canum. De prima dicitur *Isa.* 29. Sicut somniat esuriens & comedit, & sitiens bibit: & euigilans lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic facti sumus. De secunda *Isa.* 65. Serui mei comedent, & vos esurietis: & serui mei bibent, & vos sitietis. Et causa redditur *Eccle.* 5. Auarus non implebitur pecunia. De tertia dicitur *Isa.* 56. Canes impudentissimi, nescientes saturitatem. Quia detractor non ponit finem detractionibus. Hi ergo nunquam saturabuntur. Sed alij boni implentur bonis Domini, sicut dictum est.

Et diuites dimisit inanes] Tertius effectus brachij diuini in malis. Dicit autem tria. Primum est circa quos est iste effectus; secundum, efficiendi modus; & tertium, est ipse effectus: qui tamen potius defectus est appellandus. Hi autem circa quos est iste brachij potentis effectus, sunt [diuites] Diuites, inquam, qui huius seculi sunt diuites. Et diuites hypocritæ qui se diuites ostentant in spiritualibus. De diuitibus seculi 1. *Tim.* 6. Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. De diuitibus qui sola ostentatione diuites sunt, sicut Iudæi & hypocritæ, dicitur *Apoc.* 3. Dicis quia diues sum, & nullius egeo: & nescis quia miser es & miserabilis & cæcus & nudus & pauper. 1. *Corint.* 4. Iam diuites facti estis, sine nobis regnatis Hos diuites extollit diuitiarum iactantia. *Sapient.* 5. Diuitiarum iactantia quid contulit nobis? vnde *Luc.* 16. legitur de diuite qui epulabatur quotidie splendidè, & induebatur purpura & bysso. Bysso quidem, propter resolutam mollitiem: & purpura, propter diuitiarum iactantiam & ostentationem. De his dicit, quod brachium Domini

Dimisit] Non dicit, fecit, sed dimisit: quia etiam ante inanes fuerunt. Quando enim bona intus implentia non contulit, tunc inanes reliquit: sed apparentem ad tempus plenitudinem in eis diuitiarum iactantia prætendit: sicut sol tenebrosum relinquit, quod suo non implet lumine. *Psalm.* 80 Non audiuit populus meus vocem meam: & Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum in adinuentionibus suis. Sic dimissus, est à Deo derelictus, & à Sanctorum bonis satiantibus derelinquendus. *Osea* 4. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est conuiuium eorum. Diues enim idolatra, sicut dicitur *Ephes.* 5. Auaritia quod est idolorum seruitus. Iste à veri boni possessoribus præcipitur dimitti; quia separatum ab eis habet conuiuium: sicut *Luc.* 16. diues purpuratus à Lazaro paupere. Et ideo sicut boni veri possessor primum ab eo dimissus est; ita postea in inferno diues à Lazaro absque consolatione dimissus est vacuus, cum Lazarus iam sederet in mensa conuiuij regalis: de quo dicitur *Luc.* 22. Vt edatis & bibatis supra mensam meam in regno meo. Vnde sequitur ille qui est ex tali dimissione defectus: inanes siue vacuos. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil secum afferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. *Psalm.* 75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Diuites enim huius seculi nihil habent in futuro seculo; quia hic receperunt bona in vita sua. Et ideo si diuitiis suis non mercantur cælestia à pauperibus, quorum est regnum, nihil inuenient in futuro seculo. Vnde dicitur *Luc.* 16. Facite vobi amicos de mammo-

na

na iniquitatis, vt cum defecentitis recipiant vos in æterna tabernacula. Simul enim taliter diuites defraudantur incerto diuitiarum,& spe quam habent in ipsis: quæ est spes sufficientiæ ex diuitiis. Et ideo dicitur *Psal.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Et causa redditur *Sapient.* 5. Spes impij quasi lanugo, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus. Tria enim sunt in diuitiis, & tria in iudicio diuitis. Tria in diuitiis, flos seculi qui arescit vt lanugo: fastus iactantiæ, qui in ampullas surgit vt spuma: amaritudo solicitudinis, quæ est sicut fumus excæcans oculos. In diuitibus autem sunt aculei spinarum in difficultate acquirendi, & timore perdendi: quæ significantur per cardnum ferentem florem, qui arescit in lanuginem. Instabilitas quæ significatur per aquam, quia diues vndique persequitur fugientes diuitias: & ignem in æstu cupiditatis, qui eleuat fumum quendam instabilem & amarum terrarum diuitiarum. Tria iudicia diuitis sunt ventus iræ Dei, procella, impetus iu eum tollentis pœnæ Vetus autem diffundens fumum est vapor debilis vitæ separatus ab omni consolatione. *Iacob.* 4. Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens: & deinceps exterminabitur. Sic igitur diuites dimisit inanes. *Genes.* 1. Terra erat inanis & vacua, hoc est, terrenorum cupidus affectus. *Ierem.* 4. Aspexi terram: & ecce erat inanis & nihil. Quia etiam seipsum diues euiscerat *Eccle.* 10. Nihil est scelestius quam amare pecuniam: hic enim in vita sua proiecit intima sua. *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit, euomet: de ventre suo extrahet eas Deus. Et ergo dimittitur inanis talis diues.

Suscepit Israël puerum suum

Tertia pars est huius Cantici, propter quam totum introductum est canticum: & dicuntur in ea tria. Primum est humanæ naturæ in diuinam personam susceptiu: secundum est, Dei ab antiquo irascentis nunc ad misericordiam conuersio: tertium est promissorum omnium in hoc verificatio.

Sed attende primo ad literæ constructionem: quia sicut iacet non habet congruam grammaticam. Ordina ergo sic: Deus ipse [suscepit Israël puerum suum: sicut locutus est ad patres nostros] Et hoc fecit[recordatus misericordiæ suæ Abraham] hoc est, Abrahæ exhibendam [& semini eius vsque in seculum] Reuertamur ergo nunc ad primum dicentes.

Suscepit Israël] Tria dicit: vnionis videlicet modum, & assumptum, & assumpti actum. In vnionis modo duo sunt: vnum quidem ex Verbi supposito subintellecto, quod est assumens: & secundum ex verbi significatione, quod est assumptionis modus. Suppositum verbi est, quod primo in Cantico inductum est, eum dixit: Magnificat anima mea Dominum: quia Dominus est assumens, vel brachium Domini, in quo Dominus fecit hanc potentiam. Dicamus igitur: Ipse Dominus in brachio suo potente [Suscepit, &c.] Non enim hoc facere poterat nisi Dominus: nec conueniens erat facere nisi in brachio, quod est Filius. Non enim Pater ab alio est: & ideo neque æternaliter, neque temporaliter nascibilis est. Spiritus autem sanctus quamuis ab alio sit, tamen nascibilis non est: & ideo Filius inconueniens esset. In brachio ergo quod est Filius,qui & ab alio est, & nascibilis vt dicit *Hilarius*, hanc perficit potentiam operationis. *Isa* 40 In brachio suo congregabit agnos. *Ioan.* 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Hebr.* 2. Quia pueri communicauerunt carni & sanguini: & similiter ipse participauit eisdem. Frater enim non esset, qui per natiuitatem non processisset ex eodē patre: nec participauit naturā fratrum. Et ideo pater in se non suscipere debuit, nec Spiritus sanctus: sed Filius vt frater esset, & fratres reconciliaret, in regnum Patris introduceret susceptos. *Psalm.* 29. Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Hic est ergo assumens siue suscipiens.

Susceptionis autem modus est in compositione quærendus. Quod verbum componitur à sursum & cepit: quia assumendos nos, sursum erexit. Suscepit enim in naturam, in gratiam, in defensionem, in gubernationem, & in beatitudinem. Per assumptionem quidem in naturam, erexit nos extra mortem, & Dei Patris iram: per assumptionem autem in gratiam, extraxit nos extra culpam: per assumptionem in defensionem, nos erexit extra hostis victoriosam impugnationem: per assumptionem in gubernationem, nos eduxit extra viæ periculosam dubitationem: per assumptionem in beatitudinem, nos extraxit extra miseriam. De assumptione autem in naturam, ad *Hebr.* 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. *Ierem.* 13. Sicut agglutinari solet lumbare ad lumbos viri: sic agglutinaui mihi omnem domum Israël. *Ierem.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.

De susceptione in gratiam dicitur in *Psalm.* 106. Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Et ipsa humana natura dicit. Non discedimus à te, viuificabis nos Domine: & nomen tuum inuocabimus. De susceptione autem in defensionem contra hostis impugnationem dicit *Psalm.* 118. Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. *Psalm.* 29. Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me: nec dilatasti inimicos meos super me. *Iob* 17. Pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me. De susceptione in gubernationem *Genes.* 43 Ego suscipio puerum: require illum de manu mea, nisi reduxero & reddidero tibi. *Psalm.* 118. Suscipe me secundum eloquium, tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea. De susceptione in beatitudinem dicit *Psalm.* 64. Beatus quem elegisti & assumpsisti; habitabit in atriis tuis.

Per primam assumptionem homo est vnctione deitatis inunctus. Per secundam autem est per gratiam sanctificatus. Per tertiam per virtutem deitatis defensus. Per quartam per lucem diuinam secutè deductus. Et per quintam omni beatitudine glorificatus. Primam fecit Deus per seipsum, secundam inquantum gratia plenus, tertiam inquantum est virtus Patris, quartam inquantum veritate plenus & sapientia Patris, quintam inquantum est solus beatus qui solus habet immortalitatem, & habitat lucem inaccessibilem 1. *Tim.* 6. Sic igitur.

Suscepit Israël] Quidam voluerunt Israël, hic esse

esse nominatiui casus, vt sit sensus. Israël plebs Iudæorum suscepit puerum suum sibi promissum in lege. *Isa.* 9. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Sed ista expositio non videtur esse conueniens. Sed dicamus quod Israël accusatiui casus est: & est sensus. Suscepit Israel, hoc est, Israelem. Israël enim suscepit, quando semen Israël suscepit. *Rom.* 15. Suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos: in honorem Dei. *Phil.* 3. Sequor siquo modo apprehendam, in quo & apprehensus sum. Et hoc est assumptum.

Puerum suum] Ecce tangit assumpti actum. Et secundum consuetudinem hebraici sermonis, puerum ponit pro seruo. *Phil.* 2. Humiliauit semetipsum formam serui accipiens. *Matth.* 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare: & dare animam suam in redemptionem pro multis. *Isa.* 52. Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, eleuabitur & sublimis erit valde. Iste autem puer à puritate dictus est: quia purus puro corde & purè impleuit omne genus seruitutis ad salutem nostram pertinens. Vide *Act.* 4. Dicunt Discipuli in oratione ad Deum: Conuenerunt in hac ciuitate aduersus puerum sanctum tuum IESVM quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus: & fecerunt quæcunque manus tuæ decreuerunt fieri. Sequitur.

Recordatus misericordiæ suæ.

Videbatur enim Dominus diu oblitus generis humani ex ira primi peccati. Sed tandem pietate victus [recordatus est] hoc est, ad modum recordantis se habuit [misericordiæ suæ] *Habac.* 3. Dum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Est enim prima promissio redemptionis facta ex misericordia. Sed impletio promissionis est ex veritate. *Infrà eodem.* Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos Oriens ex alto. Et subiungit de veritate, dicens.

Sicut locutus est ad Patres nostros: Abraham, & semini eius.

Hebr. 1. Multifariam multisque modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis. Locutus est enim per seipsum *Genes.* 12. & 15. & 17. Locutus est per Angelos *Genes.* 18. Locutus est per Moysen *Exod.* 5. Locutus est per ora omnium Prophetarum *Act.* 3. Locutus est nobis tandem in filio *Hebr.* 1. *Osea* 12. Ego visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum *Psalm.* 88. Tunc locutus es in visione Sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium meum in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Locutus est etiam in corde per Spiritum sanctum. *Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus meus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. Ecce sic [locutus est ad Patres nostros] quorum nos sumus hæredes. Nec tantum locutus est: sed sicut dicitur *Hebr.* 6. interposuit consilij sui iusiurandum: vt per duas immobiles res quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum habeamus solatium. *Infra eodem.* Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. Sequitur.

Abraham] Hoc continuatur ad hoc quod dixit. Recordatus misericordiæ suæ exhibendæ Abrahæ, hoc est, Abrahæ. Hunc igitur specialiter nominat: quia illi primo misericordia ista promissa est. Et quia ipse Pater est promissionis filiorum, sicut dicitur *Galat.* 3. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Vnde dictus est pater multarum gentium. Data est autem promissio Abrahæ: primo quidem in præputio *Genes.* 12. Deinde etiam in circuncisione *Genes.* 17. & dicit *Apostolus Rom.* 4. Sed hoc factum est vt sit pater omnium credentium in præputio, & sit pater credentium in circuncisione, & reputetur eius fides ad iustitiam. Sic enim pater est multarum gentium. Vnde Sequitur

Et semini eius] *Apostolus Rom.* 4. Non qui filij sunt carnis, sed qui sont filij promissionis æstimantur in semine. Semen enim hoc est de quo dicitur *Galat.* 3. Semini tuo quod est Christus. Hoc est enim est semen in quo benedicendæ sunt omnes gentes. *Isa.* 65. Semen benedictorum Domini est: filij & nepotes eorum coram eis. *Eccli.* 44. Semen eorum in testamento stetit. *Isa.* 40. Opus manus meæ, germen plantationis meæ ad glorificandum [vsque in seculum] hoc est, vsque in æternum: quia hoc est seculum, finis horum temporalium seculorum *Exod.* 20. Faciens misericordiam in multa millia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Non enim est finis misericordiæ quamdiu durat nostra miseria. In seculo autem futuro finitur miseria: & ideo vsque in illud seculum fit misericordia.

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.

Hic significatur quare ad montana conscendit, vt videlicet vetulæ prægnanti obsequeretur. Cum enim tres quartæ anni sint tempus impregnationis mulieris secundum naturam: in primis duabus quartis, mulier prægnans non multum est grauis: & ideo in illis fere per totũ occultauit Elisabeth. In vltima vero grauidatur de die in diem, plus & plus. Et ideo tunc reuelatus est partus eius ab Angelo iuuenculæ matri Domini: vt veniat ad obsequendum: & ideo per totam illam quartam mansit cum ea mater Dei vsque ad partum. Et huius sunt quatuor causæ. Prima quidem, vt non otiositatis causa discurrisse videatur. Secunda autem, vt quamdiu durat necessitas proximi, ab ipsa exemplum obsequendi præbeatur. Tertia autem, vt virtus matris Ioannis & nati augeatur ex mansione sua. Quarta tandem, vt hæc quæ ab Angelo dicta fuut de præcursore, oculis fidelibus ab ipsa conspiciantur.

Otiose enim discurrentes non diu valent in vno loco pedibus suis consistere. *Prouerb.* 7. 1. *Thes.* 4. Operam detis vt quieti sitis, & vestrum negotium agatis. Inquietudo enim tam in viris quam in mulieribus vituperatur. 2. *Tim.* 3. Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius penitus abnegantes: & hos deuita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis. Talis enim discursus non est, nisi vt hauriantur vndique libidinis fomenta. *Sapient.* 2. Vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ: non sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra. Mansio autem talis significatur *Genes.* 18. vbi etiam in aduentu Angelorum sancta

cta fœmina Sacramenta, inuenta est in tabernaculo. Dat etiam exemplum non parumper sed tamdiu obsequendi donec finiatur indigentia proximi. Sic enim probat verum esse quod dixit: Ecce ancilla Domini. Sunt enim oculi ancillæ semper in manu dominæ. Talibus enim obsequiis non indiget in se, sed in membris & necessitatibus suorum. *Prouerb vltim.* Considerauit semitas domus suæ, non platearum, & panem otiosa non comedit. Domus enim congregatio coniunctorum ibi vocatur. Vnde de domo sua fuit cognata eius Elisabeth. 2. *Timoth.* 5. Siquis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. *Isa.* 58. Carnem tuam ne despexeris. Ex hoc etiam profecit virtus tam Elisabeth quam Ioannis. Vnde *Beda in Gloss.* Nec sola causa familiaritatis tamdiu mansit: sed vt toto tempore Elisabeth & Ioannis cresceret profectus. Nam si in primo aduentu Mariæ Spiritu sancto sunt repleti: multum est illis superadditum tanta mora mansionis. *Genes.* 30. Inueniam gratiam in conspectu tuo. Experimento enim dedici quod benedixerit mihi Deus propter te. Quarta causa etiam in *Gloss.* est: vbi dicit: Tamdiu mansit vt videret præcursoris natiuitatem propter quam maxime venerat. *Iob vltim.* Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Simile *Genes.* 45. Sufficit mihi, vadam & videbo illum. His ergo de causis mansit Maria.

Cum illa quasi mensibus tribus] Quasi dicit temperando locutionem propter paruas dieculas, quibus forte plus vel minus mansit. In mensibus autem tribus, tres sunt lunæ renouationes ex mutuato lumine solis: quæ significant tres ex illuminatrice (quod sonat Maria) mutuatas illuminationes, quas *Gloss.* attribuit fidei, spei, & charitati. Fides enim, vt dicit *August.* ad lumen oculos aperit, spes erigit, charitas figit. *Eccli.* 43. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exufflans. Inde dicitur *Prouerb. vltim.* Non extinguetur in nocte lucerna eius. Omnes enim irradiat: eo quod ipsa est amicta sole: & luna sub pedibus eius *Apoc.* 12. Omnes irradiat pietatis officio, sanctitatis merito & exemplo, & plenæ illuminationis verbo: nihil in tenebris permanet, vbi illuminatrix intrauit. *Isa.* 58. Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt vt meridies.

Et reuersa est in domum suam] *Genes.* 30. Iustum est vt aliquando domui meæ prouideam. Mansit igitur quietam se demonstrando, tribus mensibus. Mansit obsequium pietatis vsque in finem perficiendo. Reuersa est, non semper circa alia, sed aliquando circa propria intendendo. Exiuit in pietatis actionem, & reuersa est ad familiaria in veritatis contemplatione. *Ezech.* 1. Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. *Cantic.* 3. Reuertere, reuertere Sunamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te. Sunamitis (quæ captiua interpretatur) est anima capta iam amore & dulcedine contemplandæ veritatis, inter quas regina fuit anima Beatæ Virginis. Huic sodales sponsi clamant: Reuertere ab occupatione curæ familiaris, reuertere ab obsequio pietatis, reuertere ab actione exercendæ virtutis, reuertere ad limpidam speculationem veritatis, vt in lumine diuino radiantem intueamur te. Sic ergo reuersa est [in domum suam] *Sapient.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conuersatio eius, neque tædium conuictus eius. Istud tamen dictum est per anticipationem: quia non rediit nisi Ioanne iam nato: sed Euangelista anticipat, vt continua sit historia de natiuitate præcursoris.

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

Hic incipit Euangelista agere tam de natiuitate præcursoris, quam de ciuitate Saluatoris. Et primo sicut congruit de natiuitate præcursoris, de qua tria scribit. Primo enim de natiuitatis ortu, secundò de sacramento & sanctitatis & opinionis progressu, tertio vero de conuersationis profectu describit. De natiuitatis quidem ortu describit duo: ordinem videlicet generationis, & modum congratulationis: ordinem generationis quo editus est ad lucem, modum congratulationis in omnibus sibi coniunctis per loci consiuitatem vel per sanguinem. Ordo autem generationis est descriptus in quatuor. Nam in parente ex nomine ad tantum natum significatur idoneitas: in tempore congruitas: in parturitione, virium ad enitendum integritas: in nato verò nobilitas.

Parentis quidem ad tantum vatem pariendum ex nomine idoneitas prænotatur; cum dicitur [Elisabeth] quod interpretatur Dei mei saturitas: Quam quidem saturitatem quidam fastidiunt, quidam esuriunt, quidam saporant, quidam gustant, quidam non ad satietatem sumunt, quidam autem ea saturantur, & quidam vsque ad eructationem & ebrietatem replentur. Eandem fastidiunt quidem desides *Num.* 11. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Et *ibidem Num.* 21. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Et isti sunt mali, palatum cordis infectum habentes. Esuriunt autem iam ad satietatem redeuntes, de quibus dicitur *Matth.* 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Vnde dictum est ab *Augustino*: Cibus sum grandium: cresce, & manducabis me. Saporant autem qui per saporem spiritualem huius cibi aliquantulum sentiunt dulcedinem quasi per odoratum. *Cantic.* 1. Memores vberum tuorum super vinum. Vnde dicitur *Cantic.* 4 Mel & lac sub lingua tua. Gustant autem qui iam ipsam sentiunt dulcedinem. 1. *Petr* 2. Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. Et isti sunt paruuli quibus in primis rudimentis instillatur veritas. 1. *Corinth* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Comedunt qui plus profecerunt, de quibus dicitur *Cantic* 5. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. 1. *Reg.* 14. Gustaui paululum de melle isto, & illuminati sunt oculi mei. Saturantur autem quibus omne desiderium suum facit Deus. *Prouerb.* 13. Iustus comedit & replet animam suam. *Psalm.* 77. Manducauerunt & saturati sunt nimis: & desiderium eorum, &c. *Isa.* 22. Comedunt vsque ad saturitatem. Eructant autem istius saturitatem, de quibus dicitur in *Psalm.* 144. Memoriam abundantiæ suauitatis eructabunt. *Psalm.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum. *Cantic.* 5. Inebriamini charissimi. Talis igitur fuit ista parens, & ideo dicta est Elisabeth. Et dicit temporis congruitatem: cum subdit.

Impletum est tempus] *Glossa*. Verbum impletionis sacra Scriptura in bonorum tantum ortu, vel obitu, vel actu, ponere consueuit: quorum vitam plenitudinem perfectionis habere significat: vt ibi *Luc*.2. Impleti sunt dies Mariæ vt pareret. Et hoc est de ortu. Impleuit Salomon ædificare domum 3.*Reg*.6. Et hoc de actu. Defunctus est Abraham plenus dierum *Genes*.15. Et hoc est de obitu. Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum *Galat*.4. Econtra dies impiorum sunt inanes & vacui. Et hæc quidem sunt verba *Glossæ*.

Et videntur habere instanciam per illud *Genes*.15. Necdum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Et *Isa*.1. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Et ad hoc dicendum secundum *Gloss*. quod omnis plenitudo, perfectionis est & boni. Sed cum dicitur impleta est iniquitas, est plenitudo quæ non est in iniquitate vel peccante; sed potius in sententia iustitiæ. Impleta enim est iniquitas, quæ non est amplius toleranda, sed præscindenda per sententiam. Et ideo impletio iniquitatis non est in ipsa, sed potius est in ea quæ dicitur iustitia iudicis: & ideo ab eo potius est iustitia plena quam iniquitas; sicut dicit *Psalm*.47. Iustitia plena est dextera tua. Istud autem tempus pariendi non est plenum secundum periodum spatij naturalis impugnationis, sed potius secundum impletionem sacramentorum istius natiuitatis. Huius enim initium fuit annuntiatio angelica & supermundana. Decursus autem habuit quinque: conceptum videlicet sterilis & anus ex sene, supernaturalem formationem partus, diuinam sanctificationem in vtero, priuilegiatam exultationem ad præsentiam Christi in vtero existentis, singularem sensum vocis salutantis Beatæ Virginis mirabilem: quem sensum vocat *Ambros*. intellectum. Primum fuit Angelicum ministerium: secundum, fuit super naturam & ætatem existens miraculum; tertium, fuit tatus effectus prædestinationis: quartum, priuilegiatæ sanctificationis: quintum, singularis inspirationis. In primo horum, notatur Ioannis dignitas: in secundo, diuina potestas: in tertio, Dei bonitas: in quarto, diuina gratitudo: in quinto, sapientiæ diuinæ fortitudo. His ergo sacramentis tot & tantis additur ad complementum, natiuitas ex vtero ante illuminationem mundi: ne ante tempus pariens abortiuum faciat imperfectum. Hæc est plenitudo temporis pariendi quam præfiniuit Deus, & de qua supra dixit Angelus: quæ implebuntur suo tempore. *Eccli*.3. Omnia tempus habent & suis spatiis transeunt vniuersa. Tempus nascendi, & tempus moriendi.

Et peperit] Hic notatur virium ad pariendum perfectio & integritas supra impotentiam ætatis, quæ frigida erat & sicca. Ex frigiditate quidem conferens carnes, corrugans pellem, & per consequens impotentiam faciens pariendi. Ex siccitate autem mortificans fœtum: sicut de quibusdam dicitur *Isa*.37. Venerunt filij vsque ad partum, & non est virtus pariendi. Propter quod & Rachel *Genes*.35. Vocauit filium Bennoni, hoc est, Filium doloris mei. Similiter etiam 1.*Reg*.4. Vxor Phinees sacerdotis periclitata est in partu cum capta esset arca: & moriens vocauit filium inglorium, quod interpretatur Ichaboth. Hæc autem cui vires non natura, sed gratia ministrat [peperit] integra manente virtute. *Isa* 26. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Rachel autem periclitata in terra promissionis, impregnata ex semine Patriarchæ, significat religiosos siue clericos viribus propriis ad superna nitentes, quos deficere est necesse: quia ratio humana deficit in lumine diuino, quod humanam virtutem transcendit. Vxor autem Phinees qui interpretatur os mutum, significat eos qui os à diuinis laudibus claudunt: & ideo in diuinis moriuntur per dubitationem, vel errorem: & filium inglorium per errorem morientes gignunt. Hæc autem diuina virtute prædita parit, quæ diuina virtute concepit. Sequitur.

Filium] Quamuis enim sicut dicitur *Eccli*.36. Filia sit aliquando melior filio: tamen vt dicit *Philo in libro suo Exodi*, Imperfecta generatio est filia. Aut enim bona est, aut mala: si bona est, est facta in adiutorium viro. *Genes*.2. Faciamus ei adiutorium simile sibi. Idem *Tobiæ* 8. Tu fecisti Adam & dedisti ei adiutorium Euam. Inquantum enim homo animal coniugale est, facta in adiutorium viri est, & non propria intentione facta: & sic est imperfecta generatio. Si autem mala est filia, est exemplum dissolutionis, fomentum libidinis, conturbatio cognationis, & excidium patriæ. Omnia hæc probantur in Dina filia Iacob *Genes*.34. Et in historiis Gentilium de Helena. Hæc igitur virtutem partus à Deo habens, nihil imperfectum protulit, sed filium peperit: exemplum habens vbi Ecclesia sub specie mulieris parturientis indueitur *Apoc*.12. Quæ amicta sole peperit filium masculum, qui raptus est ad Deum, & ad thronum maiestatis diuinæ. Sic ergo explicat ordinem generationis.

Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

Modum autem congratulationis ponit in quatuor, quorum primum est, facilis tanti miraculi auditus: secundum autem, omnium coniunctorum hilaris & lætabundus concursus: tertium, est auditus lætus & iucundus: quartum autem, congratulationis modus. De primo dicit [audierunt] quatuor sunt facientis auditum facilem, quorum primum, quod sit auris audiendi, & non auris non habens auditum. *Matth*.13. Qui habet aures audiendi, audiat. Hoc autem fit per vitalem & sensibilem & intellectualem spiritum diffusum in auribus, qui diffunduntur in auribus spiritualium virorum. *Apoc*.2. Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Secundum autem est, quod auris lenis sit, quæ de facili locutione spiritus immutetur. *Iob* 4. Vocem quasi auræ lenis audiui. Secundum naturam autem auris fit dura, frigiditate indurante & spiritu auerso, cum quo calor & vita retrahitur. Econtra per spiritum & calorem in aurem protensa lenis efficitur auris. Vnde *ibidem* dicitur: Et quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. Tertium est quod sit zelus, hoc est, amor contendens ad audiendum. *Sapient*.1. Auris zeli audit omnia. Quartum est quod sit patula & intendens ad auditum porrecta, hoc est, auscultans. *Cantic*.8. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te. *Ioan*.3. Amicus

sponsi

sponsi stat & audit, hoc est, auscoltat ad vocem sponsi & sponsæ. Ex his igitur causis facile audierunt omnes qui tunc spirituales erant, & venturum in carne Christum per præsentiam desiderauerunt. Et ideo de præcursore quicquid poterant libenter audierunt.

Vicini & cognati eius] Ecce lætus omnium amicorum concursus. Vicini enim sunt nobiscum in eodem vico commorantes. Cognati autem ex vno progenitore nobiscom per generationem egredientes. Vicini ergo nostri sunt nobiscum vnius vici, hoc est, vnius ciuitatis habitatores. Et hoc quidem sunt Coouicanei in terra vocati. In cælo autem habitant nobiscum Angeli supernam ciuitatem. *Ruth* 4. Vicini autem eius congratulantes dixerunt: Natus est filius Noemi. *Cantic.* 3. Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Cognati vero nobiscom ex vno progenitore Deo. *Malach.* 1. Nonne vnus pater omnium nostrum? *Ioan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 1. *Ioan.* 3. Qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conseruat illum. *Psalm.* 23. Hæc est generatio quærentium Dominum. Isti ergo sunt vicini & cognati. *Ephes.* 2. Non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, hoc est, de domo Dei nati. Ecce venerabilis amicorum concursus. Sequitur lætissimus auditus.

Quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa] Dominus inquam, qui potuit, sicut iam ante dictum est: Qui potens est: & sanctum nomen eius [Magnificauit] hoc est, magnifica liberalitate fecit. Ipse enim est magnificus in sanctitate, atque laudabilis, & faciens mirabilia. *Exod.* 15. Sic enim per magnifica dona eleuata est magnificentia sua super cælos, supercælestibus donis ditans Elisabeth: vt patet per ante dicta [misericordiam suam] quæ per effectum nostram aufert miseriam: opprobrium sterilitatis recompensans vno plurimos valente filio, & impotentiam anilem diuino supplens fœcunditatis miraculo. *Isa. vltim.* Si ego qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus? Hanc misericordiam opprobrium tollentem notauit superius, vbi dixit: Sic fecit mihi Dominus in die qua respexit auferre opprobrium meum inter homines. Misericordia enim ista præuenit anonntiando & fœcundando: subsecuta autem est formando, & sanctificando, & ad lucem luciferum perducendo. *Thren.* 3. Non defecerunt miserationes eius. *Isa* 63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus. Sequitur congratulationis modus, cum dicit.

Et congratulabantur ei] Congratulatio est iucunda gratiarumactio de gratis acceptu dono. *Luc.* 15. Congratulamini mihi quia inueni ouem quam perdideram. Attende ergo, quod congratulari non poterant nisi & ipsa gratularetur. Et ideo licet tristitiam in partu habuit, quia venit hora eius *Ioan.* 16. Tamen iam non meminit pressuræ, sciens per Spiritum quia talem & tantum genuit filium. *Isa.* 54. Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas.

Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum.

Sequitur de sanctitatis istius Præcursoris progressu. Et hoc est quod dicit [Et factum est in die octauo] Tangit autem hic duo, quæ significant sanctitatis eius progressum: quorum vnum est congruentia legis, secundum autem per multa indicia fama sanctitatis. Vt enim legi congrueret Ioannes suscepit circumcisionem. Circumcisio autem quatuor de causis suscipiebatur: quarum vna est, vt præceptum circumcisionis impleatur. *Genes.* 16. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populis meis; quia pactum meum irritum fecit. Secunda est, vt remedium ex circumcisione contra peccatum acquiratur. *Beda.* Idem salutiferæ curationis conferebat in veteri lege circumcisio, quod tempore reuelatæ gratię baptismus conferre consueuit. *Isa.* 52. Non adiiciet vt pertranseat per te incircumcisus & immundus. Tertia est, vt circumcisus legi congruat. Et sic Ioannes iam in vtero sanctificatus circumcisus erat: non vt remedium acciperet, sed vt legi congrueret. Sicut enim dicitur *Matth.* 11. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. A diebus autem Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et ideo Ioannes medium est inter legem & Euangelium. Medium autem participat vtriusque extremi aliquid. Et ideo sicut per simile elementum, & similem actum baptismatis sui, baptismo Christi & Euangelio congruebat; ita per susceptionem circumcisionis congruebat legi & circumcisioni: & ideo circumcisus est. Quarta causa est, vt susceptio circumcisionis circumcisionem & legem terminaret. Et sic Christus accepit circumcisionem. *Rom.* 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et ideo post Christum circumcisio nihil conferebat. *Gal.* 5. Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Dabatur autem circumcisio in signum iustitiæ cordis. *Rom.* 4. Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei. Signum enim erat quod sicut superfluum pelliculæ circumciditur in corpore vbi viget concupiscentia: ita superfluum concupiscentiæ circumcidi deberet in corde. *Roman.* 2. Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & qui in abscondito in spiritu est circumcisio: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. De taliter circumcisis dicitur *Deuter.* 10. Circumcidite igitur præputium cordium vestrorum, & ceruicem vestram durissimam non induretis amplius. *Ierem.* 4. Circumcidimini viri Iuda & auferte præputium cordium vestrorum.

Fiebat autem in die octauo propter octauam resurrectionis, in qua præcidetur ab electis omnia corruptio. Vel forte melius dicitur, quod quia res significata & causata in circumcisione, est circumcisio superfluitatis concupiscentiæ & delectationis: concupiscentia autem & delectatio nihil penitus habens superfluum est admirabilis, pura, & firma, vt docet *Aristot.* Tunc quando omnia alia præciduntur, homo spiritualiter est circumcisus. Delectatio autem admirabilis est, per hoc quod est alta. Pura autem, per hoc quod contrario nullo est admixta. Firma vero, per hoc quod est certa & essentialis secundum seipsam delectās.

Tria autem faciunt altissimam. Primum quidem restrictio carnalis voluptatis in complexione: secundum autem, cohibitio passionis siue tentationis in voluntate: tertium autem, custodia cordis siue exaltatio cordis in sancti Spiritus illustratione. Et de primo quidem botum dicitur 1.*Timoth*.4. Nemo adolescentiam tuam spernat, hoc est, fac vt non contemptibilem habeas adolescentiam. Vnde alibi, scilicet 2.*Timoth*.2. Iuuenilia desideria fuge. Nomen enim incontinentiæ vt dicit *Philosophus* ad puerilia & iuuenilia peccata transfertur. Hæc igitur illustratio gratiæ super voluptatem carnis est prima dies. De secundo habes *Eccli*.18. Fili post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Et hæc est secunda illustratio super passionem in cogitatu & voluntate. De tertia dicitur *Prouerb*.4. Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Et hoc fit cum continetur in alta spiritus consolatione. *Psal*.61. Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Hæc igitur tria faciunt delectationes altissimas & mirabiles. *Psalm*.15. Delectationes in dextera tua vsque in finem.

Duo autem sunt quæ faciunt puras delectationes, quorum primum ad rationem conuersio sensualitatis siue brutalitatis: quia si ad sensuum oblectamenta conuertatur, statim inducit impuritatem. Secundum autem est, vt ratio siue spiritus in simpliciter spiritualibus exerceatur. De primo *Prouerb*.27. Diligenter agnosce vultus pecoris tui, gregesque tuos considera. Vultus à volendo dicitur, hoc est, per rationis intentionem quid velit sensualitas dicute; & motus pecorinos tuos cohibe. *Psalm*.72. Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum. Iumentum enim apud Deum, est iumentinus motus per spiritum relatus in Deum. Et hæc est illustratio quarta, & dies quartus. De exercitio autem spiritus in spiritualibus dicitur 1.*Corinth*.2. Spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Et hæc est illustratio quinta. Licet enim animalis motus sit naturalis; tamen est communis & non purus, nisi ad spiritum purum referatur. Hæc igitur duo puram & non habentem contrariam faciunt delectationem

Tria autem sunt quæ faciunt eam firmam, quæ sunt separatio à tribus: vt ipsa quidem nulla sit species mali, nulla species insipidi, nulla species imperfecti. Et hæc tria notantur *Rom*.12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Bona, simplicem formam habens boni, nihil mali admixtum. Beneplacens autem est voluntas pascens, quæ pascitur in volito. Et hoc non potest esse transitorium, quia hoc est insipidum. Perfecta autem est, cui nihil deest. Et hæc nihil habet imperfectum. Delectatio igitur nihil habens carnalitatis, nihil passionis inordinatæ, sed multum habens altitudinis. Item in qua animalitas tota conuersa est ad spiritum, & spiritus exercitatus in Deum, quæ est de delectabili bono beneplacente & perfecto, facit optimam delectationem. Et hi sunt octo dies, in quibus circumciditur à delectatione id quod est superfluum.

Venerunt] supple vicini & cognati eius. De quibus iam dictum est *Isa*.60. Fili tui delonge venient, & filiæ tuæ de latere surgent. *Psalm*.121. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini [circumcidere] superfluum concupiscentiæ & delectationis deponendum significare. *Genes*.34. Vnum est quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes[puerum]à puritate dictum: quia si expectaretur ad ætatem adultam, circumcisio de se peccatum actuale non curasset: sed si dimissum fuisset, hoc esset de misericordia Domini. *Genes*.17. Infans octo dierum circumcidetur.

Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.

Ecce indicium futuræ sanctitatis ex nomine. Et dicuntur hic duo, quorum primum est impositio nominis, secundum autem nominis impositi effectus & prodigium. Impositio nomiois quatuor habet diuersitates: vnam quidem patris nomen imponere volentium, secundam autem matris contradictionem, tertiam patri vt nomen promulget innuentium, quartam autem patris cum matre consensum. Dicit igitur.

Et vocabaur] hoc est, vocandum censebant [nomine patris sui] vt sicut imago patris profusa est in filio, ita nomine ipsius prænotaretur: & hoc iudicabant legi diuinæ esse consonum *Deuter*.25. vbi sic dicitur: Quando habitauerunt fratres simul, & vnus ex eis absque liberis fuit mortuus, vxor defuncti non nubat alteri: sed accipiat eam frater eius, & suscitet semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israël. Ex hoc enim argumentati sunt, nomine patris primogenitum esse multo magis appellandum, vt non deleatur nomen eius ex Israël. Et hoc quidem satis rationabiliter existimabatur ab ignorantibus mysterium, quod de noua gratia & nouo populo Angelus reuelauit. Si enim lex mansisse debuisset, & Israël populus antiquus: congruum esset & nomen Sacerdotis in populo remanere. Sed quia sacerdotium iam erat transferendum: & sicut dicitur *Hebr*.7. translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat: ideo nec puer sacerdotio patris successerat, nec nomen ab ipso remanendum accipere debuit: sed nomen erat delendum sicut & sacerdotium. *Psalm*.15. Nominum eorum per labia mea non recordabor amplius. Quamuis enim pater fuerit venerabilis & omni honore dignus: tamen nomine suo & statu significat transferendum esse sacerdotium: quod non nisi in memoria, & non in obseruatione debuit remanere. Et ideo etiam memor Domini interpretatur. *Ier*.51. Recordamini procul Domini: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. *Isa*.43. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua & nunc orientur.

Et respondens mater eius dixit] Ecce secunda diuersitas matris per maritum edoctæ mysterium nouæ gratiæ, quod præfiguratur in nouo nomine. Et ideo etiam contradicendo respondet [Nequaquam] Simile *Genes*.32. Nequaquam vltra vocaberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum, quod rectissimus est in quo est gratia Dei, scilicet, Ioannes in quo est gratia. Et hoc est quod sequitur

tur [sed vocabitur Ioannes] Hoc enim est nomen aliud, nomen nouum, nomen quod os Domini nominauit, nomen gratiæ, & nomen amicum, nomen ea quæ sunt legis nouæ prætendens sacramenta. Aliud enim est quod notam facit melioris status. Nomen mandatorum nouorum & innouantium est figura. Nomen quod os Domini nominauit, qui solus hanc gratiam dare potuit. Nomen gratiæ quam lex vetus non contulit. Nomen amicum quod reconciliatis & amicis competit. Quod enim aliud sit *Isa.65.* dicit: Vocabit seruos suos nomine alio, in quo qui benedictus est, benedicetur in Deo, amen. Quod autem sit nouum *Isa.62.* Vocabitur tibi nomen nouum. Et subiungitur: quod os Domini nominauit. Quia solus Deus hoc nomen ad initium nostræ salutis inuenit. Nomen etiam est gratiæ: quia Ioannes sonat gratia Dei. *Exod.34.* Inuenisti gratiam coram me, & ipsum noui ex nomine. Nomen etiam amici ad amicum. *Ioan.3.* Amicus sponsi stat & audit, & gaudet ad vocem sponsi & sponsæ. Sequitur

Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum.

Tertius paragraphus matri obnitentium, & patri de nomine innuentium: & ideo iste paragraphus duo continet. Obnituntur enim voluntati matris, dicentes [quia nemo est] Pleonasmos est more hebraici idiomatis, & abundat coniunctio, quia. Vel sic legatur. Volumus nomen patris imponere, & non tibi consentire [quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine] Et ideo secundum legem præinductam, hoc nomen puero non esse imponendum videtur. Significant autem isti, sicut dicit *Glossa*, eos qui paternas æmulantur traditiones, & zelant statum veteris legis: de quibus dicitur *Galat.1.* Proficiebam supra modum in Iudaismo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. *Rom.10.* Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Significant autem & illos qui antiquas antecessorum suorum consuetudines æmulantur, & ad noua meliora suis transire dedignantur: contra hoc quod dicitur *Leuit.26.* Vsque ad noua comederis vetera: nouis autem superuenientibus, vetera proiicieris. Quando est error, vel peruersitas, vel imperfectio in veteribus deserenda sunt: quia quanto mala consuetudo diutius tenetur, tanto miserabilius miseram animam tenet obligatam. *Hebr 8.* Quod antiquatur & senescit, prope interitum est. *Baruch 3.* Quid est Israël quod in terra inimicorum es inueterasti in terra aliena. Isti ergo sic vetera æmulantes dicunt: Quia nemo in cognatione tua est, quæ tota est perditorum generatio: quia *Hebr.7.* Nihil ad perfectum adduxit lex. *Galat 3.* Lex iram operatur. *Rom.5.* Lex subintrauit vt abundaret delictum. Nemo ergo est in cognatione eorum qui sunt sub lege, qui vocetur hoc nomine diuinæ gratiæ. Lex enim per Moysen data est in onus & figuram. Gratia autem & veritas per Christum IESVM facta est *Ioan.1.* *Ephes.2.* Omnes nascimur filij iræ. Amplius autem adhuc zelantes.

Innuebant patri eius] Ex isto patet, quod pater factus fuit surdus & mutus: quia si surdus non esset locuti fuissent, & non nutibus innuissent eidem. Fuit autem ista innuitio per nutus, vel per scripturam, vel per alium quemcunque modum in quo vis nulla, & per nutus illos interrogabant [quem vellet vocari eum] quia pater potior est quam mater, & magis est de filio interrogandus. *Isa.45.* Ventura interrogate me super filios meos, & super opera manuum mearum mandate mihi. Præsumebant enim quod pater in filio zelaret permanentiam sui nominis: sicut & in natura filium protulit vice pignoris.

Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

Ecce quartus paragraphus de patris cum matre consensu: & tangit duo: consensum, & effectum in aliis. De primo dicit [Et postulans] nutu quo poterat [pugillarem] à pugno dictum: & est tabula pugno clausa [scripsit, dicens] quia voce non poterat, nec expressum determinati nominis signum dare poterat [Ioannes est] iam ante ab Angelo impositum, non ab alio imponendum [nomen eius] non mutandum. Attende autem tria esse in facto patris. Scripsit enim, & in pugillari scripsit, & iam existere non imponendum nomen significauit. Scripsit quidem ob æternam nouæ legis memoriam. *Apoc.3.* Scribam super eum nomen meum nouum & ciuitatis nouæ Ierusalem: quæ ciuitas à Ioannis nomine per gratiam prædicatam incepit. Scripsit autem in pugillari, vt semper in pugno ad manum paratum habeatur: vt pro tanta gratia semper agatur gratiarum actio. *Habac.2.* Scribe visum & exara eum super tabulam, vt percurrat qui legerit. Significat autem nomen præexistere, quia non dicit, erit, sed, est dicit. *Isa.49.* Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Sequitur de effectu cum dicit.

Et mirati sunt vniuersi] de patris & matris in vno nomine consensu. Cum ante pater matri nihil de hoc potuerit esse locutus. *Eccli.25.* In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt placita coram Deo & hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, vir & mulier bene consentientes. Hic enim ex consensu viri & mulieris nata est concordia fratrum, & cognationis vis, & amor proximorum in omnibus vicinis.

Apertum est illico] Ecce nominis est effectus in patre: & causatur effectus duplex: sanitas videlicet in corpore, & prophetiæ in mente. De effectu quidem sanitatis in corpore tangit duo: miraculum videlicet in corpore, & stuporem in astantibus. De miraculo quidem dicit duo: miraculum scilicet, & miraculi probationem. Circa miraculum tangit duo: oris videlicet apertionem, & linguæ solutionem. Apertio oris dicit instrumentorum loquelæ reserationem in se. Linguæ autem solutio dicit resolutionem eorundem in comparatione ad auditum. Dupliciter enim ligata fuerunt: in seipsis enim habebant ligamen quod mouere non poterant ad loquelæ modulos formandos:

mandos:

mandos:& in comparatione ad auditum impedimenta habebant, ita quod ſpiritus qui eſt in aure non aduexit eis formas auditorum. Habent enim colligationem inſtrumenta oris cum aure: quia aliter non eſſet obedientia auditui. Et huius ſignum eſt: quia ſtridor acutus & durus excitatus in auribus diſſolutiuum dolorem excitat in dentibus. Et ſic dupliciter ſoluuntur inſtrumenta oris. De primo dicit [Apertum eſt autem] per gratiam quam ſonat Ioannes [illico] hoc eſt, ſtatim. Quia ſi non ſtatim eſſet reſeratum [os eius] putaretur ex alia quadam cauſa proueniſſe, quando ſtatim ſic impletur verbum Angeli qui dixit: Non poteris loqui vſque in diem quo hæc fiant, quæ implebuntur ſuo tempore. Gratia enim inchoata per Ioannem ſtatim diffudit ſanitatis effectum. *Ierem.* 17. Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. Et tangit ſecundam reſerationem in comparatione ad auditum [Et lingua eius] *Marc.* 7 Statim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur recte *Luc.* 11. Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Et ideo ſequitur ſignum duplex, naturæ, & gratiæ. Naturæ quidem, quia

Loquebatur.] Gratiæ quidem, quia benedixit Deum. Dicit igitur [loquebatur] *Marc.* 7. Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui. *Iſa.* 35. Aures ſurdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum. *Iſa.* 32. Lingua balborum velociter loquetur & plane. Et ſubiungit effectum gratiæ [Benedicens Deum] *Tob.* 12. Vos benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia eius. Gratia enim accepta exigit, quòd gratiæ agantur. *Tob.* 12. Sacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei enarrare honorificum eſt. Gratia enim aperit os in gratiarum actione.

Attende quod moraliter quidem ſex ſunt quæ claudunt os, & ſex per antidotum quæ aperiunt os. Claudunt peccati conſcientia, Scripturæ ignorantia, labia per nugas ſæpe polluta, poteſtas terrens tyrannica, malitia audientium obſtinata, immemoria de accepta gratia. De primo horum dicitur *Ezech.* 16. Scies quod ego Dominus, & recordaberis vt confundaris: & non erit vltra aperire os præ confuſione tua. De ſecundo dicitur *Iſa.* 56. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare. De tertio dicit *Bernard.* In ore idiotæ nugæ ſunt: in ore autem Sacerdotis nugæ ſacrilegia ſunt. *Iob* 39. Qui leuiter locutus ſum, reſpondere quid poſſum? manum meam ponam ſuper os meum. *Pſalm.* 62. Obſtructum eſt os loquentium. *Iſa.* 6. Væ mihi, quia tacui, quia vir polluti labij ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. De quarto dicitur *Iſa.* 10. in perſona diaboli & tyrannorum: Vniuerſam terram ego congregaui: & non fuit qui moueret pennam & aperiret os & ganniret. Et hoc improperat Dominus *Ezech.* 13. dicens: Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël: vt ſtaretis in prælio in die Domini *Pſalm.* 37. Sicut mutus non aperiens os. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. De quinto *Ezech.* 3. Linguam tuam adhærere faciam palato, & eris mutus: nec eris quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. De ſexto *Pſalm.* 136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, hoc eſt, quia non fui memor ex multis beneficiis mihi collatis. *Matth.* 25. dicitur de ſeruo pigro, qui donum Domini ad lucrum non conuertit: cum ſuſtineret de hoc increpationes quod reſpondere non potuit. Et de illo qui intrauit abſque veſte nuptiali quod obmutuit: quia gratus non fuit inuitanti.

Sex autem quæ è contrario aperiunt os ſunt: in Spiritu ſancto conſcientiæ teſtimonium, ſacræ ſcripturæ cor armarium, os in bonis & magnis exercitatum, contra tyrannos cor imperterritum, populi audientis deuote collegium, bonorum acceptorum ſemper os gratum. De primo horum 2. *Corinth.* 6. Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Cum enim cor in conſcientiæ bonæ teſtimonio dilatatum eſt, os ad prædicandum & ad redarguendum eſt patulum. De ſecundo habes *Sap.* 10. Sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit diſertas. *Ezech.* 3. Aperui os meum, & cibauit me volumine. De tertio *Matth.* 5. Ipſe aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati &c. Ibi *Gloſſ.* Aperuit os magna locuturus, non ſcurrilia. De quarto *Act.* 10. Petrus aperiens os ſuum dixit: In veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus. *Eccli.* 46. In diebus ſuis non extimuit principem. De quinto *Eccli.* 24. In Eccleſiis Altiſſimi aperiet os ſuum, & in conſpectu virtutis Altiſſimi gloriabitur. Quia Eccleſiæ libenter audiunt. De vltimo dicitur *Tob.* 13. Tobias ſenior aperiens os ſuum benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula regnum tuum. Sequitur.

Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Ecce hic ponitur id quod eſt effectum gratiæ conſequens in cordibus eorum qui tantum viderunt prodigium. Sunt autem effectum hunc ſigna quatuor conſequentia: timor videlicet admirationis, diuulgatio tantæ operationis, repoſitio rei in memoria cordis, & omnium qui iſta viderunt, de futuro ſtatu pueri ſtupor inquiſitionis. De primo horum dicit [Et factus eſt timor] Hoc eſt motus ſecundum ſyſtolem cordis ex magna apparitione. *Pſalm.* 54. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Quia vt dicit *Pſalm.* 39. Non potui vt viderem, cauſam ipſorum quæ apparuerunt per effectum. *Iſa.* 21. Horrui cum audirem, turbatus ſum cum viderem, emarcuit cor meum: tenebræ ſtupefecerunt me [Super omnes vicinos eorum] quia illi viſu prodigiorum percuſſi ſunt, & illi magis territi ſunt quam hi ad quos tantum fama peruenit. Videbant enim patrem propter incredulitatem horum prædictorum acriter punitum: & ideo ſe ſi diſcrederent his qui in præſenti viderunt, timuerũt acrius eſſe puniendos. *Iob* 4. Pauor tenuit me & tremor: & cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. *Iob* 37. Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.

Et ſuper omnia montana Iudææ] Ecce facti

diuulgatio.

diuulgatio. Montana enim Iudææ sunt, in quibus habitabant illi qui fuerunt de sorte Iudæ, vbi fuit regnum Iudæorum, *Psalm.* 86. Fundamenta eius in montibus sanctis. Significant autem montana ista vertices Ecclesiarum, in quibus ista miracula diuulgata sunt. *Ezech.* 36. Vos autem montes Israël ramos vestros germineris, & fructum vestrum afferetis populo meo Israël [diuulgabantur] hoc est, ore vulgi prædicabantur: quia in ore eorum omnium erant ista magnalia [omnia verba hæc] hoc est, digna relatu, de quibus sunt verba. *Isa.* 12. Cantate Domino quia magnifice fecit, annuntiate hoc in vniuersa terra. *Psalm.* 97. Moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. *Ierem.* 31. Audite verbum Domini Gentes, & annuntiate in insulis quæ procul sunt.

Et posuerunt] Ecce tantæ rei positio in memoria cordis. Et hoc est quod dicit [& posuerunt] Positio firmam notat in corde locationem: sicut *Isa.* 28. Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem angularem. Ipsa enim rei magnitudo & raritas facit ad firmam in memoria locationem. Dicit enim *Tullius in fine secundæ Rhetor.* quòd rarum & magnum firmiter locatur in memoria. Sic ergo posuerunt [omnes in corde suo] *Cant.* 8. Pone me vt signaculum super cor tuum. *Psalm.* 118. In corde meo abscondi eloquia tua [dicentes:

Quis putas puer iste erit?] Ecce quæstio admirationis, quam vel quilibet quærit intra ipsum in corde: Vel mutuo à seipsis in admiratione. Et non est quæstio ignorantium sed stupentium de hoc, quid portendant hæc magnalia in futurum. Ista enim apparentia in puero, flores quidā sunt, mirabiles in futuro fructus portendentes. Et ideo dicitur *Zach.* 3. Audi IESV sacerdos magne, tu & amici qui habitant coram te; quia viri portendentes sunt. Inter amicos autem Domini nostri IESV Sacerdotis magni, præcipuus est Ioannes, & ille præcipue magna portendit: & ideo dicunt omnes [Quis putas puer iste erit?

Huic autem quæstioni à quatuor personis quadruplex aptatur responsio. Respondetur enim ab Angelo, à patre Ioannis, ab ipso Ioanne, & à Christo. Ab Angelo in præhabitis: Hic erit magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. A patre Ioannis infrà *eodem*: Tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ab ipso Ioanne *Ioan.* 1. Ego vox clamantis in deserto. A Christo *Matth.* 11. Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. In prima istarum responsionum notatur vitæ sanctitudo, in secunda sapientiæ perfectio, in tertia officij & obsequij promptitudo, in vltima dignitatis celsitudo. Et ideo quærunt [Quis putas puer erit iste?] Et subiungunt rationem quæstionis dicentes.

Etenim manus Domini] plasmans, & formans, operans, protegens: plasmans quidem in conceptione, formans in sanctificatione, operans in virtutum perfectione, protegens in asperrima Sacerdotum & Pharisæorum & Scribarum redargutione. De prima dicitur *Ierem.* 18. Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israël. *Iob* 10. Manus tuæ Domine fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu. De manu formante *Ierem.* 1. Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de ventre, sanctificaui te. Et intelligitur de forma gratiæ. *Psalm.* 118. Manus tuæ Domine fecerunt me, & hoc est, formauerunt me. De manu operante dicitur *Isa* 64. Opera manuum tuarum omnes nos: quia sine eo nihil possumus facere. De manu autem protegente *Isa.* 51. Sub vmbra manus suæ protexit me. His igitur modis quia [manus Domini erat cum ipso] ad mirabilia ostendenda: sicut dicitur 1. *Esdræ* 7. Dedit ei rex secundum manum Domini Dei eius bonam super eum omnem petitionem eius. Et in *eodem infra*: Ego confortatus manu Domini Dei mei quæ erat in me.

Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens.

Sequitur de effectu huius nominis quoad gratiam, cum infert [Et Zacharias pater eius] qui sciens translationem sacerdotij futuram, noluit nomen suum imponi puero, sed nomen gratiæ: vt sicut non transmisit sacerdotium, sic nec nomen transferret ad posteros, sciens in priori statu non esse plenum gratiæ nomen. Hic, inquam, merito nomen filij quod gratiam inchoat, licet Christus eam perficiat [Repletus est Spiritu sancto] Spiritus sanctus hic non quoad habitū accipitur, sed quo ad actum: secundum habitum enim prius habuit Spiritum sanctum; sed hic secundum actum tetigit eum, & incepit diffundi in ipso. *Rom.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Cum enim audiret, & videret, & sentiret in eo tot mirabilia: tum ex oraculo Angeli, tum ex visitatione Beatæ Virginis, tum etiam ex gestu & exultatione pueri, tum ex congratulatione cognatorum & vicinorum, tum etiam ex vaticinio vxoris, quasi multis psaltibus concrepantibus tactus est spiritu prophetico: sicut Eliseus 4. *Reg.* 3. qui dixit: Adducite mihi psaltem: cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini & prophetauit. *Psalm.* 49. Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Omnibus enim psallentibus impossibile est donum Sancti spiritus non tangere cor ad nouam deuotionem. Et ideo dicitur quod [impletus est Spiritu sancto] Quando Spiritus sanctus diffudit in eo donum deuotionis.

Et prophetauit] Congruus ordo vt prius impleatur quis Spiritu sancto, & postea prophetet. Sic enim accidit in Apostolis *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui. Sic etiam præcepit Dominus *Luc. vltim.* Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. Et cum accepissent Spiritum sanctum missi sunt ad prædicandum. Hoc etiam notandum est, vt dicit *Gloss.* quod magna largitas est diuinæ pietatis. Ecce enim loquela quæ sola ablata est diffidenti, cum spiritu prophetiæ restituta est credenti. Quod enim Zacharias in præmissis & surdus dicitur fuisse, hoc etiam falsum est, inquantum auditus ordinatur ad loquelam, quia sine auditu non valet locutio. Locutio enim, vt dicit *Basilius*, est vt nobis inuicem affectus & intentiones nostras pandamus. Et ad hoc idem est locutio [dicens] in

gratiarum

gratiarum actione, & cunctis ea quæ credidit nota faciendo. *Rom.* 10. Fides est ex auditu: auditus autem per verbum Christi. *Psalm.* 115. Credidi propter quod locutus sum. *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Est autem attendendum, quod Elisabeth repleta Spiritu sancto paucis prophetauit: sed Zacharias repletus Spiritu sancto plura dixit. Et hoc congruit. 1. *Cor.* 14. Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui; Sed si quid volunt discere, domi viros suos interrogent. 1. *Timoth.* 2. Mulier in silentio discat cum omni subiectione: Vnde *Gloss.* Elisabeth paucis, Zacharias multis prædicat vel prophetat. Vterque Spiritu sancto repletus loquebatur: sed disciplina seruatur, vt mulier magis discere studeat quæ diuina sunt quam docere.

Benedictus Dominus Deus Israël: quia visitauit.

Istud canticum in duo diuiditur, in quorum primo beneficia generalia gratias agens commemorat, secundo tangit specialia facta circa puerum. Circa generalia duo facit: primo enim enumerat, secundo tangit finem. In enumeratione iterum tangit duo: gratiarum videlicet actionem, & gratias de quibus grates agit. Gratiarum actio ponitur in hoc quod dicit [Benedictus &c.] Benedictus inquam rum in ipsum per relationē bonum suum est dictum. Sic enim fluminis impetus bonitatis Dei largè fluens in nos, lætificat ciuitatem Dei. Et sicut dicitur *Hester* 10. In aquas plurimas redundat gratiarum: vt in ipsum per gratiarum actionem, & nostri reductionem reuertatur. *Tob.* 12. Vos benedicite Dominum, & enarrate omnia mirabilia eius: ipsum benedicite & cantate illi. *Eccli.* 43. Glorificantes Dominum quantumcumque poteritis, & superualebit adhuc admirabilis magnitudo eius: benedicentes Deum exaltate illum in quantum potestis: maior est enim omni laude. Sic ergo sit benedictus

Dominus] qui possidet omnia humilia, solus altus omnibus superpositus. *Prouerb.* 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum. *Sap.* 9. Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ [Deus] qui creauit. *Eccli.* 43. Deus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam. *Psal.* 135. confitemini Deo cæli, qui facit mirabilia magna solus [Israël] Cuius non est, nisi per beneficium *Exod.* 3. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen mihi est in æternum. Semper enim est benefacturus Deus, & benficentia largitatis eius non finitur. *Deut.* 32. Domini creatoris tui qui possedit, fecit, & creauit te. Est autem Dominus serui volentis percipere & obseruare legem Domini sui, sicut dicit *Augustinus*. Et ideo ab initio non dicitur Dominus nisi formatione hominis: quia bos, vel asinus non est seruus. 1. *Cor.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo? *Gloss. ibidem.* De bobus & cæteris brutis non est cura Deo, vt eis legem imponat; sed de homine talem curam gerit. Legem ergo ponens est [Dominus Deus] aut obseruationes legis discutiens. *Hebr.* 4 Omnia nuda sunt oculis eius ad quem nobis sermo [Israël] autem est per benedictionē, quia eius totum semen est in benedictione: cui populo etiam notitiam suam ostendit. *Baruch* 4. Animæquior esto populus Dei, quia ea quæ Deo placent nota sunt vobis: sicut & hic notitiam nouæ gratiæ exhibuit. *Psalm.* 147. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis. Sic ergo [Benedictus Dominus Deus Israël]

Benedictus Dominus Deus Israël] Quare autem benedictus sit, subiungit, quinque beneficia commemorans: visitationis per carnis assumptionem, Redemptionis per Passionem, erectionis potestatis per Ecclesię exaltationem, veritatis promissæ per promissorum impletionem, saluationis per periculorum euasionem. De primo dicit [quia visitauit] *Gloss.* apparens in carne, quos longius à se recedentes iustificata carne curauit. Ergo visitauit sicut medicus infirmum, sicut largus benefactor pauperem tribulatum, sicut magister discipulum, sicut sponsus sponsalem amplexum, sicut prælatus subditum, sicut pastor gregem desolatum, sicut vinitor suam vineam, sicut paterfamilias operatium. Medicus quidem in infirmo quærit sanitatis signum, beneficus in paupere tribulato subuentionis solatium, magister in discipulo professionis studium, sponsus in sponsa amoris amplexum, prælatus in subdito disciplinæ moralis profectum, pastor in grege fœcunditatem & vtilitatem pecorum, vinitor in vinea iucunditatis fructum, paterfamilias in operario siue seruo siue filio siue mercenario actum operosum.

De visitatione infirmi præcipitur *Matth.* 15. Infirmus fui, & visitastis me. *Augustinus.* Magnus aduenit medicus: quia magnus vbique iacebat ægrotus. *Matth.* 9. dicit de se: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Et ideo tulit corpus suum & animam tanquam pyxidem gratiarum: quod Maria significauit *Ioan.* 12. quæ fracto alabastro fudit vnguentum super caput eius: & domus impleta est ex odore vnguenti. Pyxis enim, corpus: vnguentum, gratia: domus impleta, Ecclesia. *Eccli.* 38. Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus. Deo enim est omnis medela. Et *Ibidem infra.* In his curans mitigabis dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. De visitatione benefactoris *Iacob.* 1. Religio mūda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. *Exod.* 3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eum. De visitatione magistri dicitur *infra eodem.* Visitauit nos oriens ex alto. Illuminate his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. *Isa.* 50. Dominus aperuit mihi aurem, vt audiam eum quasi magistrū. *Mat.* 23. *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis: sū etenim. Et *Ioan.* 3. Vnus enim est magister vester. *Ioan.* 3. Rabbi scimus, quia à Deo venisti magister. De visitatione sponsi *Iudic.* 15. Post aliquātulum tēpus venit Samson inuisere vxorem suam tempore messis triticeæ, & tulit ei hœdum de capris. Samson, sol fortis, Christum significat: vxor autem genus humanum, cui tulit hœdum sacrificium pro peccatis offerendum: de capris, de similitudine peccatorum sumptum. *Genes.* 50. Post mortem meam visitabit vos Deus: afferte ossa mea vobiscum. Voluerunt enim patres esse in illa copula, qua Deus sponsam sibi humanam naturam visitauit, & non eum

Ægyptiis

Egyptiis sepulti manere. De visitstione prælati *Iob* 10. Visitatio tua custodiuit spiritum meum. 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei: vt vos exalter in die visitationis. De visitatione pastoris *Exech.* 24. Visitabo oues meas, sicut visitat pastor gregem suum. *Prou.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, gregesque tuos considera. De visitatione vinitoris *Psalm.* 79. Respice de cælo & vide & visita vineam istam: & perfice eam quam plantauit dextera tua. *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis trasiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. De visitatione patrisfamilias 1. *Reg.* 17. Visitabis fratres tuos si recte agant: & cum quibus ordinati sunt disce. *Genes.* 37. Vade & vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi quid agatur. Primum fecit Christus vt medicus per gratiam sacramentalem: secundum, vt diues magnificus per doua virtutum: tertium, vt Sapientia Patris per doctrinæ verbum: quartum, vt Ecclesiæ sponsus per amoris osculum & amplexum: quintum, vt Ecclesiæ caput per motus & sensus in corpus Ecclesiæ influxum: sextum, sicut pastor bonus per pastorale officium: septimum, sicut plantatur cælestium gaudiorum: octauum & vltimum, sicut cultor meritorum bonorum. 1. *Cor* 3. Dei agricultura estis.

Attende autem, quod in visitatione sunt considerenda septem: quorum primum est, vt sine verbo corda præparare non veniat. Secundum, vt seipsum primo discutiat, & secudum se visitet alios. Tertium, vt finem debitum visitationi contingat. Quartum, vt spiritus eorum quos visitat semper custodiat. Quintum, vt sciat quid corrigat. Sextum, vt sicut pater corrigibiles puniat. Septimum, vt sicut iudex gladio incorrigibiles præcidat. De primo dicitur in *Psalm.* 64. Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti genimina eius, & lætabitur germinans. Quod de irrigatione doctrinæ intelligitur. De secundo *Iob* 5. Visitans speciem tuam non peccabis, hoc est, considerans teipsum, *Galat. vltim.* Vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis: considerans te, ne & tu tenteris.

Finis autem visitationis est triplex: quorum primus est in moribus, vt visitati effulgeant in moribus inter electos Dei. Secundus, vt de emendatione lætetur in plebe Dei. Tertius, vt in eis accrescat laus Dei. Et hæc notantur in vna auctoritate in *Psalm.* 105. Visita nos in salutari tuo: ad videndum in bonitate electorum tuorum: Ecce primum. In lætitia gentis tuæ: Ecce secundum. Vt lauderis cum hæreditate tua &c. Ecce tertium.

De quarto, scilicet de custodia spiritus *Iob* 10. Visitatio tua custodiuit spiritum meũ. Vnde etiam *Apostolus* etsi fornicatorem tradidit satanæ 1. *Cor.* 5. tamen fecit hoc in interitum carnis: vt spiritus saluus sit in die Domini nostri IESV Christi. De quinto, quòd scilicet sciat quod nõ nisi iniquitatem corrigat, & non aliquid aliud persequatur. *Psalm.* 58. Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Non dicit, Quia operati sunt, quia illi forte pœnitent. sed qui nunc in præsenti operantur: illi enim non sunt correcti. Sextum est, vt sciat qualiter corrigat corrigibiles qui sunt filij, vt dicit *Psal.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Septimum, vt sciat qualiter præcidat incorrigibiles. *Isa.* 27. Visitabit dominus super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiatham serpentem tortuosum, & interficiet cetum qui in mari est. Vectis, rigidus est & inflexibilis: tortuosus, est dolosus & in astutiis ambulans: cetus autem in mari, est arrogans, qui se magnum reputat, & in amaritudine seditiouum confidit. Omnibus his modis in se, & suis visitauit nos.

Et fecit redemptionem plebis suæ.

Per suæ crucis passionem, & pretij solutionem. Pretium autem redimens debet esse pretiosum, abundans siue copiosum, dapsile non refutabile, damnum soluens, & pignus recuperans. Et hæc quinque fecit pretium redemptionis nostræ. De pretiositate ipsius habetur 1. *Petr.* 1. Non corruptibilibus auro vel argendo redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni tanquam immaculati Christi. De copiositate in *Psalm.* 129. Apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio. Dapsile autem siue non refutabile est, sicut id quod de gazophylacio Dei sumptum est. *Psalm.* 110 Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum. Damnum etiam soluit & restituit, sicut dicitur *Gen.* 31. Ego damnum omne reddebam: quicquid furto peribat, à me exigebas. Pignus etiam recuperat, hoc est, captiuitatem liberat. *Infra* 11. Si autem fortior illo superuenit, intrat in domum fortis, & alligabit fortem, & omnia vasa distribuit in quibus confidebat. *Ephes.* 4. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Sic ergo fecit redemptionem [plebis suæ] quæ paupercula fuit. *Psal.* 9. Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Plebeij enim sunt pauperes de vulgo. *Iacob.* 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?

Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.

Ecce tertius effectus gratiæ de erectione potestatis. Et hoc est quod dicit [Et erexit] hoc est, exaltauit, hoc sursum erigendo [cornu] quod signum est ecclesiasticæ potestatis [salutis] quia salus est in ecclesiastica potestate [nobis] hoc est, ad nostram vtilitatem. In cornu autem notantur natura, positio, vsus, & collatio quam confert animali. Natura est, quia mollificatur caliditate, & riget frigido, & non liquescit vnquam. Et sic potestas regni Christi quæ mollificatur charitate sicut igne, & perlucida est veritate, & non liquescit remissione, nec frangibilis est terrore: sed rigescit contra eos qui frigidi sunt charitate. 2. *Cor.* 13. Non possumus aliquid aduersum veritatem, sed omnia pro veritate Et *Ibidem parum infra.* Secundum potestatem nostram quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram. Sic ergo charitate mollescit, & veritate lucet, & contra frigidum cor & tenebrosum riget. Positione autem est sursum, quod non inclinatur vilibus intus vel affectu car-

nali, 1. *Reg*. 2. Exaltatum est cornu meum in Deo meo. Vsus autem cornu est in arma. Ecclesiastica etiam potestas est arma quibus vincuntur hostes Ecclesiæ. *Psalm*. 131. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea, hoc est, fortitudo mea. Confertur autem animali cornu gratis à Deo, contra eos qui dicunt *Amos* 6. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? *Psal*. 74. Omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iusti. Dicitur autem cornu singulariter, & non cornua: quia principatus ecclesiasticæ potestatis vnus est: licet particulares potestates eorum in partem solicitudinis vocatæ, sint multæ. Et ideo mitra Episcoporum duo habet cornua propter duo testamenta, vel propter duas potestates clauium. Mitra autem summi pontificis, qua coronatur quando electus est, non habet nisi vnum: sicut faciem diadema monarchæ non habuit nisi vnum cornu. *Psalm*. 91. Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum. Et ideo dicitur Christus filius vnicornium, hoc est, Patriarcharum potestatem vnam habentium, quæ est regni Christi. Hoc cornu regni Christi ventilat inimicos, sicut dictum est.

Sic ergo erexit nobis cornu salutis, & hoc [in domo] hoc est, in familia [Dauid] de qua carnem assumpsit [pueri sui] Hoc enim regnum infrangibile & incomminuibile est: sicut dicitur *Daniel* 7. Potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Et in signum huius Dauid cornu olei inunctus est 1. *Reg*. 16. Saul autem, cuius regnum corruptibile est, inunctus est lenticula olei 1. *Reg*. 10. Lenticula autem est vas fictile, facile comminuibile. Sic enim Dauid fuit puer suus, quia secundum cor Dei electus est. 1. *Reg*. 16. Inueni virum secundum cor meum, qui faciet omnem voluntatem meam.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.

Ecce tangit hic quartum effectum gratiæ qui est veritatis, dicens [Sicut locutus est] Quasi dicat. Erexit nobis cornu salutis [sicut locutus est] enuntiatione immobilis veritatis [per os] Singulariter dicit, quia omnes Prophetæ vno ore, hoc est, vno Spiritu sunt locuti. 2. *Petr*. 1. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. *Isa*. 1. Os Domini locutum est [sanctorum] Prophetarum, quia Prophetæ quidam fuerunt non sancti; sicut Balaam *Num*. 22. & 23. & 34. & *Sedechias* 3. *Reg. vltim*. qui Spiritu sancto sæpe locuti sunt falsa: & ideo talibus non in omnibus creditur. 3. *Reg vltim*. Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Sed sancti Prophetæ non dixerunt nisi verum. *Eccli*. 36. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Et *ibidem*. Suscita precationes quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores. *Deuter*. 18. Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, tanquam me audietis eum [Qui à seculo sunt Prophetarum eius] hoc est, ab initio seculi: quia licet non prophetauerunt Patriarchæ ab initio seculi verbis, factis tamen prædicauerunt. Sicut Adam, Abel, Enoch, Noë, Seth, & cæteri. *Osee* 11. Ego visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum, hoc est, in operibus. *Hebr*. 1. Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Tangit quintum effectum gratiæ, qui est euasio periculi inimicorum. Inimici autem sunt duplices: homines, & dæmones. Dæmones antiqui sunt hostes: homines autem noui, qui dæmonibus concitati nos persequuntur. Et hoc est quod dicit [Salutem] in nomine IESV qui salus, vel saluator, vel salutaris interpretatur. *Act*. 4. Non aliud est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri [Salutem] ergo periculi euasionem habemus in IESV nos visitante, qui erexit cornu salutis nobis. *Psalm*. 105. Saluos nos fac Domine, & congrega nos de nationibus. *Ierem*. 31. Redemit Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris: & venient & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini. *Psalm*. 36. Salus iustorum à Domino, & protector eorum in tribulationibus: & adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo. Et hoc est quod subdit [ex inimicis nostris] quia multi sunt. *Psalm*. 3. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius. Singula enim vitia persuadentes, singulæ sunt acies inimicorum. Isti sunt exercitus regis Syriæ, missus ad capiendum Eliseum 4. *Reg*. 6. Isti sunt etiam exercitus Ægypti, egressus ad persequendum filios Israël *Exod*. 14. Et tangit inimicos veteres.

Et de manu] hoc est de potestate [omnium] qui tamen multi sunt [qui oderunt nos] Odium est inueterata ira, vt dicit *Gregorius*. Et isti dæmones inueteratam iram contra nos habentes. *Apoc*. 12. Væ terræ & mari, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam. *Ephes*. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Sic ergo sunt inimici & odientes, ex quibus saluamur, sicut dicit *Psalm*. 43. Liberasti nos ex affligentibus nos; & eos qui nos oderunt confudisti. Sunt autem inimici, caro & mundus. Odientes autem nos, dæmones. Caro quidem vt domesticus hostis mouet seditiones. Mundus autem insurgens facit conturbationes & impeditiones. Dæmones aperti hostes insurgunt ad bella. Vnde dictum est: Mundus, caro, dæmonia, diuersa mouent prælia. Incursu tot phantasmatum, turbatur cordis sabbatum.

Caro autem per quatuor oppugnat, & quatuor nos perficientia impugnat. Quatuor quibus oppugnat sunt ponderositas, opacitas, infirmitas, & fomitis malignitas. Ponderositate oppugnat ad bonū habilitatē, opacitate oppugnat intellectum ad veritatem, infirmitate oppugnat robur ad virtutem, fomitis mala igneitate oppugnat ad honestum & expediens naturalem voluntatem, qua quis condelectatur legi Dei secundum interiorem & naturalem hominem *Rom*. 7. De pondere *Isa*.

Isa 58. Omne opus dirumpe. Et *ibidem*. Solue fasciculos deprimentes: qui sunt in carne ex malo contracto per originale, & ex malo contracto per actuale. *Psalm*.37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Hebr*.12. Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. De opacitate dicitur *Sapient*.9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitatem. *Iob* 3. Viro cuius est abscondita via, & circumdedit eum Dominus tenebris. *Thren*.3. Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem. De infirmitate *Matth*.26. *Marc*.14. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Daniel*.10. Solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. De mala fomitis igneitate *Roman*.7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. *Ibidem*. Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Propter istas quatuor cohortes inimicorum in corpore existentium exclamat *Apostolus Rom*.7. dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondet: Gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Ac si dicat: Ille qui erexit cornu salutis nobis, ille & non alius liberabit.

Mundus etiam nos impugnat per quatuor, & oppugnat in nobis quatuor. Quatuor quibus oppugnat, sunt excellentia dignitatum, diuitiæ cupiditatum, deliciæ voluptatum, & spectacula vanitatum. Excellentia dignitatis expugnat in homine humilem sui status cognitionem. Diuitiæ cupiditatum expugnant naturalem Dei donorum communionem. Deliciæ voluptatum expugnant necessitatis humanæ sufficientiam. Spectacula vanitatum per occupationem animæ in vanis, expugnant bonorum studiorum diligentiam. De primo dicitur *Isa*.14. In cælum conscendam, supra astra cæli ponam solium meum, sedebo in monte testamenti. Sicut enim dicit *Psalm*.73. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper: & nusquam ponit terminum. De secundo dicitur *Eccli*.10. Auarus non implebitur pecunia. *Psal*61. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. De tertio dicitur *Philip*.3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. *Daniel*.14. Non potetis dicere quin iste sit viuens Deus: an non vides quanta comedat & bibat quotidie? Et de luxuria *Num*.25. Initiatus est Israël Beelphegor: & ita deceperunt nos insidiis per idolum Phegor. Phegor est idolum tentiginis, & pingebatur extenso veretro ad coeundum: in cuius templo sacerdos fuit Maacha mater Asa regis 2. *Paralip*.15. De his tribus simul dicitur 1. *Ioan*.2. Omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis quoad voluptatem, aut concupiscentia oculorum quoad cupiditatem, aut Superbia vitæ quoad honoris dignitatem. *Prouerb*.30. Tria sunt insaturabilia, infernus, & os vuluæ. & terra quæ non saturatur aqua, & quartum quod nunquam dicit sufficit, & hoc est ignis. Infernus hic dicitur superbia diaboli: per metonymiam enim continens ponitur pro contento. Os autem vuluæ est voluptas deliciarum. Terra quæ non saturatur, est auaritia quoad actum retentionis illicite acquisitorum. Ignis autem qui nunquam dicit sufficit, eadem auaritia est quoad secundum actum ipsius, qui est acquisitio iniustorum lucrorum. De vanitate autem spectaculorum in ludis, & aliis multis dicit *Eccl*.1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Et dicit quinquies vanitatem: quia quinque sunt vana ab omni studio retrahentia. Vana enim exercitia sunt choreæ, & torneamenta, & huiusmodi: ludi vani, sicut musica vana, & huiusmodi: societates vanæ cum hominibus vanis: pulchritudines vanæ vt pratorum & mulierum: & solicitudines vanæ de non conferentibus ad bonam vitam.

Similiter autem & dæmones qui nos oderunt, mouent bella quadruplici odio: odio gratis inflicto, odio iniquo, odio pro amore debito reddito, & odio pertinaci. Odium gratis inflictum, est odium cum inuidia quæ persequitur bonum. Odium iniquum, est odium contra naturam, quam æquum est diligere. Odium pro amore inflictum, est odium contra gratitudinem quæ debetur benefactori. Odium pertinax, est iræ implacabilis. De primo dicitur in *Psalm*.119. & *Ioan*.15. Odio habuerunt me gratis. *Psalm*.119. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. De secundo dicitur in *Psalm*.24. Odio iniquo oderunt me. *Psalm*.118. Iniqui persecuti sunt me gratis. 3. *Reg*.19. Ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. De tertio dicitur in *Psalm*.108. Pro eo vt me diligerent, hoc est, diligere deberent, detrahebant mihi, & posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. *Ierem*.18. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? *Psalm*.8 Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. De quarto dicitur *Habac*.2. Dilatauit quasi infernus animam suam: & ipse quasi mors & non adimpletur. Non enim ponit finem malis. *Iob* 16. Nunquid habebunt finem verba ventosa, aut aliquid tibi molestum est si loquaris? Sic ergo fecit salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Sequitur.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Hoc est secundum primæ partis cantici, in quo ponit vsum siue vtilitatem præcedentium quinque quæ fecit. Diuiditur autem in duo. Fecit enim præcedentia, vt perficeret in nobis inchoatam in illis nostris patribus misericordiam, & vt ostenderet promissæ gratiæ immobilitatem. De primo quidem dicit sic [Ad faciendam] Sic continua. Erexit nobis cornu salutis visitando & redimendo [Ad misericordiam] inchoatam per promissa [cum patribus nostris faciendam] hoc est, perficiendam in nobis. Sic enim dicitur Ecclesiæ in *Psalm*.44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, hæredes soluendæ promissionis factæ patribus. Misericordia enim fuit, quod nullis nostris meritis promisit, & multis nostris obstantibus demeritis exhibuit. Deus enim nulli obligatur, & nulli aliquid debet: vt dicit *Hieron*. sed sibi omnia creatura debet totum quod est, & quod habet, & quod potest: quia ipse fecit nos, & non ipsi nos. Vnde nihil habemus dicere nisi illud *Thren*.3. Misericordiæ Dei quod non sumus consumpti. Quia

non defecerunt miserationes eius. Et illud *Psal.* 32. Misericordia Domini plena est terra. Et si aliquando propter demerita iratus est, tamen misertus est nobis. Vnde vnus patrum dixit *Genes.* 32. Minor sum cunctis miserationibus tuis & veritate. Istæ sunt enim misericordiæ de quibus dicit Dauid *Psalm.* 88. Misericordias Domini in æternum cantabo. Et *Psalm.* 24. Vniuersæ viæ Domini sunt misericordia & veritas. Vnde subiungit.

Et memorari testamenti sui sancti] Et hoc est secundum istius particulæ: & habet duos paragraphos, quorum primus est de veritate simplicis promissionis. Dicit [Et memorari] hoc est, vt memor sit [testamenti sui] immobilis ordinationis voluntatis suæ [sancti] Hoc est, firmi & immobilis. *Hebr.* 9. Testamentum in mortuis confirmatum, alioquin nondum valet donec viuit qui testatus est. Sed hoc est ideo quod humana voluntas mobilis est, & nulla est immobilis nisi vltima, quia illi non superuenit alia: non autem fit vltima nisi per mortem. Sed omnis voluntas beneplaciti in Deo est immobilis, quia beneplacitum Dei mutari non potest: & ideo voluntas beneplaciti in Deo testamentum est. Et hoc est quod dicit [memorari] hoc est, vt memoretur quia diu fecerat ac si esset oblitus. Vnde *Psalm.* 43. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris tribulationis nostræ? *Psalm.* 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? *Isa.* 49. Dixit Sion. Dereliquit me Dominus, & Dominus mei non est recordatus. Vt hoc ergo amoueat dicit: Et memorari testamenti sui [sancti] hoc est, firmæ & confirmatæ promissionis suæ. Quod enim primum est misericordiæ diuinæ, hoc per promissionem exhibitam factum est veritatis: quia sic iustificatur, hoc est, verificatur in sermonibus suis. *Tit.* 1. Quam promisit qui non mentitur Deus. *Rom.* 3. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax. Hoc est quod petit *Eccli.* 36. Suscita precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores.

Quia autem dupliciter loquitur Deus, scilicet, secundum sententiam verborum, sumens causam locutionis ex opere nostro. Et hoc aliquando mutat. Loquitur etiam & ex consilio suo quod est immobilis prædestinatio futurorum. Mutat autem Deus aliquando sententiam quam verba faciunt: eo quod illa est comminatio sumpta ex opere vel promisso: sicut patet in hoc quod dicit *Ionæ* 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et illud *Isa.* 38. Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues. Quod tamen mutatum est. Et ratio additur *Ierem.* 18. per totum: vbi dicit Dominus, quod si mala comminatur alicui genti, & illa gens pœnitentiam egerit: quod & ipse Dominus pœnitebit de verbo suo, & non inducet malum. Et si bona promittit, & illa gens peruersa egerit malum, reuocabit verbum suum, & inducet malum. Quia sicut lutum est in manu figuli, sic nos sumus in manu Domini. Quamuis enim figulus incipiat vas facere super totam in honorem: si lutum est nodosum & malum lutum, ex figulo confringitur, & facit vas in contumeliam. Et e contra: si incipit facere vas in contumeliam, si præter spem aptatur lutum, & exhibet se ad honorem: conuersus figulus facit inde vas ad honorem. Sed quando loquitur Dominus non ex opere nostro, sed ex suo æterno consilio, nunquam mutatur. Homo autem nescit, vtrum ex sententia tantum, vel ex consilio loquatur: & ideo dubitat vtrum sermo Dei immobilis sit: propter quod propter infirmitatem dubitationis hominis, Deus apposuit verbo suæ simplicis promissionis iusiurandum. Et hæc fuit causa quare Deus iurauit Et hoc est quod dicit.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Attende autem, quod iuramentum nihil aliud est, nisi confirmatio veritatis mobilis, de qua dubitari potest, per inuocationem veritatis immobilis. Et cũ immobilis veritas non sit nisi in Deo, non potuit Deus iurare nisi per semetipsum. Homines, mobilẽ habentes veritatẽ in semetipsis per maiorẽ sui iurant: sed cũ Deus iurat per semetipsum, tunc super veritatem sententiæ inuocat veritatem sui consilij, quæ est immobilis. Vnde *Hebr.* 6. Homines per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis suæ hæredibus immobilitatẽ: quia non habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. Et hæc fuit causa quare opportunum fuit quod Deus iuraret, & quod iuraret per semetipsum.

Attende iterum, quod duo sunt in substantia iuramenti: dicta veritas mobilis, & confirmans veritas immobilis. Et hæc duo sunt de per se bonis. Et ideo iuramentum est per se bonum & optimum. Est autem frequentia eius prohibita propter incautelam. Hominis enim dictum est valde mutabile, cum omnis homo sit mendax, quando loquitur ex propriis. Et ideo valde timendum est, ne inuocetur ad confirmandum diuina veritas super hoc, quod diuinæ veritati non congruit. Et ideo dicitur *Eccli.* 23. Iurationi ne assuescat os tuum: multi enim casus in illa.

Adhuc autem, sicut dicitur *Ierem.* 4. Tres sunt comites iuramenti: iudicium, veritas, & iustitia. Iudicium quidem quo discernat quid, quando, qualiter, & qua de causa iurandum sit. Veritas autem scita quæ est ita sicut res habet. Iustitia autem quam ordo causæ & iuris expostulat: quando videlicet iudex exigit iuramentum propter incredulitatem agentis: tunc etiam homo meritoriẽ iurat. De hoc autem & similibus multa notata sunt à nobis super illud *Matth.* 5. Ego autem dico vobis non omnino iurare. Hoc ergo est quod dicit.

Iusiurandum] Et hoc est secundum illius partis, in quo tangit suæ veritatis plenitudinem Tangit autem tria: iuramenti confirmationem, & quid iurauit, & propter quid. De iuramento autẽ dicit sic [Iusiurandum quod iurauit] *Psalm.* 109. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Quid autem Abrahæ iurauit, habes *Genes.* 12. 15. & 22. Per memetipsum iuraui dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito tuo propter me, benedicens benedicam te. *Ierem.* 11. Ero vobis in Deum, vt suscitem iuramentum quod iuraui patribus vestris, daturum me eis terram fluẽtem lac & mel. Et in hoc falluntur hæretici dicentes, quod Deus sicut omnipotens iurare potuit: sed nobis iurare interdixit. Quia omnis actus

quem

quem nobis communicabilem Deus fecit, non facit Deus nisi exemplum nobis dando: sed incommunicabiles nobis actus, sicut miracula, facit vt nos in sui trahat admirationem. Sic ergo iusiurandum habuit [ad Abraham patrem nostrum] & redditum. *Hebr. 6.* Interposuit consilij sui iusiurandum, vt per duas immobiles res quibus impossibile est mentiri Deum: firmissimum habeamus solatium. Duæ autem res immobiles sunt promissionis veritas, & iurisiurandi. Abraham ideo nominat, eo quod ipse primus fuit cui ista promisit, licet non primus fuerit cui iurauerat. Ante eum enim iurauit Noe, sed non de promissione seminis. Dicitur autem Abraham in hoc pater noster, quia promissionem acceperit ante circumcisionem in præputio, & post circumcisionem. Ante quidem *Genes.* 12. & 15. Post autem *Genes.* 8. & 22. Et reddit *Apostolus* causam *Rom.* 4. vt sit pater omnium credentium in præputio: & sit pater circumcisionis, vt reputetur eis fides ad iustitiam. Hoc est igitur quod dicit [ad Abraham patrem nostrum] Sequitur quid iurauit.

Daturum se nobis] hoc est, quod daret se nobis, quia dando se nobis, omnia nobis secum donauit. *Rom.* 8. Quomodo non etiam omnia nobis cum illo donauit? *Isa.* 9. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Dedit autem se nobis in medicamentum, in cibum, in refugium, in redemptionis pretium, in laboris præmium. De primo horum *Eccli.* 24. Ego quasi fluuius Dorix exiui de paradiso. Dorix interpretatur medicamentum generationis. Et quatuor fluuij sicut flumina paradisi de corpore Christi exiuerunt: sudores sanguinei, fluuius sanguinis de vulneribus quinque, fluuius aquæ de latere Christi, fluuius lacrymarum in oratione. *Hebr.* 5. In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum cum clamore valido & lacrymis offerens: in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. De cibo *Ioan.* 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. De refugio *Psalm.* 89. Domine refugium factus es. De redemptionis prætio 1. *Cor.* 6. Empti estis precio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. De laboris premio *Genes.* 15. Ego merces tua magna nimis. Medicamen quidem est in peccati infirmitate, cibus in spiritualium virium ex longa famis squalore destitutione, refugium in tentationis tribulatione, merces in reatus obligatione, præmium autem in meritorum lassitudine.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.

Ecce hic tangit propter quid iurauit se daturũ nobis: quia sciuit quod sine ipso nihil potuimus facere *Ioan.* 15. Causa ergo est, vt seruiamus illi. Et ideo tria dicit: primum est modus seruitutis, qui est in liberatione ab impedientibus, & retrahentibus à seruitio: secundum est ipsa seruitus qua seruimus: tertium est modus seruiendi per expedientia ad seruiendum. Modus autem qui est per liberationem ab impedientibus est, vt sine timore & sine causa timoris seruiamus. De primo dicit.

Vt sine timore] supple, mundano, humano, & seruili. Timor mundanus est quo aliquis deserit veritatem timore perdendarum rerum humanarum: vnde de Sanctis hunc timorem postponentibus dicitur *Hebr.* 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis, arbitrantes vos habere meliorem & manentẽ substantiã. Timor humanus est quo aliquis propter timorem corporis deserit veritatem. *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus: & post hoc non habent amplius quid faciant: sed potius timete eum qui postquam occiderit corpus, potest perdere animam in gehennam. De vtroque istorum timorum simul dicitur *Iob* 2. Pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. De timore seruili qui est, vt dicit *Beda*, cum pœna iudicis sic timetur, quòd facies iudicis non amatur: in quo viuit peccandi voluntas, & sequeretur in quo opus, si speraretur impunitas. Et de hoc dicitur 1. *Ioan.* 4. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Sic ergo sine timore, sed non sine timore casto & sancto, filiali. De his enim dicitur *Psalm.* 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Prouerb.* 28. Beatus homo qui semper est pauidus. *Rom.* 11. Noli altum sapere, sed time. *Beatus Bernard.* Experimento didici quod nihil tantum valet ad gratiam Dei acquirendam, retinendam, recuperandam, quam nunquam altum sapere, sed timere.

De manu] Tangit causam timoris ablatam [de manu] Duæ sunt manus [inimicorum] dæmonum: quarum vna est potestas nocendi, altera potestas malum suggerendi siue tentandi. Potestas vtraque iusta est: quia à Deo propter profectum iustitiæ permissa & ordinata est. De prima dicit: Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt. Hæc manus composita est ex quinque, quasi ex digitis. Est enim nocendi potestas in rebus, in corpore, in fama, in proposito boni, & vexandi animas in inferno vel purgatorio post mortem. Et hæc omnia facit aliquando per se diabolus: & aliquando per malos homines, sicut per membra sua. Vnde *Iob* 9. Terra data est in manus impij: vultum iudicum eius operit. Potestas tentandi est de qua in *Psalm.* 35. Manus peccatoris non moueat me. Prima est manus tenens, & secunda est manus impellens. Et hæc etiam componitur ex quinque quasi digitis: Est enim tentatio leuis & aperta, & leuis occulta, & grauis & aperta, grauis & occulta: & ea quæ indicatur non esse tentatio, quæ tanto periculosior quanto non sentitur, & ideo non cauetur. De hac igitur manu inimicorum sumus [liberati] *Ioan.* 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Sequitur.

Seruiamus illi] Hoc est enim dignum & iustum, æquum & salutare. Dignum quidem, quia Pater: iustum, quia Dominus: æquum, quia beneficus: salutare, quia seruire Deo est regnare. Dignũ enim quod Pater à quo sumus: & quidem de suo in nobis habet imaginem, videlicet in qua creati sumus. Dominus autem, cuius nati sumus; quia nos emit. Beneficus autem qui omnia nobis dedit: & qui nobis cum non teneretur, seruiuit. Salutare, quia suum seruitium non facit seruitutem, sed de seruo facit liberum, & de libero Dominum, & de Domino regem in honore regio fulgentem. De primo horum dicitur *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: nonne magis obediemus Patri spirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore

paucorum dierum secundum suam voluntatem erudiebant nos: hic autem ad id, quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. *Luc.* 15. Dixit filius patri: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi. Iustum autem est seruire Domino. *Psalm.* 115. O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. *Judith* 3. Veni nobis pacificus Dominus, & læti seruiemus tibi. Æquum est seruire benefico, qui nos suis donis & obsequiis præuenit. Donis quidem per sua omnia, & per suos seruiens nobis. Per sua quidem *Matth.* 5. Qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Per suos Angelos custodes *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? *Isa.* 6 t. Super muros tuos constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini. Præuenit etiam obsequiis. *Isa.* 43. Seruire me fecistis in peccatis vestris. *Philip.* 2. Formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo seruus. *Psalm.* 80. Manus eius in cophino seruierunt. Vnde æquum est seruire sibi. Sic enim dicit *Isa.* 49. Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor. Sic enim beneficiis & donis format nos ex vtero seruos sibi. *Isa* 49.

Salutare etiam est: quia non seruitur ei nisi in vsu virtutum intellectualium & moralium. Et quanto sumus magis in vsu illarum, liberiores efficimur, de seruitute vacuati, & de liberis efficimur Domini, & de Dominis reges. Et hoc patet: dicit enim *Aristot.* quod seruus est qui impeditis viribus & operationibus impotens est regere seipsum, sed indiget regimine alieno. Liber autem qui in regimine causa sui est, & sufficit sibi: sed nullo bono habitu regiminis supponitur alteri. Dominus autem qui possessione bonorum & pulchriorum supponitur multis, & sibi sufficit & subiectis. Rex autem in quo elatent tam diuina bona quod suis bonis sufficit genti. Cum igitur *Ioan.* 8. dicatur. Qui facit peccatum seruus est peccati, & deprimitur pondere seruitutis: per seruitium Dei deposito peccato redditur liber. *Gal.* 4. Vos in libertatem vocati estis fratres: tantummodo ne libertatem vestram in occasionem detis carnis. De liberis autem, bona gratiarum cumulando, efficimur Domini & principes. *Isa.* 32. Non erit is qui insipiens est, princeps: nec fraudulentus vocabitur maior, hoc est, Dominus. Princeps enim ea quæ sunt digna principe cogitabit. De dominis autem & principibus efficimur reges, adueniente in nos regno cælorum. *Apoc.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. *Isa.* 49. Reges videbunt & consurgent principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, & Sanctum Israël qui elegit te. Sic ergo seruiamus illi. Etiam tangit modum seruiendi per informationem ad bonum dicens.

In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Tangit autem quatuor. Tangit quoad se, sanctitatem: quoad proximum, iustitiam: quoad Deum, intentionem rectam quoad acquirendam beatitudinem, perseuerantiam. De primo dicit [In sanctitate] hoc est, corporis & cordis munditia. *Leuit.* 19. Sancti eritis mihi, quia ergo sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos. *Hebr.* 12. Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt Deum. Quoad proximum dicit [& iustitia] Vnde iustitia dicitur lux. *Prou.* 4. Semita iusti quasi lux splendes. *Math.* 5. Luceat lux vestra coram hom. vt vi. opera vestra bona & glori. patrem vestrum qui in cælis est. Quoad rectam intentionem dicit [coram ipso] hoc est, coram Deo: ita vt dicit *Greg.* quatenus opus nostrum sit ad ædificationem proximi in publico: intentio autem qua soli Deo placere desideramus, maneat in occulto. Vt de bono opere proximis præbeamus exemplum, & per intentionem qua soli Deo placere desideramus, semper optemus secretum. *Matth.* 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Et propter hoc dicunt quidam intentio nomen operi imponit. Et hoc est verum in per se bonis & indifferentibus. In his autem quæ mox nominata coniuncta sunt malo, & per se mala sunt: verum est quod nunquam possunt bona intentione fieri: sed semper fiunt aut mala intentione, aut stulta. Et ideo peccat qui diuiti furatur vt det pauperi, & tenetur ad restitutionem. Et condemnatur lex Atheniensium, quam in commento Ethicorum recitat *Eustracius*: quod scilicet semper punitur adulteriũ, nisi quando matrona ciuis admittit tyrannũ adulterum vt in sinu suo capiatur: sicut Dalila admisit Samsonem in sinu suo. Adulterium enim nunquam alicuius boni prætextu est faciendum. De perseuerantia autem adiungit cum dicit [omnibus diebus] hoc est, illustrationibus gratiæ [nostris] id est, vitæ nostræ: quia in gratia viuimus: in peccato autem mortui sumus. 1. *Timot.* 5. Quæ in deliciis viuens, mortua est. *Matth.* 10. Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Ideo *Leuit.* 3. præcipitur in sacrificio Dei cauda offerri, quæ vltima pars est animalis. *Hebr.* 12. In disciplina perseuerate: se vobis tanquam filiis offert Deus. Sequitur.

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ecce secunda pars cantici diuisa contra præcedens totum, vbi apostrophat conuertendo sermonem ad puerum. Cum enim beneficia communiter mundo impensa recitaret, & gratias ageret: subito ne de propriis in filio receptis per ingratitudinem tacere videretur, conuertit sermonem ad puerum. Nec puerum alloquitur tanquam non intelligentem. Eodem enim spiritu quo in vtero matris sensit sermonem Beatæ Virginis, sentit & sermonem prophetantis Patris. Dicit autem duo in parte ista, in quorum primo mentionem facit de dono & ministerio & officio pueri: in secundo autem de omnium bonorum auctore misericordia Domini, referens in eam quicquid boni est in puero. In horum primo tangit tria: donum videlicet pueri, officium, & officij finem & doni. De dono quidem dicit sic [Et tu] qui per discretionem & significantiam singulariter [puer] es à puritate dictus: quia purior aliis. 1. *Cor.* 14. Malitia par-

nuli

uuli estote: sensibus autem perfecti sitis. 1.*Petr.*2. Quasi modò geniti infantes rationabiles sine dolo [Tu] ergo singulariter sic [puer] existens: adhuc puer existens

Propheta] *Ierem.*1. Antequam exires de ventre, sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi. Cum enim Propheta dicatur, quia fatur circa ea quæ procul sunt super nostram cognitionem; iste plusquam Propheta est, qui antequam nasceretur, ea quæ humanam vincunt cognitionem effatus est per Spiritum sanctum. Fatur enim Propheta in præteritum quæ procul sunt: sicut Moyses facturam mundi cognouit, & lucide descripsit. *Gen.* 1. Fatur in procul quæ præsentia sunt: sicut Eliseus 4. *Reg.*5. dixit: Nonne cor meum in præsenti erat, quando exiliit homo de curru suo & venit in occursum tui? Fatur procul in futurum: sicut *Isa.*1. Visio Isaiæ quam vidit super Iudam & Ierusalem. Hæc omnia fecit Ioannes in ventris obstruso positus cubili: in præterito Deum concepisse cognouit Beatam Virginem, cuius vocem implente Deo sensit per aures matris: in præsenti futurum suum officium præsignans in gesto gaudiorum & exultationum. Sic ergo congrue dicitur, Tu puer.

Altissimi vocaberis] quia eius quem formandum præuenit obumbrando virtus Altissimi, & eius qui accepit donum altissimum, hoc est, gratiam secundum esse facientem Filium Dei, & qui Spiritum habuit non ad mensuram: & ideo *Luc.*11. Angeli canunt gloriam in altissimis Deo. Altissimum enim posuit iste puer refugium suum, sic existens [Propheta Altissimi] Et ideo non additur, comparatione quorum sit altissimus: quia simpliciter est Altissimus, Altissimi virtute perfectus, & Spiritu immenso ditatus, & in Altissimis Dei glorificatus. *Ioan.*1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis [vocaberis] ore omnium celebratus: quia tantum bonum commune, ore omnium celebrari debuit. Aliter enim officium suum inutile foret. *Isa.*49. Audite insulæ, & attendite populi delonge. Vicini autem & cognati, & habitantes super montana Iudææ, audiuerunt & attenderunt hæc de prope. Et sic ore omnium prope & longe positorum vocaberis Propheta Altissimi. Et hoc est donum pueri. Sequitur.

Præibis enim ante faciem] Hic tangit Officium. Tangit autem duo: officium, & officij modum. Officium cum dicit [præibis ante faciem Domini] hoc est ante præsentiam Domini. *Supra.* Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Hinc consuetudinem accepit Ecclesia in profestis diebus ante Euangelium vtendi vno cereo. In festis autem ante Euangelium vtitur duobus cereis: quia dies profesti pertinent ad laborem eorum, qui in sexta ætate ab aduentu primo Christi sunt vsque ad finem mundi: in quo aduentu solus Ioannes vt lucerna Verbum Patris præcessit. *Psalm.*81. Paraui lucernam Christo meo. *Ioan.*5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Dies autem festi referuntur ad quietem quiescentium in septima, & ad beatitudinem resurgentium in octaua: & hoc post secundum aduentum Christi, quem præcedent Elias & Enoch tanquam duo luminaria. *Apoc.*11. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia, in conspectu Domini terræ stantes. Sic ergo [præibis ante faciem Domini] *Malach.*3. Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.

Parare vias eius] vt faciles Domino, ad eundum ad cor hominum. *Psalm.*33. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Parantur autem viæ, cum pœnitentia & charitate dilatatur & præparatur cor, vt ad ipsum sine offensione perambulet. *Psalm.*118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Præparantur viæ Domino per amotionem impedimentorum, & per appositionem ad viam expedientium.

Per amotionem impedimentorum præparantur viæ octo modis: tortuosa scilicet & flexuosa dirigendo, & montuosa & valliculosa complanando, saxosa pedibus obuiantia æquando, lutosa cœnulenta siccando, spinosa & vepribus consita euellendo, periculosa à latronibus obsessa ad securitatem reducendo, prolixitate tædiosa ad breuitatem compendiosam conuertendo, & dubia compita ad certitudinem signando. Est enim via flexuosa per perplexitates, montuosa per ambitiones, lapidosa per scandalorum exempla, lutosa, lubrica per libidines luxuriosorum, spinis & vepribus consita per solicitudines auarorum, periculosa per occasiones tentationum, tædiosa prolixitate secularium negotiorum, incerta & dubia propter dubietatem non determinate bonorum operum. Quæ omnia à via Christi sunt remouenda.

De primo *Isa.*30. Hæc est via, ambulate in ea, neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes. *Num* 20. Via publica gradiemur, neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes. *Isa.*40. Dirigite viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. De secundo *Isa.*40 Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & videbit omnis caro salutare Dei nostri. Vallis est inordinate depressus per desperationem, & mons inordinate elatus in superbiam. De tertio *Eccli.*21. Via impiorum complantata lapidibus: & ignorant vbi corruunt. *Psalm.*139. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Scandalum est obex in via tecta pedi obiectus vt cadat. *Isa.*62. Planum facite iter, & eligite lapides. *Ierem.*50. Tollite de via lapides. De quarto dicitur *Psalm.*17. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. *Psalm.*68. Eripe me de luto vt non infigar *Ps.*34. Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos. De quinto *Prouerb.*24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam stulti viri: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. Istæ sunt viæ Sion plenæ vepribus, quæ lugent quod non sunt qui veniant, depositis curis temporalium ad solennitatem iucunditatis spiritualis. *Thren.*1. De sexto dicitur *Luc.*10. Quidam homo descendebat de Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones. *Gregor.* In via sumus, qua ad patriam tendimus, Maligni autem spiritus quasi quidam latrunculi iter nostrum obsident: & ideo via eligenda est occasiones tentationum minus habens. De septimo dicitur 2. *Reg.*18. quod Achimaas cucurrit per viam compendij, & citius venit ad Dauid. Et hæc est semita consiliorum. *Isa.*26. In semita iudiciorum tuorum sustinuimus te: nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Econtra *Num.*21. Populum tædere cœpit longissimi itineris.

perit. De octauo *Prouerb*.14. Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem.

Expeditur autem via, vt ſit recta per iuſtitiam, luminoſa per literarum ſtudium & ſcientiam, ſpecioſa per virtutis pulchritudinem, ſecuta per conductus ſecuritatem, ſecreta per paucorum frequentationem, nimis arcta. ne impediat pedum ordinatam mobilitatem. De primo horum *Iſa*. 26. Semita iuſti recta eſt. Rectus callis iuſti ad ambulandum. De Secundo *Prouerb*.4. Semita iuſti quaſi lux ſplendens, & creſens in perfectum diem. De tertio & quarto *Prou*.3. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. De quinto *Matth*. 7. Arcta eſt via que ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. De ſexto *Prouerb*. 4. Adducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris non arctabuntur greſſus tui. Sic puer debet parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum.

Ecce tangit modum præparationis viæ & præcurſionis. Hoc enim eſt ad hoc, quòd detur ſcientia ſalutis plebi. Sic ergo continua: præibis ante faciem eius ô puer [ad dandam] non vendendam. *Iſa*. 55. Qui non habetis pretium, venite, bibite cum lætitia. *Ibidem*. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac, hoc eſt, paſtum rudis infantiæ in facilibus ſcripturæ, potum inebriantis lætitiæ in ſubtilium penetratione. Hoc emite fide & deuotione, non auro neque argento, quibus emitur humana ſapientia. *Matth*. 10. Gratis accepiſtis gratis date ſcientiam, non pecuniam. Eſt autem hic ſcientia communiter accepta ad omne donum quod cum ratione diuina eſt illuminatiuum, ad verum intelligendum, vel ad bonum faciendum, vel appetendum. *Prouerb*. 3. Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior eſt acquiſitio eius negotiatione auri & argẽti, primi & puriſſimi fructus eius *Sap*.13. Vani ſunt omnes homines, quibus non ſubeſt ſcientia Dei.

Vult autem *beatus Dionyſ*. quod ſcientia ſit duplex: quandam enim ſcientiam vocat diſcurſiuam, & quandam vocat intellectiuam & diuinam. Illam vocat diſcurſiuam, quæ ratione conferente præmiſſa adinuicem, & hæc ad concluſionem, accipitur: ſicut ea ſcientia quæ eſt per ſtudium, & ea quæ eſt ex coniecturis allegoriarum vel moralitatum & huiuſmodi. Intellectiuam vero vocat ſimplicem captum intelligentiæ per lumen infuſum per Spiritum ſanctum in reuelatione. Ad primam hortatur Apoſtolus 1. *Tim*. 4 Attende tibi & doctrinæ. De ſecunda *Ioan* 6. Scriptum eſt in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Deo. Et iſta eſt certior & melior: & illam habuit: ideo & dedit populo. *Oſee* 4 Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te & ego, ne ſacerdotio fungaris mihi. *Iſa*. 5. Propterea captiuus ductus eſt populus meus: quia non habuit ſcientiam. *Aug*. & *Beda*. Scientia donum eſt Spiritus ſancti, docens nos bene conuerſari in medio prauæ & peruerſæ nationis. Docet autem practicè: ſicut molendinarius neſciẽs ſpeculatiuè ſubiectum & paſſiones molendini, tamen ſcit molere, & ſcientiam demonſtrat per actum. Practicæ enim ſcientiæ ſtant ad opus, ſicut dicitur *in primo de anima*. *Ad Tit*. 1. In agnitionem quæ ſecundum pietatem eſt, quam promiſit qui non mentitur Deus. *Et infra*. Amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.

Hanc igitur ſcientiam dat, non quidem ſeculi, vel carnis, vel diaboli. *Iacob*.3. Non iſta eſt ſcientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. *Baruch* 3. Filij Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt: negotiatores terræ & Theman, qui interpretatur Auſter, & ſignificat mundi pulchritudinem, quam multi inquirunt confabulatores & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ terrenæ: viam autem ſapientiæ neſcierunt. Hanc ergo ſcientiam non dat, ſed [ſalutis] in qua eſt vera ſalus. *Hebr*.12. Pater ſpirituum erudit nos ad id quod vtile eſt, in recipiendo ſanctificationem eius. *Eccli*. 30. Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ eſt, & melior eſt omni argento & auro. In hac enim requieſcit ſpiritus ſcientiæ & pietatis. *Iſa*. 11. Hanc igitur ſcientiam ſalutis non dat aliis & ambitioſis, neque immundis, ſed humilibus [plebi] qui per humilitatem ſunt de plebe, & per deuotionem ſunt [eius] *Matth*. 11. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. *Matth*. 7. Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos. *Eccli*. 37. Vir ſapiens erudit plebem ſuam. Hanc autem ſcientiam ſalutis dat [in remiſſionem peccatorum eorum] qui ſunt de plebe eius. *Oſee* 2. Vocabo non plebem meam plebem meam, & non miſericordiam conſecutam miſericordiam conſecutam. *Iſa* 44. Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Hoc autem totum fit

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Tangit hic gratiam Dei ne ſibi aliquid attribuere videatur, & tangit tria: quorum primum eſt motiuum ad iſtud donum, ſecundum in quo perfecta eſt miſericordia quæ mouet, tertiũ autem eſt opus ipſius proprium. De primo horum dicitur [Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri] hoc eſt, per intimam pietatem & miſericordiam Dei noſtri, quæ ad hæc quæ dicta ſunt mouet & inclinat. *Coloſſ*. 3. Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ. *Iſa*. 63. Vbi eſt zelus tuus, vbi fortitudo tua? multitudo viſcerum tuorum & miſerationum tuarum ſuper me continuerunt ſe. *Geneſ*.43. Commota ſunt quippe viſcera eius ſuper fratre ſuo. *Ierem*. 31. Conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum, miſerans miſerebor eius.

In quibus viſitauit nos] Ecce in quo perfecta eſt miſericordia viſceroſa. In viſceribus enim illis viſitauit nos, aſſumpta noſtra cum pœnalitatibus carne. Et de hoc ſupra dictum eſt ſatis. *Exod*. 3. Audierunt quod viſitaſſet Dominus filios Iſraël, & quod reſpexiſſet afflictionem eorum: & adorauerunt proni in terram. Et ex hoc inualuit vſus in Religionibus in die Annuntiationis & Natiuitatis, adorare in terra in gratiarum actionem, cum ex kalendario annuntiatur viſitatio Domini. *Exod*. 3. Videns vidi afflictionem populi mei

qui

qui est in Ægypto, & gemitum eius audiui propter duritiem eorum qui præsunt operibus: & descendi liberare eum. Iste autem visitationis modus magnificus est: quia visitauit.

Nos oriens] nobis [ex alto] sinu Patris. Non quidem dimittens quod erat, sed assumens quod non erat: non commixtionem passus in assumente & assumpto, neque diuisionem in vnione assumentis & assumpti, sicut dicit Nicæna Synodus. *Zach.6.* Ecce vir oriens nomen eius: & subter eum orietur. *Psalm.*18. A summo cælo egressio eius. *Sapient.*18. Omnipotens sermo tuus Domine de cælo à regalibus sedibus venit. Et hoc magnum fuit tantæ maiestatis Dominum, de summis cælorum ad carnis susceptionem, ad obsequij seruilis humiliationem, ad crucis ignominiosæ ire turpationem. *Ierem.*12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, tradidi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum. Sic enim & in hoc ortus est nobis ex alto. Tertiò autem tangit actum siue opus visitatoris. Et hoc est quod dicit.

Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.

Sic continua. Ortus est, dico [Illuminare] hoc est, ad illuminandum. Tangit autem hic quatuor: beneficium scilicet illuminationis, quibus datur hoc beneficium, beneficij necessitatem, & vtilitatem. Beneficium quidem est [Illuminare] hoc est, intus in eis lumen accendere. *Ioan.*1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc est, lumen notitiæ suæ & voluntatis suæ dare. *Isa.*60. Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum: & gloria Domini super te orta est. *Hebr.*1. Cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius. *Ioan.*8. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Psalm.*35. In lumine tuo videbimus lumen. Hoc enim lumen est similitudo lucis æternæ, dissipans tenebras, dissoluens cordis gelicidium, mouens ad germina, formans ad pulchritudinem illuminata. De primo horum *Sapient.*7. Candor enim lucis æternæ, & speculum sine macula. De secundo *Ioan.*1. Lux in tenebris lucet. Dicit *Chrysost.* ad dissipationem tenebrarum. *Isa.*15. Tenebræ tuæ erunt sicut meridies. De tertio dicitur *Eccli.*44. Tripliciter sol exurit montes, radios in eos igneos exsufflans. Et *ibidem.* In meridiano exurit terram. *Isa.*64. Vtinam dirumperes cælos & descenderes. A facie tua montes (superbiæ) defluerent: sicut exustio ignis contabescerent. De quarto dicitur *Eccli* 43. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus excelsi: totam enim bonitatem cæli deponit ad terram. *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cæli, & rationem eius in terra ponis? De quinto in *Psalm.*67. Terra mota est: etenim cæli distillauerunt per illuminationem. *Isa.*45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Hic enim ros lucis est vehiculum. *Isa.*26. Ros lucis ros tuus. De sexto 1. *Corinth.*4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ Euangelij Christi, in quo sunt omnes formæ pulchritudinis diuinæ. Propter hoc ministri noui testamenti lucent formis diuinis plusquam Moyses, cuius lumen vultus in scientia legis euacuatur. 2. *Corinth.*3. Omnes nos reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Ecce quantam lucem lucifer Ioannes post se surgere ostendit. Vnde Dominus ad eum dicit *Iob* 38. Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? Q. d. hoc non erit ex te, sed ex me fecisti. Sic ergo ortus est [illuminare his] ioobis. *Luc.*2. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. *Eccli.*43. Mundum illuminans in altissimis Dominus. Et subdit huiusmodi illuminationis necessitatem, dicens.

Qui in tenebris & in vmbra mortis] conclusi [sedent] Tenebræ Ægypti sunt ignorantiæ intelligendorum, credendorum, appetendorum, & faciendorum. *Genes.*1. Tenebræ erant super faciem abyssi, hoc est, super faciem non stabilem in Deo cordis. *Ierem.*17. Profundum est cor hominibus & inscrutabile. Et sic est abyssus. *Iob* 3. Viro cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris *Tob.*5. Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video? Super faciem enim cordis hominis sunt tenebræ intelligendorum ex peccato: abscondita autem est ab eu via lucis per ignorantiam credendorum: sedet in tenebris appetendorum. Et vna catena tenebrarum omnes sunt conclusi, sicut dicitur *Sapient.*17. per ignorantiam agendorum.

Vmbra autem mortis triplex est. Ex morte enim peccati primi obiecta est primo vmbra diuinæ obliuionis: secundo vmbra ignorantiæ qualitatis mortis, & status sequelæ mortis: & vmbra tenebrarum claustri infernalis. De prima dicitur *Isa.*9. Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. De secunda in *Psalm.*22. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. De tertia *Iob* 16. Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis. Omnibus autem his illuxit: primis per verbum & exemplum, secundis per sepulturam, tertiis per descensum ad inferos. De primorum illuminatione dicitur *Isa.*61. Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. De secundorum illuminatione dicitur *Eccli.*24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. De tertiorum illuminatione dicitur *Isa.*58. Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ erunt sicut meridies: & requiem tibi dabit Dominus Deus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit. Et ideo hoc capitulum *Isa.* in quibusdam Ecclesiis legitur in obsequiis mortuorum.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Congruus ordo vt primo illuminetur intus, & postea dirigatur extra. Tangit autem tria: directionem, & pedum directionem, & quo dirigatur. Directionem *Psalm.*89. Respice Domine in seruos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum, per illuminationem tuam. *Psalm.*42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula

tabernacula tua [pedes nostros] Duo sunt pedes animæ: intellectus tendens in verum, & affectus tendens in bonum. *Hebr.* 12. Gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis incendat, magis autem sanetur. *Psalm* 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea [in viam pacis] hoc est, securitatis & tranquillitatis. *Malach.* 2. In pace ambulauit mecum, & multos auertit ab iniustitia sua. *Psalm.* 75. In pace factus est locus eius. Hæc est pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. *Philip.* 4. Hæc est pax vbi vera quies est animæ. *Psalm.* 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Hæc enim pax est vt dicit *Augustinus*, in ciuitate concordia fruendi Deo, & inuicem in Deo qui est pax cælestis ciuitatis. *Baruch* 3. Disce vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit longiturnitas dierum & victus: & vbi sit lumen oculorum & pax. Hæc autem omnia in cantico isto inueniete poteris.

Puer autem crescebat & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ in Israël.

Post natiuitatem istius pueri agit de incremento & conuersatione iuuentutis eius vsque ad tempus prædicationis. De incremento autem dicit [Puer autem crescebat] corpore. *Genes.* 21. Creuit igitur puer & ablactatus est. Et secundum incrementa ætatis fuit incrementum intellectus ipsius & gratiæ. *Ephes.* 2. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino [& confortabatur spiritu] tripliciter: per radicationem spiritus, per augmentum virtutis in virtutem, & per profectum humanæ virtutis ad diuinam. De radicatione quidem *Isa.* 37. Quod saluatum fuerit de domo Iuda mittet radices deorsum, & faciet fructum sursum. De augmento de virtute in virtutem *Psalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. De profectu in virtutem diuinam *Ioan.* 10. Illos autem dixit Deos ad quos sermo Dei factus est. *Psal.* 81. Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. 1. *Ioan.* 3. Cum apparuerit, similes ei erimus. Diuinam autem dico virtutem quando fit, vt dicit Apostolus 2. *Corinth.* 5. Nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem: & si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.

Et erat in desertis] agens. Dicit autem *Beda* quod 20. annis fuit in deserto: & tunc intrauit desertum 10. annos habens: & exiuit habens 30. annos: sicut patet *Infra* 3. Dicit tamen Euangelium Nazaræorum, quod Herode quærente pueros ad perdendum, patet quidem Zacharias, eo quod noluit perdere puerum, interfectus est: mater autem fugit cum puero in desertum: & cum à persequentibus angustiaretur de puero abscondendo, aperuit se lapis montis scissus, & eum intra se cum puero clausit: & sic euacuata solicitudo quærentium. Et ex tunc matre post aliquos paucos annos mortua, puer in solitudine remansit: & ex vsu puerilis ætatis locustas comedere didicit, & mel syluestre, quod super folia in desertis inuenit. Dicitur etiam quod sanguis patris in vasis à Sacerdotibus receptus, in templo seruatus, continuo bulliuit quoties aliquis de familia Herodis in templo apparuit. Quare autem in desertis fuit, dicit *Hieron.*

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

In deserto enim tumultus frequentantium fugitur. *Marc.* 6. Venite in desertum locum seorsum, & requiescite pusillum. Ibi etiam Moyses magnam vidit huius salutis visionem *Exod.* 3. Ibi Dominus agebatur à Spiritu, & perfecit ieiunium 40. dierum. Ibi Elias fugiens Iezabel, inuenit Angelum se cibantem, & Dominum se alloquentem. Ibi populus pastus mannate accepit legem. Requiescitur enim ibi à tumultu impedientium. Reuelantur ibi mysteria secretorum. Cibus ibi ministratur consolationis Angelorum. Ibi est refugium à turmis persequentium. Ibi in cordis quiete percipitur Dei eloquium. Ibi auditur à Domino suarum æquitas legum. Sicut patet in auctoritatibus per ordinem inductis. Et ideo erat ibi Ioannes [vsque in diem ostensionis suæ] Quando à Spiritu sancto cognouit, quòd in verbo prædicationis ostenderet se [ad Israël] *Luc.* 3. Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ. Sic igitur finita sunt quæ dicenda sunt de Ioannis natiuitate.

CAPVT II.

Factum est autem, in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.



Hic incipit secundum capitulum, in quo Euangelista determinat de natiuitate, & sacramentis coniunctis natiuitati Domini. Et ideo quatuor per ordinem dicit, quæ tamen in tria coniungit *Apostolus Galat.* 4. vbi dicit: At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege. Et ideo determinat plenitudinem temporis, secundò qualiter natus est ex muliere, tertiò qualiter factus est sub lege. Plenitudinem autem temporis determinat quadrupliciter: ex parte præcurrentium in gratia, ex parte signorum comitantium in monarchia, ex parte subiectorum monarchiæ in obedientia, ex parte conuenientium in temporis & loci conuenientia. De præcurrentibus in gratia dicit.

Factum est autem] præordinatione diuina [in diebus illis] quando Ioannis natiuitas Christi natiuitatem præcurrerat: quibus etiam Beata Virgo domum reuersa sex mensibus domi resederat: quibus vaticinia Zachariæ & Elisabeth audita & diuulgata fuerant: & vt generaliter dicatur, omnia signa præuenerant quæ Deus præordinauerat. Omnia

Omnia enim tempus habent, & suis spatiis in præsuppositione diuina præordinatis transeunt vniuersa sub cælo. *Psalm.* 103. Posuisti terminos, qui præteriti non poterunt. *Daniel.* 12. Clausi sunt signatique sunt sermones vsque ad tempus præfinitum. Hæc enim omnia clausa vsque ad impletionem temporis præfiniti[In diebus] autem dicit: quia singularum gratiarum illustrationes dies faciunt præfinitos:& cum omnes illustrationes ortæ fuerunt, quasi singula astra matutina; tunc nouæ legis surrexit aurora. *Iob* 38. Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Iubilauit enim Elisabeth. Iubilauit in vtero Iannes. Iubilauit Beata Virgo mater Dei. Iubilauit Zacharias. Iubilauerunt vicini & cognati quasi totus cæli concentus, expectantes tempus & locum auroræ. Et implentes illud quod *ibidem* dicitur: Præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum. Et hoc est quod sequitur.

Exiit edictum] Tangit hic signa concomitantia in Romanorum monarchia. Facit enim *Lucas* sicut bonus tabellio, confirmans contractum inter nostram naturam & Deum. Vnde *Ambros. in Gloss.* Historico more scribens Euangelista, vt seriem temporis designet, nomen præsidis tanquã consulis signi gratia huic libro ascribit. Nam si consules ascribuntur tabulis emptionis: quanto magis redemptionis hominum debuit tempus ascribi: Habemus hic omnia quæ in contractibus esse solent: vocabulum, summam potestatem gentis, diem, locum, causam, testes etiam qui adhiberi solẽt. Hos quoque natiuitati suæ & generationi Christus adhibuit: qui Euangelium signarent, hoc est, confirmarent, dicens *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem & in Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Ex his omnibus indicia sumuntur completi temporis ad suam natiuitatem.

Attende autem sex circa Augustum Cæsarem, penes quem summa potestas resederat rerum. Quod videlicet monarcha fuit omnium Dominus vt dicit *Iosephus*. Et si forte aliqua in orbe non subiecta erant in hominibus vel terris, ita erant parua quòd non curabantur. Et ideo etiam in legibus & literis suis, se mundi Dominum appellabat: præferens manu pomum aureum, quod mundi circulum teretem prætendebat. Secundum, quod nomen ab augendo imperium accepit, hoc est, Augustus. Tertium est, quod in tanta pace regnauit, quod quasi nullus erat tempore suo armorum vsus: vt ad literam videretur in eo impletum illud propheticum *Isa.* 2. & Michææ 5. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Et illud *ibidem*. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Sed quilibet vtilitatibus propriis intendens, agriculturæ operam dabat, & arma conflabat in agriculturæ instrumenta. Quartum est in signis tempore imperij sui exortis. Tres enim soles (vt dicunt Romanorum gesta) tempore Augusti in Oriente exorti, in vnum collecti sunt circa medium cæli. Et sicut dicit *Seneca* in morte sua cometes ad modum solis apparuit, qui in tres circa medium cæli est diuisus. Templum pacis in parte corruit: & in parte, sicut adhuc apparet, perstitit in ortu Saluatoris. In eodem tempore fons olei erupit, qui vsque in Thybrim continuo fluxu manauit. Quintum est quod solus sine socio regni gubernacula suscepit. Aliquando enim duo Imperatores Romæ rempublicam regebant: sicut Diocletianus & Maximianus. Sed iste solus pacatissimè regnauit. Sextum est, quod benignissime & optime præfuit.

Hæc autem omnia sunt signa impleti temporis quod Christus nascatur. Hoc autem quod monarchia in vnum fuit collecta, signat regnum Christi incipiendum quod omnes vnire debuit, & quod diuisione sui destruendum non fuit. *Luc.* 11. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. *Ezech.* 37. Faciam eos in gentem vnam in montibus in terra Israël, & rex vnus omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. *Ioan.* 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. *Ezech.* 37. Ego ero eis Dominus, & seruus meus rex Dauid super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. Ecce conuenientia regni Christi ex primo. Ex secundo autem quod nomen accepit ab augendo: verius impletur in Christo, qui suos semper auget numero & merito. *Psalm.* 104. Auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos suos. 2. *Reg. vltim.* Addat Dominus Deus tuus ad populum tuum qui nunc est, multa millia. *Genes.* 22. Benedicam tibi & multiplicabo te. *Psalm.* 2. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

A tertio autem ostenditur conuenientia; quia Christus est pax nostra, pacem fecit, pacificum diligit & insignit: & in testamento suis dimisit. Quod pax sit *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem inimicitiarum soluens in carne sua. Fecit autem pacem inter nos & Deum, inter nos & Angelum, inter nos Gentiles & Iudæum. Inter nos & Deum. Per ipsum enim habemus reconciliationem ad Deum *Rom.* 5. & *Ioan.* 20. Pax vobis ego sum. Inter nos & Angelum: quia Angelus nos ante Incarnationem viles & seruos reputans, ab hominibus se permisit adorari *Genes.* 18. Post Incarnationem autem noluit permittere, reuerentiam exhibens naturæ quam Deo vidit vnitam. *Apoc. vltim.* Cecidi ante pedes Angeli, qui mihi hoc ostendebat, vt adorarem eum: & dixit mihi: Vide ne feceris, conseruus tuus ego sum & fratrum tuorum: Deum adora. In signum huius, pacem nobis nuntiant Angeli dicentes: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Infra eodem.* Inter Iudæum autem & Gentilem fecit pacem *Ephes.* 2. Veniens Euangelizauit pacem. Pacem ei qui longe est, & pacem his qui prope. Longe quidem erat Gentilis, prope autem per legis & prophetiæ acceptionẽ Iudæus. Fecit autem pacem inter nos & Deum, per mediatoris officium. Inter nos & Angelos per ruinæ Angelicæ restaurationem. Inter Iudæum & Gentilem per vnius fidei præconium, & vnius Ecclesiæ habitaculum. De primo 1. *Tim.* 2. Mediator Dei & hominum homo Christus IESVS. De secundo *Luc.* 15. Inueni drachmam quam perdideram. De tertio *Ephes.* 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Hic diligit pacificos, & in adoptionis filiorum Dei gratiam transfert. *Matth.* 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacem in testamento suis reliquit. *Ioan.* 14. Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis:

vobis : non ſicut mundus dat ego do vobis.

Dat autem pacem conſcientiæ potius quam temporis. Vnde *Philip.* 4. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. Pace enim temporis aliquando data, durius eſt bellum conſcientiæ: & illa non eſt vera pax. Vnde *Sapient.* 14. In magno viuentes inſcitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. *Pſalm.* 72. Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. *Iſa.* 38. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Et ideo Chriſtus dat pacem conſcientiæ. *Pſalm.* 75. In pace factus eſt locus eius. Impiis enim nec exterius niſi raro, nec interius vnquam eſt pax. *Iſa.* 48. Non eſt pax impiis, dicit Dominus.

Quartum etiam competit. Tres enim ſoles exorti, trium naturarum ſignant radios, corporalis, & ſpiritualis, & deitatis: quæ in vnum collectæ in vnitate perſonæ Chriſti totum illuminauerunt mundum. Vel (vt dicunt) fidem trium Perſonarum in vnitate vnius eſſentiæ ſignificauerunt. *Eſther.* 8. Iudæis lux noua oriri viſa eſt. Fecit enim tunc Deus luminare maius vt præeſſet diei. Et cometes in modũ ſolis exortus & in tria ſciſſus, ſignificabat noſtrũ ſolem in occubitu ſuo in plura lumina conuerti, ad Orientem, & ad occidentẽ, & ad Meridiẽ totũ noſtrũ illuminare hemiſphærium: quia & mortuis corporibus per vnitam ad corpus deitatem, & in inferno poſitis illuxit per vnitam deitatem ad animam, & habitantibus in mundo per auroram refulſit Reſurrectionis. Templum autem pacis temporalis in parte corruit, propter perſecutionem ſuorum in corpore: & in parte ſtetit, propter tranquillitatem conſcientiæ. Fons autem olei qui erupit, ortum eius ſignificabat: de quo dicitur *Cantic.* 1. Oleum effuſum nomen tuum.

Ex quinto conuenientia ſumitur: quia ille tunc naſci diſpoſuit, de quo dicitur *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Quod exponens *Baſilius* dicit. Vnigenitum ideo dicit, quia cum ſecundo genito gloriam paternam non diuiſit. *Oſee* 3. Quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.

Ex ſexto ſumitur conuenientia: quia nunquam aliquis in tanta manſuetudine & benignitate gubernauit ſubiectos vt Chriſtus. *Eſther.* 13. Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, ſed clementia & lenitate gubernare ſubiectos: vt abſque vllo terrore vitam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. Sic igitur patet, quod ſigna ſumpta in Auguſto, conuenientia ſunt Chriſti generationi. Ab illo ergo Auguſto

Exiit edictum] fixa lege per ſenatuſconſultum [vt deſcriberetur vniuerſus orbis] Attende quod licet Dauid 2. *Reg. vlt.* peccauerit numerando & deſcribendo populum, eo quod hoc fecit in ſuperbiam: iſte tamen non peccauit, quia deſcripſit orbem pie motus ſuper populum. Deſcribi enim fecit orbem, vt ſciret quantum poſſet facere in gubernationem Reipublicæ per cenſicapitem. Et ideo, ſicut legitur *in Libello qui vocatur, Deſcriptio Auguſti Cæſaris*: præcepit orbem quoad noſtram habitabilem in quartas diuidi, & in qualibet quarta montes illius quartæ & flumina principalia deſcribi: & deinde ciuitates & vrbes principales cum villis & pagis & ſuburbanis deſcribi, vt ſciretur numerus allodiorum & prædiorum. Et vltra producendo deſcriptionem, præcepit vt quilibet rediret ad locum & genus ſuæ originis: vt ſciret qui & quam remoti eſſent vel non eſſent à ſuis patrimoniis: & inquiſitione facta, vnuſquiſque reciperet quod ſuum erat: & ſic ſciretur quid pro cenſicapite ſoluere vel non ſoluere poſſet. Quem cenſicapitem congregatum, legionibus militum (qui quaſlibet terras in pace tenebant) per manum publicam fecit erogari. Iuſtum enim eſſe videbatur, vt illi qui pro omnibus militabant, communiter ab omnibus acciperent ſtipendia: quia omnes vna communi pace gaudebant & libertate. Sripendia dicuntur à ſtipe pendenda Nulli autem ab hoc tributo excipiebantur, niſi mendici pauperes. Hoc enim eſt de priuilegio paupertatis, onera tributorum communium non portare. Vnde *Rom.* 13. Reddite omnibus debita: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui honorem, honorẽ. Et *Matth.* 22. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Hac igitur de cauſa iſtud exiit edictum ab Auguſto iuſtiſſimo. Pacificas enim vias de terra in terram facere non potuit niſi per militum legiones: & milites viuere non poterant niſi per ſtipendia: nec ſtipendia habuit, niſi per communem omnium contributionem. Et ſi forte vt dictum eſt, aliquid non eſt deſcriptum de orbe, non eſt curandum.

Hoc autem, vt dicit *Greg.* etiam ſignis temporum competit. Dicit enim quod naſcituro Domino mundus deſcribitur: quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos deſcriberet in æternitate. Deſcribit autem ſuos in æternitate quinque modis: per diffinitam in ſe prædeſtinationem per appoſitam eis iuſtitiam præſentem, per priuilegiati meriti notam, per ſui verbi in conſcientia & corde doctrinalem picturam, & per beatitudinis æternæ ad ſeipſum conformitatem. De primo horum dicitur *Daniel.* 12. Saluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ *Iſa* 4. Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus fuerit in vita in Ieruſalem. De ſecundo dicitur 2. *Cor.* 3. Epiſtola Chriſti eſtis adminiſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui. *Luc.* 10. Gaudete in hoc quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. E contra dicitur de malis in *Pſal.* 68. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. De tertio dicitur *Exod.* 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. *Apoc.* 3. Scribam ſuper eum nomen nouum priuilegiatum: ſed & nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem. De quarto dicitur *Ierem.* 31. *Hebr.* 9. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in viſceribus eorum ſuperſcribam eos. *Iſa.* 8. Sume tibi librum grandem, cor hominis ſcilicet, & ſcribe in eo ſtilo hominis. Et ideo conſcientiæ Sanctorum ſunt libri. *Daniel.* 7. Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ: & hoc eſt conſcientia Chriſti. Et ex his libris mortui iudicabuntur. *Pſalm.* 149. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius. De quinto modo *Apoc.* 14. Vidi ſupra montem Sion agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius & nomen patris eius ſcriptum in frontibus eorum.

tum. Et ita fcribuntur etiam ad mortem æternam. *Ierem.* 22. Scribe virum iftum fterilem, virum qui in æternum non profperabitur. *Ierem.* 17. Recedentes à te in terra fcribentur : quia dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sic ergo ex fcriptura patet ad natiuitatem Domini conuenientia. Et hac de caufa præfiniuit hoc fapientia Dei Patris.

Attende autem, quod modus defcriptionis erat ad denarium, qui habebat imaginem Augufti, & decem valuit vfuales paruos. Et hæc defcriptio dicitur *Matth.* 22. Cuius eft imago hæc & fuperfcriptio: Refponderunt, Cæfaris. Et dixit illis Iefus: Reddite ergo quæ funt Cæfaris, Cæfari: & quæ funt Dei, Deo. Ifte autem modus in defcriptione fpirituali Chrifti, fignificat imaginem Dei ad quam factus eft homo. Denarius autem obedientiam decalogi, ad quem totus mundus eft infcriptus. *Pfalm.* 4. Signatum eft fuper nos lumen vultus tui Domine. *Gloff. Auguftini.* Lumen vultus fignatum fuper nos eft imago creationis, & recreationis, & fimilitudinis diuinæ. Creationis quidem in qua creati fumus, eft naturæ. Recreationis autem in qua creati fumus, eft gratiæ imago, quæ eft fides fpes & charitas. Similitudinis autem qua tres perfonas in vna fubftantia imitamur, eft memoria, intelligentia, & voluntas. Quæ tunc imitantur quando Deus eft in mẽoria fine obliuione, veritas in intellectu fine errore, charitas in affectu voluntatis fine contraria affectione. Hunc ergo denarium exhibe, & es defcriptus, & ab Imperatore fummo gubernandus & regendus. Quod autem nunc ab Imperatoris dixerat exiffe edicto, fubdit qualiter & per quem eft executioni mandatum, dicens.

Hæc defcriptio prima &c.] Attende quod iftud [prima] fecundum diuerfos Doctores quatuor modis exponitur. Secudum Iofephum quidem multæ factæ funt defcriptiones antecedentium Imperatorum, fed non fecerunt defcribi nifi prædia & allodia: & fuper illa imponebant cenfum, conuertendum in ftipendia militum: ficut & in Ægypto. *Genef.* 47. Quintam panem regi dabitis: reliquæ quatuor permittentur vobis. Sed ifta fuit prima inter generales. Generalem autem voco in qua defcripta funt, & allodia, & homines. Alia expofitio eft *Bedæ* qui dicit, quod quidem (ficut dictum eft) exiit editum: fed illud tunc primum executioni fuit mandatum, quando miffus eft in Syriam cenfor fiue iudex Cyrinus. Et ita oportet refoluere nomen [prima] in aduerbium primum: vt fit fenfus [Hæc defcriptio] ab Augufto edicta [prima] hoc eft, primum [facta eft] per executionem [à Cyrino] miffo pro cenfore & [præfide Syriæ] Tertia expofitio vult exponere [prima] pro principalis: quia Syria fublimis interpretatur; ficut & principalis fuit: & à principali inchoatum eft, vt illa non contradicente defcriptioni, omnes aliæ defcriptionem fuftinerent prouinciæ. Quarta expofitio dicit, quod Syria non eft dicta prima propter fe, fed propter Iudæam quam in fe habuit. Iudæi enim gloriabantur quod cenfum dare non deberent; quia decimas foluerent, & primitias darent, & vota & facrificia offerrent, & legibus humanis non fubiacerent, vt dicit *Hieronymus.* Et ideo quærebant *Matth.* 22. Si licet dari cenfum Cæfari, an non? *Deut.* 28. Faciet te Dominos in caput, & non in caudam: & eris femper fuper, & non fubter. Et ideo voluit vt primo inchoaretur ab eis: vt ipfis fubiectis, omnes alij cenfui colla fubmitterent. Et verificatum eft vaticinium *Ierem. Tren.* 1. Princeps prouinciarum facta eft fub tributo. Tunc enim rectè Iudæorum regnum tranflatum eft, quando alteri regno imperanti foluebant tributum. *Genef.* 49. Non auferetur fceptrum de Iuda, & dux de femore eius: donec veniat qui mittendus eft. Et de hoc fatis fupra dictum eft. Hoc eft ergo quod dicit.

Hæc defcriptio prima facta eft à præfide Syriæ] qui tunc miffus eft in Syriam pro præfide [Cyrino] Tale enim nomen habebat, quod hæres interpretatur. Duæ etiam aliæ rationes affignantur, quare à Syria & à Iudæa prima incepit defcriptio: quarum vna eft *Hieronymi* dicentis, quod Syria & Iudæa noftræ habitabilis media eft, ficut vmbilicus in corpore: & ideo ab ea inceptum eft, vt ab ea tanquam à medio facilius in extrema terrarum deriuaretur. *Iudic.* 9. Ecce populus de vmbilico terræ defcendit. Alia ratio eft & verior: quia illa terra antiquitus monarchiam tenuit, & fortiffimos habuit reges Alexandri Macedonis fucceffores, vt dicit *Rabanus.* Et ideo imperator ad illam fortiffimos & fapientiffimos præfides cenfores mifit: per quos aptius, & conuenientius defcriptio poterat inchoari.

Attende autem circa hoc quod dictum eft quod Iudæa, vt dicit *Hieron.* media eft noftræ habitabilis. Hoc enim imaginandum eft: ficut dicit philofophia in cõfolatione philofophiæ, quod terra diuidatur in partes quatuor: ita quod intelligatur vnus de coluris fphæræ fuperficies effe extenfa per terram de polo in polum. Hæc enim fuperficies diuidet terram ab Auftro in Aquilonem tendens in duo media, fcilicet, hemifphærium & in oppofitum hemifphærio. Eft autem compertum coniecturaliter, & non per demonftrationem: quod in folo hemifphærio eft habitatio hominum. Coniectura autem Ptolomæi eft ifta: quia cum eclipfes lunares fint apud omnes vno modo, fed differunt in horis: quia lunaris eclipfis orientalis eft apud orientales in prima hora noctis: & hæc eadem eclipfis apud illos qui funt in gradibus herculis, in vltimis Hifpaniarum partibus, eft in hora noctis duodecima. Nec inuenitur aliqua obferuatio eclipfium lunarium vltra 12. horas: & illæ funt 180. graduum, qui funt cæli medietas. Et fic conijcitur, quòd homines non habitant nifi fub medio cælo, & conijcitur inferior medietas non effe habitata propter aquas: quia fi aliquis ibi habitaret, aliquid de fcriptis obferuationum fuarum perueniffet ad nos. Superior autem medietas etiam inhabitabilis fecundum medietatem intelligatur æquinoctialis effe fuperficies, diuidens terram in duo media: à medio cælo in angulum oppofitum mediæ terræ per Orientem & Occidentem: tunc erit vna medietas ab æquinoctiali in polum arcticum, & hæc eft habitabilis: & alia medietas erit ab æquinoctiali in polum antarcticum, & hæc inhabitabilis. Et huius caufam dicit *Ptolomæus* effe breuitatem diametri folis conuerfam in medietatem auftrinam, & ideo incenfam (alias intenfam) augem autem folis conuerfam in medietatem borealem, & ideo habitabilem. Eft enim aux folis in figno geminorum. Et fic vt dicit *Hieron.* fola illa quarta quæ eft ab

æquinoctiali io polum arcticum, est habitabilis; & hæc diuiditur à compositor bus tabularum io septem climata. In sulis ei j o illis est tolerabilis habitatio. Et in his septem climatibus Iudæa est io quarto, quia Ierusalem habet in latitudine 33. gradus, & sic media est nostræ habitabilis, *Psalm.* 73. Operatus est salutem io medio terræ.

Hæc igitur dicta sunt ad intellectum verborum Hieronymi. Ille enim qui mediator est Dei & hominum, qui medius stetit hominum, qui medio iacuit duum animalium, qui medius stetit latronum in cruce, medios apparuit discipulorum, & semper medium amauit, nec ad superfluum, nec ad diminutum declinans, medium etiam oostri elegit mundi vbi nasceretur. Accipitur aotem & hic conuenieotia à præsidis nomine. Cyrus enim est hæres, & Cyrinus est denominatom ab illo. *Isa.* 45. Christo meo Cyro cuius appreheodi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius genies, & dorsa regum vertam, Tempore enim illius conueniens fuit illum nasci, de quo dicitur *Matth.* 21. Hic est hæres, venite occidamus eum, & oostra erit hæreditas. *Rom.* 8. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Vnde & hæres hic facit descriptionem. Sequitur.

Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.

Hæc est secundum quod accipit circunstantias à descriptorum obedientia. Dicit autem duo: facilitatem scilicet obediendi, & professionem descriptionis. Facilitas obedientiæ notatur in hoc, quod statim facto & promulgato edito per censorem Cyrinum [omnes ibant] sine contradictione qualibet ad profitendum. Coius causam dicit *Gloss.* quia propinquum fuit eis verbum in corde & amicum: & ideo statim professi suot. Propinqnum enim fuit rationi, quod qui diu vastati fuerunt bellis, & pace communi gaudere volebant: communi contributioni darent, vnde milites defensantes pacem stipendiarentur. Et ideo quod in corde eis ratio dictabat, statim ore sunt professi. Et hoc consonum est regno Christi quod tunc inchoabat. Verbum enim fidei propinquum est rationi: & ideo confiteri ore est facile. *Deut.* 30. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. *Apost.* ad *Rom.* 10. dicit esse verbum fidei quod prædicamus. Et ideo corde creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio in salutem. Modum autem professionis subiungit, dicens

Singuli in suam ciuitatem] hoc est, vnde nati siue oriundi fuerunt sicut suprà dictum est: vt scirent quis qoantom de censicapite soluere posset. Accipitur autem & ab hoc conuenientia temporis; quia Christi natiuitate redimus ab exilio in nostram ciuitatem Ierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra *Gal.* 4. Exhibentes in ea imaginem nostræ professionis. *Ezech.* 36. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & reducam vos in terram vestram. Hoc petit Dauid in *Psalm.* 105. dicens: Saluos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus: vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Hoc est ergo quod sumitur de circunstantiis temporis, & personarum, & negotii. Sequitur.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.

Tangit hic singulariter negotij & loci circunstantias natiuitatis Christi. Et tangit qualiter Ioseph & Beata Virgo ad locū natiuitatis veniunt, & qua de causa. Circa primum dicit quis, vnde, &, quo & qualiter venit. Qualiter quidem, quia [Ascendit & Ioseph] Est enim Galilæa versus planum ad mare. Iudæa autem in mootibus: vnde *supra.* Exurgens Maria cum festinatione abiit in montana in cioitatem Iudæ. Sic ergo per sitū terræ, ascendit etiam Ioseph, innuens cuilibet filio, & filiæ accrescenti quod ioterpretetur Ioseph: quod ascensiones in corde suo disponere debet in valle lacrymarum sub Augusti imperio. Augustus enim & Ioseph, idem secundum diuersas linguas signigníficant, Ioseph enim auctus interpretatur latine, quod idem Augustus sonat.

Est autem ascendendum primo ad culmen virtutū: secundo autem ad fastigiom diuinarum contemplationum: tertio ad gradum prædicatioonu; quarto ad cathedram honorum, si vocatus fuerit aliquis. Primus ascensos significatur 2. *Reg.* 15. Rex Dauid ascendit per cliuum oliuarum flens discooperto capite, nudis pedibus iocedens. Ad culmen enim virtutum, vt dicit *Gregor.* non ascēditur nisi præsumendo de Dei misericordia, & per fletum, & humilitatem, & carnis mortificationem. Secundus ascensus significatur *Act.* 10. per ascensum Petri in superiora domus: vbi vidit visionem magnam de linteo, & omnibus generibus reptilium io linteo, quæ Deus purificauit & ideo communia à Petro ooo esse dicenda. De tertio dicitur *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. De quarto aotem 1. *Reg.* 14. per ascensum Ionathæ qui donum columbæ interpretatur: & armigeri sui qui ascendit reptans maoibus & pedibos, & obtinuit castra Philistæorum. Armiger autem Ionathæ est qui vocatur in partem solicitudinis, & arma Scripturæ. Reptare manibus & pedibus, hoc est, niti operibus & affectibus ad expugnandum castra diaboli in peccatoribus. Et sic tandem potest ascendere cathedram dignitatum. *Psalm.* 106. Exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. *Cantic.* 7. Dixi, Conscendam in palmam, apprehendam fructum eius. Palma enim regale decus significat. Sic ergo ascendit & Iospeh. Et tangit à quo ascendit in communi, & in proprio. In communi quidem, quia

A Galilæa] vbi annuntiatus & conceptus est Saluator: vbi ad similitudinem eandem, per diuinum oraculum annuntiatur, & per sanctum propositum concipitur Dominus quotidie, dicit *Gloss.* *Isa.* 26. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Interpretatur Galilæa rota: & hoc modo mundi volubilitatem signat. *Psalm.* 82. Deus meus pone illos vt rotam. In qua vnus semicirculorum semper premit alium, donec tota consumitur: & ideo

ideo afcendendum eft de ea,& derelinquenda. Et tangit locum proprium vnde afcendit.

De ciuitate Nazareth] Quæ flos, vt fupra dictum eft, interpretatur. Quia florens afcendere debet qui afcendit ad dignitatem. Et hoc fignificatum eft *Num.*17. Vbi Aaron afcendens culmen pontificatus per virgam florentem afcendit. Et hæc eadem præcepta eft referri in tabernaculum: vt fit ibi in fignum eorum qui afcendere cupiunt. Sequitur.

In Iudæam]Et tangit locum ad quem afcendit in communi nomine,& proprio. Communi quidem quando dicit[in Iudæã]fortem fcilicet Iudæ, qui interpretatur confitens vel glorificans: quia Prælatus afcendit in confeffionem triplicem: peccatorum in pœnitentia,veritatis in prædicatione, laudis in gratiarum actione. De primo *Pfalm.*21. Dixi,Confitebor aduerfum me iniquitatem meam Domino: & tu remififti impietatem peccati mei. *Iofue* 7. Fili mi da gloriam Deo, & confitere peccata tua, & indica mihi quid feceris. De confeffione veritatis dicitur *Pfalm.*74. Confitebimur tibi Deus, confitebimur & narrabimus mirabilia tua. *Rom.* 10.Ore confeffio fit ad falutem. De tertio *Pfalm.*117. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in feculum mifericordia eius. *Genef.*49. Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum. Iudæa autem hic ponitur pro forte Iudæ;quia in forte Iudæ fuit Bethlehem: & ideo dicitur *Matth* 2. Tu Bethlehem terra Iuda. Eft enim alia quædam Bethlehem in Galgalis vel Galilæa: ficut dicit *Hieron.in gloff.fuper illud Mich.*5. Tu Bethlehem Ephrata.

Literalis autem quæftio eft hic. Cum Ierufalem ab expugnatione dicatur ciuitas Dauid, ficut dicitur 2.*Reg.*5. & 3 *Reg.*11. Quare non afcendit in eam Iofeph? Et dicendum, quod in veritate Ierufalem erat in forte Benjamin. Sed quia non potuit expellere Iebufæum, qui habitauit in ea, ceffit in poffeffionem Dauid ab euentu expugnationis: ficut narrat liber Regum: & ideo non directè erat de forte Iudæ. Et quia Iofeph directè erat de forte Iudæ: ideo afcendit in Iudæam illam, quæ de forte Iudæ fuit. In hac enim forte Chriftus nafci voluit, quia de forte Iudæ fuit. *Apoc* 5.Ecce vicit leo de tribu Iuda.*Genef.*49. Catulus leonis Iuda.*Hebr.*7 Manifeftum eft quod de Iuda ortus fit Dominus nofter. Hæc eft ergo caufa literalis,quare Deus voluit,quod in Iudæam iftam afcenderet.

In ciuitatem Dauid]quæ forte hæreditaria fuit ciuitas Dauid. Videtur autem contrarium prophetiæ quod hic dicitur. Dicit enim *Mich.*5. Tu Bethlehem Ephrata paruulus es millibus Iuda. Quod exponens *ibidem gloffa* dicit: paruulus vicus es in Iuda, in quo, hoc eft, in cuius forte funt tot millia ciuitatum, villarum, & vicorum: ergo non fuit ciuitas. Sed ad hoc dicendum,quòd licet raro frequentaretur habitatore: tamen à Dauid rege, & ab antiquo dignitatem & municipia habuit ciuitatis,propter futuram in ea Domini noftri natiuitatem. Et ideo hic præcipuè vocatur ciuitas. Ciuitas(inquam)ciuium dignitate,in qua Angeli concinunt ad ortum noui regis, quæ Regis & Matris Reginæ præfentia glorificatur,quæ à Regibus vifitatur,cui Reges munera deuotionis offerunt, quæ vaticinio Prophetarum fuper alias extollitur.De primo horum habetur *infrà*: Facta eft cum Angelo multitudo cæleftis exercitus laudantium & dicentium: Gloria in excelfis Deo. De fecundo *Ifa.*60. Locum fanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo, hoc eft,locum in quo fanctificationem meam in Matre caftitate confecrata, & locum vbi primo pedes pono humanitatis, glorificabo gloriofum,& in gloriam fempiternam eleuabo. De tertio dicitur *Matth.*2.Ecce Magi veniunt ab Oriente quærentes & dicentes: Vbi eft qui natus eft Rex Iudæorum? *Ifa.*60. Suges lac Gentium, & mammilla Regum lactaberis. De quarto *Matth.*2. Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thefauris fuis obtulerunt ei munera. *Ifa.*60. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. De quinto *Mich.*5. Tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda:ex te egredietur qui regat populum meum Ifraël: & egreffus eius ficut à principio à diebus æternitatis. His ergo rationibus ciuitas dicitur magna,dignitate fublimis. Et dicitur ciuitas Dauid,hoc eft,poffeffionis Dauid.Et quia quilibet ad allodialem & patrimonialem ciuitatem afcendit: ideo Iofeph afcendit in iftam, ficut patet ex fuperius dictis.

Dauid autem hic fit mentio propter tria. Primum eft, vt cognofcatur Chrifti humilitas. Secundum,vt cognofcatur Chrifti libertas.Tertium, vt cognofcatur quam magnopere curauit vitare fcandalum infirmorum. Humilitas quidem: quia de tanto fanguine natus fic defcendere voluit, vt cenficapitem folueret, & fub tributo nafceretur. Libertas autem, quia de regia libertate natus,tamen profiteri cenfum voluit. Et hoc totum fecit ne fcandalum induceret, & fuis exemplum daret, ne propter terrenam libertatem vel dignitatem fcandalum aliquod facerent. De primo quidem habes *Matth.*11. Difcite à me quia mitis fum & humilis corde. Ex maieftatis Domino factus tributarius. De fecundo *Matth.*17. Reges gentium à quibus accipiunt tributum? à filiis, vel ab alienis? Refpondit Petrus: Ab alienis. Et dixit Chriftus inferendo,ergo liberi funt filij. De tertio *ibidem*. Ne autem fcandalizemus eos mitte hamum in mare: & primum pifcem qui afcenderit, tolle:& in ore eius inuenies ftaterem,& folue pro me & te. Ex Dauid ergo habens generis non folum nobilitatem,fed maieftatem,& prætendit feruilem humilitatem. Ex patribus habens libertatem & dominationem, prætendit & feruitutem factus fub tributo. Ex regno habens ius exigendi tributa ab aliis, diffimulauit propter ædificationis charitatem. Sequitur.

Quæ vocatur Bethlehem] hoc eft, in forte Iudæ, prius vocata Ephrata ab vxore Caleph ibi fepulta. Et tunc accidit ibi fterilitas famis, propter quam ab ea peregrinatus eft Helymelech cum vxore Noemi, & duobus filiis: ficut legitur *Ruth* 1. Poftea autem tanta vbertas illis terminis eft reddita, quod ab vbertate nomen accipiens, Bethlehem,hoc eft,domus panis eft appellata. Et hoc eft quod dicitur. Hæc igitur Bethlehem eft domus regiæ propagationis, domus eft Gentium vocationis, domus eft Dominicæ natiuitatis, domus eft refectionis,domus eft vbertatis,domus eft panis cæleftis.

Primum horum patet *Ruth vltim.* Mulieres congratulantes dicebant: Natus est filius Noemi: & vocauerunt nomen eius Obeth. Hic est pater Isai patris Dauid. Secundum horum patet,ex hoc quod Ruth ex qua genuit Booz fuit gentilis, per quam descendit Christus. *Isa* 16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti. *Gloss. ibidem*, hoc est, de Ruth Moabitide gentili, quæ frigida est charitate, & sicca pietate: sicut petra & deserta à lege & Angelis,& Deo. Tertium horum patet *Michæa* 5. vbi dicitur: Ex te enim egredietur dux,qui regat populũ meum Israël: & egressus eius,sicut à principio à diebus æternitatis. Quia sicut ab vno patre egressus est per generationem æternam, sic ab vna matre per generationem temporalem: & sicut ab incorrupto Patre, sic ab incorrupta matre:sicut plenus splendoribus Sanctorum à Patre, sic plenus gratia & veritate à matre. Et ideo generatio hæc diuina est effectiuè: licet humana sit subiectiuè,& conditione naturæ. *Isa. vltim.* Si ego qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus? Quartum autem probatur in *Psalm.*35.vbi dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Non enim dicat de cætero: Bethlehem ingressa sum vacua *Ruth* 1. Plena enim est refectione eius,qui dicit *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quintum probatur per hoc quod dicitur Ephrata, quæ frugifer interpretatur. Iam enim verificatum est de ea illud *Genes.*27. Frumento & vino & oleo stabiliui eum. Et illud: Adipe frumenti satiat te. Habet enim vnde alat gratiam plenam, habet vnde vinum iucunditatis propinet Dei sapientiam,habet vnde vngat & delectet & exhilaret oleum misericordiæ & pietatis: habens eum cuius nomen est oleum effusum, quod sanat,exhilarat, & delectat. Hæc est domus panis cælestia continens eum,qui dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit, vt det vitam mundo. *Psalm.*103.Panis confirmet cor hominis. *Psalm.*77.Panem Angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia. Hac ergo de causa ascendit in ciuitatem,quæ vocatur Bethlehem. Et subiongit causam.

Eo quod esset de domo] natus & familia tribus Iudæ[Dauid] sicut iam dictum est. *Psalm.*88. Dixisti: Misericordia ædificabitur in cælis,præparabitur veritas tua in eis. Hanc misericordiam fecit Dauid promittendo, & veritatem & promissum complendo. Attende autem, quod de domo esse posset, si natus esset in regnum quod erat vniuersale 12.tribuum:& tunc non esset de familia priuata. Sed quia fuit de familia priuata natus fuit de tribu Iuda, cui primum concessus principatus: sicut patet in principio Iudicum. Ad quid autem ascendit subiungit.

Vt profiteretur] censicapitem soluendo [cum Maria] ex eadem tribu existente [desponsata sibi] honestare & lege nuptiarum[vxore]tanto sanctius sibi coniuncta, quanto pari voto continentium sacratum est illud coniugium [prægnante] quamuis sibi iuncta, non in concupiscentia: tamen à Spiritu sancto fœcundata. *Matth.* 1. Ioseph fili Dauid,noli timere accipere coniugem tuam Mariam. Quod enim in ea natum est,de Spiritu sancto est. Et ideo,vt dicit *Ambrosius*,hoc est exemplum sanctæ Ecclesiæ: sicut & Ioseph exemplum prælatorum Ecclesiæ: quæ licet stella sit illuminans, tamen sui nominis amaritudinem non deserit,semper lugens vt consoletur *Matth.* 5. Licet sit honestate plena, & legibus iustissima,coniunctione viro coniuncta: obuiat tamen viro quasi mater honorificata *Eccli.*15. Pudorem virgineum custodiens illibatum, quamuis sit prægnans, tamen à Spiritu sancto quo plena est Deo: plena grauida, & spiritum salutis semper est enixa, qui format Dei Filij vultum in ea.*Suprà primo.*Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. *Galat.*4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et in signum huius summi regis imaginis exemplum exhibet, vt dicit *Augustinus*, solidum redemptionis suæ qui vultum præfert imperatoris. Sic igitur determinatum sit de circunstantibus natiuitatem, ex parte temporis, & loci, & personarum conuenientibus.

Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.

Hic tangit natiuitatis Christi perfectionem. Dicit autem duo; natiuitatem,& natiuitatis manifestationem, tam per Angelos quam per pastores. De natiuitate dicit tria: temporis impletionem, natiuitatem, & nati curam quam sibi Virgo mater adhibuit. De tempore dicit.

Factum est]Et hic est versus.Factum enim iam totum est,quod præexigitur secundum ordinationem diuinam. *Isa.*34 Requirite diligenter in libro,vnum ex omnibus non defuit[cum essent ibi] vbi locus natiuitatis à Propheta prædictus est [impleti sunt dies Mariæ vt pareret] Impleti sunt quidem impletione numeri, impletione ordinis præfiniti,impletione sanctitatis,impletione omnis eius quam figuræ veteris testamenti præfigurauerunt significationis. Impletio quidem numeri dictum tempore *Iob* 14. Numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. De impletione ordinis præfiniti *Isa.*36. Ex diebus antiquis creaui illud, & nunc adduxi. *Galat.*4. Vbi venit plenitudo temporis,misit Deus Filium suum. De impletione sanctitatis dictum est supra,quod plena sanctitas non erat,nisi superueniente Spiritu sancto,& Altissimi obumbrante: vbi quod natum est, vocatur Sanctum, plena sanctitate, ita quod nihil remansit vacuum. In omnibus autem aliis sanctificationibus aliquid vacuum remansit. Vnde dictum est vxori Prophetæ 4.*Reg.*4. Cum plena sint vasa tolles. *Eccli.*24. In plenitudine sanctorum detentio mea.

De impletione figurarũ legis dicitur *Matth.*5. Non veni legem soluere, sed adimplere. De his quatuor plenitudinibus dicitur *Luc.*6. Mensuram bonam, & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Dicit autem.

Vt pareret] eum quem sine dolore parturitionis enixa est,& signatis claustris pudoris protulit ad lucem. De primo *Isa. vltim.* Antequam parturiret,

ritet,peperit. De ſecundo dicitur *Ezech.*44.Porta hæc clauſa eſt, & non aperietur: quia Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam: & ſignificatur *Ioan.*21. Venit IESVS ianuis clauſis,& ſtetit in medio. Sic enim exiuit de vtero Sic etiam exiuit de ſepulchro. Sic intrauit & exiuit domum, & de domo.Multo enim plus habuit curæ de ſignis pudoris virginis, quam habuerit de ſepulchro,vel de domo. Vnde de omnibus his exiuit non ruptis ſignaculis.

Et peperit]Ecce partus.Et peperit[filium ſuum primogenitum]Tanguntur tria: partus,prolis appropriatio, & dignitas. Partus in hoc quod dicit [peperit] quæ tunc puerpera fuit ſoluta maledictione: quia peperit ſine dolore, & conſeruato pudore. *Sapient.*4. Exclamat ſapientia ſuper hoc dicens: O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate:immortalis enim eſt memoria illius:quia & apud Deum nota eſt & apud homines. Proles autem eſt Filius, perfectus partus, de qua dicitur *Apoc.*12. Peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum maieſtatis eius [primogenitum] Ecce dignitas. Inſurgunt autem hic hæretici Heluidius, & quidam alij dicentes non dici primogenitum niſi reſpectu ſecundogeniti: ruentientes in caput ſuum: quia ſi ſecundogenitum ex matre haberet, ipſe vnigenitus non diceretur. *Ioan.*1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Et ideo dicitur primogenitus dignitate, qui ius primogenituræ in multis fratribus per adoptionem vocatis obtineret. *Roman.*8.vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Honor autem ille fuit, quod erat Dominus fratrum, duplicia poſſidens in bonis patris. *Hebr.*1. Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli eius. Primus enim eſt in bonis qui & per naturam vt Filius Dei, & per gratiam dona habet potiſſima: princeps fratrum, quem adorant omnes fratres in adoptionem filiorum tranſlati. *Geneſ.*27. Eſto Dominus fratrum tuorum: & incuruentur ante te filij matris tuæ. Subiungit autem de cura, dicens [Et pannis] Duas autem curas Virgo mater filio tenello adhibuit, inuolutionis faſciarum, & locationis. De inuolutione dicit[pannis eum inuoluit] Eſt autem cum pondere accipiendum. Panni enim ſunt (vnde pannoſi vocantur) veteres panni & conſciſſi:ſicut adhuc oſtenduntur faſciæ aſperæ de tunicis veteribus conſciſſæ.Talia enim prima nuditatis ſuæ tegumenta accipere voluit:vt nobis paupertatem, humilitatem, & aſperitatem commendaret. De paupertate 2.*Corinth.*8. Scitis gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI, quoniam propter vos egenus factus eſt cum eſſet diues: vt vos illius inopia diuites eſſetis. De humilitate *Matth.*11.Mitis ſum & humilis corde. De aſperitate. *Matth.*11.Ecce qui mollibus veſtiuntur,in domibus regum ſunt. *Iob* 18. Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium [inuoluit] etiam, vt dicit *Richardus de ſancto Victor.* mater Virgo Verbum Patris pannis vilibus: ſignificans verbum Dei magis ſimplicibus ſonis indui in prædicatione, quam phaleris rhetoricis. 1.*Corinth.*2. Non veni ad vos in ſublimitate ſermonis aut ſcientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.

Secunda cura eſt poſitionis infantis tenelli. Et circa hanc dicit duo: locum quietis, & cauſam, Locum quietis dicit[reclinauit eum in præſepio] Cauſam autem ſubinfert quando dicit[Quia non erat ei locus in diuerſorio] Et ad hoc intelligendum accipiatur verbum *Chryſoſtomi*, qui dicit, quod propter multos qui ad profitendum in Bethlehem conuenerant, Ioſeph hoſpitium in vico Bethlehem habere non potuit: ſed in via tectum quoddam erat ſuper duos muros expanſum, ad quod propter intemperiem feruoris vel tempeſtatis aliquando pauperes cum ſuis animalibus diuertebant: propter quod etiam diuerſorium vocabatur, habens duas aperturas ante, & poſt: quia non habuit niſi duos muros: & habebat vtrumque ad murum coniunctum ſtabulum, & præſepia coniuncta muro:in quod diuertit Ioſeph, eo quod in ciuitate non fuit hoſpitio receptus, ſecundum illud *Ioan.*1. In propria venit: & ſui eum non receperunt. Et quia platea tranſiuit per medium,ideo Sancti dicunt quod natus eſt in via domus. In eodem autem diuerſorio cæteris pauperibus honeſtiora loca occupantibus: ipſe cum Beata Matre & Ioſeph detruſi ſunt ad ſtabulum: & cum in ſtabulo conſtricti eſſent ab animalibus peregrinorum, non poterat habere locum reclinationis niſi præſepium. Et hoc eſt quod dicit [Reclinauit] emolimentum tenello procurans filio[in præſepio] Huius ſignum eſt,quod in picturis bos & aſinus pinguntur ſuper præſepium Hoc tamen non habet auctoritatem, niſi antiquitatem picturæ: quæ vocatur ſcriptura laicorum dicentium Beatam Virginem vectam in aſino: bouem autem adductum ad vendendum pro cenſicapite & expenſis. *Pſalm.*86. Dominus narrauit in ſcripturis populorum. *Iſaiæ* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.

In hoc autem quod reclinatus eſt in præſepio tria notantur,quod videlicet homines & iumenta ſaluabit Dominus, quemadmodum multiplicauit miſericordiam ſuam factus iam cibus iumentorum per carnem. *Iſa.*40. Omnis caro fœnum. Secundum eſt Maieſtas Dei mirabiliter inclinata propter nos in gremio Virginis, in quo non iam tantum captus & ligatus eſt rhinoceros, ſed etiam alligatus præſepio. *Iob* 39. Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi,aut morabitur ad præſepe tuum? Quaſi dicat. Non facit hoc:ſed ego docens vos ſubmittere ad manſuetudinem cornua.*Pſ.*73. Nolite extollere in altum cornu veſtrum. Tertiumque docet nos declinare ſtratus mollitiem, ex quo ipſe membris tenellis declinatus eſt in paleæ præſepium. *Amos* 6. Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. Sequitur.

Quia non erat ei locus in diuerſorio]*Geneſ.*42. Fratres Ioſeph diuertebant ad diuerſorium: vt pabula darent aſinis. Quadruplici autem ex cauſa natus eſt in via: vt ſcilicet ſe peregrinum in hoc mundo oſtenderet, vt ſe viam demonſtraret, vt mundum contemnere doceret,vt ſemper patriam inquirere exemplo ſuo probaret. De primo horum in *Pſalm.*38.Aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut patres mei. *Ierem.*14. Quare ſicut peregrinus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? De ſecundo dicit *Gloſſ.* *Ioan.*14.Ego ſum via,veritas,& vita:via qua itur, veritas qua pes dirigitur, vita ad quam peruenitur: via per præceptum,conſilium,& exemplum:

Veritas per doctrinæ verbum, vita per præmium. *Eccli.* 24. In me omnis gratia vitæ & veritatis: in me omnis spes vitæ & virtutis. Virtus enim confortat ad viam per meritum, & veritas illuminat ad vitam per doctrinam & Spiritus sancti inspirationem. De tertio *Zach.* 2. O o o fugite de terra Aquilonis. *Apoc.* 18. Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius. De quarto *Hebr.* 11. Confitentes quoniam peregrini & hospites sunt super terram. Et qui hoc dicunt, significant se patriam inquirere, & quidem si illius meminissent de qua exierunt: habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem: propterea non confunditur Deus vocari eorum Deus.

Et attēde quantam nobis Filius Dei rectitudinem vitæ ostendit: cuius medium in nullo exit ab extremis. Nudus enim egressus est ex vtero matris suæ in principio: nudus & spoliatus omnibus suis, reuersus illuc in matrem terram. *Iob* 3. In medio si vitam extenderit. *Matth.* 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum recliner. Iam infans factis loquitur, quod postea dixit per suum Apostolum 1. *Tim. vltim.* Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec portare quid possumus: habentes igitur alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Et illud *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Hæc igitur dicta sunt de Saluatoris humillima natiuitate. Sequitur.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

Hic incipit agere de natiuitatis manifestatione, & dicit quinque: quorum primum est eorum quibus manifestatur idoneitas: secundum autem, manifestantium indubitata veritas: tertium, est manifestationis expressæ sublimitas: quartum, signi ad manifestandum dati congruitas: quintum & vltimum, rei per experimentum probatæ inuenta probabilitas. Circa Primum, hoc est, eorum quibus fit manifestatio natiuitatis Christi idoneitatem, attendenda sunt quinque.

Erant enim pastores] officio [in regione eadem] & ideo congrui testimonio [vigilantes] solicitudine [custodientes vigilias noctis] vicaria vicissitudine [super gregem suum] proprium impensiori discretione. In primo horum sicut innuit *Gloss.* notatur simplicitas, quæ facit ad testificationis argumentum. In secundo notatur testificantium qualitas: quia noti erant in regione eadem, & non de longinquo, de quibus aliquid fingi posset. In tertio notatur phantasiæ exclusio, ne dormientes phantasias passi videantur. In quarto autem attenditur vigiliarum possibilitas, quia vnus non sufficeret, sed frequenter dormitaret; & ideo phantasias pati putaretur: sed quando plures erant, vicaria vigilantia vires ad vigilandum habebant. In quinto autem notatur ex impensiori cura, quam quilibet magis impendit propriis quam alienis, quòd fortius vigilabant. Dicit autem Hieronymus, quòd locus pascuæ horum pastorum fuit iuxta turrim quandam inter Bethlehem & Ierusalem sitam: vbi Iacob reuersus à Mesopotamia pauit pecora sua, vbi & Rachel mortua est & sepulta *Genes.* 35. de qua dicitur *Mich.* 4. Et tu turris gregis, nebulosa filia Sion vsque ad te veniet: & veniet potestas prima regnū filiæ Ierusalem. Nunc quare mœrore consumeris? nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit? Iuxta hanc ergo turrim, quia bona pascua habuit, & ibi de manifestatione summi regis & pastoris Prophetarum fuit, & à Patriarcha præhabitum exemplum: ordinauit Deus vt pastores gregem suum pascerent, quibus Angeli Saluatoris aduentum annuntiarent. Hæc etiam facta sunt ad pastorum Ecclesiæ documentum. Hi enim & pastores à pascendo oues (non seipsos) esse debent.

In regione eadem] cum ouibus permanentes, per instantiam custodiæ vigilantes, & per vicariam custodiam ouibus prouidentes, gregem suum sibi commissum canonica adeptione habentes. De primo habetur *Genes.* 47. Quos nosti ex eis viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. *Ibidem.* Pastores ouium sumus serui tui, & nos & patres nostri. De secundo dicitur *Osea* 2. sub alia metaphora: Dabo eis vinitores ex eodem loco. Nemo enim in alia regione à grege existens bene custodit. 1. *Regum* 17. Quare venisti & quare dereliquisti pauculas illas oues in deserto? ego noui superbiam tuam & nequitia cordis tui. Pro nequitia enim & superbia exercenda, auferunt lanam & lac, & derelicto grege vadunt ad terras alienas.

De tertio notandum, quod sex rationibus est vigilandum, quarum prima est, quia ratio de profectu gregis à pastore requiritur. *Ierem.* 13. Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quasi di. Nisi reddas ita inclytum sicut commissum est. à te damnum exigeretur. *Genes.* 31. Ego omne damnum reddebam, quidquid furto peribat à me exigebas. Secunda est, quia in periculo animæ grex suscipitur. 3. *Reg.* 20. Custodi virum illum: qui si forte euaserit de manibus tuis, erit anima tua pro anima illius. *Ezech.* 3. *Ierem.* 33. Adhuc transibunt greges ad manum numerantis. Tertia ratio est, quia lupus continuo vt deuoret insidiatur. 1. *Petr.* 5. Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Et præmittitur: Sobrij estote, & vigilate. Quarta ratio est, quia obedientia præcepti per hoc custoditur. *Marc.* 13. Videte, vigilate, & orate. Quinta ratio est, quia vigilanti merces promittitur. *Luc.* 12. Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Sexta ratio est, quia omnino incerti sumus quando custos circuiens Dominus veniat, & quis vigilans inueniatur. *Luc.* 12. Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret: vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideoque & vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. *Matth.* 24. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Sic ergo est vigilandum.

De vicaria autem custodia est notandum, quòd secundum successiones horarum noctis vices agebant, vigilantes successiuè per omnes horas noctis. Nox autem est quæcunque obscuritas, in qua inimicus suum procurat negotium, dormiente custode. Sunt ergo noctis obscuritates quatuor: vna quidem exterior, lucem fidei extinguere volentium instantia: alia autem interior, peccatorum caligo tenebrosa: tertia, inuisa dæmonum tentatio

vmbrosa:

vmbrosa: quarta vero, tetra Antichristi & præcurrentium Antichristum tribulatio & angustiosa. De prima harum noctium dicitur *Sapient.* 17. Ignis quidem nulla vis, nec siderum limpidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam. Ignis enim charitatis & sidera bonorum exemplorum in Sanctis, nihil in nocte illa profecerunt. Quæ quatuor vigilias habuerunt, fidem extinguere cupientes. Prima quidem tyrannorum, mortem pro fide inferentium. Secunda est hæreticorum, qui fidem obnubilabant post tyrannos. Tertia falsorum Christianorum, qui mores fidei formatæ auferre nitebantur. Quarta est mundi amatorum, intus non extra bonorum, sicut hypocritarum, qui omnia subuertunt quæ Dei sunt: quia extra vt proditores speculantur & insidiantur: & intus vt lupi rapaces produnt & lacerant: sicut vltima noctis hora tenebras cum luce miscentes. *Matth.* 7. Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Isti sunt oculi diaboli, de quibus dicitur *Iob* 41. Oculi eius vt palpebræ diluculi, in quo lux cum tenebris est permixta.

Secunda nox est peccatum, de qua dicitur in *Psalm.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Habet etiam quatuor vigilias: delectationem videlicet morosam, deliberationem in opere expletam, consuetudinem malam in peccato tenentem, desperationem in profundum peccati demergentem. De prima dicit *Psalm.* 37. Lumbi mei impleti sunt illusionibus. De secunda in *Psalm.* 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, hoc est ex deliberato consilio. De tertia dicitur *Ierem.* 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam, poteritis & vos bene facere cum didiceritis malum. De quarta *Prouerb.* 18. Impius cum in profundum venerit contemnit.

Tertia nox est tentatio dæmonum, de qua dicitur *Iob* 30. Nocte perforatur os meum doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt: à multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Habet autem quatuor vigilias: tentationem videlicet leuem & apertam, leuem & occultam, grauem & occultam, & grauem & apertam. De quibus dicitur in vno versu *Psalm.* 90. Non timebis à timore nocturno: ecce leuis & occulta. A sagitta volante per diem: ecce leuis & aperta. A negotio perambulante in tenebris: ecce grauis & occulta. Ab incursu & dæmonio meridiano: ecce grauis & aperta.

De quarta nocte dicitur *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine. Hæc subdola falsorum sub specie religionis latentium Antichristi nuntiorum detractio, & bonorum obtenebratio, habens quatuor vigilias. Bona enim quæ non habent simulant, vt deceipiant, mala quæ in ipsis sunt dissimulant: bona aliorum obscurant, & mala diuulgant. Et sunt significata ista *Ioel.* 1. Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit ærugo. Eruca viride decerpens, est simulatio boni, quærit enim sedere in viridi. Locusta simulans volatum & non habens, est dissimulatio mali. Bruchus corrodens, est detractio boni alieni. Et ærugo totum destruens, est diuulgatio mali alieni. De his autem quatuor vigiliis noctis dicitur *Marc.* 13. Vigilate; quia nescitis qua hora Dominus veniet, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane. Prima dicitur intempestum: secunda, conticinium: tertia, gallicinium: quarta, antelucanum.

Hac etiam nocte significatur obscuritas obnubilationis præsentis, qua in præsenti vita obuoluimur: in cuius prima hora gregem Domini custodierunt Patriarchæ vsque ad Moysen per legem naturalem: in secunda custodierunt iudices & duces per legem Moysi scriptam vsque ad Dauid: & in tertia reges per lucem propheticam vsque ad transmigrationem Babylonis: in quarta Sacerdotes & Apostoli per lucem Euangelij: & tunc fuerunt tenebræ mixtæ cum lumine: ante Christũ quidem tenebræ; à Christo autem lux exorta est. *Psalm.* 111. Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors & miserator, &c. Propter huius autem noctis longitudinem aliquando pastor dormit: & ideo adiutores habere non renuit, vt vicaria vigilia gregem melius custodiat. *Matth.* 25. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Et hoc attendentes isti vigilauerunt, custodientes vigilias, quilibet ordine suo supra gregem suum. *Genes.* 31. Die ac nocte æstu vrebar ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. De hoc autem quod gregem commissum sibi habebant, significatur quod pastor Ecclesiæ gregem suum habet, quem canonicè est adeptus *Ioan.* 10. Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Hic circa proprias oues solicitatur, & non circa alienas. Mercenarius enim est, cuius non sunt oues propriæ: qui cum videt lupum venientem, dimittit oues, & fugit. Et hic, quia cum ouibus non inueniretur, ideo ab Angelis non visitatur. Sic ergo isti congruunt optime natiuitatis testimonio, & simplicitate innocentis officij vtilis, & notitia proximæ ciuilitatis, & cura vigilantiæ pastoralis, & vicaria succedentis obseruationis, & intentione proprij gregis.

Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere.

Hic tangitur manifestantium istam natiuitatem indubitata veritas: & tanguntur hic tria, quorum primum est descriptio reuelantium: secundum, claritatis & luminis radij lucem veritatis ostendentium: tertium est confortatio & consolatio Angelorum, tenebras timoris à pastoribus fugantium. De primo horum dicuntur quinque: Angeli euidentia, Angeli persona, Angeli gloria, Angeli positio recta, & Angeli præsidia propinqua. Primum notatur per demonstrationem, secundum per Angeli nominationem, tertium per Domini maiestatem, quartum per stantis positionem, quintum per hoc quod iuxta illos stare dicitur. Per primum ostenditur quod accipit visibilem formam. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. Cum tamen non viderat nisi Angelum in specie Domini [Angelus] semper paratus ad ministerium Domini sui. *Matth.* 4. Accesserunt Angeli & ministrabant ei [Domini] cuius ipse est minister. *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, &c. [stetit] rectus, qui nunquam est curuatus. *Tobiæ* 12. Ego sum Raphael Angelus vnus de septem qui in

conspectu Dei astamus. *Act.* 12. Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo. Stat enim, qui per iniquitatem nunquam curuatur [iuxta illos] Propinquitas Angelorum paratum signat adiutorium eorum. Simile *Act.* 1. Ecce duo viri steterunt iuxta illos in vestibus albis. Dum enim hominem fecit, Angeli iuxta homines stantes leguntur tanquam iuxta conciues eorum. *Beda.* Natum Dominum hic cæli ciues testantur: vt & mortales sufficienter imbuant, & suo auctori seruitium impendant.

Et claritas] Ecce tangit lucem, quæ lucem perspicuæ veritatis prætendit. Est autem claritas propriè luminis & radiorum multa diuaricatio [Dei] autem dicitur claritas: eo quod in nocte nullam causam habere potuit naturalem, sed diuinam: hoc enim competit ei qui est splendor gloriæ Dei & figura substantiæ ipsius *Hebr.* 1. Et de quo dicitur *Sapient.* 7. quod est candor lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis. Hæc ergo claritas Dei [circumfulsit eos] vndique ambiens eos, sicut quoddam lucis tentorium. Et hoc in tota veteris testamenti serie (vbi tam crebro apparuisse leguntur Angeli) nusquam legitur quod cum tanta luce apparuerunt. Hic autem, & in *Act.* 12. leguntur cum luce venisse, & in resurrectione *Matth.* 28. quia illum nuntiabant, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum Vnde etiam dicit *Ioan.* 8. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: propter quod & ipsi Angeli lucem Dei circumferebant, significantes hoc quod dicit *Apostolus Rom.* 13. Nox præcessit: dies autem appropinquauit [Et timuerunt timore magno] Maiestas enim Angeli incussit timorem: claritas autem inconsueta adauxit terrorem: circunfusa vndique lux, & quasi concludens eos, superaddidit timoris magnitudinem. Simile *Matth.* 17. Audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. *Matth.* 28. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Hic tamen timor (vt sæpe diximus) non erat alicuius mali, sed potius humana infirmitas (in quam incidimus ex peccato) etiam suæ beatitudinis quam expectat (vt dicit *Gregorius*) non sustinet claritatem [Et dixit illis Angelus] assumpta specie corporis per modum quem superius explanauimus [dixit] hoc est, conceptus suos illis Angelus communicauit.

Nolite timere] Ecce confortatio quæ bono competit Angelo, maximè ex quo pax facta est inter hominem, & Deum: & inter hominem, & Angelum. *Daniel* 10. Cum dixisset mihi sermonem istum, steti tremens: & ait ad me, Noli timere. Attendendum autem est hic quod dicit *Gregorius.* Sic vigilantibus pastoribus apparet Angelus, & eos claritas circumfulget: quia illi præ cæteris videre merentur sublimia, qui fidelibus solicitè præsunt: super quos diuina gratia largius coruscat. 1. *Timoth.* 5 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. *Daniel.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates. Item *Gregorius.* Tunc claritas aliquem circumfulget, cum recto per iustitiam punit mala præterita, ante per prudentiam cauet futura, à dextris per temperantiam non dissoluitur per prospera, à sinistris per fortitudinem non frangitur per aduersa. Sequitur.

Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.

Hic tangitur sublimitas annuntiationis, siue manifestationis. Et tangit duo: qualitatem videlicet rei annuntiatæ, & ipsam rem annuntiatam. Et præmittit qualitatem: quia illa excitat ad deuotè & libenter audiendum. Qualitas autem est in quinque, videlicet, in rei euidentia indubitata, in rei cum corde humano concordia consolatoria, in rei vtilitate acquisita, in rei bonitate maxima, in bonitatis vniuersalitate latissima.

Primum horum notatur in demonstrationis aduerbio cum dicit [Ecce] Iam enim digito demonstrabilis. *Isa.* 40. Videbit omnis caro quod os Domini locutum est. Secundum notatur per hoc quod dicit [annuntio] Quasi dicat. Annuntio, hoc est, ad cor perditi hominis accedens in consolatione nuntio. *Isa.* 4. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam. Vnde *ibidem*. Consolamini, consolamini popule meus, dicit Dominus Deus vester. *Osee* 2. Adducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Tertium notatur per dictionem [vobis] datiuum, qui acquisitiuè construitur. *Isa* 9. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. 1. *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. *Rom.* 8. Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quartum notatur per hoc quod dicit [Gaudium magnum] Quia gaudium non est nisi de bono apparente: quia dicit *Augustinus:* Gaudium est diffusio in conceptione boni. Magnum autem gaudium de magno bono, hoc est, optimo. Quia dicit *Augustinus in lib.: de quantitate animæ*, quod in rebus, quæ non mole sed virtute magnæ sunt, idem est esse maius quod melius esse. Istud autem bonum, omnis boni bonum est & optimum. Dicit enim *Dionysius in libro de diui. nominibus*, quod boni bona est adducere, & optimi optima est adducere: nihil autem melius adduci potuit. Istud ergo optimum fuit, est, & erit. *Thren.* 3. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. *Psalm.* 118. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. *Philip.* 3. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. *Matth.* 2. Gauisi sunt gaudio magno valde.

Causa autem huius gaudij magni est: quia in regno fidelium hæres natus est. *Mich.* 1. Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa, hoc est, in amaritudine. Talem autem hæredem, cuius gloriam vidimus, quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis *Ioan.* 1. Secunda causa est tantæ lætitiæ: quia natus est propugnator, qui auferat opprobrium populi Dei de insultationibus inimicorum. *Isa.* 19. Mittet eis Saluatorem & propugnatorem qui liberet eos. *Isa* 63. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. *Isa.* 25. Opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra. 1. *Reg.* 17. Nunc vadam & auferam opprobrium populi. Tertia ratio est: quia est Saluator

uator & salus. *Zach.* 9 Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus, & Saluator. Quarta ratio est: quia inimicorum exultationem in luctum, & luctum nostrum in gaudium conuertit. *Baruch* 4. Sicut gauisa est in tui ruina, & læta ta in casu tuo, sic coangustabitur in sua desolatione. Et amputabitur exultatio multitudinis eius, & gaudimonium eius erit in luctum. 1. *Reg.* 4. Cognouerunt quod arca fœderis Domini venisset in castra, timueruntque dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes: Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio in castris Hebræorum heri & nudiustertius: Væ nobis. His de causis audita est vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.

Vniuersalitatem autem gaudij notat per hoc quod dicit [quod erit omni populo] Non enim tantum multi in natiuitate eius gaudebunt, sicut in natiuitate præcursoris: sed omni populo erit gaudium sufficienter ex ipso causatum, quamuis efficienter quidam non gaudeant propter suum demeritum. *Baruch* 5. Vide collectos filios tuos ab Oriente sole vsque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria. *Isa.* 60. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. *Ibidem* Videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum: quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Sequitur de re annunciata.

Quia natus est vobis] Tangit autem hic nati naturam, actum, qualitatem aeris, locum natiuitatis, & nati dignitatem. Naturam per hoc quod dicit [natus est vobis] nobis enim natus non est nisi qui in natura vestra natus est: & inde dictus est Emanuel *Isa.* 7. & 8. Actum tangit per hoc quod dicit.

Saluator] Iste enim secundum suum nomen est proprius actu a ipsius. *Matth.* 1. Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Qualitatem aëris tangit per hoc quod dicit

Hodie] quia tunc claritas Dei fulgens (ex sole orto super terram, de quo dicitur *Malach* 4. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ) fecit diem: licet ordine successionis diei & noctis esset noctis mediũ, vt dicitur *Sap.* 18. Cum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus venit. Et ideo illa nocte cantatur missa in nocte. *Psalm.* 138. Nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in delicijs meis. Locum autem tangit.

In ciuitate Dauid] Et sic ordinanda est litera. Natus est vobis hodie in ciuitate Dauid Saluator qui est Christus Dominus [Saluator qui est Christus Dominus] Hæc autem ciuitas est Bethlehem, de qua successione patris & auorum & proauorũ natus est Dauid, vt patet per ante dicta. Et ideo vocatur Bethlehemites 1. *Reg.* 21. Adeodatus filius polymitarius Bethlehemites percussit Goliam Gethæum. Mater enim auorum suorum fuit in Bethlehem in domo Boom. Dignitatem autem tangit in hoc quod dicit.

Qui est Christus Dominus vnctus: vnctionem Spiritus à Patre accipiens. & in totam Ecclesiam refundens. *Psalm.* 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, & in oram vestimenti. *Isa.* 61. Dominus super me, eo quod vnxerit me Dominus: ad euangelizandum pauperibus misit me. Vngebantur autem Reges & Sacerdotes. Christus autem rex est & sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui erat rex & sacerdos. *Hebr.* 7. *Hebr.* 1. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis. *Psalm.* 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. Ipse enim est vas chrismate plenum, confectum ex balsamo pretioso Deitate, & oleo misericordiæ assumptæ humanitatis: cuius liquor vnctionis est sanguis pretiosus, omnia vngens, dolores omnes leniens, omnes infirmitates sanans. *Psalm.* 102. Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Ex hac autem vnctione est vniuersorum Dominus: quia data est ei omnis potestas in cælo & in terra *Matth. vltim.* Vt sit idem & vnus dominus omnium: diues in omnes cum chrismate, qui inuocant illum *Rom.* 10.

Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.

Huius autem manifestationis aptissimum ponit signum, dicens [Et hoc vobis signum] Et dicit duo: signi scilicet explanationem, & militiæ concomitantis gratiarum actionem. Circa signi explanationem duo dicit: signi videlicet promissionem, & signi explanationem. Signi promissio est in hoc quod dicit [& hoc vobis signum] Hoc, inquam, signum, cui quidem à mundo contradicitur, quod in filiis Adæ superbis non inuenitur, quod in bono Dei animo ad vulnera nostra sananda conuenientissime in Dei Filio ostenditur, quod pauperibus pastoribus & similibus eorum solis datur, & ab aliis non cognoscitur. Hoc enim est signum, cui à mundo contradicitur: sicut infra dicit Simeon: Positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Qui enim nec humilis nec pauper vult esse cum Christo, contradicit huic signo. In filiis Adæ superbis non inuenitur. *Psalm.* 73. Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: & ideo nos nõ cognoscet amplius. Hoc signum in bono Dei animo suis datur, vt in Filio Dei consignentur. *Psalm.* 85. Fac mecum signum in bonum, vt videant qui me oderunt, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Hoc signum ab aliis nisi à pauperibus nec accipitur nec cognoscitur. *Ioan.* 3. Testimonium eius nemo accipit, hoc est, pauci pauperes, pastorum imitatores. Qui autem acceperit eius testimonium, signauit quia Deus verax est. Verax enim Deus est, qui nostræ superbiæ sanandæ opponit humilitatem: nostræ auaritiæ, qua concupiuimus Dei similitudinem & scientiam, opponit paupertatem & puerilem simplicitatem: nostræ gulæ resolutæ, qua vetitum gustauimus, opposuit asperitatem. Ideo dicit *Psalm.* 64. Turbabuntur à signis tuis superbi, auari, & in deliciis resoluti. Econtra autem de bonis dicitur: Signa eos, qui in me credunt, hæc sequentur *Marci vltim.* 1. *Corinth.* 15. Sicut portauimus imaginem terreni, superbi, auari, & resoluti: sic portemus imaginem cælestis in signis humilitatis, paupertatis, & asperitatis. Econtra mundus & diabolus posuerunt signa

signa sua signa quasi victricia signa Dei, fastum, superbiam, pompam seculi, lasciuiam carnis: signa Christi delecere cupientes. Sed Christus econtra dat signa in cælo sursum, & prodigia in inferno deorsum: in cælo quidem stellam ducentem Magos: in terra autem deorsum, hoc est quod hic scriptum est [Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio] Sicut enim tres sunt qui testimonium signis suis dant in cælo, Christi natiuitatis, Angelus, stella, & claritas diuina: Angelus qui prædicat maiestatem, stella quę præsignat sapientiæ illuminationem, claritas quæ ostendit gratiæ Dei splendorem: ita tres virtutes sunt quæ dant signum in terra, puritas, paupertas, & humilitas: puritas in infante, paupertas in pannositate, humilitas in stabuli vilitate. Puritas autem infantis est in duobus: in innocentiæ puritate, & vagientis ploratione. *Sapient.* 7. Primam vocem emisi plorans. *Cantic.* 2. Vox turturis audita est in terra nostra.

Et per hæc signa consolatur, increpat, exhortatur, consulit, & erudit. Puritate enim consolatur innocentes. *Isa.* 40. Consolamini, consolamini popule meus. Vagitu autem consolatur lugentes. *Matth.* 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Increpat autem puritate impuros, peccatis inquinatos. *Isa.* 64. Facti sumus vt immundus omnes nos. Vagitu autem increpat cachinnantes: quia risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat *Prouerb.* 14. Exhortatur autem ad innocentiæ puritatem puritate, & ad lugendum pro incolatu miseriæ suo vagitu. De primo quidem in *Psalm.* 24. Innocentes & recti adhæserunt mihi. De secundo autem in *Psalm.* 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Adhuc consulit puritate munditiam cordis, vagitu gemitum compunctionis. De primo *Matth* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. De secundo autem in *Psalm.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Erudit etiam puerilem puritatem præeligere peccati oblectamentis, & vagitu infantis mala commissa per pœnitentiam delere. *Hebr.* 10. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Ecce primum. *Luc.* 7. Stans retro secus pedes Domini IESV, cœpit rigare pedes. Ecce secundum.

Paupertate etiam pannosa consolatur, increpat, exhortatur, consulit, & erudit. Consolatur pauperes spiritu. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Increpat diuites *Luc.* 6. Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Exhortatur ad paupertatem. *Luc.* 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Consulit paupertatem præeligere diuitiis. *Hebræorum* 11. Maiores diuitias æstimans improperium Christi thesauris Ægyptiorum. Erudit diuitias esse spinas, & paupertatem esse securitatem. *Matth.* 13. Aliud cecidit inter spinas, quæ simul exortæ suffocauerunt illud. De securitate paupertatis *Iob* 11. Defossus humi securus dormies.

Humilitate etiam consolatur, increpat, exhortatur, consulit, & erudit. Consolatur humiles. 2. *Cor.* 1. Qui consolatur humiles consolatus est & nos Deus. Increpat superbos. *Psalm.* 118. Increpasti superbos: maledicti qui declinant à lege tua, quæ tota est lex humilitatis. Exhortatur ad humilitatem. *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Consulit humiliari etiam homines. *Isa.* 47. Descende, sede in terra virgo filia Babylonis. *Luc.* 14. Sede in nouissimo loco. Erudit humilitatis exaltationem. *Luc.* 14. Qui se humiliat exaltabitur. His ergo quinque verbis etiam infans loquitur, consolando, increpando, exhortando, consulendo, & docendo. Dicit ergo.

Inuenietis infantem] Non loquentem, garrulos reprehendentem de sua laude nunquam tacentes: cum in laude propria homo debet esse infans. Vnde laudet te os alienum & non tuum. Est autem mirum & inauditum signum, quod Dei sapientia est infans, non loquens. *Sap.* 10 Sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit disertas. Et ideo *Psalmista* dicit *Psalm.* 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Sed nos docuit tacere vsque in tempus. *Eccli.* 20. Homo sapiens tacebit ad tempus, lasciuus autem & imprudens non seruabit tempus.

Pannis inuolutum] Paupertatem & asperitatem prætendentem, iam nunc diuitem purpuratum reprehendentem. Propter hoc venit à regalibus sedibus, vbi nullius paupertatis indigentia fuit vt paupertatem eligeret & pauperes. *Iacob.* 2. Pauperes elegit Deus, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se. In quo etiam commendat asperitatem. *Psalm.* 87. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.

Et positum in præsepio] Ecce tertium signum humilitatis, in quo omnes magi defecerunt Pharaonis superbi turgitu & fastu seculi inflati. Ecce stabulo ponitur qui continet mundum: iacet in præsepio, & super ipsum mugiunt animalia, qui in nubibus tonat. Mirabile pro certo mysterium Regem cæli, cui talia famulantur obsequia, vt dicit *Ambrosius*. Nunquid enim thronus præsepium, aula regia stabulum, panni conscissi & veteres regalis purpura, nodi colligationis & inuolutionis fibula, curiæ regalis frequentia Ioseph & Maria? Propter hæc enim inuenienda, ab altis descendit ad humilia, à regalibus sedibus ad iumentorum stabula.

Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Ecce gratiarum actio. Et dicit duo: numerum laudantium, & modum laudis. De primo dicit quatuor: quam cito surgunt in laudem congratulantes bono, & non inuidiæ oculo despicientes multitudinem laudantium, apparatum eorum, & ordinem. De primo dicit [subito] *Dionysius* dicit, quod subito est quod est præter spem. Et ita est in congratulantibus in charitate bonis factis. Statim enim audito vel viso bono surgunt in laudem. Ideo enim vno annuntiante, multitudo tota surgit in gratiarum actionem. *Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus. *Beda in Gloss.* Vno euangelizante, multitudo in consonam laudem prorumpit: vt & officium suum Deo impendat & nos instruat:

quoties

quoties sacram eruditionem fratris ore audimus; Deo laudes corde, opere, ore reddamus. Quòd autem subito laudant, signum est quod ex optimo affectu procedit laudatio, quasi non per rationem elicita, vel per verecundiam exorta [multitudo] tam multa, vt determinari nequeat ad certum numerum. *Daniel.* 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei [militiæ] Ecce apparatus pro nobis ad certamen procedentium. *Iob* 25. Nunquid est numerus militum eius, & super quem non surgit lumen eius? *Iob* 7. Militia est vita hominis super terram [cælestis exercitus] Ecce ordo: quia omnis exercitus ordinatus est in caput & caudam incuruantem & refrænantem, *Isa.* 9. Et illum quidem habet exercitus pugnæ ducem, qui iacebat in stabulo trabea carnis indutus, vt dicit *Ambrosius.* Et ideo talem habens ducem, & tales exercitus Ecclesia, dicitur *Cant.* 6. terribilis vt castrorum acies ordinata. *Genes.* 32. Castra Dei sunt hæc. 4. *Reg.* 6. Noli timere: plures enim nobiscum sunt quam cum illis [laudantium] Laus est præconium virtutis. Nec est laudabile bonum nisi virtus, vel simile virtuti, vel opus eius.

Et dicentium: Gloria in altissimis Deo] Ecce modus laudis: vt Deo gloria, nobis autem pax conferatur. *Isa.* 48. Gloriam meam alteri non dabo. Detur ergo gloria Deo. Est autem gloria, latè patens præconium, vel ore multorum prædicata laudatio: vt dicit *Tullius in fine primæ rhetoricæ.* Vel sicut dicit *Augustinus*, Clara cum laude notitia. Late quidem patens præconium per totum mundum est dilatatum. *Isa.* 12. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in vniuersa terra. Similiter ore multorum prædicata laudatio soli Deo conuenit. *Psalm.* 33. Semper laus eius in ore meo. Clara etiam cum laude notitia soli Deo conuenit: qui solus in propria laude omnibus innotescit. 1. *Tim.* 1. Soli Deo honor & gloria. Ideo gloria propria est Deo, quam alteri non cupit: quæ etiam alij non competit. Vnde *Genes.* 39. Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es. 1. *Cor.* 11. Vxor gloria viri est. Et ideo seruus fidelis in hanc Domini sui vxorem manum non extendit. Deo igitur sit gloria, & habeat eam solus, quia etiam torcular passionis in pugna calcauit solus: & de gentibus non est vir secum *Isa.* 63.

Et in terra pax hominibus] Pax enim in terra necessaria; quia in terra surgunt bella. Est autem pax inter hominem & Deum, inter hominem & Angelum, inter hominem & hominem, inter spiritum & carnem. Inter hominem quidem & Deum, bellum fecit præcepti præuaricatio. *Isa.* 48. Vtinam attendisses mandata mea, multiplicata fuisset sicut flumen pax tua. *Psalm.* 118. Pax multa diligentibus legem tuam. Satisfecit autem Filius Patri pro homine, factus obediens Patri vsque ad mortem *Philip.* 2. Et facta est pax. *Isa.* 27. Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi. Et sic est Christus mediator Dei & hominum 1. *Timot.* 2.

Bellum autem inter hominem & Angelum fecit, Adæ & Euæ de paradiso per romphæam Angeli eiectio. Quod Christus pacificauit: quia ruinam angelicam ex hominibus reparauit. *Psalm.* 50. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ierusalem. De hac pace dicitur *Isa.* 57. Veniat pax, & requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua. Et secundum hoc dicitur: Hic est Salomon pacificus. Bellum inter hominem & hominem, Gentilem & Iudæum, fecit diuersarum legum æmulatio. Christus autem fecit pacem in vnam Ecclesiam vtrunque congregando. *Ioan.* 10. Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: & fiet vnum ouile & vnus pastor. *Isa.* 57. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui prope est: & pacem ei qui longe est, hoc est, Gentili qui longe est, & Iudæo qui prope est. Et secundum hoc dicitur lapis angularis, qui facit vtraque vnum. Bellum autem inter carnem & spiritum fecit, quod primò spiritus corrupit carnem, caro autem corrupta extunc corrumpit spiritum. *Galat.* 5. Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autẽ aduersus carnem. Hæc enim sibi aduersantur: vt non quæcunque vultis illa faciatis. Christus autem assumens vtrunque, fecit pacem in se. *Psalm.* 65. In pace factus est locus eius. Et speramus quod etiam erit pax in nobis. *Ephes.* 2. Medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, vt condat duos, spiritum scilicet & carnem, in semetipsum in vnum hominem, faciens pacem. Et secundum hanc pacem dicitur Emanuel *Isa.* 7. Et sic plena facta est pax.

Hominibus bonæ voluntatis] hoc est, voluntatem in bonum dirigentibus: quia *Isa.* 48. dicitur, quod non est pax impiis, dicit Dominus: sed cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Et quidem sic plena est pax. Et hoc est quod dicit *Gloss.* Quando peccando extranei eramus à Deo, extraneos reputabant nos Angeli. Sed quando cognouimus Regem nostrum, recognouerunt nos Angeli ciues suos. Et timet Angelos adorari ab humana natura *Apoc. vltim.* quam in suo Rege considerat. Item alia *Gloss.* Quia Deus & homo nascitur, hominibus pax cum ipsis Angelis: Deo canitur gloria, qui ab Angelis pro nostra redemptione glorificatur.

Attende autem, quod residuum eius quod additur ad Gloria in excelsis: dicitur à *Beato Hilario* compositum. Et quia Angeli primo hymnum istum in terra decantauerunt: ideo Thelesphorus papa instituit, quod non nisi ab Episcopo inchoaretur. Postea vero Symmachus papa attendens, quod Sacerdos quilibet Angelus Domini dicitur *Malach.* 2. instituit, quod etiam ab aliis Sacerdotibus inciperetur.

Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum: pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.

Hic tangitur experimentalis cognitio dictorum ab Angelis. Et dicit duo: consensum scilicet ad experiendum, & ipsum experimentum. De consensu ad experiendum tangit duo. Primò enim Euangelista continuat historiam, & deinde ad experiendum ponit consensum. Historiam continuando

nuando dicit [Et factum est] Omnia enim ista in præfinitione Dei iam facta sunt. *Eccle.*1. Quid est quod futurum est? idipsum quod factum est [vt discesserunt ab eis Angeli] Aduentus Angelorum allationem illuminationis eorum significat: quæ duo facit: purgat enim ignorantiam, & veritatis infundit scientiam: quod per claritatem Dei, quæ circumfulsit eos, designatum est Recessus autem in cælum, significat reductionem illuminati cordis in Deum. Hæc enim, vt dicit *Dionysius in Cælesti hierarchia*, sunt tria Angelorum opera: purgare, illuminare, & perficere. Purgant enim, cum ignorantiam abstergunt: illuminant, cum lumen veritatis infundunt: perficiunt, cum cor illuminatum ad fontem luminis conuertunt: & ideo discedendo se subtrahunt, ne cor illuminati in ipsis stet, sed ad Deum conuertatur. Et hoc innuentes discedunt in cælum, ad Patrem luminum, qui in cælis est, dirigentes. Hoc significatum est *Genes.*18. vbi Angeli descendunt & ascendunt in scala Iacob: & Dominus innixus est scalæ desuper. Descendentes enim fuerunt illuminatores, ascendentes dirigunt illuminatos ad eum qui scalæ innititur. *Matth.*18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Ideo nostri sunt: quia nos illuminant: ideo vident faciem Patris; vt nos ad ipsam faciem dirigant. Et hoc est quod sequitur: quia statim pastores ad id conuertuntur quod Angeli annuntiabant. Vnde

Pastores loquebantur] Ecce consensus pastorum ad experiendum. Sunt autem tria notanda: pastorum in vnum consensus, exhortatio mutua ad illud, & quid velint experiri. In idem consensus notatur per hoc quod pluraliter dicit [pastores] in communi, quod nullus contradixit. *Psalm.*67. Vnius moris habitare in domo. *Psalm.*132. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. *Aristot.* Prauus socius est, qui impedit commune opus. *Hebr.*1. Non deserentes collectionem vestram. 1.*Corinth.*1. Idipsum dicatis omnes, vt non sint in vobis schismata [loquebantur ad inuicem] Ecce exhortatio mutua. *Apoc. vltim.* Sponsus & sponsa dicunt, Veni: & qui audit dicat, Veni. *Psalm.*94. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione. *Isa.*2. Venite, ascendamus ad montem Domini. Et post modicum. Domus Iacob venite ambulemus in lumine Dei nostri. Adhortantes autem se inuicem dicunt.

Transeamus] Hic notantur quinque transitus pastorum. A consideratione enim gregum transiuerunt ad seipsos, de auditis ab Angelo conferentes. De seipsis transierunt [Bethlehem] domum Christi Domini quærentes. De domo transiuerunt ad familiam Christi, Beatam Virginem & Ioseph inuenientes. De familia transiuerunt ad infantem Christum, in præsepio cognoscentes. De Christo autem iterum ad gregem, curam gregi impendentes. Et primus quidem transitus est mundanorum ad cordis notitiam. Secundus autem est sui ad cælestem sanctorum habitationem conuersio. Tertius autem est simillimorum, vel familiarium Deo & propinquiorum perlustratio. Quartus autem est Dei inuentio. Quintus est eius quod sic inuentum est proximi communicatio.

De primo dicitur *Isa.*43. Cum transieris per aquam, flumina non operient te; quia ego tecum sum: & cum ambulaueris in igne, flamma non comburet te; quia ego Dominus Deus Saluator tuus. Aqua, insipidam & frigidam mundi consolationem significat, quæ non operit ad Deum transeuntem. Ignis autem significat tribulationem feruentem, quæ etiam comburere non potest eum, qui passu consideratæ mentis ad Deum pertransit. 2.*Corinth.*4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea quæ videntur sed quæ non videntur. *Psalm.*65. Transiuimus per aquam & ignem: & eduxisti nos in refrigerium.

De secundo transitu, qui est à consideratione ad domum Dei in *Psalm.*41. Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, cælestem scilicet patriam. *Cantic.*3. In lectulo meo, propriæ scilicet conscientiæ, quæsiui per noctem quem diligit anima mea: quæsiui illum in corde tenebroso, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas cælestis Ierusalem quæram quem diligit anima mea. Sic ergo veniunt in Bethlehem.

De tertio transitu de domo ad familiam priuatam dicitur *Isa.*41. Transibit in pace, semita eius in pedibus eius non apparebit. Sic enim transiens in domo Dei, nihil nisi pacem inuenit: nec vnquam lassatur, vel puluerizatur, vel sordidatur pedibus: quæ dicuntur hic pedum semitæ in pedibus apparentes.

De quarto, qui est transitus de familia ad natum Christum *Cantic.*3. Paululum enim pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. *Eccli.*24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. De transitu autem ex secreto illius contemplationis ad ædificationem gregis dicitur *Ioan.*7. Transi hinc, & manifesta teipsum mundo. Nemo quippe in abscondito aliquid facit, & quærit ipse in palam esse *Genes.*22. Ego & puer cum adorauerimus reuertemur ad vos. Sic ergo dicunt: Transeamus à nostris & à nobis, ad ea quæ Dei sunt & intima ipsius, & ad ipsum: vt illuminatione ipsius accepta, retrauseamus ad gregis custodiam.

Sunt autem transitus tres notati ab his qui fuerunt ante nos: transitus scilicet de vitiis ad virtutes, transitus de virtute in virtutem, & transitus de meritis virtutum ad gloriam. Transitus de vitiis ad virtutes significatur per transitum maris rubri: de quo dicitur *Sapient.*10. Transtulisti illos per mare rubrum, & transuexisti eos per aquam nimiam. *Psalm.*135. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, & eduxit Israël per medium eius, hoc est, mare per compunctionis amaritudinem. Rubrum est, per confessionis verecundiam & ruborem, diuisiones habet per singulares de peccatis singulis satisfactiones, salubre est per inimicorum demersiones. *Exod.*15. Descenderunt in profundum, quasi plumbum in aquis vehementibus.

Secundus transitus significatur per transitum filiorum Israël per desertum: de quo *Sapient.*11. Iter fecerunt per deserta quæ non inhabitabantur, & in locis desertis fixerunt casas. Via enim virtutum & regio non inhabitantur à mundo.

Psalm.

*Pſalm.*83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. Ad hoc cupientes exire, Idumæam circuierunt, Seon & Og regem Baſan interfecerunt. Idumæa enim ſanguinea carnem ſignificat, quæ non eſt interficienda ſed domanda. Vnde *Num.*21. præcipitur eis quod circumeant, & non interficiant. Seon germeo inutile interpretatur, & mundum ſignificat: hic eſt interficiendus. Og autem occultus diabolum ſignificat, qui etiam interficiendus eſt: ſicut dicitur *Num.*21.

Tertius tranſitus eſt ſignatus per tranſitum Iordanis *Ioſue* 3. & 4. de quo *Ioan.*13. Sciens IESVS quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Hunc tranſitum quidam faciunt viui prius, & morientes poſtea: viui per contemplationem & prægustationem, morientes autem per poſſeſſionem. Viuorum tranſitus ſignificatur per tranſitum exploratorum *Ioſue* 2. Morientium autem tranſitus ſignificatur per tranſitum populi *Ioſue* 4. & *Ioan.*3. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo. Sic igitur & iſti dicunt [tranſeamus] vt prægustemus, & contemplatione videamus.

Vſque Bethlehem] Domus panis reficientis, confirmantis, nobiſcum permanentis, viuificantis, delicias præbentis, omne delectamentum gratiæ habentis. Panis dico reficientis. *Iſa.*21. Qui habitatis terram Auſtri cum panibus, hoc eſt, refectionibus ſpiritualibus: occurrite fugienti. *Matth.*11. Ego reficiam vos. *Geneſ.vltim.* Nolite timere, ego paſcam vos & paruulos veſtros. Panis cor confirmantis. *Pſalm.*103. Panis cor hominis confirmat. *Act.*3. Cum accepiſſet cibum, confortatus eſt. Panis membris adhærentis: quia nutrimentum de frumento fortius adhæret membris, vt dicit *Conſtantinus in Pantegni.* Et ideo Christus comparat ſe grano frumenti *Ioan.*12. *Pſalm.*147. Adipe frumenti ſatiat te. Alia enim refectio in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur *Matth.*15. Hæc autem permanet & vegetat in vitam æternam. Eſt etiam viuificans. *Ioan.*6. Qui manducat me, viuit propter me. Delicias præbet. *Geneſ.*49. Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Eſt etiam ſaginatus pinguedine diuinitatis, quod omne habet gratiæ delectamentum. *Sapient.*16. Paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem. Sic ergo & adhuc.

Tranſeamus vſque in Bethlehem & videamus hoc Verbum] Nam

Segnius irritant animum demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Sed nunquid hoc videre voluerunt paſtores tanquam diſcredentes verbis Angeli? Abſit. Sed potius in cuius rei auditu delectati ſunt, in eiuſdem rei viſu delectari voluerunt. *Iob* 42. Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. *Luc.*10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Adhuc autem Angeli innuunt miſſionem ad videndum quando dicunt: Inuenietis infantem. *Iob* 19. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

Hoc Verbum] Ecce res videnda. Dicunt autem quatuor. Primum eſt, hoc Verbum demonſtrabile in carne ad oculum. Secũdum eſt, quia dicunt eſſe factum. Tertium, quia à Domino eſſe factum. Quartum, quia dicunt ab Angelis eſſe reuelatum. De primo notandum eſt, quod Verbum incarnatum eſt [hoc Verbum] demonſtrabile & viſibile. Vnde *Gloſſ.* dicit, quod Verbum videtur, cum caro Verbi videtur: quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis *Ioan.*1. *Baruch* 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus. Eſt autem hoc Verbum, cuius non ſaturatur oculus viſu *Eccle.*1. Nec mirum, quia ipſe eſt in quem deſiderant Angeli proſpicere 1.*Petr.*1. Videamus ergo & nos hoc Verbum.

Quod factum eſt] quod mirum eſt, cum ipſum increatum ſit, ſed à Patre genitum ab æterno apud Patrem. *Ioan.*1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Adhuc autem, Cum omnia per ipſum facta ſunt: mirabitur omnis homo ſi & ipſum factum eſt inter omnia. Videtur enim ſequi quod ipſum factum ſit per ſeipſum. Sed ad hoc Catholica fides reſpondet, quod ipſum ſecundum diuinitatem æternum eſt: & omnia per ipſum facta ſunt. Aſſumpſit autem quod non erat, manens quod erat, hoc eſt, humanam naturam: & ſecundum illam, & factum eſt à Patre & Spiritu ſancto & à ſeipſo. Hoc eſt quod dicit *Apoſtolus Philip.*2. Exinaniuit ſemetipſum. Sicut enim ſemetipſum exinaniuit: ita à ſemetipſo factus eſt. Æternum enim temporale factum eſt, & increatum factum eſt creatum, ſecundum diuerſarum naturarum proprietatem quas aſſumpſit. Quia autem hoc nemo niſi Deus facere poterat: ideo ſubiungens dicit.

Quod fecit Dominus] Dominus, inquam, Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Vnde *ſuprà primò.* Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & Virtus Altiſſimi, quæ eſt Filius. 1.*Corinth.*1. Christum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Pater autem eſt vmbra: & ita fecit Dominus Trinitas hanc incarnationem. Et tangunt reuelationem dicentes.

Et oſtendit nobis] hoc eſt, per ſanctos Angelos reuelauit. *Infrà eodem.* Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Et *infrà.* Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. Sequitur.

Et venerunt feſtinantes: & inuenerunt Mariam, Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero.

Ecce tangitur hic cognitio experimentalis. Tanguntur autem duo: experimentum, & effectus experimenti. Experimentum eſt in duobus: in re experta, & in ſignis datis ab Angelo. Rem experiendam dicit [& venerunt] Et tangit tria: deuotionem venientium, feruorem feſtinantium, & inuentionem fidelium credentium. Deuotionem venientium tangit cum dicit [Et venerunt] tracti per deuotionem. *Pſalm.*33. Accedite ad eum & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur. *Matth.*11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth.*28. Venite & videte. *Ierem.*51. Venite, nolite ſtare: re-

cordamini procul Domini [festinantes] feruore desiderij. *Hebr*. 4. Festinemus ingredi in illam requiem: vt non obduretur quia ex vobis fallacia peccati. *Isa*. 40. Current & non laborabunt, volabunt & non deficiet.

Et inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem] Vnum est promissum voce Angeli, & tria soluta. Et cum hoc inuentio Mariæ, & Ioseph. Ideo sicut dicit *Gloss*. non cum desidia Christi quærenda est præsentia: ideo pastores sine mora inueniunt, quia non ficta fide currunt videre quod audierunt. Horum exempla pastores Ecclesiæ, imo cuncti fideles imitari debent, vt fide & virtute proficiant; & cælesti oraculo erecti, præcedentium patrum vitam, in qua panis vitæ semper conseruatur & reficit, quasi portas Bethlehem contemplando subeant. Ibi catholicæ Ecclesiæ pulchritudinem quasi Mariam, & Doctorum cœtum quasi Ioseph, & humilem Mediatoris aduentum Scripturæ paginis insertum quasi in præsepio inueniunt. Hæc sunt verba *Gloss*. valde notanda. Quid enim decoris Ecclesiæ est, quod non inueniatur in Maria? Ipsa est spes pœnitentium per hoc quod est amarum mare, per hoc quod suam ipsius animam pertransiuit gladius redemptionis peccatorum. Propter hoc enim dicit illud *Genes*. 27. In me fili sit ista iniquitas: tantummodo fer quæ dixi, sacrificium videlicet contribulati cordis pro peccatis. Ipsa est dux in vndis tentationum fluctuantium, per hoc quod est stella maris. Ipsa est contemplantium illuminatrix. Ipsa est tribulatorum domina & protectrix. Ipsa est flos virginum, sanctitas matronarum, exemplum in ministerio sanctarum viduarum. Ioseph etiam filius accrescens, totum præsignat cœtum Doctorum: patronus virginis, Christi nutritius, itineris dux, & familiæ fidelissimus procurator. Hoc est ergo quod dicit.

Inuenerunt Mariam] gratia plenam, omni Ecclesiæ decore coruscantem. *Psalm*. 44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate [& Ioseph] dux & patronus & custos: quæ omnibus Doctoribus competunt. Iste enim est qui custodit Mariam; sed non ab ipso, sed à Spiritu sancto fœcundatur. *Matth*. 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

Et infantem] Ecce signum [positum in præsepio] 1. *Reg*. 10. Cum euenerunt tibi omnia signa hæc, fac quodcunque inuenerit manus tua; quia Dominus tecum est. De signis autem supra satis dictum. *Isa*. 7. Dominus Deus Israël, ipse dabit vobis signum puritatis, paupertatis, & vilitatis siue humilitatis. Ecce enim Virgo concipiet: & ideo natus est purus. Et ideo sequitur, vt sciat reprobare malum & eligere bonum, hoc est, purum. Pauperibus euangelizatur pastoribus; & ideo pauper. *Psalm*. 11. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Pastoribus autem iuxta gregem exhibitus: & ideo inuenitur in stabulo. Recursus enim pastorum & gregum est ad stabulum. In cuius signum, cum Rebecca seruum Abrahæ inuitaret, ad stabulum inuitauit; quia pastoris erat famulus. *Genes*. 24 Paleatum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Ita & isti pastores ad stabulum se conuertunt. Et ideo sequitur.

Videntes autem] hæc signa concurrentia [cognouerunt] collatione habita. Notitiam notat hoc quod dicit [cognouerunt] quia signum ad signatum contulerunt; & sic nouerunt. *Hebr*. 2. Contestante Deo signis portentis & variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem [de verbo] Partitionem notat: quia nec reuelatione angelica, nec signis positis, nec visu cognouerunt totum: sed aliquid [De verbo quod dictum erat illis ab Angelo de puero hoc] in stabulo demonstrato. *Iob* 27. Nos quippe inuoluimur tenebris. Quis enim narrabit hæc quæ loquor? etiamsi locutus fuerit homo deuorabitur. Et *infra*. Digne enim enarrari non potest ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

Et omnes qui audierunt, mirati sunt: & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

Sequitur de effectu. Est autem triplex effectus: admirationis quidem in omnibus, pudicæ sapientiæ in Virgine matre, & gratiarum actionis in pastoribus. De admiratione quidem in omnibus dicit [Et omnes qui audierant] quæ ab Angelo cantata sunt [mirati] Non dicentes: Quis putas puer iste erit? Sed dicentes: Qualis est hic: quia ventis imperat, & mari, & cælis, & Angelis, & obediunt ei? *Matth*. 8. Cæli enim enarrant gloriam eius. *Isa* 25. Domine Deus meus es tu: exaltabo te & confitebor nomini tuo: quia fecisti mirabiles res. *Psalm*. 97. Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit [mirati sunt] etiam [de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos] Ex hoc intelligitur secundū aliquos, quod etiam Angelus aliis quam pastoribus nuntiauit, & quod illi mirati sunt de consonantia Angelorum & pastorum. Mirati sunt enim simplicitatem pastorum quæ fingere nescit, talia mirabilia nuntiare. Hæc enim simplicitas magis est idonea ad testificandum. 1. *Paralip*. 29. Scio Domine, quod simplicitatem diligas. *Prouerb*. 3. Cum simplicibus sermocinatio eius. *Sapient*. 1. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant eum: apparet autem eis qui fidem habent in illum.

Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Ecce secundus effectus de pudica sapientia Beatæ Virginis. Et dicit duo: retentionem eorum quæ dicebantur de Filio, & collationem. Et hæc duo præsupponunt sibi alia duo, quorum est doctrina suscepta ab alio, & humilis auditus ab alio aliquid diuinum narrante. Tria exiguntur ad sapientiam, vel quatuor ista quæ dicta sunt: quorum prima duo in Virgine supponuntur: alia autem duo dicuntur in litera: quorum auditus est primum, de quo dicitur *Eccli*. 32. Audi tacens: & pro reuerentia reddetur tibi bona gratia. Primum enim oportet addiscentem credere. Et ideo Beata Virgo, primum salutante & euangelizante Angelo, tacuit. Si autem quærit audiens, cum reuerentia & humilitate debet quærere intellectum eius quem audit. *Eccli*. 32. Audi tacens simul & quærens. Et ita fecit Virgo Beata, quærendo modum dicens: Quomodo fiet istud quoniam virum

non

non cognoſco? *Prouerb.* 1. Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Tertium eſt conſeruare dicta: & hoc dicitur in litera cum dicitur.

Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo] vnde ſignata eſt *Exod.* 16. vbi dicit Dominus ad Moyſen: Sume vas paruulum, & pone in illud Man quantum poteſt capere gomor: & repone illud coram Domino, vt reſeruetur in generationes veſtras. Vas enim paruulum, cor humile Beatæ Virginis, in quo ponitur manna Verbi Dei increati & creati: quantum poteſt capere gomor, hoc eſt, ad ſufficientiam Eccleſiæ: vt reponatur coram Domino in contemplatione, & reſeruetur in generationes veſtras: vt ex hoc Apoſtoli, Euangeliſtæ, & tota ſimul Eccleſia inſtruantur. Econtra de corde ſtulti dicitur *Eccli.* 21. Cor fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non tenebit. Hic etiam non recipit nec audit: & ita omnia deſunt ei. Etenim non recipit ſtultus verba prudentiæ: niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ſuo. Nec eſt mirum quod non recipit; quia neque audit. *Eccli.* 21. Verbum ſapiens quodcunque audierit ſcius, laudabit, & ad ſe addiiciet: audiuit luxurioſus, & diſplicebit ei, & proiiciet illud poſt dorſum ſuum. *Aggai* 1. Qui congregauit merces, miſit eas in ſacculum pertuſum. Quartum autem quod in litera continetur eſt bona collatio retentorum. Et hoc eſt quod dicit.

Conferens in corde ſuo] Collatio autem eſt ad hoc quod ſciatur, quid ex collectis per certam concluſionem eliciatur: ſicut legitur de ea quod cogitauit qualis eſſet iſta ſalutatio. Cogitare enim eſt cor agitare. Et hoc eſt quod in ſpiritualibus bonis & intellectualibus Dominus præcipit ſeruis ſuis, dicens *Luc.* 19. Negotiamini dum venio. Hæc enim quatuor faciunt ſapientem: bonus & humilis auditus, auditorum bona receptio, receptorum bona retentio, & retentorum bona collatio. Contulit autem ea, quæ receperat per auditum, eis quæ legerat in libris. Legerat enim virginem concepturam *Iſa.* 7. Legerat virginem illam eſſe futuram de ſtirpe Dauidica *Iſa.* 11. Egredietur virga de radice Ieſſe. Legerat etiam in Nazareth futurum fore conceptum *Iſa.* ſecundum aliam tranſlationem. Quoniam Nazaræus vocabitur. Legerat Dauid factam eſſe promiſſionem *Pſal.* 131. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Legerat etiam in Bethlehem naſciturum *Mich.* 5. Tu Bethlehem, &c. Hæc omnia contulit ad ea quæ in ipſa facta ſunt. Sciuit enim ſe virginem, & Gabrielem dixiſſe: Ecce concipies in vtero & paries filium. Sciuit ſe eſſe de ſtirpe Dauidica, ſciuit quod in Nazareth concepit, ſciuit quod in Bethlehem peperit, ſciuit etiam quod omnia dicta concurrent. & ædificabatur ad fidem. Non protulit autem, non minus ore quam corpore pudica. Secreta enim eſt: & quæ nouerat nulli diuulgat, ſed tacito corde ſcrutans, congruum tempus quo Deus velit hæc reuelare, reuerenter expectat. Adhuc autem in fine eiuſdem. *Gloſſ.* dicitur ſic: Si Maria à paſtoribus diſcit, debemus à Sacerdotibus diſcere: ſi Maria ante præceptum Apoſtoli tacet, debemus poſt præceptum Apoſtoli magis doceri quam docere. Præceptum autem Apoſtoli eſt 1. *Corinth.* 11. & 1. *Timoth.* 2. ſicut patet ex ſuperioribus: vbi dicit *Apoſtolus*, quod mulieri in Eccleſia docere non permittitur. Sequitur de tertio effectu.

Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant ſicut dictum eſt ad illos.

Et dicit hic tria: paſtorum à contemplatione Verbi facti ad gregum curam reuerſionem, & eorundem de viſis & auditis gratiarum actionem, & dictorum cum viſis plenam concordiam. Dicit ergo [Et reuerſi ſunt paſtores] Paſtorum reuerſio ſignificat regreſſum paſtorum à contemplatione ad actionem, quæ eſt in cura ſubditorum. *Philip.* 1. Neceſſarium magis manere propter vos. *Act.* 20. Attendite vobis & veſtro gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam quam acquiſiuit ſanguine ſuo.

Glorificantes & laudantes Deum] Gratiarum eſt actio. *Iſa.* 51. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Glorificatio autem eſt de his quæ ſibi ſoli debentur: laus autem de virtute quæ aliis eſt communis. *Apoc.* 7. Benedictio & claritas & ſapientia & gratiarum actio & vox laudis Deo noſtro in ſecula ſeculorum. [In omnibus quæ audierant] voce angelica [& viderant] per experimentum. *Pſalm.* 47. Sicut audiuimus ſic vidimus in ciuitate Dei. 3. *Reg.* 10. Maior eſt ſapientia tua quam rumor quem audiui in terra mea. Et concordia dicti ad factum [ſicut dictum eſt ad illos] 3. *Reg.* 10. Non credebam narrantibus, donec ipſa veni & probaui quod dimidium mihi nuntiatum non fuerat. Sequitur.

Et poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circunciderετur puer: vocatum eſt nomen eius IESVS, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.

Tria dicit de circunciſione: tempus, & modum & nominis vocationem. De tempore dicit [Poſtquam conſummati ſunt] hoc eſt, ad ſummam perfectionis deducti. Conceptionis enim dies ſupra impleti dicti ſunt eſſe in partu. Conſummatum autem plus eſt quam impletum: quia conſummatum eſt totum ſimul ad ſummam deductum perfectionem. Hic attigit ſummum humilitatis, ſummum charitatis, ſummum obedientiæ Patris. Summum quidem humilitatis in deſcenſu ad gradum imum, ſummum charitatis eſt in aſcenſu ad ſupremum, ſummum obedientiæ cum difficillimi operis impletione.

Decendit enim Dominus maieſtatis à regalibus ſedibus vſque ad hominem. *Philip.* 2. In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Deſcendit vt ad paruum quem homines paruum vocant, pauperem, & peregrinum. *Pſalm.* 108. Egenus & pauper ego ſum. Deſcendit ad minorem. paruo. *Iſa.* 9, Paruulus natus eſt nobis. Deſcendit ad minimum. *Iſa.* 53. Vidimus eum nouiſſimum virorum. Deſcendit (quod omnibus ſeculis inauditum eſt, & omnibus philoſophis incognitum) ad minorem minimo: cum *Philoſophus* dicat, quod in nullo genere eſt aliquid minus minimo. Deo enim nihil difficile eſt.

Psalm. 21. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Descendit adhuc infenus abiecto. *Philip.* 2. Exinaniuit semetipsum. Si autem inane tantum esset, non esset alteri obnoxius ad seruiendum: & ideo adhuc ab inani descendit in formam serui. *Philip.* 2. Formam serui accipiens, *Luc.* 22. Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Hoc autem adhuc maximæ humilitati parum erat, nisi descenderet in formam peccatoris, hoc est, characterem peccatricis carnis assumens. *Isa.* 53. Putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: vnde nec reputauimus eum. Et huius causam subiungit dicens: In humilitate iudicium eius sublatum est. Hoc propter nimiam eius humilitatem Nemo de eo certum iudicat: quia sub charactere carnis peccatricis dignitas eius non cognoscitur. Et ideo dicit *Apoc.* 2. *Cor.* 5. Eum qui non nouerat peccatum, peccatum pro nobis fecit Deus, hoc est, similem pecatori. Ecce quantum descendit. *Math.* 20. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: quia omnis qui se humiliat, exaltabitur. *Isa.* 10. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.

Attigit etiam hic summum charitatis, nostram formam reatui obligatam assumens, vt nos ab soluetemur. Sententia enim condemnationis æternæ lata fuit in latronem, qui voluit auferre similitudinem suæ diuinitatis *vt dicit Ambrosius.* Audiuit hoc Regis Filius intra aulam in secreto Patris constitutus, exiuit, formam latronis induit: vt sententiam condemnationis pro seruo acciperet, vt seruum liberaret. *Gregorius.* O mira circa nos tuæ pietatis dignatio: vt seruum redimeres filium tradidisti. Forma autem latronis est character latronis in circuncisione, quæ non dabatur nisi pro remedio peccatorum. *Psalm.* secundum translationem Aquilæ. Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias latronis: cauteria latronis scilicet in me recipiens. Ecce summum charitatis.

Summum autem obedientiæ: quia iam in infantili ætate, in loco magis sensibili difficillima pateretur. Hoc iam factis clamans quod 2. *Mach* 6. continetur. Domine Deus qui habes sanctam scientiam, optime tu nosti quod cum à morte possem liberari, propter te sustineo duros corporis dolores. Sic igitur dies eius sunt ad summam ducti perfectionem. Dicit autem.

Dies octo] hoc est, octo illustrationes, in quibus deponitur superfluū concupiscentiæ. Quamuis autem supra dixerimus, qualiter per octo serenationes delectationis, delectatio fit admirabilis & firma & pura, quæ nihil habet superfluum: tamen hic alias octo, & itemm alias octo, ad mores instruendos dicemus. Sunt autem tria in anima circuncidenda, si præputium cordis debet circuncidi, videlicet, rationalis, irascibilis, & concupiscibilis. Rationalis quidem circunciditur ad credenda, & ad credenda quidem ne articulos fidei transgrediatur, & ne incidat in prophanas vocum nouitates. De primo *Prouerb.* 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. De secundo 1. *Tim.* 6. Deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. In ordine autem ad bonum habent circuncidi à contentiosa proteruitate. 1. *Cor.* 11. Siquis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus; sed neque Ecclesiæ Dei. Hæc autem contentio siue proteruitas nascitur ex proprij sensus defensione. Dicit enim *Ambrosius super Epistolam ad Rom.* quod contentio est impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris. Hæc tria si amputentur à ratione, præputium rationis in toto circuncisum est.

Irascibilis autem insurgit in malum, & tendit in arduum. Tendens autem in arduum, si ambitione careat, præputium deposuit. Et tunc insurgens contra malum, si furore irrationabili careat, penitus est sine præputio. Tendens autem in arduum caret ambitione, si præter meritum & absque vocatione superioris, nunquam velit ascendere dicens *Luc.* 14. Recumbe in nouissimo loco: vt dicat tibi superior qui te inuitauit: Amice, ascende superius. De amputatione furoris irrationabilis, dicitur *Isa.* 10. Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est. *Et infra.* Ipse autem non sic arbitrabitur: & cor eius non ita æstimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Q. d. Ego mitto eum ad corrigendum: ipse autem furore agitatur ad interficiendum.

Concupiscibilis etiam est circumcidenda à tribus. Concupiscibilis enim tam in nutrientibus quam in venereis appetit ex corruptione quale (quod concupiscentiæ congruit à natura corrupta) in quantitate plusquam sufficit: & secundum circunstantias operis, quod virtuti non proficit sed officit. Quale amputandum vsque ad hoc quod sanitati competit, & bonæ habitudini. Quantum autem, vsque ad hoc quod necessitati sufficit. In circunstantiis autem, quando debet, & vbi debet, & fine quo debet, & cætera huiusmodi. De qualitate reprehenditur diues epulo *Luc.* 16. Epulabatur quotidie splendide. In quantitate *Dan.* 14. An non vides quanta comedat & bibat quotidie. In aliis circumstantiis *Isa* 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam vt vino æstuetis. Et similiter in venereis. Qualem enim habere non debet, vult habere. Quantum non debet, vult coire. Quando & vbi non debet, & quo fine non debet. Circuncidatur igitur concupiscibilis ab his tribus, & irascibilis à duobus, & rationalis à tribus. Et octo dies illustrationis super cor sunt reuoluti, in quibus præputium cordis amputatur.

Beatus autem Bernadus dicit octo dies, in quibus circunciditur ingrediens in religionem. Primum oritur in eo consideratio iustitiæ, cum futurum iudicium formidat; sciens quod non parcet delinquenti *Iob* 9. Et ideo cogitat de satisfactione per iustitiam, quæ reddit cuique quod suum est: nobis miseriam: Deo autem misericordiam. Secundo autem fortiter disponit exire de consortio malorum, quod sibi fuit causa peruersitatis, dicens: Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Et quia periculum est in solitudine: quia væ soli: cum ceciderit non habet subleuantem *Eccle.* 4. Frater autem qui iunatur à fratre, est quasi ciuitas firma *Prouerb.* 18. Ideo cogitat manum mittere ad fortia religionis opera, dicens. Lauabo inter innocentes manus meas, hoc est, inter bonos conuersabor, & lauabo manos à peccatis. Hæc fecit. Iam instat tempus, vt suas

suas temperet passiones: quia aliter in domo Dei oon potest sine querela conuersati. *Psalm.* 54. In domo Dei ambulauimus cum consensu. Et sic illucet temperantia, quæ est dies quarta.

Quinto aotem qoia labor instat & dolor: vt in sudore vultus sui tunc vescatur pane suo: vt perfectum inter fratres opus babeat *Iacob.* 1. indiget patientia, quæ est æquanimis tolerantia aduersorum. Sed in hoc loco cauendum est à superbia. Magnum omnino est vincere semetipsum. Melior est (ait Salomon) patiens viro forti. Et qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore vrbium. Ideo docet Prophera necessariam esse humilitatem, cum ioquit: Veruntamen Deo subiecta esto anima mea: quoniã ab ipso patientia mea. Necesse ergo, vt in sexta die illuminet cor tuum radiis bumilitatis, & declatet quid à te sis, quid à Deo, vt non altum sapias: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Septima vero, quia non minus ad Deum quam ad fratres tenetur bene conuersati, indiget vt in corde suo illucescat deuotio, quæ est feruor cordis ad Deum, qui omnia perficit præbabita, dicens: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Et hæc est dies septima, in qua videtur ei labor & dies pauei præ amoris & feruoris magnitudine *Genes.* 29. Quia autem feruor hic aliquantulum minos est discretus: ideo octaua dies est necessaria, quæ est discretionis lumeo: non tam virtus, quam aoriga virtutis. Sed quia hæc auis rara est in terris: ideo discretione alterius vtatut, quæ descripta est in Regula: non plus faciens nec minus, quam spiritualis pater præcipit secundum Regulam. *Galat. vltim.* Qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & super Israël Dei. Et est in toto circuncisus. Sic igitur ad præputium cordis circuncidendum, octo dies exiguntur. Sequitur.

Vt circunciderettur puer] Citeuncisio dicitur ooo abscisio, vel præcisio. Abscisio enim est, quando totum absciditur. *Galat.* 5. Vtinam & abscidantur qui vos conturbant. Præcisio autem est, quando pars vna præsciditur simpliciter & abiicitur. *Isa.* 18. Præcidentur ramusculi eius falcibus. Circuncisio autem est, quando incisto in circulum ducitur. Et hoc non fit nisi vt aliqaid significetur: sicut in Circuncisione, in qua pellis pudendorum per circuitum in anteriori parte circunciditur; vt superfluum concupiscentiæ amputandum esse significetur, quæ in membro illo plus dominatur. Et hic circulus ad æternitatem incorruptionis refertur: quia circulus non habet principium intra, nec finem. Et hæc est circuncisio quam Christus sex de causis suscepit, cum in nullo indiguerit.

Prima causa est, vt legem circuncisionis non esse reprobandam, sed à Deo datam esse demonstraret. *Galat.* 4. Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege. *Matth.* 5. Noo veni solnere legem, sed adimplere. Secunda causa est, vt obediendi nobis formam præberet. Si enim ipse qui non iodiguit, obedinit quandiu præceptum tenuit; multo magis & nos qui indigemus, obedire debemus. *Psalm.* 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obturare corda vestra. *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis. Tertia causa, vt per omnia humilem se demonstraret: quia non solum vsque ad carnem, sed vsque ad peccati cauterium se humiliauit. *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quarta causa est, vt charitatem quam ad nos habuit, ostenderet. *Hebr.* 2. Debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret. Quinta & vltuoa, vt mysterium citeuncisionis astrueret, & circuncisionem io hoc terminaret. Et hoc est doplex: vnum enim signatum suum continebat, quod est circuncisio cordis. *Rom.* 2. Circuncisio cordis, non in litera sed spiritu: coius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Alterum antem noo continebat, sed figurabatur, quod est, quod ab electis in octaua resurrectionis, omnis præscidetur macula corruptionis. *Iosue* 5. Hodie abstuli opprobrium Egypti à nobis. Et ideo illa circuncisio facta est transito Iordane, qui significat transitum huius mortalis vitæ in terram promissionis.

Adhuc autem scias esse octo circuncisiones, de quibus Sancti loquuotur: septem quidem bonas, & vnam mala intentione factam. Vna quidem est Abrahæ *Genes.* 17. Infans octo dierum circuncidetur. Et masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populis suis: quia pactum meum irritum fecit. Secunda Moysi *Exod.* 12. Omnis seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo. Ante enim nusquam dictum fuerat, quod circuncisus solus deberet comedere Pascha. Tertia circuncisio est *Iosue* 5. eorum qui nati sunt in deserto, quos nemo circunciderat. Quarta circuncisio est Sephoræ, quæ tulit acutissimam petram, & circuncidit carnem præputij filij sui, & dixit, Sponsus sanguinum tu mihi es *Exod.* 4. Quinta circuncisio est spiritualis. *Deut.* 10. & *Ierem.* 4. Circoncidimioi viri Iuda, & auferte præputium cordium vestrorum. Sexta circuncisio est mulieris gentilis in bello captæ. *Deut.* 21. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos, & tradiderit eos Dominus in manus tuas, captiuosque duxeris: & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & amaueris eam, volueris que eam habere vxorem, introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem & matrem vno mense: & postea intrabis ad eam. Septima est circuncisio Christi, quam sine omoi indigentia sui recepit propter nos, vt hic habetur. Octaua autem est circuncisio Sichem filij Emor *Genes.* 34. qui se circuncidit, vt amplexibus Dinæ vacare posset.

Hæ autem bonæ septem circuncisiones, signant septem quæ debent esse in populo Dei. Prima quidem in signum distinctionis populo Dei data, significat Sanctorum ab aliis per abiectioné concupiscentiæ, distinctionem. Secunda autem legis in populo Dei conformitatem ad Eucharistiæ Sacramentũ, quod nõ io cubilibus & in impudicitiis, non in contentione & æmulatione, quæ sunt præpuria, debent edere & se Christo incorporare, sed io azymis synceritatis & veritatis 1. *Corinth.* 5. Tertia vero Iosue significat omnem conuersationem Ægypti, hoc est, seculi præsentis esse deponendam: non intus tantum, sed etiam exterius. Et istæ tres sunt actiuorum: prima per iustitiam fidei, secunda per deuotionem sacramenti, tertia per abiectionem seculi. Quarta quæ est Sephoræ (quæ interpretatur placens amplexatio) est con-

templationis in oratione. Oportet enim illam in oratione filtum, hoc est, spiritum suum circuncidere à falsis & phantasticis imaginibus; quia veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. *Ioan*.4. Et ideo dicit: Spoosus sanguioum, Sanguinis quidem tui qui mundar, & sanguinis mei qui mundatur & circunciditur. Aliter enim eam sponsus placeote amplexu non amplexatur. Quinta etiam est, quæ spiritualis est & contemplatiuorum, quoad amputationem curarum & solicitodinum: vt purius veniat ad sponsum. Vnde in *Cantic*. 1. Lectus noster floridus est. Sexta etiam est contemplatiuorum quoad denudationem & proiectionem omnium, vt nudo spiritu spoosum amplexetur: quæ dum alienis ioduta est vestibus, & vnguibus antiquis armata, & cogitationibus impedita, sponso minime est apta. Hæc enim sunt in oratione pura affectio, in intellectu placens amplexatio, in spiritu toto omnimoda ab huius seculi formis denudatio: & tunc intrabit ad sponsum. Christi autem circuncisio, nostra est instructio: in qua ad omnia hæc formam accepimus. Circuncisio autem Sichem, qui labor interpretatur, significat eos qui extra io corpore se circumciderunt, vt hypocritæ signum religionis assumentes: vt Dioæ (quæ ioterpretatur causa hæc, & diuitias vel dignitates significat) liberius vacent: sicut heu multi faciunt: qui licet circuncisi videantur, tamen in veritate incircuocisi sunt & spiritu & carne: quia & vitijs spiritualibus, & vitiis carnalibus sunt pleni. Vnde *Ezech*.44. Sufficiaot vobis omnia scelera vestra domus Israël: eo quod inducitis filios alienos incircuncisos carne & incircumcisos corde, vt sint in sanctuario meo. De his omnibus boois circuncisionibus dicitur 1. *Cor* 7. Circuncisus aliquis vocatus est, non adducat præpotium. Suot enim quidam istam circuncisionem impedientes: qui significantur per Antiochum, qui ioterpretatur silentium paupertatis 1. *Mach*. 1.

Infans autem circuncidi debet istis circuocisionibus: quia melius portat dum à iuuentute consuescit, & melius recipit iugum dum iuuenis est. De primo *Tren* 3. Bonum est viro dum portauerit iugum ab adolescentia. De secundo *Eccli*. 7. Filij tibi suot: erudi illos & curua illos à pueritia eorum. Adhuc autem si ab adolescentia circunciduntur: plus verecundantur præputia facere. *Prouerb*. 21. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. In membro etiam genitali fiebat: quia ibi plus viget corruptio, & ideo venereorum concupiscentias magis oportet circuncidere & abiicere. 1. *Cor*. 6. Fugite fornicationem: quia omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Vnde in 3. *Ethicorum* dicitur, quod oportet nos pati ad hanc delectationem contemperaneam vitæ quod sapientes plebis passi sunt ad Helenam. Sapientes autem omnes fugerunt Helenam ne caperentur amore eius. Sicut & Ioseph tractus à lasciua adultera, nudus perfugit. Sic igitur completi sunt dies octo vt circuncideretur puer.

Vocatum est] Tria dicit de oomine: diuulgationem, designationem, & tertio innuit impositionem. De primo dicit [vocatum est] hoc est diuulgatum est inter Sanctos [nomen eius Iesus] Huius enim nominis notam fecit: quia *Matth*. 1. Saluum fecit populum suum à peccatis eorum. *Psalm*.97 Notum fecit Dominus salutare suum: ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam. *Isa*. 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque in extremum terræ.

Quod vocatum est [ab Angelo] Ecce secundum, quod Angelus istud nomen de cælo attulit, & sic vocanduoi designauit. *Supra primo. Matth*. 1.

Priusquam in vtero conciperetur] Innuit tertium quod ante conceptum in matre & in patribus (ex quorum lumbis secundum corpulentam substantiam descendit) est illud nomen ab æterno. per generationen Filio à Patre impositum. *Eccli*. 15. Nomine æterno hæreditauit illum. Cum enim eum Saluatorem genuit, nomen Iesus imposuit. *Isa*.62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini noioinauit: non solum in se tantum sed etiam in membris. Vnde dicit *Glos*. quod sicut à Christo dicimur Christiani; ita à Iesu dicimur saluati. Vnde *infra eodem*. Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Sequitur.

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi.

Hic tangit Ipapantin, hoc est, præsentationem domini in templo. Et tangit eam, noo propter necessitatem aliquam quod vel mater vel infans legi subderetur, sed propter magnalia quæ ostendit Deus circa ipsam in prophetia Simeonis &, Annæ, quæ testimonium perhibebant Christi natiuitati. Et ideo prætermittens hic *Lucas* aduentum Magorum & quæ ab aliis sufficienter scripta esse per spiritum cognouit; sicut *Matth*. 2. transit de circuncisione ad Ipapantin, quasi nihil sit interpositum. Duæ sunt causæ, quare Euangelista scribit aliquid. Aut enim scribit, quod ab alio est dimissum: aut quod ab alio scriptum est: sed non omnes modi & circuostantiæ sunt positæ. In hac ergo historia quam solus scribit, duo facit. Inducit enim testimonium Simeonis, & testimonium Annæ. In testimonio quidem Simeonis duo facit: quorum vnum est quod ponit, qualiter ad testificandum veoit: secundum autem est ipsum testimonium. In eo autem vbi describit qualiter venit ad testificãdum, tria facit. Primò enim dicit impletos esse dies purgationis, secundo dicit modum præsentationis, tertio modum oblationis. De primo dicit.

Et postquam impleti sunt] per numerum illumioationum cælestium super eam. *Eccli*. 24. Gyrum cæli circuiui sola. *Ibidem* Illuminabo omnes sperantes in Domino. Irradiatio enim cæli dies est [purgationis eius] Matris Domini, in qua nihil purgandum est quod sit peccatum. *Exod*. 25. Facies arcam intus & exterius ex auro purissimo. *Sapient*.7. Hæc est speciosior sole: & super omnem dispositionem stellarum luci comparata, inuenitur prior. Luci enim succedit nox. Lucem autem Matris sapientiæ non vincit malitia. Loquitur tamen *Lucas* ad modum aliarum fœminarum parientium: eo quod ipsa, sicut dicit *Bernardus*, propter humilitatem inter fœminas fuit sicut vna ex illis. Vnde *supra* 1. Benedicta tu in mulieribus.

Sic autem purgationes eius quæ purgabant (in ipsa minoris illuminationis habitum in maiorem

illuminationem

illuminationem prouehentes) inuenimus in ea quadraginta illustrationes, quasi quadraginta dies, ex quibus omnibus ad lumen incorruptum ædificabatur: quarum statim quinque in ipsa radiant ex opere diuino eam præueniente, & subsequente, scilicet, in vtero eius perfecta sanctificatio, addita sibi sanctitas ex vitæ merito, munditia voti virginalis priuilegio, illustratio contemplationis veritatis in verbo, Spiritus sancti familiaris & specialis consolatio. Et hæc quinque Virginem in thalamum Filio Dei præparauerunt. Primum, mundans vterum: secundum, idoneum & floridum faciens lectulum: tertium, consetuans thorum: quartum, illustrans domum ad sponsi venientis cognitionem: quintum, dulcorem inducens & quandam stratus mollitiem, ad delectabilem venientis mansionem.

Quinque alij dies radiantes in virtutibus suis priuilegiatis: quarum prima, est profunditas ipsius humilitatis: secunda, pulchritudo castitatis: tertia, fides indubitatæ credulitatis: quarta, prudentia siue sapientia ditissimæ cognitionis: quinta, quæ Deum attraxit, dilectio feruentissimæ charitatis. Prima harum, vas tantæ immensitati profundauit & euacuauit, vt haberet vbi se infunderet: secunda purificauit, vt mundè se summa munditia locaret: tertia, ad capiendum potens effecit, quia omnia possibilia sunt credenti: quarta, diuitiis secum venientibus thecam dedit, in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconderentur: quinta, manus violentas in dilectum iniecit, & eundem violenter attraxit. Ecce decem illustrationes in Virgine coruscantes.

Decem aliæ fulgent de cælo ab Angelis. Apparet enim Angelus annuntiatione, producens luciferum in præcursorem: apparet Angelus, salutans Virginem: apparet, confortans trepidantem: apparet, anountians Saluatorem: apparet, illuminans quætentem. Et hæc quinque idem fecit Angelus. In primo, viam parans: in secundo, impedimentum maledictionis abstergens: in tertio, infirmitatem confortans: in quarto, beneplacitum diuinum explanans: in quinto, modum diuinæ potestatis & facultatem luculenter probans.

Adhuc autem apparet Angelus, Ioseph de suscipienda virgine admonens: apparet, Magos de Herodis declinatione præmonens: apparet, pastores de nato Domino instruens: apparet, Ioseph de fuga in Ægyptum vt insani caueant doceus: apparet tandem in Ægypto, vt in terram Iuda reuertatur illuminans. Prima harum apparitionum, Domino præparauit alumn, & matri castitatis custodem: secunda, gentilitatis primitias vocauit ad fidem: tertia, in figura pastores vocat ad gregum pastum: quarta, per exemplum est tenratis refugium: quinta, sanctis in virtute florentibus vt suis actibus alios ædificent, præbet exemplum. Istæ ergo decem ab Angelis lucentes & spirituales illuminationes in corde Virginis facientes.

Decem aliæ micant de Trinitate & vnitate. Venit enim Pater in vmbra virtutis Altissimi. Venit Filius in operatione conceptus sui. Venit Spiritus sanctus in opere & sanctitate Filij. Ostendit virtutem Pater in perfectione tanti miraculi. Resplendunt sapientia Filij in coniunctione & vnione personali. Manifestatur Spiritus sanctus in vnctione tam excellenti. Et ista sunt sex. Quatuor autem alia solus perfecit Spiritus, cooperantibus sibi Patre & Filio. Attulit enim prophetiam testificantem: miraculum dedit, confutans non credentem: infantem intra vterum mouet, præsentiã concepti recipientem: suæ virtutis demonstrationem fecit, senem ad visum Saluatoris conseruantem. Ecce quod non solum virtutes cælorum mouentur; sed virtus diuina multipliciter ostenditur.

Quinque micant de cælo visibili per lumen & per virtutem. Stella noua oritur. Claritas Dei pastores circumfulgens de cælo manifestatur. Tres soles, vt in præhabitis diximus, in vnum collecti in cælo videntur. Virtute cælesti corruit vrbis Romæ idolum. Et erupit fons misericordiæ manans oleum. Tria quidem istorum in cælesti lumine: & duo in cælesti virtute.

Quinque autem in hominibus apparuerunt illustrationes. Testimonium enim perhibet Sacerdos. Testis est Rex Magus. Testis est coniugata. Testis est vidua. Testis Virgo serena & gratia plena: vt nulla sit professio, nullus sexus, à quo non habeat testimonium salus omnium nostrum. Et quia singulæ harum illustrationum, lumen speciale ferebant in corde & corpore Virginis: ideo sicut dicitur *Prouerb.* 4. Semita eius fuit quasi lux splendens & crescens in perfectam diem.

Et impleti sunt dies eius purgationis] Euangelista autem cauens crimen blasphemiæ, addit [secundum legem Moysi] Quasi dicat: In se quidem non indigebat purgatione; secundum legem autem Moysi quoad hominem oportuit fieri. Sic & eam oportuit desponsari, ne sicut adultera lapidaretur: sicut Filius, ne reprobaret legẽ, subiit circuncisionem. Ideo à Patribus plurimæ causæ rationabiles quare purgabatur assignantur: quarum quatuor ponimus, pluribus aliis omissis. Vna enim est (cum lex adhuc in statu esset) legis approbatio. Secunda est, sui per omnia humiliatio. Tertia, aliarum fœminarum quæ legi subiacebant associatio. Quarta est, sui filij per hoc ad prophetiam concordatio. De prima *Eccli.* 24. Legem mandauit nobis Moyses in præceptis iustitiarum, & hæreditatem domui Iacob, & Israël promissiones: & ideo erat tempore status sui seruanda De secunda dicitur *Exod.* 24. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes humiliter, nihil interrogantes quid, vel quare præcipiat? sicut diabolus Euæ quæstiones de mandato proposuit. De tertia: Non enim extulit se, vt aliquid in ea allegaret quo super alias eleuaretur, dicens illud *Ruth* 2. Non sum similis vnius puellarum tuarum. De quarta dicitur *Malach.* 3. Statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.

Ita etiam purgatio, si moraliter accipitur: tunc Beata Virgo statum Ecclesiæ signat: in quo sunt actiui & contemplatiui, purgandi, antequam Deo in templo per gratiarum actionem offerantur. Actiui quidem agunt per virtutem: contemplatiui considerant per veritatem: vtrique pariunt, & Deo partum offerunt. Actiui quidem opera meritorum: contemplatiui autem inuentiones mirabilium theoriarum. Et partus actiuorum significatur per partum Liæ: contemplatiuorum autem per partum Rachelis. Actiui quidem imprægnantur per boni affectionem, parturiunt per boni deliberatam cogitationem, pariunt autem per

operis impletionem, Purgant igitur conceptum à prauitate affectionis, cogitatum delibetatum à turpitudine cogitationis: sed opus à sordibus operis. Hæc tria notantur *Isa.* 1. Lauamini, mundi estote, quantum ad prauitatem affectionis: aufette malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quoad turpitudinem cogitationis: quiescite agere peruersè, discite bene facere, quoad sordes operis.

Purgant etiam isti à sordibus templum corporis, purgant sordes operis, purgant verba, purgant bona fortunæ, & purgant contagionem vitæ futuræ. Sordes templi siue corporis in vita præterita, purgant per coofessionem. 2. *Machab.* 10. Iudas & fratres eius purgabant templum. Iudas confitens: fratres eius, contritio cordis, & satisfactio operis. Purgant verba per caminum tribulationis. *Malach.* 3. Sedebit conflans & emundans argentum, hoc est, eloquium. Purgant bona fortunæ per eleemosynam. *Luc.* 11. Quod superest, date eleemosynam: & omnia munda sunt vobis. Purgant sordes vitæ futuræ per timorem. *Eccli.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est non potest iustificari. Et tunc offerunt hostiam laudis. *Psalm.* 26. Circuibo & immolabo in tabernacolo eius hostiam laudis siue vociferationis.

Item contemplatiua concipit in aspectu veritatis, & parit in desiderio excedentis amoris: purgatur in conceptu ab illusione phantasticæ deceptionis, & in excessu amoris ab indiscretione irrationabilis feruoris. De vtroque istoram dicitur in *Psalm.* 76 Meditatus sum nocte cum corde meo, vt non decipiat per phantasiam: & exercitabar & scopebam spiritum meum, vt non indiscretè & irrationabiliter feruеam, in feruore qui ad tentationem fit. Hoc est quod significatur *Iosue* 17. vbi dicitur: Ascendes in montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia. Mons enim contemplationis in altitudine spiritus ascenditur: & succiduntur vepres & frutices per purgationem phantasticarum visionum. Purgantur spatia per remotionem indiscretionis à feruore deuotionis. In vtraque autem istarum purgationum obseruandum est quod fiat [secundum legem Moysi] hoc est, secundum Scripturam. *Prouerb* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Redeamos igitur ad literam. Sequitur enim.

Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Hic dicit de oblatione Domini in templo. Dicit autem hic tria: infantis oblationem, oblationis finem, Scripturæ sensum concordantem. De Domini oblatione dicit [Tulerunt illum in Ierusalem] Propter pueri teneritudinem creditur, quod pia mater sinu suo gestauerat eum. Gestauit enim in vtero puerum, à Nazareth in Bethlehem: in sinu autem, à Bethlehem in Ierusalem. Ioseph autem, vt putatur, gestauit eum in dorso in Ægyptum, & ab Ægypto in Nazareth: Significantes conceptum boni propositi in verbo Dei conceptum, in flore virtutis, gestandum esse in domum refectionis in frugem operis: & à fruge boni operis, in templum gratiarum actionis: vbi omne bonum Deo offertur per hostiam laudis. *Psalm.* 49. Sacrificium laudis honorificabit me. Sic autem partum & oblatum bonum opus per Ioseph crescentem in virtute, portare in Ægyptum tenebræ in occultatione, & mœroris in contritione, à persecutione tentatoris: & victa tentatione referre in florem boni exempli per ædificationem Christi: vt dicat illud *Eccli.* 24. Flores mei, fructus honoris & honestatis. Sic enim dicitur *Ioan.* 15. Omnem palmitem ferentem fructum Pater meus purgabit: vt fructum plus afferat. Qui autem aridus est, & impossibilis est ad fructum: hunc abscidet sententia condemnationis, & comburet igne inextinguibili. Sic ergo [tulerunt illum in Ierusalem] in figuram fidelium, nobis præstantes exemplum quid agere debeamus. Sequitur finis, cum dicitur.

Vt sisterent eum Domino] Sistere, hoc est, confirmare per addictionem. *Psalm.* 72. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Matth* 19. Sinite paruulos venire ad me: talium enim est regnum cælorum. Quod enim noua testa capit, inueterata sapit. *Prouerb.* 4. Ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea: & docebat me. 1. *Reg.* 1. Ego commendaui puerum istum Domino cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.

Sicut scriptum est in lege Domini] Hic ponitur concordans ad factum Scripturæ testimonium. Dicitur autem hic lex Domini, non solum decalogus, sed omne præceptum legis Moysi. Scriptum enim est illud specialiter *Exod.* 13 Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam, tam de hominibus quam de iumentis: mea sunt enim omnia. Et hanc legem inducit cum dicit [quia omne masculinum] Sed videtur minus dicere: quia lex dicit, Omne primogenitum. Et dicendum quod omne primogenitum erat Domini, tam masculinum quam fœmininum. Sed masculinum offerebatur cum oblatione holocausti, & sistebatur Domino, vel redimebatur. Fœmina autem non offerebatur, sed oblatio fiebat solum pro ea: & ipsa non offerebatur, sed redimebatur. Et ideo dicit hic [omne masculinum] quod est secundum natiuitatem perfectum. *Malach.* 1. Maledictus qui habet in grege suo masculum, & offert Domino debile [adaperiens vuluam] hoc est, aliis aperiens sequentibus in generatione [sanctum] hoc est, sanctificatum [Domino vocabitur] in omnibus generationibus, tam in hominibus quam in iumentis.

Dicitur autem *Deuter.* 23. Non offeres mercedem prostibuli, neque pretium canis in domo mea. Et ideo notandum, quod omne primogenitum hominis offerebatur. Sed primogenitum Leuitarum ad obsequium sistebatur tabernaculi. Primogenitum autem aliarum tribuum, post oblationem factam, quinque siclis redimebatur. Et hoc legitur *Num.* 18. Primogenitorum autem animalium quædam erant munda ad edendum & offerendum. Quædam autem immunda ad edendum,

edendum, sed munda ad offerendum. Quædam autem & immunda ad edendum, & immuoda ad offerendum. Omnia autem quæ erant munda ad edendum & offerendum, offerebantur Sacerdoti: sed offerens potuit ea redimere si voluit. Munda autem ad offerendum & immunda ad comedendum, erant ad laborandum quidem apta: sed oec vngulam diuidentia nec ruminantia, sicut equus, & asinus, & moulus, & huiusmodi: & hæc etiam offerebantur, & redimebantur quanti ea Sacerdos æstimauit. Immunda autem ad edendum & offerendum erant, quæ vngulam nun findebant, nec ruminabant,& labori apta non erant: sicut canis & cattus,& huiusmodi: & hæc non offerebantur, nec redimebantur.Et de bis loquitur lex *Deut.*23. Sic igitur intelligitur litera.

Erat autem lex ista de cæremonialibus, quorum totus vsus fuit in significando. Primogenitum præclarior est natio: & quicquid quod præcipuum est in mundis & vtilibus, offerri debet Domino. *Prouerb.*3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum. Vnde *Leuit* 27. præcepit sibi offerre primitiua. *Mich.*6. .Quid dignum offeram Domino? Quidam autem hoc non faciunt: sed primitiua offerunt diabolo, & debilia Deo. *Psalm.*6. Sacrificabant filios suos & filias suas dæmonibus. Econtra de bonis dicitur *Psalm.*58.Fortitudinem meam ad te custodiam. *Malach.*1. Si offeras claudum & languidum,nonne malum est? Ista primitiua in nobis sunt duo: vnum primum in conceptu, quod est bona voluntas: aliud primum in partu,quod est bona operatio. *Philip.*2. Deus est qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate 2.*Corinth.*8. Si voluntas prompta est: secundum id quod haber, accepta est, non secundum id quod oon babet. Hæc tamen lex non ligabat Beatam Virginem: quia intactis signaculis exiuit Dominus de claustro pudoris: sicut intacto signaculo intrauit & exiuit ad Discipulos ianuis clausis. *Ezech.*44. Porta hæc clausa est, & non aperietur:quia Dominus Deus Israël ingressus est per eam.Et ideo legi non subiacebat.

Et vt darent hostiam] Tangit hic aliam legem de oblatione, quæ babetur *Leuit.*12. Et ad hanc etiam legem non tenebatur. Hæc enim lex dicit, quod mulier quæ suscepto semine peperit masculum immunda erit 7. diebus secundum tempus separationis menstruorum: & illis septem diebus erat immunda ab hominibus separata; quicquid tangebat, immundum erat. Et post septem dies, rursus triginta tribus diebus abstinebat à thoro viri: & tunc cum oblationibus venit ad Sacerdotem & cum filio: & oblatione & oratione facta, redibat ad thorum viri. Si autem fœminam peperisset, quatuordecim diebus erat immunda, & sexaginta sex diebus à thoro viri separata: & post octogintadies venit ad templum cum simili oblatione,sed cum filia,& facta oblatione & oratione, thoro viri restituebatur. Oblatio autem eorum qui potuerunt, fuit agnus in bolocaustum, & agnus pro peccato,qui partim cessit Sacerdoti. Si autem secundum suas facultates non poterat habere agnos, tunc indulgebatur ei quod offerret, aut par turturum, aut duos pullos columbarum; quodcunque melius habere potuisset. Sic igitur Beata Virgo Maria quæstuaria, vt dicit *Hieronymus*, manus consilio victum quærens, agnos habere non valens,oblationem pauperis obtulit.Sed determinatum non est, vtrum obtulerit turtures vel columbas.

Significant autem cæremoniæ istæ;agnus quidem significat innocentiam diuitum, in gratia & virtute. Sicut innocens Abel obtulit de adipibus gregis sui:quæ oblatio maiorum est, quos Dominus à peccato custodiuit.Nos autem qui innocentiæ oblationem habere non possumus, gemitum offerimus casto corde & corpore gementes. Gemitus enim duplex turturis, est duplex gemitus nostræ contemplationis. Dum aut gemimus ex desiderio amoris, dicentes *Cantic.*5. Nuntiate dilecto quia amore langueo: pro incolatu miseriæ cupientes dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius *Philip.* 1. Aut in deuotione orationis: nescientes quid petere expediat,propter ignorantiam nostri status. *Rom* 8.Quid oremus secundum quod oportet,nescimus. Ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Conuertentes autem nos ad actiuam,similiter gemitos sunt multi, & cor nostrum mœrens *Thren.*1. Gemimus enim,vt dicit *Gloss.*pro peccatis nostris:sicut *Psalm.*37.Gemitus meus à te non est absconditus. Gemimus etiam pro peccatis alienis. *Psalm.*30. Infirmata est in paupertate virtus mea: & anni mei in gemitibus. *Eccli* 3. Sedi vbi illi sedebant, & mansi mœrens in medio eorum.

Dicit tamen *Beatus Bernardus*, quod Moyses timens incurrere crimen blasphemiæ super Matre Domini,præsciens in spiritu,parituram non suscepto semine: temperat locutionem,dicens: Mulier si suscepto semine,&c. Dicit etiam idem Sanctus, quod turtur casta auis, congruè offertur pro Domino. Columba autem auis lasciua incongrua est oblatio pro Domino Et ideo lasciuiam excludens, dicit [duos pullos columbarum] quia pulli non lasciuiunt. Hoc est ergo quod dicit.

Notat etiam *Beatus Bernardus*, quod hostias mortuas Domino lex obtulit:sicut patet *Genes.*15. vbi Abraham aues non diuisit. Nos autem spirituales hostias Domino viuas offerimus. *Rom.*12. Offeratis corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem.Huius autem sunt tres causæ. Vna quidem est,quod vitam nostram Domino offerimus: quia cum morte digni essemus, ipse nobis vitam concessit. *Ezech.*18 Nolo mortem peccatoris;sed vt magis conuertatur & viuat. Secunda causa: quia ipse pro nobis est mortuus: per hoc enim nostram emit vitam. 1.*Corinth.*5.Vt & qui viuit, iam non sibi viuat, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Tertia causa est. Quia non mortui laudant, sed viuentes. *Psalm.* 113. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Hoc igitur est, quod notat *Beatus Bernardus*.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon.

Hic tangit, propter quod totum præcedens inductum est, & dicit duo. Primo enim ponit prophetantis commendationem propter prophetiæ auctoritatem. Secundo autem tangit prophetiam. Prophetantis autem commendationem commendat à naturæ proprietate, ab habitationis sublimitate, à nominis congruitate,& à virtute. A naturæ quidem

quidem proprietate eum dicit [Et ecce] Et per aduerbium quidem notatur ad omne bonum promptitudo. 1. *Reg.* 3. Ait Samuel: Ecce ego. *Isa.* 6. Ecce ego, mitte me. *Act.* 9. dixit Ananias: Ecce ego Domine [homo] ab omni bona hominis proprietate. Est enim homo animal mansuetum natura. Item homo intellectualis per naturam propriam. *Jacob.* 1. In mansuetudine suscipite insitum Verbum, quod potest saluare animas vestras. *Ioannes Chrysost.* dicit, quod Christus Ioannem familiarius cæteris dilexit, propter ingenitam sibi mansuetudinem, quam præ cæteris habuit. Hæc autem virtus maximè Prælatis competit, ne disciplinam asperitate excedant. *Galat. vltim.* Si præoccupatus fuerit aliquis homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis. *Num.* 12. Erat Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram.

Erat in Ierosalem] Commendatur à sublimitate habitationis: quia ibi fuit legis studium, ibi regalis dignitas & curiæ regalis frequentia, ibi omnis vrbanitas. Vnde *Psalm.* 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. De studio *Isa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. *Eccli.* 24. In Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Hæc propter vrbanitatem ædificatur vt ciuitas. Hæc est visio æternæ pacis. *Psalm.* 121. Fiat pax in virtute tua. *Psalm.* 175. in pace factus est locus eius. Hæc igitur habitatio multum est digna & sublimis. Deinde tangit congruitatem nominis, dicens.

Cui nomen Simeon] Simeon interpretatur videns mœrorem: eo quod omni tempore mœrorem perditorum præ oculis habens, Deum pro redemptione mittendum rogauit, qui eos ab iniqua Herodis liberaret potestate. *Thren.* 1. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens. *Baruch* 3. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te Domine: audi Domine & miserere.

Et homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum IESVM parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit.

Commendatur hic à virtute quadrupliciter: ab habitibus virtutum, ab inhabitatione auctoris virtutum, à reuelatione spirituali auctoris, & ab actu spiritualis reuelationis. Ab habitibus commendatur, à iustitia, timore, & spe. Iustitia quidem ordinat ad proximum, timor autem ad Deum, & spes ad seipsum relatum ad beatitudinem. De iustitia commendans eum dicit [Hic homo iustus] iustus quidem generali iustitia, quæ est in congruentia legum: & speciali, quæ est commutatiua, & distributiua. Et simile dictum est de parentibus Ioannis *supra* 1. Erant iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Et timoratus] ad Deum timore casto: quia sine timore, vt dicit *Gloss.* iustitia non custoditur. *Eccli.* 27. Nisi in timore Domini teneas te instanter, cito subuertetur domus tua. *Eccle. vltim.* Time Deum, & mandata eius serua: hoc est omnis homo. Iustus ergo fuit per vtilem ordinem ad bonum, quantum ad iustitiam generalem: & per ordinem ad proximum, quantum ad iustitiam specialem. Timoratus autem secundum vniuersalem recessum à malo, quantum ad timorem generaliter sumptum, secundum quod timor est fuga mali vt dicit *Augustinus*. Sed secundum quod timor est specialiter sumptus (qui est timor magni in admiratione quoad intellectum, & in reuerentia quantum ad affectum) sic per timorem ordinatus est ad Deum.

Expectans] Hic commendatur à spe. Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex meritis & gratia proueniens. Per spem enim non expectabat terrena, qui sciebat quod spes impij est quasi lanugo, quæ à vento tollitur: sed expectabat [consolationem] in aduentu Redemptoris: hæc enim consolatio est omnium redimendorum. Vnde *Aggai.* 2. Veniet desideratus cunctis gentibus: & replebitur gloria domus Domini.

Est autem ista spes aliquando viua, aliquando mortua, aliquando tutans animam, aliquando vaga non tutans, aliquando per dilationem rei speratæ affligens, aliquando non. Viua spes est per charitatem, quæ est vita virtutum. Per hoc ipsa semper cum Spiritu sancto, qui viuificator est omnium quæ inspirat. 1. *Petr.* 1. Regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis. Sine charitate autem mortua est, quia est sine Spiritu. *Iob* 8. Spes impiorum peribit. Tutans est illa, quæ sicut anchora proiecta ad litus æternitatis, per omnimodam meriti thesaurizationē in cælis, & expectationem æternorum. *Hebr.* 6. Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis. Hæc enim totam ad æternitatem ligat nauim mentis. Alia autem spes temporalium, vana est. *Iob* 40. Ecce spes eius frustrabitur eum. Hæc spes ex desiderio feruenti ad rem speratam, affligit animam expectantem. *Prouerb.* 13. Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ est desiderium veniens.

Sic ergo iste expectabat [consolationem] non propriam, quia charitas non quærit quæ sua sunt 1. *Corinth.* 13. sed [Israël] totius populi Dei, pro qua sæpe orabat. 2. *Mach.* 15. Hic est fratrum amator, hic est qui multum orat pro populo: hic enim redemptorum est consolatio. *Isa.* 66. Ego ipse consolabor vos: & in Ierusalem consolabimini: videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. Et hac de causa potest esse, quòd in Ierusalem expectabat.

Et Spiritus sanctus erat in eo] Commendatur hic ab auctore omnium gratiarum, ab inhabitatione Spiritus sancti. *Daniel.* 5. Scio quod spiritum deorum sanctorum habeas, hoc est, Angelorum & Sanctorum. *Isa.* 11. Requiescet super eum Spiritus Domini, sapientiæ, & intellectus. Sicut enim, vt dicit *beatus Bernardus*, spiritus considerarur

ratur in naui, quando secundo ductu percutit vela: ita consideratur Spiritus sanctus in homine, quando prospero flatu percutit mentem, & cogit ad æterna appetenda, loquenda, & opere quærenda. *Ioan.* 3. Spiritus vbi vult spirat: & nescis vnde veniat, aut quo vadat.

Et responsum] Hic ab interna commendatur consolatione, cum dicitur quod [acceperat responsum à Spiritu sancto] Est autem illud responsum aliquid sæpe suspirans ad ipsum desiderium. Tantus enim erat ardor suspirantium Patrum Christi in carne præsentiam, quod quisquis ipsorum in spiritu erat, tunc tota ingeminando suspiria, dicebat: Putas videbo? putas durabo? putas me hic inueniet illa natiuitas? putas quod credo videbo oculis mei? Et alius quidem propter vexationem hostis suspirare cogebatur, dicens *Psalm.* 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Alius autem suspirabat ex tædio dilatæ promissionis, dicens *Ezech.* 12. Visio in tempus longum. Et illud *Isa.* 28. Manda remanda, manda remanda: expecta reexpecta, expecta reexpecta: modicum ibi, modicum ibi. Est enim impatiens amor ex diu dilato desiderio. Quasi dicant illud *Ioan.* 10. Quousque animas nostras tollis? Si vult consolari, veniat cito. Alius autem suspirabat ex abominatione descensus inferni. *Iob* 17. In profundissimum inferni descendent omnia mea. Putasne saltem ibi erit requies mihi? Alius autem gemebat ex desiderio videndi speciosum præ filiis hominum, & audiendi eum. *Cantic.* 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Sciebant enim pro certo quod facies illa futura esset, in quam desiderant Angeli prospicere 1. *Petr.* 1. & in cuius contuitu non satiatur oculus visu *Eccle.* 4. & quod diffundenda erat gratia in labiis illius: & ideo vocem dulcem dicebant, & aurem non satiandam auditu: & quod tota anima liquefieret, vt loqueretur. Et ideò præsentiam eius suspirabant. Ad huiusmodi ergo desiderium & gemitum Simeonis, respondit Spiritus sanctus *Psalm.* 11. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus, & ponam in salutari, hoc est, in IESV, fiducialiter agam in eo. *Zach.* 1. Respondit Dominus verba bona consolatoria.

Non visurum se mortem] hoc est, non experturum mortem. Mors enim non videtur nisi per experimentum. Vel [mortem] vocat inferni tenebras, quas abhorrebat plusquam mortem. *Supra* 1. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent [nisi prius] oculis corporis & mentis [videret Christum Domini] oculis quidem corporis humanitatem, & oculis mentis Diuinitatem. *Ioan.* 8. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum. *Luc.* 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. Dicitur autem Christus Domini, vnctus Patris Domini. *Ioan.* 10. Quem pater sanctificauit, & misit in mundum. Sanctificauit autem per vnctionem Spiritus, quem sibi dedit non ad mensuram: sed sicut fonti datur iugiter manatio aquæ viuæ. *Ioan.* 7. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu.

Et venit in Spiritu in templum] Commendatur hic ab actuali instinctu Spiritus sancti: quia multi habent Spiritum sanctum, quos actualiter non tangit. Iste autem & dona habet Spiritus in virtutibus, & ipsum inhabitantem Spiritum, & actualem Spiritus instinctum, & ad desiderium animæ sancti Spiritus consolatorium responsum. Sic ergo nullo nuntio, nullo indicio sibi exteriùs facto, in Spiritu instigante & reuelante [venit] ad *Rom.* 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. *Psalm.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Isa.* 63. Spiritus Domini ductor eius fuit. *Act.* 17. Incitabatur Spiritus eius in semetipso [In templum] autem venit quia hoc prophetatum fuit *Malach.* 3. Statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis. *Psalm.* 47. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. *Agges* 2. Replebitur gloria Domini domus Domini.

Et cum inducerent] Hic commendatur ab opere. Cum enim [parentes eius] hoc est, pater putatiuus, & Mater vera Dei Virgo Beata, qui erant parentes eius: corporaliter quidem & spiritualiter Beata Mater: spiritualiter autem & putatiuè Ioseph. *Act.* 17. Ipsius & genus sumus. *Psalm.* 121. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini [vt facerent pro eo oblationem] præsentationem & orationem [secundum consuetudinem legis] Hic aperte innuit quod hæc non sunt facta, nisi vt consuetudo legis, quæ adhuc statum habuit, conseruaretur: ne lex sicut mala statim abiicienda iudicaretur: sed cum honore terminata, ad cumulum deduceretur. *Psalm.* 18 Lex Domini immaculata, conuertens animas. Posita occasione operis, subiungit.

Et ipse] Simeon in spiritu irrumpens vsque ad ipsum. *Isa.* 59. Venit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cognouit [accepit eum] puerum [in vlnas suas] Vlnus dicit, non brachia. Quia licet vlnæ & brachia idem sint; tamen vlna est nomen brachij prout mensurat, brachium autem prout est pars corporis absoluè. Qui autem accipit IESVM, mensurando accipit: quia *Matth.* 25. Dat vnicuique secundum propriam virtutem. 1. *Corinth.* 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. *Luc.* 6. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Tangit autem *Gloss.* triplex mysterium de acceptione pueri in vlnas senis: vnum ex hoc quod antiquas vlnas nouo recenter nato puero coniunxit: ex hoc enim significauit vetustatem legis in nouitatem gratiæ transitutam. 2. *Corinth.* 5. Siqua est in Christo noua creatura, vetera transierunt: & ecce noua omnia facta sunt. Secundum mysterium est, quod puer susceptus nouus & recens vlnas senis texit. Et in hoc significatur, quod gratia nouitatis Christi tegit vetera & occultat, ne de cætero videantur ad obseruationem. *Leuit.* 26. Vsque ad noua comedetis vetera: nouis autem superuenientibus, vetera proiicietis. Tertium mysterium, quod puer nouus susceptus, vacuitatem vlnarum repleuit. Et per hoc significatur, quod omnia quæ in lege veteri sunt secundum figuram veri & boni, implentur per Christum. *Matth.* 5. Non veni legem soluere, sed adimplere. *Matth.* 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam. Accepit ergo eum sic præsago corde in vlnas suas [& benedixit

nedixit Deum] Sicut enim perfectus fuit virtute, spiritu, interna consolatione, & instinctu, & opere : sic perfectus fuit verbo in gratiarum actione. Et hoc est quod dicit [benedixit] hoc est, gratias egit [Deum] in Deum dirigens bona quæ accepit. *Eccle*.1. Ad locum vnde oriuntur flumina, reuertuntur, vt iterum fluant [Et dixit] Sicut perfectus fuit in gratiarum actione ; sic perfectus fuit in prophetia. Hoc est quod prophetando dixit. 1.*Corinth*.12. Per Spiritum datur sermo prophetiæ. Et hoc canendo dixit. *Iudic*.5. Ego sum, ego sum qui Domino canam, psallam Deo Israël.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Ecce canticum prophetiæ ipsius, quod diuiditur in duo. Primo enim accepit dimissionis licentiam : veritatem confitens in responso, quod à Spiritu receperat. Secundo, ad quid Deus Pater salutare suum parauit in IESV, determinat. In primo autem duo dicit. Petit enim in pace dimitti: secundo, verum confitetur responsum Spiritus sancti.

In primo tangit quinque. Primo enim secundum ordinem literæ determinat tempus consolationis & pacis incepisse, dicens [Nunc] Non ante hoc tempus, sed [nunc] ex quo Patri obediens formam serui accepit, & in templo vt hostia pro nobis oblatus est. *Isa*.49. Tempore placito exaudiui te. *Psalm*.101. Misereberis Sion, quia tempus miserendi eius venit. 2.*Corinth*.6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Secundo, secundum ordinem literæ dimitti precatur, dicens [dimittis] Assertiuè ponit : quia iam ex promisso dimittit in effectu. 2.*Timoth*.4 Ego iam delibor: & tempus meæ resolutionis instat. Quidam exponunt præsens pro futuro [dimittis] hoc est, dimittes. Sed non oportet : quia verificato responso, statim dimissus erat : & senile corpus statim resolui incipiebat. 2.*Petr*.1. Certus sum quia velox est depositio tabernaculi mei. Tertio, secundum seriem literæ suam profitetur conditionem dicens [Seruum tuum] *Psalm*.115. O Domine quia ego seruus tuus. Et est seruus, serui formam exhibentis. *Isa* 49. Seruus meus es tu Israël qui vides Deum: quia in te glorificabor. Quarto, confitetur honorem pueri, dicens [Domine] quamuis sit pauper. *Genes*.27. Dominum tuum illum constitui: & omnes fratres illius seruituti eius subiugaui. Deinde confitetur veritatem promissi [secundum verbum tuum] mihi in Spiritu responsum Quod enim Spiritus dixit, verbum pueri fuit: quia Spiritus à puero procedit. *Ioan*.16. De meo accipiet, & annuntiabit vobis. *Tit*.1. Quam promisit qui non mentitur Deus [in pace] reconciliationis quam nuntiabo inferis *Psal*.4. In pace in idipsum, dormiam & requiescam. *Eccli*.44. Corpora eorum in pace sepulta sunt : & viuent nomina eorum in æternum. Hæc enim pax fuit in limbo Patrum, qui spe felici Redemptoris expectabant aduentum : qui limbus etiam dicitur sinus Abrahæ. *Luc*.16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Et dicit *Hieron*. quod hæc est requies beatorum pauperum. Sequitur.

Quia viderunt] Ecce secundum, de veritate promissi. Viderunt autem simul visu exteriori cum interiori. *Isa. vltim*. Videbit omnis caro salutare Dei nostri [oculi mei] interiores & exteriores. *Isa*.32. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt [salutare tuum] hoc est, IESVM. *Habac*.3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. *Genes*.49. Salutare tuum expectabo Domine.

Quod parasti ante faciem omnium populorum : Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Secundum est istius cantici. Et dicit tria, scilicet, qualiter in communi omnibus hoc salutare paratum est : secundo, qualiter specialiter paratum est Gentibus. Et tertio, qualiter in speciali paratum est Iudæis. De primo autem in communi dicit [Quod] salutare [parasti] carne assumpta te visibilem faciendo. *Baruch* 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est [ante faciem] vt facie ad faciem videant. *Apoc*.1. Videbit eum omnis oculus [omnium populorum] Communis enim salus paratur omnibus contuenda. *Rom*.3. Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. *Matth*.8. Multi venient ab Oriente, & Occidente: & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Vnde *Matth*.11. ipse dicit. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Lumen] Tangit quod specialiter parauit Gentibus, quæ in tenebris sedebant : & lux intelligentiæ legis non illuminabat eos, dicens [Lumen] *Ioan*.1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Est autem lumen, vt dicit *Auicen*. reflexio lucis procedens à luce : & sic significat Filium qui procedit à Patre, & reflectitur in animas sanctas. *Psalm*.35. In lumine tuo videbimus lumen. *Supra* 1. Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent [ad reuelationem Gentium] Alia litera [ad illuminationem Gentium] hoc est, Gentilium, qui gentes dicuntur, in generis iure permanentes. Dicuntur etiam Gentes quasi geniti tales. Dicuntur pagani à pagis quos inhabitant. *Psalm*.116. Lætamini Gentes cum plebe eius. Vbi nos habemus, Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. *Malach*.1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Parasti ergo salutare tuum [lumen] hoc est, in lumen, vel ad lumen [ad reuelationem] siue [ad illuminationem Gentium] *Isa*.60. Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. *Isa*.2. Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Dei nostri. Specialiter autem tangit ea, quæ contulit Israëli, dicens.

Et gloriam] Quid sit gloria iam ante dictum est. Gloria autem est clara cum laude notitia : & ad gloriam talem salutare suum parauit Israëli. Et hoc est quod dicit. Et gloriam [plebis tuæ] *Psalm*.94. Nos autem populus eius & oues pascuæ eius. *Osea* 1. In loco vbi vocati sunt non plebs mea vos : ibi vocabuntur filij Dei viuentis. Et vide ordinem, quoniam primò dicit [ad reue-lationem

lationem Gentium] & postea [& gloriam plebis tuæ Israël] propter hoc quod dicit *Apostolus Roman.*11. Cæcitas contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret: & sic omnis Israël saluus fieret. Et ideo præmittitur [lumen ad illuminationem Gentium.

Attende autem, quoniam iam habita sunt quatuor cantica in isto Euangelio. Canticum quidem Zachariæ, in quo in multis gratiis nobis salutem erexit & cornu salutis. Et quia hoc secundum effectum factum est in Resurrectione, ideo in Matutinis laudibus, quæ in honorem Resurrectionis decantantur, hoc stando decantatur. Est etiam habitum canticum Beatæ Virginis, in quo dicitur, quod Dominus ad humilitatem ancillæ respexit: quod quia in sexta ætate factum est; ideo in sexta hora decantatur, hoc est, in Vespera, quæ sexta est à Laudibus matutinis. In cantico autem Simeonis in pace dimissorum fit mentio, qui sunt quiescentes: septima autem ætas est quiescentium: & ideo in septima, hoc est, in Completorio decantatur. Quartum autem canticum est Angelorum, qui non pertinent ad ætatem aliquam: & ideo extra horas in Missa decantatur. Hæc igitur quoad puerum est prophetia Simeonis.

Et erat pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius.

Hic incipit secunda pars prophetiæ Simeonis: & sicut præcedens, ita ista diuiditur in duas partes, in quarum prima prophetandi accipit occasionem: in secunda autem accipit prophetiæ exordium Sicut enim præcedens est de puero: ita ista est de ordinatis ad puerum. Prima quidem ponitur cum dicitur [Et erat pater eius] putatiuus Ioseph. *Isa.*8 Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, detrahentur spolia Damasci [& mater] Virgo Beata. *Infra eodem*. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.

Attende, quod nullus est pater Christi spiritualis vel naturalis nisi solus Deus Pater: quia spiritualiter nemo format eum in cordibus fidelium nisi Deus. *Malach.*2. Nonne vnus est Pater omnium nostrum? *Ioan.*8. Vnum habemus Patrem Deum. Sed matrem veram, & spiritualem, & corporalem habere potest. *Matth.*12. Ecce mater mea & fratres mei. *Galat.*4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Isa.*66. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Pater ergo non est nisi putatiuus. *Luc* 3. vt putabatur filius Ioseph. Hi ergo Pater & Mater [erant mirantes] Omnia enim mira sunt quæ sunt de paruulo IESV. *Isa. vltim.* Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile?

Super his] Bene dicit [super] quia omnia super erant & non subtus, eminentia enim erant. *Deuter.*28. Faciet Dominus supra, & non subter: in caput, & non in caudam [quæ dicebantur de illo] Quærit *Origenes*, Quænam sunt quæ de paruulo IESV dicebantur? Hæc igitur sunt: quia Angelus nuntiabat, intra vterum matris filius exultabat, Angeli canebant, pastores laudabant, stella apparebat, Magus currebat, mutus loquebatur, coniugata prophetabat: & alia multa, quæ de paruulo dicebantur: & ideo pater eius & mater mirabantur. *Daniel.*3. Signa & mirabilia fecit apud nos Deus excelsus.

Et benedixit eis Simeon] Qua autem benedictione benedixerit non est digestum: sed creditur quod sicut benedixit Heli Annam pro fœnore quod accommodauit, multo magis Simeon qui maior fuit quam Heli, benedixit parentibus IESV pro Redemptore, quem obtulerunt Domino in templo suo [Et dixit ad Mariam] specialiter, quæ fuit vera mater ipsius: intus corde prius, & postea in vtero ipsius formatus est à Spiritu sancto. *Isa.*49. Formans me ex vtero seruum sibi.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur: (& tuam ipsius animam pertransibit gladius) vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Ista est prophetia, & habet duos paragraphos. Primus est de Infante in comparatione eorum quæ spiritualiter ordinantur ad ipsum. Secundus est de Matre, quæ spiritualiter & corporaliter coniungitur ei. In primo enim dicit tria: quia quibusdam est in ruinam, & quibusdam in resurrectionem, & quibusdam in signum cui contradicetur. De primo dicit.

Ecce] Q. d. in euidenti est: cum statim apparebit, & apparuit in Herode [positus est] hoc est, immobiliter fundatus est iste. 1. *Corinth.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. *Hebr.*11. Fides est substantia rerum sperandarum. *Matth.*17. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Isa* 8. & 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet [hic] puer [in ruinam] hoc est, ruinæ occasionem, quæ sumitur ex ipsis, non ex puero: quia puer quantum est de se, omnes facit resurgere: sed ipsi sua infidelitate ruunt. Ruunt autem ad veritatem ipsius infideles. Ad gratiam ipsius ruunt mali & peccatores. *Isa.*3. Ruit populus, vir ad virum, vnusquisque ad proximum suum. *Isa.*8 In lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israël, & in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem: & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Offendunt enim sine causa se scandalizantes, cadunt in peccatum declinantes, irretientur obstinatione se in peccato tenentes, & capientur æterna sententia in pœnis permanentes. *Isa.*3. Ruit Ierusalem, & Iudas concidit. Quia linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum: vt prouocent oculos maiestatis eius. His ergo est in ruinam.

Et attende, quod ruinæ eorum Christus nec est causa per se, nec per accidens, nec etiam occasio, quæ minor est quam causa per accidens. Sed ipse est in ruinam eorum, sicut sol est in tenebras: quia vbi non est lumen solis, est tenebra: & tamen quantum est de sole, vbique est lumen. Sed id quod interponit se, sine causa solis facit quod sol illuc non effundit lumen suum. *Iob* 24.

Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius.

Et in resurrectionem multorum] omnibus videlicet qui fide & moribus conuertũtur ad ipsum. Et horum resurrectionis causa est ipse. Est autem resurrectio à culpa per gratiam. Resurrexit propter nostram iustificationem. Est etiam resurrectio à pœna per gloriam. *Rom.* 6. Christus resurgens à mortuis iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, hoc est, ad Dei similitudinem: vt de cætero non cadatis. *Isa.* 14. Ne læteris Philisthæa omnis tu quia cecidi: consurgam [multorum] autem dicit: quia sufficienter causauit quidem resurrectionem omnium: efficienter autem non causat nisi resurrectionem fide & opere deuotorum [in Israël] quia illis primitus prædicauit. *Matth.* 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Et ex illis quidam crediderunt. *Ioan.* 3. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Ioan.* 11. Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet [In ruinam] autem est eorum qui non credunt. *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine dilecti Filij eius. *Psalm.* 1. Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.

Tertio est in signum: signum quidem significationis suæ voluntatis vt præmia acquirantur pœnæ caueantur per prædicatum Euangelium. *Psalm.* 59. Dedisti metuentibus te significationem: vt fugiant à facie arcus, hoc est, percussionis occultæ, quæ fiet per iudicium. Aut in signum miraculi fidem ædificantis. Omnia enim miracula sunt, & signa, quæ fecit. *Hebr.* 2. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem: quæ cum initiũ accepisset enarrandi per Dominũ in nos, ab his qui audierunt confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Item in signum distributionibus secundum suam voluntatem. Item in signum quo Christo consignamur, per signum fidei quod est baptismus, quod est signaculũ quo Christo consignamur. *Ezech.* 9. Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. His signis contradicitur.

De contradictione quidem primi signi *Habac.* 1. Factum est iudicium, scilicet, peruersum, & contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex. Quidam enim contradicunt verbo, de quibus iam dictum est. *Act.* 28. Sectæ huic vbique contradicitur. Quidam autem factis, de quibus dicitur *Tit.* 1. Confitentur se nosse Deum: factis autem abnegant. Signo etiam miraculorum eius contradicitur à magis Pharaonis, hoc est, à defensoribus infidelitatis. *Psalm.* 17. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput Gentium: Dicit filius ad patrem. Tertio signo contradicitur à falsis Christianis. *Ierem.* 15. Væ mihi mater mea, quare me genuisti virum rixæ? virum discordiæ? In vniuersa terra omnes maledicunt mihi. Alia litera. Omnes contradicunt mihi. Ecce qualiter positus est in signum cui contradicitur secundum *Gloss.*

Est tamen Christus multis modis positus in signum. In signum quidem humilitatis, sanitatis, dominationis siue ducatus ducis militiæ, suæ patientiæ, tribulationis, quietis, & contemplationis siue absconsionis. Et hoc per sacramenta quæ exhibuit in seipso. De primo *supra* 2. Hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum. De secundo *Num.* 21. Fac serpentem æneũ, & erige eum in palo, & pone pro signo: & qui aspexerit, viuet. Huiusmodi enim signum Christus est in sacramentis. De tertio *Isa.* 5. Eleuabit Dominus signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ sub dominationem & inuocationem Filij, & sub victricia signa eius. De quarto autem *Thren.* 3. Posuerunt me quasi signum ad sagittam. Et hoc factum est in cruce quando quilibet infixit in eum spicula sua, vel operis, vel linguæ, vel vtriusque. Contemplationis autem & quietis & absconsionis signum est in sepulchro. *Matth.* 12. Signum non dabitur generationi nequam nisi signum Ionæ Prophetæ.

Est autem adhuc Dominus signum redemptionis per descensum ad inferos, & signum exaltationis quo fide & conuersatione pergere debeamus per resurrectionem & ascensionem ad cælos. *Isa.* 7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue excelsum supra. In spiritualibus autem quotidie petit se poni signum amoris quo tendat affectio cordis. *Cant.* 8. Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. Ponit etiam se signum veritatis in illuminatione cordis. *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo. Sic igitur hic positus est [in signum] Et puto quod literaliter intelligitur in signum diuinæ potestatis. *Ioan.* 3. Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. *Ioan.* 9. A seculo non est auditum quod quis aperuit oculos cæci nati: nisi esset Deus cum eo non poterat facere quicquam. His tamen signis contradictum est. *Matth.* 12. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Ioan.* 8. Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Et tuam ipsius animam] Secunda pars prophetiæ quæ pertinet ad matrem. Et expositio literalis hic duplex, & tertia est mystica in *Gloss.* Prima est quam credo veriorem esse, quod possessiuum pronomẽ resoluatur in primitiuum [Tuam] hoc est, tuiipsius Mariæ [animam] non corpus [pertransibit] in diuersa secando [gladius] hoc est, pœna passionis quæ in filio tuo est in corpore, peruerberat animã tuam in compassione: vt dolores quos non habuisti in partu, vt sentires te esse matrem: nunc exoluas in morte, matrem sentiendo te. Et hæc est expositio *Damasc.* Vnde in prosa. Nunc exoluit cum vsura gemitus quos paritura naturæ detinuit: tempus nacta nunc natura, nunc reposcit sua iura, nunc dolores acuit. Et sic exponitur illud *Ioan.* 2. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Q. d. Ex te non habeo quod signa faciam. Nihil ad te de signis. Tempus veniet passionis cum te matrem recognoscam, & tu me filium: cum patiar in eo quod ex te habeo tibi commune.

Secunda expositio est vt pronomen sit possessiuum:

fioum: fic [tuam] hoc eft, filij animam quam diligis vt tuam [ipfius animam pertranfibit gladius] quia Chriftus non eft paffus tantum in corpore, fed etiam in anima. *Thren.* 1. O vos omnes qui tranfitis per viam, attendite & videte fi eft dolor fimilis ficut dolor meus.

Tertia myftica eft. *Ephef.* 6. Gladius fpiritus quod eft verbum Dei. *Hebr.* 4. Viuus eft fermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hic penetrat animam credentis, quæ eft Maria fecundum quod ipfa eft imago Ecclefiæ: quia venit non ponere pacem, fed gladium. *Matth.* 10. [vt] ex hac pertranfitione gladij [reuelentur] hoc eft, palam fiant [cogitationes] quæ funt de Chrifto [ex multis cordibus] quia multi ex hoc cognofcent qualia de Chrifto cogitant: bona quidem in confeffione fidei: mala autem in fidei contradictione. Et hoc non mutatur in omnibus expofitionibus. *Iob* 28. Abfcondita produxit in lucem 1. *Corinth.* 4. Veniet Dominus qui & illuminabit abfcondita tenebrarum, & manifeftabit confilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Sic ergo terminatum eft teftimonium Simeonis Prophetæ.

Et erat Anna propheti∫∫a, filia Phanuel, de tribu Afer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro fuo annis feptem à virginitate fua. Et hæc vidua vfque ad annos octoginta quatuor: quæ non difcedebat de templo, ieiuniis & obfecrationibus feruiens nocte ac die.

Nequa profeffio teftimonio Chrifti defit aut fexus, poft teftimonium fenis, inducitur viduæ Annæ teftimonium: vt ex eifdem habeamus & ex tot reparationem vitæ, ex quibus & quot habuimus initium mortis. Vir enim & mulier fibi & diabolo confentientes, induxerunt mortem. *Sapient.* 1. Deus mortem non fecit: fed impij manibus & verbis accerfierunt illam. Similiter vir & mulier fibi inuicem & Deo confentientes confeffione fua adduxerunt vitam: duo virgines, Iofeph, & Maria: duo coniugati, Zacharias, & Elifabeth prophetauerunt. Supererat de viduis: & ideo venit ad templum Simeon viduus vt crederetur: quia aliter cum vxore veniffet Venit Anna vidua, ne aliqua vitæ profeffio deeffet vel fexus. Et hoc eft

Et erat Anna] Quia vero ficut dicitur *Eccli.* 15 Non eft fpeciofa laus in ore peccatoris. Et *Pfal.* 49. peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iuftitias meas, & affumis teftamentū meum per os tuum ? Ideo hæc vidua primo à multis commendatur, & poftea laudans Chriftum perhibetur. Commendatur autem à nomine, à genere, à longanimitate, à caftitate, & cultus diuini deuotione. A nomine quidem quando dicitur [Et erat Anna] quæ gratia eius interpretatur. *Prouerb* 11. Mulier gratiofa inueniet gloriam. *Ruth.* 2. Inueniam gratiam in oculis tuis: & noffe me dignatus es peregrinam mulierem. *Exod.* 33. Inuenifti gratiam coram me.

Quinque autem huius nominis leguntur excellentis famæ mulieres. 1. *Reg.* 1. legitur Anna mater Samuelis. *Tob.* 7. Anna vxor Raguelis. *Tob.* 1. Anna vxor fenioris, & mater iunioris Tobiæ. Non legitur autem in Canone, fed ab omnibus perhibetur, & in Euangelio Nazaræorum legitur de Anna vxore Ioachim, matre Beatæ Virginis. Hic etiam legitur de Anna tefte Saluatoris. Prima poftulatum à Deo accepit, fecunda oratione fua dæmonium à filia compefcuit, tertia gaudium de fupplementis neceffitatum, & curationis infirmitatum per Angelum recepit, quarta Filium Dei protulit, quinta Chrifto teftimonium perhibuit. Significant fpiritualiter, quod gratia Dei hæc quinque in quolibet homine perficit, orationem fcilicet exaudibilem. *Ioan.* 9. Peccatores Deus non audit: fed qui fecerit voluntatem fuam, hunc exaudit. Secundo præualet diabolo contra tentationem. 1. *Corinth.* 10 Fidelis Deus qui non patitur vos tentari fupra id quod poteftis: fed faciet cum tentatione prouentum vt poffitis fuftinere. Facit etiam defectus & infirmitatis curationem. *Pfalm.* 103. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui fanat omnes infirmitates tuas. *Iob* 5. Ingredieris in abundantia fepulchrum, ficut infertur aceruus tritici in tempore fuo. Facit adhuc partum diuinum, qui Deum concipit & parit. *Ruth.* 3. Benedicta filia tu à Domino, & priorem gratiam pofteriori fuperafti Inducit ad laudem gratiæ. 2. *Corinth.* 9. Gratias Deo fuper inenarrabili dono eius.

Commendatur à Sanctis, Spiritus reuelatione [propheti∫∫a] Et hic commendatur à genere. Et quia nobilitas generis decoratur virtute: ideo primo laudatur à dono Spiritus, quod in eam à patre quafi hæreditarie proceffit. *Hieron.* Hoc folum video in nobilitate generis appetendum, quod quafi quadam neceffitate aftringuntur ne à maiorum nobilitate degenerent. Secundo commendatur à patre, tertio à tribu. A reuelatione autem commendatur cum dicitur.

Propheti∫∫a] cui Spiritus multa reuelauit. *Sapient.* 7. Per nationes Spiritus fapientiæ in animas fanctas fe transfert, amicos Dei & Prophetas conftituit. Quatuor autem fœminæ prophetæ leguntur, & quatuor aliæ prophetaffe. Et propheti∫∫æ: prima fuit Maria foror Moyfi *Exod.* 15. Secunda fuit Debora *Iudic.* 5. Tertia fuit Olda propheti∫∫a 4. *Reg.* 22. Quarta eft ifta. De quatuor autem prophetantibus *Act.* 21. Philippo erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Prima canebat canticum de redemptione populi, in figura redemptionis filij Dei. *Exod.* 15. Sumpfit Maria propheti∫∫a tympanum in manu fua: egreffæque funt omnes mulieres poft eam quibus præcinebat. Secunda prudentia fua iudicabat populum, & expugnauit diabolum in figura fapientiæ Chrifti, & victoriæ diaboli. *Iudic.* 4. Erat Debora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum illo tempore. Tertia remiffionem indicabat regi Iudææ. 4. *Reg.* 22. Dicite regi Iuda qui mifit vos: Colligeris ad fepulchrum tuum in pace. Et hoc fuit in figura pacis Chrifti, in qua dimitti fe rogauit Simeon. Quarta ifta propalat ab aliis præfiguratam confeffionem fidei. Prima, Maria interpretatur fignans amaritudinem pœnitentiæ & paffionis, in qua fubmerguntur fpirituales Egyptij. Secunda, Debora interpretatur apis in fignificationem dulcedinis fapientiæ Chrifti. *Pfalm.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua fuper mel ori meo. Tertia, Olda difertio

mea interpretatur: quia per pacem Christi mali à bonis discernuntur: quia *Isa.* 48. dicitur, quod non est pax impiis, dicit Dominus. Quarta, Anna gratia dicitur: quia gratiæ Dei fert testimonium. *Ioan.* 1. De cuius plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia.

Filia Phanuel] Phanuel facies Dei interpretatur: quia ita fuit diuinus vt facies Dei in ipso resultaret. Vnde *Genes.* 32. Vocauit locum illum Phanuel, dicens: Castra Dei sunt hæc: & vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. 1. *Ioan.* 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Hic ergo tam diuinus genuit Annam Dei gratiam.

De tribu Aser] Ecce commendatio à tribu. Hic autem Aser fuit octauus filius Iacob, de Zelpha natus, qui ex ordine natiuitatis ad beatitudinem pertinet: quia octo sunt beatitudines per numerum meritorum. *Matth.* 5. quamuis sunt septem per numerum præmiorum. *Ezech.* 40. Octo gradibus ascendebatur ad templum. Et sic pertinet ad testimonium nouæ gratiæ, quæ per octauam resurrectionis consecratur, veteri testamento in septenario terminato. *Eccle.* 11. Da partes septem, nec non & octo. Aser autem interpretatur beatus, dicente adoptante eum matre *Genes.* 30. Hoc pro beatitudine mea Ex hoc enim beatam me dicent omnes mulieres. Quæ beatitudo in hac filia Anna confirmata est, quæ beatificanti omnes beatos reddidit testimonium. *Supra* 1. Beata quæ credidisti quoniam perficientur quæcunque dicta sunt tibi à Domino. *Deut.* 33. Benedictus in filiis Aser: Sit placens in fratribus suis.

Hæc processerat in diebus multis] Hic commendatur à longanimitate piæ & sobriæ & deuotæ expectationis consolationis istius. Et dicit [Processerat] quia semper profecit. *Eccli.* 18. Cum consummauerit homo, tunc incipiet. *Psalm.* 76. Dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi [in diebus] autem ponit: quia omnis vita eius lux fuit virtutis, & nulla nox tenebrarum interposita. *Sapient.* 18. Sanctis tuis maxima erit lux. *Rom.* 13. Induamur arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus. Horum dierum multos habuit. *Genes.* 24. Erat Abraham senex dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat illi. Nondum autem erat plena dierum: quia hoc donum plenitudinis datur in morte. *Genes.* 35. Consumptus est ætate bona, & appositus est populo suo senex & plenus dierum. Sic ergo fuit expectando salutare Dei promissum. *Hebr.* 6. Sic longanimiter ferens adeptus est repromissiones. *Rom.* 2. An diuitias bonitatis & longanimitatis eius contemnis?

Et vixerat] Commendatur hic ab omni statu castitatis. Primo quidem à statu castitatis coniugalis: quia vixerat, non mortua fuerat, concupiscentiis. 1. *Tim.* 5. In deliciis, viuens mortua est [cum viro] Concordiam notat subiectionis. Est enim beneplacitum Deo, & probatum coram hominibus: vir & mulier sibi consentientes. *Eccli.* 25. Notatur etiam in hoc thori fides quæ suo viro contenta est. *Tobiæ* 3. Virum in timore tuo & non in libidine mea consensi suscipere [annis septem] quasi cum duce suæ virginitatis. *Ierem.* 3. Dux virginitatis meæ es tu [à virginitate sua] perdita. Et in hoc notatur laus castitatis virginalis quam ante virum suum custodierat. *Tobiæ* 3. Nunquam cum ludentibus me miscui, nec cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.

Et hæc vidua] Ecce commendatio à viduitate. Quod magnum est: quia dicit *Ambros.* quod iuuenes viduæ plusquam virgines tentantur propter recordationem delectationis expertæ. *Psalm.* 131. Viduam eius benedicens benedicam. *Iudith* 15. Tu lætitia Israël, tu gloria Ierusalem, tu honorificentia populi mei, quæ fecisti viriliter: & confortatum est cor tuum eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris [vsque ad annos octoginta quatuor] suæ ætatis, quando hæc facta sunt quæ hic narrantur. Octoginta autẽ quatuor sunt septies duodecim. Vnde quantum fuit cum viro in deliciis, tantum afflixit se ieiuniis & viduitatis opprobriis, & penuriis Et hoc significatur *Baruch* 4. Quantum auersi fuerunt sensua vnde vt prouocaretis Deum: decies tantum conuertentes requireris eum. Hæc autem non tantum decies requisiuit, sed addidit vt citius placeret & melius. De licito vsu matrimonij pœnitentiam fecit, vt consolationem diuinam facilius inueniret; imitata Iudith viduam, quæ ex quo mortuus est vir eius, secretum cubiculum pro templo fecit in superioribus domus suæ, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & cilicium habuit super lumbos suos Hæc autem duodecies septem annis vidua fuerat, quæ octogintaquatuor faciunt: duodecim referens ad perfectionem euangelicæ gratiæ, & septem ad delicias expertas. *Matth.* 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes 12. tribus Israël.

Quæ non discedebat] Laudatur hic à cultu; & ponit sex: instantiam videlicet, cultum, afflictionem corporalem, orationis deuotionem, seruitutis obsequium, & obsequij continuitatem indefessam. De instantia dicit [Quæ non discedebat] *Luc.* 11. Oportet instanter orare, & non deficere. *Rom.* 12. Orationi instantes, necessitatibus Sanctorum communicantes. 1. *Thes.* 5. Sine intermissione orantes.

Quærit autem *Gloss.* Qualiter potuit esse quod non discessit? Sed ad hoc dicendum, quod non dicitur discedere, quæ semel se templo deuouit, & per contrarium actum deuotionem illam non reuocauit: sicut in proiectione lapidis, semel ictum facit manus, & hic impetus durat quandiu lapis non cadit. Ita ergo dicitur quod non discedebat. *Ruth* 2. De mane vsque nunc stat in agro, & nec ad momentum quidem domum reuersa est.

De templo] Ecce tangitur cultus. Ecclesiæ enim sanctæ debemus terere limina. *Psalm.* 83. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Psalm. eodem.* Melior est dies vna in atriis tuis super millia. *Psalm eodem.* Beati qui habitant in domo tua Domine

Ieiuniis] Commendatio est ab afflictione corporali. *Apoc.* 18. Quantum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. *Ioelis* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scidite corda vestra.

Et obsecrationibus] Ecce commendatur à deuotione orationis. Est autem obsecratio ob sacrum petitio vel oratio: quia est oratio adiurans Deum per sacramenta quæ exhibuit. Ita & ista orabat Deum, contestans eum per sacramentum

suæ

ſuæ veritatis:quia promiſit. *Eccli.* 36. Da mercedem Domine ſuſtinentibus te: vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Et illud *Pſalm.* 50. Iuſtificeris Domine in ſermonibus tuis. *Daniel.* 9 Auertatur, obſecro, ita tua & furor tuus à ciuitate Ieruſalem. Et *ibidem.* Propter temetipſum inclina Deus aurem tuam, & audi:aperi oculos,& vide deſolationem noſtram. Sic enim Deum conteſtando ſæpe iſta vidua obſecrata eſt. *Tobiæ* 12. Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.

Seruiens nocte & die] Ecce continuitas. *Pſalm.* 41. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam & nocte canticum eius. Die enim ieiunabat & operibus inſiſtebat, & nocte orabat. Dicitur autem, Seruiens, propter omnium præceptorum Domini ſui obſeruantiam. *Pſalm.* 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Rom.* 1. Teſtis mihi eſt Deus cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filij eius. *Pſalm.* 118. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. *Pſalm.* 62. Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum: in matutinis memor fuit tui ſuper ſtratum meum:in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus. Et ſimiliter in die. *Pſalm.* 54. Veſpere, mane, & meridie narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.

Et hæc ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël.

Hic tangitur acceſſus ad prophetiam:& tangit tria: inſtinctum Spiritus ſancti, & confeſſionem Dei, & ædificationem proximi. Inſtinctum Spiritus ſancti tangit, quando dicit [Et hæc ipſa hora] quando Simeon in vlnas puerum accepit, per inſtinctum Spiritus ſancti [ſuperueniens] ad alios. Vnde Spiritu venit, non vocata: ſicut & Simeon. *Ezech.* 1. Vbi erat Spiritus impetus, illuc gradiebantur: neque reuertebantur cum ambularent [confitebatur Domino] Secundum eſt de confeſſione laudis & gratiarum actionis. *Pſalm.* 108. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum [loquebatur de illo] Ecce ædificatio proximi:quia de illo dicens prophetias loquebatur. 1. *Corinth.* 14. Qui æmulatores eſtis ſpirituum ad ædificationem Eccleſiæ, quærite vt abundetis. Et hoc eſt quod ſequitur [omnibus qui expectabant] per ſpem. *Luc.* 24. Nos ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſraël [redemptionem Ieruſalem] Ieruſalem nominat quia ipſa fuit metropolis:& ea redempta, tota terra redempta intelligitur de manu Herodis, per quem diabolus intelligitur ſecundum *Gloſſ.* *Act.* 12. Nunc ſcio vere quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. *Ierem.* 31. Redimet Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris.

Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth.

Concluſio eſt iſtius hiſtoriæ de Ipapanti Domini. Et attende, quod perfecto obſequio & teſtimonio, occulte redierunt in Nazareth, ordinantes de re familiari, & impenſas accipientes ſtatim fugerunt in Ægyptum, & non redierunt ante reuelationem Angeli. Et hoc tranſit *Lucas* quaſi non factum:quia à *Matthæo* ſecundum hiſtoriam & omnem circunſtantiam eius ſufficienter erat deſcriptum. Et hoc eſt [vt perfecerunt omnia] Opera enim ſacramentorum Dei perfecta ſunt. *Deut.* 32. Dei perfecta ſunt opera [ſecundum legem Domini] quæ omnium operum eſt menſura. Vnde *Ezech.* 40. Funiculus menſuræ erat in manu menſurantis templum & ædificia eius [reuerſi ſunt] occulte [in Galilæam] ad obſequium & curam rei familiaris. *Geneſ.* 30. Iuſtum eſt vt aliquando domui meæ prouideam [in ciuitatem ſuam Nazareth] ſemper florentes in diuinis, & in priuatis, & familiaribus. Sequitur.

Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo.

Peractis his quæ ad infantiam pertinebant ſacramentis, & miraculis, & teſtimoniis:agit *Lucas* de incremento pueri, & de his quæ ad incrementum pertinebant ex profectu ſapientiæ & obedientiæ. Et ideo continet hæc pars tres particulas, in quarum prima dicit profectum: in ſecunda oſtendit per quoddam ſpeciale factum: in tertia concludit ſic eſſe vt dictum eſt. Dicit autem in primo quatuor: corporis incrementum, ſpiritus confortationem, intellectus perfectionem, & gratiæ Dei plenitudinem. De primo dicit [Puer autem] Vocans iam puerum ab innocentiæ puritate: quia primæuam ætatem in omnis puritatis demonſtratione peregit. Vnde *Prouerb.* 3. Primi & puriſſimi fructus eius. Vnde dicit in *Pſalm.* 17. Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Significatur ideo per candelabrum quod erat ex auro puriſſimo *Exod.* 25. quia ipſe eſt candelabrum luminis, totum Eccleſiæ templum illuminans. Hic ergo puer [creſcebat] per incrementa corporis, in ſe per momenta ſingula capiens augmenta, & in ſuis per crementa ad virum perfectum accedens. *Epheſ.* 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. In ſuis autem creſcit incremento virtutis:in ſe autem incremento corporis, & peruenit ad quantitatem, in qua nihil natura errante addendum erat vel diminuendum. Ad hanc enim ſuam perfectionem reformabitur ſtatus reſurgentium:ſicut dicunt Sancti. 1. *Corinth* 13. Cum factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Sic ergo creuit corpore, demonſtrans vnicuique naturalem perfectionem. *Iſa.* 65. Non erit infans qui non impleat dies ſuos. Implere autem dies eſt ſecundum dies perduci ad incrementa.

Et confortabatur] Secundum eſt de ſpiritus confortatione, & hoc dicit *Gloſſ.* Attende autem quod in Chriſto duplex fuit & eſt ſpiritus; increatus, & creatus. Increatus quidem nunquam confortabatur: quia ab inſtanti conceptionis plenus in eo fuit. *Coloſſ.* 2. Omnis plenitudo diuinitatis habitauit in eo corporaliter. *Ioan* 1. Plenum gratia & veritate. Corporalis autem ſpiritus creatus eſt ſiue fuerit naturalis, ſiue vitalis, ſiue animalis: & ille confortabatur, & maximè ſecundum partem ſui quæ dicitur animalis. Confortabatur autem ad formas intellectuum apprehendendas, & apprehenſas

prehensas tenendas, & tentas diiudicandas, & diiudicatas memoriæ commendandas, & memoratas explanandas. Et sic intelligitur quod spiritu confortabatur. Et sic intelligitur *Isa*.8. Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, supple, non spiritu diuino, sed superdetrahentur spolia Damasci. Quidam tamen dicunt quod confortabatur spiritu: quia ad modum confortati se habuit. *Luc*. 22. Apparuit illi. Angelus Domini confortans eum. Sed sicut in corpore naturalia homini ostendit: ita etiam in spiritu humano ostendit naturalia. Et ille sic confortatur: vt dictum est.

Plenus sapientia] Ecce dicit de intellectus perfectione, secundum quem ab instanti conceptionis omni sapientia plenus fuit. Quia sicut dicit *Damascenus*, non assumpsit ignorantiam. Quia licet sit pœna: tamen detractibilis, & vituperabilis pœna est ignorantia, & nostræ redemptioni & saluti officiens. Et ideo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt in ipso absconditi *Coloss*.2. Et paulum ante. In omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitionem mysterij Dei Patris & Christi IESV. Tamen secundum experimentalem cognitionem, quæ ex sensibus oritur, Christus profecit: sed per hanc nihil accepit quod prius multo nobiliori modo non habuerit.

Et gratia Dei erat in illo] ab instanti conceptionis, & non per momenta singula crescens. *Ioan*.1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Tamen istā ostendebat per momenta plus & plus, & tunc proficere coram hominibus putabatur. Defectus enim gratiæ non est assumptus à Christo: quia etiam illa pœna vituperabilis est, & nostræ non expediens redemptioni Vnde quod diabolus per superbiam amisit, Filio Dei secundum veritatem conueniens fuit. *Ezech*.28. Plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. In sapientia tamen & gratia proficere dicitur quando suos proficere facit. 1. *Corinth*.3. Neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solenni Paschæ.

Hic est secundum historiæ huius, in quo continetur probatio præmissæ partis. Tanguntur autem hic duo: factum scilicet, vnde occasionatur demonstratio profectus, & plenitudinis sapientiæ & ipsa demonstratio. Factum autem tangitur cum dicitur [Ibant parentes eius] Præceptum erat autem *Exod*.23. & 34. quod tribus vicibus apparerent non manu vacua in loco quem elegisset Dominus: in Pascha videlicet, in Pentecoste, & Scenopegia: sed propter aliquam occasionem, in duobus festis aliqui excusari poterant, scilicet, in Pentecoste, & Scenopegia: sed in Pascha nullo modo nisi per infirmitatem, vel vrgentem viæ timorem, vel causam valde legitimam. Parentes autem Domini cum deuoti essent, excusationem præcipuè non prætendebant in Pascha. Et hoc est quod dicit.

Et ibant] latenter, vt dicit *Augustinus*, propter Archelai timorem post ab Ægypto reuersionem [parentes eius] pater putatiuus, & mater vera [per omnes annos] hoc est, singulos annos, religionis amatores [in Ierusalem] vbi erat locus quem elegit Dominus: vt cultus suus esset ibi. *Psalm*.121. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini: testimonium Israël ad confitendum nomini Domini [in die solenni] quia illud festum erat solennius aliis [Paschæ] id est, transitus: quando percussore transeunte per Ægyptum, filij Israël sunt liberati ab exterminatore. *Exod*.12. Et hæc est expositio literalis. Tamen generaliter verum est, quod parentes Christi de genere ipsius frequentant dies festos. Mater quidem in qua formatur in corde, & frater qui ex eodem Patre Deo per adoptionem natus est. *Matth*.12. Ecce mater mea, & fratres mei. Pater autem suus nullus est vere: quia nullus format eum & generat de sua substantia nisi Pater cælestis. Et nullus format in cordibus fidelium nisi Pater cælestis, qui est Deus Trinitas. *Matth* 6. Pater noster qui es in cælis. Vnde *Matth*.23. præcipit, quod patrem non vocemus nobis super terram, sicut nec magistrum: quia vnus est Pater noster & vnus Magister, qui in cælis est.

Dicuntur tamen aliquando patres, qui ad hoc per ministerium operantur vt formetur in cordibus fidelium. 1. *Corinth*.4. Nam & si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo IESV per Euangelium ego vos genui. Et sic consueuit dici quod septem sunt, quæ faciunt hominem dici patrem: ordo videlicet Sacerdotum. Sic Sacerdos dicitur pater. *Isa*.22. Erit quasi pater habitantibus Ierusalem. Beneficium ab aliquo collatum eo quod referuat eum in esse, cui collatum est. *Ierem*.31. Filius honorabilis mihi Ephraim puer delicatus. Et hoc est simile patri adoptiuo: sicut Dauid fuit pater Nathan. Senior etiam, & maxime imbuens secundum disciplinam: sicut Religiosi patrem vocant eum qui præest secundum Regulam: secundum quem modum dicitur *Prouerb*.2. Ausculta fili disciplinam patris tui. 1. *Timoth*.5. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, anus vt matres, iuuenculas vt sorores. Dicitur etiam pater doctrina imbuens. *Hebr*.12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Dicitur etiam pater secundum affectum, qui diligit vt pater. 2 *Machab*.6. Eleazarus pro affectu, pater Iudæorum appellabatur. Dicitur etiam pater principalis in genere, ad quem totius generis est respectus & denominatio. *Isa*.51. Attendite ad Abraham patrem vestrum. *Ioan*.8. Pater vester Abraham est. Dicitur vltimo pater imitatione. *Ioan*.8. Vos ex patre diabolo estis, & opera illius vultis perficere. Et *ibidem*. Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me: ego enim ex Deo processi & veni.

Præter istos modos quibus metaphoricè dicitur pater: dicitur pater proprie per creationem Deus. *Malach*.2. Nunquid non vnus pater omnium vestrum? Nonne vnus Deus qui creauit vos? Dicitur secundo pater, formans in similitudinem diuinam. *Ioan*.20. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Dicitur patet, generans secundum naturam, *Exod*.20. Honora patrem & matrem. Ioseph ergo pater dicitur cura, & beneficio quod impendit, & opinione vulgi. Et sic intelligitur quod [ibant parentes eius] &c. Quidam dixerunt quod parentes eius hic dicuntur non à

patio,

pario,ris:sed à pareo, es:quia paruerunt obsequiis Domini. Sed hoc nihil est,& non est de intellectu literæ.

Dicitur autem quod ibant [per omnes annos] non quærentes excusationem quam multi quærebant. Et in hoc notatur parentum ad cultum Dei, & ad locum deuotio. *Tob.*1. Cum irent omnes ad vitulos aureos quos fecerat Ieroboam rex Israël: hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat ad Ierusalem ad templum Domini: ibi adorabat Dominum Deum Israël. Vituli aurei sunt diuitiæ pomparum mundi ad lasciuiam pertinentes, quos facit princeps huius mundi, qui in Christo & in suis non habet quicquam. *Ioan.*14. Ipse enim & sui vadunt Ierusalem. Per omnes autem annos ibant in festis determinatis, vt superius dictum est [in Ierusalem] propter gloriam & solennitatem loci. *Isa.*60. Locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo [in die solenni Paschæ] hoc est, transitus: quando transiuit per Ægyptum, præclaras nationes in domibus Ægyptiorum interficiens, & domus Hebræorum liberans *Exod.*12. Hoc enim factum est in figura agni Christi, qui tollit peccata mundi, qui suo sanguine liberare promiserat fideles in eodem die. 1.*Cor.*5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Et in fide illa ascenderunt parentes Domini. Sic ergo dictum est, vnde sumpta est occasio veniendi ad solennem locum ex parte parentum.

Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer IESVS in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum in inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et IESVS proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.

Tangit in isto secundo paragrapho qualiter IESVS venit ad locum: & tangit qualiter venit, & qualiter per sapientiam remansit, & qualiter non inuentus, & quæsitus, & inuentus fuit, & qualiter sapientiam demonstrauit, & qualiter ab altitudine sapientiæ descendens iterum se humiliauit, & qualiter omnia hæc Mater Virgo sapienter illa in posterius tempus memoriæ commendauit & contulit. Et isti sunt istius historiæ paragraphi. Primo ergo dicit qualiter venit ad locum, & qualiter mansit in loco, donec sacramentum de ostensione sapientiæ perageret. Circa hoc tangit quatuor: ætatem, & comitatum, ascendendi rationem, & mansionem. De ætate dicit.

Cum factus esset IESVS annorum duodecim] quæ est ætas, secundi septennij complementum, in quo incipit pubertas & iuuenilis discretio, sedaria iam motibus instabilis humidi quod in pueritia dominatur, quod non permittit fortes esse apprehensiones: in quo tempore vt dicit *Chrysost.* nihil memoriale de se ostendit, volens per omnia, nostra in se demonstrare. Et ideo etiam liber de infantia Saluatoris ab Ecclesia non est receptus: quia narrat infantilia Dominum in infantia præostendisse, in quibus nostræ infantiæ similis non esset. 1.*Reg.*1. Puer erat adhuc infantulus. Conueniebat enim hoc, & propter nostræ infantiæ similitudinem, & propter Herodis & Archelai & aliorum insidias. *Apoc.*12. Draco stetit ante mulierem: vt cum pareret, puerum eius deuoraret. Expectauit ergo tempus pubertatis quando ætati congruum est ostendere quid futurum iam floreat in operibus & profectibus iuuenum: & tunc sapientiæ fecit demonstrationem. *Ioel.*2. Iuuenes vestri visiones videbunt: & hæ sunt visiones intellectuales. *Baruch.*3. Iuuenes viderunt lumen, & habitauerunt super terram. Secundum astra enim in duodecim annis completur primus circulus natiuitatis: non quod Saluator talibus subiacuerit, sed nos subiacemus, & nobis se similem demonstrauit. *Baruch* 3. Stellæ dederunt lucem in custodiis, & lætatæ sunt, & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit eas. Stellæ enim in custodiis, sunt stellæ in locis circuli natiuitatis, quæ lucent ad profectum nati secundum præceptum Dei. Et ideo perfecto vno circulo natiuitatis, stat ad circuli apprehensiones intellectus. Et tunc secundum naturam congruum fuit sapientiam demonstrare.

Ascendentibus illis] hoc est, parentibus. Et hic ponitur honestus suæ ascensionis comitatus: cum parentibus enim procedere iuuenem, commendabile est. Contumax enim est, qui consortia & monita declinat parentum. *Prouerb.*4. Ego filius fui patris mei tenellus & vnigenitus coram matre mea. Non sicut ille filius prodigus, qui accepta parte substantiæ patris, abiit in regionem longinquam: & ibi viuendo luxuriosè consumpsit substantiam *Luc.*15. *Psalm.*17. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris [Ierosolymam] locum religionis & studij. Illuc enim decet ire iuuenem secundum ordinationem parentum: sicut nobis formam dat Saluator. *Deut.*33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. Locus autem pedum est visio pacis & religionis Ierusalem sancta. *Psalm.*131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. *Eccli.*51. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. *Psalm.*41. Ingrediar in lo-

cum tabernaculi admitabilis vſque ad domum Dei [ſecundum conſuetudinem] ex lege habitam [diei feſti]Paſchæ. Ecce tatio motus. Non enim ſine ratione moueretur de loco ad locum diſcurtens: ſicut illi qui dicunt *Sapient.*2 Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtæ. Vbique re linquamus ſigna lætitiæ. Hic autem mouetur lege ſuadente,& die feſto inuitante.

Conſummatiſque diebus] Dies feſti conſummantur tribus; ſacrificiis, orationibus,& benedictione Sacerdotum. Sacrificiis: vnde *Exod.*22. Non apparebit in conſpectu meo vacuus. Quinimo ſecum detulit quilibet quod offerret:& vnde pauperibus & maxime Leuitis aſſumptis epularetur. Orationem autem ibi faciebant,& petitiones ſuas Deo offerebant. Et benedictiones reuertentes accipiebant. *Pſalm.*36.Circuibo & immolabo in tabernaculo eius: ecce primum. Hoſtiam vociferationis cantabo, & pſalmum dieam Domino: ecce ſecundum. 1.*Reg.*1. De Anna dicuntur hæc tria: immolauit enim, & comedit,& bibit coram Domino: orauit, & dedit ei Dominus petitioné ſuam: & Sacerdos benedixit ei dicens: Vade in pace. Et ſic receſſit. Et iſta erat conſummatio feſti. Dicit autem *Gloſſ.interlinearis*, quod conſummatis diebus octonis.Et hoc videtur contrarium ei quod dicitur *Deuter.*23. Septem diebus comedes abſque fermento. Et ad hoc dicendum, quod ſeptem dies erant ſolennes,quæ incipiebant luna 15. & terminabantur luna 21. Tamen,quia quartadecima luna ad veſperum immolabatur agnus: ideo numerata quartadecima die præcedenti feſtum, quod fuit paraſceue, hoc eſt, præparatio: fiunt dies octoni. Et hoc attendit *Gloſſ.* quod die decimaquarta ad veſperum, non inueniebatur fermentum in domibus eorum, qui feſtum celebrabant. *Exod* 12. Quintadecima tamen dies erat principale feſtum & alij ſex dies erant adiuncti propter feſti ſolennitatem. Hoc igitur eſt quod dicit[Conſummatiſque diebus]

Attende autem hic, quod ad feſta celebranda hic inuitamur per quatuor: Legis præcepto,præcepto pœna vallato,Legiſlatoris præmio,& tanto maiorum exemplo. Præcepto quidem *Exod.*20. Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Præcepto pœna vallato *Num.*15. vbi præcipitur lapidari qui in die ſabbati ligna collegit. Legiſlatoris præmio *Iſa* 56. Qui cuſtodierint ſabbata mea,& elegerint quæ volui,& tenuerint fœdus meum:dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Exemplum autem maiorum eſt hic. *Iſa.*58 Si auerteris à ſabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die ſancto meo: vocaberis ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum.

Sunt quidam qui hoc non faciunt, ſed feſtum euacuant: quidam etiam deturpant: quidam vero ad perniciem feſta determinant. Euacuant otioſi, luſibus & non laudibus diuinis intendentes. *Thren.*1. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius. Illi autem laudibus non intendunt, ſed ludis. *Thren.*1. Viæ Sion lugent: eo quod non ſint qui veniant ad ſolennitatem. Alij per obſcœna deturpant, potibus & eſcis & venereis intendentes. Nec veniunt ad feſtum niſi vt impudico oculo ibi iuuenculas inſpiciant, & videantur ab ipſis. *Iſa.*1. Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: Kalendas veſtras & feſtiuitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta. laboraui ſuſtinens. *Malach.*2. Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus feſtiuitatum veſtrarum. Hi autem ad perniciem determinant, qui homicidiis inuigilant in feſtis: ſicut 1.*Machab.*2. in die ſabbati perempti ſunt mille viri. *Matth.*14. Herodes in feſto ſuo decollari fecit Ioannem. Pharao in feſto ſuo ſuſpendi præcepit piſtorem ſuum *Geneſ.*41. *Amos* 5. Odi & proieci feſtiuitates veſtras. Non igitur ab his, ſed à Domino & parentibus eius religionis & celebritatis exempla ſumamus. Conſummatis autem rite omnibus.

Cum redirent] ad propria de operoſis domui propter neceſſitatem vitæ pertinentibus [remanſit puer IESVS]pulchritudine myſteriorum illectus. *Pſalm.*25. Domine dilexi decorem domus tuæ[in Ieruſalem] ciuitate ſanctificationis & gloriæ fidelium. *Iſa.*64. Domus ſanctificationis noſtræ & gloriæ noſtræ, vbi te laudauerunt patres noſtri. Ex omnibus enim his & huiuſmodi laudibus illectus,remanſit in Ieruſalem[& non cognouerunt parentes eius] non tamen de incuria circa iuuenem IESVM & negligentia reprehenduntur. *Zach.*12. Familiæ & familiæ ſeorſum,familiæ domus Dauid ſeorſim, & mulieres eorum ſeorſum. Ex quo accipitur, quod cum redirent,ſeorſum viri, & ſeorſum mulieres ibant. Ioſeph ergo cum viris ambulans, credebat eum eſſe in comitatu Matris & dominarum. Domina autem cum fœminis vadens ſeorſum, credebat eum eſſe cum Ioſeph putatiuo patre. Et ſic neutrius negligentia remanſit in Ieruſalem:ſed ex diſpenſatione ſapientiæ diuinæ, ſine cuius diſpenſatione nihil fecit penitus. Et hoc eſt quod ſequitur.

Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu] Pater quidem in comitatu dominarum: Mater autem in comitatu virorum [venerunt] ab Ieruſalem [iter diei]hoc eſt,dietæ vnius.In ſero autem cum deberent parare neceſſaria hoſpitio: Ioſeph prouidens neceſſaria,cognouit quod non erat cum Matre,cui prouidit de neceſſariis, & ſciuit quod non erat ſecum [& tunc] timentes [requirebant illum] in aliis familiis ſuæ ciuitatis[inter cognatos] ſanguine coniunctos [& notos]ex vicinitate loci vicinos, & non inuenerunt. Commendatur autem nobis ſollicitudo ad inquirendum IESVM, exemplo ſuo docens quærere. *Pſalm.*23. Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. *Iſa.*55. Quærite Dominum dum inueniri poteſt. Quærunt autem inter ſanguine coniunctus,& non inuenerunt: quia in vicinitate carnis & ſanguinis non eſt regnum Dei. *Ioan.*2. Quid mihi & tibi eſt mulier? *Ioan.*1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: ſed ex Deo nati ſunt [& notos]ſecundum temporalem notitiam,inter quos non inuenitur. *Iob* 19. Fratres mei elongauerunt à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. 2.*Corinth.*5. Nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem:& ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed iam nunc non nouimus. Fratres enim Chriſti ſunt Clerici: noti ſui,viri valde literati, & religioſi, inter quos non inuenitur ſed receſſit ab eis. *Iob* 19. Dereliquerunt me propinqui mei:& qui me nouerant,obliti ſunt *Pſ.*37. Qui me nouerunt, delonge ſteterunt.

Et

Et non inoenientes] *Cantic.3.* Quæsiui illum & oon inueni. *Iob* 28. Noo inuenitur in terra suauiter viuentium. *Baruch* 3. Viam sapientiæ non inuenerunt, ptopterea petierunt. Hæc autem causa est: qoia quæsierunt vbi nunquam fuit, neque est, neque erit. *Isa.*58. Me de die in diem quæruot, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Horum igitur figura sunt hic quærentes, qui casso labore quærunt in commodo carnis & sanguinis. Melioti aotem vsi consilio [regressi suot] secuoda die [io Ierusalem] scientes quod oon remansit post eos nisi decore domus Dei illectus. *Psalm.*83. Elegi magis esse abiectus in domo Dei, quam habitare in tabernaeulis peccatorum [requirentes] hoc est, iterum & iterum quærentes. *Psalm.*104. Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper. Sed quæ fuit causa tantæ solicitodinis in parentibus? Respondet *Gloss.* quod timuerunt qood illud quod Herodes tentaoit paruulo facere, hoc Archelaos faceret iam iuueni; & ideo per seipsos solicitè quæsierunt.

Et factum est post triduum] quia prima die recesserunt à Ierusalem, secunda redierunt, tertia iouenerunt: & ita post partem diei tertiæ inuenerunt. Et hoc vocatur per synecdochen post triduum [inuenerunt illum] *Cantic.3.* Paululum cum pertransissem eos, cogoatos & notos, inueni quem diligit anima mea, tenui illum, noo dimittam. Non quæsierunt autem nisi in Ierusalem, sapienti vsi consilio: quia scientes omnia miracula ipsius, & esse Filium Dei: sciuerunt quod non nisi io diuinis inueniretur; & ideo ad locum teɪopli recursum habuerunt. Et hoc est quod sequitur [in templo] Coltum enim Dei & contemplationem diligeotes, qui sunt parentes eius, inueneront eum in templo. Pastores qoi sunt Prælati curam habentes ouium, inuenetuot eum in præsepio pastorem ouium. Reges autem qui sunt boni actiui, inueniunt eum cum familia in domo. Et ita verificatur *Psalm.*33. quod inquirentes Dominum non deficient omni bono, quod quærunt in eo. Contemplantibus apparet vt veritas, prælatis vt vbertas, actiuis vt virtus.

Sedentem] vt quietom spiritum demonstraret. *Isa.*41. Iudicium Gentibus proferet, non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur foris vox eius. Quietè enim & modestè proposuit, & respondit: non cum elamore & contentione [io medio Doctorum] sedere non potuit, qui hoc per magnæ sapientiæ demonstrationem non euicit. *Eccli.*24. In medio populi sui gloriabitur. Semper enim est in medio, ad quod omoia extrema habent respectum. Natus in medio duum animalium iacens, nunc in medio Doctorum sedens, baptizandus in medio baptizandorum. *Ioan.*1. Medius vestrum stetit. Crucifixus in medio latronum *Luc.*23. Resurgens immortalis io medio Discipulorum *Ioan.*20. In primo, medium pabulum gratiæ offerens: in secundo, Verbum sapientiæ illuminans: in tertio, sacramenta consecrans: io quarto, redemptionem communicans: in quinto, statum immortalitatis offerens. Et in omnibus ostendens, quod extrema immensitate abiicit, & medium secundum temperantiæ mensuram diligit. Doctores autem dicuntur, qui ducendi & magistetij promeruerant auctoritatem. *Psalm.*106. Exaltent eum in ecclesia plebis, & io cathedris seniorum laudent eum [audientem illos] quia secundum disciplinam studij quam nobis commendat, prius est audire quam iotertogare. *Prouerb.*1. Audiens sapiens sapientior erit, & iotelligens gubernacula possidebit [& interrogantem eos] de auditis. *Deuter.*32. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: & maiores tuos, & dicent tibi. *Malach.*2. Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius. Sic ergo interrogauit, nobis formam discendi præbens. *Eccli.*32. Audi tacens simul & quæreos: & pro euidentia addetur bona gratia.

Attende quod quædam *Glossa*, & quidam expositores allegoricè & moraliter exponentes [triduum] post quod inuentus est IESVS, multipliciter ipsum exponunt. De triplici lege exponunt allegorice: quia Patriarchæ sub lege naturali quæsiuerunt, & non inuenerunt. *Rom.*2. huiusmodi legem non babentes, ipsi sibi sunt lex, scilicet, naturalis: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Secundo die, sub lege scripta quæsiuerunt Reges & Psophetæ, & non inuenerunt. De bac lege *Eccli.*24. Legem mandauit nobis Moyses in præceptis iustitiatum. De Regibus & Prophetis *Luc.*10. Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & noo viderunt: & audite quæ auditis, & non audierunt. In tertio die in lege Christi, consecuta est gentilitas in lege Christi Dominum IESVM. *Roman.*11. Quod quærebat Israël non est consecutus: electio autem consecuta est. De lege autem Christi *Roman.* 8. Spiritus eoim lex vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.

Est etiam triduum pœnitentiæ: compunctio cordis, confessio oris, & satisfactio operis, in quo perfectè inuenitur IESVS. *Exod.*3. Ibimus viam triom dierum in solitudine ad sacrificandum Deo nostro. Et triduum contemplationis, visio sensibilis, visio imaginatiua, & visio intellectualis, & ibi inuenitur. *Genes.*22. Die tertia Abraham eleuans oculos, vidit locum procul. Et hoc est tertium cælum in quod raptus est *Paulus* 2. *Corinth.*12. Audiens ergo & interrogans, demonstrat sapientiam diuinam illi tempori congruam. Vnde *Hieron. in proœmio galeato.* Saluator cum esset duodecim annorum, in medio Doctorum sedens, magis docet dum prudenter interrogat. Ex hoc autem seqoitur admiratio audientium. Et boc est.

Stupebant autem omnes] Stupor est systoles cordis in magno & arduo apparente: ita quod cor quasi fit insensibile, dum nec modum nec causam valet agnoscere. *Isa.*52. Obstupuerunt super eum multi. Et *ibidem.* Super eum continebunt reges os suum. *Iob* 29. Qui me audiebant expectabant sententiam meam, & intenti tacebant ad consilium meum [super prudentia] Prudentia hic generaliter sumitur, quasi prodentia quæ quasi liber prodit occulta. *Iob* 18. Trahitur autem sapientia de occultis. *Prouerb* 7. Dixi sapientiæ, soror mea es: & prudentiam vocaui amicam meam. Et hæc fuit prudentia in iudicio auditorum [& responsis eius] quibus respondit ad proposita. Vicit enim omnes, ita quod etiam ausi non erant interrogare. *Matth.*22. Nec ausus fuit quisquam eum ex illa die interrogare. *Ioan* 2. Non erat ei opus, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim nouit quid esset in homine [Et videntes].

dentes] hæc parentes:& alij quicunque [admitati sũnt] *Matth.*7. Cum consummasset IESVS verba hæc, admiratæ sunt turbæ super doctrina eius. Erat enim docens sicut potestatem habens. *Ioan.* 16. Nunc scimus quia scis omnia:& non opus est tibi, vt quis te interroget.

Et dicit Mater eius ad illum] sicut ea quæ magis sciuit mysteria, & sicut illa, quæ vera mater fuit [dixit] vt prouocaret eum aperite mysteria, non vt arguens de sui subductione. Hoc autem non fecit Ioseph propter verecundiam & reuerentiam. Secum enim bene agi reputabat, si obsequi tacens posset tantæ sanctitati Matris & Filij. Simile etiam *Ioan.* 2. vbi loquebatur, dicens: Vinum non habent: vt prouocaret eum ad suæ gloriæ ostensionem: vt ex hoc fides confortaretur in Discipulis. Duo autem dicit, in quorum primo, petit de causa huius facti illuminati, dicens [Fili] vnice cordis mei [quid] *Prouerb.* 31. Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? [fecisti nobis sic?] Aperi causam. *Iob* 5. Nihil in terra sine causa fit. *Sapient,* 14. Vt non sint vacua sapientiæ tuæ opera, hoc est, absque causa facta. Non enim sine magna causa fecisti: propter quod [ego & pater tuus dolentes] de absentia [quærebamus te] *Tob.*10. Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis. Aperi ergo tanti facti causam, & tuam in hoc demonstra sapientiam: vt iudicantium te corda quiescant, & vincas cum iudicaris, parentes ita non debuisse te dimittere.

Et ait ad illos] Nunquã negans deuotis illuminationem. *Eccli.*24. Illuminabo omnes sperantes in Domino [Quid est quod me quærebatis?] Quasi di. Non erat necessarium me quærere, quia scire poteratis me in meis inueniri. Non enim per diuersa discurro, qui domum Patris determinatam & dedicatam habeo. *Ioan.*1. Rabbi, vbi habitas? & respondit? Venite & videte. Vbi opportunum est me esse, me manere, scire debueratis. Et hoc est quod sequitur [Nesciebatis quia in his] domo sine templo, & negotiis [quæ Patris mei sunt] veri, substantialis & æterni, cui plus debeo quam vobis [oportet] hoc est, opportunum est [me esse] Et in hoc ostendit, quid secundum Deitatem debeat Patri. *Isa.*56. Domus mea domus orationis est. Vnde & *Matth.* 21. expulit ementes & vendentes idem allegans testimonium & arguens sacerdotes, quòd domum suam fecissent speluncam latronum. *Ioan.* 17. Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Templum igitur est, quod dicit esse suum & Patris: & declaratio veritatis est, id quod dicit esse negotium Patris: & hanc in templo & in festo fieri fuit opportunum. Et ideo [in his] se oportuisse mansisse. Et secundum *Ambros.* Hic didicit Mater, quid maiestatis ab eo peteret tempore vitilis ætatis, quo gloria maiestatis fuit ostendenda, quando mutaturus esset aquam in vinum.

Commendãtur autem hic parentes de quattuor: de dolore amissionis, de solicitudine quærendi, de discretione & solertia inueniendi, & de gaudiu inuenti. De dolore amissionis, quia malum & amarum est perdere Dominum. *Ierem.* 2. Scias quod malum & amarum est reliquisse te Dominum. Malum quidem, quia est summi boni, quod omnium bonorum bonum est, priuatio. Amarum autem, quia ipse affectus nostri dulcedo est. *Eccli.* 24. Spiritus meus super mel dulcis. De solicitudine quærendi *Cantic.* 3. Surgam & circuibo ciuitatem: quæram quem diligit anima mea. *Sap.* 1. In simplicitate cordis quærite illum. *Psalm.* 104. Lætetur cor quærentium Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. De solertia inueniendi: quia quærunt vbi conuenit eum esse. Vnde sponsa in *Cantic.*1. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Indicat sibi loca in quibus habitat, & vbi pascit pabulo verbi, sicut fecit in templo: & vbi cubat in contemplationis secreto cum sapientia in meridie plenæ lucis, cuius fulgores hic ostendit perfectissime in feruore charitatis. *Eccli.* 43. In meridiano exurit terram, & suis radiis refulgens obcæcat oculos. Qui alibi quærunt, non inueniunt. De gaudio inuenti *Ioan.* 20. Gauisi sunt Discipuli viso Domino. *Tob.*11. Venerunt consobrini gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa eum ostenderat Dominus. *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis, & post fletũ & lacrymationem, exultationem & gaudium infundis. Sequitur.

Et ipsi non intellexerunt verbum] Intellexerunt quidem eum esse Verbum & sapientiam Patris: sed quod iam tunc in tali ætate ostensurus esset, non intellexerunt. 1. *Corinth.*1. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. *Psalm.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam [quod locutus est ad illos] Ore enim diuino loquebatur: & ideo non nisi in Spiritu diuino intelligebatur. *Iob* 26. Cum vix paruã stillam sermonis eius audierimus; tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? Si igitur Maria & Ioseph Spiritu Dei pleni, sermones pueri non intelligunt: quis est qui sermones iam perfecti ad plenum dicat intelligere? Et ideo dictum est *Exod.*12. Siquid residuum fuerit, igne comburetis. Ostensa autem maiestate in responsis sapientiæ, quia hoc debuit Patri: statim secundum infirmitatem assumptam, nobis præbens exemplum, ostendit quid debeat Matri. Vnde sequitur.

Et descendit cum illis] Congruè verbo descendendi vtitur, & propter situm loci, & propter humilitatem: à maiestate descendit cum parentibus, humilis sub ipsis, recordatus præcepti sui *Exod.* 20. Honora patrem & matrem. Præpositio autem, cum illis, notat subiectionem, quia principalitas notatur in re ablatiui [Et venit in Nazareth] semper florentem diligens patriam, qui flos erat egressus de radice Iesse *Isa.*11. Et vt perfectam demonstraret humilitatem & obedientiam, subdit [Et erat subditus illis] *Beatus Bernard.* Quis, quibus? Deus hominibus, maior minoribus: vt nos etiam minoribus subdi doceret. *Psalm.*65. Imposuisti homines super capita nostra. *Hebr.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis.

Et Mater eius Maria conseruabat] in armario pectoris & memoriæ [omnia verba hæc] non simpliciter omnia. *Ioan. vltim.* Nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros [conferens in corde suo] nobis in hoc meditandi & conferendi sermones Dei exemplum relinquens. *Psalm.* 118. Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. Ipsa autem fuit, cui datum est nosse mysterium regni Dei *Matth.*13. Hoc autem fecit, vt congruo tempore de his sciret Prædicatores &

Euange

Euaogelistas instruere. *Jerem.* 5. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore semiois tui, amodo & vsque in sempiterorum.

Et Iesvs proficiebat] Erce conclusio ex omnibus his, quam etiam supra ante hanc histotiam præmisit probandam. Hic autem quasi conclodendo infert probatam. Dicit autem quòd [proficiebat ætate] per incrementum debitum corporis, & virtutis corporalis. Et hoc congruè; quia cum in vnoquoque genere sit vnum, quod est mensura aliorum, & ad cuius accessum alia participant naturam illam: conoenit in genere hominum hanc esse mensuram in Dei Filio: & ideo nullo impedimento naturæ (sicut in aliis contingit) ad debitum quantitatis & virtutis profecit: ita qood *Ephes.* 4. dicitur: quòd omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et ideo dicit, quòd profecit ætate [sapientia & gratia] Et de hoc dicit quædam *Gloss.* Sicut est carnis ætate proficere: sic est rationalis animæ sapientia & gratia proficere: non quod hoc eguerit susceptor Deus, præsertim cum supra plenus fuisse sapientia describitur: sed quia hoc pro remedio nostræ salutis suscipere elegit: vt cum caro & anima rationalis suscipitur à Deo, vtrumque saluaretur pariter. Ex hac *Gloss.* expresè habetur, quod profecit sapientia & gratia, vt veram animam humanam se accepisse demonstraret. Contra istam Glossam est *Glossa Hieronymi* obiiciens: afferens hoc quod habetur *Eccle.* 2. Vbi nos habemus, Sapientia perseuerauit mecum, habet alia translatio: Sapientia mea stetit mihi. Et dicit *Hieronymus*, quod non stetit sibi sapientia sua, cui per momenta singula accedit profectus in sapientia. Soluit autem adhuc tertia *Glossa*: quæ dicit, quod iuxta hominis naturam proficiebat sapientia: non quod esset sapientior ex tempore; sed quòd plus & plus ostendit sapientiæ & gratiæ. Et ideo profectum sapientiæ non ponit in eo Euangelista, sed in Deo profectum gloriæ & laudis, quæ accreuerunt in ore hominum, & in hominibus per profectum virtutis. Et ideò non simpliciter dicit, quod profecit sapientia: sed coram Deo per laudem, & coram hominibus per ædificationem. De hoc autem iam in præcedentibus satis dictum est, quod per experimentalem cognitionem habuit, vt dicit *prima Glossa.* Quia hoc est de proprietate animæ rationalis. Sed ex illa nec artem nec scientiam fecit, quia non indiguit: cum ex plenitudine Deitatis, quæ corporaliter in eo habitauit, scientiam & sapientiam stantes sibi, & gratiam nobilissimo modo habuit. Et quod nobilissimo modo habetur, superuacuum est ignobiliori modo per profectum acquirere. Et ita intelliguntur aliæ *Glossæ.*

CAPVT III.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha.



Missis his decem & octo annis, venit hic *Lucas* ad trigesimum annum Saluatoris: quia illa ætas apta est auctoritati docentis. Vnde & Dauid trigesimo ætatis suæ, regni suscepit gubernacula. 2. *Reg.* 5. Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset. Similiter autem & Ezechiel in hac ætate exorsus est prophetare. *Ezech.* 1. Et factum est in trigesimo anno &c. In hac enim ætate cessat incrementum corporis, & quiescunt passiones cordis residente complexione, ætas robusta & valida est ad implendum id, quod sermo doctrinæ præcipit. Et ideo infantilia & iuuenilia facta transiuit. Quæ licet bona fuerunt in Domino & Præcursore: tamen ne formam daret iuuenibus & pueris docendi, & magna attentandi, omnia hæc transit. 1. *Corinth.* 13. Cum factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Sicut autem in præcedentibus descripsit Christi generationem, & gratia ipsius induxit Præcursoris generationem: ita nunc regenerationem describit Redemptoris, & sicut inductiuom præmittit baptismum Ioannis. Et ideo habet partes duas, sicut patet ex dictis. De baptismo autem Ioannis scribens, facit tria. Determinat enim tempus, doctrinam, & Ioannis finem per incarcerationem; quæ per ordinem continentur in litera. Tempus autem determinat sicut dicit *Greg.* à principibus reipublicæ, & à pontificibus. Principes etiam reipublicæ commemorans, determinat monarcham omnibus imperantem, tetrarchas Iudææ, & præsidem loco vnius tetrarchæ regentem. De monarcha quidem dicit.

Anno autem quintodecimo] Sicut modo consuetum est, quod Papæ scribunt in datis literarum publicarum annum pontificatus sui: ita tunc scripserunt Imperatores, & adhuc scribunt. Et iste annus fuit quintusdecimus imperij [Tiberij Cæsaris] qui Augusto, sub quo natus est Dominus, in imperio successit. Statim autem fecit mentionem de præside, dicens [procurante Pontio Pilato] quia ex hæreditate non habuit; sed tantum ex parte Imperatoris ibi rempublicam procurauit ad tempus, vt Imperator voluit. Dicuntur ante istum alij quatuor præsides Iudæam post amotum regem ante Pilatum procurasse. Primus scilicet, Pompinius (aliàs Pompeius) secundus Marcus,

tertius

tertius Atrieus rufus, quartus Nallus, cui quintus successit Pilatus, vocatus Pontius ab euentu: quia deuicit Pontum insulam, & Romano eam subiecit imperio. Dicitur autem hic [Iudæam] Et hic strictè dicta est Iudæa, vbi sors duarum tribuum: quod primo regnum Iudææ dicebatur: quia alij adhuc obtinebant tres partes regni duodecim tribuum, sicut statim patebit.

Tetrarcha] Attende, quod Herodes Ascalonita, sub quo natus est Dominus, totum regnum Iudæorum & Idumæorum obtinuerat: & regnauit in eo 37. annis. Habuit autem quatuor vxores, primam Dosidem, ex qua genuit filium quemdam Antipatrem: quem propter hoc, quod insurrexit in patrem in libidine dominandi, adhuc viuens interfecit. Secundam habuit Mariannem, ex qua genuit duos filios, scilicet, Alexandrum & Aristobolum, quos pro simili ambitione ambos occidit adhuc viuens. Et tertiam habuit quandam Macbariam nomine, ex qua genuit Archelaum. Quidam tamen dicut Archelaum filium fuisse Mariannes, sed hunc remansisse viuum, fratribus suis interfectis. Quartam habuit vxorem Cleopatram, ex qua genuit duos filios, Herodem Antipam, & Philippum. Mortuo autem Herode, filij coram Imperatore litigabant de successione in regnum. Archelaus enim dixit sibi deberi regnum, & propter ætatem, & propter secundum testamentum quod condiderat pater, io quo scripsit eum debere succedere. Herodes autem Antipas econtra dicebat testamentum à patre fuisse conditum, cum non esset mentis compos; & ideo sibi deberi voto primæ scripturæ, in quo scripserat pater eum debere succedere. Imperator autem more Romanorum, illis litigantibus regnum ad se traxit, & in quatuor principatus totum regnum diuisit. Et horum duos dedit Archelao, scilicet, Iudæam & Idumæam. Tertium autem Galilæam dedit Herodi Antipæ. Quartum vero, scilicet, Ituræam & Trachonitidem dedit Philippo. Quod igitur dicitur Archelaus regnare in Iudæa pro Herode patre suo *Matth.* 2. intelligendum quod hoc erat in lite, quando sua præsumptione regnauit: & non quod quietè totum regnum patris habuit: sed se tempore litis regem scripsit. Archelaus autem propter tyrannidem, quam exercuit post nonum annum sui regni, à regno per Imperatorem est amotus, & in exilium Lugdunum damnatus, & ibi mortuus. Et tunc præsides sunt instituti, quorum Pontius Pilatus (vt dictum est) fuit quintus. Et hoc quod Archelaus est amotus factum est 49. anno Augusti. Saluator enim natus est 42. anno regni eius: & delatus in Ægyptum, septem annis mansit occultè ibidem: post quos annos statim Archelaus damnatus est: & sic nouem annis regnauit. Dicit tamen *Beda in Glossa* hic, quod decem annis regnauit. Sed hoc est intelligendum, quod de decimo partem regnauit, sed non compleuit: & ideo literis suis non nisi nouem inscripsit. Hoc est igitur quod dicit.

Procurante Pontio Pilato Iudæam] amoto iam Archelao, & aliis præsidibus romanis [Tetrarcha autem] hoc est, in quarta parte principante [Galilææ] quæ fuit vna tetrarchiarum [Herode] Antipa & magni Herodis Ascalonitæ filio [Philippo autem] alio Herodis filio [fratre eius] Herodis Antipæ: cui idem Herodes vxorem abstulit Herodiadem [tetrarcha] in quarta principante [Ituræ & Trachonitidis regionis] quæ duæ prouinciæ simul iunctæ valebant vnam quartam. Et [Lysania] Istum Lysaniam, dicit etiam *Beda*, antiqui Herodis fuisse filium, quod quidem probabilius est: quia aliter cum filiis Herodis tetrarchiam in hæreditatem non accepisset. Tamen & Iosephus narrat hunc fuisse filium cuiusdam Ptolomæi de Libano, ex quadam Alexandra sorore Antigoni, filij Aristoboli cuiusdam, qui fuit filius cuiusdam Alexandri, filij cuiusdam Ioannis. Sed potest esse, quod fuerant duo Lysaniæ vnius nominis: vnus, de quo dicit *Beda*, filius Herodis: alter de quo narrat Iosephus. Et quocunque modo sit, nulla est vis penitus [Abilinæ] hoc est, prouinciæ sic vocatæ. Hæc autem diuisio à Deo fieri permissa est, vt sciretur, quòd Iudæa desolanda erat, quæ tot principibus diuisa subiacebat. *Math.* 12. Omne regnum in se diuisum desolabitur: & domus supra domum cadet. *Prouerb.* 28. Propter peccata populi, multi principes eius. 1. *Machab.* 1. Imposuerunt sibi omnes diademata, & multiplicata sunt mala super terram.

Sub principibus] & cæteris aliis 24 exclusis, isti soli ab Imperatore emerant sacerdotium, & vnus erat socer alterius: & aliquando vnus, & aliquando ambo tenebant: ita quod vnus vno anno, & alter sequenti principarerūt: & pecunia donum Dei possederunt: & ideo facti sunt in perditionem *Act.* 8. [sacerdotum] qui summum emerant sacerdotium [Anna & Caipha] sibi mutuo per matrimonium copulatis: & ideo vacabat de iure sacerdotium; sicut & regnum, in signum quod Christus Rex & Sacerdos, vtrumque repararet. *Hebr.* 7. Hic Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi. Et post modicum: Assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in æternum. *Psalm.* Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Illo ergo tempore, cum filij Israel essent sicut oues errantes, non habentes pastorem: congruum fuit vt prædicatio Ioannis inciperet, qui eos ad verum dirigeret pastorem. 1. *Petr.* 2. Eratis enim quasi oues errantes: sed cōuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Huius autem pastoris Ioannes fuit quasi opilio. Sic ergo dictum sit de tempore, quo prædicandi Ioannes sumpsit officium. Sequitur.

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.

Hic duo ponit *Lucas*: auctoritatem scilicet prædicandi, & doctrinam prædicationis. Auctoritatem autem ponit in duobus: in missione scilicet, & Scripturæ testimonio Per missionem datur auctoritas Ioanni. Per Scripturam auctoritas confertur his quæ dixit. Circa primum horum duo sunt: iussio superioris mittentis, & obedientia inferioris obtemperantis. In iussione sunt tria: iussio, & ad quem iussio facta est, & vbi. Quatuor autem sunt in iussione: quorum primum est modus prædicandi verbi: secundum, verbum prædicatum: tertium, auctoritas iniungentis: & quartum, ipsius prædicationis sublimitas. De primo dicit.

Factum est] Vt ostendat instructiones fidei & morum plus esse in facto quam in dicto. Omnes

enim

enim practicæ scientiæ, hoc est, operatiuæ, stant ad opus confirmatæ: vt dicitur *in.* 1. *de anima.* Tales enim sermones non fiunt cõtemplandi gratia vt sciamos, sed vt boni fiamus: vt dicitur *in.* 1. *Eth.* Et ideo Prædicator Gentium futurus *Paul.* perficitur ad facere. *Act.* 9. Dicetur tibi quid te oporteat facere. *Iacob.* 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos. Factum enim in talibus, confirmatio est dicendorum. Cum autem tria exigantur ad bene viuere, scire, velle & perseueranter operari: dicit Philosophus, quod scire parum aut nihil confert: velle autem & operari multum conferunt. Congruus igitur ordo est facto incipere. Vnde *Sapient.* 1. Erat in desertis agens, vsque ad diem ostensionis suæ ad Israël. Ecce verus modus diuina docendi & persuadendi. Sequitur.

Verbum] hoc est, notitia prædicata. Dicit enim *Augustinus in li.* 9. *de Trinitate.* Verbum quod insinuare intendimus, cum amore notitia est. Id ergo quod prædicare debemus, notitia Dei est cum amore Spiritus, qui ex Verbo procedit. Hoc enim est Verbum Dei, à quo semper procedit Spiritus. *Psalm.* 118. Ignitum eloquium tuum vehementer. *Psalm.* 11. Purgatum septuplum. Hoc enim Verbum, est veritatis, sanctificationis, & Spiritus plenitudinis. Et de veritate simul & sanctificatione *Ioan.* 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Quod etiam diffundat Spiritum *Act.* 10. Loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus super omnes qui audiebant verbum. Vnde etiam de Ioanne *Supra* 1. dicitur, quod confortabatur Spiritu; quia Spiritus lingua est istius Verbi. Vnde igneis linguis apparuit super Discipulos *Act.* 2. Hoc est igitur verbum [Domini] Ecce auctoritas. Dominus enim misit eum ad prædicandum; & aliter non prædicaret. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? *Ioan.* 3. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. *Infra* 10. Ite, ecce ego mitto vos. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos. Hoc igitur est verbum Domini, quod proponitur mittente Domino, penes quem est auctoritas missionis. Sequitur de sublimitate verbi. Et hoc notat cum dicit.

Super Ioannem] Licet enim sensus sit [super Ioannem] hoc est, ad Ioannem, tamen præpositio notat sublimitatem: quia hoc est verbum, quod est super Ioannem, quod est de cælo descendens à regalibus sedibus, quod in cor hominis non ascendit, sed cor ascendit ad verbum: ad quod percipiendum, *Paulus* raptus est in tertium cælum 2. *Cor.* 12. quod Petrus vidit in superioribus domus *Act.* 10. quod *Ioannis* 1. in principio apud Deum dicitur intellectuale super sensum & imaginationem, *Apostolo Paulo* perceptum in superiori parte animæ intellectus, suprema parte *Petro* reuelatum, ab æterno apud Patrem à *Ioanne* præuisum. Super ergo est, & non iuxta, vel infra. Vnde cum sublime sit: pannis vilibus à matre in præsepio est positum: quia rudibus & vulgaribus vocibus, & non lepidis orationibus, est à Prædicatoribus expressum: & hominibus rudibus, à pecoribus parum distantibus, in pabulum propositum. 1. *Corinth.* 2. Non veni ad vos in sublimitate sermonis, aut scientiæ, annuntians vobis testimonium Christi: sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus. Sic igitur est super.

Ioannem] Tangitur qualis debet esse, ad quem fit sermo Domini, scilicet, eum in quo est gratia [Ioannem] Vnde egregius Prædicator Gentium dicit *Corinth.* 15. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia Dei in me vacua non fuit [filium Zachariæ] magis imitatione quam carne. *Isa.* 43. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, transgressionis, absynthij & fellis. *Psalm.* 76. Memor fui Dei & delectatus sum.

In deserto] Ecce vbi factum est verbum super eum: quia in deserto, vbi degebat Ioannes, longe à mundi habitatione, ne leui saltem maculare vitam famine posset. Hoc est desertum, de quo dicitur *Marc.* 6. Venite in desertum seorsum, & requiescite pusillum à strepito mundi. Ad huius deserti interiora Moyses gregem minauit, & visionem magnam vidit *Exod.* 3. In hoc deserto Discipuli quieuerunt, vt iam dictum est. In hoc deserto Elias Deum per secutus inuenit. Interiora huius deserti, sunt intellectus stantis contemplationis ab omni strepitu mundi liberæ, vbi Deus videtur. Et ibi est quies Discipulorum Domini in disciplinis doctrinæ ipsius: vbi Deus inuenitur cosolans tribulatos 3. *Reg.* 17.

Si autem quæritur, Quale verbum sit illud? Dicit *Glossa*, quod hoc est verbum: Vade, prædica baptismum. Vtrum autem hoc verbum fuerit eisdem syllabis prolatum, vel aliud? Constat quod illius sententiæ fuit: quia *Ioan.* 1. ipse Ioannes dicit: Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, ille est qui baptizat. Et quocunque modo sit: continetur in verbo auctoritas missionis. Sequitur de missi obedientia.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Tangit hic tria: locum prædicationis, rem prædicatam, & finem. Locum prædicationis [quia venit] à Domino missus [in omnem regionem] non simul, sed successiue: ad vnum prius, & ad alterum postea [Iordanis] *Ioan.* 3. Quia ibi erant aquæ multæ, vt haberetur aqua ad baptismum tot millium hominum. Tamen probabile erat, quod locus expressus sibi fuerit in voce iniungentis officium: quia ibi præcesserat figura baptismi, in transitu filiorum Israël per Iordanem *Iof.* 3. & in diuisione Iordanis per Eliam & Eliseum 4. *Reg.* 2. & per ablutionem Naamam Syri 4. *Reg.* 5. Et ideo istis de causis venit in regionem Iordanis Adhuc autem quia *Isa.* dixerat ibi primo esse prædicandum *Isa.* 9. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim: & in nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentium. Expressio ergo loci in sermone iniungentis obedientiam, Iordanis abundantia aquarum, figura baptismatis, in Prophetis similitudo curationis, prædictio prophetiæ, fecerunt eum venire ad loca illa.

Prædicans] Ecce actus prædicandi. Est autem prædicatio dicatio rerum diuinarum antequam fiant. *Ioel.* 2. Prædicate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes & sugentes vbera. *Marc. vltim.*

Prædicate Euangelium omni creaturæ [baptiſmum] Ecce res prædicata. Baptiſmus autem Ioannis, ſicut ſuper *Matth.* diximus, in nomine venturi dabatur: nec conferebat gratiam: ſed in conuenientia materiæ & actus, & vicinitate formæ, aſſuefecit ad baptiſmum Chriſti. Et qua non conferebat gratiam: ideo dicitur baptiſmus Ioannis: quia nihil fuit ibi, niſi operatio Ioannis. Cum autem Paulus, vel Petrus, vel alius Diſcipulus Chriſti baptizauit: dicitur baptiſmus Chriſti, non Pauli, vel Petri: quia ille conferebatur in forma inuocationis Trinitatis, & conferebat gratiam: quæ operatio Chriſti, non Pauli, vel Petri. De tali baptiſmo, quod figura eſt baptiſmatis Chriſti dicitur 1. *Corinth.* 10. Patres veſtri omnes ſub nube fuerunt: & omnes à Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari pœnitentiæ, hoc eſt, docens pœnitere antequam baptizentur: quia licet baptiſmus non exigat exteriorem planctum & lamentum; tamen exigit interiorem, quia aliter poneretur obex Spiritui ſancto. *Sap.* 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Vere enim Ioannes pœnitere docuit: ſed non cum effectu baptizauit. Et ideo ad baptiſmum Chriſti aſſuefecit

In remiſſionem peccatorum] Ecce finis pœnitentiæ. Baptiſmus enim ſuus, non in remiſſionem peccatorum fuit, ſed in baptiſmum Chriſti. Sed pœnitentia quam docuit, fuit in remiſſionem peccatorum: quia in iſta remittebantur per gratiam. *Matth.* 3. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Hæc autem pœnitentia eſt pœnæ tenentia: vt perſeueret homo in pœna pro peccatis aſſumpta. Tunc enim peccata ſoluuntur: quia pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium. Quid autem ſit hæc pœnitentia, & qualiter ſacramentum, & qualiter virtus, notatum eſt ſub compendio ſuper *Matth. cap.* 3. *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.

Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ. Vox clamantis, In deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.

Sicut ſcriptum eſt] Quod dictum eſt, non eſt ſcriptum in *Iſaia*, ſed quod ſequitur. Et ideo neceſſe eſt hoc ad ſequens referri. Et ideo incipit hic doctrina Ioannis: & habet duas particulas, in quarum prima ponit thema, ex quo extrahit doctrinam: & in ſecunda, ſecundum regulam præſcriptam docet, prædicans multitudini. Dicit ergo [Sicut ſcriptum eſt] Incipit Prædicator veritatis à Scriptura veritatis. Scriptura enim de libro vitæ in cor Sanctorum deſcendit: & de corde Sanctorum exemplata à libro vitæ, apicibus formata eſt in libris, ob vtilitatem poſteritatis, vt in memoria habeatur. De libro vitæ dicitur *Exod.* 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti. De libro, qui eſt intellectus Sanctorum exemplatus à libro vitæ, dicitur *Daniel.* 7. Libri aperti ſunt, hoc eſt, corda Sanctorum. De libris ſcriptis *Iſa* 8. Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis. In hoc ergo libro teſtimonia ſunt veritatis: quia aquæ ſalutaris doctrinæ egredientur de medio montium, legis ſcilicet, & Prophetarum. *Pſalm.* 103. Inter medium montium pertranſibunt aquæ [in libro] *Habac.* 2. Scribe viſum, & exara eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit [ſermonum] dicit, quia multiplex eſt prophetia, comminationis, conſolationis, prædeſtinationis, & aliquando hiſtorialis [Iſaiæ] de quo *Eccli.* 48. Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes Sion. Et ideo quæ ſpiritu magno vidit, vera fuerunt [Prophetæ] & ideo immobilis veritatis. *Supra* 1. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius. Propheta enim os Domini eſt. Et ideo, ſicut os Domini non mentitur; ita nec Propheta. *Deut.* 18. Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris; tanquam me audietis eum.

Vox clamantis] Ecce thema. Et dicit duo. Primò enim thema proponit. Secundo, ſecundum thema procedit ad doctrinam. In themate facit duo: in primo quorum ponit titulum: ſecundo autem, tractat id quod eſt intitulatum. Titulus eſt [Vox clamantis] Quaſi dicat. Hæc eſt vox clamantis. Et poteſt legi tranſitiuè, vel intranſitiuè. Tranſitiuè, tunc ad diuerſa pertinent vox, & clamantis: vt ſit ſenſus: Hæc eſt vox mea clamantis Dei de cælo. Quaſi dicat. Ego quidem ſum vox, ſed clamans in voce mea Dominus eſt de cælo. Et ſic per clamantis importatur auctoritas vocis. 2. *Corinth.* 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? *Cantic.* 2. Dilectus meus clamat ad me. Si autem legitur intranſitiuè, tunc eſt ſenſus [vox clamantis] hoc eſt, vox clamoris, hoc eſt, vox quæ eſt clamor. Et tunc clamor notat intenſionem deuotionis, & intenſionis in voce: quia non tam iſte clamor ſonat exterius quam interius. *Iſa.* 40. Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? *Iſa.* 58. Clama, ne ceſſes: annuntia populo meo peccata eorum. Dicitur autem Ioannes [vox] quia eſt vehiculum verbi. Verbi autem non poteſt eſſe vehiculum, niſi ſpiritu attracto, tento, & formato, & emiſſo ad alterum. Sic ergo Verbum increatum non fit, niſi Spiritu attracto. *Pſalm.* 118. Os meum aperui, & attraxi Spiritum. Oportet etiam quod teneatur attractus & confortetur. *Supra* 1. Puer autem creſcebat & confortabatur Spiritu. Oportet etiam quod formetur & articuletur: quia aliter verbi non habebit intentionem. *Sapient.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, hoc eſt, habet formatæ vocis intentionem & ſignificationem. Et tunc demum emittitur ad alterum, & ibi proferentis creat intellectum. *Pſalm.* 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Et de his quatuor dicitur in *Pſalm.* 67. quod dabit voci ſuæ vocem virtutis. Sic Deus maieſtatis in Ioanne intonuit ſuper aquas multas in prædicatione baptiſmatis. Subiungit autem quænam ſit hæc vox, dicens.

In deſerto parate viam Domini] Hoc autem quod dicit, in deſerto, non refertur ad hoc quod dicit in deſerto ſecundum literalem ſenſum: quia nec Ioannes clamauit in deſerto. *Ioan.* 1. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Neque etiam ſecundum literam, vox clamantium ad redeundum de Babylonica captiuitate facta eſt in deſerto, ſed in Babylone. Et præterea ſimilis modus loquendi in ſequentibus docet, quia hoc quod dicit [in deſerto] referen-

dum

dum est ad vias: quia sequitur *Isa.*40. Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

His ergo prælibatis, dicimus quod in themate isto tria præmittit, scilicet, quod parandæ sunt viæ & semitæ, & qualiter parandæ, & quis sit effectus præparationis. Et cum dicit, quod parandæ sunt viæ, dicit duo: vnum quod est necessarium ad salutem, quod pertinet ad omnes communiter: aliud autem quod est perfectionis, quod pertinet ad perfectos specialiter. De primo dicit tria: quod via est paranda, qua necessitate, & quanto studio. Quod paranda sit via, dicit.

Parate] hoc est, præparate [viam] hoc est, mandatorum obseruantiam. *Psalm.*33. Vias tuas Domine demonstra mihi. Præparatur autem hæc via per remotionem impedientium peccatorum. 1. *Reg.*7. Parate corda vestra Domino, & seruite illi soli. Præparatur etiam per confortationem ad currendum. Et hoc fit feruore deuotionis, & latitudine charitatis. *Psalm.* 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Præparatur etiam via, cum sternitur exemplis bonorum operum. *Matth.*21. Alij vestimenta sua prosternebant in via. Necessitas autem est, quia est in deserto quod inuium est: quia licet lex data fuerit, tamen gratiam non contulit; & ideo inuia remansit. *Psal.*61. Sicut in terra deserta inuia & inaquosa; sic in sancto apparui tibi. *Deuter.*32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Studium vero indicitur, quando dicitur [Domini] qui non ambulat nisi per vias decoras & pulchras. *Prouerb.*3 Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Propter hoc dicitur 1. *Reg.*21. Via hæc via polluta est: sed & ipsa sanctificabitur hodie in vasis, hoc est, in cordibus nostris. Sic ergo parantur viæ in deserto, vt Christo placeat ambulare per eas, & venire ad nos, sicut dictum est *Supra.* Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Sequitur hoc quod pertinet ad perfectos.

Rectas facite semitas] Et dicit in hoc duo, scilicet, quod rectificentur semitæ, & causam subiungit per hoc quod dicit [eius] Quia enim Dei sunt; ideo debent rectificari. Rectum autem, vt dicit *Plato*, breuissimum est inter duos terminos: ita consilium breuissimum inter Deum & hominem. *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & sequere me. Et similiter de aliis consiliis. *Isa.*26. Semita iusti recta est: rectus callis iusti ad ambulandum. *Ibidem.* In semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ. Causa autem indicitur; quia Dei sunt semitæ. Vnde petit *Psalmista Psalm.*16. Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea. Toto enim nisu satagendum est, vt pulchræ sint consiliorum semitæ: ne forte speciosus præ filiis hominum gressum ponens veniendo ad nos, retrahat polluta semita pedem, & tardet venire: lauit enim pedes suos, & quomodo inquinabit illos? *Cantic.*4.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.

Ecce docet qualiter viæ & semitæ sunt parandæ, ponens prauæ viæ quinque differentias, dicens valliculosa esse implenda, cum dicit [Omnis vallis implebitur] Valliculosum autem est suffossum ex timore male humiliante. *Psalm.*79 Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. *Isa.*24. Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ, hoc est, cordis suffossio per timorem in desperationem inclinantem, hoc est, implenda Dei misericordia, & promissis quod quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor *Ezech.*18. Hoc enim fecit in Dauid, in Manasse 2 *Paralip.*33. In Magdalena *Luc.*7. Et in aliis multis. Et tunc vallis impleta est & fouea. Vnde *Tob.*8. saluatis Tobia & Sara à dæmone, præcepit Raguel impleri fossas, quæ fossæ fuerant. Deinde tangit duas simul.

Et omnis mons & collis humiliabitur] Montuosa sunt eleuata per ambitionem dignitatum. Colliculosa sunt tumorosa per tumores iactantiarum, & inanium gloriarum. Et hæc sunt humilianda. *Zach.*4. Quis tu mons magne aduersus Zorobabel in planum? hoc est, in planum deduceris per humilitatem. *Luc.*14. Qui se exaltat, humiliabitur. De colle *Psalm* 41. Hermoniim à monte modico. Hermoniim interpretatur anathema: quia talis tumor cordis anathema est. *Iob* 15 Quid tumet contra Deum spiritus tuus? *Ezech.*28. Quo pulchrior es, descende. *Luc.*14. Recumbe in nouissimo loco. Quarta differentia est quod dicit.

Erunt praua] hoc est, distorta in moribus. Distortum enim nulli recto commensuratur, sed vndique in angulo pungens recedit. Ita distorti in moribus, bonis sunt infesti, & recedunt ab eorum similitudine & quiete: sicut spina quæ distorta est, & vndique acutis angulis secat manum tangentis. *Cantic.*.2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Hæc igitur erunt [in directa] hoc est, rectificata. *Psalm.*5. Dirige in conspectu tuo viam meam. *Osee* 12. In fortitudine sua directus est cum Angelo. Multum enim rectificatus est, qui ad Angeli rectitudinem se direxit.

Et aspera in vias planas] Quinta est differentia. Et sunt aspera, lapidibus inæqualiter portionatis, complantata, & scandalosa, & scopulosa; in quibus vndique pes euntis impingit. Et significant eos, quorum vita plena est scandalis, apertis scilicet peccatis. *Eccli.*21. Via impiorum complantata lapidibus est: nesciunt vbi corruunt. *Psalm.*139. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Hæc est plantanda, ad æqualitatem iustitiæ deducenda. *Luc.*1. Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Et videbit omnis caro] Ecce prædicationis finis, qui continetur in themate: quia hoc facto [omnis caro] hoc est, omnis homo. *Isa.*40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Dicitur autem caro homo; quia inter tot partes hominis, quæ actu sunt partes, nulla habet tantum de anima sicut caro, hæc est sensibilis & animata. Hæc igitur caro licet deformalis sit, videbit corporeis oculis. *Iob* 19. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Et in hoc innuit, quia Saluator Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: quia aliter corporeis oculis non videretur. Vnde sequitur. Et vidimus gloriam

eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Et hoc innuit quod dicit: salutare Dei. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium pupulorum. Et hoc modo distributio distribuit pro generibus singulorum, & non pro singulis generum. Videbit enim masculus & fœmina, nobilis & ignobilis, seruus & liber, diues & pauper, Iudæus & Gentilis, bonus & malus.

Glossa tamen quædã, hæc omnia exponit de secũdo aduentu. *Dicit enim Hieron. in libro de 15. signis præcedentibus diem iudicij*, quòd vnum illorum signorum erit, quod montes cadent in valles, & distorta erunt recta, & praua erunt plana: & tunc omnis homo, bonus & malus, videbit Christum in maiestate sua venientem. *Apoc.* 1. Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugeront. Sed boni videbunt eum in gloria Deitatis cum gaudio: mali autem in eo non videbunt nisi faciem serui, in qua crucifixus est. Et hoc est quod dicit *Isa.* 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei, hoc est, ne videat eum in forma gloriosa: quia illam nemo sine gaudio videre potest, vt dicit *Augustinus*. Hæc igitur est expositio thematis Ioannis.

Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?

Hic incipit ponere processum super thema inductum: habet autem duas partes, in prima quarum prædicat baptismum pœnitentiæ, docens pœnitere: in secunda autem, reddit testimonium Christo dirigens ad baptismum ipsius, in quo gratia remissionis inuenitur. Adhuc autem in prima duo facit: primo enim instruit generaliter turbas, & secundo specialiter instruit diuersas hominum differentias. In prima harum ponit quatuor paragraphos: malos enim & indeuotos acerrimè increpat: pœnitentibus viam pœnitendi parat: quærentibus excusationem, rationem excusationis amputat: & tandem sententiam condemnationis iam impendentem & imminentem significat. In primo horum paragraphorum (quia sermones secundum materiam inquirendi sunt) primò ostendit, quibus increpationes ponit: secundo ponit increpationem: & tertio iudicij cito imminentis comminationem. De primo dicit sic.

Dicebat autem ad turbas] Bene turbas, quia turbata multitudo fuit coram ipso: turbata quidem varietate cultus quia Gentiles, & Iudæi. Romani enim milites, Gentiles fuerunt, & alij Iudæi. Iudæi autem intra se turbati, diuersitate sectarum: sicut dicitur 1. *Mach.* 2. & *Act.* 23. Quidam fuerunt Pharisæi de sua falsa iustitia præsumentes: quidam Sadducæi, qui resurrectionem dicebant non esse: quidam Essæi, nec spiritum nec Angelum esse dicentes. In moribus etiam discrepabant: quidam Publicani existentes: & quidam peccatores: & quidam hypocritæ demonstrantes in vestimentis ouium, & intrinsecus erant lupi rapaces; potius ad tentandum & explorandum venientes, quam propter deuotionem. Quorum omnium, vt dicit *Glossa*, corda non spiritu suo, sed Spirito sancto vidit Ioannes. Omnes tamen veniebant propter stupendam vitam, quæ fuit in austeritate Ioannis: qui ignotus omnibus exiuit de deserto, nouæ gratiæ mediator & annuntiator: & ideo omnes currebant. *Isa.* 2. Fluent ad eum omnes gentes. *Isa.* 60. Ambulabunt Gentes in lumine tuo.

Quæ exibant] relinquentes domicilia propria, auiditate videndi tantum prodigium. Significat autem iste exitus exitum de amore sui & suorum, vt veniamus ad viam Christi, quam nuntiat prædicator veritatis & præco. *Genes.* 12. Egredere de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. *Psalm.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum. *Hebr* 13. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. *Apoc.* 18. Exite de ea populus meus, & ne participes sitis delictorum eius. Sic igitur exitue de mundo. Ad quid autem exibant, subiungit dicens.

Vt baptizarentur ab eo] baptismo, quo non exhibuit nisi officium exterius, assuefaciendo ad baptismum Christi. Tamen moraliter loquendo, volebant baptizari ad emendationem. Ad hoc enim excundum est, vt à Ioanne gratia Dei baptizemur. 1. *Corinth.* 10. Nolo vos ignorare fratres, quia patres vestri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt, & in nube, & in mari. *Act.* 3. Pœnitemini igitur, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini.

Genimina viperarum] Ecce increpatio durissima indeuotorum & non credentium. Vipera dicitur vi pariens, & est serpens ad pectus strictus, & inferius ad ventrem amplus: & ideo primo concipit ouum in stricto sub pectore, quod descendens ad latiorem aluum erumpit in animal: & tunc maturato animali parit testam pullum animalis, quod est serpens. Et ideo dicitur vi pariens, quod violentia quadam primo deprimit ouum; & postea enititur & testam, & animal. Quod autem quidam potius trufatores quam philosophi dicunt, quod in conceptu illius masculus ponat caput in os fœminæ, & fœmina concipiat ex capite masculi morso: & cum pariat fœmina, pulli mordendo lacerant vterum matris: & sic patet in conceptu, mater autem in partu moriatur: contra naturam est, & falsum: nec indiget Deus nostro mendacio, & pro illius mysteriis fingamus mendacia. Sed primus modus est verus, & à nobis in libris animalium explanatus. Isti ergo venenati venenatorum filij venerunt ad Ioannem Pharisæi, & Sadducæi. Et sic ideo vocantur *Isa.* 59. Oua aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum. *Isa.* 49. De radice colubri egredietur regulus: & semen eius obsorbens volucrem. *Psalm.* 57. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Ita enim venerunt ad Ioannem, non vt incantarentur, hoc est, conuerterentur ab ipso, sed vt inficerent credere volentes: & ideo sic increpantur. *Deut* 32 Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Sic ergo sunt genimina viperarum. Excusabant tamen hoc per hypocrisim, loquentes mendacium. *Matth.* 23. Si fuissemus in tempore patrum nostrorum, non essemus socij in sanguine Prophetarum. Et respondet eis Dominus, dicens: Itaque testimonio estis vobismetipsis, quod filij estis eorum qui Prophetas occiderunt: & vos implete mensuram

ram patrum vestrorum. Sequitur iudicij comminatio.

Quis ostendit vobis?] Q. di. Nullus ostendere potest: quia Pharisæi præsumentes de sua iustitia, iudicium futurum non timebant: & ideo non fugerunt. Sadducæi autem iudicium futurum non credebant: & ideo nec illi fugerunt. Istis autem duabus sectis, fere tota innitebatur Synagoga: & ideo non fugit, sed incidit in iudicium excisionis & destructionis totius patriæ, & perditionis loci. Quod Dominus describit *Matth.* 24. per totum. Et in hoc periculum præcipitauerunt eos Pharisæi & Sadducæi. Si enim cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt. Et hoc est quod dicit [Quis ostendit?] Nullus enim digitus adeo directus est, qui solem ostendere possit oculos non habenti [fugere] hoc est, ius subducere [à ventura ira] iudicij diuini, quam incurritis Christum per fidei deuotionem non suscipiendo: & temporaliter per Romanos, & æternaliter per condemnationem Dei. *Iob* 19. Fugite à facie gladij, & scitote iudicium. Dies autem iudicij dicitur dies iræ: quia tunc vt iratus Dominus condemnabit. *Isa.* 20. Ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam vestram? *Ioel.* 2. Dies enim magnus & terribilis valde; & quis sustinebit eum? *Isa.* 30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum. *Ambros.* tamen istud legit, non increpatiue, sic [Genimina viperarum] supple, estis; non tamen venenati. Et hoc commendabile, quod filius venenati non sit venenatus; sed sit serpens prudentia, non veneno. *Matth.* 10. Estote prudentes sicut serpentes, prouidendo iudicium imminens futurum. Et secundum hoc, loquitur deuotis qui fuerunt ante eum.

Quis vobis ostendit fugere à ventura ira?] supple, nisi ego, qui à Deo reuelationem accepi, vt vos ad Christum dirigam, qui serpens est non venenatus, sed morsus venenatorum curans. *Num.* 21. Fac serpentem æneum, & erige eum in palo: & qui aspexerit eum, viuet. *Ioan.* 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filiũ hominis: vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam Aspicite igitur ad ipsum, & curabimini à veneno patrum venenatorum. Hoc igitur est quod dicit secundum *Ambros.*

Attende autem, quod nullus effugiet iudicium futurum, nisi prius fugiat consortia venenatorum, & ipsa venena. Venenati sunt peccatores mundi. *Ierem.* 51. Fugite de terra Aquilonis, vt saluet vnusquisque animam suam. Venena autem sunt mundi tentationes per vanitates temporalium, per illecebras carnalium, per diuitias temporalium, per delectationes rememorationis peccatorum, per turpes circunstantias pessimorum actuum. Vanitates temporalium significantur per Laban, qui candidatio interpretatur: & fuit situs sublimis in illis, quem fugit Iacob luctator bonus *Genes.* 32. Illecebræ voluptatum carnalium significantur per lasciuam mulierem Putiphari, quam, fotas fugit Ioseph *Genes.* 39. Auerte faciem tuam à muliere compta. Diuitiæ autem temporalium à Domino contemptæ sunt, cum à diabolo ostenderentur, *Matth.* 4. & *Luc.* 4. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Et ideo *Ioan.* 6. cum quærerent vt constituerent eum regem, fugit in montem. Delectationes autem præteritarum culparum fugiendæ sunt, sicut dicitur *Isa.* 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum. Si enim accesseris ad ea, apprehendent te. Circunstantiæ etiam fugiendæ sunt, sicut dicitur *Genes.* 19. Non stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac. Sic ergo effugietis venturam iram. Sequitur.

Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.

Ecce demonstrat modum fugæ per pœnitentiam, dicens quatuor quæ ad pœnitentiam pertinent. Primum est opus satisfactionis, quod tangit cum dicit [Facite] pœnitentiam in opere, non in sermone. *Act.* 9. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum. Ad manus trahere prostratum, est trahere eum ad opera satisfactionis: & sic ingreditur ciuitatem, hoc est, ad communionem Sanctorum. *Prouerb. vltim.* Operata est consilio manuum suarum. Secundum est voluntarius & affectatus dolor, & afflictio pœnitentiæ assumptæ. Vnde *Augustinus.* Semper doleat, & de dolore gaudeat: ita quod quasi fruatur dolore, sicut prius fruebatur peccati delectatione. Et notatur hoc per [fructus] quia, vt dicit *August.* frui, est cum gaudio vti. *Cantic.* 2. Fructus eius dulcis gutturi meo. Et ideo dicitur dolor ille refectio *Psalm.* 79. Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis. Iste est panis subcinericius, refectio pœnitentiæ, & potus lacrymarum: in cuius fortitudine Elias fugit Iezabel, & fugit ad montem Dei 3. *Reg.* 19. Tertium est, quod sint digni. Et hoc notat cum dicit [dignos] Et hoc fit in confessione, in qua ponderantur afflictiones pœnitentiales, & proportionantur ad species peccatorum, & ad pondus eorum. *Deut.* 25. Secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus. *Gloss. Beda.* Non debet esse par fructus boni operis eius qui nihil vel minus peccauit, & eius qui grauiter vel multum cecidit. *Isa.* 27. In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabit eam. *Apoc.* 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date ei tormentum & luctum. *Rom.* 6. Sicut exhibuistis corpora vestra peccato; ita nunc exhibete vos Deo. *Baruch* 4. Sicut aue si fuerunt sensus vestri vt prouocaretis Deum, decies tantum conuertentes requiretis eum. Quartum est quod dicit [pœnitentiæ] hoc est, pœnæ tenentiæ. Et hoc notat perseuerantiam in cordis compunctione. *Ioel.* 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. *Psalm.* 50. Iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Exclusio est excusationis, & habet duo: exclusionem excusationis, & rationem exclusionis. Exclusionem excusationis dicit [Et ne cœperitis] Isti enim dicebant, quod propter hoc quod Synagoga radicata est in Patriarchis dilectissimis, non esset extirpanda,

extirpanda, nec ludicium commendationis immineret ei. *Psalm*.88. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, &c. visitabo in virga peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Huius auctoritate & similium, dicebant Synagogam nunquam fore extirpandam, tanquam in Abraham & Patriarchis radicatam. Contra hos dicit [Ne cœperitis dicere] Et dicit, cœperitis; quia quod incipit imperfectum est, & inceptio dicti, in cogitatu est. Quasi dicat. Ne cogiteris quidem, nedum quod perfectè dicatis [patrem habemus Abraham] Quasi dicat. In patre Abraham sumus radicati, nec euelli possumus. Dictum est enim Abrahæ *Genes*.15. Suspice cælum, & numera stellas si potes. Et subiunxit: Sic erit semen tuum. Et arguebant ex hoc sic, Sicut stellæ de cælo cadere non possunt: sic Synagoga non potest excidere de promissis patrum. Et hoc friuolum est, quia dicitur *Rom*.9. Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine. *Isa*.63. Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. *Osea* 2. Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam meam, dilectam meam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et hoc est quod dicit [Dico enim vobis] in veritate Spiritus, à quo reuelationem accepi. *Rom*.9. Veritatem dico in Christo I E S V, non mentior: testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto [quia potens est Deus] Ratio est & causa, qua excludit excusationem. Est autem notandum, quod in ripa Iordanis iacebant duodecim lapides silices, accepti de fluentis Iordanis, cum filij Israël transirent *Iosue* 4. Et hos demonstrabat, intelligens per eos Gentiles futuros credentes, dicens [quia potens est Deus] de potentia disposita per consilium sapientiæ æternæ. Potens est, inquam, salua veritate promissionis [suscitare] in populum suum. *Ier*.23. Suscitabo Dauid germen iustum [filios Abrahæ] qui filij sunt promissionis, non carnis. *Rom*.2. Non enim qui in manifesto Iudæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis, non litera sed spiritu, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Attende autem, quod lapides isti silices, vt dicit *Ambrosius*, sunt Gentiles: quia qui amisso sensu rationis, lapidibus putant inesse rationem alicuius diuinitatis: ipsi in natura lapidum, non naturæ vsu, sed mentis habitu, proprietate quadam similitudinis vtuntur. Lapidibus autem comparantur silicibus: quia illi lapides sunt deformes ad vsum, quia formari non possunt, ideo quod dolationem non sustinent. Hi sunt etiam nudi ad ornatum, quia etiam ornati non possunt aliquo decore figuræ: steriles ad fructum, quia non generant, irrationabiles ad profectum. Tales enim lapides iacent in aquis, qui silices vocantur. Et quia gentilitas fuit in omnibus his proprietatibus, deformis quidem ad vsum ædificij, nuda ad ornatum virtutis, sterilis ad fructum boni operis, irrationabilis ad profectum intellectualis contemplationis: ideo lapidibus comparantur, & per lapides illos significantur. Et de his lapidibus, salua veritate promissionis.

Potens est Deus suscitare filios Abrahæ] qui sunt filij promissionis: sicut iam diximus *Gal*.3. Abraham dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed semini tuo, quasi in vno, quod est Christus. Multiplex enim est semen carnis, sed promissionis stat in vno, quod est Christus. *Rom*.3. Vbi est ergo nunc gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim saluari hominem per fidem absque operibus legis. Non ergo dicatis: Patrē habemus Abraham. Tamen hoc dixerunt *Ioan*.8. Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. Simile faciunt illi qui gloriantur in Sanctis suis: volentes ex hoc extolli, vel in Benedicto vel in Bernardo, vel in Francisco, vel in Dominico, cum non sequantur vestigia eorum. Quibus dicitur *Ioan*.8. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Ierem*.9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. Sequitur.

Iam enim securis] Comminatio est sententiæ iam arbori imminentis. Est autem arbor, Synagoga: radices eius, regnum legem regens, & sacerdotium legem docens. & sacramenta legis exhibens: securis autem est sententia præcisionis facta per Titum & Vespasianum Augustos Romanos. Vel etiam sententia æternæ damnationis. Continua sic. Ita dico? Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et ne dicatis, excusando vos: Patrem habemus Abraham [enim] hoc est, quia [iam] Notatur nunc propinquum præsenti in futuro [securis] hoc est, sententia præcisionis [posita est ad radicem] regni & sacerdotij, vt radicitus euellatur Synagoga. *Daniel*.4. Vigil & sanctus descendit de cælo, & clamauit fortiter dicens; Succidite arborem. *Ezech*.17. Radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet. Securis hæc aliquando manubrium effugit, & in profundum aquæ, hoc est, misericordiæ dissimulantis mersa est. Nunc autem per Prophetam potentem in opere & sermone *Luc. vltim*. manubrium humanitatis porrigente, ferrum de abysso misericordiæ propter peccata Synagogæ, & ad siccum iræ Dei rediuit: & ideo Synagogam funditus euertit 4. *Reg*.8. Sic igitur securis ad radicem arboris istius posita est. Dat autem rationem de proprio actu & vsu securis sumptam, dicens.

Omnis ergo arbor] hoc est, quilibet homo, vel quilibet status hominum [non faciens fructum bonum] Synagoga quidem in suis sacramentis & lege in morte Christi mortua fuit, & ideo nullum fructum fecit. Post prædicationem enim fidei, non solum mortua, sed etiam mortifera fuit: & ideo tunc fructum malum fecit; & ideo exciditur. *Luc*.13. Ecce tres anni sunt, ex quo veniens quæro fructum in ficulnea, & non inuenio. Succide ergo eam. Vt quid etiam terram occupat? [& in ignem mittetur] tribulationis per captiuitatem, & inferni per condemnationem æternam. *Ioan*.15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum & in ignem mittet, & ardet. *Isa*.30. Præparata est enim ab heri Tophetl. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

Est etiam, moraliter loquendo, omnis homo arbor per vitam suam. *Psalm*.1. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Radix eius, calor & humor. *Ierem*.17. Erit enim tanquam lignum viride, quod ad humorem

mittit

mittit radices suas. Securis, est sententia imposita, quæ quolibet die dat sectionis ictum, quia omni die vitam diminuit. Et quando non fert fructum boni operis, exciditur per mortem, & mittitur in ignem infernalem in æternum. *Matth* 13. Colligite zizania per fasciculos ad comburendum.

Attende etiam, qualiter secundum *Ambros.* primò lapidibus comparauit Gentiles: & ita proficiens transit ad metaphoram arboris, quæ aptior est in multis quam lapis. Hæ enim rationabili quodam naturæ munere, iam sunt decoræ ad vsum, venustæ ad aspectum, optimæ ad fructum. Decor enim virtutis facit ad vsum ædificij vtiles. Pulchritudo facit exemplares. Fœcunditas verbi facit fructificantes. Surgunt cacuminibus contemplationum, funduntur brachiis bonarum congregationum, replentur fructibus bonorum operum, vestiuntur frondibus verborum sanctorum. Dicit enim *Glossa quædam*, mysticè exponens per allegoriam [Non faciens fructum bonum] vt Gentiles & hypocritæ, qui nullum; & hæretici qui malum. Gentiles enim & hypocritæ non habent dispensate sacramenta: & ideo nec in se, nec in alio fructum aliquem faciunt. Sed hæretici seruantes formam Ecclesiæ, dispensant sacramenta: & ideo quamuis in se nullum faciant fructum; tamen in aliis fructum faciunt, sed malum: quia licet tales ab hæreticis sacramentum recipiant, tamen rem sacramenti non percipiunt, & ideo

In 4. dist. 23. ar. 30. ad obiecta.

fructum malum faciunt. *Sapient.* 4. Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum. *Ierem.* 19. Et ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eo quod pessimæ sint. *Matth.* 7. Non potest arbor mala, bonos fructus facere. Sic ergo Ioannes comminatur pœnam sententiæ, quæ est præcisio imminens ex iudicio in proximo futuro per Titum & Vespasianum. Et sic terminatur instructio generalis.

Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & Publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.

Hic, post instructionem generalem, tangitur specialis instructio secundum diuersitates præsentium. Et primo ponitur instructio simplicium de turba, qui publica officia, vel dignitates non habebant. Et potest attendi hic mirabilis efficacia sermonis Ioannis, qui tot diuersitates hominum mouebat ad pœnitentiam. Et verificatur de eo quod dictum est de Elia. *Eccli.* 48. Surrexit Elias sicut ignis: & verba eius ardebant quasi facula. Et quod *supra* 1. dixit de eo Angelus. Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum patrum suorum. De simplicibus igitur plebeiis hominibus dicitur [Et interrogabant eum turbæ] Verbis suis concussæ turbæ ad terrorem, quærebant effugiendi consilium [dicentes] ad eum [Quid ergo faciemus?] Da consilium quod faciamus dignos fructus pœnitentiæ. *Mich.* 6. Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso [Respondens autem] præco pietatis [dicebat illis] à misericordia incipiens: quia sciuit, quòd iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam: & quod misericordia superexaltat iudicium *Iacob.* 2. Quia sicut dicit *Gloss.* Misericordia est plenitudo virtutum. Quicquid enim in virtutibus deest, per misericordiæ opera redimitur & impletur. 1. *Timoth.* 4. Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Pietas enim in triplici est apud Sanctos significatione. Dicit enim *August.* quod pietas est theosebia, hoc est, cultus Dei. Et dicit *Tullius*, quod pietas est beneuolentia in parentes. *Ambros.* autem dicit, quod pietas est beneuolentia in pauperes, patris nostri spiritualis imaginem habentes. Et illi sunt pauperes spiritu. *Daniel.* 4. Consilium meum rex placeat tibi. Peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas misericordiis pauperum. *Luc.* 11. Quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. *Tob.* 4. Eleemosyna à morte liberat. Vnde subdit.

Qui habet duas tunicas, &c.] Duæ tunicæ dicuntur hic duorum tunicæ: quia tunica vnius, duobus non sufficit. Nec dicitur hic tunica, nisi tegumentum quodcunque. Quia sicut dicit *Gloss.* tunica vnius si scindatur, ad inutilitatem deducitur: nec illi valet qui diuidit, nec ei cui porrigitur pars. *Psalm.* 21. Diuiserunt sibi vestimenta, &c. Tangit autem tunicam quæ interior est, & non pallium; quia magis necessaria est tunica: innuens, quod etiam de necessario aliquid subtrahendum est, & dandum pauperibus. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum libenter impertiri stude. Necessarium ei est retinendum, superfluum largiendum. 2. *Cor.* 8. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate in præsenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat: vt ex illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum. *Prouerb.* 14. Qui credit in Domino, diligit misericordiam. *Prouerb* 19 Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Discretio ergo notatur per hoc quod dicit [duas tunicas] Hæc enim sunt tegumenta duorum; ne aliquis sibi manus iniiciat. Altera enim vestis eiusdem speciei superfluit. Vestes enim hominis diuersæ non sunt vnius speciei: sed tunica induitur homo, cum supertunicali, & pallio. Et huiusmodi duæ tunicæ, vel duo pallia, vel huiusmodi sunt mutatoria vestium, ad superfluitatem & non ad necessitatem ordinata. 1. *Timoth. vltim.* Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus. Et subiungit, cui dandum: dicens [det vnam] hoc est. mutatoriam superfluam [non habenti] Non habenti enim dandum est: & non est dandum habenti. Et in hoc peccant plurimi, qui libentius dant habentibus quam non habentibus. *Luc.* 14. Cum facis eleemosynam, voca pauperes, debiles, cæcos, claudos; & beatus eris. Est enim eleemosyna semen: semen autem non proiicitur super agrum

seminatum. *Psal.* 111. Dispersit dedit pauperibus. *Isa.* 58. Cum videris nudum, operi eum: & egenos vagosque induc in domum tuam.

Et qui habet escas] duorum vel plurium. *Iob* 31. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit ex ea pupillus: quia ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum. *Eccle.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora inuenies eum. Transeuntes aquæ, sunt prætereuntes pauperes. *Prouerb.* 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, vt impleantur horrea tua. *Iob* 20. Non remansit de cibis eius, ideo non remanebit de bonis eius. Et hoc est quod subditur [similiter faciat] scilicet, quod det non habentibus. *Nehem.* 8. Mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi. *Matth.* 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere. *Isa* 23. His qui steterunt, coram Domino. *Gloss.* Veris pauperibus, erunt mercedes eius, vt comedant vsque ad saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem. Et præmisit, quod mercedes non condentur neque reponentur; sed potius in misericordias pauperum expendantur & mercedes Ecclesiæ.

Et attende, quod misericordia habet tria: compassionem, per quam delet peccata cordis: & elargitionem, per quam delet peccata operis: & subtractionem materiæ voluptatis, per quam delet peccata concupiscentiæ carnalis. Et ideo delet omne peccatum, hoc est, facit ad omnis peccati deletionem. Et ideo dicitur, quod eleemosyna redimit peccata: quia cum in peccato tria sint quæ delectationem afferunt, cor, corpus, & supplementa exterius ministrata: eleemosyna, sicut iam dictum est, aliquid habet contra quodlibet istorum: & ideo etiam dicitur 1. *Tim.* 4. quod ad omnia valet pietas. Et *Tobiæ* 4. quod eleemosyna à morte peccati liberat, & non patitur animas ire ad tenebras. Hæc ergo est causa, quare taliter à pietate & misericordia & eleemosynis incepit Ioannes prædicando.

Venerunt autem] ex deuotione [& Publicani] qui præ cæteris peccatores erant. Et quia ex deuotione venerunt, ideo non increpantur, quamuis illicitis lucris dediti essent, vt dicit *Greg. Psalm.* 33. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Venite autem, dicit accessum voluntarium, quia non tracti, sed per se [venerunt] *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Dicitur ad quid venerunt [vt] sub forma quam prædicauit, quod in venturũ post se crederent [baptizarentur ab eo] & sic eis via pararetur ad Christum peccati mundatorem. Et hæc est secunda differentia post humilem turbam plebeiam. Et considerarunt magna virtus sermonis eius. *Ierem.* 23. Verba mea quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petras. Sunt autem Publicani à publicis officiis dicti; quia vectigalia publica siue telonea colligebant, & merces per terras vectas auctoritate publica condocebant, & vias pacificabant. 1. *ad Corinth.* 9. Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Vnde hoc iustum est, quantum ad iustitiam publicam [Et dixerunt ad illum] consilium requirentes [Magister] Solus enim ille diuinæ voluntatis gnarus est, qui Deo docente quæ Dei sunt, intellexit. *Psalm.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. *Isa* 50. Dominus aperuit mihi autem, vt audiam eum quasi magistrum [Quid faciemus] Virtus enim in opere est, & non in scientia vel sermone 1. *Corinth.* 2. Fides vestra non sit in sublimitate sermonis aut scientiæ, sed in virtute. *Eccli.* 3. In pluribus operibus Dei ne fueris curiosus: quæ enim præcepit, illa cogita semper. *Psalm.* 102. Memores sunt mandatorum eius ad faciendum ea. *Matth.* 19. Magister quid faciam, vt habeam vitam æternam? Et respondens Iesus dixit illi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Et dixit ad illos] Ecce responsio. 1. *Pet.* 3. Parati semper ad satisfaciendum de ea quæ in vobis est spe [Nihil amplius] Vnum dicit, & duo intelligit. Volt enim quod nihil amplius accipiãt [quam quod constitutum est] & nihil amplius in conducendo quam sicut est constitutum: quia aliter teloneum est iniustum. Ratio autem in accipiendo est secundum proportionem laboris & expensarum: quæ ad vias pacificandas requiruntur. In faciendo autem constitutum est, vt ad tantum viæ ducatum & securitatem præstent, quantum ad tale vectigal secundum æquitatem legis est statutum. Et ideo interdicendo, quod nihil amplius accipiant vel faciant, compescit ab iniuria, qua sæpe tales grassantur in transeuntes, metas sibi positas transgredientes. *Prouerb.* 22. Non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Hæc transgressio describitur *Isa.* 10 Mandabo ei vt auferat spolia, & diuidat prædam. Ipse autem non sic arbitratur, & cor eius non ita æstimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad internectionem gentium non paucarum. Hoc ergo quod ex cordis malitia & auaritia amplius quam ad vtilitatem patriæ statutum est, interdicit.

Interrogauerunt autem eum & milites] Ecce tertia differentia instructorum. Milites autem erant Romani, qui ad defensionem reipublicæ, cõmunibus stipendiis acceptis, pro pace omnium militabant. Tales enim in qualibet terra romanus Imperator habuit per legiones & cohortes distributos. Sic etiam habuit Dauid 2 *Reg.* 24. Minimus centum militibus præerat, & maximus mille. Publicani autem & milites plerunque erant Gentiles, qui deuotius accedebant, quam Iudeorum Sacerdotes & Pharisæi. Huius signum est, quod non reprehenduntur [dicentes] quærendo consilium salutis suæ [quid faciemus & nos?] *Mich.* 7. Ostendam tibi ô homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te.

Et ait illis] Doctor salutis. *Galat. vltim.* Vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis. Dicit autem hic tria: duo per recessum à malo; & vnum quod est necessitatis, indulget. Per recessum à malo, primò prohibet violentiam, dicens [Neminem concutiatis] per violentiam opprimendo, & sua diripiendo. *Isa.* 3. Rapina pauperum in domo vestra. Quare attereris populum meum, & facies pauperum commolitis? *Isa.* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt. Dicuntur autem hic milites, omnes qui defendere deberent populum; quibus interdicitur, ne in tyrannide sua abutantur potestate. *Mich.* 3. Audite principes Iacob, & duces domus Israël, Nunquid

quid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum & diligiris malum : qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum? Qui commederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt : & ossa eorum confregerunt, & conciderunt quasi in lebete. Pellis signat superflua: carnes autem, ea quæ sunt ad fomentum delectationis pertinentia : ossa vero, necessaria. Omnia enim hæc tyranni rapiunt, & in his luxuriantur. Leberes autem significant angarias, & perangarias, quibus sicut in frixorio frigunt pauperum corpora. *Psalm.* 101. secundum 70. Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. Hæc igitur omnia excludit, quando dicit [Neminem concutiatis] Secundum, quod est secundum recessum à malo, dicit.

Neque calumniam faciatis] Calumnia est impostura quę fit pauperibus vt imposito aliquo falso, auferatur pecunia ab eis. Sub isto etiam continētur iniquæ tyrannorum leges & literæ calumniosæ, ex industria scriptæ, vt per lites suscitatas pecunia acquiratur *Iob* 4. Vidi eos qui seminant dolores & metunt eos, flante Deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos. Seminat dolores, qui seminat legibus vel literis suis calumnias. Metit autem, cum de talibus lucra sua constituit. *Matth.* 13. Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet & zizania? Et ait: Inimicus homo hoc fecit. Bonum semen, est simplicitas æqui & iusti, cognita in verbo & iustitia Dei. Zizaniæ, sunt calumniæ inuentæ, quas quotidie omnis boni & æqui & iusti inimicus inuenit, & superseminat. Et hoc maximè hi faciunt, qui pro aliis militare se dicunt in potestatibus, & officiis publicis: & plus ecclesiastici iudices & aduocati, quam seculares. *Osea* 5. Calumniam patiens est Ephraim, quoniam in iudicibus suis cœpit abire post sordes. *Leuit.* 19. Non facies calumniam proximo tuo, neque vi opprimes eum. *Isa.* 33. Quis ex vobis habitare poterit cum ardoribus sempiternis? Qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Tertium quod necessitatibus militantium indulget, dicit.

Contenti estote stipendiis vestris] Stipendia dicutur à stipe pendenda : quia pendebatur vnicuique militi donatiuum publibum suæ militiæ Et hoc dicit debere esse contentos, nec amplius exigere. *Matth.* 10. Dignus est operarius cibo suo. *Matth.* 20. Voca operarios, & redde illis mercēdem suam. Sed hodie non sunt contenti: imo dicitur de eis *Mich.* 2. Violenter tulerunt agros & rapuerunt, & calumniabantur virum & domum suam.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos.

Hic accendit *Lucas* ad ponendum testimonium Ioanuis de Christo, vt præcursorem ostendat. Et sicut dicit *Gloss.* omittit hoc, quod *Ioan.* primò narrat: Qualiter miserunt ad ipsum ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum: Tu quis es. Vel sicut alij dicunt: primo testificatus est turbis, & hoc ponit *Lucas* : & postea Sacerdotibus, & hoc ponit *Ioan.* Habet autem hæc particula duo. Primò enim dicit necessitatem testimonij, & secundo subiungit ipsum testimonium. Necessitas fuit : quia populus, & omnes alij tam sapientes quam insipientes venerant in opinionem quandam de ipso, an forte esset ipse Christus, & sic non dirigeret viam ad alterum, sed potius esset finis viæ : & venerunt ad ipsum, quibus viam ostendit. Et hoc est quod dicit

Existimante autem populo] Existimatio autem est conceptio ex signi collecta. Considerabant enim virtutem verbi in prædicatione, austeritatem vitæ in conuersatione, certitudinem reuelationis diuinæ in missione, famam miraculorum in natiuitate : & ex his collegerunt Ioannem esse maiorem homine : sicut expressè dicitur *Mat.* 11. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Quasi diceret. Non: cum nihil infructuosum, nihil in concupiscentię humore radicatū fuerit in ipso. Sed quid existis videre? hominē mollibus vestitum, vel vsum? Q. d. Non : cum in vita eius nihil molle fuerit. Vtpote, cuius habitatio horror fuit deserti, cuius vestitus pili camelorum hispidi & duri, cuius decor zona fuit pellicea penitus inculta, cuius cibus locusta, cuius potus, vt dicit *Heronymus*, laticis vnda, simplex aqua. Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Inter natos enim mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Vtpote, qui sanctitate maior fuit homine : reuelatione maior in Prophetis, spiritu & virtute Eliæ: stupore par Angelis, vel superior iudicabatur. Inde fuit existimatio populi. Et ne populus stultam forte existimationem habere iudicaretur : sicut dicitur *Ioan.* 7. Turba hæc quæ non nouit legem, maledicta est : ideo subiungit.

Et cogitantibus omnibus] Quod enim omnes opinantur probabile est, vt dicit *Philosophus* : & quod ab omnibus dicitur, vel in parte, vel in toto est verum [in cordibus suis] Has autem cogitationes sciuit Ioannes per Spiritum Dei, quo plenus fuit. 1. *Corinth.* 2. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et iterum. Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est : vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis [de Ioanne] Baptista, qui, sicut dicitur *Ioan.* 1. fuit homo missus à Deo : ac si non de terra, sed de cælo descendisset [Ne forte] hoc est, an forte [ipse esset Christus] Et ex hoc intelligitur, vt dicit *Gloss.* quod sciuerunt tempus esse tunc impletum, quo Christus esset venturus. Christus enim promissus fuit in lege, prefiguratus à Patriarchis, à Prophetis prænuntiatus. Et hæc omnia præcesserant : & ideo non restabat, nisi quod digito mōstraretur vbi esset. Et ad hoc venit Ioannes. Vnde *Ioan.* 1. Quem scripsit Moyses & Prophetæ, inuenimus Messiam. Indiguit tamē indicante propter humilitatem. *Isa.* 53. Quasi absconditus est vultus eius & despectus. *Isa.* 45. Vere tu es Deus absconditus. Ista occasione testimonium ferendi sic exorta.

Respondit Ioannes] cogitationibus eorum. *Matth.* 9. Vt vidit cogitationes eorum, dixit. Nec respondit in angulo vni, vel duobus, vel paucis,

eis, sed publicè [dicens omnibus] Quia vt dicit *Gregor.* cum tantus esset, quod Christus credi potuisset; elegit magis solidè subsistere intra se, quam humana opinione inaniter leuari supra se. Sciuit enim quod dicit *Psalm.* 52. Qui hominibus placent confusi sunt: quoniam Deus spreuit eos. Dicit autem in hac responsione duo: primum est officium suum: secundum autem dignitas, & ordo aduentus, & officium Christi. De officio suo dicit [ego quidem] vt minister [baptizo vos] actu meo, non Dei: quia non est in actu meo collatio gratiæ: quæ si adesset, non ego baptizarem, sed Deus. *Ioan.* 1. Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat, hoc est, qui animas lauat [Ego autem baptizo] quia tingendo corpora, ad baptismum verè baptizantis assuefacio [aqua] quæ sine illius virtute non lauat nisi corpora. *Hebr.* 9. Non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis. Sicut enim baptismata legis non conferunt gratiam; ita nec baptismus Ioannis. Et hoc significans dicit: Ego vos baptizo in aqua. *Act.* 1. Ioannes quidem baptizauit aqua.

Veniet autem fortior post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.

Ecce dignitas Christi. Et dicit tria: dignitatem Christi, ordinem Christi & tempus, & Christi actum. Dignitatem autem & ordinem simul determinat, dicens [Veniet autem, &c.] Dignitatem autem determinat in duobus: quorum vnum est fortitudo virtutis: secundum autem, eminentia dignitatis. De fortitudine autem virtutis dicit [Veniet fortior post me] Fortior autem fuit in expellendo dæmonem, quem Ioannes non expulit: sed tantum indicauit expellendum à regno suo. *Matth.* 12. *Luc.* 11. Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superuenerit, intrabit in domum fortis, & alligabit fortem, & omnia vasa eius distribuet in quibus confidebat. Hic enim fortis fuit, qui sic describitur in *Iob* 41. Non est fortitudo super terram, quæ possit ei comparari, qui factus est vt nullum timeret. Vnde oportuit quod de cælo descenderet, qui fortior eo esset: quia *Ioan.* 3. Qui de cælo venit, super omnes est. Et ideo fortior eo est, & expulit eum. *Num.* 23 Deus ex Ægypto eduxit eum, cuius fortitudo est sicut Rhinocerotis. Et ideo *Apoc.* 5. dicitur. Leo de tribu Iuda qui vicit.

Iste ergo Ioanne, & omni Sancto fortior [veniet] Non quidem in mundum, quia iam in mundum venerat, sed ad baptizandum, in quo tunc Ioannes Baptista præcurrebat. Et ideo immiscens temporis ordinem, dicit [post me] Non quidem ordine dignitatis & virtutis, sed ordine temporis, in quo præcursoris officium semper præcedit officium regis. Vnde *Ioan.* 1. Qui post me venit, ante me factus est. *Luc.* 1. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Potest etiam dici, quod etiam fortior fuit ad miraculorum operationem. Quæ omnia vel fecit, vel in nomine eius facta sunt. Vnde *Ioan.* 3. Me oportet minui, illum autem crescere. Non quidem, quia indignos fuerit Ioannes plusquam alij Sancti ad facienda signa, sed officio suo non competebat: quia suum officium fuit ad alium dirigere; quia diuinæ fuit potestatis; & ideo nihil diuinæ potestatis in se debuit ostendere. Secus autem fuit de Apostolis, qui etiam auditores duxerunt ad Christum, quia illis dirigentibus iam notitia Christi præcesserat: quod non fuit, quando Ioannes ad Christum dirigebat: & ideo diuinum nihil in se ostendebat, licet hoc ex vitæ merito potuisset. Et ideo secundum congruentiam sui officij loquens dicit: Me oportet minui, illum autem crescere: vt me sicut paruo & minuto deserto, ad illum sicut magnum, & in fide crescentem conuertantur.

Cuius non sum] Tangit hic dignitatem Christi. Et hoc quidem quatuor modis exponitur: tribus quidem sicut est in *Glossa*, & quarto secundum *Chrysost.* Primus quidem modus secundum *Gloss.* est quod pes Christi sit diuinitas. *Psalm.* 131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius, hoc est, duæ virtutes diuinitatis, creationis & recreationis. In vtroque enim pede, sicut dicit *August.* reliquit vestigiorum suorum indicia. Calceamentum autem eius, est humanitatis eius pellis morticina, quæ in mortem est cæsa humanitas. *Psal.* 59. In Idumæam extendam calceamentum meum, hoc est, in sanguineam de sanguine hominis factam humanitatem. Corrigia autem est vnio Deitatis ad humanitatem, quasi ligatura pedis cum calceo. Et Ioannes quidem dicit se non esse dignum hanc corrigiam soluere, hoc est, modum huius vnionis inuestigare. *Isa.* 53. Generationem eius quis enarrabit?

Secundus modus qui in *Gloss.* est, qui tangitur *Deuter.* 25. vbi dicitur, quod cum aliquis moritur vxoratus sine hærede, debet frater defuncti vel alius propinquus eius, vxorem defuncti ducere; & sponsus vxoris & maritus pro ipso factus, vxorem defuncti fœcundare, & semen defuncto suscitare, & primogenitum nomine defuncti appellare. Quod si non fecerit: alium post eum propinquiorem illum discalceare, & vxorem defuncti ducere. Deinde autem vxorem defuncti ducere nolentis, domum discalceati in Israël in improperium suum appellari. Secundum hoc igitur est sensus [Cuius non sum dignus soluere calceamentum] tanquam ipse sponsam Ecclesiam repudiet, quam ego ducam. Ipse enim vere sponsus est: ego autem sponsi amicus, non discalceator, qui sibi sponsam præripiam. *Ioan.* 3. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat & audit, & gaudet ad vocem sponsi & sponsæ.

Tertius sensus secundum *Gloss.* est, quod calceamentum est præparatio euangelizandi: sicut dicitur *Ephes.* 6. Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. *Cantic.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Est ergo sensus [Non sum dignus] ex officio, calceamentum, hoc est, Euangelium, de suo pede, hoc est, circumportatione [soluere] & in mundo circumferre: vt per me euangelizetur illud in Gentibus, & in omnem terram exeat sonus; quia hoc non est officij mei qui præcurro, sed hoc est officij Apostolorum, quorum prædicatio sequitur prædicationem Domini: vt soluto à pede suo Euangelio, pedibus suis alligent, & in totum mundum circumportent. *Isa.* 52. Quam pulchri

supra

ſupta montem pedes euangelizantium bnoa, euangelizantium pacem, diceotium Sion: Regoabit Deus tuus.

Quarta expoſitio eſt *Chryſoſt.* & eſt planiot & veriot omnibus. Quia ſcilicet ſolutio calceamenti, eſt humillimum obſequium, quod poteſt homini præſtari. Et eſt ſenſus, quod humillimum obſequium, quod poteſt homini præſtari, non ſit dignus præſtare & impendere ſibi. *Iob* 4. Ecce qui ſeruiuot ei non ſont ſtabiles: & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quanto magis homo putredo & filius hominis vermis? Hoc eſt quod dicit [Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius] *Exod.* 3 & *Ioſ.* 5. Solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.

Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni: cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam.

Hic tangit proprium Chriſti actum, & hoc dupliciter: tangit enim actum ſacramenti, & actum iudicij. De actu ſacramenti dicit [Ipſe vos baptizabit] hoc eſt, à peccato interius mundabit. *Matth.* 3. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? *Gloſſ.* hoc eſt, à peccato mundari. *Matth.* 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti [in Spiritu ſancto, & igni] Duplex effectus baptiſmi Chriſti ſignificatur: acceptio Spiritus ſancti, & ignitio feruoris deuotionis in conſumptione peccati. De primo dicit [in Spiritu ſancto] quia viſibiliter deſcendit Spiritus ſanctus ſuper baptizatos. *Luc.* 3. Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba io ipſum. Secundus effectus notatur quando dicit [& igni] vt notetur peccati conſumptio. *Deuter.* 4. Deus noſter ignis conſumens eſt. Et notatur charitatis accenſio. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Et notatur feruoris deuotio 3. *Reg.* 18. Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus. *Act.* 1. Vos baptizabimini in Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. Hic ignis accenſus poſt Chriſtum (pulſo nubilo mortalitatis & perſecutionis) quaſi ſol ad alta ſe contulit. 2. *Machab.* 1. Tempus affuit quo ſol refulſit, qui prius fuit in nubilo: & accenſus eſt ignis maximus, ita vt omnes mirarentur. Alterum autem actum determinans ait.

Cuius ventilabrum in manu eius] Et tangit duo, ſcilicet, actum diſtricti examinis, & effectum. Actum quidem examinis tangit cum dicit [Cuius ventilabrum] Tangit autem metaphoricè actum examinis. Ventilabrum enim eſt inſtrumentum, cuius euentatione purgantur grana à quiſquiliis palearum. Dicit igitur, quod in manu Chriſti, hoc eſt, in poteſtate iudiciaria Chriſti: quia ſicut dicitur *Ioan.* 5 Pater non iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit Filio. In hac ergo manu eſt ventilabrum, quod alio nomine dicitur vannum, per quod notatur diſcretio ſaluandorum & damnandorum. *Matth.* 25. Statuet oues quidem à dextris: hœdos autem à ſiniſtris. Vnde ſequitur [& permundabit] hoc eſt, vſque ad purum purgabit aream ſuam. *Pſalm.* 82. Ponam eos vt ſtipulam ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos [aream ſuam] hoc eſt, præſentem Eccleſiam, & in iudicio extremo futuram. *Ierem.* 48. Diſperdam eos, & ventilabo eos.

Hoc etiam modo multipliciter facit Dominus. Aream enim conſcientiæ permondat à palea vanæ cogitationis, reſeruans granum contemplatæ veritatis. *Pſalm.* 145. In die illa peribunt omnes cogitationes eorum. *Ierem.* 23. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Eſt etiam area Scriptura, in qua eſt mixta palea cum tritico, hoc eſt, literalis intelligentia cum ſpirituali. *Iſa.* 30. Pulli aſinorum commiſtum migma comedent ſicut in area ventilatum eſt. Pulli aſinorum ſunt ſimplices, qui accipiunt granum non nudum, ſed in rudi palea: & alij cibantur grano nudo, quod in area ventilatum eſt à Doctoribus Scripturæ. Area etiam eſt cor hominis, in quo ſeminatur granum nudum frumenti *Ioan.* 12. quod tamen ſurgit cum palea multa temporalis velamenti, quo abſconditur à nobis. Sed hoc vellentes granum dulce verbi & gratiæ inueniemus. *Matth.* 12. Diſcipuli tranſeuntes per ſata, vellebant ſpicas, & paleas quidem abiiciebant: granum autem colligebant, & comedebant. Eſt area aromatum, quæ non indiget ventilatione, niſi à palea inanis gloriæ. Hæc enim eſt area virtutum. *Cantic.* 6. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum. Sic ergo permundabit aream ſuam.

Et congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Ecce effectus iudicij [Congregabit enim triticum] Dicit autem tria: aſſociationem electorum hic in Eccleſia & in futuro in patria, & quod ipſi ſunt triticum, & quo congregabuntur. De aſſociatione dicit [Congregabit] Diſperſi enim ſunt diſpari cultu, & diſpari vita, & diuiſione cordium. Et diſpares cultu congregabit in vnum cultum. *Pſalm.* 105. Saluos nos fac Domine, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini tuo. De diſpari vita congregabit in vnam gratiam. *Ezech.* 36. Adducam vos de nationibus, & congregabo vos de terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. De diuiſione cordium congregabit eos in vnum cor charitatis. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnú, & anima vna: nec quiſquam, aliquid eorum quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis communia omnia [triticum] dicit, hoc eſt, electos, quorum quilibet per bonum quod eſt in eo, paſtus eſt alterius. *Pſ.* 147. Adipe frumenti ſatiat te. Quo autem congregat ſubiungit [in horreum ſuum] quod eſt continentia & capacitas Eccleſiæ in gratia, & communione Sanctorum, & communio & capacitas cæleſtis patriæ. *Matth.* 13. Triticum congregate in horreum meum. *Prouerb.* 3. Implebuntur horrea tua ſaturitate. Hæc ſunt horrea Ægypti, in quibus ſeruantur cibi gratiæ, perſeuerantes à futura ſterilitate: quia vbi ſunt electi, ibi eſt cibus gratiæ & verbi Dei. Multi enim cibi ſunt in noualibus patrum.

Secundus effectus eſt, vel altera pars effectus quod [paleas] vacuas à gratia [comburet igni] 1. *Corinth.* 3. Vniuſcuiuſque quale ſit opus, ignis probabit. Vnde, vel eſt ignis tribulationis præſentis peccata auferens: vel ignis purgatorius peccata

cata venialia combutens: vel ignis inferni inextinguibiliter peccatum insequens: & de hoc videtur intelligi, quia in litera ignem illum dicit inextinguibilem. Cum enim ignis duabus de causis extinguatur, scilicet, à contrario, vel quia deficit sibi materia; ignis inferni neutram habet causam extinctionis. Non enim est contrarium inferno nisi gratia; & huius non sunt susceptibiles qui in inferno sunt. Similiter materia illius ignis est peccator sub peccato: & peccatum sub inferno non est solubile à peccatore, & peccator non consumptibilis ab igne: ideo nunquã extinguitur ignis ille. *Isa. vltimo.* Vermis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad sanitatem visionis omni carni. Ideo peccatores dicuntur ligna illum ignẽ nutrientia *Isa.* 30. Præparata est ab heri Topheth, à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

Hæc est clausula Euangelistæ qua concludit Ioannis prædicationem. Horum autem quæ hic de verbis eius omittuntur, quædam ponit *Matth.* quædam autem & plura *Ioan.* sicut id quod dixit pœnitentiam agentibus appropinquare regnum cælorum: quod dicit *Matth.* Et quod dixit medium baptizandorum stetisse IESVM, quod digito monstrauit, quod Agnum Dei pronuntiauit auferentem peccata mundi, quod Discipulos ad eum misit, quod se non esse sponsum confessus est, quod confitebatur & non negauit se non esse Eliam, neque Prophetam, neque Christum, sed vocem Christi & præcursorem: & huiusmodi alia, quæ omnia dicebat [euangelizans] hoc est, verum Euangelium, hoc est, bonum nuntium annuntians [populo] *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, qui euangelizas Ierusalem: exalta in fortitudine vocem tuam, exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ: Ecce Deus vester.

Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes: adiecit & hoc supra omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.

Hic breuiter per anticipationem agitur de incarceratione Ioannis, de qua nos multa diximus *Matth.* 14. & ibi requirantur. Causa autem quare *Lucas* anticipat, est, quia festinat ad miracula Christi, quæ præcipue facta sunt in duobus vltimis annis prædicationis Christi. In primo enim anno Ioannes incepit inuitare ad Christum, & statim inclusus est: & reuoluto anno eodem decollatus. Et in illo anno Christus pauca fecit, nisi quod mutauit aquam in vinum: quod fecit circa principium secundi anni suæ prædicationis, post annum reuolutum sui baptismatis: quod *Ioan.* ponit, & iste præterit. Causam autem mysticam *Gloss.* tangit, quia *Ioan.* Diuinitatem Christi prosequitur, in qua nullum habuit mediatorem vel præcursorem: ideo indifferenter scribit, & ea quæ ante Ioannis alligationem facta sunt, & ea quæ sunt facta post ipsam. Sed alij Euangelistæ scribunt humanitatem Christi, in qua habuit præcursorem: & ideo de his quæ facta sunt ante præcursionem illius pauca dicunt, nisi quod 12. annorum ostendit sapientiã: quod tamẽ non fuit miraculum licet esset diuinum. Et hoc quidem dicit *Gloss.* nescio quare, quia etiam miraculum de vino, verum est, quod post incarcerationem Ioannis est factum eodem die, reuoluto anno, quando baptizatus est; sicut celebrat Ecclesia. Sed vera causa est, quod anticipat *Luc.* breuiter, quod sciuit positum esse sufficienter *Matth.* 5. Et anticipat, vt postea de Christo continua sit historia. Tangit autem hic tria, scilicet, captiuitatem, causam captiuitatis, & modum. Captiuitatem tangit cum dicit.

Herodes] Antipas, Herodis Ascalonitæ filius, non tam carne quam malitiæ imitatione, & successione crudelitatis, & hæreditariæ tyrannidis. *Sapien.* 4. Ex iniquis omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ in parentes ipsorum. *Isa.* 14. Non consurget in æternum semen pessimorum. Tangit principatum [tetracha] & ideo quia princeps erat quartæ partis regni Dei (quod Iudæorum erat) clementia, iusta, & legi Dei congruentia fouere & manutenere debuit. 3. *Reg.* 20. Reges Israël clementes sunt. Vnde *Prouerb* 20. Clementia firmatur thronus eius, hoc est, regis. *Prouerb. vltim.* Lex clementiæ in lingua eius. De iustitia autem dicitur *Isa.* 32. Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit. Et præmittitur. Ecce in iustitia regnabit rex: & principes in iudicio præerunt. De congruentia legis Dei præcipitur *Deut.* 27. quod quando rex inthronizatus est, accipiant deuteronomiom legis: & secundum illum iudicabit. Hic autem è contra de dolis iniustus & fraudulentus fuit. Tangit autem causam incarcerationis cum dicit.

Cum corriperetur] Et tangit causam in speciali vitio & in generalitate vitiorum. In speciali vitio ex parte Ioannis, est correptio vitiosi: quæ causa est præcepta, iusta, honesta, & pia. Præcepta quidem 1. *Timot.* 5. Peccantes coram omnibus argue. *Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum &c. Iusta autem est causa, quia iusta est correptio delinquentis. Vnde *Eccli.* 21. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. Honesta etiam est: quia est de honestate matrimonij & nuptiarum. *Sapient.* 3. Hæc est quæ nesciuit thorum in delicto. Econtra *Sapient.* 14. Neque nuptias mundas custodiuit. Pia fuit: quia pro iniuriam passo patrocinatus est Ioannes: sicut & Moyses *Exod.* 2. Quare facis iniuriam proximo? 1. *Cor.* 6. Vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Hæc etiam causa in patribus est commendata, & maxime in eo in cuius spiritu cucurrit Ioãnes, hoc est Eliæ, de quo dicitur *Eccli.* 48. In diebus suis non extimuit principẽ. Et de Moyse *Hebr.* 11. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis. Hæc igitur causa fuit ex parte Ioannis. Sequitur.

De Herodiade] Hæc Herodias, vt dicit *Chrisost.* fuit filia Aretæ regis, quam prius dederat Philippo, & ista procurante, Philippo eam abstulit, & Herodi fratri suo eam coniunxit. Et ideo ipsa fœmina fuit exitialis meretrix, & peior meretrice

ce: scortatrix, & peior scorto fuit adultera: Exitium enim domus fratris Herodis procurauit per patrem Aretam socerum Philippi: cum tamen coniugis sit ædificare & manutenere domum, sicut dicitur *Genes.* 24. quod parentes Rebeccæ monuerunt eam regere familiam, diligere maritum. Vnde de ipsa dicitur *Eccle.* 7. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus eius. *Eccli.* 26. Sicut bouũ iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Ista fuit peior meretrice, quia meretrix à merendo dicitur: ista autem nihil per hoc meruit, sed insatiabilem libidinem quam ad coitum habuit, & in Philippo explere non potuit, in Herode quæsiuit, qui totus libidini etiam per medicinas inseruiuit: & ideo scortum fuit, quæ in hoc differt à meretrice, quod non nisi libidinem quærit, meretrix autem non libidinem sed pretium. *Ezech.* 16. Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis. Et in hoc quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti: factum est in te contra consuetudinem mulierum. Hæc est mulier vltro virum rapiens. 1. *Reg.* 20. Scortatricis etiam malitiam vicit, quia adultera. Vnde dicit.

Vxore fratris sui] *Eccli.* 23. Omnis mulier relinquens virum suum peccabit: statuens hæredem ex alieno matrimonio. Primo quidem, quia in lege Altissimi incredibilis fuit Et secundo, quia virum dereliquit: tertio, quia thorum viri, & fidei suæ sponsionem violauit. Et hoc totum notat cum dicit: Quia fornicata est. In hoc autem quod maritus eius verus frater fuit, etiam stupri rea: sicut & ipse Herodes contra legem *Leuit.* 20. Qui duxerit vxorem fratris sui, rem illicitam perpetrauit. Ergo stuprator & adulter fuit: sicut & ipsa Herodias, exitialis meretrix.

Et de omnibus malis] Ecce generalis correptio: quia de omnibus malis corripuit eum: quia Herodis malum exemplum fuit pessimum: quia, vt dicit. *Gregorius.* in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerentia gradus peccator honoratur. Et ideo minus est dissimulandum in Prælato, quàm in subdito. Nec erat vlla tergiuersatione celanda: quia notorium erat, quod ea erant [quæ fecerat Herodes] & negari non poterant. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam te contra faciem tuam. 3. *Reg.* 2. Tu nosti omne malum, cuius conscium est tibi cor tuum [adiecit] Ecce effectus causæ præinductæ: quia pro bono reddidit malum. *Ierem.* 18. Nunquid redditur pro bono malum? [Adiecit autem] dicit, quia cum in omnibus aliis fuerit scelestus & malus: in hoc etiam fuit sacrilegus, & temeratius, & ingratus. Sacrilegus quidem, quia in eum, qui ab vtero matris consecratus est, misit manum. *Ecclesiastici* 49. Male tractauerunt eum, qui ab vtero consecratus est. Temeratius autem: quia iniecit manus violentas in Prophetam: cum dicit *Psalm.* 104. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, Ingratus autem: quia pro bono malum reddidit. *Psalm.* 108. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi [adiecit] ergo tantum pondus iniquitatis [super omnia] peccata sua. *Psalm.* 37. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Et inclusit Ioannem] ab vtero sanctificatum, cuius natiuitas miraculum, cuius vita sanctitas, cuius officium via fuit salutis, cuius vox libera verbum ostendit æternum. Hunc ergo & talem [inclusit in carcerem] viam ad Cristum quantum in se fuit auferens, verbum Dei alligans, salutarem præconem silentio perpetuo condemnans: eum qui illuminare missus est his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, tenebris carceralibus includens. Ecce quantum malum suis malis adiecit Herodes.

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum: & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est, Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.

Hic agitur de baptismo Christi quod est sanctificatio nostri baptismatis, & generatio nostræ regenerationis. Agendo autem de Christi baptismate facit quatuor. Primo enim ostendit, qualiter Christi baptismus est terminus baptismatis Ioannis. Secundo ostendit, quæ deuotio habenda est ad nostrum baptismum percipiendum. Tertio ostendit, quis sit effectus baptismatis in eo qui dignè percipit. Quarto ostendit, quæ sint sanctificantia nostrum baptisma. De primo autem determinans dicit [factum est] secundum ordinationem diuinam, quæ omnia præordinat antequam fiant [Cum baptizaretur omnis populus] Accommoda est distributio pro generibus singulorum, hoc est, de quolibet populo aliqui, hoc est, diuites & pauperes, nobiles & ignobiles, serui & liberi, masculi & fœminæ, Iudæi & Gentiles, & sic de quibuslibet differentiis hominum: inter quos etiam [& Iesu baptizato] qui sicut dicit *Ioan.* 1. medius stetit baptizandorum.

Si autem quæritur? Quare Christus voluit baptizari? Dicimus, quod plurimæ & rationabiles causæ assignantur, quarum vna potissima est: vt tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam conferret aquis. Sicut enim in quolibet tactu suo semper aliquid operatus est diuinum: sicut tetigit leprosum, & sanatus est per virtutem diuinitatis: & tetigit eum emorroissa, & sanata est: ita etiam tactu aquæ vis influxit aquis quod possent mundare animas, quæ vis regeneratiua dicitur: tamen hæc vis est in habitu in aquis, & non reducitur ad actum nisi per inuocationem sanctæ Trinitatis, & tunc agit regenerationem: sicut etiam in baptismate Christi Trinitas apparuit, Spiritus sanctus in columba, Pater in voce, & filius in aqua. Et hæc est vera causa. Tamen aliæ causæ assignantur: sicut vt baptismo iustitiam suam compleret, verbi gratia, vt pateretur legem quam ipse tulerat, quia dedit legem *Ioan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum cælorũ. Et iden vt eãdẽ legem subiret, baptizatus est: sicut subiuit legem circumcisionis quam dederat. Altera causa est vt nobis exemplum præberet baptismi suscipiendi. *Ioan.* 13. Exẽplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci: ita &

vos faciatis. Libentius enim & deuotius sacramentum in elemento visibili suscipit seruus, quod ante eum suscepit Dominus: & magis credit in elemento visibili inuenire gratiam, quando scit non esse egenum, & vacuum esse elementum ex susceptione Domini. His igitur de causis baptizari voluit Dominus. Sequitur.

Et orante] Instruit Dominus in qua deuotione accipiendus est baptismus. Oratio enim, vt dicit *August.* est pius affectus mentis in Deum directus. Et in hoc pio affectu suscipi debet & conseruari: quia cum indeuotus accedit, obicem Spiritui sancto ponit: & licet sacramentum consequatur, tamen rem sacramenti non suscipit. *Sapien.*1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Sic ergo per orationem pietas monstranda & exercenda est: vt virtutem suam faciat baptismus. Sequitur de effectu baptismi.

Apertum est cælum] Non quod diuisum fuerit, sed quia secreta cæli patuerunt. Cælum enim à celando est dictum, & vsque ad illud tempus, quamuis aliquando alicui Sanctorum aliquid de secretis cæli reuelatum fuerit ad sciendum: tamen secreta cæli non sunt aperta ad dandum, & exhibendum communiter. Et sic aperti sunt cæli in baptismo. Ad literam autem tantus splendor super Christum emicuit, quasi inferiori cælo cedente per modum quo nubes à cælo recedunt, totum cælum empyreum reuelaretur, & totum splendorem suum in Christum super terram dirigeret, & terram lumine repleret, facto dicens hoc quod dicitur de illo. *Hebr.*1. quod Christus est splendor gloriæ & figura substantiæ æterni solis, hoc est, Patris. *Sapient.*7. Candor est lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis. Figurabatur mysticè baptizatis Christi baptismate cælum aperiri. Baptismus enim cælum aperit per hoc quod aufert impedimentum ascendendi in cælum. Passio autem Christi aperit per pretij solutionem, & Ascensio Domini aperit per loci adeptionem & mansionis præparationem. Vnde baptismus remouet repagulum. *Psalm.*106. Confregit portas æreas, & vectes ferreos confregit: suscepit eos de via iniquitatis suæ. Passio autem soluit pretium de emenda mansione. *Genes.*31. Ego damnum omne reddebam: quicquid furto peribat, à me exigebas. Ascensio autem in redemptum per passionem intrat locum. *Ioan.*14. Vado parare vobis locum, & iterum veniam & assumam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis mecum.

Sequitur de sanctificantibus baptismum. Hæc autem sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: Pater in voce, Filius in carne; Spiritus sanctus in columba. Et ideo sine inuocatione Trinitatis per propria nomina, baptismus non sanctificatur: quia tres personæ per sibi propria ibi apparuerunt sanctificantes. *Matth. vltim.* Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quia autem in sanctificando, vt dicit *August.* Spiritus sanctus persona vicinior nobis est: ideo incipit à Spiritu, dicens tria: descensum, & descendentem, & descendendi modum. Descensum tangit cum dicit [Et descendit] descensione sua declarans sanctificationis infusionem in baptismum. *Isa.*66. Ecce ego declinabo in vos sicut flumen pacis, & tanquam torrentem inundantem gloriam Gentium. Flumen pacis significatio est Spiritus. Et quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia: ideo appropriatur torrenti inundanti. Torridus quidem calore charitatis: inundans autem abundantia charismatis. Et hæc est gloria Gentium quæ veniunt cum deuotione ad Baptismum. Descendentem autem tangit Spiritum sanctum.

Et descendit Spiritus sanctus] per spirationem renatis ferens spiritum vitæ, & per sanctitatem expellens peccatum quod fuit causa mortis. Facit autem hæc duo septem quibusdam appropriatis sibi effectibus. Primo enim munditia creat cor nouum. *Psalm.*50. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Secundo, creatum autem & mundatum & rectificatum renouat virtute. *Psalm.*103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur & renouabis faciem terræ. *Ezech.*36. Dabo vobis Spiritum nouum, & effundam super vos aquam mundam. Tertio, renouatum eripiens de seruitute facit liberum. 2.*Corinth.*3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Quarto, liberum facit Deo reconciliatum amicum. *Genes.*8. Columba retulit ramum virentis oliuæ, reconciliatum & propitiatum ostendens Deum. Quinto, reconciliatum adhuc infirmum adiuuat ad bonum. *Rom.*8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Sexto, adiutum & confortatum suspirare facit de exilio ad patriam. *Rom.*8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Septimo, suspirantem pennis desideriorum & contemplationum eleuat in requiem beatorum in cælum. *Psalm.*54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo, & requiescam? Sic ergo descendit Spiritus sanctus. Descendendi autem modum tangit in duobus, scilicet, in genere, & in specie. In genere quidem: quia descendit.

Corporali specie] Hæc autem species fuit verum corpus oculis hominum quibus Deus reuelari voluit visibiliter apparens. Tamen species vocatur: quia Spiritui sancto corpus illud non fuit vnitum: sicut Filio fuit vnitum corpus hominis quod assumpsit. Hæc igitur est causa quod dicitur; non corpore, sed corporali specie: quia in eo Spiritus sanctus fuit ad expletionem operis quod exercuit, & non ad esse vnionis in persona. Et in specie tangit modum cum dicit [sicut columba] quæ quidem vera columba fuit: quia pura veritas nescit vti figmentis phantasticis. *Ioan.*4. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

Proprietatibus autem decem mirabiliter columbæ conuenientibus, voluit potius vti columba quam alia specie corporali: quarum vna est, quod non habet fel in hepate, in quo secundum *Platonem* est vis appetitiua: quod signat nihil fellitum & amarum secũdum indignationem, vel iram, vel odium, vel inuidiam, communicationem habere cum Spiritu sancto. *Hebr.*12. Nequa radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Secunda est, quia auis est innocua ore, non mordax: & si mordeat, non dat læsuram, signans nihil mali in ore habere qui habet Spiritum sanctum. *Ephes.*4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed siquis bonus est vt det gratiam audienti. Tertia est, quia est auis innocua vnguibus, nihil lacerans pede vel vngue. *Psalm.*36. Custodi innocentiam, & vide æquitatem. Quarta est, quod est auis cibata nudo grano,

&

& tectum pede non eruit verrendo ſicut Gallioa, vel roſtro fodiendo ſicut coruus: in quo notatur frugalitas parſimoniæ. *Eccls.*31. Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur. Quinta eſt, quod eſt auis oſcularina ſui generis, ſignificans in hoc dulcedinem Spiritus. Et, ſicut dicit *Augustinus*, etiam cum mordens eſt, dulciter quaſi oſculando & non lædendo mordet, ſignificans quoniam reprehenſio & correctio eſt dulcis & non dente canino illata. Vnde *Augustinus*. Gratanter recipit oſculum columbinum benigniſſima charitas: dentem autem caninum vel euitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima charitas. *Eccli.*24. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.

Sexta proprietas eſt, quod mirabili ſagacitate cauet accipitrem. Si enim videat falconem qui non accipit eam niſi ictum dando in aëre, fugit vel ad terram vel ad arborem. Si autem videat aquilam quæ accipit in terra, ſtatim declinat ad aërem vel ad arborem. Et ſi videat larum accipientem in arbore, declinat ad terram vel ad aërem. Et ideo ſedet ſuper aquas: vt ſi forte per negligentiam non conſideret rapacem venientem, ſaltem vmbram eius in aqua perpendat: ſignificans quam ſagaciter tentator eſt declinandus, & per veritatem vel in fluentis Scripturæ conſiderandus. *Cantic.*4. Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum. Septima eſſe dicitur, quod pullos alienos nutrit & fouet ſicut ſuos: & commendat dilectionem proximi. *Leuit.*19. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Octaua eſt, quod gemitum habet pro cantu. *Prouerb.*14. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Nona eſt, quod gregatim volat, concordiam & ſocialem ciuilitatem cuſtodiens. *Eccli.*25. In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier ſibi bene conſentientes. Decima eſt, quod in petra nidum ſuum collocat vel alio tuto loco, propter animalia nido inſidiantia. Petra autem eſt Chriſtus: & foramina nidis noſtris apta, aperturæ vulnerum ipſius: in quibus abſcondit cordis ſui partum per memoriam paſſionis quiſquis tutus eſſe deſiderat. *Ierem.*48. Eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis. *Iſa.*2. Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo.

His ergo proprietatibus elegit columbam: non quidem quod eſſet illi columbæ vnitus, ſiue ia columbatus: ſicut Chriſtus incarnatus, & humanatus: ſed quod vera & viua ſit columba, tunc ad vſum Spiritus creata, & poſt peractum officium in priſtinam materiam reſoluta. Noluit enim manere eam adorandam: ſicut Chriſti caro adoratur: quia non erat ſibi vnita: ſicut & confringi & comburi puluerem ſerpentis, quem Moyſes fecerat, voluit per Ezechiam 4.*Reg.*18. ne à populo adoraretur, & ſic in idololatriam induceret. Apparuit autem ſuper Apoſtolos in igne: quia eos ad charitatem accendit, & peccatum conſumpſit, quod non erat opus in Chriſto. Sic igitur Spiritus ſanctus corporali ſpecie deſcendit ſicut columba [in ipſum] ita quod Spiritus deſcendit in ipſum: columba autem manſit ſuper eum vſque poſt baptiſmum, & tunc deſiit. *Ioan.*1. Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem: hic eſt qui baptizat.

Et vox de cælo facta eſt] Et in hac voce apparuit Pater in ſuæ proprietate perſonæ. Sicut enim columba inter omnia corporalia, ſola propria Spiritus ſancti, non Filij, neque Patris: ita vox iſta ſola inter omnia corporalia, propria eſt ſolius Patris, non Spiritus ſancti, neque Filij. Et ita caro aſſumpta ſola eſt propria Filij, non Patris, nec Spiritus ſancti. Omnia enim alia corporalia communiter ſunt trium: licet per aliquam conuenientiam attribuantur aliquando vni perſonæ; ſicut ignis, Spiritui ſancto, cum tamen ſit communis trium. Et hoc eſt quod dicit *Pſalm.*28. Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. *Pſalm.*67. Dabit voci ſuæ vocem virtutis.

Sonuit autem tribus vicibus vox de cælo: vox Patris in baptiſmo quidem ad ſanctificandum *Matth.*3. in transfiguratione ad beatificandum *Matth.*17. in paſſione autem ad reconciliandum *Ioan.*12. In baptiſmo acceptat ſacramentum: & ideo dicit: In quo mihi complacui. In transfiguratione beatificandos inuitat ad obediendum: & ideo dicit: Ipſum audite. In tempore paſſionis ad purificandum, vt aptus ſit homo ſplendori gloriæ: & ideo dicit: Clarificaui, & iterum clarificabo. Quid autem dicit vox, ſubiungit cum dicit.

Tu es filius, &c.] Tria dicit: diſcretionem Filij ab aliis, profeſſionem dilectionis, & acceptationem ſui operis. Diſcretionem quando dicit [Tu es Filius meus] ab aliis diſcretus in hoc quod tu per naturam, alij autem per adoptionis gratiam. *Ioan.*1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. In hoc autem quod eſt Filius naturalis & proprius, adoptamur nos in filios. *Coloſſ.*1. Tranſtulit nos in regnum Filij dilectionis ſuæ. Profeſſionem dilectionis in hoc quod dicit [dilectus] qui nihil habet non dilectum: quia non naſcitur filius iræ ſicut cæteri *Epheſ.*2. Quia ipſe principium eſt ſuæ dilectionis, hoc eſt, Spiritus ſancti: ſicut & Pater. Et hanc dilectionem infundit fidelibus. *Roman.*5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Placitum operis Filij dicit.

In quo complacui mihi] quia omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt. *Ioan.*17. Et clarificatus ſum in eis. Et ideo quia mea in te ſunt: ſicut placeo mihi in meis nihil diſplicentiæ inueniens: ita placeo mihi in tuis nihil inueniens diſplicentiæ. Et hæc eſt lectura *Ambroſij*. Beda autem legit: In te complacuit mihi, hoc eſt, In te ſimul placitum meum reſedit: quia per te placet totum quod prius diſplicuit. *Geneſ.*6. Pœnitet me feciſſe hominem. Sed modo complacet in te reparare: & ideo totum meum placitum, hoc eſt, paſcens in volito voluntas, eſt in te: & ideo acceptabo pro redemptione hoc quod feceris. *Pſalm.*50. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ: oblationes, & holocauſta. Sic ergo Pater in voce apparuit ſibi, & non aliæ perſonæ propria.

Et ipſe IESVS erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit mathat, qui fuit leui, qui fuit Melchi, qui fuit Iamne, qui fuit Ioſeph,

qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Helmadan, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat: qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragan, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Hic tangit duo: præsentiam Filij tactu suæ mundissimæ carnis, sanctificantis aquam baptismatis: & genealogiam. Præsentiam filij tangens, innuit præsentiam, & determinat ætatem. Præsentiam innuens, dicit [Et ipse IESVS] Quasi dicat. Cum Spiritu & Patre erat ipse IESVS. *Ioan.* 14. Qui videt me, videt & Patrem: non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Tres ergo sic baptismum sanctificant, significantes quod oportet esse baptismum in nomine Trinitatis: quia vna est sanctificatio trium, & vna est operatio trium. Hic ergo IESVS [erat incipiens] facere, & docere, & Ecclesiam in vnum congregare. *Act.* 1. cœpit IESVS facere, & docere. *Matth.* 4. Exinde cœpit IESVS prædicare, & docere: Pœnitentiam agite.

Quasi annorum triginta] Vera lectura est: quia IESVS erat incipiens apertè docere, & prædicare: cum esset [quasi annorum triginta] hoc est, circa triginta annos: quia habuit triginta annos & 13. dies. Isto enim tempore, sicut dicit *Gloss.* Ioseph recepit Ægypti gubernacula. *Genes.* 41. Dauid regalem accepit dignitatem. 2. *Reg.* 5. Ezechiel prophetare exorsus est. *Ezech.* 1. Et quod à Patriarchis voluit præfigurari, à Prophetis prædici, à Regibus obseruari: & ipse post alios voluit confirmare, ne aliquis exemplum sumens ab ipso, præsumeret ante ætatem legitimam publicum regimen assumere, vel officium docendi. Propter quod *Apostolus* 1. *Timoth.* 3. dicit. Non neophitum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Paucissimis tamen & non sine aperto iudicio reuelationis diuinæ, concessum est ante iudicare & prophetare; sicut *Ierem.* 1. & *Daniel.* 13. Et si ab his locis rationem dispensandi accipiunt summi nostri Pontifices & Cardinales cum suis nepotibus, quos pueros in dignitatibus & Prophetarum officiis constituunt, ostendant saltem ab vtero sanctificatos: sicut Ieremiam, & quod Deus eis honorem contulerit senectutis: sicut in Daniele. Alioquin pro certo sua abutuntur potestate.

Quidam autem aliter legunt sic [Ipse IESVS erat incipiens quasi annorum 30.] hoc est, annum trigesimum quia de trigesimo anno habuit 13. dies: & ideo annum trigesimum inceperat. Sed hæc lectura nihil penitus valet, & de litera extrahi non potest: quia tunc non esset vt annorum 30. sed vt incipiens trigesimum: nisi vellet aliquis dicere, quia sapientia in eo & gratia erat sicut esset annorum 30. Sed hoc nihil est; quia tunc etiam in primo anno erat sicut esset centum annorum. Vnde prima lectura sola est vera [Erat autem incipiens quasi esset annorum triginta] secundum illum modum ætatis humanæ [vt putabatur filius Ioseph] hoc est, secundum quod erat homo, & non Deus: quia secundum quod Deus erat, non erat incipiens triginta annorum, sed ab æterno. *Ioan.* 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Et ab hinc texit genealogiam. In qua in tribus differt à *Matthæo*.

Primum est, quod *Matthæus* genealogiam texit descendendo *Lucas* autem ascendendo. Secundum est, quod *Matthæus* ponit genealogiam in principio suæ narrationis: *Lucas* autem post baptismum. Tertium autem, quod *Matthæus* ponit quadraginta duas generationnes, si Christus simul, & Iechonias sicut in Euangelio positus bis computetur. Alioquin si Christus non computetur, & Iechonias tantum semel computetur: tunc non ponit nisi quadraginta. *Lucas* autem texit 77. Causa autem istarum differentiarum est, quod *Matthæus* quidem carnalem describit generationem, per quam Christus per corpulentam substantiam descendit ad nos: & ideo descendendo describit. *Lucas* autem spiritualem magis describit adoptionem, per quam in filios adoptamur: & ideo describit ascendendo: quia sic filij Dei efficimur. *Ioan.* 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Causa secundæ differentiæ est eadem: quia cum *Matthæus* corporalem in Christo generationem describat, à principio inchoare debuit: quia illa prima est secundum processum temporis. Cum autem *Lucas* spiritualem generationem filiorum Dei per Christum factam describat, quæ à baptismo incepit: post baptismum illam ascendendo texuit vsque in Deum.

Quod autem *Matthæus* quadraginta vel quadragintaduas ponit generationes. *Lucas* vero septuagintaseptem: causa est, quia *Matthæus* describit ea quibus militatur in hac vita: quia quaternarius pertinet ad quatuor mundi climata, vel quatuor anni tempora: & ideo significat hoc quod in hoc mundo est vbique & semper faciendum. Denarius autem ad præcepta refertur quibus militatur.

litatur. Quadraginta autem ex quater decem componitur. Si autem duo addantur: opera duo dilectionis (quibus præcepta implentur) significantur. Et sic numerus militiæ Christianæ quadragenario numero significatur. Et similiter per quadragintaduo: qui numerus mansionibus filiorum Israël significatur. Et sicut quadragesima mansione, diuiso Iordane terra promissionis intratur: ita per quadragenarij numeri partes ad quinquagiota peruenitur: qui numerus est remissionis & libertatis: sicut dicunt Sancti. Sed 77. est annus remissionis: quia constat ex septies vndecim. (Et 11. quidem (quia denarium excedit, & ad duodenarium non peruenit) signat transgressionem. Septenarius autem ad tempus vniuersale refertur quo illa transgressio perpetratur. Septenarius autem qui remanet, significat septem remissiua, quæ sunt septem sacramenta, vel septem Spiritus dona, vel etiam septem quæ remittuntur vitia. Et ideo ad vniuersalem pertinet remissionem. *Matth.* 18. Non dico tibi, Petre, dimittendi septies, sed vsque septuagies septies. Et hæc omnia sunt in *Gloss.*

Adhuc autem *Matthæus* vtitur hoc verbo, Genuit. Lucas autem verbo, Qui fuit. Item *Matthæus* non ponit nisi filios naturales. *Lucas* autem etiam ponit adoptiuos & legales. Item *Matthæus* in regali progenie à Dauid descendit per Salomonem. *Lucas* autem tacito Salomone, per Nathan ascendit ad Dauid. Adhuc autem *Matthæus* patrem Ioseph dicit fuisse Iacob. *Lucas* autem patrem Ioseph, sponsi Mariæ dicit fuisse Heli.

Ad hæc autem respondent Sancti, quod quia *Matthæus* texit veram veram genealogiam: ideo verbo veræ generatioois. *Lucas* autem cum texit magis adoptionis genealogiam: non ponit, Genuit, sed, Qui fuit. Adoptiuus enim filius & legalis sunt filij: & tamen nō generantur ab eo cuius sunt filij. Alij etiam dicunt quod adoptio confert verum esse: de quo dicit *Boetius*. Esse, est quod ordinem retinet, seruatque naturam. Et ideo vtitur verbo pertinente ad esse. *Matthæus* autem quia carnalem texit propinquitatem, quæ non multum confert: non vtitur verbo essendi, sed generandi.

Quod autem *Matthæus* non ponit nisi filios naturales causa est: quia carnalem texit generationem. Et quod *Lucas* ponit adoptiuos & legales causa est: quia texit spiritualem generationem.

Quod autem *Matthæus* descendendo genealogiam texit à Dauid per Salomonem, causa est: quia regalem secundum carnem in Christo vult ostendere dignitatem. *Lucas* attamen coonectit genere sacerdotali, potius in Christo ostendens quod hostia est quam rex: & ideo per Nathan qui Propheta fuit, Dauid redarguens de peccato quod in Bersabee commiserat, & annuntians quod remissum fuit sibi peccatum 2. *Reg.* 12. Et ideo à Dauid (eundem Nathan adoptante in filium) ascendendo per Nathan filium gratiæ, ascendit ad Dauid: Salomone tacito qui secundum naturam natus est de peccatrice, adultera: & ab adultero, & homicida, & proditore.

Quod autem Matthæus patrem Ioseph, sponsi Beatæ Mariæ Virginis dicit esse Iacob, cuius patrem *Lucas* dicit esse Heli: causam dicit *Africanus* in expositione *Lucæ*, quod Iacob pater carnalis fuit Ioseph, & hoc ponit Matthæus: legalis autem fuit Heli, & hoc ponit *Lucas*. Cuius modum ponit talem, & est in *Gloss.* Dicit enim quod Mathan & Mathat fuerunt fratres vterini: Mathan autem descendit per Salomonem, & duxit vxorem nomine Hastra, & ex ea genuit filium Iacob nomine: & defunctus est. Quia autem sine liberis prolibus defunctus est: ideo eandem Hastram post Mathan, duxit frater eius Mathat, & genuit ex ea Heli: & ita Iacob & Heli fuerunt fratres vterini ex duobus patribus & vna matre. Heli autem acepta vxore moritur sine semine, cuius vxorem duxit Iacob, & genuit Ioseph. Et ita Ioseph carnalis fuit filius Iacob, & legalis Heli: quia Iacob eum genuit de vxore Heli, ipsi Heli fratri suo semen suscitando. Hoc est ergo quod dicit in litera. Et sic fere per totum patet genealogia.

Adhuc ergo attendendum est, quod *Augustinus in Libro Quæstionum veteris & noui testamenti*, dicit vbique Qui, articulare nomen, referri ad Christum: eo quod attendit interpretationes nominum, & quod secundum virtutes quas interpretationes nominum indicant generati vel adoptati pertinent ad Christum: sicut membra ad caput. *Ambrosius* autem accipiens personas numeratas quoad esse naturale dicit, quod Qui fuit: refertur semper ad immediate præcedentem. Vt sit sensus. Putabatur Christus filius Ioseph, qui Ioseph fuit Heli filius. qui Heli fuit filius Mathat. Et sic de omnibus aliis.

His prælibatis, attendendum est ad literam quæ iam patet fere per totum. Colligamus enim primos decem patres, qui sunt, Ioseph, Heli, Mathat, Leui, Melchi, Iamne, Ioseph, Mathatias, Amos, Naum. Et dicemus, quod Ioseph appositio interpretetur, Heli fortis vel ascendens, Mathat autem donans peccatum, Leui autem additus, Melchi rex meus, Iamne dextra, Ioseph augmentum, donum Domini vero interpretetur Mathathias, Amos autem onerans, Naum vero consolator. Et isti decem significant decem gratias in adoptionis generatione extrahentes hominem de peccato.

Primum est, quod extrahit gratia libero arbitrio apposita: quia homo est spiritus vadens & non rediens. Per se quidem vadit in peccatum: non autem redit de peccato nisi gratia apposita. Nisi autem fortis sit contra peccatum, iterum relabitur: ideo [Heli] qui fortis, interpretatur, ex appositione gratiæ nascitur. *Iosue* 1. Confortare & esto robustus. Heli autem pater est [Mathat] qui donans peccatum interpretatur: quia in tali fortitudine, peccati vires saluantur, & quoad illas vires peccatum condonatur. *Rom.* 11. Peccatum vobis non dominabitur. Ex destructo autem peccati dominio [Leui] qui additus interpretatur, nascitur: quia tunc virtus bene operandi homini additur ad eam quam prius habuit gratiam. *Matth.* 25. Omni habenti dabitur, & abundabit. Tali autem additione facta [Melchi] nascitur, qui rex meus interpretatur: quia tunc homo regere se sufficit, & per iustitiam gubernare. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit rex: & principes in iudicio præerunt. Ab hoc [Iamne] qui dextra interpretatur, oritur: quia tunc in potestate constitutus, fortia operatur: sicut dicit *Psalm.* 118. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Ab hoc item iterato [Ioseph] hoc est, auctus oritur: quia tunc victoriæ contra insidias peccatorum frequentes obtinentur: ex quibus

homo auctus in bonis spiritualibus inclytus efficitur *Gen*. 31. Tulit Iacob omnem substantiam Patris nostri, & de illius facultatibus ditatus, factus est inclytus. Ab hoc autem [Mathathias] nascitur, qui & ipse donum Dei interpretatur: quia cum homo crebris victoriis gratiam adiutricem sensit: quid aliud nisi qualibet victoria semper noua Dei cognoscit? *Iacob*. 1. Dat omnibus affluēter, & non improperat. Ab hoc autem [Amos] nascitur, qui onerans interpretatur: quia quanto plura dona Dei recipiuntur, tanto plus ipse qui recipit, ad rationem oneratur: quia vt dicit *Gregorius*, cui plus committitur, ab eo plus exigitur: & cum crescunt dona, rationes crescunt donorum. *Matth*. 18. Simile est regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Ab Amos autem tandem [Naum] nascitur, qui consolator interpretatur: qui cum misericorde Domino rationem ponimus, qui cum non habemus vnde soluamus: si deuoti sumus, totum dimittit. *Luc*. 7. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. *Matth*. 18. Misertus Dominus serui illius, dimisit ei vniuersum debitum. Sic ergo per istos decem effectus gratiæ perfecte receditur à peccato in bonum.

Consequentes autem decem sunt, Hesli, Nagge, Mahath, Mathathias, Semei, Ioseph, Iuda, Ioanna, Resa, Zorobabel. Hi autem, decem virtutibus perficiunt hominem secundum animæ vires [Hesli] enim qui interpretatur, adiuua me [Nagge] qui interpretatur meridianū, & [Mahath] qui donatio temporis [Mathathias] qui donum Dei [Semei] qui obediens [Ioseph] qui accrescens, & [Iuda] qui confitens: significant rationis perfectionem secundum suos actus. Hæc enim septē ad perfectionē eius exiguntur. Secundo etiā oportet quod à Deo tenebræ eius in quibus nascitur, lumine suo pellantur: & hoc fit per [Nagge] qui meridies interpretatur. *Isa*. 28. Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Hæc autem lux non datur nisi quærenti adiutorium ab eo qui habitat lucem inaccessibilem. Et hoc adiutorium fit per [Hesli] qui adiuua me interpretatur. Non autem fit illuminatio rationis solum per donum diuinum: sed etiam per studium Scripturarum, Vnde tertius [Mahath] accedit, qui donatio temporis dicitur in quo homo per Scripturarum studium illuminetur & per experimentum. Vnde *Gregorius*. Intellectum dat, dum de audiris mentem illuminat. *Psalm*. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Dicunt enim Philosophi, quod ideo datur homini tempus viuendi: vt intellectum lumine scientiæ per studium perficiat. Sed omnem intellectum in captiuitatem oportet redigere sub articulis fidei, sicut dicitur 2. *Corinth* 10. Ideo oportet rationem obedientem esse fidei. Oportet enim discentem credere, vt dicit *Philosophus*. Et hoc facit [Semei] qui obediens interpretatur. *Psalm*. Obedite voci eius. *Isa*. 50. Dominus aperuit mihi aures: ego autem non contradico, retrorsum non abij. Talis autem crescit sapientia & scientia, tam dono Dei quam etiam studio: & hoc incrementum est [Ioseph] sicut *supra* 2. habitum est, quod poer IESVS proficiebat ætate & sapientia. Sic autem accepto incremento scientiæ fidei, ore confitetur quod intus intelligit: & hoc est [Iudas] *Rom*. 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

Concupiscibilis autem perficitur per specialem gratiam: quia ipsa est corrupta & infecta, & gratia magna indiget vt corruptioni & infectioni possit resistere. Vnde [Ioanna] gratia interpretatur. *Sapien*. 8. Sciui quod non possum esse continens, nisi Deus det: quamquam hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius hoc esset donum. Per gratiam igitur perficitur sic contra malum inflictum sibi ex peccato. Eiusdem autem est esse benignam & misericordem ad proximum: & hoc est [Resa] qui misericors interpretatur. *Luc*. 6. Estote misericordes: quia pater vester misericors est. Irascibilis autem perficitur dominali insurrectione, contra omnia confusionem inducentia. Et hoc est [Zorobabel] qui dominus vel magister, vel dominus Babylonis vel cōfusionis interpretatur.

Sequentes autem in tertio denario perficiunt hominem ad tres theologicas virtutes, qui sunt, Salathiel, Neri, Melchi, Addi, Cosam, Helmadam, Her, Iesu, Eliezer, Iorim. Et nouem quidem antecedentes perficiunt tres virtutes ad suos actus. Decimus autem qui sequitur, respicit omnes tres quoad effectum quem faciunt in anima. Habet enim charitas actum primum qui est desiderare: & quoad hunc ex desiderio multa petit, & quoad hunc actum perficitur per [Salathiel] qui petitio mea Deus, interpretatur. *Psalm*. 72. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Hoc enim est verbum charitatis, quod omnis petitio sua Deus est, ad quem suspirat. Actus autem primus fidei est, quod illuminat ad credenda: & hoc perficitur per [Neri] qui lucerna interpretatur. *Psalm*. 131. Paraui lucernam Christo meo. Primus autem actus spei est expectatio regni Dei & non alterius; & hoc perficitur per [Melchi] qui regnum meum interpretatur: quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis & gratia proueniens: per quæ merita & gratiam, regnum expectat. Per spem efficitur suum. *Psalm* 26. Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Secundus actus spei est, tutare & confortare animam: sicut dicitur *Hebr*. 6. Spem sicut anchoram animæ habemus tutam & firmam. Et sic confortatur per [Addi] qui robustus vel violentus interpretatur: quia sic robore per conscientiam meritorum confortat animam, quod non fluctuat. *Rom*. 5. Spes non confundit. *Psalm*. 31. Sperantem in Domino misericordia circuodabit. Fides autem secundum actum habet, quod est argumentum rerum non apparentium: & quoad hoc diuinat de occultis Dei, & perficitur per [Cosam] qui diuinans interpretatur. *Hebr*. 11. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Charitas autem secundum actum habet, quod ipsa est mensura meritorum, & sic per [Helmadam] perficitur, qui dimensum interpretatur. *Luc*. 6. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Quantum enim diligis, tantum mercedis habebis. *Luc*. 7. Dimittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum. Tertius actus fidei est, vigilare semper ad Deum, & contra diabolum, per considerationem eorum quæ credidit, & sic perficitur per [Her] qui vigilans interpretatur. *Cant*. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Tertius autem actus spei est, saluare per certitudinem expectati: & sic perficitur per [IESVM] qui saluator interpretatur.

terpretatur. *Ioan.*16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem: sed confidite, quia ego vici mundum. Confidere enim est proprium certæ spei. Tertius autem actus charitatis est, destitui amore dilecti, & nullo posse iuuari nisi Domino, & sic perficitur per [Eliezer] qui Deus meus adiutor interpretatur. *Cantic.*2. Nuntiate dilecto, quia amore langueo. Hos autem omnes sequitur gaudium in anima de tot bonorum adeptione: quia quasi regnum Christi in tali anima conualuit: & hoc perficit [Iorim] qui Dominus exultans interpretatur. *Rom.*14. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.

Sequentes decem qui sunt in quarto denatio sunt, Mathat, Leui, Simeon, Ioda, Ioseph, Iona, Eliakim, Melcha, Menna, Mathata. Et faciunt ad perfectionem virtutis consuetudinalis secundum suum genus. Hæc enim virtus est, vt dicit *Augustinus*, bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis. Vnde non dicitur consuetudinalis, quod consuetudine acquiratur, sed quia consuetudine radicatur & confirmatur. Et sic ex diffinitione sua habet quatuor, & quintum habet ex nomine. Ex diffinitione enim habet, quod Deus eam sine nobis per modum doni operatur in nobis. Habet etiam, quod est bona qualitas menti addita. Et habet, quod ea recte viuitur. Et habet, quod ea nemo male vtitur. Ex nomine autem habet quod consuetudine crescit, & confirmatur.

Ex hoc autem, quod Deus operatur eam in nobis sine nobis, donatur & perficitur per [Mathat] qui donatio interpretatur. *Iacob.*1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Ex hoc autem quod est bona qualitas mentis, mentem bonificans, vt ita dicam, perficitur [Leui] qui additus interpretatur. *Matth.*25. Omni habenti dabitur, & abundabit. 2. *Reg.*12. Si ista sunt pauca, ego addam tibi multa maiora Ex hoc autem quod ea recte viuitur, quod est gloriosum in exemplo extra, perficitur per [Iudam] qui glorificans interpretatur. *Matth.*5. Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Et per hoc quod ea nemo male vti potest, perficitur per [Simeon] qui signum interpretatur. Signum enim non potest esse in vsu nisi signari. *Ioan.*3. Qui acceperit eius testimonium, signabit quia Deus verax est. Non enim vincitur virtus in signando bonum. In hoc autem quod consuetudine confirmatur & radicatur, perficitur per [Ioseph] qui augmentum interpretatur. *Genes.* 22. & *Hebr.*6. Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.

Hæc autem virtus duo sibi præsupponit in subiecto: vnum autem statim facit infusa in anima, & per hoc distribuitur partibus animæ, & vnum relinquit suo possessori quando in omnibus est perfecta. Primum autem quod præexigit in subiecto, est dolor de bono amisso, & quoad hoc perficitur per [Ionam] qui dolens vel columba interpretatur, & significat columbinum dolorem & gemitum pro donis columbæ amissis. *Psalm.*48. Ego sum pauper & dolens: salus tua suscepit me. Secundum quod præexigit in subiecto, est quod non desperet de acquisitione virtutis, sed mente in altum surgente, solicite quærat eam, & sic perficitur per [Eliakim] qui resurrectio Domini interpretatur. *Psalm.*3. Exurrexi quoniam Dominus suscepit me. *Coloss.*3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est sedens in dextra Dei. *Gloss. ibidem.* Sursum sunt virtutes. Quod autem facit statim cum infunditur in anima, est quod rectificat eam in omnibus, & sic significatur per [Melcham] qui rex meus interpretatur. *Psalm.*44. Virga æquitatis virga regni tui. Hæc enim virga rectitudo est virtutis. Hæc autem rectitudo distribuitur in omnibus animæ intimis, & sic per [Mennam] significatur, qui viscera interpretatur. *Ezech.*3. Viscera tua complebuntur volumine, quod ego do tibi: hoc enim est, volumine virtutis. Quod autem relinquit possessori, sicut dicit *Ambrosius*, est quod delectat sancta & syncera delectatione, & sic significatur per [Mathatha] qui dulcedo saturitatis interpretatur. *Cantic.*2. Fructus eius dulcis gutturi meo. *Ezech.* 3. Factum est in ore meo tanquam dulce.

Quatuor autem sunt virtutes cardinales, ad quarum perfectionem referuntur 20. qui sequuntur. Sunt enim quatuor præparatoria ad particulares virtutes, & sunt ipsæ quatuor virtutes, & sunt quatuor actus substantiales virtutum, & sunt quatuor propria virtutes illas habentia, & sunt quatuor consequentia illas virtutes. Quatuor quidem præparatoria sunt quasi causæ earum. Quatuor autem virtutes sunt. Effecta per illas, scilicet, actus quatuor sunt quos eliciunt. Et quatuor propria quæ ex ipsis fluunt. Et quatuor consequentia sunt quæ ipsas semper consequuntur. Et in his est homo perfectus in virtute.

Præparatoria autem sunt ad dona Dei patens & idoneum desiderium, robur animæ ad difficile bonum & non esse remissum, feruor cordis ad contendendum ad bonum, & continua perseuerantia in bonis operandis. Et quoad primum quidem significatur per [Nathan] qui donans gratiæ interpretatur. *Ephes* 4. Dedit dona hominibus. Quæ non dat nisi idoneis: qui si etiam daret non idoneo pigro, auferretur ab eo *Matth.*25. Quoad secundum autem significatur per [Dauid] qui manu fortis interpretatur. *Iosue* 1. Confortare, & esto robustus. Quoad tertium significatur per [Iesse] qui interpretatur incendium vel incensum. *Psalm.*38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Quoad quartum autem significatur per [Obed] qui seruitus interpretatur. Seruit enim semper in frequenti opere: vt tandem virtutem accipiat in munere. *Genes.*29. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.

Virtutes autem ipsæ significantur per quatuor sequentes. Fortitudo enim quæ secundum nomen suum prima est, significatur per [Booz] qui fortis interpretatur. *Prouerb. vltim.* Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Temperantia autem quæ pax est in delectationibus sensibilibus, significatur per [Salmon] qui sensibilis & pacificus interpretatur. *Iob* 5. Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, hoc est, corpus tuum, & ibi bestiæ terræ erunt tibi pacificæ, hoc est, motus bestialis concupiscentiæ in corpore. Prudentia vero quæ serpentum est, significa-

tur per [Naasson] qui serpentinus interpretatur. *Matth* 10 Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Iustitia vero quæ remanet & libera voluntare reddit vnicuique quod suum est, significatur per [Aminadab] qui populus voluntarius interpretatur. 1.*Machab* 2. Omnis voluntarius in lege, & omnes qui fugiebant à malis, additi sunt Mathathiæ zelatori legis. Voluntarios autem in lege iustus est: quia iustitia congruentia legum est.

Propria autem opera istarum virtutum sunt: fortitudinis quidem contra malum insurgere, temperantiæ autem in delectationibus modum & medium tenere, prudentiæ autem ea quæ ad vitam conferunt sagaciter eligere, iustitiæ autem secundum æquale damni & lucri vnicuique quod suum est distribuere. Actus igitur fortitudinis qui est insurgere, significatur per [Aram] qui erectus vel excelsus interpretatur: quia non insurgit nisi erectus & excelsus, de robore fortitudinis confidens. Vnde isti parati sunt ad suscitandum contra se aduersarium. *Iob* 3. Qui parati sunt suscitare Leuiathan. Proprius autem actus temperantiæ, est mediare in delectabilibus innatis: sicut in his quæ faciunt delectationem in cibis & in venereis: & hanc oportet esse valde velocem, ne præoccupetur à concupiscentia: & quasi sagittam esse conuulnerantem concupiscentiam, vt infra terminos eorum quæ necessaria sunt & rationabilia & honesta possit teneri. Semper enim dolosa lingua loquitur concupiscentia, quasi sub pallio necessitatis, volens obtinere quod necessitatis est. Et ideo significatur istud moderamen per [Esrom] qui interpretatur sagitta. *Psalm.* 119. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. Actus autem prudentiæ qui est eligere quod vtile est ad vitam, significatur per [Phares] qui diuisio interpretatur: quia non fit electio nisi per multam eligendorum diuisionem. 1. *Corinth.* 2. Spiritualis omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur: quia spiritualiter examinatur, hoc est, examinatio fit & diuisio iudicandorum per spiritum rationis. Actus autem iustitiæ proprius, vt dictum est, secundum æquale damni & lucri vnicuique quod suum est tribuere: quod significatur per [Iudam] qui interpretatur confessio: quia in tali iudicio per æquilibrium veritatem confitetur: dans vnicuique quod sibi debetur, dignitate propria distributa. Et ideo iustitia non sine ratione facit quod facit (*Genes.* 49. Iuda te laudabunt fratres tui) eo quod vnicuique debita distribuit, & iniuriam non patitur fieri.

Propria autem harum virtutum sunt quæ manant ex ipsis. Fortis enim proprium, confidentem & imperterritum esse. Temperati autem proprium est, ipsum quidem modestum esse in omnibus. Prudentis autem, in his quæ agit circumspectum esse. Iusti autem, in omnibus esse directum & rectum. Quæ aptissimè significantur per quatuor, qui sequuntur. Imperterritus enim & confidens est quasi [Iacob] luctator, cui dictum est *Genes.* 32. Si contra Deum fortis fuisti: quantò magis contra homines prævalebis? Modestus autem cui nunquam ex intemperantia ingeritur tristitia, significatur per [Isaac] qui risus vel gaudium interpretatur, dicente matre in conceptu *Genes.* 31. Risum fecit mihi Dominus: cum tamen omnem voluptatem abominaretur. Vnde dicit *ibidem* 18. Postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Quasi dicat. Voluptatem quam in iuuentute abominata sum, in senectute non exercebo. Proprium autem iustitiæ quæ hic prudentiæ præponitur, significatur per [Abraham] qui pater multarum gentium interpretatur, inter quas quod iustum est distribuit. *Genes.* 17. Patrem multarum gentium vocaui te ante Deum cui credidisti. Vnde iste est qui diuisit inter filius liberæ hæreditatem, filiis autem concubinarum largitus est munera. *Genes.* 25. Proprium autem prudentis qui hic in vltimo ponitur, per [Thare] significatur, qui exploratio interpretatur: quia circumspectus omne quod agendum est prius explorat si vere sit vel non sit agendum. Vnde *Iosue* 2. Exploratores misit qui viam & terram quam intraturus erat explorarent.

Consequentia autem harum virtutum sunt quatuor: fortitudinis quidem consequens est audacia ex frequentibus victoriis. Temperantiæ autem frugalitas vel parsimonia ex delectabilium abstinentiis. Prudentiæ autem cautela magna in faciendis. Iustitiæ vero indeflexibilis rectitudo veritatis & æquitatis. Et ista non eodem ordine quo dicta sunt, significantur per quatuor sequentes patres. Cautela enim prudentiæ significatur per [Nachor] qui requieuit lux interpretatur: quia in eo tam lux cautelæ per multam requieuit circumspectionem. *Daniel.* 1. Eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina. Frugalitas autem temperantiæ significatur per [Satug] qui lorum vel corrigia interpretatur, quo concupiscentia ligatur. *Hebr.* 12. Ne quis fornicator aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua. *Eccli.* 31. Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur. Audacia autem fortis significatur per [Ragau] qui pascens interpretatur: quia dum multis victoriis spolia diripit, spoliis inimicorum domesticos pascit, & audaciæ coacoit ex sapore spoliorum. *Prouerb. vltim.* de forti muliere. De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Inflexibilis autem æquitatis rectitudo iustitiæ per [Phaleg] significatur: qui diuidens, vel diuisum interpretatur. Hæc enim omnia æqui libertate iustitia diuidit, & nunquam quod rectum est dimittit, vnicuique dicens illud *Matth.* 20. Tolle quod tuum est, & vade.

Post harum autem omnium virtutum habitum, sequitur status perfectionis, ad quem decem exiguntur, quæ per decem subsequentes positos patres intelliguntur. Horum autem tria: consideratio præsentis peregrinationis, quæ facit non attendere præsentibus. Secundum autem, subleuatio desiderij in cælestia, quæ facit gustare æterna. Tertium autem, planctus incolatus præsentis qui quasi stimulus pungit ad fugiendum de ista miseria. Et hæc tria tribus primis significantur. Consideratio quidem peregrinationis significatur per [Heber] qui transiens interpretatur. 2. *Corinth.* 5. Scimus quia dum in corpore manemus, peregrinamur à Domino. Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum. Subleuatio autem desiderij in cælestia significatur per [Sale] qui attollens interpretatur. *Philip.* 3 Nostra conuersatio in cælis est: vnde & Saluatorem expectamus.

peccamus. Planctus incolatus præsentis per [Cainam] significatur, qui lamentatio interpretatur. *Psalm*.119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.

Tria alia quæ ad statum perfectionis exiguntur, sunt sanare primo omnia quæ ante fuerunt saucia: hoc enim exigit propinquus finis. Secundũ, famositas ex nomine sanctitatis. Tertium autem, requies perfecta cordis ex tranquillitate conscientiæ proueniens. Et hæc tria persequẽtes tres significantur. Sanatio quidem significatur per [Arphaxad] qui sanans interpretatur. *Ier*.17. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Famositas autẽ sanctitatis longa perfectione acquisita, significatur per [Sem] qui famosus vel nominatus interpretatur. *Eccl*. 44. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Tertium autem quod est conscientiæ requies, significatur per [Noë] qui requies interpretatur. *Deut*. 33. Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. *Isa*. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini. Tres autem alij significant tres virtutes iam perfecti & ad plenum consummati: quorum primus, status perfectæ humilitatis. Secundus, status perfectè charitatis. Tertius autem, status sanctitatis. Perfecta humilitas se sub omnibus humiliat: & hoc per [Lamech] significatur, qui percussus & humiliatus interpretatur. *Isa*. 53. Vidimus eum percussum & humiliatum à Deo. Status autem perfectæ charitatis, cum per mortem transitur ad Christum: & hoc per [Mathusalem] significatur, qui mortis emissio interpretatur. *Philip*. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo. Perfectio autem sanctitatis per [Henoch] significatur, qui dedicatus Deo interpretatur. *Eccli*. 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea.

Post has nouem perfectiones continentiæ virtus additur, non ea quæ est castitatis, sed illa quam *Aristoteles* heroicam siue dominalem vocat virtutem, quæ est idem quod mora in mente, quando nihil penitus humanorum in cogitatu vel facto euadit, cui mens non immoretur, & limites imponat rationis & sapientiæ: & hoc significatur per septuagesimum, qui est [Iared] qui continens interpretatur. *Eccli*. 15. Qui continens est iustitiæ apprehendet illam: & obuiabit illi quasi mater honorificata.

Restant autem adhuc soli quinque, qui cum Ioseph primo putatiuo patre, & cum Deo vero Christi patre faciunt 77. Sed Ioseph illius genealogiæ principium & truncus. Deus autem Pater est finis, & in quem porrigitur terminus. Hi autem quinque significant quinque in quibus vita Sanctorum in quolibet statu semper agitur, & per quæ continuo reuoluitur: quæ sunt quatuor passiones, quæ ordinatæ, semen sunt virtutis: & inordinatæ, sunt semen vitiorum: quæ sunt gaudium, tristitia, spes, & timor. Quorum primum quidem, scilicet, gaudium, significatur per [Malaleel] qui laudans Deum interpretatur: & hoc fit in gaudio cordis. *Isa*. 61. Gaudens gaudebo in Domino: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Est enim quædam repræsentatio cælestis patriæ, alacritas laudantium Deum. Secundum autem quod est tristitia per [Cainam] qui lamentatio interpretatur, significatur. Quia dum se ipsum factus recogitat, continuo lamentatur. *Thren*. 1. Plorans plorauit in nocte: & lacrymæ eius in maxillis eius: & non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Spes autem per [Henos] significatur, qui desperatus & inuocans interpretatur. Ex parte enim sua desperat. Ex parte Dei auxilium inuocat: quod & non inuocaret, nisi speraret. *Psalm*. 36. Spera in Domino, & fac bonitatem, &c. Timor autem qui primum semen est bonæ vitæ per [Seth] qui semen interpretatur intelligitur. *Psal*. 110. Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum. In his autem passionibus omnis terrenus homo voluitur: quod per [Adam] significatur, qui terrenus interpretatur. Hæc autem omnia bona à [Ioseph] incipiunt, qui pater secundum carnem Christi est putatiuus: secundum spiritum autem incrementum gratiæ significat, quæ Christum in corde vt pater format. *Galat*. 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Hæc autem corda sicut funis in Deum verum Patrem colligata subleuat vt vere Christus dicat *Ioan*. 20. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Et illud *Osea* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Hæc igitur sunt quæ de genealogia Christi mysticè sunt dicenda.

Attende autem, quod quæstio est *August. in lib. de Quæstionibus veteri & noui test.* Ad quid referatur. Qui? Et dicit, quod ad Christum in omnibus. Vt sic sensus. Qui Christus fuit Heli. Qui Christus fuit Mathat. Et sic de aliis vbique. Et hoc ideo facit. Quia nominum vt diximus attendit interpretationes. Non enim secundum legem concupiscentiæ à patribus descendit Christus, sed secundum corpulentam substantiam, perficiens in eis gratiam quam nomina præsignant. Alij autem Sancti dicunt, quod refertur semper ad proximum, vt sit sensus. Qui Ioseph fuit Heli. Qui Heli fuit filius Mathat. Et sic de aliis per totum.

His autem habitis tota patet litera. Nisi in hoc quod hic dicitur de Mathusalem, quod anni eius computantur vltra diluuium per 12. annos. Quod esse non potest: cum non legatur saluatus in arca. Et ad hoc dicendum, quod in veritate multus error est in computatione annorum secundum hæbraicam veritatem, & secundum 70. Et ita credo, quod Mathusalem ante diluuium mortuus est: quia in computatione annorum est erratum.

Adhuc autem hic dicitur, quod Sale genuit Cainan. Cainan autem genuit Arphaxad. Et hoc non inuenitur in *Genes*. neque in 1. *Paralip*. imo in vtrisque libris legitur secundum hæbraicam veritatem, quod Sale genuit Arphaxad. Et nulla fit mentio de Cainan. Ad hoc autem dicit *Gloss*. quod in veritate in quibusdam exemplaribus antiquis inueniebatur quod Sale genuit Cainan. Cainan autem Arphaxad. Et ab his transtulerunt 70 & ita posuerunt. Et hos secutus est *Lucas*. Quædam autem posteriora à quibus transtulit *Hieron*. non habuerunt Cainan: sed quod Arphaxad sit filius Sale. Quid autem horum sit verius, Deus vtique nouit.

Quærunt etiam aliqui, qualiter plures ponat *Lucas* quam *Matthæus*? Et dicunt, quod potuit esse

esse quod illi quos ponit *Matthæus* tardius genuerunt,& diutius vixerunt: illi autem quos ponit *Lucas* citius genuerunt,& citius mortui sunt. Et ita paucorum vita secundum tempus coæquatur vitæ plurium. Sed hoc nihil est: quia vera causa est, quod tam naturales quam multos legales & adoptiuos patres ponit *Lucas*. Et ideo multo plures efficiuntur quam *Matthæus* ponat, qui non ponit nisi naturales patres. Et causa huius iam ante dicta est. Ex his satis patet litera.

CAPVT IV.

IESVS autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane: & agebatur in Spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis esuriit.



HIc agit de victoria Christi super tentatorem: vt ostendat quoniam per Spiritum qui datur in baptismo vincitur diabolus & tentationes eius. Tangit autem in hac parte duo: opportunitatem tentationis ex parte tentati,& ipsam tentationem. Opportunitatem autem ex parte tentati tangit in opportunitate septem concurrentium. Vnum quidem plenitudinem Spiritus Secundum autem, puritatem actus cui erat deditus. Tertium, impetum Spiritus sui ad bonum. Quartum, loci opportunitatem. Quintum, congruitatem temporis ad mysterium. Sextum, permissionem diabolicæ potestatis. Septimum, dispensatiuam tentati qualitatem ad tentatorem fallendum. Primum arma efficacia exhibet tentato ad se muniendum. Secundum autem attentum facit tentatum ad ictum tentatoris præuidendum. Tertium autem vires administrat ad resistendum, & aufert vires tentatori ad pugnandum. Quartum subtrahit arma diaboli ad certandum. Quintum non modicum in tentatione ex consortio bonorum adiutorum fert contra hostem præsidium. Sextum vt laudabilior sit victoria, hostis impugnationibus dat locum. Septimum autem super carnem confortat pugnantem spiritum. Hæc autem Christus non propter se, sed propter nos effecit: quia Christi actio nostra est instructio. Quamuis enim Christus contra se hostem prouocauerit: tamen nostrum est declinare vbi possumus, & non vires tentatori subministrare: quia nos non sumus adeo fortes sicut Christus.

Si autem aliquis dicat, quod Dauid petit tentari, dicens *Psalm.* 25. Proba me Domine,& tenta me: vre renes meos, & tenta cor meum. Dicendum, quod petit à Deo hic tentationibus purgari, & non in inferno, secundum quod dicitur *Sapient.* 3. Deus tentauit illos,& inuenit eos dignos se. Sed non petit tentari à diabolo. Sic autem petit purgari tribulationibus, quod de via iniquitatis deducatur in via æterna,& in tentationem non inducatur. Multa autem de tentationum generibus & modis & causis & obiectis notata sunt à nobis. *Matth.* 3. Et ideo hic illa repeti non est necesse. De primo igitur dictorum septem dicit.

IESVS autem plenus Spiritu sancto] Hic est Fontalis plenitudo exuberans & redundans in omnis rationalis creaturæ sanctificationem. *Psal.* 35. Domine apud te est fons vitæ. Fons autem vitæ est spiritus: quia vita est spiritus proprius actus. *Ioan.* 6. Spiritus est qui viuificat. De plenitudine autem dicitur *Ioan.* 1. De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Est autem alia plenitudo sufficientiæ Sanctorum. *Act.* 7. Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto. Est etiam plenitudo copiæ in quibusdam Prælatis: sicut *Num.* 11. Tollam de Spiritu tuo, & dabo 70. viris. Et hæc est plenitudo gratiæ Beatæ Virginis. *Luc.* 1. Gratia plena. Et illud. Spiritus sanctus superueniet in te. Sed plenitudo Christi est excellentiæ & redundantiæ: qui Spiritum sanctificationis spirat in omnes. *Eccli.* 4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit. Plenitudo Sanctorum est ad operationem virtutum. Plenitudo Beatæ Virginis ad intercessionem peccatorum. Plenitudo Prælatorum ad sacramentorum ministerium. Plenitudo vero Christi ad omnis gratiæ in omnes sanctificandos profluuium. *Ioan.* 7. Flumina de ventre credentium fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant. Hoc igitur Spiritu plenus fit, qui eum tentatore congredi debet. Secundum, scilicet, puritas actus, cui Christus deditus fuit, importatur per hoc quod dicit.

Regressus est à Iordane] Hic enim regressus est reditus à tumultu ad suæ considerationis & diuinæ contemplationis secretum. *Isa.* 24. Secretum meum mihi. *Sapient.* 8. Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia: non enim habet amaritudinem conuictus eius. Qui talibus non est deditus, neque sua vulnera considerat, nec ictum ferientis potest præuidere: & ideo incautus vadit ad pugnam. Tertium notatur per hoc quod dicit.

Et agebatur in Spiritu suo] hoc enim significat impetum Spiritus sui ad bonum. Agit enim Spiritus eum præit, & rationem illuminans, & voluntatem monens, & naturam ordinans,& concupiscentiæ motus firmans: quia tunc solus est actor. *Rom* 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. *Ezech.* 1. Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur. Dicit autem *Matthæus*, quod ductus est à Spiritu. Tunc enim Spiritus ducit, quando per rationem operis præit. *Isa.* 63. Spiritus Domini ductor eius fuit. *Psalm.* 142. Spiritus tuus bonus deducet te in in terram rectam. *Marci* autem 1. dicitur, quod expulit eum Spiritus in desertum. Spiritus autem cum zelo indignationis contra malum expellit. *Isa.* 59. Cum venerit quasi fluuius violentus quem Spiritus Domini cogit. Cum feruore ergo deuotionis Spiritus agit. Cum rationе persuasionis ducit. Cum zelo autem indignationis contra malum expellit. Quartum autem innuit per hoc quod dicit.

In desertum] & subtrahit arma diabolo ad pugnandum. Arma enim diaboli quibus vtitur ad impugnandum, sunt quæ ponit 1. *Ioan.* 1. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis,

aut

aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, hoc est, deliciæ, diuitiæ, & honores. Et hæc non sunt in deserto, si desertum dicatur actiuè à desero deseris, & passiue à deseror desereris. Hæc enim deserenda sunt potius quam deserant. Et quia hæc tria deserenda sunt: ideo dicitur *Exod.* 3. & 5. Ibimus viam trium dierum in solitudine ad sacrificandum Deo nostro. *Genes.* 22. Die tertio Abraham vidit locum procul. *Marc.* 6. Secedite paulisper in desertum, & quiescite pusillum. Hic ergo pugnandum, & non vbi vires & mundus, & caro administrant tentatori. De quinto dicit.

Quadraginta diebus] sicut Moyses *Exod.* 34. & 24. & Elias 3. *Reg.* 19. Quod enim legislator fecerat, & quod fecerat eximius Prophetarum: hoc facto suo confirmauit Christus, ostendens in facto suo testimonium legis & Prophetarum: innuens vlterius quoniam vbi habet homo testimonium legis & Prophetarum & authoris fidei nostræ Domini IESV, ibi securus est: & tunc fortiter & audacter pugnet: quia talibus adiutus adiutoribus non superabitur. *Genes.* 32. Castra Dei sunt hæc. 4. *Reg.* 6. Noli timere: plures enim nobiscum sunt quam cum illis. De sexto dicit.

Et tentabatur à diabolo] vbi impugnationibus hostis licentia & locus datur: vt laudabilior sit victoria. Non enim tentaret si potestatem non haberet. *Iob* 1. Ecce omnia quæ habet in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. *Ioan.* 19. Non haberes in me potestatem, nisi desuper esset datum tibi. Propterea vocatur tentator *Matth.* 4. Accedens tentator dixit ei. 1. *Thes.* 3. Ne forte tentet vos is qui tentat, hoc est, is qui tentandi habet potestatem & officium. Diabolus autem secundum significationem dicitur deorsum fluens, & secundum græcum dicitur criminator. Secundum etymologiam autem dicitur à dia quod est duo, & bolos quod est morsus: quasi duo mordens, corpus scilicet, & animam. Quicunque enim consentit eidem & deorsum fluit, & criminator, hoc est, accusator, & impositor criminũ efficitur, & in corpore & anima condemnatur. *Ezech.* 28. In terram proieci te, ante faciem regum dedi te. Ecce deorsum fluens. *Apoc.* 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos die ac nocte ante conspectum Dei sui. Ecce criminator. 1. *Petr.* 5. Circuit tanquam leo rugiens quærens quem deuoret. Ecce corporis & animæ deuorator. Septimum notatur in hoc quod dicit.

Nihil manducauit &c.] Et dicit duo: vnum quidem quod est diuinum, alterum autem quod est humanum, in eo quod esuriit. De primo dicit [Et nihil manducauit illis diebus] Hoc enim in Moyse fuit & in Elia: sed in illis quidem fuit ex hoc quod Moyses & Elias ex multa intensione intellectus in Deum, vires inferiores, sicut sensum sensificantem, & vegetabilem vegetantem, habuerunt multum abstractas: ita quod neque digestiua digessit, nec attractiua attraxit, neque diuisiua diuisit, neque consumptiua consumpsit, nec expulsiua expulit: sed corpus sic stans remansit. Vnde *Paulus* 2. *Corinth.* 12. dicit. Siue in corpore siue extra corpus nescio: Deus scit. Quia nescit vsquequo sensibilis & vegetabilis in corpore operata sit. In Christo autem qui fuit viator & comprehensor vtrumque remansit. Et ideo hoc maioris & diuinæ potentiæ fuit quod nihil comedit: & tamen sensibilis & vegetabilis in suis fuerat virtutibus & operationibus. Et ideo nos instruens dicit *Ioan.* 6. Operamini cibum qui non perit: sed qui permanet in vitam æternam: quem Pater meus dabit vobis. Iste enim cibus est qui non perit, qui sic animam intus reficit. *Ioan.* 4. Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei qui misit me, & vt perficiam opus eius.

Et consummatis illis] Tangit id quod est humanum. Dicit autem [consummatis illis] hoc est, ad summam mysterij deductis illis quadraginta diebus. Quia sicut ante diximus, quadraginta dies partibus suis ad quinquaginta consurgunt: & ideo post quadraginta dies, qui sunt nostrum ieiunium die quinquagesima recipimus Spiritum, quo IESVS author fidei plenus fuit quando ad ieiunium accessit. Quadraginta enim partibus suis, in quinquaginta perficit. Et quadraginta etiam decima pars est anni: quia sex septimanæ quadragintaduos dies faciunt, à quibus subtractis sex diebus Dominicis, qui non ieiunantur, triginta sex remanent, qui sunt trecentorum sexaginta dierum. Quinque autem qui remanent dies & quartus: vnius habent decimam dimidium diem & decimam quartæ. Ponitur autem in quadragesima ieiunij primi, quod est quatuor temporum: & loco illorum & dimidiæ diei ponuntur quatuor dies primi: vt sit completus numerus quadragenarius. Nouenarius enim cum citra perfectum remaneat, indigentem liberatione significat qui decimam soluere debet liberatori, qui per decimam significatur. Et ideo hoc ieiunium sancitum est à Domino, præfiguratum à lege, & testificatum à Propheta. Sacramentaliter ergo [illis consummatis] hoc est, sic ad summam reductis, quod humanum est in se ostendit.

Et [esuriit] cibum quærens secundum naturam: vt ostendat quod homo in necessitate persuadenti inimico consentire non debet, quando etiam necessitas famis cibum exigit. Non enim aliquid ab inimico impetrandum est, neque consilio eius in aliquo acquiescendum: quia per omnia talia appropinquat homini & facilius decipit. Vnde *Iacob.* 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Vnde 2. *Machab.* 4. In vituperium quorundam dicitur. His consimiles esse cupiebant quos hostes & peremptores habuerant. Ideo & Christus hosti nunquam consensit: quamuis necessaria aliquando persuadere, & rationabilia, & per Scripturam probata videretur. Hæc igitur sunt quæ opportunitatem tentationis ex parte tentati faciebant.

Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Et respondit ad illum IESVS: Scriptum est: Quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, cui volo do illa. Tu ergo si procidens adoraueris coram me, erunt

tua omnia. Et respondens IESVS, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies,

Hic incipit tentatio, & habet duas partes: perfectam tentationis victoriam, & eiusdem victoriæ effectum in tentato. Victoria in tribus pugnis describitur: gulæ, auaritiæ, & inanis gloriæ. Quæ secundum ordinem historiæ sic gestæ sunt prout sunt enumeratæ. Tamen à *Matth.* media ponitur tertia, & è conuerso quia ipse prosequitur eas per tentationem Adæ, qui primo de gula, secundo de inani gloria, & tertio de auaritia est tentatus: sicut patet in ordine horum verborum. Quacunqoe die comederitis ex eo, Ecce gula: eritis sicut dij. Ecce inanis gloria: scientes bonum & malum. Ecce auaritia, quæ non tantum est pecuniæ, sed etiam scientiæ: quia auaritia large sumpta vocatur omnis immoderatus & improbus amor aliquid habendi vel adipiscendi. *Lucas* autem ordinat secundum ordinem rei gestæ, in quo ordine sibi succedunt tentationes in deserto factæ: & sequitur illa quæ facta est in templo. Si enim in deserto de gula tentasset, & postea in templo de inani gloria: oportuisset iterato eum reduxisse in desertum ad tentandum de auaritia, quod non esset compendium.

Cum autem sicut ex verbis *Gregorij* super *Matth.* diximus, sex modis tentet diabolus: aut enim opprimendo rapit, aut insidiando circunuolat, aut minando terret, aut promittendo decipit, aut desperando frangit, aut suadendo blanditur: Christum IESVM Dominum non potuit opprimendo rapere, quia infinitæ fuit virtutis, & opprimi non potuit: neque comminando potuit eum terrere, quia ex coniuncta sibi diuinitate infinita gaudebat & securitate: neque etiam desperando eum potuit frangere, quia nihil vnquam potuit facere desperandum. Et ideo relinquitur quod aliis tribus modis eum tentauerit, & victus, fuerit.

Adhuc autem sciendum, quod cum diabolus quosdam tentet intus, suggestione, delectatione, consensu: quosdam autem extra tantum, exhibendo visui & auditui incitamenta suorum tentaminum: IESVM Christum intus tentare non potuit, quia nihil intus corruptum habuit: sed forinsecus tentamenta exhibuit, & sic tentauit. His visis accipienda est litera: quia alia dicta sunt super *Matth.* quæ ad tentationis intellectum sunt necessaria.

Dixit autem illi diabolus] per speciem assumpti corporis forinsecus, loquens ad sensum. Et habet duas partes hæc de gula tentatio: propositionem tentationis. & elisionem eiusdem De propositione tentationis dicit [Si Filius Dei es] Patet quod in ipsa tentatione insidiando circumuolat, & duo dicit: explorat enim circuminsidiando, & inclinat ad illicitum: quia omnis tentatio impulsus est vel persuasio ad illicitum. Exploratio insidiarum est in hoc quod dicit [Si Filius Dei es] Sicut enim dicit *Ambrosius*, Dei Filium in mundum venturum esse nouerat per vaticinia, & figuras Scripturarum: ipsum etiam Dei Filium esse ex quibusdam signis timebat, ex stella, ex magis, ex pastoribus, ex Simeonis & Annæ & Zachariæ & Elisabeth & Beatæ Virginis præconiis. Nullo modo tamen ipse superbus credere potuit, quod vsque ad tantum humilitatis, paupertatis, & passibilitatis descenderet, sicut eum humilem & pauperem & passibilem videbat: & sic vtrumque dubitabat: ideo insidians & circumuolans explorabat, dicens [Si Filius Dei es] *Ioan.* 10. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam *Ioan.* 7. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Nemo quippe in abscondito aliquid facit, & quærit ipse in palam esse. Ecce exploratio.

Dic lapidi huic] Tria notantur in persuasione. Primum quidem, quia facile. Secundum autem, quia modestum. Tertium est, quia necessarium videtur persuadere. Facile enim est, quod dicto fit. *Psalm.* 32. Ipse dixit, & facta sunt. Modestum autem est, quod vnus lapis vnus panis fiat: & non multi panes fiant. Et ideo dicit [lapidi] Necessarium autem, quod est ad necessitatem sicut panis, & non ad delicias. Hoc autem facit vt facilius persuadeat. Videntur enim esse rationabilia quæ proponit, & necessaria, & leuia. Rationabile enim est lapidem panem fieri: quia melior est panis quam lapis *Luc.* 11. Si petierit panem, nunquid lapidem porriget illi? Panis etiam de primis necessariis est corpori. Vnde *Eccli.* 29. Initium vitæ hominis aqua & panis. Hoc etiam est quod ab omni homine petendum quotidie docetur. *Matth.* 6. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sic ergo & facile, & rationabile, & necessarium esse videtur: & tamen Christo non persuadetur, propter causam quam diximus.

Et respondens ad illum IESVS dixit] Attende qualiter eum diabolus sic explorat vt tentet, sic tentat vt exploret. Dominus qui sapientia Dei est sic diabulum decipit vt vincat, sic vincit vt decipiat. Quod autem dicit quod respondit, notatur quod respondit ad rem quam proposuit. Et per hoc quod dicit [ad illum] notatur, quod etiam respondit quærenti, non solum orationi, vel interrogationi. Hæc enim est plena responsio quæ & quæstioni satisfacit: & tamen mirabiliter sine dolo, fallacem fallit.

Scriptum est] Ecce responsio à confirmatione Scripturæ incipiens. Et attende, quod est Scriptura diuinitus inspirata, sicut prophetia Quædam autem diuinitus inspirata & ore Dei edita, sicut Lex. Quædam autem & diuinitus inspirata & ore Dei edita & per iterationem confirmata, sicut est Deuteronomius. Et quia hæc est magis authentica: ideo à confirmatione istius non recedit Christus summa Dei sapientia [Scriptum est] enim hoc *Deut.* 8. quod dicit. Ista etiam responsio significatur per limpidissimos lapides quos elegit Dauid de torrente 1. *Reg.* 17. ad sternendum Goliath Gethæum. Limpidus enim lapis est solidissimæ auctoritatis veritas. Hæc est etiam sagitta acuta de arcu Scripturæ emissa in cor tentatoris. *Psalm.* 119. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Respondet: Sagittæ potentis acutæ.

Quia non in pane solo viuit homo] Panis enim verbo Dei constat, & à verbo Dei quo factus est, dependet secundum esse & virtutem cibandi. Et ideo si verbum Dei non esset panis, nec panis esset, nec cibaret: & ideo à verbo Dei cibat: & ideo non in solo pane viuit qui viuit [homo] qui pane

vescitur

vescitur [sed in omni verbo Dei] Distributio autē quæ hic ponitur, tria habet appellata. Est enim Verbum increatum Dei, quod est causa rei. Et est Verbum quod est ratio rei, quæ est idea rei in mentē Dei. Et est verbum incorporatum quod est forma, in qua res creata est à verbo Dei, & secundum ideam Dei. Et in omnibus his viuit homo: quia materia panis non cibaret, nisi forma cibi panis esset in ea: nec hæc forma cibi esset, nisi esset idea: nec idea esset, nisi esset Verbum Dei, quod est ars & causa subsistendi omnibus, quæ in sapientia sua fecit. Dicit ergo [Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei] *Sapient.* 16. Non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus eos qui in te crediderunt, conseruat. Sic enim dicit *Psalm.* 76. quod panem Angelorum mandocauit homo. Sed panem Verbi sapientiæ purum in lumine intellectus Dei manducat Angelus: eundem autem materiis rerum influxum & incorporatum manducat homo. Ecce quam astute respondet, quam vere: ostendens panis primam virtutem quæ in verbo Dei est, esse quærendam tam ab Angelo quam ab homine. Et sic latet veritate Scripturæ Christus veritas, & fallit omnis auctorē fallaciæ. Hæc est literalis veritas.

Sunt tamen quidam hæc mystice exponentes, & per lapidem duritiam legis, & duritiam cordis hominis obstinati intelligentes. Et ideo dictum dæmonis de peccatore accipientes: Dic oro vt lapis qui est lex dura, vel cor hominis durum, panis, hoc est, tua per emollitionē pietatis fiat refectio. Quod reputo absurdam esse expositionem, & contra mentem auctoris inductam. Congrue autem diabolus in lapide exemplum accepit, qui fronte & obstinatione cordis lapis dicitur. *Iob* 41. Ecce cor eius vt lapis indurabitur, & stringetur quasi malleatoris incus.

Et duxit illum] præcedens eum, non portans, vt quidam dicunt. Duxit autem, sed non abduxit, nec seduxit: sed patienter secutus est eum, vt vinceret in quibus primum hominem vicerat, & sic deiiceret à potestate [in montem excelsum] vt ex situ loci facilius vndecunque longe prospiceret. *Baruch* 5. Sta in excelso, & vide. Montem autem quæsiuit ei quem purum hominem arbitrabatur: vt etiam ipsa loci eminentia fastum iudicaret ambitionis. In montibus enim talibus vulnerati ambitione ceciderunt multi ex fortibus Israël 1. *Reg.* 4. & 2. *Reg.* 1. Mons autem iste in deserto quod est inter Ierusalem & Iericho, vbi hæc tentatio perfecta est, inuentus est: & in istum montem Dominus dispensatiue est ductus à diabolo. Et quod quidam dicunt, quod portauit eum illuc, est valde absurdum. Nec dicitur hoc nisi à quibusdam fabulas iudaicas diligentibus. Vnde in ista secunda tentatione duo dicuntur: tentatoris instantia, & tentationis exclusio. Tentatoris autem instantia ad tentandum intelligitur ex tribus: ex loci congruentia, ex eius de quo tentat ostensionis euidentia, & ex promissione deceptiua. Loci congruentia est in hoc quod dicit, quod duxit eum in montem excelsum: vt ex ipsa loci altitudine fastum conciperet. *Zach.* 4. Quis tu mons magne aduersus Zorobabel? in planum. Diligit enim loca excelsa diabolus. *Iob.* 40. Omne sublime videt: & ipse est rex super omnes filios superbiæ

Et ostendit illi omnia regna orbis terræ] Cum tribus modis res ostendatur: ampliatione videlicet spiritus, quo Deus ostendit Prophetis: sicut 3. *Reg. vltimo.* Vidi cunctum exercitum cæli coram Domino. Et per lumen quod per modum speculi præsentatur oculis, in quo cuncta apparent quæ sunt orbis: sicut Beato Benedicto ostensus est mundus. Et tertio per digiti demonstrationem. Nullo istorum modorum ostendit diabolus nisi vltimo: vt dicit *Chrysostomus.* Sicut si diceret. Romanum regnum est ad plagam occidentalem, Persidis Regnum ad plagam orientalem, Chaldæorum ad aquilonem, & Græcorum ad meridiem. Et gloria, magna, maior, maxima, est in singulis eorum. Et hoc fecit [in momento temporis] hoc est, in paruo tempore: quia momentum quadragesima pars est horæ, & ponitur hic pro tempore paruo. Et licet velit decipere: tamen ex rebus congruentibus cogitur loqui. Sicut enim cum deciperet Adam, coactus est in forma serpentis venire, in qua facile posset deprehendi: sic & nunc ex rebus conuenientibus loqui cogitur: & ex ipso momento significatur, quod omnis gloria mundi est momentanea: & ideo nec curanda. *Isa.* 40. Omnis caro fœnum, omnis gloria eius quasi flos fœni.

Et ait illi] ista tentatio est, qua promittendo decipere quærit: & ideo quatuor facit: promittit, rationem promissionis subdit, & ad illicitum inducit: et si committatur illicitum, promissum se soluturum ostendit. Dicit ergo promittendo [Tibi dabo potestatem] quia in talibus dignitatibus sub potestate cōtinentur & diuitiæ & honores & gloria. Qui enim in talibus potestate potiuntur sicut domini, accipiunt terrarum diuitias, & glorificantur à subiectis. Non enim quærunt veram gloriam, sed eam quæ est ab hominibus. *Ioan.* 5. Gloriam quæ est ab hominibus accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non vultis. Sunt enim potestates quærentes, & in turbis populorum & sceptris sibi placentes plerunque Sardanapallitæ, qui non quærunt nisi ea quæ coram hominibus sunt. Et tales sibi adiungunt: à quibus gloriosi habentur, & quorum viribus vt tyranni: diuitias multitudinis subiectæ diripiunt. *Sapient.* 6. datur talibus consilium sic. Si delectamini in sedibus & sceptris ô reges populi: diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis. Præterea potestas citius mouet cor quam diuitiæ: quia diuitiæ non appetuntur; nisi quia sunt necessitatis futuræ sufficiens in omni tempore & loco fideiussor: & in hanc necessitatem cadere non potest, qui super multos habet potestatem. Adhuc autem, diuitiæ non nisi organice & instrumentaliter deseruiunt ad regna: potestas autem substantialis est regnis.

Vide ergo quam astute tangit ea quæ cor mouere possunt, etiam boni hominis in regimine, & tacet id quod non mouet nisi per accidens, & propter aliud, vel non mouet nisi cor vile & deficiens. *Eccli.* 10. Nihil est scelestius quam amare pecuniam: hic enim in vita sua proiecit intima sua, & animam suam venalem habet. Versute ergo proponit ea quæ cor generosum facilius moueant. Dicit autem [hanc vniuersam] ne potestas appetita ab alio, contradicibilis sit, vel à quoquam superiore mutanda. Sic enim non ita appeteretur: quia derisibilis est qui depositus est ab ea, qua aliquando potitus est dignitatis potestate. Vnde *Matth.* 4. Hæc omnia tibi dabo. *Eccli.* 24.

Superborum & sublimium colla propria virtute calcaui. *Isa.* 10. Vniuersam terram ego congregaui: non fuit qui moueret pennam & aperiret os suum & gannitet

Addit autem de gloria, dicens [& gloriam eorum] quia gloria etiam mouet generosum animum, vt propter eam appetantur diuitiæ plusquam propter se. Gloria enim est late patens præconium, vel clara cum laude notitia, quam claritatem multi appetunt, non attendentes quod dicitur 1. *Machab.* 2. Viri peccatoris gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenitur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit. Et illud *Isa.* 40. Omnis gloria eius quasi flos fœni: exiccatum est fœnum, & cecidit flos: quia Spiritus Domini sufflauit in eo. Subiungit autem rationem huius promissionis, dicens.

Quia mihi tradita sunt] & mentitur: quia gloriam suam Deus alteri non dat *Isa.* 42. Potestatem autem ordinat & committit: sed non nisi à se teneri permittit. *Rom.* 13. Non est potestas nisi à Deo. *Matth. vltimo.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Neque mirum si mentitur mendacij pater & inuentor. *Ioann.* 8. Ipse est mendax & pater eius. Tamen potestatem videtur dicere, potestatis abusum, hoc est, tyrannidem: quia illam de permissione diuina exercet per malos in bonos. *Iob* 9. Terra tradita est in manus impij, vultum iudicum eius operit.

Et cui volo do illa] Hoc est simpliciter falsum: quia etiam malis Deus dat quibus vult: sicut Nabuchodonosor dedit Ægyptum, & multis aliis. *Iob* 1. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sed Diabolus loquitur secundum communiorem vsum: quia multi mali sunt quibus ipse permissa sibi potestate ordinat diuitias ad tentationem, & laqueum suæ perditionis. 1. *Timot. vltim.* Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua quæ mergũt hominem in interitum & perditionem *Sap.* 14. Creaturæ in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium.

Tu ergo si procidens] Procidens est pronus cadens; quia non adorat dæmonem, nisi cadat pronus. Et iste est maior casus qui esse potest: quia honor Creatoris ad infimam & omni vilitate viliorem & incurabiliter corruptam transfertur creaturam. Sic enim vsurpando diuinitatem, & ipse pronus cecidit. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti de cælo lucifer qui mane oriebaris? corruisti in terram. Et ideo sui casus persuadet similitudinem. Altitudo enim quam in cælo concepit, adhuc in corde suo perseuerauit. Et imitantur eum qui sunt ex parte ipsius *Sap.* 2. *Psalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper [si adoraueris me] adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur. Semper enim illam vsurpat quæ Dei est: sicut fecit in cælo. Et hoc facit promittens auaritiam; quia sicut dicitur *Ephes.* 5. Auaritia est idolorum seruitus. Ostendit enim se hic secundum cordis sui tumorem, tanquam ipse sit Deus. *Dan.* 11. Eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum deorum loquetur magnifica

Coram autem me] dicit: quia multi adorant eum non coram, qui facto adorant eum. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. Sed coram adorant, qui cognito dæmone, per adorationes & prostrationes honorem latriæ exhibent & sacrificia: sicut faciunt necromantici, & illi qui spe lucri faciunt: sicut fecit Theophilus. Et ad hoc a Domino Iesu Christo exegit. Non enim sufficit ei quod exhibeatur ei obsequium in malo opere: nisi etiam à bonis eruat fundamenta fidei, & excluso Creatore quem odit, ad se transferat honorem diuinitatis. *Psalm.* 136. Dixerunt, Exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea. *Iob* 40. Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod Iordanis influat in os eius. 2. *Thessalon.* 2. Aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur [Erunt tibi omnia subdita] Ecce confirmatio promissionis, si perficitur persuasio iniquæ voluntatis. *Gen.* 34. Quæcunque statueritis, dabo. Augete dotem, & munera postulate: libens tribuam quod petieritis, tantum date mihi puellam, hoc est, animam. *Genes.* 14. Da mihi animas, cætera tolle tibi

Et respondens Iesus dixit illi] Ecce tentationis exclusio cauta, sine consecutione eius quod tentator intendit [Respondit] autem ad tentationem, [& dixit illi] ad tentantis nequitiam: quia sicut dicit *Apostolus* 2. *Corinth.* 2 Non ignorabar cogitationes illius *Prou.* 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Et vt dicit *Matth.* 4. Ad hanc tentationem cum indignatione respondit, dicens [Vade satana] quia, sicut dicit *Chrysostomus*, in propriis iniuriis esse quempiam patientem laudabile est: Dei autem iniurias dissimulare nimis impium est. Vnde *Esther* 13. Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & nequaquam adorarem excepto Deo meo [Scriptum est] *Deut.* 6. quia ab Deuteronomij auctoritatibus, ratione superius inducta, non recedo [Dominum] legis positorem. *Isa.* 33 Dominus legifer noster, Dominus Rex noster [Deum] creatorem, & inspectorem, & prouisorem. *Esther* 13. Tu fecisti omnia, cælum, & terram, & vniuersa quæ cæli ambitu continentur, in ditione tua sunt posita [tuum] per cultum & illius beneficium. *Hebr.* 11. Non confunditur vocari eorum Deus. *Exod.* 3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen mihi est in æternum. Vnde hæc omnia tria vnum nomen sunt: Dominus Deus tuus. *Exod.* 22. Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Non erũt tibi alij dij præter me [adorabis] prostratione: quia ille solus te sublevauit in esse cum non esses. Et ideo adoratio prostrationis sibi soli debetur. *Psal.* 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eũ. *Psalm.* 65. Omnis terra adoret te Deus [& illi soli serues] cultu latriæ: quia illa seruitus nulli nisi Deo debetur. *Hieronymus in epistola sua*, dicens in cordibus vestris, te oportet adorare Dominum. *Exod.* 20. Non adorabis ea neque coles: ego enim Dominus Deus tuus fortis zelotes *Sap.* 14. Infandorum idolorum cultura omnis mali initium est, & causa, & finis.

Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum.

Ecce tertia tentatio de inani gloria quæ in deserto

serto non est perfecta, sed in templo in Ierusalem. Præcessit ergo diabolus, & sequebatur eum Dominus, & non fuit portatus ab eo, vt quidam dicunt. Sequebatur autem eum quo voluit, vbi multos per inanem gloriam præcipitauerat, & vbi multi magni gloriosi apparuerunt: quia ibi citius tentatur aliquis ad magna ostendenda, vt inter gloriosos gloriosior appareat: & vbi locus est sanctificationis, vt ibi minus à tentatore caueat. *Isa.64* Ierusalem domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ. *Isa.52.* Ierusalem ciuitas sancti. Tanguntur ergo hic duo: tentatio,& tentatoris confusio. In tentatione tria: loci scilicet communis opportunitas, & loci proprij ad tentationem congruitas, & persuasionis versuta malignitas. De loci communis ad tentandum opportunitate iam dictum est: dixit enim in corde suo illud *Eccli.23.* Vbi non sperauit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus [Et statuit eum] ascendens ante eum per gradus ad exedram in alto collocatam, vnde Sacerdotes docebant populum quam hic vocat [pinnaculum templi] quia per modum pinnæ templo adhærebat: sicut apud nos propugnacula adhærent turribus & domibus: vbi multi per gloriam apparuerant: vt in alto loco Prælatorum stans, gloriam cogitaret: similitudinem sui cordis persuadere intendens. *Isa.14.* Super astra cæli collocabo solium meum. Cum econtra doceat Dominus *Luc.14.* Recumbe in nouissimo loco. *Psalm.1.* In cathedra pestilentiæ non sedit.

Et dixit illi] Ecce tentationis propositio. Est autem tentatio in qua suadendo blanditur,& ideo componitur ex tribus, scilicet, exploratione, tentatione illiciti,& blanda persuasione. Explorationem aperit cum dicit [Si Filius Dei es] & propria virtute per generationem à Patre habita. Hæc satis. *Sapient.2.* Gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sunt,& tentemus quæ ventura sunt illi [Mitte te deorsum] Absque intentione, competentia dicit: quia qui voluntatem diaboli facit, mittit se deorsum: quia diabolus deorsum fluens interpretatur. *Isa.14.* In infernum detraheris in profundum laci: quia licet malitiam habeat voluntatis: à sapiente Deo illa sic ordinatur, vt facile à considerato & circumspecto deprehendatur. *Iob 41.* Reuelabit faciem indumenti eius.

Scriptum est enim quod Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te: & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens IESVS, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.

Ecce blandimentum persuasionis,& habet tria: astutam Scripturæ confirmationem, male tamen allegatam, & Scripturæ necessariam impletionem, & impunitatis dolosam promissionem. Scriptura autem est *Psalm.90.* de custodia animarum, ordinata à Deo per Angelos, quam inconuenienter diabolus adhibuit Christo capiti, qui sibi sufficiens nulla indiguit custodia. Dicit ergo.

Scriptum est]& ideo certum. *Matth.5.* Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant [Quoniam Angelis suis] *Psalm.103.* Qui facit Angelos spiritus, & ministros suos flammam ignis[mandauit] Deus Pater[de te]qui dilectus Dei es: sicut sonuit in baptismo. Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ideo certe specialiter mandauit, cum dixit Angelos custodire debere[vt custodiant te] *Isa.62.* Super muros tuos constitui custodes: tota die & tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini. *Hebr.1.* Nonne omnes administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? [in omnibus viis tuis] *Psalm.31.* In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. *Psalm.120.* Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël. *Sapient.10.* Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum. Ista custodia dicitur aliquando murus: sicut *Isa.26.* Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator: ponetur in ea murus, & antemurale, hoc est, custodia Angelorum,& Sanctorum præsidium Et allegat istius Scripturæ adimplendam necessitatem, dicens.

Et quia in manibus] hoc est, in potestate defensionis [tollent te] hoc est, portabunt te. Et ita habet litera *Psalm.* Sed quia dicit, quod ex alto dimittat se, dicit. Tollent, hoc est, sustollent te, ne collidaris vel collisionem patiaris. Quasi dicat. Qui Prophetam Eliam subleuauit in cælum manibus Angelorum subuectum *4.Reg.2.* Ipse te subleuabit qui es Filius, & non patietur te collidi.

Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum] Ecce impunitatis promissio: quia nec minimam læsuram quæ est ex offensa pedis ad lapidem eum incursurum promittit. Hoc autem quod de membris opportune intelligitur, diabolus inconuenienter adaptat capiti, quod tali custodia non indiget: & tacet hoc quod contra se esse nouit in sequentibus? Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Aspis enim est diabolus, inquantum obturat se ad Dei verbum, & basiliscus est, inquantum inuisibilis interficit. Leo autem, inquantum esuriens peccatores circuit & rugit. Draco autem, inquantum carnalibus vitiis pectore & ventre repens homines inuoluit. Et ipse statim est conculcandus, & caput eius conterendum. Et hoc superbia deceptus, non præsensit.

Et respondens IESVS dixit illi] Respondens quidem oratlani dixit malignæ intentioni. *Psalm.49.* Arguam te,& statuam te contra faciem tuam [Dictum est] *Deuter.6.* quia à Deuteronomio propter secundæ legis præfigurationem non recedit: quia [Non tentabis Dominum Deum tuum] Tentare Deum, est se discrimini committere: vt videatur an Deus pro ipso miraculum velit facere. *1.Corinth.10.* Neque tentemus Deum, sicut quidam tentauerunt & perierunt ab exterminatore. *Psalm.77.* Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. *Eccli.18.* Noli esse quasi homo qui tentat Deum. Ideo enim dedit homini intellectum & sensum, vt in talibus sit in manu consilij sui. *Eccli.17.* Consilium & linguam & oculos & cor dedit ho-

minibus excogitandi, & disciplina intellectus repleuir illos. Et ideo dedit ei hæc adiutoria quod videret quid ageret, & se discrimini non committeret.

Et consummata omni rentatione] Ecce effectus victoriæ: quia cum ad summum perfectionia & victoriæ tentatio deducta est[diabolus recessit ab illo] *Iacob* 4. Resistite diabolo,& fugiet à vobis:apptopinquare Deo,& appropinquabit vobis. 1.*Petr.*5. Cui resistite fortes in fide[vsque ad tempus]Hoc autem est tempus passionis,quando iterum tentauit fortiter per vxorem Pilati, & per Iudam. Per Iudam primo,quærens occidere: præsumptione autem habita de Filio Dei,per vxorem Pilati quæsiuit redimere.

Et regressus est IESVS in virtute Spiritus in Galilæam: & fama exiit per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum: & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth,vbi erat nutritus: & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam: & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me propter quod vnxit me,euangelizare pauperibus misit me, sanate contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes illi testimonium dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.

Hic incipit pars quæ est de illuminatione doctrinæ. Et tangit ab hoc loco vsque ad vigesimumsecundum capitulum, omnes ordines ecclesiasticos,ordines, inquam, qui sunt in fundamento, in capite, in digniotibus, & quasi officialibus membris, sicut Apostolis, & successotibus eorum Episcopis: & membtis inferioribus, sicut discipulis,& successoribus eorum presbyteris,qui sunt secundi ordinis viri. Et quia nihil aliud *Lucas* inducit nisi quod est ecclesiasticum: ideo suam formam in quatuor animalibus probat esse vituli. Et ideo etiam non sequitur ordinem temporis in re gesta: sed sequitur ordinem ecclesiasticum in constitutione graduum Ecclesiæ,& illuminatione vniuscuiusque gradus. Et inducit gesta secundum quod opportune probant gradus, & confirmant eos,& probant illuminationem eorum. Hæc autem omnia suis locis patebunt.

In omni autem ædificio oportet primum iacere fundamenta: sicut dicitur *Matth.*7. quod vir sapiens ædificans domum, primum fodit in altum, & ponit fundamentum supra firmam petram: ita *Lucas* intendens construere Ecclesiam in suis gradibus,& ministeriis,& officiis: præponit fundamenta omnium in residuo istius capituli: & deinde construit ordinum officia vsque ad passionem. Fundamenta autem omnium ecclesiasticorum sunt tria: veritas, potestas, & operatio. Veritati innititur doctrina ministrorum. Potestati diuinæ innituntur sacramenta. Operationi innititur officium prædicationis,& auctoritas missionis. De his autem in propriis locis reddetur ratio. Et ideo tria facit in residuo istius capituli. Primo autem horum omnium ostendit veritatem,& circa hanc facit tria, quorum primum est ea qua ad veritatis ostensionem venitur, opportunitas. Secundum ex Prophetarum eximio testificata veritas. Tertium est testimonij inducti explanata perspicuitas. Opportunitas autem adhuc est in tribus:loco videlicet, & tempore, & legentis dispositione. De loco autem dicit duo, scilicet, de loco communi, & loco proprio. De loco communi adhuc duo innuit. Tangit enim locum communem habitationis audientium, & locum communem ad docendum, conuentibus audientium deputatum. Circa locum communem habitationis audientium dicit tria: Doctoris videlicet ad audientes aduentum, loci dispositionem, Doctoris famam. De Doctoris aduentu dicit aduentum, vtilitatem, & efficaciam in docendo. Aduentus notatur in hoc quod dicit.

Et regressus est] Non quidem immediate post tentationem fuit de Iudæa in Galilæam regressio,sed potius illa quam describit *Ioan.* 1. & 2. Et est quando in Galilæa ad testimonium Ioannis quibusdam Discipulis innotuit, & aquam in vinum conuertit:& tunc iterum in Iudæam secundo anno à baptismo, Ioanne iam incarcerato iterum in Iudæam exiuit de Galilæa, & post aliqua facta iterato in Galilæam rediit: & tunc hæc quæ hic describuntur perfecit. *Lucas* autem qui Ioannem præuidit scripturum, non posuit: maxime ideo, quia licet deitatem Christi ostenderent, tamen ad probationem ordinis ecclesiastici non multum faciunt quem ipse prosequendum suscepit. De hac ergo dicit.

Regressus est]qui regressus,est reductio illuminationis super audientes post egressum ab eis factum in contemplationem veritatis, & confutationem hostis. Ad hæc enim duo à cura sua egreditur: vt contemplando,veritatem hauriat,quam prædicando effundat: & vt in oratione pro subditis dæmonem vincat, & à subditis compescat. *Ezech.*1. Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Ideo dictum est Abrahæ *Genes.*12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Vt de suis aliquando ad contemplationem & orationem egrediatur. Et dictum est Iacob vt in terram suam reuertatur *Genes.*32. vt significetur, quod Prælatus per regimen & actionem virtutis ostendendæ, aliquando ad suos reuertatur. Et hoc Christus nos instruit, cuius omnis actio nostra est instructio. Qua autem vtilitate dicit [IESVS] quia salutis viam monstrans suis: propter quod etiam pontifex appellatur *Hebr.*9. Christus assistens pontifex futurorum bonorum. IESVS enim semper dat documenta salutis. *Luc.*1. Ad dandam scientiam salutis plebi eius

eius in remissionem peccatorum eorum. De efficacia sui in docendo subiungit.

In virtute Spiritus] qui est vehiculum omnis virtutis. Oportet enim quod doctrina inspirationis Spiritus, virtute Spiritus demonstretur : quia aliter caret effectu. Dat enim Spiritus inspirationem intellectus. *Iob* 32. Vt video Spiritus est in hominibus, & inspiratio Altissimi dat intelligentiam. Sed virtus Spiritus dat probationem : quia eiicit dæmonem. *Luc.* 11. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Et ideo Dominus monet Apostolos ne ante doceant quam virtutem Spiritus accipiant. *Luc. vltim.* Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. 1. *Corinth.* 2. Fides vestra non sit in sapientia hominum:sed in virtute spiritus. Tangit autem locum communem habitationis audientium,dicens.

In Galilæam] Vnde *Luc.*23. Commouit gentem nostram, incipiens à Galilæa vsque huc. Ibi enim fuit principalium Discipulorum communior habitatio. *Act.*2. Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt ? Causa autem in præmissis est habita:quia hunc inceptionis doctrinæ suæ locum determinauerat prophetia *Isa.*9. Trans Iordanem Galilææ Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Ex eo autem quod Propheta ibidem dixit,incipiendum fuit vt vocarentur ad fidem Gentes, quæ ibi mixtim cum Iudæis habitabant:& ex Iudæis & Gentibus oues Christi erant congregandæ, & sub vno Ecclesiæ ouili concludendæ. De fama autem quæ omni Doctori necessaria,est subiungit dicens.

Et fama exiit] Est enim fama sicut odoris diffusio bonæ opinionis in omnes. Sicut enim gustus est, ita & odor:dulcis enim saporis, dulcis est & odor. Cum autem sapor sit sequela complexionis:vbi bona est complexio, ibi bonus sapor, & inde debet causari bonus odor. Bona autem complexio in bona & subtili humidi digestione, est bona humorum ad medium reducta contemperantia. Et sic in humoribus spirtualibus, qui sunt quatuor passiones naturales : gaudium, tristitia, spes, & timor. Vbi enim charitas est hæc bene digerens, & ratio sapientiæ hæc bene ad medium ordinans : ibi est bona cordis complexio & bona digestio. Et iste homo optimus est in se, dulcissimus in societate, & fragrans in opinione. Bonus igitur Dominus de quo dicitur *Psalm.*118. Bonus es tu,& in bonitate tua doce me. Dulcis Dominus in societate participantium eum,de quo dicitur 1. *Petr.* 2. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. Et ideo necesse fuit quod bono odore fragraret in opinione omnium. Bonum autem odorem venenata refugiunt. Vnde. 2. *Corinth.* 2. Christi bonus odor sumus in his qui pereunt, & in his qui salui fiunt:aliis quidem odor mortis in mortem,aliis autem odor vitæ in vitam. Sed mirum esset in naturalibus,si id quod malæ est complexionis & malæ digestionis, haberet saporem dulcem & odorem delectabilem. Monstruosum ergo est in moribus quod velis esse malus : & tamen hominibus delectabilis, & apud omnes esse bonæ opinionis *Isa.*34. Et ascendet fœtor de cadaueribus eorum. *Psalm.* 5. Sepulchrum patens est guttur eorum. Econtra de bonis *Cantic.* 4. Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata, hoc est, secundum virtutes conuersationis. *Genes.* 27. Statim vt sensit vestimentorum eius fragrantiam,benedixit ei.

Et ipse docebat] Hic tangit locum communé, qui determinatus est docenti. Synagoga enim dicitur à syn quod est con, & gogos quod est ductio, quasi conductio. Et quia brutorum est aliquo quodam ducente & trahente, conduci:ideo infidelium conuentus vocatur synagoga. Ecclesia autem dicitur congregatio, & illa est rationalium quia congregantur, quæ congregantur proprio motu. Et ideo vtentes ratione ad lumen fidei in vnam congregantur fidem. Et ideo non Synagoga, sed Ecclesia vocatur. Synagoga autem hic dicitur domus in quam conuenerunt Iudæi audire verbum Domini. In has ergo domos IESVS & Apostoli frequenter conuenerunt proponere multitudini verbum Dei:quia verbum Dei in publico & non in angulis est proponendum. *Eccli.* 6. In multitudine præsbyterorum sapientium sta,& sapientiæ illorum ex corde coniungere. *Ioan.*18. Ego semper docui in templo,quò omnes Iudæi conueniunt,& in abscondito locutus sum nihil. *Matth.* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Et magnificabatur] hoc est, magnus prædicabatur] ab omnibus] propter dictorum veritatem, propter virtutis in exemplis ostensionem, & propter miraculorum ostensionem. *Luc.*24. Qui fuit Propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. *Ioan.*6. Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitsuit plebem suam. *Matth.*7. Admirabantur super doctrina eius Erat enim loquens sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.

Et venit Nazareth]Hic tangit locum proprium tam auditoris quam Doctoris : auditoris [Nazareth] Doctoris [Synagogam] quæ fuit in Nazareth. Et ibi innuit congruitatem temporis [in die sabbati] Dicit ergo [Et venit in Nazareth] semper floris amans speciem, flos de radice Iesse [vbi nutritus fuerat] *Cantic.*2. Qui pascitur inter lilia donec aspiret dies & inclinentur vmbræ. *Psalm.* Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Rex apum enim, vt dicit *Ambros.* de rore florum concipitur & nascitur. Christus autem rex apum, hoc est, Sanctorum est, qui in principio,hoc est,in primo aduentu prædicato ab ipsis, habent dulcorem : in fine autem, hoc est, in secundi aduentus prædicatione, habent aculeum : quia ibi pungunt per timorem iudicij. *Eccli.*11. Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus eius. *Eccli.*24. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. *Cantic.*4. Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua. Mel enim,vt dicit *Auicen.* est ros collectus linguis apum de floribus.

Et intrauit secundum consuetudinem] Hic est argumentum, quod bonæ consuetudines sunt tenendæ, quas ipse Dominus suo confirmauit opere. *Hebr.*10. Non deserentes collectionem vestram sicut est consuetudinis quibusdam:sed adhortantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones. Hic ostenditur moraliter ad similitudinem Domini quoniam Ecclesias à quibus nutrimenta accipimus : verbi Dei prædicatione, & laude Dei,& consilio frequentare debemus. Aliter

ipsi agri Ecclesiæ qui nos nutriunt; contra nos clamabunt. *Iob* 31. Si aduersum me terra mea clamat, & cum ea sulci eius defleot: Si comedi fructus eius absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Terra enim clamat, cuius fructibus non deseruimus Sulci deflent, quibus pro fructu nobis ministrato spiritualia non rependimus. Fructus absque pecunia comeditur, quando temporalia auare sumimus, & bonorum operum fructu, eadem tanquam pro pecunia oon comparamus. Anima agricolarum afflicta est, quando oblationes fidelium accipimus, & animas à peccatis oon liberamus: de quo dicitur *Osea*. 4. Peccata populi mei comedent, hoc est, oblata pro peccatis, & ad iniquitatem subleuabunt animas eorum. Pro frumento autem oritur tribulus, quando pro adipe quo nutrimur ab Ecclesiis, punctura oritur conscientiæ. Et pro hordeo spioa nascitur, quando pro pabulo quod animalibus hominibus exhibere debuimus, punctura germioat pœnæ æternæ, Tangit autem conuenientiam temporis, dicens.

Die sabbati] in quo duo commendantur: vnum quidem, vt in festis templum visitemus: & vt in docendo locum ad docendum priuilegiatum obseruemos. De primo dicitur *Leuit.* 15. vbi præcipitur, quod in festis solennibus coram Domino quilibet appareat. Ad hoc enim indicti sunt dies feriari, vt illis diebus, priuatis operibus & re familiari non retracti, omnes ad templum veniaot, & ibi laudibus diuinis intersint, & verbo Dei & orationi intendant. Locum etiam priuilegiatum & ad hoc ordinatum publicus eligat Doctor: quia ibi disciplina tenetur, & non excitatur tumultus, doctrioam impediens. *Eccls.* 51. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Et ideo præcipitur hoc, quia in domo illa & publicus est auditus, & humilis: quia oportet vt ad pedes sedeant publici Doctoris. *Deut.* 33. Qui appropinqnant pedibus eius, accipient de doctrioa eius. *Eccls.* 32 Vbi auditus non est, noo effundas sermonem, & importune noli extolli in sapientia tua. Importune enim extollitur in sapientia, qui vbi non debet, & quando non debet, & quibus non debet, ingerit suam sapientiam. Et ideo propter publicum priuilegiatum, & die sabbati intrauit in Synagogam, qno omnes intentione audiendi conueniunt. Ecce hoc est quod dicit de loci & temporis opportunitate. Et de docrotis dispositione subiungit, dicens.

Et surrexit] Dicit autem quinque, & innuit ante hæc omnia sextum. Innuit enim quod primo reuerenter sedit ad auditum, secundo deuote surrexit ad doctrinæ verbum, tertio ordinem Lectoris per seipsum confirmando assumpsit, quarto non per se sed ab alio traditum sibi accepit librum, quinto librum vt sapiens & sciens libri conuenientiam reuoluit, sexto Scripturam competentem suæ intentioni de libro accepit. Arguit autem exemplo suo plurimos, qui horum nihil obseruant, & tamen docere præsumunt. Per sessionem enim docet oos primo sedere ad auditum & studium: per surrectionem, reuerentiam debitam exhibere ad proponendum verbum: per lectionem docet non contemnere ordinem ecclesiasticum; per assumptum ab alio librum, subire examen ante nos approbatorum magistrorum; per libri reuolutionem, habere notitiam Scripturarum; per inuentionem intenti, discernere id de Scripturis quod ad nostrum valet intentum. De sessione autem ad studium gloriatur Apostolus *Act.* 22. secus pedes Gamalielis eruditus iuxta veritatem paternæ legis. De surrectione *Nehemiæ* 9. quod surrexerunt super gradum leuitarum, & consorrexerunt, & legerunt in volumine legis Domiot Dei sui, quater in die, & quater in nocte. De ordine Lectoris (qui est ordo ecclesiasticus, quem Dominus ibi suscepit ministrare & coosecrauit in seipso legendo prophetias) dicitur *Nehemiæ* 8. Legeruot in libro Dei distincte, & aperte, ad intilligendum: & intellexerunt, cum legeretur: de quarto dicit.

Et traditus est illi liber] In hoc enim quod per se non accepit ostendit quod magisterij officium non est sumendum ab eo qui examinatus & probatus non fuerit ab antiquioribus præceptoribus. *Hebr.* 5. Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Multum enim temerarium est per se sumere librum: cum nec in cælo, nec in terra inuentus sit dignus qui soluere possit præter leonem de tribu Iuda. *Apoc.* 5. Dignus est agnus qui occisus est, aperire librum & soluere septem signacula eius. Dicit autem quod [liber Isaiæ Prophetæ] Causa autem est quod illum librum sibi tradi voluit; quia prophetia est explanatio legis. Et quia legem explanare & implere spiritualiter voluit: ideo ab explanatione testimonium sumpsit. *Isaias* autem inter sanctos prophetas, primus fuit cui omnes innituntur: & ideo ab ipso potius quam ab alio incepit. Præterea præcursor ab ipso inceperat. Adhuc autem quia vocationis Gentium prænuntiator apertior fuit, vt dicit *Ambrosius*. Ideo ergo ab *Isaia* exorsus est doctrinam. De quinto autem dicit.

Et vt reuoluit librum] Reuolutio libri significat vniuersalem libri notitiam. Et arguit eos qui antequam principia sciant librorum, docere præsumunt: contra quos dicit Dominus *Ioan.* 5 Scrutamini Scripturas: quia in his putatis vos vitam habere. *Isa.* 34. Requirite diligenter in libro Domini, & legite. De sexto dicit [Et inuenit locum vbi scriptum erat] Ecce congruum intentioni suæ & ad materiam propositam testimooium: contra quosdam, de quibus dicit *Hiero.* quod ad suam intentionem contra mentem Authoris trahunt scripturam repugnantem, *Psalm.* 77. Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Arcum enim Scripiutæ tendit, qui vltra quam Author intẽdat eam in austeritatem trahit. Remittit autem qui præter intentionem Authoris eam eneruat ad impunitatem. Aliquando etiã non facit ad propositum id quod inducunt: sed ad id quod volunt nituntur Scripturam repugnantem exponere. *Isa.* 32. Fatuus fatua loquetur. *Eccli.* 20. Gratiæ fatuorum effundantur. *Ibidem.* Ab ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit eam in tempore suo.

Spiritus Domini super me] Ostensa opportunitate loci, & temporis, & perfecta dispositione docentis; tangit testimonium inductum. Tangit autem hic quatuor: vngentem, vnctionem, officium, & auctoritatem: quæ necessaria sunt in omni Doctore, & Prælato, & Prædicatore. Circa vngentem quidem tangit duo: naturam, & dignitatem: naturam autem cum dicit [Spiritus Domini] Et potest esse constructio transitiua & intransitiua.

transitiua. Si est transitiua: tunc Dominus supponit pro Patre,& Spiritus pro tertia in Trinitate persona. Et est sensus. Spiritus Domini, hoc est, qui procedit à Domino Patre. *Ioan.* 15. Spiritus qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Sap.*1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Si autem est intransitiua locutio: tunc Spiritus Domini idem est quod Spiritus Dominus: & tunc Domini supponit pro tota Trinitate essentialiter: quia Deus Trinitas est spiritus. *Ioan.* 4. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Dignitatem autem tangit siue auctoritatem, quando dixit.

Super me] Et si secundum hominem loquatur, plana est locutio: quia sic Spiritus vtroque modo super eum est dignitate. *Ioan.*14. Pater maior me est. Et sicut dicit, Pater maior me est: ita potest dicere: Spiritus maior me est. Si autem loquatur secundum deitatem, tunc Spiritus non potest stare nisi pro Patre. Et sic exponit *Hilarius in lib. de Synodis.* Vt sit sensus. Spiritus Domini super me est auctoritate paternitatis: & ego tamen non sum sub ipso, sed æqualis sibi: quia generatio sua in omnibus diuitiis facit me æqualem sibi, & in nullo sibi inferiorem. *Isa.*11. Requiescet super eum Spiritus Domini. In nullo enim perfecte, in nullo disturbatus quieuit nisi in ipso. *Ioan.*1. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum: hic est qui baptizat. *Genes.*8. Emisit columbam, quæ cum non inueniret vbi requiesceret pes eius, ad arcam, hoc est, ad Christum reuersa est. Christus enim est arca in qua pacata fuerunt omnia animalia. Tangit autem vnctionem cum dicit.

Eo quod vnxerit me] Et bene dicit [eo quod] quia vnctionis causa est Spiritus super nos existens. Omnibus enim mobilibus mobilior est Spiritus sapientiæ: sicut dicitur *Sapient.*7. ita quod etiam per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit: & vbicunque penetrat, ibi vngit sicut vnguentum, quod ingrediendo penetrat, & dolorem, vel consumendo morbum, vel ampliando locum, lenit: Vel forte vtrumque faciendo. *Hebr.*1. Quem vnxit Deus præ participibus suis. *Psalm.*14. Vnxit te Deus Deus tuus præ consortibus suis. 1. *Ioan.*2. Vnctio docebit vos de omnibus. *Act.*4. Puerum tuum quem vnxisti IESVM. Hæc autem vnctio est plenitudo charismatum ex vnione proueniens naturarum, de qua omnes accepimus gratiam pro gratia. Hoc est quod dicitur in *Psalm.*132. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius. Sequitur de auctoritate cum dicit.

Euangelizare, &c.] Et tangit duo: auctoritatem, & officium ad quod datur auctoritas. Missio autem confert auctoritatem, cum dicit [misit me] *Isa.*48. Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius. Non enim prædicabunt nisi mittantur *Rom.*10. Et in hoc formam dat ne aliquis doceat nisi Spiritum habeat, & vnctione doctus sit, & auctoritatem habeat missionis. Officium autem est euangelizare: & de hoc tangit, in communi scilicet, & in speciali. In communi dicit [euangelizare pauperibus.

Attende, quod litera *Isaia* habet sic. Ad annuntiandum mansuetis misit me. Est enim aliud euangelizare, & aliud prædicare, & aliud annuntiare, & aliud docere: sicut accipitur ex verbis *Chrysost. super Matth.* Euangelizatur enim quod bono & gaudio plenum est in auditu de donis. *Isa.*40. Exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ierusalem: dic ciuitatibus Iudæ: Ecce Deus vester. Prædicatur autem quod de fide est supra rationem. 1. *Corinth.*1. Nos prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Annuntiatio autem est nuntium diuinæ voluntatis: sicut est de mandatis, & consiliis, vel de aliis secretis Dei patefactis homini. *Isa.*12. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in vniuersa terra. Doctrina autem est de his quæ subsunt rationi: quia illa per causam possunt ostendi: sicut est de moralibus pertinentibus ad virtutes morales. *Matth.*5. Ipse aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes, &c. Beati mites. Beati misericordes & huiusmodi. Dicit ergo [euangelizare] propter primi aduentus gratiam: annuntiare autem propter diuinæ voluntatis ad Christum faciendam notitiam. *Psalm.*147. Non fecit taliter omni nationi, & iustitias suas non manifestauit eis. *Luc.*4. Oportet me euangelizare regnum Dei: ad hoc enim missus sum.

Quibus autem euangelizandum, dicit dupliciter: in communi, & per partes. In communi Propheta dicit: Mansuetis Christus autem: Pauperibus. Duo enim sunt in verbo Dei: vnum quidem, quod aliquando acriter reprehendit & compungit: aliud, quod ea quæ supra sunt, promittit, vel comminatur. Et siquis propter ista impatienter audiat verbum, nunquam suscipiet verbum Dei. Et contra hæc duo dicit Propheta, quod mansuetis venit annuntiare: quia alij non suscipiunt verbum. *Iacob.*1. In mansuetudine suscipite insitum verbum Dei, quod potest saluare animas vestras. *Isa.*11. Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. *Matth.*11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Mansuetus enim est qui manu trahenti, vel ducenti, vel impingenti est assuetus: ita quod nec impatientiam ostendit, nec aliquid molestiæ manu inferat. Et ille est qui nec prouocatur alienis iniuriis, nec irrogat proprias. Et hæc est optima dispositio ad auditum. Quia verbum est aduersarius noster: & si simus impatientes, nunquam consentiemus eidem. *Matth.*5. Esto consentiens aduersario tuo in via. Sunt etiam quidam quibus fiunt verbi promissiones, & non aliis: & illi sunt quos mundus iste bonis suis non consolatur: sed habitis omnibus huius mundi diuitiis & deliciis, se nihil habere reputant nisi cælestia acquirant: & illi vocantur pauperes spiritu. Et hanc auditorum idoneitatem tangit Christus cum dicit: Pauperes. *Matth.*11. Pauperes euangelizantur. *Isa.*29. Pauperes homines in sancto Israël exultabunt [misit me] *Ioan.*10. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum. *Genes.*37. Missus de valle Hebron venit in Sichem. Quod autem in communi dixerat, explicat per partes dicens.

Sanare contritos corde] Habet autem duos paragraphos: vnum, qui pertinet ad eos quibus missus est: & alium, qui pertinet ad tempus missionis. Ille quidem qui pertinet ad eos quibus mis-

ſus eſt, habet quatuor beneficia, contra quatuor defectus, quorum vnus eſt interior, de quo dicit [ſanare cõtritos corde] Litera qua vtimur in *Iſaia*, habet: Vt mederet contritos corde. Sed quia finis medicaminis eſt ſanatio: ideo Chriſtus ponit quod perfectum eſt. Serui enim Chriſti medentur, ſed ipſe Chriſtus ſanat. *Pſalm*.146. Qui ſanat contritos corde, & alligat omnes contritiones eorum. Vnde *Ioan*.12. Lazarum ſuſcitauit per ſeipſum, & præcepit Diſcipulis vt ſoluerent eum. *Ierem*.17. Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. Eſt autem ſanitas, perfecta ad æqualitatem complexionis reductio cum virium & ſubſtantiæ reſtitutione: & talem reſtitutionem non facit niſi Deus per gratiam & virtutem Contriti autem corde ſunt pœnitentes, per dolorem cor in multa & minuta ſcindentes: vt ſecundum omnem peccati delectationem, ſit dolor ſpecialis cor conterens & diuidens. *Ioel*.2. Scindite corda veſtra. *Iſa*.30. Veniet contritio eius, ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenietur de fragmentis eius teſta in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Teſta in qua portatur igniculus eſt pars cordis, retinens adhuc aliquid concupiſcentiæ. Teſta in qua hauritur aqua, eſt pars cordis in qua retinetur aliquid conſolationis peccati, quæ facta eſt ſicut aqua. *Ierem*.6. Sicut frigidam facit ciſterna aquam: ſic frigidam fecit malitiam ſuam. Dicit autem [corde] quia corde contrito, omnes ſoluuntur peccatorum adhæſiones. *Pſalm*.50. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Tangit autem tria alia beneficia per figuram in ſimilitudine corporalium defectuum extra. Dicit ergo.

Et prædicare captiuis remiſſionem] *Iſaias* dicit ſic: Prædicare captiuis indulgentiam. Non legitur Dominus aliquem de carcerali captiuitate redemiſſe: ſed multos de diabolica captiuitate vſque hodie redimit. *Prouerb*.5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Vinculati igitur captiui peccatis. 2. *Timoth*.2. reſipiſcant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Hi ſunt in cuſtodia carcerali (ne poſſint egredi) malæ conſuetudinis, & in fouea perditionis deſperationis. *Thren*.3. Murum ædificauit aduerſum me lapidibus quadris: vt non egrediar. Lapides ſunt obdurationes: quadri per delectationem, conſenſum, operationem, & conſuetudinem. Captiuis iſtis prædicat indulgentiam peccatorum, & remiſſionem vinculorum, & carceris. *Pſal*.123. Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus: adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Iſa*.52. Solue vincula colli tui captiua filia Sion. *Ier*.29. Reducam vos in terram veſtram de cunctis locis in quibus captiui fuiſtis. *Pſalm*.145. Dominus ſoluit compeditos. Qui ſcilicet ligatis affectibus delectationes ſequuntur peccatorum.

Cæcis viſum] Ecce ſecundus exterior defectus. Et pro iſto ponit *Iſaias*: Clauſis apertionem: quia qui clauſus eſt in tenebris, non poteſt vti viſu. Eſt autem captiuitas impedimentum motus ad bonum. Cæcitas autem, vel in tenebris concluſio, eſt impedimentum intellectus ad videndum verum: quibus Chriſtus, ſapientia, reddit lumen fidei: ſicut Chriſtus, virtus Dei, prioribus dat motum ad bonum: & ſicut Chriſtus plenus gratia, ſanat contritos in pœnitentia. 1. *Corinth*.1. Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Et de gratia *Ioan*.1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. De apertione autem in tenebris clauſorum *Iſa*.49. Vt diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris ſunt, Reuelamini. *Michaa*.4. Cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. *Iſa*.25. Tunc aperientur oculi cæcorum.

Dimittere confractos in remiſſionem] Pro iſto nihil reſpondens inuenitur in *Iſa*. quia Dominus legem non ſolam implet, ſed adimplet. Iſtud tamen intelligitur ex aliis ante poſitis. Neque enim legit in libro Chriſtus, quod per explanationem nihil adderet. Confracti ſunt membris & viribus deſtituti propter grauitatem oneris impoſiti & laboris exacti. Onus enim graue eſt lex, quæ nihil leuitatis habuit. Onus grauius eſt peccatum, quod depreſſit. Onus grauiſſimum eſt ſeruitus diaboli, quæ nunquam quieſcere ſinit. De onere legis *Act*.15. Hoc eſt onus quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus. De onere peccati *Pſalm*.37. Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. De onere ſeruitutis *Iſa*.58. Omne onus dirumpe. De iſta remiſſione dicitur *Matth*.11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos. *Iſa*.58. Dimittite eos qui confracti ſunt liberos. Hæc enim omnia perfecit Chriſtus gratia, virtute, & verbo: gratia ſacramentorum, virtute operum, & verbo illuminationum. Et ideo dicitur *Sapient*.16. Non herba neque malagma ſanabit eos, ſed ſermo tuus Domine qui ſanat omnia. *Pſalm*.106. Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Verbum enim ſapientiæ illuminat, Verbum à quo procedit Spiritus, gratiam donat; & Verbum Chriſti virtutis Dei, dat virtutem ad operationem. Poſtea ſubiungit ea quæ ſunt temporis.

Prædicare annum Domini acceptum] Et dicit duo. Primum eſt quod eſt primi aduentus, & iam inductum eſt. Hoc *Iſaias* dicit ſic: Prædicare annum placabilem Domino. Hic annus eſt tota reuolutio temporis gratiæ, in quo Deus placatur pœnitentia, & acceptat per Chriſtum ea quæ offerimus bona noſtra. *Iſa*.49. Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. 2. *Corinth*.7. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. *Pſalm*.64 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Annus enim iſte eſt annus Iubileus, hoc eſt, remiſſionis. Iubel enim hebræum, remiſſionem ſonat. Id vero quod eſt ſecundi aduentus adiungit cum dicit.

Et diem retributionis] Et hoc *Iſaias* dicit ſic: Et diem vltionis Deo noſtro Et hoc terret & inducit timorem: quia hæc eſt dies, aut in morte, aut in vniuerſali iudicio: quando vnicuique reddetur pro meritis. 2. *Corinth*.5. Omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. *Iſa*.63. Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. *Pſalm*. Retribuam illis in tempore vt labatur pes eorum.

Et cum plicuiſſet] Ecce hic poſt aſſumptum coram omnibus thema, parat ſe ad docendum. Tangit autem tria: libri complicationem ad ſecretorum velationem, libri redditionem ad miniſtrorum inſtructionem, eius qui legerat ſeſſionem vt oſtendat docentis tranquillitatem. Cum enim dicit

cit[Et cum plicuisset librum]quem solus aperuerat: docet quod liber ad aliud est aperiendus, & ad aliud plicandus. Aperiendus ad ædificatoria pro capacitate audientium: vt rudia populo, & sapientiam loquamur inter perfectos.1.*Corinth*.2. *Matth*.7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos. Aliter & aliter prædicandum diuersis, vt docet *Gregor. in Pastorali*. Et Dominus hic confirmat. *Daniel*.12. Claude sermones & signa librum vsque in tempus statutum. Propter hoc Dominus *Matth*.25. *Luc*.12. commendat seruum prudentem qui scit quid cui debeat ministrare pro tempore.

Attende autem quod sunt & alij libri: sicut liber vitæ, libri iudicij, libri conscientiarum,& libri creaturarum. Liber vitæ intellectus Dei: in quo nomina prædestinatorum quo ad esse, & gratiam, & gloriam, sunt descripta. *Apoc*.20. Alter liber apertus est qui est vitæ. Libri autem iudicij sunt conscientiæ Sanctorum, legis & iustitiæ Dei depicti codices, secundum quos sententia dabitur in die iudicij. *Apoc*.20. Libri aperti sunt.*Dan*.7. Libri aperti sunt. *Psalm*.149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum. Libri creaturarum sunt in quibus legimus Creatorem & suam notitiam. Qui complicabuntur post diem iudicij. *Isa*.34. Complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet. *Apocal*.5. Cælum recessit sicut liber inuolutus. De talibus autem libris non loquitur hic: sed loquitur de libro hoc, codice *Isaiæ* ad literam: & illum complicuit, vt mystica quæ sunt in ipso doceret non adhuc esse reuelanda. Sequitur.

Reddidit eum ministro] hoc est, custodi siue thesaurario ad reseruandum: in hoc approbans gradum ianitorum & ordinem, quorum officium est res Ecclesiæ reclusas conseruare. Ministret autem libri etiam Doctor est, cui Dominus reddidit librum reseruandum: qui Doctor Christo porrigit librum ad illuminandum: Christus autem reddit Doctori ad interpretandum, & custodiendum, & se per studium in illo cibandum. *Ezech*.3. Quodcunque inueneris comede. Et cibauit me volumine.

Et sedit.] in quo notatur quies & tranquillitas docentis: cuius est sedere in cathedra, quæ est sedes catechizantium, hoc est, prædicantium siue docentium. Et tunc impleuit Dominus hoc quod in *Psalm*.106.dictum est de ipso: Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. *Luc*.2. Inuenerunt eum sedentem in medio Doctorum, audientem eos, & interrogantem. *Daniel*.13. Veni, sede in medio nostrum, & indica nobis; quia tibi Deus dedit honorem senectutis. 2.*Reg*.13.Dauid sedens in cathedra sapientissimus inter tres: Patriarchas, & Legislatorem, & Prophetas.

Et oculi omnium, &c.] Hic tangit omnium audientium attentionem, & tangit tria: attentionem omnium quæ fuit ante Scripturæ explanationem,& explanationem,& diuersam in auditoribus explanationis receptionem. De attentione dicit[Et omnium in synagogis oculi erant intendentes in eum] Oculus enim cordis est nuntius: & directio ad ipsum oculorum, significabat corda esse directa in eum, vt audirent quid dicere vellet. Hoc tamen quidam deuotione, quidam curiositate, & quidam obseruantes eum, fecerunt, vt caperent eum in sermone. *Psalm*.144. Oculi omnium in te sperant Domine. *Psalm*.24. Oculi mei semper ad Dominum. 2. *Paralipp*. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum residuum vt oculos nostros dirigamus ad te.

Cœpit autem ad illos dicere] Ecce Scripturæ inductæ explanatio. Nec intelligitur quod ita breuiter explanauerit vt hic dicitur: sed potius sermocinando plura est prosecutus. Et ideo dicit [Cœpit]Quasi dicat. Sic cœpit: sed multa interferens, ista intendit [quia hodie] clara die,lucente vero lumine. *Ioan*.1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [hæc Scriptura] *Isaiæ* Prophetæ [impleta est] per promissionis exhibitionem [in auribus vestris] quia me missum à Patre in mundum hæc legentem audiuistis.*Matth*.5.Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege. *Eccle*.48. Isaias spiritu magno vidit vltima, & consolatus est lugentes in Sion. Vsque in sempiternum ostendit futura & abscondita antequam euenirent. Sequitur de differenti verbi effectu in cordibus auditorum. Et primo tangit effectum in cordibus simplicium deuotorum populi, postea in cordibus Scribarum & Pharisæorum. Dicit igitur.

Et omnes testimonium illi dabant] [omnes] inquam, de populo simplici & deuoto [dabant ei testimonium] quia ipse esset ille de quo Propheta hoc dixerat. *Ioan*.1. Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israël. *Ioan*.6. *Luc*7. Magnificabant eum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. *Act*.1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in Iudæa, & in Samaria,& vsque ad vltimum terræ. Sic ergo dabant ei testimonium veritatis propheticæ. In aliis autem dictis eius[& mirabantur]de altitudine dictorum. *Esther* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum [in verbis gratiæ] hoc est, efficientibus gratiam in cordibus audientium. *Eccli*.20. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit. Gratiæ autem fatuorum effundentur. *Ephes*4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed siquis bonus est vt det gratiam audientibus [quæ procedebant] hoc est,ordinate cedebant & procul in corda:processio enim ordinata est [de ore eius] *Deuter*.32. Concrescat in pluuiam doctrina mea,fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.

Sunt autem quidam qui non habent verba gratiæ sed gratiam verborum loquendi facete, & oratione lepida multa dicentes,& gratiam in cordibus auditorum non excitantes sed contentiones & rixas. 1.*Corinth*.2. Veni non in sublimitate sermonis aut scientiæ annuntians vobis testimonium Christi Non enim iudicaui me aliquid scire inter vos nisi IESVM CHRISTVM & hunc crucifixum. Et *ibidem*. Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis. Quidam sunt qui verba proiiciunt, de quorum ore non procedunt: sed iactant ea incaute in spiritu indignationis,homines non emendantes, sed confundentes. *Prouerb* 30 Est generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedant inopes de terra & pauperes ex hominibus. Alij sunt etiam quibus verba cadunt

in

in tettsm, vel terreno puluere per inanem gloriam tecti, vel per ſpem quæſtus terreni obruti: contra quos dicitur in *Pſalm.1.* Folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur. Folia enim ſunt verba. *Ezech.47.* Folium eius proficit in medicinam. Verbum enim Domini debet procedere mature & ordinate, ſicut decet verbum Dei, & ſicut procedit de ore Dei. *Eccli.24.* Ego ex ore Altiſſimi prodij primogenita ante omnem craturam.

Et dicebant : Nonne hic eſt filius Ioſeph?

Ecce hic ſecundum *Chryſoſt.* tangitur effectus Verbi Dei in indeuotis Scribis & Phariſæis. Omnes enim de populo ſanctificeabsnt eum, & teſtimonium illi dabant. Soli autem Scribæ & Phariſæi, vt dicit *Chryſoſt.* ſimiles ſunt terræ arenoſæ, quæ quanto plus pluit, tanto magis aret. Et ideo maledicti ſunt : ſicut dicit *Apoſtolus ad Hebr.6.* Terra ſuper ſe venientem ſæpe bibens imbrem & generans herbas opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt & maledictioni proxims : cuius conſummatio erit in combuſtionem ignis. Diuiditur autem hæc pars in tres partes, in quarum prima Scribarum & Phariſæorum in paucis verbis innuit contemptum : in ſecunda autem Chriſtus excludit ipſorum tacitam obiectionem quam fecerunt, populum à fide concepta volentes auertere : in tertia autem aperta eorum ponitur malignitas, ad quam induxerunt populum, & quam volebant Domino violenter inferre. Primum horum eſt valde paruum, ſed prægnans magna malignitate.

Et dicebant] ſupple, Scribæ & Phariſæi ad populum qui iam fidem & deuotionem conceperat [Nonne hic eſt] Deſpectionis nota eſt demonſtratio eius, quem nominare non ſunt dignati. *Sapient.2.* Grauis eſt nobis etiam ad videndum. *Pſalm.15.* Nec recordabor nominum eorum per labia mea [filius Ioſeph] Minus hic dicit Euangeliſta quod tam à Matthæo quàm à Marco plenius ſcriuerat eſſe poſitum. *Matth.13.* Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria & fratres eius, Iacobus & Ioſeph, & Simon & Iudas: & ſorores eius nonne apud nos ſunt? *Marc.6.* Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioſeph & Simonis & Iudæ? Hæc omnia deſpectiue dicta ſunt. Faber enim lignarius dicitur fuiſſe Ioſeph, arte & vſu manuum victum quærens, & non in otio & deliciis panem manducans: ſicut Scribæ & Phariſæi fecerunt. Maria etiam quam obiiciunt ei quæſtuaria fuit : vt dicit *Hier.* colo & conſilio manuum victum quærens. Fratres autem vocant hic conſobrinos eius, filios ſororis Beatæ Virginis ex Cleopha patre, tres Apoſtolos Simonem, & Iudam, & Iacobum minorem. Quartus autem Ioſeph fuit qui iuſtus cognominabatur: qui cum Matthia ſortes habuit quis eorum in locum Iudæ ſubſtitueretur. Et eſt ſenſus: Hic deſpectæ & pauperrimæ natiuitatis faber lignarius vocatione, non poteſt eſſe Chriſtus Dominus quem vnxit Deus. Et ideo ſibi non eſt credendum tam ruſticano & tam vili.

Faber tamen erat Dominus: quia Propheta dicit de ipſo : Tu fabricatus es auroram, & ſolem. Similis modus deſpectiuæ locutionis eſt in *1.Reg.10.* vbi Saul promoto in regnum ſuum, dixerunt : Videntes enim eum omnes qui nouerant eum heri & nudiuſtertius quod eſſet cum Prophetis & prophetaret, dixerunt ad inuicem, dicentes : Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas eſt? Parua ergo locutio eorum magnum importat deſpectum.

Et ait illis : Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem : Medice cura teipſum : quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

Hic ponitur iſtorum verborum aptiſſima reſponſio. Et dicit tria. Primo enim ante reſponſionem ponit obiectionem cordium ipſorum, quam populo ſuſurrando fecerunt : & ſecundo verbis deſpectiuis reſpondet, & tertio ſoluit obiectionem quam ex cordibus eorum induxit. Obiectio autem talis fuit, quod dixerunt contra famam miraculorum quæ in terram exiuit, quod non eſſet vera. Quia ſi miracula poſſet facere, magis ex ordine charitatis feciſſet tales curationes ſuis quam alienis : ſed ſuis non feciſſet : ergo nec alienis. Falſa ergo eſſet fama quæ de eo exiuiſſet. Et hoc eſt.

Et ait illis] Antipophorans ex cogitationibus eorum [Vtique] vos famæ miraculorum contradicentes [dicetis mihi] obiicientes [hanc ſimilitudinem] & me arguere putantes per illam [Medice cura teipſum] Si enim facis curationes verbo: quare latera doles? Tibi enim plus debes quam aliis. Denique, Qui ſibi nequam, cui bonus? Miſerere animæ tuæ placens Deo. Et explanat quid intendit per ſimilitudinem dicens [quanta audiuimus facta in Capharnaum] apud extraneos. Si habes ordinatam charitatem [fac & hic in patria tua] circa teipſum. Tui enim quos debes reputare vt teipſum, multis ſubiacent defectibus, & indigent beneficiis tuis. Si hæc ergo facis, primo fac circa tuos. Ecce obiectio. Tamen Dominus vere fuit ſpiritualis medicus, & ſui Diſcipuli & Sacerdotes ſpirituales ſunt medici. *Pſalm.87.* Nunquid medici ſuſcitabunt? *Eccli.38.* Honora medicum propter neceſſitatem : etenim illum creauit Altiſſimus. Vaſa autem ſua medicinalia ſunt ſacramenta, quibus & humores malos, hoc eſt, malos mores expellit, & ſanitatem inducit. *Ierem.8.* Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare ergo non eſt obducta cicatrix populi mei? Sic enim purgat *Malach.3.* Purgabit filios Leui, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Sic dicit *Matth.9.* Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. *Auguſtinus* Neceſſe fuit vt magnus veniret medicus, quia magnus vbique iacebat ægrotus.

Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

Hæc eſt pars in qua ponitur reſponſio : & ſunt duæ reſponſiones, vt diximus, in quarum prima reſpondet ad verba deſpectus : in ſecunda autem ad obiectionem. Ad deſpectum dicit [Amen dico vobis]

vobis] hoc est, vere dico vobis cum confirmatione:quia omne quod dicit, vere dicit:quia mentiri non poterit. *Rom* 3.Est autem Deus verax,omnis autem homo mendax. *Tit.*1.Non mentitur Deus [quia nemo propheta acceptus est in patria sua] Non propheta enim in illa, nisi hæc exhibens, potest esse acceptus in patria sua:quia per illa est similis omnibus compatriotis:& quod magnificant in ipsis, magnificant etiam in illo. Propheta autem quia dissimilis est aliis, æstimatur secundum principia suæ generationis, aut secundum ea quæ visa sunt in eo in pueritia:& quando magna quæ videntur,paruis comparantur principiis,vilescunt. Alia etiam causa est quæ in Glossa ponitur, quod quasi naturale est ciues ciuibus sibi inuicem inuidere. Et ideo facta sua vbi possunt denigrant Hæc ergo est causa ejus quod dixit Dominus, loquens vt in pluribus, & secundum consuetudinem secularem.

Se autem prophetam hic dicit Dominus ratione ejus quod dicitur *Deut.*18.Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me audietis eum. Est autem Propheta ab actu prophetandi,& non ab inspiratione prophetica. Ipse enim cui omnia per diuinitatem nota sunt, nullam penitus recipit inspirationis reuelationem. *Coloss.*2. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.

Patriam autem suam vocat hic stricte locum conceptionis & nutritionis, & non totam prouinciam Galilææ: quia Capharnaum est etiam in Galilæa vbi pluribus valde fuit acceptus. Suis autem conuicaneis qui inuidia incitabantur ad ipsum, non fuit acceptus. *Ioan.* 7. Neque enim fratres sui credebant in eum.Hinc 1.*Reg.*25.Quis est Dauid,& quis est filius Isai? *Genes.* 39. Ioseph in terra sua à suis affligitur,apud extraneos in exilio exaltatur *Genes.*40.proper hoc dicitur Abrahæ *Genes.*12. Egredere de terra,& de cognatione tua, & faciam te crescere. *Num.* 12. Maria & Aaron contra Moysen iurgantur,cui obedierunt extranei. *Num.* 16. Dathan & Abiron insurgunt contra Moyseo & Aaron, quos alij cum reuerentia sequuntur.

Quod autem dicit quod in patria signa non fecit, *Marc.*6. causa redditur, vbi sic dicitur:Non poterat ibi virtutem vllam facere, paucos nisi infirmos curauit. Hæc autem impotentia,sicut patebit ex sequentibus, non fuit in Domino, sed in ipsis. Impediuit enim hoc eorum incredulitas, & indeuotio: quia in fide deuote non petebant. Et ideo quod Dominus poterat de potentia absoluta, non poterat de iustitia. Non enim, vt dicit *Augustinus super Ioannem*, aliquem sanabat Dominus in corpore quem prius non sanaret in anima. Et ideo dicitur *Ioan.* 7. quod totum hominem sanum fecit. Et quia interius sanari ab ipso noluerunt ideo indigni fuerunt quod exterior sanitas præstaretur eis. Hæc ergo est causa quod apud alios etiam Gentiles multas perfecit sanitates, & paucas apud suos. Hoc autem quod nunc dictum est, intendit instruere duobus exemplis, dicens.

In veritate dico vobis; Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

Hic enim incipit respondere inductæ obiectioni:& diuiditur in duo:in solutionem obiectionis, & indignationem eorum ortam ex solutione. Soluit autem per duo exempla. Et hoc habet partes duas. Primum est de vidua Sareptana & Elia. Et circa hoc dicit quatuor. Primum tangit multitudinem viduarum Israëliticarum indeuotarum. Secundum est necessitas Eliæ (quæ omnibus fuit necessaria) ex fame omnes æqualiter opprimente. Cui fami solus Elias subuenire potuit. Tertium est de missione Eliæ ad subueniẽdum vni deuotæ. Quartum innuit deuotionem viduæ, hospitio recipientis Eliam, saluantem eam & filium à famis oppressione. De primo ergo dicit,

In veritate dico vobis] hoc est idem quod Amen. Sed hic tangit Scripturæ veritatem. *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo IESV, non mentior. 2.*Corint.* 1.Non est in illo:Est,& non:sed est in illo Est[multæ viduæ] à viris suis iduæ,hoc est, per mortem diuisæ [erant] solatio indigentes [in diebus Eliæ] quando Elias claruit sermone & operibus signorum. Et bene dicit [in diebus]quia omnia erant in luce quæ fecit Elias. *Sapient.* 18. Sanctis tuis maxima fuit lux[in Israël]doctrinam Dei habentes ex lege,& ex lumine Eliæ illuminationem doctrinæ:& tamen indeuotæ ad Eliam.

Quando clausum est cælum]In hoc tria notantur secundum literam, & vnum quartum secundũ spiritum. Cælum enim dicitur aereum quod ex vaporibus conceptis &ex mutatione sui in aquam materialiter habet distillare in guttas pluuiæ. *Psalm.* 67. Terra mota est:etenim cæli distillauerunt. *Isa.*45. Rorate cæli desuper,& nubes pluant iustum:aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Alij cæli sunt cæli stellarum quæ ortibus suis & occasibus faciunt pluuias. *Iob* 9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri. Arcturus enim frigiditate constare facit nubes,& aerem in aquam.Orion autem tempestatem commouet,agitantem nubes. Hyadæ autem eliciunt pluuias.Et ideo dicuntur ab hydor hyades,græco, quod est humor. *Iob* 38. Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas? *Gregor.* Pleiades dicuntur quasi pluuiales quia pluuias faciunt. Tertium est cælum cæli quod est Domini, cuius imperium super secundum cælum quod est stellatum: vt primo vel producat, vel non producat pluuias. *Psalm.*113.Cælum cæli Domino,terram autem dedit filiis hominum. Quartum est cælum gratiæ Dei, quod clauditur ne pluat in corda hominum propter indeuotionem eorum. *Ioan.* 1. Videbitis cęlum apertum,& Angelos descendentes & ascẽdentes super Filium hominis. De omnibus his simul dicitur *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cæli, & rationem eius pones in terra?Ratio enim cæli in terra ponitur: quando terra per rationem iustam, vel beneficia cæli consequitur, vel eisdem iustitia Dei priuatur. *Leuit.* 26. Si non obedieritis mihi, addam correptiones vestras septoplum propter peccata vestra, & conteram superbiam

duritiæ

doritiæ vestræ, daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. *Deut*. 28. Sit cælum quod supra te est, æneum:& terra quam calcas, ferrea. Sic ergo clauditur cælum à stillicidio beneficij cælestis propter peccata habitantium in terra.

Annis tribus] quia in tanto tempore germen præsens extinguitur. Clausura enim vnius anni fructus laboris illius anni destituto humore cælesti, exiccat: sed annus ex præcedenti fertilitate communiter abundat. Secundus autem annus abundantiam pristinam tollit, & deuorat: & tertius pestilentia famis laborat. *Genes*.45. Biennium est enim ex quo fames cœpit esse. Q.d. Iam consumptum est quicquid habebatur de superfluo aliorum annorum. Dicit autem [& mensibus sex] quia illæ propter intemperiem non valent seminationi. Et quidem illi in terris calidis, sunt menses æstatis, & autumni in parte, & veris in parte. Medietas enim autumni & medietas veris non prosunt seminationi. Hæc ergo est causa literalis.

Mystice autem sunt tres status qui gratiam non stillauerunt. Status videlicet ante diluuium, quando peccatum inundauit:& status Patriarcharum, quando notitia Dei non perfecta fuit in lege naturali: & status legis, quando peccatum ostendebatur, sed non curabatur. Sex autem menses fuerunt, sex legis reuolutiones, & imperfectæ illuminationes in cæremoniis sacramentis, iudiciis, moralibus, regno, & sacerdotio: in quibus nihil gratiæ fundebatur quantumcunque tonaret verbis Legislatoris & Prophetarum. *Isa*.5. Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem. *Ierem*.3. In malitiis tuis prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit.

Tangit autem effectum siccitatis, famem dicens:& tangit famem, & famis magnitudinem, & famis generalitatem. De fame dicit [Cum facta esset fames] ex siccitate materiali & spirituali. *Amos* 8. Mittam in vos famem:non famem panis, & sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. *Toren*.4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Magna fames enim est defectus intellectus verbi Dei. Magna etiam est cum nec verbum Dei habetur: sicut nec granum in cortice. Cum enim deest panis, fames est. Cum etiam desunt alia cibaria, magna fames est. Sic in spiritualibus cum deest mysticus intellectus, fames est:quando vero etiam litera deficit, fames magna est. Pulli enim asinorum, hoc est, simplices cibarentur migmate si granum non haberent. *Isa*. 30. Pulli asinorum commixtum migma comedent: & sicut in area ventilatum est [in omni terra] Ecce famis generalitas:& hæc spiritualiter est, quando apud nullum inuenitur pluuia doctrinæ, neque prælatum, neque subditum, nec religiosum, neque secularem. *Ierem*. 14. Luxit Iudæa & portæ eius corruerunt: & obscuratæ sunt in terra, & clamor Ierusalem ascendit. Maiores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriendam aquam, & non inuenerunt:reportauerunt vasa sua vacua, & confusi sunt, & afflicti. *Genes*. 47. Oppressit fames terram, maxime Ægypti & Chanaan, hoc est, seculares laicos, & clericos, qui per Ægyptum: & Chanaan, quæ interpretatur transmutata, & significat religiosos. Sequitur.

Et ad nullam earum] viduarum quæ fuerunt in Israël [missus est Elias] ad saluandum à fame: quia indignæ fuerunt [nisi in Sareptam] quæ fuit villa, non in Israël, sed [Sidoniæ] quia sic vocabatur prouincia in qua fuit Tyrus quasi metropolis. Et ista vidua fuit Gentilis, & significabat transitum Christi ad Gentes. Et de ista prouincia fuit etiam vidua Syrophœnissa Chananæa quæ *Matth*. 15. interpellauit Christum pro filia, & de qua dixit:O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis. Et deuotionem huius viduæ significantis gentilitatem, colligit *Glossa* ex habitatione & actibus eius. Sarepta enim incendium vel angustia panis interpretatur:Sidon autem venatio inutilis. Mulier ergo Gentilis in concupiscentia inflammata Gentilium, & angustia panis verbi Dei habitans, & dedita venationi inutili temporalium lucrorum, hoc deuotione promeruit quod Israeliticis negatum fuit, quarum lex concupiscentiam inhibuit & pabulum verbi habuit. Hæc enim duo ligna in modum crucis collegit & propheticum desiderium impleuit 3. *Reg*.17 Et ita æstimate de vobis, quod ego sicut & Elias. ciues diligo: sed indeuotio vobis beneficia & stillicidium cælestis gratiæ abstulit: sicut & in diebus Eliæ. Et quod vos repulistis. Gentilibus & extraneis propter deuotionem datur. *Act*.13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita: ecce conuertimur ad Gentes.

Et multi leprosi] Secundum est exemplum de eo qui etiam Gentilis fuit, in patria Prophetæ exul quæsiuit Prophetam, & deuotione sua sanitatem promeruit:cuius lepra concellaneo & conciui propter indeuotionem adhæsit 4. *Reg*. 5. Et hoc est quod dicit [Et multi leprosi erant in Israël] conciues Prophetæ & vicini [ſub Eliseo] Hoc notat quod virtuté curandi eos . . habuit Eliseus [& nemo eorum] leprosorum Israeliticorum [mundatus est nisi Naaman Syrus] qui Gentilis fuit:quia sicut dicitur *Matth* 8. Non inueni tantam fidem in Israël, sicut in Naaman Syro.

• Attende, quod lepra morbus est de hepatis vitio natus, cuius corruptio ad fontes membrorum pertingit:& ideo membra deformat, corrumpit, & aliquando amputat. Et significat hæresim quæ ex vitio propriæ voluntatis nascitur, & erronei intellectus:& pertingit ad fontes membrorum, qui sunt doctrina & prædicatio quibus membra corporis mystici infunduntur & nutriuntur: & ideo mébra deformantur, & corrumpuntur, & abrumpuntur. *Ezech*. 23. Ponam zelum meum in te quem exercebunt tecum in furore Chaldæi: nasum & aures tuas præcident. *Matth*. 8. Ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine si vis potes me mundare. Ecce deuotio quam ciues & Israelitæ non habuerunt. Significat enim etiam nomine suo Naaman deuotos, qui decorus interpretatur. *Psalm*. 103. Confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento. *Isa*. 35. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Libanus candidatio, significat pœnitentiam. Carmelus scientia circuncisionis, significat satisfactionem præcidentem concupiscentiam. Saron princeps mœroris significat compunctionis gratiam.

Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, &

eiecerunt

eiecerunt illum extra ciuitatem : & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis , ſupra quem ciuitas illorum erat ædificata , vt præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.

Hic tangitur ex ſolutione propoſita , oſtenſio indeuotionis per quam indigni ſunt ad curationes ſanitatum.Et dicuntur tria:indeuotionis indignatio , periculi intentatio , & IESV CHRISTI liberatio. Indeuotionis indignatio tangitur cum dicit [Repleti ſunt omnes in ſynagoga ira , hæc audientes] Tanguntur autem tria. Primum,quod repleti ſunt indignatione. Repletio autem ſonat impletionem pectus prementem : ſic enim malitia & indignatio repleuit eos , quod pectus ſic preſſit , quod continere non poterant ex multa amaritudine fellis. *Act*.8. In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe. Indignationem habebant contra eum quem contemptui habebant. *Hebr*.6. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit,& ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit , in quo ſanctificatus eſt , & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit ? Tangitur etiam communitas eorum,cum dicitur[omnes in ſynagoga]*Pſalm*.13.Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt : non eſt qui faciat bonum , non eſt vſque ad vnum. *Iſa*.1. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas [ira] eſt vindictæ appetitus ex exaſperatione fellis,vt dicit *Damaſcenus*.*Deut* 32.Fel draconum vinum eorum , & venenum aſpidum inſanabile. *Matth*.27. Dederunt ei vinum felle mixtum[hæc audientes] Ecce tertium in quo ex verbis vitæ mortem concipiunt. *Prouerb*.15. Non amat peſtilens eum qui ſe corripit. *Tullius in lib. de vera amicitia*. Veritas odium parit. Econtra dicitur *Eccli* 20. Quam bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam : ſic enim effugies voluntarium peccatum.

Et eiecerunt illum] Ecce periculi intentatio. Et tangit tria : eiectionem , ad ſupercilium deductionem , & præcipitationis ſuæ malam intentionem. De eiectione dicit [Et eiecerunt illum extra ciuitatem] tanquam immundum quo ciuitas eorum pollui non deberet. *Act*.7.Eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant. *Matth* 5. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint,& eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis : gaudete in illa die & exultate [& duxerunt illum] tanquam malefactorem[Et duxerunt] *infra* 23.Modo flagellatum ducitis ad crucifigendum : hic autem ad præcipitandum [ad ſupercilium montis]prærupti in rupe alta [ſuper quem] montem [ciuitas illorum erat ædificata]In monte etiam ſuperbiæ diaboli ædificauerant iſti. Abdiæ. Superbia cordis tui extulit te , habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum [vt præcipitarent eum]Ecce intentio peſſimæ voluntatis. Peiores in hoc dæmone. Dæmon enim dixit : Mitte te deorſum,& manum non extendit. Sed iſti ſacrilegas manus extenderunt in Chriſtum Domini *Pſalm*.104.Nolite tangere Chriſtos meos & in Prophetis meis nolite malignari. Ne enim in eum manum extenderet diabolus, præcipit *Iob* 1. Veruntamen in eum ne extendas manum tuam.

IESVS autem tranſiens] Ecce liberatio : quia nec hoc genus mortis elegerat , nec hoc tempus. De genere mortis *Ioan*.12. Ego ſi exaltatus fuero à terra. De tempore *Ioan*.2 . Nondum venit hora mea. *Ioan*.7. Tempus meum nondum aduenit [per medium illorum ibat] inuiſibilis eis. Percuſſi enim ſunt acriſia ſicut Sodomitæ circa oſtium Lot *Geneſ*.19. Dicitur autem,quod de monte deſcendens , mons cedens ſinum fecit , & eum in ſe recepit : ita quod vſque hodie veſtigia veſtimentorum & pedum apparent in lapide. *Prouerb*.12. Effugiet iuſtus de anguſtia. Simile *Ioan*.8. IESVS abſcondit ſe,& exiuit de templo *Pſalm*.37.Factus ſum ſicut homo non audiens , & non habens in ore ſuo redargutiones. Sic hodie multi IESVM in ſupercilium montis per dignitatem adeptam præcipitant : quia de eo non curant, ſed contemnunt. *Hebr*.6. Rurſum ſibimetipſis crucifigentes Filium Dei, & oſtentui habentes.

Et deſcendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis. Et ſtupebant in doctrina eius , quia in poteſtate erat ſermo ipſius.

Poſt conſtructionem veritatis eccleſiaſticæ,tangit conſtructionem poteſtatis eiuſdem Eccleſiæ. Et hoc facit vniuerſaliter,& particulariter. Particulariter autem duobus modis , tam ſuper ſpiritualem creaturam , quam ſuper corporalem. Et hæc per ordinem in tribus verbis hiſtoricis iacent in litera , & ſic etiam iſta miracula introducuntur , & non ſecundum ordinem temporis , quem *Matth*. determinat 9. Iſte autem *Lucas* hic tangit ſecundum quod faciunt ad probationem poteſtatis eccleſiaſticæ. Tangit igitur primo poteſtatem eccleſiaſticam ſuper creaturam ſpiritualem , & tangit tria : primo enim poteſtatis oſtenſionem, ſecundo eiuſdem poteſtatis efficaciam ſuper dæmonis eiectionem , tertio fidelium ex hoc ad deuotionis excitationem. Circa primum tria dicit. Primum eſt poteſtatis oſtenſio per verbi propoſitionem.Secundum eſt ſtupor audientium per eam quæ fuit ad verbum auditum deuotionem. Tertium autem eſt quod publice eccleſiaſticam & diuinam profitentur poteſtatem.

In primo horum dicit ſex, quorum primum eſt quod[deſcendit] non quidem immediate à Nazareth, ſed à Iudæa ad quam à Nazareth aſcenderat. Nunc autem de Iudæa in Galilæam deſcendit iterum. Et hæc deſcenſio ſuæ humilitatis ſignificat condeſcenſionem. *Iſa*.64.Vtinam dirumperes cælos & deſcenderes, hoc eſt , ad noſtra humilia te inclinares. *Matth*.8. Cum deſcendiſſet IESVS de monte , ſecutæ ſunt eum turbæ multæ , quæ, ſicut dicit *Chryſoſtomus* , montem eminentiæ intellectus ſui aſcendere non valebant. Deſcendit autem.

Capharnaum]quæ villa pulchritudinis,& villa pinguedinis interpretatur. Pulchritudinis quidem in actione , & pinguedinis in contemplatione. Pulchritudinem habet immaculationis per peccati immunitatem. *Cantic*.4. Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. Pulchritudinem etiam habet conuerſationis in virtute. *Pſalm*.44.Specie tua & pulchritudine tua,intende

prospere procede & regna. Adhue autem pulchritudinem splenduns io exempli ostensione. *Iu-duh* 10. Cui etiam Dominus contulit splendorem: quia omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat. *Matth.*5. Luceat lux vestra coram hominibus. Habet autem pinguedinem in orationis deuotione. *Psalm.*62 Sicut adipe & pioguedine tepleatur anima mea. Habet pinguedinem in sui spiritus quotidiana oblatione. *Psalm* 9. Holocaustum tuum pingue fiat. *Eccli.*38. Inpingua oblationem Habet pinguedinem in sacramenti susceptione. *Genes.*49. Aser pinguis panis eius. Habet pinguedinem io sancti Spiritus consolarione *Ierem.*31. Inebriabo animas Sacerdotum pinguedine. Sic ergo descendit in Capharnaum[ciuitatem]præcipuam, quæ significat denotorum vnionem. *Act.*4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna [Galilææ] quæ est transmigratio facta. Vt ostendat nos omnes esse hospites super terram. *Hebr.* 11. Confitentes quia peregrini & hospites suot super terram. Et qui hæc dicunt significant se patriam inquirere.

Ibique docebat illos] Ecce suæ potestatis manifestatio. *Ioel.*2. Lætamini io Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem maturinum & serotinum, hoc est, doctrinam potestatis primi aduentus & secundi[sabbatis]Hoc est tempus. In sabbato enim docebat: quia tunc plures ad auditum confluebant: eo quod tunc vacabant à seruilibus, & quieti cordis vacabant vt intelligere possent verbum Dei. *Isa* 2. Ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos de viis suis

Et stupebant] Ecce tangit deuotionis auditum fidelium. quam conciues sui Nazareni non habebant. Est autem stupor cordis insensibilitas in magna admiratione. Cor enim aodiens magna & deuota quæ super ipsom sunt, stat & efficitur insensibile in seipso: cum nihil talium cognoscere possit neque facere. *Luc.*5. Stupor circumdederat eum, & omnes qui cum ipso erant, hoc est, Petrum. *Iob* 9. Qui facit magna & insctutabilia quorum non est numerus [in doctrina eius] *Snpra eodem.* Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius.

Quia in potestate erat sermo ipsins] Ecce professio diuinæ & ecclesiasticæ potestatis: sicut statim patebit per effectum. Est autem sermo quadrupliciter in potestate. Est enim in potestate dicentis, in potestate sermonis, in potestate virtutis, & in potestate diuinæ operationis. In potestate quidem dicentis: quando non per furorem, vel ambitionem, vel iactantiam est exiorius: sed potius in mansuetudine, & pietate propositus. Non enim in potestate habuit sermonem, cum ex timore dixit *Ioh* 4. Conceptum sermonem quis retinere possit? Nec in potestate sermonem habuit qui ex impatientia dixit *Iob* 32. En venter meus quasi mustum absque spitaculo, quod laguncula nouas dirumpat. Loquar & respirabo paululum. Sed in potestate Domini erat sermo qui mansuete & sine clamore proposuit, potens addere & minuere, & silere & dicere sicut voluit. Et ideo dicitur de eo *Eccle.*8. Sermo eius potestate plenus est. Econtrà de stultis *Prouerb* 25. Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Aliter dicitur esse sermo in potestate sermonis & veritatis. Et hoc est, quando bene probatur, & bene exponitur, & bene adaptatur ad propositum. *Prouerb.*15. Lætatur homo sententia oris sui, & sermo opportunus optimus est. *Psalm.*140. Audient verba mea, quoniam potuerunt, hoc est, potestatem veritatis habuerunt. Est etiam in potestate virtutis, quando virtute perficit omne quod ore suo dicit. *Act.*1. Cœpit IESVS facere, & docere. *Marc.*7. Loquebatur enim quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Iterum dicitur: In potestate diuinæ operationis, quaodo verbo virtutem Dei per miracula ostendit, ad minus dæmones eiiciendo de cordibus auditorum. *Psalm.*67. Dabit voci suæ vocem virtutis. *Deuter.*33. In dextera eius, hoc est, in potestate eius ignea lex, hoc est, verbum Spiritum sanctum diffundens. 1.*Corinth.*2. Non est regnum Dei in sarmone, sed in virtute.

Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum.

Hic tangit potestatis dictæ efficaciam. Tangit autem duo: perfectionem miraculi, & fidelium ædificationem ex visa potestate Dei. Perfectio miraculi est in tribus. Tangitur enim primo dæmoniaci dispositio: secundo dæmonis voce, potestatis Domini protestatio: tertio autem dæmonia eiectio. Per quinque autem dæmoniaci ostenditur dispositio: per locum religionis, per naturam diuinæ imaginis, per culpam criminis, per modum dæmonis, & per maliriam infestationis. Per locum religionis: quia [erat in synagoga] Illuc eum exagitans dæmonium, plures ibi à cultu diuino disturbauit. Vnde legitur in Viris Patrum, quod parui Æthiopes monachos à laudibus diuinis retrahebant. *Iob* 2. Quadam die cum venissent filij Dei vt starent coram Domino, affuit inter eos etiam satan. *Zach.*3. Satan stabat à dextris IESV sacerdotis magni vt aduersaretur ei.

Homo] Ecce tangit naturam ad imaginem Dei insignitam, cui misericordia est præstanda propter imaginis honorem quam dæmon deturpare intendit. Semper enim vsurpar Dei similitudinem. Et ideo quia Dominns miseretur imaginis, eiiciens dæmones de hominibus, mittit in porcos & illos dimittit perire. *Luc.*13. Filiam Abrahæ oportuit solui à vinculo isto die sabbati quam alligauit satanas. Similiter *Matth.*15. saluauit filiam Chananææ quæ male à dæmonio vexabatur. Et *Luc.*9. Erat eiiciens dæmonium Et sic semper videbis, quod curat eos qnos ad suam formauit imaginem, eripiens suam similitudinem de potestate diaboli. *Ecc li.*17. Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Et ideo tangit hominem quia Deus non volt homines esse in potestate diaboli Tangit etiam culpam criminis per quam datus est in potestatem diaboli, per hoc quod dicit.

Habens] Non enim dicit habiros à dæmone: quia tunc forte traditus esset sine culpa sua in potestatem dæmonis. *Iob* 1. Ecce omnia quæ habet in potestate tua sunt. *Iob* 2. Ecce in manu tua est: verumtamen animam eius serua. Iste autem habuit dæmonem per culpam quam commiserat,

potius

potius quam à dæmone haberetur ex ordinatione diuinæ dispensationis. *Ioan.* 6. Vnus ex vobis diabolus est per culpam quam commisit. 1. *Reg.* 16. Spiritus Domini recessit à Saul, propter suum peccatum: & exagitauit eum spiritus nequam à Domino.

Dæmonium] *Remigius* dicit, quod dæmon est persona. Dæmonium autem collectio, sicut populus vel turba. *Matth.* 8. Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Idem est *Marc.* 5. & *Luc.* 8. Est autem daimon in græco idem quod intellectus vel stella. Vnde etiam Athenienses dixerunt *Paulo Act.* 17. Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, hoc est, substantiarum intellectualium quas nescimus. Et in vsum venit accipere dæmonium in mala significatione: quia Stoici dicebant cacodæmones esse qui in isto aere caliginoso circa nos principantur. *Ephes.* 6. Non est enim nobis collnctatio aduersus carnē & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.

Hoc autem dæmonium dicitur [immundum] formaliter & effectiue. formaliter enim immundum est per peccatum quod commisit. Et effectiue: quia immundat & animam, & corpus. *Matth.* 12. Cum immundus spiritus exierit ab homine. *Marc.* 1. Erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo. Immundat corpus, & immundat animam, & immundat instrumentum animæ quo mouet corpus, & immundat organa quibus vtitur anima in corpore, & immundat operationes, & sic totus homo immundus efficitur. Corpus enim immundat: quia humoribus, vt dicit *Augustinus* se immiscet. Et maxime melancholiæ & choleræ, & conturbat, quæ turbatæ & non receptæ in vasis suis totum corpus inficiunt. Et sic dicitur *Iob* 2. quod satan percussit Iob vlcere pessimo. A planta pedis vsque ad verticem non erat in eo sanitas. Et sedens in sterquilinio testa radebat saniem. Immundat autem animam: quia in hac parte quæ rationalis dicitur (secundum quod ratio large sumitur pro eo quod ordinabile ratione, quod dicitur aliqualiter participare rationem) facit quidem in ratione phantasias proteruas: phantasias quidem, quia pura intelligibilia & rationabilia non præsentantur: proteruas autem, quia veritas non consideratur, sed cōtra eam proteruitur. In concupiscibili autem facit concupiscentiam dementem: concupiscentiam quidem, quia ignit appetitum ad concupiscibile: dementem autem, quando nulla meta frænatur honesti, vt coram hominibus non retracti inuadant fœminas ad venerea, & non distinguant inter suas & alias, & matres & sorores. In irascibili autem facit ex fellis euaporatione furorem in rationalem: ita quod ira feruenti inuadant homines & lacerent: sicut *Matth.* 8. & *Marc.* 5. dicitur de his quæ in monumentis habitabant, & exibant homines inuadentia.

In instrumentis etiam animæ faciunt immunditiam, hoc est, in spiritu naturali & sensibili: quia faciunt illos non claros: & ideo spumant & volutantur sicut epileptici. *Marc.* 1. Discerpens eum spiritus immundus exiuit ab eo. Et talia dæmonia erant in illo de quo dicitur *Marc.* 5. quod exibant ab eo in porcos, & statim impetu magno præcipitauerunt se in mare. Organa sensuum etiam tam interiorum quam exteriorum concludunt, sicut *Luc.* 11. Erat IESVS eiiciens dæmonium: & illud erat mutum. Et dicit *Gloss.* quod erat cæcum & surdum. Operationes etiam confundit: quia dum spiritus impedit & turbat, necesse est quod confusa sequatur operatio. Maxime quando calorem acuit: vt nubes & nigras euaporationes ex melancholia ad caput eleuet. Tunc enim inordinatissimæ operationes fiunt: quia tunc ad omne phantasma mouetur, sicut ad rei veritatem, & aliquando irascitur, aliquando ridet, aliquando insurgit, aliquando placatur, & totus efficitur inordinatus. Tunc enim fit quod dicit *Habac.* 1. Præualente impio aduersus iustum, egreditur iudicium peruersum, hoc est, præualente dæmone aduersus iustam ordinationem corporis & animæ. Sic ergo dicitur spiritus immundus.

Et exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi IESV Nazarene? Venisti perdere nos? Scio quod sis Sanctus Dei.

Hic tangitur dæmonis manifestatio. Et dicuntur quinque, quorum primum est inordinati clamoris excitatio. Secundum est, vt non compescatur à læsione, dæmonis petitio. Tertium, contra Christum quædam in possessione illius hominis, dæmonis allegatio. Quartum, temporis permissi ad tentandum nondum finitio vel expletio. Quintum, virtutis diuinæ super spiritualem creaturam extorta & inuita confessio. De clamoris autem inordinati excitatione dicit *Lucas* [Exclamauit voce magna dicens] hoc est, Extra vires & ordinem clamorem hominis vi & vitio dæmonis clamauit. Scelus enim clamorem exaltat, sicut & virtus. *Genes.* 18. Clamor Sodomorum venit ad me. Tamen [voce] clamauit quæ est cum intellectu: quod coactus facit, quia confusos clamores excitare consueuit [magna] autem voce clamauit: quia præsentiam magni sensit: & ideo se eiiciendum magno timore timuit. *Iob* 39. exhortationem ducum & vlulatum exercitus. Iste enim est vlulatus dæmonum quem contemnit equus vehens contra dæmonem Deum.

Sine] Ecce, ne compescatur à læsione petitio. Intendit enim [sine] hoc est, permitte nos in potestate lædendi, sicut fuimus. *Iob* 1. Extende manum tuam & tange cuncta quæ possidet. *Iob* 19. Terra data est in manus impij. Et in hoc significatur, quod dæmon non habet potestatem nisi inquantum permittitur ei. *Ioan.* 19. Non haberes in me potestatem nisi desuper datum tibi fuisset.

Quid nobis & tibi Iesu Nazarene?] Ecce contra Christum sui iuris in hominis illius possessione allegatio. Et est sensus. Si tuus fuisset, & non se nobis dedisset per peccatum: nihil haberemus in eo. Sed quia se nobis tradidit, nil tibi commune est in eo nobiscum. 2. *Cor.* 6. Quæ communicatio Christi ad Belial? *Eccli.* 13. Quæ cōmunicatio sancti ad canē. *Ierem.* 23. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Attende autem, quod hanc cōmunicationem Ievs Nazarene: primus in Euangelio fecisse legitur dæmon: quæ adeo bona & vera est, quod dominus eam in cruce sua omnibus legendam scribi voluit *Ioan.* 19. Et hoc quidem dæmon fecit vt sub isto pallio veri & boni: multa falsa in absentia Domini insereret, & sic induceret

ceret in errorem : & ideo compeſcitur taciturnitate ſibi inpoſita à Domino. Sic etiam in *Geneſ.* inter omnes creaturas inter ſe de Creatore loquentes : primus Deum nominauit, dicens *Geneſ.* 3. Cur præcepit vobis Deus &c. Hoc autem ideo fecit : vt nominans Deum, citius à muliere audiretur, & melius ſibi in falſis quæ iuſerere voluit crederetur. Et hæc eſt forma hæreticorum.

Veniſti perdere nos] *Marc.* 1. ponitur : Veniſti ante tempus perdere nos. Et allegat nondum expletum eſſe tempus ad tentandum & vexandum conceſſum : & ideo iniuriam ſibi fieri. Et attende, quod dicit ſe perdi ſi cogatur ceſſare à vexatione. Et in hoc perpenditur obſtinatio dura ſuæ pertinacis ad nocendum malignitatis. *Iſa.* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. *Iob* 41. Cor eius quaſi lapis indurabitur, & ſtringetur quaſi malleatorum incus. *Ierem.* 6. Crudelis eſt, & non miſerebitur.

Scio quia ſis Sanctus Dei] Ecce diuinæ poteſtatis confeſſio Sanctus enim idem eſt hic quod fortis. Et eſt ſenſus. Scio quod ſis ille fortis, qui nos fortes alligabit & vaſa noſtra diſtribuet in quibus confidebamus *Matth.* 12. *Luc.* 11. Sed qualiter dicit [ſcio] Contra.1.*Corinth* 2.Quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifigi perſuaſiſſent. Reſponſio. Scire hic dicitur vehementer opinari, & non falli per ſigna quidem. Vnde expreſſam ſcientiam non habuit, ſed vehementem opinionem. Sed in paſſione quando cælum & mundus dabat ſigna ſurſum, & infernus deorſum mortuos : tunc vere ſciuit. *Matth.* 27. Vere filius Dei erat iſte. *Ioſue* 2. Dabo ſigna in cælo ſurſum, & prodigia in inferno deorſum.

Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab illo.

Hic tangitur de dæmonis eiectione. Et tanguntur tria, dæmonis increpatio, dæmonis per præceptum Chriſti eiectio, & exitus ipſius. De increpatione dicitur [Et increpauit illum] Et hic Dominus humiliter aſſumpſit actum & opus Exorciſtarum. *Luc.* 3. Increpans non ſinebat ea loqui quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. *Pſalm.* 118. Increpaſti ſuperbos : maledicti qui declinant à lege tua [Dicens : Obmuteſce, & exi ab illo] Duo dat præcepta : primum quod à laude ſua obmuteſcat, ſecundum quod exeat. Videtur quod *Apoſtolus Philip.* 1. contrarium huius dicat, & ſic veritati contradicat. Dicit enim : Siue per veritatem annuntietur Chriſtus : in hoc gaudebo. Ad hoc dicedum, qood eſt per occaſionem annuntiare Chriſtum tripliciter. Vno quidem modo, quando aliquis vera prædicat & male viuit : ſed tamen non eſt ſcandalom manifeſtum de vita eios. Et ille permittendus eſt prædicare, & *Ioan.* 10. vocatur mercenarius. Et de hoc dicitur *Luc.* 9. Cum Ioannes quibuſdam non ſequentibus Chriſtum, & tamen prædicantibus eum, inponeret ſilentium : dixit Chriſtus. Sinite eos : quia qui non eſt contra vos, pro vobis eſt. Secundo modo eſt de his qui vera prædicant, & cum ſcandalo malæ vitæ. Et illi ſont prohibendi non propter ſe, ſed propter ſcandalum. *Eccli.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Pſalm.* 49. Peccatori autem dixit Deus ; Quare tu enarras iuſtitias, & aſſumis teſtamentum per os tuum? Tertio modo aliqui vera prædicant qui multa falſa nitūtur inſerere ſob pallio quorundam verorum: ſicut hypocrita hæreticus. Et ille eſt omino compeſcendus & præcidendus. Et in huius rei ſignificationem compeſcuit Chriſtus dæmones qui hoc idem intendebant. Dæmon enim eſt mendax, & pater eius. Et hæc eſt cauſa, quod licet libri hæreticorum quædam vera contineant & auctoritates Euangelij & aliarum Scripturarum, tamen totum damnatur: quia totum & mala intentione, & in peruerſo ſenſu eſt inductum.

Secundum præceptum eſt [Exi ab eo] Et hoc eſt de eiectione. Dicitur autem exire quando ceſſat à vexatione & impedimento operationum & immundatione qua immundat hominem. *Iſa* 45. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Iuſte enim eiicitur & obmuteſcit qui iniuſto dolo poſſedit hominē, & per eius linguam ſerpentinam mors intrauit in mundum. *Sapient.* 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

Et cum proieciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit

Ecce hic tangitur exitus dæmonis. Et tria tangit : afflictionem exeuntis, exitum, & ſalutem dæmoniaci. Circa afflictionem dicit duo : ipſam ſcilicet afflictionem, & afflictionis manifeſtationem. De afflictione dicit [Et cum proieciſſet illum] In afflictione autem duo inportantur. Vnum quidem propter quod Deus afflictionem permiſit, quod eſt peccatū præcedens dæmonis qui delectatur in pœnis. *Thren.* 3. Vrſus inſidians factus eſt mihi leo in abſcondito. Publicum autem tangitur in hoc quod dicit [in medium] quia non tantum punire ſicut leo deſiderat dæmon, ſed etiam confuodere. *Ierem.* 31. Confuſus ſum & erubui: quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ. Tamen ſæpe contingit quod dæmon intendit confundere per infamiam : & cum ille erubeſcit de infamia, emundat peccatum, & dæmon exit ab eo : ſicut hic exit à præcipitato in mediom coram omnibus. *Pſalm.* 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent te Domine. *Mich.* 4. Venies in Babylonem, & ibi liberaberis. *Eccli.* 4. Eſt confuſio adducens ignominiam [Exiit ab illo] Reliquit obſidere eum. *Infra eodem.* Exibant dæmonia à multis [nihilque illi nocuit] hoc eſt, nullum membrum ab eo auulſit : licet diſcerperet eum ſicut dicit *Marc.* Sed tamen integram ſanitatem recepit. *Ioan.* 7. Totum hominem ſanum feci in ſabbato. *Ioan.* 5. Ecce iam ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Pſal.* 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Et factus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

Ecce excitatio deuotionis ad manifeſtationem

poteſtatis

potestatis. Et dicit duo: admirationem apud præsentes, & diuulgationem famæ apud absentes. Admirationem autem apud præsentes magnificat in tribus: in pauore stuporis in corde, in admirationis ad inuicé collocutione, in causa quæ mouet omnes in pauore & collocutione. De admiratione pauore dicit [Et factus est pauor in omnibus] Pauoe scilicet stuporis ex magnitudine facti. *Psal.* 54. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Quia non potui vt silerem, vel causam in tantis viderem factis. *Iob* 4. Pauor tenuit me & tremor: & cum spiritus me præsente transiret, iohorruerunt pili carnis meæ.

Et colloquebantur ad inuicem dicentes] Omnes enim colloquebantur. Et naturale est in stupore quod vous ab alio de visis & auditis quærat exempla. *Isa.66.* Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? [Quod est hoc verbum?] hoc est, res de qua est verbum. *Ioe.* 1. Si factum est verbum istud in diebus Patrum vestrorum, super hoc filiis vestris narrare, & filiis suis, & filij eorum generationi alteri [quia in potestate & virtute] Ecce tangunt causam: quia sine exorcismis & adinrationibus, sola voluntatis potestate & virtute spiritus [imperat immundis spiritibus, & exeunt] *Luc.11.* Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei, hoc est, in demonstratione potestatis & virtutis. *Exod.*8 Digitus Dei est hic.

Et diuulgabatur fama de illo] *Psalm.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. Et hoc est [in omnem locum regionis] illius. *Isa.* 52. Quibus non est annuntiatum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt. *Prouerb.*15 Fama bona impinguat ossa. Hoc igitur est quod dicit de eiectione dæmonis.

Surgens autem Iesvs de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea.

Hic agitur de potestatu ecclesiastica super corpus anima rationali animatum, cuius infirmitates sæpe causantur à peccato: & ad illarum infirmitatum curas ordinatur potestas ecclesiastica in impositione manuum, & in vnctione extrema, & in aliis multis ecclesiasticis sacramentis. Dicit aut hic quatuor, quorum primum est visitatio ægrotantis. Secundum dispositio infirmæ mulieris. Tertium deprecatio Sanctorum pro ea rogantium. Quartum autem sanatio perfecta. In primo horum tria dicuntur. Præparatio operantis potestatis, quam tangit cum dicit.

Surgens] Surgit enim qui paratus est iuuare, & erigere iacentem. *Psalm.*43. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, ne repellas in finem. Et *infra Psalm. eodem.* Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos. *Matth.*8. Surgens Iesvs imperauit ventis, & mari: & facta est tranquillitas magna [de synagoga] Ecce secundum, synagogæ (in qua prædicauerat) derelictio: quod significat relictioné indeuotorum de circumcisione *Osea* 4. Dimitte eos, separatum est conuiuium eorum. *Ierem.*12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. *Matth.*23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Synagoga enim sonat conductionem quæ sicut aceruus lapidum conductorum est sine cæmento gratiæ & charitatis. Sic est collectio peccantium vel Iudæorum vel aliorum quorumcunque. *Michaa* 3. In aceruum lapidum erit Ierusalem. *Eccli.* 21. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. In tali autem conductione non est temperamentum liniens & continens: sed vnum inordinate premit, & alterum premitur: & vnum trudit, & alterum truditur & retruditur. Sic vnus supergreditur, & circumuenit, & supplantat alterum inter eos, qui nulla societate charitatis iunguntur. 1. *Thess.*4 Nequis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum. *Ezech.* 13. Qui liniunt absque temperamento dic eis, quod casurus sit. Hos ergo hac de causa dereliquit.

Introiuit in domum Simonis] vbi familia Simonis habitauit, & significat domum obedientiæ: quia Simon obediens interpretatur, vbi præceptis Christi & Apostolicis obeditur. *Hebr.*13. Obedite præpositis vestris. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. *Ioan.*4. Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei qui misit me, & vt perficiam opus eius. Attende autem quod tunc fuit sabbatum, in quo maxime Dominus perfecit gratias curationum propter duas causas, quarum vna est vt se Dominum ostenderet sabbati. *Matth.*12. Dominus est Filius hominis etiam sabbati. Secunda est, vt se Patri conformaret. Patet enim ab exordio mundi creaturas corporales ad sabbatum terminauit, sanctificationem mentis, & quietem in sabbato inchoãs. Et ita fecit Christus vetera terminans legalia opera quæ in corporalibus operibus consistebant, spirituales sanctificationes & sanitates à sabbato inchoauit. *Ioan.*5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. 2. *Corinth.*5. Siqua est in Christo noua creatura: vetera transierunt, & ecce noua omnia facta sunt. Vnde domus Simonis nouam de Gentibus & Iudæis collectam significat Ecclesiam. *Matth.* 16. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Socrus autem Simonis] mater suæ vxoris [tenebatur] ad impedimentum virium & operationum[magnis] vehementer æstuantibus[febribus] Febris est calor extraneus in corde inflammatus, & per venas & arterias & spiritum & sanguinem procedens in totum corpus ad impedimentum operationum, & nocumentum substantiæ & virtutum. Et hæc erat dispositio infirmi. Quæ socrus allegoricè quidem synagoga. Filia autem vxor Petri est Ecclesia. Moraliter autem est caro contraria spiritui: febris autem eius concupiscentia. Vnde *Glossa* dicit, quod vir à dæmonio liberatur, cum anima ab immunda cogitatione purgatur. Fœmina à febribus curatur, cum caro à concupiscentiæ feruore refrænatur. *Eccli.*23 Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur donec aliquid glutiat. *Osea* 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus. *Deut.*32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Hic calor est extraneus concupiscentiæ. *Leuit.* 10. Cum ignem alienum offerrent filij Aaron in conspectu Domini, combusti sunt. Hæc est ergo infirmi dispositio.

Et rogauerunt eum pro illa] Ecce deprecatio Sanctorum & intercessio. Quia, vt dicit *Gregor.*

quæ prædestinauit Deus facere, frequenter sic prædestinauit vt fiant orationibus Sanctorum. *Genes.* 25. Deprecabatur Isaac pro vxore sua: eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Ecce hic facit oratione Sanctorum: quod tamen se promiserat facturum, quando dixit *Genes.* 21. In Isaac vocabitur tibi semen, *Iacob.* 5. Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: & oratio fidei saluabit infirmum; & si in peccatis sit, dimittentur ei. Tamen *Matth.* 8. & *Marc.* 1. non dicunt, quod aliquis rogauerit eum. Quia, vt dicit *Gloss.* Saluator modo rogatus, modo non rogatus curat, ostendens se contra vitiorum quascunque passiones, & precibus fidelium se semper annuere: & ea nonnunquam quæ ipsi in se non intelligunt, & ideo non rogant: vel intelligenda dare, vel piè petentibus etiam non intellecta dimittere. Vnde *Psalm.* 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.

Curatio est ægroti. Et tangit tria: modum curationis, curationem, & virtutis integram restitutionem. Modus curationis est in facto, & in verbo: in facto quidem, quia [stans super illam] Stando autem ostendit paratum illi adiutorium, & ostendit seruandam rectitudinem. *Psalm.* 118. Adiutor & protector meus es tu Domine. De rectitudine autem *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit te Christus. *Act.* 9. Dans illi manum, erexit eam, & Sanctis ac viduis assignauit viuam. De verbo dicit [Imperauit febri] Solo enim verbo fugauit quod est Christo proprium. Sancti autem faciunt per imprecationes & exorcismos. Vnde Christus non vtebatur instrumentis clauium: quia super talia erat solo imperio soluens, & ligans. *Psalm.* 32. Dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt.

Et dimisit illam] Ecce sanitas perfecta, *Sap.* 15. Non herba nec malagma sanabat eos, sed sermo tuus qui sanat omnia. *Act.* 3. Nomen eius & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

Et continuo surgens] hoc est, corpore & mente in superiora se agens. *Coloss.* 3. Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram [ministrabat eis] hoc est, mensam parabat & necessaria, in signum restitutionis omnium vitium & operationum. Hoc autem spiritualiter impletur: quando sicut seruiuimus peccando diabolo, ita curati seruimus Deo. *Rom.* 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniqoitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.

Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis langoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos.

Idem quod ante de potestate ecclesiastica particulariter ostendit, nunc vniuersaliter probat: tam vniuersalitate infirmantium, quam varietate infirmitatum. Et tangit tria: temporis congruitatem, infirmorum curationem, & dæmonis eiectionem: temporis congruitatem per hoc quod dicit.

Cum sol] Quia tota die per totum tempus in prædicatione secum fuerant. Nocte autem domi, virtutes ipsius vicinis nuntiabant: & ideo timentes ne in crastinum discederet, statim ipsa nocte cum infirmis veniebant. Spiritualiter autem sol est ipse Christus, qui, sicut dicitur *Ioan.* 1. solus lucens illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Malach.* 4. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ: & sanitas in pennis eius. Hic sol multos curauit lumine suo, fulgens in vita: sed multo plures perfecit sanitates occumbens in morte. *Luc.* 23. Sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt. Et statim sequitur *Matt.* 27. Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Statim enim infernus reddidit mortuos suos. *Iudic.* 16. Samson, qui sol fortis interpretatur, multo plures Philisthæos prostrauit occumbens quam ante viuens fecerat. Philisthæi autem significant dæmones ægritudines facientes.

Omnes qui habebant infirmos] Ecce infirmorum generalitas. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis [variis langoribus] Ecce infirmitatum diuersitas. Langor autem dicitur quasi longus angor: quia etiam chronicas sanabat infirmitates, & ab inferis reuocabat mortuos. *Eccls.* 10. Langor prolixior grauat medicum: breuem langorem præcidit medicus. Breuis autem langor improprie dicitur. Et est oppositio in adiecto [ducebant eos ad eum] Ducatus sonat motum voluntarium: quia manu ducebant eos. Propter quod etiam patrini & instructores in Ecclesia vocatur anadochi & manuduci: quia docendo ducunt, & inflectunt ad bonum voluntates eorum. *Deuter.* 32. Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Quia etiamsi alius adducat: tamen facit in Domino.

At ille] Tangitur sanitatum perfectio. Tanguntur autem duo: modus curationis, & ipsa cura: curationis, quia [singulis manus imponens] Manus autem impositio duo significat: potestatis traductionem, & manuum, hoc est, operum impressionem. Potestatis traductio significatur per porrectionem manuum Manuum impressio significatur in impressione vestigiorum manuum. De traductione *Ioan.* 20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Manuum impressio *Exod.* 34. Portabat Moyses tabulas lapideas scriptas digito Dei. Scriptura enim est vestigium digitorum. Et ita traducit in eos spiritum in sanctificando, & imprimit digitos in obseruatione suorum mandatorum. Et hic est modus curationis. Vnde sequitur infallibilis cura [curabat eos] In sanctitate enim spiritus, & in vestigiis mandatorum non potest esse infirmitas diaboli: sed eiicitur. *Luc.* 11. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.

Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei: Et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum.

Et

Et tangitur hic dæmonum eiectio. Et tanguntur hic tria: exitus dæmoniorum, veritatis coacta confessio, & ipsorum à Domino increpatio. Dæmonum eiectio tangitur per hoc quod dicit [Exibant autem dæmonia à multis] quæ causam dederant infirmitatibus: sicut legitur in vita Beati Bartholomæi, quod inferebant læsiones: & hæc Christus à potestate lædendi eiecit. *Act.* 10. Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo [clamantia & dicentia] in veritatis confessione, sed coacta: quia dæmon de sua voluntate non loquitur nisi mendacium. *Ioan.* 8. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est & pater eius [Quia tu es Filius Dei] & ideo tuo imperio compellis nos. Hoc autem non scientes dixerunt, sed vehementer opinantes: sicut in præhabitis dictum est. Tamen quædam *Gloss.* dicit, quod sciuerunt esse Filium Dei: sed non credebant, quod sua crucifixione essent damnandi: & si hoc cognouissent, nunquam eum crucifigi persuasissent. Anterior autem solutio verior est, quod scilicet eum non cognouerunt cognitione certa, sed opinabantur vehementer. *Sapient.* 2. Filium Dei se nominat, & gloriatur patrem se habere Deum: videamus si sermones illius veri sint.

Et increpans non sinebat ea loqui] Cuius causa iam dicta est, ne scilicet sub pallio quorundam verorum multa falsa intersererent. *Matth.* 13. Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait: Inimicus homo hoc fecit. Et de his sub veris falsa introducentibus dicitur *Isa.* 1. Vinum tuum mixtum est aqua. *Ioan.* 2. Omnis homo primum bonum vinum proponit: & postea cum inebriati fuerint homines, tunc id quod deterius est [quia sciebant] hoc est, vehementer opinabantur [ipsum esse Christum] *Act.* 10. IESVM à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute. Christus enim vnctus interpretatur. *Cantic.* 1. Oleum effusum nomen tuum.

Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

Hinc tangit tertium Ecclesiæ fundamentum: & hoc est doctrina in prædicatione fidei & bonorum motum. Et tangit quatuor: primum quidem, Domini à tumultu declinationem: secundum, audientium eum inquisitionem & deuotionem: tertium, ad generalem prædicationem ministrorum obligationem: quartum autem, illius officij ad quod dicit esse ministros propriam operationem. De primo dicit [Facta autem die [Quia nocte circa curationem infirmorum erat occupatus: & ideo in die ad desertum causa quietis & contemplationis declinauit. *Marc.* 6. Venite in desertum, & requiescite pusillum. Et hoc in [die] hoc est, in claro sapientiæ lumine. *Sapient.* 8. Hæc est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum: luci comparata inuenitur prior [& turbæ requirebant eum] Ecce deuote audientium eum inquisitio. *Isa.* 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est [Et venerunt vsque ad ipsum] Tria faciunt. Quærunt per deuotionem. Veniunt vsque ad Ipsum per contemplationem. *Ioan.* 1. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & manserunt cum illo [& detinebant illum ne discederet ab eis] per charitatis feruorem. *Cantic.* 3. Tenui illum nec dimittam. *Genes.* 32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi. *Ioan.* 4. Cum venissent vsque ad ipsum Samaritani, rogauerunt eum vt maneret cum eis.

Quibus ille ait] Hic tangit ad generalem prædicationem ministrorum Ecclesiæ exemplo sui obligationem. Vnde dicit: Non teneatis me [quia & aliis ciuitatibus] & turibus, & villis, & vicis, & pagis. Omnia enim hæc per ciuitates comprehendit [oportet me] hoc est, opem portat in me: in ministris autem obligationem. *Rom.* 1. Sapientibus debitor sum. Ita quod in me promptum est & vobis qui Romæ estis euangelizare. 1. *Corinth.* 9. Omnibus omnia factus sum vt omnes lucrifacerem. 2. *Corinth.* 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi. *Act.* 1. Eritis mihi testes in Iudæa, & Ierusalem, & in Samaria & vsque ad vltimum terræ. Reprehenduntur hoc exemplo in vno loco iacentes, non euangelizantes, sed comedentes & bibentes ea quæ per Euangelium sunt acquisita. *Marc.* 6. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante. *Iob* 36. Nubes, hoc est, prædicatores, vbique spargunt lumen suum [euangelizare] hoc est, bonum nuntium gratiæ, & indulgentiæ manifestare. Hoc enim est lumen spargere. *Isa.* 49. Parum est mihi vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israël conuertendans. Dedi te in lucem Gentium vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ [regnum Dei] *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Regnum autem Dei quo Deus regnat in nobis, est omnis finis, boni, legis, & ordinis, distributio: sicut dicit Dionysius. Et hoc superius est expositum. *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Quidam autem hoc non faciunt, sed fabulas prædicant. *Psalm.* 118. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.

Quia ideo missus sum] Ecce finis legationis. *Abdiæ.* Auditum audiuimus à Domino. Et legatus ad Gentes missus est. 2. *Corinth.* 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Modo autem legati qui veniunt, ad concutiendum & spoliandum terras veniunt: & sunt illi legati Antiochi & non Dei 2. *Mach.* 4. [Et erat prædicans] Ecce Actus officij ad quem consecrantur Episcopi: sicut patet in manus impositione Episcopororum [in synagogis Galilææ] Locus vbi multi confluxerunt. *Ad Titum* 1. Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Hæc est ergo constructio fundamentorum Ecclesiæ.

CAPVT V.

Factum est autem : cum turbæ irruerent in eum vt audirent verbum Dei , & ipse stabat secus stagnum Genezareth.

CONSTRVCTA ecclesiastici ordinis fundamentis , tangit *Lucas* ecclesiasticum ordinem in eo , penes quem est plenitudo potestatis, & in Episcopis,& Presbyteris:sicut innuit quædam *Gloss. super cap.* 11. Et ideo diuiditur in tria , in quorum primo tangit ordinem capitis,in quo est summa potestas ad membra : in secundo autem tangit ordinem nobiliorum membrorum, in his qui primi ordinis sunt in Ecclesia, & hoc in sequenti capitulo : in tertio autem tangit ordinem eorum qui secundi ordinis sunt in Ecclesia,sicut Presbyterorum , & hoc incipit 11, cap. infra. Constructionem autem potestatis ecclesiasticæ in capite tangit in hoc capitulo in quinque , penes quinque quæ sunt de officio capitis, quorum primum est vniuersalitas potestatis in mundo : secundum est penes vsum clauis , & ius oblata recipiendi , & discernendi de lepra & lepra,& mundatione lepræ:tertium est penes potestatem ligandi & soluendi à peccato : quartum autem est penes auctoritatem vocandi & constituendi & disponendi gradus ecclesiasticos , & distinguendi eosdem: quintum autem est penes potestatem dispensandi & remittendi circa eos quos regit. Et hæc per ordinem tanguntur in quinque historiis hic introductis, scilicet , de piscium conclusione , de leprosi sanatione & oblatione , de peccatorum in paralytico absolutione, de Matthæi vocatione, de Discipulorum dispensatione,contra quam Pharisæi murmurabant. Et hæc per ordinem patent in litera. Ex omnibus autem his scitur quod *Lucas* in historia non sequitur ordinem temporis , sed inducit omnia, secundum quem modum probant ecclesiasticum ordinem , vt se esse probet vitulum in Dei animalibus.

Prima autem historia in qua construit vniuersalitatem regiminis esse in vno, habet tres partes, in quarum prima sumit occasionem veniendi ad propositum : in secunda ostendit & construit hoc per miraculum : in tertia autem omnibus ad hoc stupentibus , explanando dicit hoc quod dictum est,esse suum intentum. Circa primum autem in quo accipit occasionem,sunt quatuor paragraphi. Tangit primo audiendi ex parte turbæ auiditatem , & ex hoc sibi excitari tumultuationem , & loci vbi stabat ad tumultum sustinendum incongruitatem. In secundo dicit nauium de quibus sine tumultu docere posset , considerationem. In tertio dicit vnius nauis ad tumultum declinandum ascensum. In quarto dicit ex illa turbarum eruditionem & illuminationem. Hæc autem per ordinem patent in litera. In primo horum duo sunt : turbarum ad audiendum tumultus , & ad tumultum portandum importuous locus. Attende autem istud ante incarcerationem Ioannis esse factum. Et ideo præcedenti immediate secundum ordinem temporis non continuatur. Sed hunc ordinem non sequitur *Lucas*. Secundum ordinem autem ecclesiastici gradus optime continuatur: quia prius est fundare Ecclesiam , quam constitutio ministrorum.Et ad sequens continuatur : quia prius est disponere caput, postea membra. Et inter actus , prius est cura pastoralis vniuersalis reginimis,quam vsus clauis. Et sic patet ordo valde rationabilis. Dicit ergo.

Factum est autem]Quod ante mundi constitutionem ordinatum est:tunc in executione [factum est] Sic enim eum Pater genuit,in quo splenderet omnis gradus sanctitatis ab æterno,ab eodem ipso perficiendus in tempore. *Psalm.*109. In splendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Sic Ierusalem terrestris Ecclesia descendit à cælesti quæ est in dispositione diuina. *Apoc.* 21. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam. Sic ergo [Factum est] tali sumpta occasione [Cum turbæ] permixtæ multitudines [irruerent] tumultuantes [in eum] cupientes audire viam salutis [vt audirent eum] *Matth.*13. Congregatæ sunt ad eum turbæ multæ : ita vt in nauiculam ascendens sederet. Causa autem audiendi diuersa fuit in diuersis. Quidam enim cibum cogitantes qui perit, propterea sequebantur eum vt de panibus suis saturarentur:& hi fuerunt carnales. *Ioan.*6. Quæritis me non quia vidistis signa : sed quia comedistis de panibus. Alij autem sequebantur eum : vt obseruarent & caperent eum in sermone , & accusarent eum :& hi fuerunt inuidi. *Matth.* 22 Abeuntes Pharisæi concilium fecerunt vt caperent IESVM in sermone. Alij autem sequebantur eum vt sanarentur ab ipso infirmi eorum. *Ioan* 6. Sequebatur eum multitudo magna : quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur : & hi erant prouidi. Alij autem sequebantur vt viderent mirabilia & audirent. *Luc.* 5 Vidimus mirabilia hodie:& hi sunt curiosi. Alij autem sequebantur eum vt de via salutis & animæ eruditione instruerentur:& hi erant deuoti. *Ioan.*6. Ad quem ibimus?verba vitæ æternæ habes.Isti autem tria attendentes quæ erant in ipso : dulcedinem spiritus qui verba concepit,dulcedinem linguæ & labiorum quæ verba proposuit, dulcedinem verbi quod in aures sonuit. De primo horum *Eccls.*24. Spiritus meus super mel dulcis. De secundo *Psalm.*44. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Cantic.*4. Mel & lac sub lingua tua. De tertio *Cantic.*2. Vox tua dulcis. *Cantic.*4. Eloquium tuum dulce.

Et ipse stabat secus] Ecce loci incommoditas, tanta pressura turbarum. Poterant enim eum impingere & comprimere. Est autem stagnum vbi aqua stans & in se recollecta stagnatur. Vnde etiam stagnum à stando dicitur. Idem autem hebræo sermone mare dicitur : non quod amarum fuerit,sed consuetudo est hebræis omnem stantem magnam aquam mare vocare.*Genes.*1.Congregationes aquarum appellauit maria. Sed dicitur mare Tiberiadis à ciuitate adiacente metropoli, quæ Tiberias vocabatur , dicta sic, quia Herodes Antipas eam ædificauit ob honorem Tiberij Cæsaris , sub quo ipse regnauit. Idem dicitur mare Galilææ ab adiacente prouincia. Idem dicitur stagnum

ſtagnum vel mare [Genezareth] quia cum ſit de fontibus confluentibus & aquis influentibus collectum, colliſio confluentium aquarum facit criſpari ſuperficiem ipſius,& non ſinit eam ſtare plane : & motus ſuperficiei tactum mouet & impellit aërem , & ita lenem ex ſe generat auram. Et ideo generans auram,hoc eſt[Geneſareth]vocatur à genes quod eſt generatio , & areth quod eſt aura. Per hoc igitur patet expoſitio literalis.

Stabat autem IESVS iuxta ſtagnum Genezareth] Statu ſuo : ſuæ diuinitatis oſtendens immobilitatem. Poſitione corporis : docens iuſtitiæ rectitudinem. Porrectione capitis , diuinam incontemplationem : erectione vultus , inſtruens ad rectam in omnibus intentionem. De primo autem horum dicitur in *Pſalm*.101. Tu autem idem ipſe es : & anni tui non deficient. De ſecundo *Pſalm*.10. Iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit.De tertio *Ioan*.3.Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo , Filius hominis qui eſt cælo. Non ſolum per diuinitatem, ſed per æterni luminis contemplationem. *Philip*.3.Noſtra conuerſatio in cælis eſt. De quarta *Coloſſ*.3. Quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens : quæ ſurſum ſunt ſapite , non quæ ſuper terram. Per hoc autem quod dicitur [ſecus] notat propinquitatem. Propinquus enim eſt tribularis,petentibus,& deuotis. De primo *Pſal*.33. Iuxta eſt Dominos his qui tribulato ſunt corde. De ſecundo in *Pſalm*.144. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. De tertio *Iſa*.55. Quærite Dominum dum inueniri poteſt : inuocate eum dum prope eſt [ſtagnum] quod aquæ labilitate , vitæ huius ſignificat mortalitatem : aquæ motu , ſignificat vitæ inſtabilitatem : aquæ effectu , ſignificat huius gloriæ vaporem , ad modicum apparentem. De primo dicitur 2.*Reg*.14. En omnes morimur , & quaſi aquæ dilabimur in terram. De ſecundo dicitur *Iob* 14. Homo natus de muliere breui viuens tempore. Et *ſupra*. Nunquam in eodem ſtatu permanet. De tertio *Iacob*.4. Quæ eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens. Et ideo dicitur Genezareth, auram quandam lenem generans.

Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum : piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia.

Hic tangitur loci opportuni ad docendum conſideratio. Non enim erat ibi locus eminens ad quem aſcenderet : & ideo non erat opportunitas preſſuram declinandi niſi ad nauem. Dicuntur autem duo : duarum nauium in ripa conſideratio , & earumdem interim ab vſibus piſcatorum deoccupatio. De primo dicitur quod[duas vidit naues] non fluctuantes in vndis , ſed [ſtantes] fixas in prora ad ripam [ſecus ſtagnum] quia puppes & rates & carina erant in aqua. Quæ duæ naues duas Eccleſias congregandas ſignificabant , ſcilicet , Eccleſiam de circumciſione, & Eccleſiam de Gentibus. De vtraque iſtarum dicitur *Galat*.2. Qui operatus eſt Petro in apoſtolatu circumciſionis , operatus eſt & mihi inter Gentes. Et *ibidem*. Cephas & Iacobus qui videbantur columnæ eſſe , dextras dederunt mihi & Barnabæ , ſocietatis : vt nos in Gentes , ipſi vero in circumciſionem : tantum vt pauperum Chriſti memores eſſemus:quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere.Et ſic mare mundus eſt.*Pſ*.103. Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus: illic reptilia quorum non eſt numerus. Piſces autem in aquis voluptatum merſi ſunt homines carnales. *Matth*.4. Faciam vos piſcatores hominum. Verſus.

Eccleſiam pro naue rego,mihi climata mundi
Sunt mare, Scriptura retia, piſcis homo.

Moraliter autem [vidit] per miſericordiam ea quæ nobis vtilia ſunt conſiderans [duas naues] innocentiæ & pœnitentiæ ſalutaris tabulas præparans [ſtantes] permanentiam meritorum promittentes [ſecus ſtagnum] à fluctibus ad ſolidum æternitatis deducentes. De primo horum *Ioan*.1. Cum eſſes ſub ficu , hoc eſt , ſub peccati dulcedine , vidi te. *Exod*.3. Videns vidi afflictionem populi mei. Innocentiæ autem nauis non quidem per immunitatem omnis peccati niſi in Chriſto , ſed per immunitatem omnes peccati præter originale in paruulis , & Beata Virgine. Per immunitatem autem peccati mortalis , vt in baptizatis & conſeruantibus baptiſmum. Hæc enim eſt nauis Noë, in qua pauci , id eſt , octo animæ ſaluatæ ſunt. Et hæc conſtruitur in *Pſalm*.23. Innocens manibus & mundo corde , qui non accepit in vanum animam , neque iurauit in dolo proximo ſuo.Hic enim innocens eſt : quia nulli nocuit. Manibus enim , hoc eſt operibus , non nocuit ſibi , Deo , & hominibus. Per iuſtitiam purgans nocumentum manuum. *Pſalm*.25. Lauabo inter innocentes manus meas. Per munditiam cordis cuſtodiuit ſe à nocumento ſui & Dei *Matth*.5. Beati mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt. Per hoc quod non accepit in vano animam,cauit ne noceret animæ. In vanum enim accepit animam qui non perficit eam ſcientia & virtute : quia horum duorum principia apud ſe habens datur ei anima.*Sapient*.8.Sortitus ſum animam bonam. Nec iurauit in dolo proximo ſuo. Per iuramentum cauens diuino nomini. Per dolum autem cauens ſimplicitati proximi. 1.*Paralip*.29. Scio quod ſimplicitatem diligas. Sic ergo nauis innocentiæ conſtruitur innocenti opere , innocenti corde, innocenti mente , & innocenti ad Deum & proximum ſermone. *Geneſ*.49. Zabulon in litore maris habitabit , & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem. Zabulon habitaculum fortitudinis interpretatur, & ſignificat innocentes fortiſſimos opere , corde, mente , & ſermone perfectos. Habitant ergo in litore,id eſt, ſoliditate permanentis gratiæ : maris tamen , hoc eſt , in ſalo amaritudinis huius vitæ: in ſtatione nauium , in qua portum fideliſſimum habent innocentiæ pertingentes verbo & exemplo vſque ad Sidonem,quæ venatio interpretatur: quia alios quoſque venantur , vt in eodem portu & eadem naui ſaluentur.*Ierem*.16.Mittam eis venatores multos,& venabuntur eos.

Alia nauis eſt pœnitentiæ , quæ ſaluat eos qui ex innocentia baptiſmali cadentes , ſunt paſſi naufragium. Et ideo dicit *Hieronymus* quod pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium, ſupple, innocentiæ. Hæc nauis conſtruitur contritionis dolore , confeſſionis veritate , & ſatisfactionis humilitate. *Sapient*. 14. Sed vt non eſſent vacua ſapientiæ tuæ opera : propter hoc exiguo

ligno

ligno credunt animas suas: & transeuntes mare, per tatem liberati sunt. Nisi enim Deus nobi constitueret pœnitentiam, in multis essent vacua sapientiæ operis: de quibus *Isa*. 64. Opera manuum tuarum omnes nos. Exiguum autem lignum, humilis pœnitentiæ tabula, cui redeuntes à peccato, eredimus animas nostras vt cum Maria Magdalena liberemur: sicut innocentes liberantur cum Beata Maria Virgine. Et sic operibus satisfactionis mare tentationum huius mundi transeuntes, sunt liberati pœnitentia saluante. *Prouerb. vltim.* Facta est quasi nauis institoris, delonge portans panem suum. Ecclesia videlicet sic est quasi nauis innocentiæ in quibusdam, & nauis pœnitentiæ in aliis: portans panem gratiæ reficientis delonge, hoc est, de æternitaris litore & regione.

Hæc est nauis similis naui in figura, similis nauigantibus in vita, similis vsui nauis in transitu, similis periculis nauis in processu. Figura enim nauis est, ante & post esse strictam, & in medio secundum aliquid dilatatam. Et sic principium bonæ vitæ arctum est in ingressu, & arctius in egressu, latum autem aliquid habens in medio. De primo *Matth*. 7. Arcta est porta quæ ducit ad vitam. De secundo *Genes*. 35. Vocauit filium Bennoni, hoc est, filium doloris mei. Est etiam angusta in egressu Angustia enim magna est in exitu, id est in morte: quia dicitur in *Psalm*. 126. Beatus qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Inimicis intertogantibus etiam de his quæ ignograbam, sicut dicit *Psalm*. 34. Latum autem habet in medio, in consolatione conscientiæ. *Prouerb*. 4. Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. Vita autem nauigantium semper est in timore futuri, & angustia præsentis. De primo *Rom* 11 Noli altum sapere, sed time. De angustia præsentis *Daniel*. 13. Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro. Est etiam vita eorum in victus parcitate *Ezech*. 4. Panis quo vescetis, in pondere viginti stateres: à tempore vsque in tempus illum comedes. Vsus autem nauis est transuehere in litus aliud de litore isto. Et hoc faciunt naues istæ. De solido enim gratiæ transponunt in solidum gloriæ. *Sapient*. 10. Transtulit eos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam. *Isa*. 51. Posuisti profundum maris viam vt transirent liberati.

In processu etiam similis est periculis maris. Multa enim sunt pericula in quibus transeunt naues istæ. *Psalm*. 106. Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Hæc autem pericula sunt sine numero, ascendentibus procellis tentationis, & descendentibus voraginibus desperationum, occurrentibus conflictibus beluarum, complodentibus occursantes sibi acroceraunijs, scylla lattante contra voragines charybdis, & syrtibus oppugnantibus locis dithalassis. Præter ventos quatuor qui pugnant in mari magno, & dubiis procellis naues exagitant. Ascendunt autem ad cælos flatus ambitionum. *Isa* 14. In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum In desperatione autem descendunt vsque in infernum. *Prouerb*. 18. Impius cum in profundum venerit, contemnit. *Psalm*. 129. De profundis clamaui ad te Domine. Beluæ autem confligentes sunt pericula diuersa dæmonum. *Psalm*. 90. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Negotium obtenebrans est tentatio deceptionis occulta, quando gubernator nescit quo nauem dirigat. Sagitta volans per diem, est tentatio subita & aperta quæ præoccupat vt submergat. Incursus autem, est cum violentia volens in profundum mergere. Dæmonium autem meridianum, est quod cum fulgore claritatis in habitu Angeli lucis venit. Hæc omnia insiant in velum cordis, & quærunt extinguere nauim innocentiæ, vel pœnitentiæ: quæ sunt naues liberationis.

Acroceraunia autem sunt scopuli prominentes sub aqua in quibus impingens nauis submergitur. Et sunt quædam tentationes iræ, riæ, & inuidiæ, quæ nauigantes impediunt & submergunt. *Ephes*. 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Scylla autem caninum caput est, quæ significat detractionem. *Rom*. 1. Susurrones detractores, Deo odibiles. Charybdis autem carinas abdens, est vorago cupiditatis. *Eccli*, 10. Nihil est scelestius quam amare pecuniam. Hic enim in vita sua proiicit intima sua. Syrtes autem sunt sectæ & hæreses. 1. *Corinth*. 11. Oportet hæreses esse: vt hi qui probati sunt, manifesti fiant in nobis. Dithalassus autem est malum longæ et irrefrænatæ linguæ. *Iacob*. 3. Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero. Venti autem sunt motus quatuor passionum cor inquietantium: gaudium vanum, timor inutilis, spes inanis, & tristitia mortifera. *Daniel*. 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Præter hæc & post hæc omnia sunt complosiones symplegadum, lapidum scilicet, de montibus hinc & inde præruptis solutorum, & in mari sibi occurrentium. Et istæ sunt obdurationes & indurationes cordium, quæ cor non sinunt ad amorem emollui, nec ad timorem frangi. *Psalm*. 94. Nolite obdurare cor vestrum. *Eccli*. 3. Cor durum male habebit in nouissimo.

Inter omnia hæc pericula transeunt innocentiæ & pœnitentiæ naues. Et ideo semper dubijs & angustiis plenæ. *Iob*. 3. Antequam comedam suspiro, & tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus. *Iob* 9. Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.

Piscatores autem] Ad literam hic notatur nauium deoccupatio, & notatur innocentia Domini, qui occupatis nauibus vti nolebat. Omnibus enim prodesse volebat, & nulli obesse [Lauantur autem retia] quia sæpe trahuntur per limum in fundo, qui si adhærens remaneret, citius putrescerent. Piscatores autem animarum, Prælati sunt & Prædicatores. *Ierem*. 16. Mittam eis piscatores multos & piscabuntur eos. Hi à nauibus descendunt, cum ab vtilitate proximi cui per curam & prædicationem intendunt, ad considerationem sui humiliter redeunt. *Iob* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. *Galat*. *vltim*. Considerans teipsum, ne & tu tenteris. *Matth*. 7. Eiice primum hypocrita trabem de oculo tuo: & tunc videbis vt educas festucam de oculo fratris tui.

Retia autem dicuntur quasi retinentia. Composita enim sunt ex filis & maculis. Inter qualibet enim quatuor fila, hoc est, quadratum fili, est macula per quam egreditur limosa aqua, & filis retinetur

retinetur piſcis. *Iob* 18. Immiſit in rete pedē ſuum, & in maculis illius ambulat. Hæc autē ablutio ſignificat peccatorū (quæ ex cura paſtorali vel doctrina adhæret) per compunctionem & lacrymas ablutionem. *Ambroſ.* Lacrymæ lauant delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Debet autem lotio iſta maxime eſſe de tribus: à ſermone videlicet adulationis, à limo turpis quæſtus, & à turbatione inanis gloriæ. 1. *Th*[illegible]2. Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, neque io occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam. *Iſa.* 1. Lauamini, mundi eſtote, auferte malom cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Retia vero ſignificant ſermones eccleſiaſticos, qui compoſiti ſunt ex ſermone diſputationis, quo conſtruitur veritas, & ſermone exhortatiuo, quo ædificatur in moribus bonitas. Et ſunt quaſi duo fines illius ſagenæ. Medium autem componitur ex filis auctoritatum & ex maculis rationum & ſimilitudinum. *Matth.* 13. Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Sic ergo per conſiderationem ſui deſcendentes, retia lauabant.

Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum.

Ecce hic tangitur loci ad docendum competentis electio. Et tanguntur duo: nauis aſcenſio, & nauis à terra reductio. Circa nauis aſcenſionem tanguntur tria: motus, nauis vnitas, & nomen poſſeſſoris. Motus eſt aſcenſionis cum dicit [Aſcendens autē] Quilibet enim Prælatus in cōſideratione ſui debet eſſe humilis: in regimine autem debet aſcendere culmen auctoritatis. Vnde *Auguſtinus in Regula de communi vita clericorum.* Honore coram nobis Prælatus ſit vobis, timore corā Deo, ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Quo enim altior eſt in auctoritate, eo debet humilior eſſe in ſui cōſideratione. Aſcendens in regimine altus ne vileſcat, deſcendens io ſui conſiderationem humilis ne intumeſcat. *Luc.* 14. Dicat tibi qui te inuitauit: Aſcende ſuperius. Vnitatem autem nauis tangit cum dicit.

In vnam nauim] vna eſt enim Eccleſia, vno Spiritu ſancto viuificata, mota, ſenſificata, & communicata. *Cantic.* 6. Vna eſt columba mea: vna eſt genitricis ſuæ ſapientiæ, vel gratiæ dilecta: vnitate Spiritus in ſanctificatione, vnitate cordis in charitate, vnitate communicationis in bonorum participatione, vnitate animæ io ſapientiæ ſenſificatione, vnitate membrorum in connexione. Et de vnitate quidem ſpiritus dicitur *Epheſ.* 4. Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. De vnitate cordis & animæ ſimul *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. De vnitate communicationis in bonorum participatione 1. *Corinth.* 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Et *ibidem.* Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. De vnitate connexionis *Epheſ.* 4. Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus ex quo totum corpus per omnia compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit io ædificationem ſui in charitate. Sic ergo licet duas viſu approbationis viderit: tamen io vnam aſcendit, vnitatem approbans, & ſchiſmata damnans.

Quæ erat Simonis] Ecce poſſeſſor vnitatis, quem loco ſui in terris conſtituere intendit: ad cuius regimen vnum omnes Eccleſiæ particulares referuntur. Omnes enim illæ in partem vocantur ſolicitudinis: cum tamen vna ſit cura vniuerſalis. Simeon autem obediēs interpretatur: quia neceſſe eſt quod valde ſit Deo obediens qui formam omnibus præbet obedientiæ, qui dicere poteſt hoc 1. *Corinth.* 11. Imitatores mei eſtote: ſicut & ego Chriſti. Chriſtus enim obediens eſt præ omnibus. De quo dicitur *Philip.* 2. Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Hac ergo de cauſa vt eum ſuum in regimine vicarium oſtēderet, nauim ſuam aſcendit *Matth.* 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Habito loco ad docendum opportuno, tangit modum loci eiuſdem.

Rogauit eum, &c.] Tangit duo: benignitatem enim innuens rogat eum cui præcipere potuit: ſecundo autem à terra rogat paululum nauim reducere. Obſeruat iam Chriſtus quod per Apoſtolum Epiſcopo præcepit 1. *Timoth.* 5. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Ita & hic rogat: quia ſicut dicit *Seneca*, generoſus eſt animus hominis, facilius ducitur quam trahitur. Precibus enim multi faciunt, ad quod præceptis non inclinarentur [à terra reducere] nauem [puſillum] vt ſit aquæ interſtitium inter eum & turbas, & ita non poſſint eum comprimere.

Myſticè autem doctrina à terra, hoc eſt, à terrenis puſillum reducitur tripliciter: in ſenſu verbi, in conuerſatione audientis, & io affectu verbum capientis. In ſenſu quidem verbi: quia nouellus auditor profunda non intelligit, ſed ea quæ iuxta terrenas ſimilitudines dicuntur melius ſapit. 1. *Corinth.* 3. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. In conuerſatione autem: quia talibus non ſunt imponenda grauia ſed leuia, non multum à conuerſatione ciuili elongata: & tunc melius portant. *Act.* 15. Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus? *Matth.* 23. Imponunt onera grauia ſuper humeros aliorum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. In affectu autem carnali iterum non longe ſunt remouendi quin relinquantur eis temporalia, & ordinetur diſpenſatio. *Prouerb.* 30 Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria. *Gregor.* Diuitias abhorrere puſillanimitatis eſt, paupertatem non poſſe portare impatientiæ eſt. Et ideo medio modo eundum eſt cum auditoribus. Sed ipſe Prædicator in omnibus debet eſſe inſtitutus. *Philip. vltim.* Ego didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare (vbique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confortat. Sic ergo reducat à terra puſillum: ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans: & plus & plus quantum poſſibile eſt à ter-

tenis

senis & animalitate terrena remouens inducat ad spiritum.

Et sedens docebat de nauicula turbas.

Ecce doctrinæ beneficium post captatum ad docendum locum. Tangit autem tria: quietem docentis, locum doctrinæ, & doctrinam turbarum. Notans enim quietem dicit [Sedens] 2. *Reg.* 23. Dauid sedens in cathedra sapientissimus inter tres, hoc est, naturalem legem, & scriptam, & Prophetas. *Eccli.* 24. Doctrinam tanquam antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque ad longinquum. Locus autem est [de nauicula] hoc est, de humili Ecclesia, quæ sensum humilem habet: quia extra Ecclesiam non doctrina. *Eccli. vltim.* Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Extra nauem enim Noe quæ est arca non est salus. Aquæ enim doctrinarum aliarum non sunt salutares. Actus doctrinæ est [quia docebat turbas] nullum penitus excludens. *Matth.* 5. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio sed super candelabrum: vt qui ingrediuntur lumen videant.

Vt autem cessauit loqui, dixit ad Simonem.

Hic tangitur de perfectione miraculi: in quo vtilitas regiminis Ecclesiæ constituitur. Tanguntur autem hic principaliter tria, quorum primum est impetium verbi ad actum miraculi. Secundum est figura regiminis in effectu verbi. Tertium autem stupor, & ædificatio fidelium, & instructio ad intelligendum mysterium. In primo sunt duo: præceptum, & humilis excusatio cum deuota obedientia. Dicit igitur [Vt autem cessauit loqui] sermone ad turbas iam perfecto. Non enim semper loquendum, sed aliquando tacendum. *Eccle.* 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi [Dixit ad Simonem] cui mundi & maris cura committenda fuit: iam cordibus per auditum verbi sui præparatis: quia frustra laborat extra lingua doctoris, nisi intus adsit gratia Saluatoris. Et ideo pisces qui ante sermonem Domini reti Simonis se subduxerunt, modo post verbum Domini quasi vndique certatim venientes, reti se certatim iniecerunt. Et hoc notat cum dicit. In verbo tuo laxabo rete. *Psalm.* 32. Verbo Domini cæli, hoc est. Apostoli, firmati sunt: & Spiritu oris eius, qui vehit verbum, omnis virtus eorum, quam habent in captura piscium hominum. Præmisso ergo verbo suo, tunc primum ministerium imponit Simoni: vt significaret efficaciam sui verbi. *Isa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Ad hoc ergo sicut ad escam pisces currunt.

Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam,

Ecce præceptum tria continens: piscaturæ ordinem, locum in quo pisces habent habitationem, & retium in capturam laxationem. Piscaturæ ordinem tangit cum dicit [Duc] Ductura enim motus est ordinatus. Fit autem iste ductus tribus ordinantibus eum, scilicet, Spiritu præeunte, auctoritate Scripturæ confirmante, & discretione rationis ordinante & proportionante, quid, quibus, qualiter, & quando, & quomodo proponendum sit, & quantum, & vbi. De Spiritu præeunte *Ezech.* 1. Quocunque ibat Spiritus, illuc eleuabantur & rotæ sequentes eum: Spiritus enim vitæ erat in rotis. *Psalm.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Non ergo quæstus duxit vel gloria. 1. *Thes.* 2. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, nec à vobis, neque ab aliis. De auctoritate autem dicta confirmante *Psalm.* 103. Inter medium montium pertransibunt aquæ, hoc est, aquæ doctrinæ inter medium duorum testamentorum. Hoc significatum est *Ezech.* 47. Sanabuntur aquæ. Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocunque venerit torrens, viuet. Torrens iste torrore solis fluens, hoc est, calore charitatis Christi (qui est sapientia Dei) sanat aquas doctrinæ humanæ. Et anima serpens in deliciis, & diuitiis, & honoribus viuet, gustans aquas istas. De ordine rationis proportionantis & examinantis vnumquodque dictum, & dicendum, & quod, dicitur *Eccli.* 21. In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum: quoniam meditatio & rationis ordo præcedit dicta ipsorum. *Psalm.* 36. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Quando enim sapientia meditata per frequentem reditum mentis super eam est in corde: tunc necesse est quod lingua nihil loquatur nisi iudicium, hoc est, præiudicatum à ratione. Ideo dicitur *Eccle.* 10. Verba oris sapientis gratia, & labia insipientis præcipitabunt eum *Prouerb.* 16. Cor sapientis erudit os eius, & labiis suis addet gratiam. Propter tria dicit [Duc] Vt Spiritus præcedat, cauens vt nihil propter turpe lucrum, vel gloriam fiat: veritas oris Dei omne dictum confirmet. & discretio rationis sapienter ordinet, à fine vsque ad finem attingens fortiter, & disponens omnia suauiter *Sap.* 8.

In altum] Ecce locus habitationis piscium magnorum. Quia, sicut dicitur in lib. animalium, magni pisces habitant in pelago. Vnde *Ioan.* 21. Traxerunt rete in terram plenum magnis piscibus. Tangit autem altum quadruplex in quod rete est ducendum: altum maris, altum intelligentiæ spiritualis, altum conuersationis, & altum contemplationis. In his enim latent pisces magni in quibus est vtilitas. Altum maris est altitudo secularis dignitatis, in qua sunt: Reges, Duces, Barones, & principes, qui se reti debent inclinare. *Isa.* 70. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit. Et *ibidem.* Suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis. Istis enim captis etiam minores in tractu retis ad terram concluduntur. Vtile ergo est quod adiuuante Deo sic ducatur in altum. Sed forte aliquis dicet: Veni in altitudinem maris & tempestas indignationis principium demersit me *Psalm.* 68. Non enim est tutum nauigare inter conflictus beluarum. Dicat quicunque talis est, illud *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis, & post fletum & lacrymationem, captia aliquando talibus, exultationem & gaudium infundis. Tali piscatione capti sunt Constantinus, & alij qui Ecclesias fundauerunt. *Psalm.* 125. Euntes

ibant

ibant & flebant mittentes femina fua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos fuos.

Eft etiam altum intelligentiæ fpiritualis, in quod rete aliquando ducendum. Eccli.1. Profundum maris quis dimenfus eft?fupple,nifi fapientia Dei. Iob 18. Profunda fluuiorum fcrutatus eft, & abfcondita produxit in lucem. Altum autem & profundum eft idem,vt dicitur in Prædicamentis. Hoc eft altum fapientiæ, vbi in abditis habitant fapientes, qui Philofophi vocantur:qui aliquando capti, multa bona Ecclefiæ contulerunt:ficut Auguftinus, & Ambrofius, & alij. Circa litos autem non habitant nifi tanæ loquacitatem habentes, & nullam fapientiam. Eccli. 24 Ego fapientia in altiffimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Prouerb.8.Ego fapientia in confilio habito, & eruditis interfum cogitationibus. Hic ergo pifcandũ eft ad capiendos fapientes. 1.Cor.2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Vnde Paulus. Cùm autem effet fapiens accepto Spiritu,vas electionis eft factus. Cuius caufa eft, vt dicit Hieron. quia Scripturarum erat armarium.

Tertium altum eft conuerfationis, in quo trahens rete pifcator capit viros magnos virtutis honore: ficut fuit Cornelius, qui ante cognitionem fidei dicitur fuiffe vir religiofus, & faciens eleemofynas. Et poftea ad informationem alio rum, vnus talium pro multis computatur. Eccli. 44. Homines diuites in virtute, pulchritudinis ftudium habentes, pacificantes in domibus fuis. Ierem. 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuftitiæ, mons fanctus. Mons enim dicitur propter altitudinem. Ierem. 16. Ecce ego mittam pifcatores multos, & pifcabuntur eos: & poft hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.Quia oculi mei fuper omnes vias eorum. Montes funt excelfa virtutum culmina. Colles hi qui funt ftatus inferiotis. Cauernæ occulta confcientiarum.

Eft item altum contemplationis:quia quidam funt qui non defiderant nifi contemplationis ftatum. Etfi illum inueniant, in verbo Dei capiuntur:fi non inueniunt, auertuntur. In hoc ergo altum ducendum aliquando eft rete, in profundo fapientiæ diuinæ pifcando. Matth. 17. Domine, bonum eft nos hic effe, in alto fcilicet Thabor, vbi transfiguratus cernitur Dominus. Si vis faciamus hic tria tabernacula. Thabor, veniens lux interpretatur. Pfalm. 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.Mare autem eft abyffus diuini luminis, tanquam quoddam pelagos infinitum. Eccli.24. Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens. Sic ergo duc in altum.

Et laxate retia in capturam] Hic dicit de retibus laxatis in capturam. Laxatio autem retium, eft ordinata retium dilatatio. Et dicit pluraliter de retibus: quia duo funt, fermo fcilicet facræ prædicationis, & fermo fortiffimæ difputationis. De primo dicitur 2. Tim.4.Prædica verbum,infta opportune, importune. De Sermone difputationis Act. 9. Paulus loquebatur cum Gentibus, & difputabat cum Græcis.Hæc autem retia laxantur, quando ad conclufionem omnium pro captu fingulorum dilatantur. Laxantur, quando ab auctoritatibus Scripturæ ad alias doctrinas fæculares quæ theologiæ ancillantur, extenduntur. Retia iterum laxantur, quando ea quæ proponuntur, congruis fimilitudinibus declarantur. Retia tandem laxantur, quando non arcta & ftricta facienda proponuntur,ficut confilia,fed etiam laxa quæ infirmi perficere poffunt,iniunguntur.

De prima quidem laxatione dicitur Matth. 13. Simile eft regnum cælorum fagenæ miffæ in mare, & ex omni genere pifcium congreganti: quam cum impleta effet, educentes & fecus litus fedentes elegerunt bonos in vafa fua, malos autem foras miferunt. De fecunda laxatione dicitur Ifa.6. Volauit ad me vnus de Seraphin,& calculo quem forcipe de igne altaris acceperat,tetigit os meum. Calculus enim fignificat auctoritatem ignitam in altari Scripturæ Spiritus fancti. Forceps autem duorum brachiorum clauo confixorum, fignificat rationem, quæ diuinis & humanis fe iuuat,fecundum quod duas partes habet, fuperiorem quæ diuinis,& inferiorem quæ humanis fe iuuat clauo veritatis affixa. De tertia laxatione multa in Euangelio fuppetunt exempla. Matth. 13. Vobis datum eft noffe myfterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Pfalm.70. Aperiam in parabolis os meum. Prouerb.1. animaduertet parabolam & interpretationem eius, verba fapientium & ænigmata eorum. De quarta laxatione dicitur Matth.11. Iugum meum fuaue eft,& onus meum leue.1.Ioan.5. Mandata eius grauia non funt. Sic ergo laxatur rete in pifcium, hoc eft, hominum capturam, quando fingulis prout competit proportionatur. 1.Corinth.9. Omnibus omnia factus fum vt omnes lucrifaciam Ibidem 10. Sine offenfione eftote Iudæis & Gentibus: ficut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eft,fed quod multis vt falui fiant.

Et refpondens Simon, dixit illi:Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

Ecce humilis iniuncti officij excufatio cum obedientia deuota: & ideo duo hic dicuntur. Excufatio eft in hoc quod[Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus]Tangit autem quatuor. In Chrifto quidem poteftatis & auctoritatis ad præcipiendum profeffionem, cum dicit [Præceptor] Tangit etiam congrui ad capiendum temporis pertranfitionem, quando dicit [per totam noctem] Tangit tertio laboris infudationem,cum dicit [laborantes] Tangit quarto totius ftudij caffationem, cum adiungit [nihil cepimus]

Attende autem quantum ad expofitionem literæ & in commendationem miraculi. Pifces qui non funt valde parui de die latent in profundo, & de nocte de profundo mouentur ad ripam,propter calorem, & propter paftum:& ideo de nocte facilius capiuntur quam de die. In miraculo autem de die capti funt, in motu de profundo ad fuperficiem, & ad ripam, quod eft contra confuetudinem. Et eft ad miraculi commendationem. Inter quatuor quæ hic dicta funt,primum eft poteftatis & auctoritatis profeffio, quod pertinet ad fidem. Eft enim Præceptor,qui præcepta & principia dat viuendi. Efther.13. Domine Deus omnipotens in ditione tua cuncta funt pofita, & nõ eft qui poffit tuæ refiftere voluntati[Per totã noctem]Q d.Cõgruum quidem ad capiendu tempus pertranfiuit.

Moraliter autem nox, est obscuritas peccati, legis veteris caligo, & vmbra tribulationis huius mundi: in quibus noctibus nihil capitur. De obscuritate peccati dicitur *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illostretur lumine. Quod autem nihil capitur fructuosum in ea *Rom.*6. Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. De nocte autem quæ est caligo veteris legis *Rom.*13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum. Et quod nihil captum sit, *Hebr.*7 Nihil ad perfectum adduxit lex, De nocte tribulationis huius vitæ *Sapient.*17. Ignis quidem nulla vis, neque siderum limpidæ flammæ poterant illumioare noctẽ illam horrendam. Quantumcunque boni fiat in tribulationibus huius mundi, & quotcunque bona exempla demonstrarentur: non illuminatur mundus. In ista autem nocte etiam nihil capitur fructuosum. *Psalm.*75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Ioan.*21. Asceoderunt nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Sic igitur de duobus simul dictum est, & quia tempus transiit, & quia casso labore sudatum est: tamen labor maximus impeditur, & ille cum tempore quod vtiliter occupandum erat perditur. *Sapient.*5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus per vias difficiles. Temporalia enim cum labore vix tamen acquiruntur & raro, cum timore & quasi sine fructu possidentur, cum dolore præter voluntatem quotidie perduntur. De acquisitione *Eccle.*4. Vnus est, & secundum non habet, non fratrem, non filium, & tamen laborare non cessat, neque satiantur oculi eius diuitiis. *Genes.*3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: & cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos. Cum timore etiam possidentur *Iob* 15. Sonitus terroris semper in auribus eius: & cum pax sit, ille insidias suspicatur. *Leuit.*26. In regionibus hostium terrebit eos sonitus folij volantis. Cum dolore etiam deseruntur. *Eccle.*5. Est & aliud malum quod vidi sub sole: diuitiæ congregatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima. Vnde minus quam nihil capit, qui in labore sudat vt possideat., Timorem etiam portat in afflictione. Et ideo dicit sapiens *Eccle.*5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

In verbo autem tuo laxabo rete] Ecce deuota obedientia. Laxandum enim rete est in verbo Dei: & tunc fructuosus est labor contra spem: sicut apparet per effectum. Verbum enim Domini omnipotens est secundum posse, lucidum secundum nosse, optimum secundum velle: & ideo efficax est in omni bono fructu, & opere. Secundum primum dicitur verbum virtutis, secundum secundum dicitur verbum veritatis, secundum tertium dicitur verbum amoris. Et ideo facit quæcunque voluit, & prosperatur in his ad quæ mittitur. De primo *Hebr.*1. Portans omnia verbo virtutis suæ. De secundo *Ioan.*17. Sermo tuus veritas est. De tertio *Psalm.*118. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Per primum pisces in rete compellit, per secundum in rete viam ostendit, per tertium piscis captus & tractus non resistit. De primo dicitur *Ierem.*23. Nonne verba mea quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petras? De secundo *Ioan.*7. Nunquam sic locutus est homo, vt iste loquitur. De tertio *Prouerb.*16. Qui dulcis est eloquio maiora recipiet. Hoc enim rete incantat pisces, vt in ipso sponte se inuoluant. Sic dictum est *Ioan.*21. Mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Sic enim in verbo potenti, sapienti, & dulci, rete in dexteram mittitur.

Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas: ita vt pene mergerentur.

Ecce hic tangitur miraculi perfectio. Tanguntur autem hic tria: miraculum, miraculi magnitudo, & stupor videntium, & præcipuè Simonis. De miraculo dicit [Et cum hoc fecissent] hoc est, ad verbum Domini rete laxassent *Luc.*21. Verba mea non transibunt [concluserunt piscium copiosam multitudinem] Salutaris conclosio ad salutem concludi in reti Apostolico. *Eccli.*6. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. *Psalm.*149. Ad alligandos reges eorum in compedibus. *Isa.*45. Vinctis manibus pergent: teque adorabunt, teque deprecabuntur. Copiosa autem est multitudo, quæ exuberat. Sic rete Petri facit vsque hodie in captura pisciom ad litus æternitatis pertinentium. *Ioan.*21. Plenum magnis piscibus. *Matth.*13. Ex omni genere piscium congreganti. *Deut.*33. Inundationes maris quasi lac sugent, thesauros occultissimos arenarum. Arena enim dimissa, quæ significat frigidos & graues: & aqua colata, quæ significat frigidam mundi consolationem: thesaurum trahit ad litus, hoc est, pertinentes ad regnum Dei trahit in solidum stabilitatis æternæ.

Rumpebatur autem rete] Ecce de magnitudine miraculi. Videtur autem contrarium *Ioan.*21. cum tot sint, non est scissum rete. Responsio Rete Petri quoad fidem semper manet, sed quoad trahentes aliquando scinditur: sicut in Circumcisione scissum est quoad trahentes Iudæos, qoi exiuerunt donec iu finem, in quo ad rete redibunt, & salui fient. Et hæc ruptura dispensatoria est vt plenitudo Gentium intraret: & sic omnis Israël saluus fieret. *Isa.*10. Reliquiæ conuertentur. *Rom.*11. Cæcitas contigit ex parte in Israël donec plenitudo Gentiom intraret: & sic omnis Israël saluus fieret Et hoc est qood dicit, quod [rumpitur rete eorum] qui in circumcisione piscabantur [Et] ideo [annuerunt] vocando eos [sociis suis] qui apostolatum in Gentes acceperant [vt adiuuarent eos] *Prouerb.*18. Frater qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. Argumentum est hic, quod cum Prælatus per se rete trahere non valet, potest vocare alios qui non sunt de naui eadem, hoc est, de sua Ecclesia vt iuuent eum. *Galat.*2. Dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis [vt venirent] per vnitatem fidei [& adiuuarent eos] verbo prædicationis. & cura regiminis, & parte solicitudinis. 2.*Corinth.*1. Sicut socij estis passionum: ita eritis & consolationis. 1.*Corinth.*3. Dei enim adiutores sumus.

Et venerunt] *Apoc. vltim.* Sponsus & sponsa dicunt:

dicunt: Veni:& qui audit, dicat: Veni [Et impleuerunt ambas nauiculas] circumcisionis, & præputij. Vel [ambas nauiculas] actionis, & contemplationis. Vel [ambas nauiculas] geminæ charitatis, vel idiotæ, & cleri [ita vt pene mergerentur] *Ioan.*21. Non valebant illud trahere præ multitudine piscium. *Ezech.*47. Erunt pisces multi satis [ita vt pene mergerentur] Non enim mergitur Petri nauicula, licet periclitetur aliquando. *Matth.*12. Videns ventum validum venientem, timuit: & cum cœpisset mergi clamabat, dicens: Domine adiuua me. Mersio autem significat persecutionem excitatam in nauiculam circumcisionis, & in nauiculam præputij, & in omnem diuersitatem nauicularum. Quia sicut dicit Apostolus 2.*Timoth.*3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. *Psalm.*68. Ingressæ sunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi: & non est substantia.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.

Tangitur hic stupor videntium ad fidem ædificans, & maximè Simonis, cuius hic vniuersale construitur regimen, cum plenitudine suæ potestatis. Tanguntur autem hic duo: admiratio videlicet, & admirantium instructio. Admiratio autem in Simone & adiutoribus Simonis. In Simone quidem tanguntur confessio humilitatis, & confusio: & secundo tangitur causa confusionis, & humilitatis. In confusione autem sunt tria: attentio facti, reuerentia Domini, & confusio sui. Attentionem notat in hoc quod dicit [Quod cum videret Simon Petrus] Qui non adhuc Petrus dicebatur. Et ideo nomen adhuc imponendum hic per anticipationem ponitur. Trinomius enim erat. Primo enim Simon dicebatur, deinde Cephas *Ioan.*1. quod interpretatur caput, & tertio dictus est Petrus. *Matth.*16. Per obedientiam enim veniendum est, quod aliquis ponatur in capite & non in cauda. Per regimen autem & virtutes capitis in sensu sapientiæ, & motu prouidentiæ, & gubernationis: veniendum est ad hoc quod ponatur in fundamento solido fidei & Ecclesiæ. Sic enim Ecclesia fundatur in montibus sanctis. Visus autem notat miraculi attentionem: quia sua specialis fuit ista eruditio, sicut patebit in sequentibus, & significatum est *Deut.*32. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Vt ex factis potestate Patris instructionem accipiant. *Luc.*9. Ponite vos in cordibus vestris sermones istos.

Procidit ad genua IESV] *Ephes.*3. Flecto genua mea ad Deum Patrem, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Procidit enim, est idem quod pronus cecidit. Tamen quia ad genua procidit, & non ad pedes: fuit iste procubitus genuflexio exhibita in signum reuerentiæ, & quod ab ipso esset ad altius promouendus. *Mich.*6. Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo meo [dicens: Exi à me] Non refutat Petrus vicinitatem Domini, sed se tanto officio, quantum in mysterio significatur miraculi, reputat indignum, & alij iniungendum meliori se, non considerans dispensationem sapientiæ diuinæ vocantis. Et sic aliquid humanum passus est ex confusione stuporis. Et ideo à Domino non est reprehensus, sed cōfortatus: sicut & Moyses *Exod.*3. & *Ierem.*1. & *Isa.*7. Sicut enim modo confusus stupore, non secundum scientiam locutus est: ita fecit *Luc.*9. ex deliciis acceptis in monte se volens subducere labori regiminis, quando dixit: Bonum est nos hic esse. Si vis faciamus hic tria tabernacula, &c. Nesciens quid diceret. Absorptus etiam charitatis zelo ad Dominum *Matth.*16. dixit: Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Volens impedire Passionem in damnum redemptionis totius mundi redundantem. Sic aliquando *Ioan.*13. à Ioanne diligenter ex zelo vindictæ indiscretæ inuestigauit proditorem, volens interficere Iudam ne prodat Dominum, ad omnibus vtilem passionem. Sed hic indiscrete loquens est confortatus. In monte autem loquens indiscrete, est dissimulatum. Contra Passionem loquens, est acriter reprehensus. Proditorem autem inuestigans, proditor remansit occultus non indicatus. Percutiens etiam seruum pontificis capientem Dominum, est reprehensus. Ostendit autem Dominus in hoc humilitatem & pusillanimitatem esse ad maiora confortandam: delicias autem spiritus, etsi aliquid ignorantiæ habent, non esse extinguendas sed dissimulandas: zelum autem vindictæ esse reprehendendum & reprimendum, præcipuè in prælato: zelum autem & amorem corporalem penitus esse & acriter reprehendendum. 2.*Corinth.*5. Nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Confusionis autem subiungit causam cum dicit.

Quia homo peccator sum Domine] Et est indiscretæ sermo humilitatis. *Matth.*9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: & ideo IESVS erat vocandus, non expellendus. *Luc.*7 Mulier peccatrix accessit ad IESVM, & dimissa sunt ei peccata. *Matth.*9. Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. Sed tamen quia humilitatis fuit ista indiscretio, non redarguitur. *Luc.*18. Publicanus autem stans à longe, nolebat oculos ad cælum leuare, & descendit iustificatus à templo. *Psalm.*50. Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Stupor enim] Ponit causam confusionis tam in Simone quam in aliis ministris suis qui secum erant in captura piscium, quam etiam in sociis alterius nauis & magistris. Est autem stupor cordis insensibilitas ex magnitudine miraculi exorta. *Act.* 9. Stupebant omnes qui eum audierant. *Ierem.*5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra. Dicitur autem quod [circumdederat eum] Quia, sicut supra diximus, perstrinxit eum intra seipsum vndique magnitudo miraculi: in præterito considerans tempus capturæ, in quo nihil captum est in eodem loco: supra se considerans efficaciam sermonis Domini: sub se videns obedientem voci eius creaturam maris: à lateribus vndique socios nihil cepisse, sicut nec prius. Et ideo vndique surgit admiratio. *Isa.*60. Videbis, & afflues: & mi-

rabitur,& dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te fortitudo maris [& omnes qui cum illo erant] tanquam eiusdem nauis ministri [in captura piscium] *Ezech* 47. Plurimæ species erunt piscium eius,sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.

Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi] qui etiam postea facti sunt piscatores hominum [qui erant socij Simonis] in captura piscium,& in loco piscationis : quia talem locum habebant vel hæreditario iure, vel pro censu conduxerant ad piscandum. Et Petrus & Andreas habebant medietatem vnam : Zebedæus autem cum filiis Ioanne & Iacobo habebant partem aliam : pisces ex æquo diuidentes. Omnes enim illi mirati sunt, & per miraculum ad fidem ædificati.

Et ait ad Simonem IESVS: Noli timere : ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Ecce hic ponitur instructio,propter quam tota introducitur historia. Adhuc enim carnales erant Apostoli : & oportuit quod ex corporalibus quæ nouerunt & quorum vsum habuerunt, paulatim ad intellectum spiritualium deducerentur. Et hoc bene significatur in *Cantic*.7. vbi dicitur : Dixi, Conscendam in palmam,& apprehendam fructus eius. Qui enim conscendit, primo inferiora apprehēdit,quibus ad altius nititur:& postea media, & sic per omnia media venit ad alta : & tandem stat exaltatus in palma, & decerpit dulcedinis fructum. Et sic est de carnalibus ad spiritualia ascendere. Primo corporalia per similitudines ad spiritualia referre, & sic continuo studere quousque spiritualia per seipsa possit accipere. Ista est scala Iacob *Genes*.28. quæ in vna parte stat in terra,& in cacumine tangit cælum.

Noli timere] Tria hic dicuntur : confortatio, & instructio, & confortationis & instructionis plenus & intentus effectus. De confortatione dicit [Nolite timere] tuam scilicet paruitatem, quia ego te faciam magnum : tuam indignitatem, quia te faciam dignum : tuam infirmitatem, quia ego te faciam potentissimum : tuam rusticitatem, quia ego te faciam eruditum & doctum in omni scientia & sapientia spiritus. De primo horum 1.*Reg*.2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem:vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat 2.*Reg*.7.Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. De secundo *Apoc*.5. Fecisti nos Deo nostro regnum,& sacerdotes : Et ita dignos.2.*Corinth*.3. Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera,sed Spiritu. De tertio *Matth*.16. Tibi dabo claues regni cælorum : & portæ inferi non præualebunt aduersus eum. De quarto *Matth*.10. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Eccli*.15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum.

Ex hoc iam] tempore [homines] pro piscibus [eris] non es, quia promittit in futurum vt ad hoc se disponat[capiens] de profundo amaritudinis mundi, ad siccum solidi bonæ vitæ : eiiciens in receptacula mansionum cælestium congregandos. *Habac*.1. Facies homines quasi pisces maris. *Ezech*.47. Stabunt super illas piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit. Engaddi,fons hœdi vel tentationis interpretatur. Et est habitatio peccatorum, qui capiendi sunt de aquis voluptatum. Engallim autem fons mundantis interpretatur. Et est habitatio eorum qui se seculari virtute mundos æstimant : qui etiam non perfecte iustificantur, nisi in rete Simonis & suorum adiutorum iustitiam capiendam retorqueant. Quia de nostris iustitiis dicitur *Isa*.64. Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. *Roman*.10. Ignorantes iustitiam Dei & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Et subductis]Ecce effectus[ad terram nauibus] & custodiæ traditis : eo quod adhuc animum habent ad sua redeundi. Tribus enim vicibus,& ad tria sunt vocati Apostoli. Primo vocati sunt ad Christi notitiam *Ioan*.1. vbi venerunt & manserunt apud eum acquirentes notitiam ipsius. Secundo per miraculum istud hic vocati sunt in eius familiaritatem ; & tunc adhuc locauerunt naues animo redeundi ad ipsas. Tertio ad discipulatum & promissionem apostolatus vocati sunt ; & es tunc ad sua non redierunt. *Matth*.4. Venite post me,faciam vos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus & naui, secuti sunt eum. Vnde cum quibusdam redeuntibus, diceret eis IESVS: Nunquid & vos vultis abire ? dixit Petrus : Ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes *Ioan*.6. [relictis omnibus] nondum opere, sed proposito. *Matth*.19. Ecce nos reliquimus omnia. *Deuter*.33. Qui dixerunt patribus suis, Nescio vos:& fratribus suis dixerunt,Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt legem tuam.

Secuti sunt eum] *Eccli*.23. Gloria magna est sequi Dominum. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui. Sequentes autem Dominum omnia relinquunt quatuor de causis, quarum vna est,vt ostendant se omnem sufficientiam in eo habere. *Tobiæ* 10.Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis. 2.*Corinth*.9. Vt in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. *Augustinus*.Diues est Christiana religio, quæ in omnium possessore omnia possidet. *Beatus Bernardus*. Non est inutilis commutatio, pro Christo omnia reliquisse. Nam cum eo omnia donantur: & vbi eum apprehenderis, erit vnus ipse in omnibus. Secunda causa est, vt de nullo nisi de eo curent. *Psalm*.71, Quid enim mihi est in cælo,& à te quod volui super terram ? Tertia causa est,quia aliter miles regi, & membrum capiti non conformatur. *Matth*.8.Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Quarta causa est, quia ipse solicitus est pro sequentibus, & ideo non oportet eos solicitos esse de aliquo.1.*Petr*.5.Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis. *Psalm*.54.Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.

Retardantia autem à sequela Domini & à dimissione omnium sunt tria : amor fruitionis præsentium, & nulla fides,& spes futurorum, *Sap*.2.

Ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus tanquam non fuerimus. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, &c. *Isa.* 25. Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. *Num.* 31. Nec quicquam quærimus trans Iordanem: quia iam habemus possessionem nostram in orientali eius plaga, hoc est, in præsenti vita. Secundum est amici, & cognati, & carnales. *Genes.* 24. Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur. *Genes.* 31. Laban insecutus est Iacob, & quantum potuit reuocauit. *Iudic.* 19. Mansit gener tribus diebus in domo soceri, comedens & bibens cum eo familiariter. Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit. Et socer ait ad eum: Gusta prius pauxillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris. Et ideo in via hospitio caruit, & vxor libidine incredibili vexata, mortua est. *Eccli.* 37. Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à zelantibus te absconde consilium. Tertium autem est vitæ vel sui status stulta securitas. 2. *Reg.* 19. dixit Dauid ad Berzellai: Veni mecum vt requiescas securus in Ierusalem. Et ait Berzellai ad regem: Obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea. His igitur non impedientibus retibus (quasi retinentibus) sed relictis, secuti sunt eum.

Et factum est cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns IESVM, & procidens in faciem suam, rogauit eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare.

Hic post vniuersale regimen & potestatis plenitudinem, inducit ordinationem potestatis clauium. Et quia sunt duæ claues quarum vna prior, est potestas discernendi inter leprosum & non leprosum, & lepram & lepram: & hanc ordinat primo, quia prior est. Et secunda est potestas ligandi & soluendi à peccato, & hanc ordinat consequenter in miraculo sequenti. Et sic patet ordo ad præcedens & ad sequens, & penes quid inducuntur miracula & historiæ. *Matthæus* autem inter quatuor inducta primum ponit miraculum de leproso, & secundo de dæmoniaco, & tertio de socru Petri, & quarto de paralytico. Et innuit quædam *Gloss.* ordinem penes claritatem miraculorum. Cum enim separatio dæmonis sit tanquam separatio lucis à tenebris, dicit quod hoc secundum *Lucam* refertur ad primam Domini illuminationem, qua recreauit mundum, sicut prima die creans mundum separauit lucem à tenebris. Sicut autem in creatione mundi secunda die firmamentum fecit: ita recreans mundum, socrum Simonis firmauit. Et sicut tertio die congregauit aquas in vnum: ita tertio recreando fecit miraculum in aquis in captura piscium. Et sicut quarta die mundum illuminauit per solem & stellas: ita recreans mundum, clariore miraculo coruscare fecit, recreans mundum in sanatione leprosi. Hæc autem *Gloss.* nihil valet: sed ratio ordinis est propria *Lucæ*, quam diximus, in ordinatione potestatis ecclesiasticæ. Habet autem hæc pars tres, in quarum prima ponitur locus opportunus miraculo: in secunda ponitur miraculi expostulatio: & in tertia miraculi perfectio & illuminatio fidelium de potestate clauis ecclesiasticæ quam hic astruere intendit. Dicit ergo.

Et factum est] Sicut à Deo præfinitum fuerat: ita est perfectum. *Act.* 4. Fecerunt quæcunque manus tuæ decreuerunt fieri [cum esset in vna] singularis dignitatis [ciuitatum] quæ est Capharnaum, quæ sua ciuitas aliquando dicitur: non quod ibi conceptus vel natus vel nutritus sit, sed quia eam pluribus suis miraculis suam & claram fecerat, & in laudem nominis sui comparauerat: sicut & Ierusalem dicitur ciuitas Dauid: quia eam expugnauerat, & claram reddiderat multa sua frequentia, & ædificiis, & habitatione. Videtur autem contrarium ei quod dicitur *Matth.* 8. vbi dicitur, quod descendente IESV de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum, &c. Responsio. Et mons adiacens & plana inter ciuitatem & montem, de territorio sunt ciuitatis: & ideo dicitur esse in ciuitate, quando fuit in territorio inter suburbana & vicos & pagos & rura & villas ciuitatis. Hoc ergo est quod dicit [cum esset in vna] singulari [ciuitatum] Galilææ, quæ est Capharnaum. Et forte vsque ad occursum leprosi, ciuitas quoad ciues ei exierat obuiam. Sicut dicitur *Matth.* 21. Commota est vniuersa ciuitas. Quia ciues sunt commoti. Ita hic inter occursantes ciues existens in ciuitate esse dicitur. Ibi autem opportunus locus erat miraculi vt plures ædificarentur. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus vt videant vestra bona opera.

Et ecce vir] Ecce miraculi expostulatio. Expostulando autem miraculum facit quatuor: præsentationem, intuitionem, prostrationem, & orationem. Præsentationem sui significat cum dicit [Et ecce vir plenus lepra] Leprosus est idem quod plenus lepra: quia nomina in osus desinentia secundum Priscianum plenitudinem significant. Dicitur tamen plenus lepra: quia tam intus quam extra plenus erat. Quamuis enim lepra ab interioribus visceribus ex melancholia in exteriores fontes membrorum procedat: tamen extra citius & plus apparet propter exteriorum debilitatem membrorum: quia interiora vitia cordi & hepari plus à se expellunt humorem quam exteriora. Hic dicitur plenus: quia iam corruptio etiam ad superiora processerat. Et secundum hoc iste leprosus vicinus fuit morti ex multa lepræ infectione. Vel forte cum quadruplex sit lepra, fuit ista quam dicunt leoninam, quæ est ex melancholia quæ generatur ex cholera rubea multum adusta, quæ est lepra cum colore croceo cum nigrore resperso, quæ rodit multa membra & abscidit vsque ad casum à corpore. Hæc enim plenissimè habet nomen lepræ: vt sit sensus [Plenus lepra] hoc est, plena ratione lepræ leprosus: quem etiam alij leprosi abhorrere consueuerunt. Et ideo fortassis solus venit: eo quod raro leprosi soli consueuerunt ambulare. *Isa.* 53. Nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Hic ergo talis non abscondens se, desiderio consequendæ sanitatis veniens, coram se præsentauit: sicut dicit *Gregor.* de Maria peccatrice, quod non iussa venit, conuiuantes non erubuit: quia enim seipsam grauiter erubescebat intus, nihil quod foris erubesceret esse putabat. Vnde hic seipsum turbis ingessit vt se conspectui Domini posset præsentare. Audierat eos qui in figura Domini præcesserant leprosos mundasse. 4. *Reg.* 5.

4 *Reg.* 5. in Eliſeo qui mundauit Naaman Syrum: & ideò non dubitauit quando ſanandus eſſet ab ipſo Domino Prophetarum ſi ſibi expediens.

Et vendens eum] hoc eſt, intuitus eſt eum, vt oculis miſerabilibus & reſpectu ad miſericodiam prouocaret. *Pſalm.* 24. Oculi mei ſemper ad Dominum: quia ipſe euellet de laqueo pedes meos. 2. *Paral.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. *Act.* 3. Intendebat in oes ſperans aliquid accepturum ab eis. Et ſic iſte reſpexit ad IESVM, ac ſi diceret illud *Threu. vltim.* Intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Et illud *Num.* 12. Ecce iam medium carnis eius deuoratum eſt à lepra [& procidens in faciem] Et ideo cecidit in vultum, & vidit vbi caderet, quia ante pedes Domini. *Pſalm.* 131. Adorauimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Quicquid enim patimur peccata noſtra meruerunt, vt dicit *Hieron.* Per peccatum enim intrauit pœna in mundum, & mors: & diabolus author eſt peccati primi. Et ideo ſciuit ante pedes IESV eſſe curandum ſi curati debuiſſet: quia ſcriptum eſt *Habac.* 3. Egredietur diabolus ante pedes eius. Et ideo procidens in faciem. 1. *Corinth.* 14. Cadens in faciem pronuntians quòd vere deus in vobis ſit.

Rogauit eum dicens] Ecce oratio. Sciuit enim alliis brachiis non poſſe teneri & cogi Deum, niſi fletu & oratione: & ideo his armatur. *Oſeæ.* 12. Fleuit & rogauit eum. *Sapient* 18. Oppoſuit ſcutum ſuum orationem. *Eccli.* 35. Oratio humiliantis ſe penetrat nubes [Domine: ſi vis] Ecce oratio quæ continet ex fide maieſtatis confeſſionem, ex conditione interpoſita orationis diſcretionem, ex viſis miraculis potentiæ facilitatem. Cum enim Dominus dicat ſuperpoſitionem, & cauſa ſuperpoſitionis non ſit niſi diuitiæ pulchrorum & bonorum, maieſtatem plenam confitetur eum dicit [Domine] *Ierem.* 10. Magne Domine & potens Dominus nomen tuum. *Eſther* 13. Dominus vniuerſorum tu es. *Pſalm.* 8. Domine dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. *Pſal.* Mirabilis in maieſtate faciens prodigia.

Si vis] Hic interpoſita conditione oſtendit orationis diſcretionem. *Rom.* 8. Quid oremus ſecundum quod oportet, neſcimus. Et eſt ſenſus. Non eſt dubium quin velis omne bonum noſtrum. Quia, ſicut dicit *Dionyſ.* boni eſt bona adducere, optimi adducere optima, & vnum quodque ad optimum quantum expedit. Sed neſcio ſi mihi expediat. Et ſi expedit, bene ſcio quod vis. Et ſi vis, potes. Et hoc eſt [Si vis] *Rom.* 12. Probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta [potes me mundare] Potentiam enim habes in facultate quando vis. *Sapient.* 12. Subeſt enim tibi cum volueris poſſe. *Rom.* 9. Voluntati eius quis reſiſtit? *Pſalm.* 113. Omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. *Iob* 23. Anima eius quodcunque voluit, hoc fecit.

Et extendens manum tetigit eum Ieſus, dicens: Volo: mundare. Et confeſtim lepra diceſſit ab illo.

Hic ponitur miraculi perfectio. Et dicuntur duo: perfectio miraculi, & fidelium inſtructio de miraculo perfecto. In miraculi perfectione duo ſunt: cauſalitas, & effectus. Cauſalitas habet quatuor: virtutis ad operandum protenſionem, tactus coniunctionem in operis perfectionem, actionis facilitatem, obedientis creaturæ mandatis Creatoris ſubiectionem. De primo dicit [Et extendens manum] vt per ipſam notetur virtutis in ſalutem. *Matth.* 14. Extendens manum, apprehendit eum. *Pſalm.* 117. Dextera Domini fecit virtutem.

Tetigit eum] Et iſte tactus eſt ad operis perfectionem: quia quod non tangit, non agit: & ſi agit, non ſequitur alteratio (vt dicit *Ariſt.*) *Matth.* 9. Tetigit me aliquis. Ego enim cognoui virtutem de me exiſſe. Sicut enim tactu virtutem regeneratiuam contulit aquis: ita virtutem mundificatiuam tactu ſuo contulit leproſis.

Videtur autem contra legem facere *Leuit.* 14. vbi dicitur, quod qui tangit leproſum immundus erit. Adhuc 4. *Reg.* 5. Eliſeus non tetigit leproſum, ſed verbo curauit. Sed ad hoc dicendum, ſicut diximus in *Matthæo*, quod lex non tangendi leproſum ideo data eſt: quia lepra morbus contagioſus eſt: & ideo præcipiuntur non tangi ne leproſi per tactum multiplicentur. Vbi ergo per tactum non fit infectio ſed lepræ curatio: ibi non ſoluitur lex, ſed impletur ſecundum legiſlatoris intentionem. Et hoc modo ſecundum *Chryſ.* oſtendit ſe Chriſtus non contrarium legi, ſed ſuper legem vt legis Dominum. Quod autem obiicitur de Eliſeo, dicendum quod ipſe infirmitatis ſuæ ſibi conſcius: habens tamen reuelationem à Deo non ſanauit, ſed ad ſacramenti mundantis figuram ſanandum miſit. Et ſic in figura gratiæ ſacramentalis Naaman ſanatus fuit. Chriſtus autem gratiam mundantem ſacramentis non alligauit, ſed ſacramentis indidit vt medicinis: ſibi tamen eam tanquam vera operans retinuit. Et ideo emundationem, quando voluit, & ſicut voluit, per ſeipſum perfecit. Tetigit tamen etiam propter humilitatem, vt oſtenderet neminem eſſe abhorrendum propter ſui corporis immunditiam. *Iſa* 58. Carnem tuam ne deſpexeris

Dicens; Volo] In hoc notat actionis facilitatem, quæ eſt ſubiecta voluntati. *Eſther.* 13. Si decreueris continuo liberabimur. Voluntas enim ſua ſi eſt beneplaciti, continuo conſequitur effectum [mundare] Ecce emundationis præceptum, verbo enim quod curauit. *Pſalm.* 106. Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. *Matth.* 8. Dic verbo, & ſanabitur puer meus.

Et confeſtim lepra] Ecce opus ſubſecutum [diſceſſit ab eo] Non autem diſceſſit niſi cauſa lepræ, & effectus eius, & actus, & ſigna diſceſſerint. Et hoc [confeſtim] ſupra virtutem naturæ & modum. Quia natura non facit ſubito: ſed potius virtus Dei, quæ eſt infinita, facit in momento temporis. Verbum enim quod de nihilo fecit creaturas, vt dicit *Ambr.* mutat creaturas prout vult: quod non poteſt aliqua alia facere potentia vel virtus. Et ideo dicit *Ioan.* 5. Opera quæ ego facio, ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. *Ioan.* 15. Si non opera feciſſem inter eos quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent. Maximæ enim virtutis opus eſt, exteriora & interiora membra corrupta & amputata reſtituere

tuere & mundare verbo in momento. 4. *Reg.* 5. Restitura est caro eius sicut caro pueri paruuli, atque mundatus est. Sic ergo lepra descessit ab eo.

Et ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed, Vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses in testimonium illis. Perambulabat autem magis sermo de illo & conueniebant turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

Hic tangitur de miraculo perfecto fidelium instructio de potestate clauis de qua dictum est. Tanguntur autem hic duo: instructio, & instructionis fama & miraculi propagatio in omnes. Circa instructionem sunt per ordinem tria præcepta: vnum cautelæ, secundum obedientiæ, tertium autem deuotionis & iustitiæ. Cautelæ præceptum est, vt nemini diceret: quia, vt dicit *Chrys.* si ante propalaretur quam à Sacerdotibus diiudicaretur, cum Sacerdotes iam conceperint inuidiam contra Christum, supprimeretur miraculum per Sacerdotes. Maximè enim in lepra difficile est iudicium: quia multæ sunt infirmitates similes illi. Alia etiam cautela: quia si diuulgaret tanquam dignus habitus tali cura, esset inanis gloria. Et sic forte rediret lepra super eum: sicut propter peccatum lepra Naaman adhæsit Giezi 4. *Reg.* 5. In hoc etiam formam dedit ne virtutibus nostris gloriam quæramus. 2. *Corinth.* 12. Si gloriari oportet, non expedit quidem. *Ierem.* 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.

Sed vade] Ecce præceptum obedientiæ [ostende te] detegendo loca lepræ [Sacerdoti] hoc est, principi Sacerdotum & vicariis eius qui discernere habent inter lepram & lepram, & inter mundatum & non mundatum: sicut dicitur *Leuit.* 14. Et sic est vsus clauis in nouo testamento: quia ad arbitrium Sacerdotis leprosus iudicabitur & separabitur, vel coniungetur & reconciliatur Ecclesiæ. Et ideo pœnitentiæ sunt arbitrariæ: sicut patet *Leuit.* 13. & 14. per totum, & in textu, & in *Gloss.*

Et offer pro emundatione tua] Ecce præceptum tertium, quod est deuotionis, & iustitiæ, & gratiarum actionis. Deuotionis quidem in feruore charitatis ad Deum qui emundauit eum: iustitiæ, quia iustum est dare Sacerdoti qui diiudicauit eum: gratiarum actionis pro bono percepto. Sic autem ordinanda est litera [offer illis] Sacerdotibus [sicut præcepit Moyses in testimonium pro tua emundatione] exhibendum. Vel [offer] oblationem Sacerdotibus [sicut Moyses præcepit illis] offerri [in testimonium] lepræ mundatæ: quia cum receperint oblationem non possunt subticere testimonium. *Isa.* 44. Vere vos estis testes mei *Isa.* 8. Adhibui mihi testes fideles. *Psalm.* 90. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.

Perambulabat autem] Ecce diuulgatio miraculi per famam: quia non est necesse loqui vbi res clamat. *Act.* 4. Signum notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, manifestum est & non possumus negare [magis sermo] per famam: sicut odor de odorifero quanto magis premitur, tanto magis diffunditur. *Cantic.* 4. Emissiones tuæ paradisus, hoc est, effragrationes tuæ sunt sicut paradisus, in quo sunt omnia aromata [&] ideo fama excitante [conueniebant multæ turbæ] in cor vnum & animam vnam [vt audirent] Quia sicut dicitur *Rom.* 10. fides est ex auditu: auditus autem per verbum Christi [& curarentur] per virtutes exeuntes ab eo [ab infirmitatibus suis] Quia sicut dicit alias Euangelista *infra cap.* 6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Ipse auté secedebat] in hoc instruens nos, quod quantumcunque sit vtilis occupatio, tamen aliquando ab ea declinandum est ad contemplationem. Et hoc notat cum dicit [secedebat] hoc est, seorsum à turba cedebat [in desertum] locum quietum [& orabat] affectum pueri coram patre in secreto exponebat. Sicut enim continuo ad exteriora moto spiritu in vigilia attenuatur spiritus, & inanitur, & destituitur. Per somnum autem ad interiora reductus ad fontem spiritus, qui est cor, confortatur & impletur & instauratur. Ita est in actione, in qua spiritus distrahitur & hebetatur & debilitatur: in contemplatione autem & oratione ad Deum fontem viuum recurrens, inspissatur & acuitur & consortatur. *Iob* 17. Spiritus meus attenuabitur. *Eccle. vltim.* Reuertatur spiritus ad Dominum qui fecit illum *Eccle.* 1. Lustrans vniuersa per circuitum pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.

Et factum est in vna dierum & ipse sedebat docens: & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores; qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.

Hic tangit de secundæ clauis ordinatione. Tanguntur autem hic duo, quorum primum qualiter deuentum est ad miraculum: secundum autem est perfectio miraculi, & explanatio ad vsum Ecclesiasticæ clauis pertinens. Modus autem deueniendi ad operationem miraculi in duobus est, quorum vnum est ex parte Domini, & alterum ex parte infirmi in quo est perfectum miraculum. Ex parte Domini dicit tria: doctrinam Domini, multitudinem conuenientium ad audiendum verbum, & virtutes ad curandos infirmos. De primo dicit.

Et factum est] inter cætera infinita quæ fecit, de quibus non fit mentio, quia non pertinebant propositum istius intentionis. *Ioan. vltim.* Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu Discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc [in vna dierum] Secundum modum loquendi Scripturæ, vna dierum est prima dierum septimanæ: sicut ibi. Vna dierum sabbati Maria Magdalene venit mane *Ioan.* 20. hoc est, prima sabbati. *Marc.* 16. Et valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum, hoc est, prima sabbatorum. Hæc autem est dies Dominica in qua Dominus resurrexit. Hanc enim diem etiam in isto (quem à portis vtriusque mortis ad vtramque vitam reduxit) decoram fecit. 1. *Reg.* 2. Deducit ad portas mortis & reducit. Porta enim mortis inferni peccatum est, & porta mortis temporalis infirmitas incurabilis est. In ista ergo die IESVS [sedebat] quiete verbũ salutis proponens [docens] *Matth.* 4.

Circuibat IESVS totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.

Et erant Pharisæi] Hic tangit diuersitatem ad audiendum verbum conuenientium, & non tangit nominatim nisi eos qui ad obseruandum eum venerant: quia testimonium ab illis habitum est gloriosios. Pharisæi enim de propria præsumebant iustitia, & ideo oon audiebant ad ædificationem vitæ. *Rom.*10. Ignorantes iustitiam Dei & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti [sedentes]coram eo, cuius doctrinis tamen imbui noluerunt. *Eccli* 1. Accessisti maligne ad Dominum: & cor tuum plenum est dolo & fallacia [& legis doctores]qui priuilegiati erant, sicut approbati in studio solenni, qui de sapientia sua præsumebant. *Abdia*, Perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau. 1.*Corinth.*1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo [qui venerant] Tangit locorum diuersitatem vnde venerant [ex omni] inquit [castello] Loca munita ad præsidia ciuium ædificata, castella dicuntur: quia castra militum tempore discordiæ ibi habitabant [Galilææ] quæ est prouincia adiacens de potestate Herodis [& Iudææ]quæ procurabatur per Pilatum[& Ierusalem] vbi fuit religionis metropolis. Et ipsa quidem diuisio destructionem imminentem significabat. *Matth.*12. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

Et virtus erat Domini]Ecce secundum, propter quod multi venerunt. Virtus autem est vltimata potentia, cui nihil obstare potest ad agendum. *Genes.*18. Num Deo erit quicquam difficile? *Luc.*1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum [ad sanandum eos] *Osea* 14. Sanabo contritiones eorum. Diligam eos spontaneè: quoniam auersus est furor meus ab eis. *Act.*10. Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat in eo.

Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebat eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante IESVM.

Tangitur hic modus veniendi ad miraculum ex parte infirmi. Tanguntur autem hic tria mouentia ad misericordiam impetrandæ sanitatis à bono Domino. Primum est miseria infirmi. Secundum autem diligentia & studium intercedentium. Tertium autem solertia infirmum coram Domino præsentantium. De primo dicit.

Et ecce viri] quia ita debilis erat quod sibi per fœminas & non robustos ministrari non poterat: & ideo viros oportuit sibi ministrare. Infirmitas illa non macerat hominem, sed potius ingrossat & grauat mole maxima laxæ carnis. Et ideo non nisi à viris portari poterat. Et in hoc istius infirmi exaggeratur miseria [portantes]Secuoda exaggeratio Quia propriis vti membris non poterat, nec scula, nec beneficio potentiarum moueri: sicut nonnulli paralytici mouentur, trahentes se potius qoam euntes [in lecto] Ecce exaggeratio tertia Quia non in gestatorio, in quo sedentes vel discumbentes aliquando portantur: sed in eodem in quo iacuerat lecto, quem infra grabatum vocat, qui est lectus in quo nihil est mollitiei nisi sub capite. Et dicitur à graba quod est caput. Est autem talis lectus talium infirmorum, qui propter infirmitates suas recedere de lecto ad secessum vel vrinam non possunt. Et ideo lectisternia sub se à cingulo inferius non habent, sed habent foramina quædam in lectis, quibus vasa supponuntur ad receptionem superfluitatum siccatum & humidarum. Et ex hoc patet, quod magna fuit infirmi huius miseria [qui erat] Exaggeratio est quarta, per consignificatum temporis præteriti imperfecti, quod dicit miseriæ continuationem à præterito in præsens: ita quod diu durauerat infirmitas, & adhuc tunc durabat sicut *Ioan.*5. triginta & octo annos habens, in infirmitate iacebat quidam in porticu probaticæ piscinæ [paralyticus] Exaggeratio est quinta per speciem infirmitatis.

Et videtur grauissima fuisse ista paralysis. Est enim ista infirmitas multarum specierum. Aliquando dicitur paralysis sola membri stupefactio ex frigore vel ex casu vel ex vulnere vel ex ligatione causata: per quæ poti spiritus sensibilis & motiui vel constringuntur, vel dissecantur: ita quod ad membrum spiritum sensibilem vel motiuum in sensum & motum membri non deferunt. Et hoc non est propriè paralysis, sed potius quæ causatur ex humore frigido abscindente sensum & motum per suum frigus, & inordinate remollit per suum humorem. Hic autem aliquando fluit à neruo aliquo, orto ab aliquo spondilium, vel capite: & tunc non paralyticat nisi membrum ad quod dirigitur neruus ille secundum *Auicen.* Aliquando autem oritur ab ipsa nucha quæ est in spondilibus: & tunc aut oritur in superiori nuchæ, vbi continuatur ad caput: aut ab aliquo spondilium inferiorum. Si in inferiori oritur, non paralyticat nisi quod est sub eo in quo oritur: si autem à superiori, tunc paralyticat totum, præcipuè in latere vno præter caput: si autem oritur ab ipsis cerebri ventriculis, paralyticabit totum, etiam cum communicatione faciei & linguæ: & talis videtur fuisse iste paralyticus qui nullius membri vsum videtur habuisse. *Matth.*8. Domine puer meus iacet paralyticus in domo mea, & male torquetur.

Sicut autem per lepram significatur infidelitatis infectio, corrumpens verbi & sacramentorum nutrimentum, & faciens casum membrorum à corpore mystico secundum *Bedam*: ita per paralyticum significatur incontinentiæ virium, quod quidem rationem habet sanam, sed violentia passionis deducitur ad illicitum. Et sic dissolutus est à compage inferiorum virium animæ cum regimine rationis. *Ierem.*31. Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga? Paralysis enim tremorem inducit: quia morbo expellente membrum ad partem vnam, & virtute debili retrahente in partem alteram, ex impulsu & retractu accidit tremor. Sic dicit *Aristot.* de incontinente quem ad ordinem rectum trahit ratio, & à bono concepto per rationem, expellit passio concupiscentiæ: sicut membra paralyticè dissoluta. *Daniel.*5. Compages renum Balthasar dissoluebantur, & genua eius

collide

collidebantur. Balthasar absorbens diuitias interpretatur: quia incontinentia diuitias & totum absorbet. Lectus autem significat deliciarum lasciuiam. *Amos 6*. Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Lectus eburneus est in quo deberet esse decor castitatis, sicut Clericorum, & Religiosorum, & aliorum omnium. Et in illo est sæpe incontinentiæ lasciuia. Hominem tamen hunc vocat: quia incontinens rationem habet bonam & sanam, qua homo est homo. *Psalm*.4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, hoc est, lumen rationis in quo est imago Dei impressa. *Psalm* 38. In imagine pertransit homo. Quia hanc non amittit per peccatum. Propter illam ergo incontinens dicitur homo. Vnde *Aristot*. in 7. *Ethic*. dicit, quod incontinens possidetur à prouerbio quo dicitur. Cum aqua suffocat, quid oportet adhuc aquam bibere? quia tantum bibit concupiscentiæ delectationem, quod ipse iudicio proprio se condemnat: & tamen iterum & iterum victus siti delectationis iterum bibit. *Prouerb*.30. Os vuluæ est vnum de insatiabilibus.

Quatuor autem portantes hunc sunt quatuor secundum intellectum, & quatuor secundum affectum. Secundum intellectum quidem exhortatio honesti. eruditio veri, consilium dubij, & exemplum ad sensum ostensi. Et ideo dicitur *Marc*.2. Venerunt ad IESVM ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Secundum affectum autem sunt portantes quatuor cardinales virtutes: prudentia agendorum, fortitudo sustinendorum, temperantia delectabilium, & iustitia cum proximo communicandorum: de quibus dicitur *Prouerb*.30. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus. Quia prudentia non decipitur in eligendis ad vitam, fortitudo non deiicitur in sustinendis propter gratiam, temperantia non illicitur in delectationibus propter se tenentem spiritum, iustitia non curuatur ad lucrum illicitum propter temporalem quæstum. Isti sunt viri dicti: quia vincunt, & primi quatuor in intellectu & vi suentur, secundi quatuor in affectu. *Ierem*.17. Beatus vir qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. Erit enim quasi lignum viride quod ad humorem mittit radices suas, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

Et quærebant] Ecce diligentia: quia multas vias, ad ostium, ad fenestras, ad parietes attentabant [inferre] hoc est, intus vbi erat IESVS ferre [ante eum] vt lumen oculorum suorum misericordium miseriam eius aspiceret. *Exod*.3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitum eorum audiui. *Psalm*.24. Respice in me, & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego, hoc est, simpliciter pauper.

Et non inuenientes] Ecce solertia eorundem [& non inuenientes locum qua parte eum inferrent præ turba] quæ multos impedit à salute consequenda: sicut *Luc*.19. Impediuit Zachæum qui desiderauit IESVM videre quis esset: & non poterat præ turba, quæ significat amicos, & nepotes, & huius vitæ solicitudines: quæ turba turbans multos impedit in accessu Saluatoris. Ideo dictum est Abrahæ *Genes*.12. Egredere de terra & de cognatione tua [Ascenderunt supra tectum] quod in Palæstina planum esse consueuit [& per tegulas] apertas [summiserunt eum] funibus [in medium] domus [ante IESVM] Domus enim in qua erat Dominus, vt dicit *Gloss*. tegulis fuit tecta.

Hæc autem domus in qua docens habitat IESVS, vt dicit *Gloss*. sacram Scripturam significat, quæ est domus disciplinæ, de qua *Eccli. vltim*. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Hæc fundamentum habet fidem veritatis. 1. *Corinth*.3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. *Gloss*. hoc est, fides Christi IESV. Parietes quatuor habet: exempla Sanctorum, mandata præceptorum, instructionem morum, virtutem à Deo reuelatorum, promissiones æternorum habet quasi superius concludentem testudinem. Super hæc habet literalem sensum tanquam tegulas cuncta tegentem. Et in hac domo latens docet Dominus. *Psalm*.35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. *Psalm*.111. Gloria & diuitiæ in domo eius.

Isti autem quatuor viri solertes quinque faciunt. Portant enim, subleuant, tegulas aperiendo reuelant, funibus summittunt, infirmum ante IESVM collocant. Portant quidem compatiendo, cum ipso patiendo, & adiuuando. *Galat. vltim*. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Isa*.53. Infirmitates nostras ipse portauit. *Isa*.40. In brachio suo congregabit agnos, fœtas ipse portabit. Subleuant autem, exhortando ad meliora, & ostendendo altiora. 1. *Corinth*.12. Adhuc excellentiorem viam vobis ostendo. *Psalm*.63. Accedat homo ad cor altum. *Ezech* 1. Cum eleuaretur Spiritus à terra, eleuabantur pariter & rotæ sequentes eum. Tegulas autem aperiunt, Scripturæ velamina tollendo, & Spiritum salutis ostendendo. 2. *Corinth*.3. Cum conuersus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Dominus enim spiritus est. Summittunt autem, humilitatem docendo *Eccli*.3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Iacob*.4. Humilibus dat gratiam. Ante IESVM collocant, confitendo, intercedendo. *Isa*.43. Dic tu iniquitates tuas, narra si quid habens. *Iosue* 7. Confitere peccata tua, & indica mihi quid feceris? De intercessione *Iacob*.5. Orate pro inuicem vt saluemini. Sic ergo ventum est ad miraculum.

Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

Hic tangitur de miraculi perfectione secundum tria, scilicet, ex parte facientis, ex parte infirmi, & ex parte probationis & vtilitatis miraculi. Ex parte facientis dupliciter: ex parte quidem remouentis contrarium, & ex parte perficientis ipsum miraculum. Ex parte remouentis contrarium tangit tria: verbum propriè causam tangens sanitatis, murmurationes contradictionis, & inuictam rationem repressionis murmuris. Verbum tangens propriam causam sanitatis dicit [Quorum fidem] scilicet virorum intercedentium & portantium eum & præsentantium [vt vidit] oculo approbationis. *Psalm*.31. Firmabo super te oculos

meos

meos[dixit]motus fide intercessorum. *Luc.*7. Fides tua te saluam fecit.

Dicit autem *interl.* quod multum valet fides propria, vbi salutem impetrat fides aliena. Fides autem aliena non saluat nisi in sacramento baptismi à peccato alieno, quod contractum est cum natura. Hic autem non est contractum sed factum peccatum. Ergo non sufficit fides aliena. Responsio. Fides aliena sufficit hic intercedendo, non operando, sicut in baptismo, vbi operando confert salutem: hic autem intercedit pro eo, sicut Stephanus pro Paulo. Et ita intelligitur *Gloss.*

Homo] Ecce verbum quod est occasio murmuris. Dicit autem [Homo] quia id quod facit hominem sanum habet vt diximus. *Matth.*9. dicitur. Confide fili. Et filium nominat propter sanam in eo imaginem rationis: quia etiam paralysis non communicat cum capite, cum quo si communicaret faceret apoplexiam.

Remittuntur tibi peccata tua] Ecce infirmitatis propria cura. Quia peccatum causauerat infirmitatem: ideo oportet præcidi causam, vel non curabitur infirmitas. *Iacob.*5. Oratio fidei sanabit infirmum. Et si in peccatis sit dimittentur ei Quatuor autem sunt in peccato quæ solus Deus dimittit: tenebras quidem quas incurrit homo per auersionem ab incommutabili bono, culpam quæ est crimen quam committit contra gratiam benefici, maculam quam incidit in læsione & diminutione naturalis boni, & reatum qui est obligatio ad pœnam æternam. *Isa.*43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Tenebras pellit lumine suæ veritatis, culpam autem per collationem gratiæ & virtutis, maculam reintegrando & consolidando vulnera boni naturalis, reatum autem per misericordiam infinitæ suæ bonitatis, qua non vult mortem peccatoris.

Et cœperunt cogitare] Ecce murmuratio, propter metum turbæ in publicum non procedens. Sicut enim dicit *Ambros.* inuidia timere potest, credere bonum de eo cui inuidet non potest [Scribæ] præsumptione scientiæ legis [& Pharisæi] præsumptione falsæ iustitiæ. *Matth.*23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, & hypocritæ [Quis est hic qui loquitur blasphemiam?] Blasphemia est impositio falsi in Deum: quæ duobus modis fit, vel quando Deo attribuitur quod non conuenit, vel quando aufertur ab eo quod sibi soli conuenit, sicut hic: quia sibi soli conuenit remittere peccata. *Ioan.*10. Nos de bono opere non lapidamus te: sed quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. *Matth* 26. Blasphemauit, quid adhuc desideramus testimonium? & hoc est quod sequitur [Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?] Non crediderunt isti testimoniu Ioannis Baptistæ *Ioan.*1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tamen dicunt verum. *Psalm.*50. Tibi soli peccaui & malum coram te feci.

Vt autem cognouit IESVS cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, & ambula?

Repressio est murmuris. Habet autem tria: reprehensionem murmurantium, propositionem miraculi ad iudicium eorum, & diuinæ potentiæ demonstratum effectum. Reprehensio murmuris est ista[Quid]hoc est, quare [cogitatis mala] infidelitatis [in cordibus vestris?] quia ego non sim Deus qui toties coram vobis meæ diuinitatis probaui virtutem. *Isa.*1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Tamen & in hoc quod respondit cogitationibus eorum, se esse Deum demonstrauit. 1. *Reg.*16. Homo videt quæ patent: Deus autem intuetur cor[Quid est facilius dicere] Expostulatio iudicij rationis eorum, vt proprio iudicio condemnentur. *Luc.*19. De ore tuo te iudico, serue nequam. *Psalm.*49. Arguam te, & statuam contra te faciem tuam [Dimittuntur tibi peccata] Quod solius Dei esse dicitis [an dicere] simplici verbo sine sacramenti operatione, vel orationis, vel medicinæ, sed solo potenti verbo [Surge, & ambula]Constat quod vtrumque eiusdem potentiæ est: licet in se inæqualia sint. Sancti enim inuocando, vel sacramenta exhibendo, aliquando curant corpus, & ita dimittunt peccata. Medici autem per medicinas curant aliquando corpora, non animas. Sed simplici verbo creaturas non restaurat, nisi qui simplici verbo creauit eas. Et ideo quoad hoc vtrumque est eiusdem potentiæ: & ideo inuisibile probetur per visibile. Et hoc est quod dicit.

Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

Ecce perfectio miraculi ex parte vere facientis, primo per verbum, secundo per effectum. Et tertium sequitur, ædificatio fidelium. Dicit ergo [Vt autem sciatis] certissima probatione [quia Filius hominis] quem blasphemare dicitis [potestatem habet] diuinam [in terra dimittendi peccata] solo verbo, sine omni alio adminiculo extrinsecus adhibito, vel inuocationis, vel sacramenti: tunc ipse Filius hominis [ait paralytico] sua voce, non sonante de cælo desuper Patre, & non apparente visibiliter Spiritu sancto [Surge] Vox enim mea, est vox virtutis sicut & Patris. *Ioan.*5. Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat. *Esther* 14. Tu es qui vitæ & mortis habes potestatem. Quod autem dicit [Surge] est in effectum consolidationis, contra membrorum dissolutionem. Et quod dicit [Tolle grabatum tuum] est in restitutionem virtutis, contra debilitatem infirmitatis: quia lectus erat grauis qui à quatuor portabatur. Et quia dicit [Et ambula] est in restitutionem virtutis motiuæ, contra paralysis immobilitatem. Quod autem dicit [Vade in domum tuam] est ad restitutionem animalium virtutum, & præcipuè virtutis

tutis prouiſtuæ:contra hoc quod tales infirmitates per frigidum & humidum ortæ à cerebro, debilitant virtutes prouiſtuas & prudentiam. Senſus enim eſt [Vade in domum tuam] hoc eſt, prouide tibi & domui tuæ. Hæc eſt ergo reſtitutio integræ ſanitatis, & probatio plena poteſtatis dimittendi peccata, quam Chriſtus tradidit ſuo vicario & miniſtris eius. *Matth.*18. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.

Moraliter autem dicit quatuor [Surge] hoc eſt, ſurſum te age ad virtutes. *Coloſſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens [tolle grabbatum] in onus tuum per pondus doloris, delectationes peccatorum conuerte. *Pſalm.* 37. Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me [ambula] per meritorum profectum. *Ierem.* 51. Nolite ſtare, recordamini procul Domini [Et vade in domum tuam] hoc eſt, conſcientiæ diſcuſſionem & cuſtodiam. *Prouerb. vltim.* Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.

Et confeſtim ſurgens] Ecce ad verbi imperium opus ſubſecutum [coram illis] in teſtimonium miraculi & confuſionem conſcientiarum ſuarum [Tulit lectum in quo iacebat] plena ſibi reſtituta virtute [& ambulans] ordinato greſſu [in domum ſuam] vtilitatibus propriis conſulens, ſicut ſapiens prudens. *Ioan.*5 Statim ſanus factus eſt homo, & ſuſtulit grabbatum ſuum & ambulauit [magnificans Deum] hoc eſt, magna laude in gratiarum actione extollens. *Act.* 3. Ambulans, & exiliens, & laudans Deum. *Eccli.* 51. Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum: quoniam vita mea erat appropinquans inferno deorſum [& ſtupor] ex viſo miraculo [apprehendit omnes] Sæpius dictum eſt quid eſt ſtupor. Apprehendit autem admiratio omnes, & quaſi violenter tenuit [Et] ideo [magnificabant Deum] Quia ſicut dicit *Pſalm.* 8. Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus [Et repleti ſunt timore] Deuoti quidem timore reuerentiæ, Phariſæi autem & Scribæ timore pœnæ ſi contradicerent. *Matth.*16. Quærebant principes ſacerdotum vt IESVM dolo tenerent, & occiderent: ſed timebant plebem [dicentes] confeſſione veritatis conuicti [Quia vidimus mirabilia hodie] hac clara luce. *Luc.*2. Quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

Et poſt hæc exiit, & vidit IESVS publicanum nomine Leui, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

Iſtud quod hic dicitur, vt dicit *Auguſtinus*, per recapitulationem inductum eſt: quod ſic probat *Auguſtinus*. Quia ſicut *infra* 6. dicitur, Matthæus cum aliis Apoſtolis in monte electus eſt. Poſt deſcenſum autem de monte ſanatus eſt paralyticus, & alia miracula perfecta ſunt. Et ideo vocatio Matthæi ante facta eſt. Vnde patet ſicut iam ſæpius diximus, quod *Lucas* quæ inducit, non inducit ſecundum ordinem temporis, ſed ſecundum quod probant ordinem Eccleſiaſticum: ſicut diximus. Nec conuiuium fecit ei in domo ſua poſtquam ſecutus eſt eum: quia tunc non erat publicanus. Nec Phariſæi murmuraſſent quod Dominus comederet & biberet cum publicanis. Nec etiam poſtea domum propriam habuit. Sed ante perfectam ſequelam Domini aliquamdiu familiaris exiſtens, inuitabat eum & procurauit: & poſtea per illam familiaritatem factus eſt Diſcipulus, & ex Diſcipulo factus eſt Apoſtolus. Vnde quod hic dicitur [Poſt hæc] notat ordinem rationis, non temporis. Probata enim plenitudine poteſtatis in vſu clauium, inducit [poſt hoc] factum per quod probatur plenitudo poteſtatis in ordine & vocatione & diſpoſitione miniſtrorum, & diſpoſitionis officiorum. Hoc enim pertinet ad eum qui habet plenitudinem poteſtatis.

Exiit] ergo, ſicut dicitur *Matth.* 20. Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Dicuntur autem in iſta hiſtoria tria: vocatio videlicet, conuiuium, & reprehenſio murmuris Phariſæorum. De vocatione autem dicit tria: vocantis miſericordiam, vocati miſeriam, & eiuſdem ad ſequendum Chriſtum obedientiam. De vocantis miſericordia tangit duo: diligentiam inquiſitionis, & reſpectum miſerationis. De diligentia inquiſitionis dicit.

Poſt hæc exiit] quærens peccatores quos ad pœnitentiam conuerteret. *Act.* 10. Pertranſiuit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo [& vidit] non tam oculis corporis quam miſerantis reſpectu. *Eccli.* 4. Oculi Domini in diligentes ſe. *Geneſ.* 16. Tu Deus qui vidiſti me [publicanum] Deſcribit hic vocati miſeriam. Deſcribit autem ab infami officio, & à nomine priuato vt per hoc aliquantulum tegatur vitium, & à ſtudio lucrorum [publicanum] quia publicis vectigalibus accipiendis & congregandis erat præpoſitus. Hæc autem vectigalia de vehendis mercibus accipiebantur. Quidam tamen dicunt, quod erat mercator merces vehens. Et hoc non puto eſſe verum. Vectigalia autem cum extorſione accipiebantur, & ideo tale officium infame eſt. *Iſa.* 3. Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt [nomine Leui] *Matth.* 9. ipſe ſe vocat Matthæum, Binomius enim fuit. Sed Matthæus erat nomen vulgatum, & ſub illo cognoſcebatur eſſe exactor, & hoc ipſe ſibi tribuit propter humilitatem. *Prouerb.* 18. Iuſtus à principio accuſator eſt ſui. Aliud nomen fuit Leui, quod non ita erat vulgatum, & ſub illo non cognoſcebatur infamia ipſius, & hoc in tegumentum infamiæ attribuunt ei duo alij Euangeliſtæ. Leui autem interpretatur additus: quia ſub ſignificatione illius nominis additus eſt Apoſtolis, vt nemo quantorumcunque facinorum deſperet ſi conuerſus fuerit ad Dominum, audiens publicanum factum eſſe Apoſtolum & Euangeliſtam. *Pſalm.* 67. Dixit Dominus: Ex Baſan conuertam, hoc eſt, ex confuſione. 1. *Paralip. vltim.* Indignum ſaluabis me ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ [ſedentem] hoc eſt, quieſcentem [ad telonium] ad ſtudia illicitorum lucrorum. *Sapient.* 15. Exiſtimabant luſum eſſe vitam hominis, & conuerſationem vitæ compoſitam eſſe ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.

Et ait illi] Hic dicuntur duo: præceptum vocantis, & vocati obedientia. Præceptum vocantis eſt [Sequere me] hoc eſt, imitare. Et bene dicit

[ſequere]

[ſequere] quia impoſſibile eſt præcedere paſſu virtutis. Nullus autem omnino poteſt eum comitari: ſed ſequi à longe poſſumus. *Iob* 23. Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam Domini cuſtodiui. *Eccli*.23. Gloria magna eſt ſequi Dominum.

Et relictis omnibus] Tangitur obedientia Et dicuntur duo: depoſitio impedimenti ad ſequendum, & inſecutio. Depoſitio impedimenti eſt in hoc quod dicit [relictis omnibus] Amor enim temporalium impedit à ſequendo Chriſtum. *Matth*. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te [ſecutus eſt eum] Hoc eſt perfectum : abdicare illicitum, & imitari bonum. *Pſalm*. 36. Declina à malo, & fac bonum. *Ierem*. 17. Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua.

Hic tanguntur duo de conuiuio: de præparatione ſcilicet, & de ſocietate conuiuantium. De præparatione dicit duo: præparationem, & locum. In præparatione notantur tria: in factura enim notatur ſtudium præparationis : in conuiuio autem iucunditas epulationis: in magnitudine liberalitas miniſtrationis. De primo dicitur *Eſther* 1. Iuſſit rex conuiuium præparari in veſtibulo horti. *Tob* 8. vxori ſuæ dixit vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia [Conuiuium] autem ſonat in iucunditatem epulantium. *Luc*. 15. Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit : perierat, & inuentus eſt [magnum] quod pertinet ad præparationis magnificam liberalitatem. *Luc*. 14. Quidam homo fecit cœnam magnam, & vocauit multos [in domo ſua] Ecce quietis locus. In domo enim aliena non fiducialiter quieſcitur. *Eccli*. 29. Vita nequam hoſpitandi de domo in domum: & vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget. Econtra *Sapient*. 8. Intrans in domum meam conquieſcam cum ſapientia.

Et erat turba multa publicanorum, & aliorum qui cum illis erant diſcumbentes.

Ecce conuiuantium ſocietas. Nominat autem publicanos & alios peccatores ſecum conuiuãtes. Et hoc eſt quod dicit [Et erat turba multa] quantum ad multitudinem vocatorum. *Luc*.14. Quidam homo fecit cœnam magnam, & vocauit multos [publicanorum] ad eandem ſpem vocationis ſuſpirantium [& aliorum] peccatorum, ſupple. *Luc*.15. Erant appropinquantes ad IESVM publicani, & peccatores vt audirent eum.

Dicit autem hic *Chryſoſt*. quod Leui de illicite acquiſitis Domino fecit conuiuium. Et tunc quæritur, Quare Dominus iſta cum Diſcipulis comedit & bibit: cum non liceat aliquid talium contingere aut edere? *Tob* 2 Non licet nobis aut edere de furto aliquid aut contingere. Reſponſio quod illi qui agunt vices eorum quibus talia ablata ſunt, & cum effectu inducunt homines ad reſtitutionem: poſſunt de talibus edere, ſicut fecit Dominus & Diſcipuli. Quod autem alij comedebant ad ſimilem reſtitutionis modum erat inuitatio. Et ita omnes licite comederunt. 1. *Corinth* 9. Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? *Luc*. 10. non dicit Dominus, Edentes & bibentes quæ illorum ſunt: Sed potius, Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt [diſcumbentes] Diſcubitus eſt ſtramentum, in quo quieſcitur partim ſedendo, & partim iacendo. Eſt autem ſtramentum molle retro ad dorſum, & à lumbis inferius eſt ſeſſio. Et talis ſeſſio laſſis conuenit: ſicut fuit Dominus & Diſcipuli ex itinere fatigati. *Luc*.7. Ingreſſus Domum Phariſæi, diſcubuit.

Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum, dicentes ad Diſcipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

Hic tangitur murmur & reprehenſio murmuris. Murmur autem tangitur dupliciter. Murmurando enim oſtenderunt inuidentiæ nequitiam. Euomendo autem murmurationem apud Diſcipulos qui adhuc infirmi erant, oſtenderunt primi ſerpentis aſtutiam. Dicit ergo [murmurabant] *Rom*. 1. Suſurrones, detractores Deo odibiles. *Sapient*. 1. Cuſtodite vos à murmuratione quæ non prodeſt, & à detractione parcite linguæ [Phariſæi] præſumentes de falſa iuſtitia [& Scribæ eorum] præſumentes de falſi nominis ſcientia. 1. *Corinth*. 8. Scientia inflat, charitas vero ædificat. *Rom*.12. Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Videntur tamen iuſtam habere murmuris occaſionem. 1. *Cor*. 5. Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut rapax: cum huiuſmodi nec cibum ſumere Ad hoc autem dicendum, quod hoc de præciſis intelligitur. Nullus autem iſtorum præciſus eſt: ſed conuictus & familiaritas Domini fuit eis occaſio ſalutis [Dicentes ad Diſcipulos eius] Modo primi ſerpentis aggrediuntur Dominum ex parte debiliori. *Eccle*. 10. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Non audebant enim Domino hoc dicere: quia ſciebant ſe confutandos [Quare cum publicanis & peccatoribus] aliis criminoſis [manducatis & bibitis?] *Matth*. 7. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Poſſet reſponderi quod manducare & bibere cum peccatoribus vt conuertãtur eſt in ſignum epulationis Angelorum. *Luc*.15. Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Apoc*.13. Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo & ipſe mecum.

Et reſpondens IESVS, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Hic ponitur murmuris repreſſio. Et dicuntur duo: vnum quidem per metaphoram, & alterum per metaphoræ expoſitionem. Metaphora dicit murmurantium reprehenſionem, & publicanorum commendationem. Reprehenſio quidem murmurantium eſt in hoc quod dicit [Non egent] hoc eſt, non egere ſe ſimulant [qui ſani ſunt] hoc eſt, qui ſanos ſe eſſe reputant. Nullus enim in toto ſanus eſt à peccato & ab inclinatione ad peccatum,

tum, quæ est quasi dispositio ad infirmitatem. Et qui reputat se sanum, periculosissime infirmatur: qoia medicum non requirit. *Apocal.* 3. Dicis quia diues sum & nullius egeo, & nescis quia miser es,& miserabilis, & oudus, & pauper [medico] de quo dicitur *Eccli.* 38. Honora medicum: propter necessitatem enim illum creauit Altissimus [Non enim] Explanatio est metaphoræ per finem sui aduentus [Non enim veni] io mundum. *Ioan.* 16. Exiui à Patre & veni in mundum [vocare iustos] quia illi vocati sunt: sicut Nathanael & alij, qui fuit sine dolo. Intelligitur enim istud de vocatione exteriori, in qua non vocantur qui se iustos arbitrantur. Omnes autem alij vocantur. *Rom.* 3. Omnes peccauerunt & egent gratia Dei [sed peccatores] hoc est, qui peccatores se recognoscunt, per gratiam Christi saluandos, & non ex operibus legis. Et hoc est quod addit [ad pœnitentiam] *Act.* 3. Pœnitemini & conuertimini vt deleantur peccata vestra.

Attende autem, quod hic est quædam *Gloss.* de vocatione Matthæi quæ est valde dubia. Et dicitur esse *Ambros.* Dicit enim sic: Reliquit propria, qui rapiebat aliena. Non solum lucra reliquit omnium vectigalium: sed & periculum contempsit quod poterat venire à principibus seculi: quia rationes vectigalium incompositas reliquerat. Et quia in nullo prorsus huius vitæ respectum vel cogitationem sibi reseruauit, Dominicorum talentorum fidelis dispensator esse meruit. Tria dicit *Gloss.* ista, scilicet, quod qui aliena rapuerat, propria reliquit. Et hoc est iniustitia: quia antequam relinqueret propria, reddere debuit quæ rapuerat aliena: sicut fecit Zachæus *Matth.* 19. Siquid aliquem defraudaui reddo quadruplum. Vnde & hoc fuit iniustum, & Discipulis Christi, & doctrinis eius contrarium. *Matth.* 5. Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. Secundum est quod dicit, quod rationes vectigalium incompositas reliquit Et fuit iniuria & scandalum contra Christi doctrinam. Iniuria quidem: quia vectigalia ex quibus accipiuntur stipendia ad defensionea terrarum, non sunt iniusta: & ideo rationes eorum sunt faciendæ. Scandalum autem est tum propter hoc quod & ipse Dominus vt non scandalizaret, soluit didrachma. Et alibi dixit *Luc.* 20. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Tertium autem, quod in nullo prorsus respectum vel cogitationem huius vitæ sibi reseruauit, fuit imprudentia: cum etiam Dominus *Ioan.* 12. loculos legatur habuisse, in quibus ea quæ mittebantur, portabantur ad vitæ necessaria. Nec potest aliquis dicere, quod Dominus dispensauerit: quia nulla dispensatio est cum alterius iniuria. Nec est simille quod dicitur *Exod.* 3. & 12. Spoliabitis Ægyptum: quia filij Israël laborauerunt Ægyptiis, & spoliati fuerant ab Ægyptiis, & in angaria dira fuerunt apud eos.

Ideo videtur hic dicendum, sicut diximus super *Matth.* quod illud conuiuium factum fuit cum iam ita esset perfectus in amore Christi quod omnia vellet relinquere, & ad ea vltra non rediret. Ante autem (licet non legatur) & male ablata reddiderat, & ratiocinia composuerat. De futuris autem ordinare non poterat: quia quamuis non legitur de istis tribus aliquid fecisse: tamen iustitia exigente fecit. Ea vero subticentur aliquando, sicut hic: & ponuntur aliquando, sicut in Zachæo. Vt ex aliis quæ scripta sunt, & similia in his quæ non sunt scripta intelligamus. Tamen hic cauendum est: quia in dictis *Beati Ambrosij* frequenter inueniuntur immixta dicta *Ambrosij adoperti*, & sunt illa frequenter falsa, & aliquando hæretica.

At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt? Quibus ipse ait: Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

Hic incipit astruere potestatem dispensationum. Est autem dispensatio iuris relaxatio propter necessitatem vel vtilitatem publicam facta. Habet autem partes duas: vnam in qua est occasio veniendi ad factum: aliam autem in qua ratio instruitur dispensationum. In prima harum est quæstio quædam mota. Quidam ex discipulis Ioannis cum Iudæis, sicut dicitur *Ioan.* 3. quia secundum veritatem Pharisæi & Scribæ primo discipulos Ioannis de hac quæstione solicitauerunt: & discipuli Ioannis solicitati cum Iudæis de hac quæstione cum inuidia & murmure contra Christum tractauerunt, & sic concitati ad Christum cum quæstione venerunt. Propter quod discipuli Ioannis in hac parte reprehensibiles se reddiderunt, tum de iactantia sanctitatis apparentis, tum de familiaritate ex parte vipereæ generationis, tum de inuidia Christianæ libertatis. *Galat.* 2. Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt vt explorarent libertatem nostram quam habemus in Christo I E S V, quibus nec ad ad horam cessimus subiectionem.

Quare discipuli Ioannis] in quibus nihil nisi austeritas apparuit [ieiunnant frequenter] sicut omni solatio gaudij destituti [& obsecrationes faciunt] sicut semper ad cælestia suspensi. Tumque ieiunio se affligentes & castigantes ne appetant terrena. 1. *Corinth.* 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Obsecratione autem cor ad Deum dirigentes. *Psalm.* 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo [Similiter autem & Pharisæorum] qui credunt resurrectionem mortuorum: & ideo sperant æterna, pro quibus frequenter fecerunt obsecrationes. Ieiuniis autem & aliis austeritatibus corpus à voluptate vitæ temperabant. Vnde *Luc.* 18. Vous Pharisæorum dixit: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo [Tui autem discipuli] qui te imitantur: ideo factum eorum in te redundat [edunt & bibunt] in delicias & sarutitatem. Cum tamen feruor nouitius plus austeritatis habere deberet ex nouitate religionis: quia omnis religio feruet à principio. Hæc ergo est quæstio ipsorum.

Quibus ipse ait] Ante responsionem istam notandum est, quod vita vetus dicitur à quatuor, quorum

quorum vnum est causa vitæ veteris, & hoc est inolitum Innga consuetudine in homine vel in gente peccatum. *Thren.* 3. Vetustam fecit pellem meam, hoc est, ad modum vetustæ deformem per peccatum. Ideo præcipit *Apostolus ad Ephes.* 4. exuere veterem hominem qui corrumpitur secundum desideris errotis. Aliud est consuetudo obseruantiarum legalium, quæ ad indicandum peccatum inductæ sunt, & non ad curandum ipsum: sicut suut nmnes obseruantiæ legales, & etiam Decalogus, secundum hoc quod cohibere dicebatur manum, nou animum; & omnia huiusmodi. *Hebr.* 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Ex illa est seruitus antiqua. Tertium æmulatio antiquitatis, quæ est semper iu cordibus eorum qui transire debent ad nouum. *Galat.* 1. Abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Vnde etiam in prima philosophia dicitur: quod cum homo consueuit credere contraria principiorum & est oblitus eis: quantuncunque deducatur ad inconueniens, uon recedit nisi cum magna difficultate. Quartum est adulterinæ radices, quæ semper manent ea antiquis erroribus in corde pullulantes. Vnde *Ierem.* 1. Vt euellas, & destruas, & dissipes, & disperdas. Nisi enim paulatim illa effodiantur, non inseretur veritas.

Et ideo sicut in eo qui iu scientiis doctrinalibus de errore ducitur ad veritatem: ita est de deductione ex lege veteri ad nouam. Qui enim in doctrinalibus habet Philosophos qui ex peccato primos errores seminauerunt, pro diis vel pro sanctis prophetis, nuuquam curatur ab errore suo. Similiter si pertinaciter inhæret erroribus eorum, nunquam exit ab eis. Similiter qui ex æmulatione personæ & non veritatis contendit, nunquam cuiatur. Adhuc autem nisi errores contrarios principiis de corde suo euelli permittat, nunquam curatur. Ita est qui legem veterem arbitratur à Deo esse, ex intentione permanendi datam, sicut veram iustitiam iustificantem, & non magis ordinatam propter peccatum antiquum, vt pædagogum ad Christum, nunquam liberatur à lege. Adhue qui omnes obseruantias eius & cæremonias putat diuinas & tenendas, & non magis mysticas, & in futurum significantes quid faciendum est, nunquam liberabitur. Adhuc æmulator talium propterea quod tanti patres saluati sunt, lege in statu perdurante, & credit hanc salutem fuisse patribus ex lege, ille impossibilis est ad curam. Adhuc etiam nisi principia præceptorum & quæcunque alia sunt, de corde euellat, vt obligantia, non liberabitur. Et ex his patet quam difficile est veteribus noua immittere, & quam paulatim oportet hominem à veteribus caute educere, & tunc paulatim nouis eum coaptare. Et hoc intendit Christus, & ideo duas dat responsiones: vnam quæstioni, & alteram subintellectæ rei in quæstione, quam etiam quærentes ignorabant.

Ad solutionem quæstionis nota, quod (sicut diximus in *Matth.*) triplex est ieiunium: satisfactiuum, afflictiuum, & lætificatiuum. Satisfactiuum est quod iniungitur pro peccatis emendandis: sicut *Iona* 3. Ieiunium Niniuitarum. *Ioel.* 1. Sanctificate ieiunium, congregate cœtum. Ieiunium autem afflictiuum est sicut id quod fit, cum nimia desolatione homo deiectus alimentum non sumit: sicut 2. *Reg.* 12. de mortuo paruulo ieiunabat Dauid antequam moreretur. Et sic ieiunabant antiqui patres ex mœrore dilationis aduentus Christi: sicut patet *Leuit.* 23. & in multis aliis locis de ieiunio primi, & ieiunio quarti, & ieiunio septimi, & ieiunio decimi. Tertium est ieiunium lætificatiuũ, quando homo ex præsentia Dei tantum concipit gaudium, quod sibi omnis desipit cibus corporeus: sicut erat ieiunium Moysi cum Domino in monte, & ieiunium Eliæ cum Domino iu deserto. Nullum autem istorum ieiuniorum competiit Apostolis. Primum enim non competit: quia baptismi gratiam accipientes, non assumunt extra lamentum vel planctum. Afflictiuum non competit: quia impræsentiarum habuerunt omnem consolationem & gaudium. Lætificatiuum non competit: quia non adhuc ad robur receperant Spiritum. Et hoc fuit quod dixit Christus.

Nunquid] Q. d. Vosipsi iudicate [Nunquid possunt] congruenter tanti festi & tam festiuæ lætitiæ [filij sponsi] hoc est, cuiuscunque sponsi filij siue sodales [lugere vel ieiunare dum cum illis est sponsus] in tantæ festiuitatis exhibitione & gaudij præsentia argumentum *Nehe.* 8. Sanctus dies Domiui est: non licet nobis contristari. Gaudium enim Domini fortitudo est vestra. Et *ibidem* dicitur. Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes eis qui non præparauerunt sibi. Ita etiam filij sponsi Christi iu præsentia eius ieiunare non possunt. Ipse enim est sponsus qui Ecclesiam sibi in natura nostra desponsauit: de quo dicit *Psalm.* 18. Ipse tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. *Ioan.* 3. Qui habet sponsam sponsus est. Filij autem eius in ipsis nuptiarum primordiis, de spiritu & non de carne geniti sunt, Apostoli dilecti Christo tanquam filij. 1. *Reg.* 1. Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. Et ideo illo tempore lætitiæ quo præsens erat corporaliter: nou fuit congruum ieiunare [venient autem dies] Passionis primo, & Ascensionis secundo [cum ablatus fuerit ab eis sponsus] præsentis corporali, in triduo videlicet vsque iu diem Resurrectionis, & in decem diebus inter diem Ascensionis & Missionis sancti Spiritus [tunc ieiunabunt in illis diebus] Ieiunio afflictionis. Vnde legitur de Iacobo minore, qui pro similitudine religionis, frater Domini meruit appellari, quod cum videret Dominum mortuum in cruce, vouit se non comesturum panem, nisi viso eo in Resurrectione: quod & ita perfecit sicut vouit. Et ideo tunc ieiunio afflictionis Discipuli ieiunauerunt. Et tunc remansit cum eis 40. dies: in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei: & tunc nunquam ieiunauerunt Discipuli: sed semper vel exegit ab eis si haberent aliquid quod manducetur vel ipsi obtulerunt ei quæ habebant, sicut partem piscis assi: vel inuenerunt præparata ab ipso: sicut *Ioan.* 21. piscem superpositum prunis, & semper comederunt cum ipso: ita quod etiam iu die Ascensionis comedit & ascendit. Et ideo *Gelasius Papa* in memoriam illius facti constituit quod inter Pascha, & Pascha, hoc est, inter Pascha & Pentecosten non esset ieiunium: quia tunc Discipuli & Apostoli non ieiunauerunt. Sed in die Ascensionis ablata est ab eis præsentia corporalis, & in die Pentecostes exhibita præsentia spiritualis. Et ideo

inter-

Inter illos duos dies iterum ieiunio afflictionis ieiunauerunt. Post diem autem Pentecostes & deinceps, ieiunauerunt ieiunio exultationis. Et ideo Ecclesia Christi in memoriam illius facti in ieiunio Pentecostes cantat Alleluia, quod est laus Dei inuisibilis: in alijs autem ieiuniis cantat Tractus, qui significant longos tractus laboris: quia in illis repræsentatur ieiunium afflictionis, & ieiunium satisfactionis. Hoc est ergo quod dicit.

Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à vestimento nouo immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est: & vtraque conseruantur. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum, dicit enim: Vetus melius est.

Hic incipit secundum de inductione nouitatis in qua sicut & de ieiunio oportet cum neophytis dispensatoriè vti. Inducit autem duas similitudines secundum duos effectus, quos Spiritus sanctus operatur in nobis. Vnus est in conuersatione exteriori, qui est indumentum virtutis: & alius est in inebriatione interiori, quæ ebrietas est amoris spiritualis. De primo dicitur *Isa.61.* Induit me Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ circumdedit me. De secundo dicitur *Cantic.5.* Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. De primo ergo dicit quod [nemo] sapiens [commissuram à vestimento nouo] hoc est, partem panni noui [committit] hoc est, consuit [in vestimentum vetus] hoc est, in partem panni veteris. Et subiungit rationem, dicens [Alioquin] hoc est, si aliter faciat [& nouum rumpit] quia ad se trahit vetus, & generat scissuras [& veteri non conuenit] quia illud nobilitatem & soliditatem noui sustinere non potest, & ideo non conuenit ei [commissura à nouo] secum coniuncta. Et ita est dum homo imbutus est veteri conuersatione legis, adhuc non conuenit ei tota soliditas noui: quia si secus fiat, & non paulatim manduceatur per longas doctrinas parabolarum & exemplorum, vtrumque abiiciet, nec credens vetus nec nouum: quia iam à veteri incepit recedere, nec recessit: & iam nouo inceperat appropinquare, nec peruenit.

Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres] Secunda similitudo de interna spiritus ebrietate. Et patet per se: quia corda veteribus imbuta sunt vtres veteres [& vinum nouum] est cognitio & consolatio noua sancti Spiritus. *Psalm.103.* Vinum lætificat cor hominis. *Iudic.9.* Non possum deserere vinum meum quod lætificat Deum & homines [Alioquin] hoc est, si secus fiat [rumpit nouum] vinum bulliendo, vtres fragiles & veteres. Calore enim solis, loci, & temporis, & naturali calore compugnantibus: vter fragilis sustinere non potest [& vinum effundetur] quia non est digestum ad plenum. *1. Reg. 1.* Digere paulisper vinum quo mades [& vtres peribunt] veteres. *Iob 32.* En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguunculas nouas dirumpit [Sed nouum vinum] nouam Spiritus perceptionem [in vtres nouos] corda paulatim innouata. Vnde *Act.2.* Alij dicebant quod musto pleni sunt [& vtraque conseruantur] quia tunc & Spiritus custodit corda, & cor custodit Spiritum. Explanat autem adhuc vlterius dicens.

Nemo bibens vetus] cum delectatione adhuc in veteribus detentus [statim] vult secundum beneplacitum desiderij sui [nouum] quia à contrario in contrarium secundum naturam non est transitus nisi per medium [Dicit enim] infectus sapore veteris [Vetus melius est] *Eccli.9.* Veterascet: & cum suauitate bibes illud. Sed, sicut dicit *Interlinearis*, innouatus paulatim volet nouum, & tunc appetet ipsum. *Leuit.26.* Vsque ad noua comedetis vetera: nouis autem superuenientibus, vetera proiicietis.

CAPVT VI.

Factum est autem in sabbato secundoprimo, cum transiret per sata, vellebant Discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus.



IN principio istius capituli sunt duæ historiæ adhuc ad potestatem dispensandi pertinentes: quia potestas dispensatiua præcipuè est in tribus: in pertinentibus ad libertatem fidei, & in vsu temporalium, & dispensatione temporum. In libertate quidem fidei: quia in omnibus quæ faciunt ad fidei ædificationem studendum est. Et siquid obstaret circa aliquam talium personarum (quæ fidem multum ædificare posset: sicut votum, vel aliquod tale) dispensandum est: sicut modus viuendi austerius in obseruantiis multis dispensatur circa personas multum fidem ædificantes, sicut factum est in parte præcedenti. Tales autem quia multis prosunt, etiam alienis possunt vti sumptibus. Et sic per similitudinem quandam dispensatur hic. Dicuntur autem tria in hac historia, in quorum primo ponitur factum, dispensatione indigens: in secundo Pharisæorum murmuratio: in tertio murmuris repressio, per ostensionem dispensatiuæ rationis. De primo determinat tria circa Christum: sapientiæ scilicet diuinæ ordinationem, temporis congruitatem, operis Christi studium & occupationem. Et hæc tangit circa Christum. Circa Discipulos autem tangit quatuor alia, scilicet, indigentiæ necessitatem, pauperum indigentiæ subleuationem, edulij parcitatem rudem & non lautum eiusdem edulij præparationem. De primo eorum quæ circa Christum sunt, dicit modo diuino.

Factum est autem] exequente sapientia in tempore, quod ab æterno præparauerat. *Prouerb.8.* Quando præparabat cælos, hoc est, Apostolos,

aderam cum eo cuncta componens. *Isa.*36. Ex diebus antiquis feei illud,& ounc adduxi.

Io sabbato secundoptimo] Ecce congruitas temporis, in qoo hoc voluit fieri, vt excitaret calumniam Pharisæorum : & ex hoc locum haberet instructio Discipulorum. Est autem secundoptimum triplici ratione dictum : fuit enim in lege sabbatum simplex,& sabbatum primum,& sabbatom secundoptimûm. Sabbarum simplex fuit cuiuslibet septimanæ terminus : quia in illo non fuit nisi simplex festum. Sabbatum prlmum fuit præcipoi festi sabbatum : sicut primum sabbatum Paschæ. vel Pentecostes, vel Scenopegiæ. Sabbarum autem secundoprimum , fuit eorundem festorum vltimum : quia vltima,hoc est,octaua dies, eadem solennitate fuit venerabilis : sicut dicitur *Leuit.*23. Et hoc dicebatur secundoprimum. Secondo modo dicitur secundoprimum : quia duplici ratione est primum.Vna quidem ratiooe: quia est sabbatum,quod in se hsbet suæ dignitatis primatum. Alia:quia fuerunt Kalendæ mensis. Et sic iterum festiuum, & secundum accepit dignitatis ordinem. Tertio modo dicitur sabbatum secundoptimum : quia secunda ratione fuit primum. Erat enim primum digoitate sabbatum, quod feriabatur. Secunda ratione primuio fuit tempore , dies proxima post sabbatum , dies quæ dicebatur prima sabbati , quæ est Dominica : illa est prima septimanæ.

Et dicit *Gloss.*quod hæc aliquando ante legem prima fuit , & in lege facta est non prima. Tempore autem reuelatæ gratiæ iterum facta est prima. Et ideo dicitur secundoptima. Et hoc non videtur esse verum : quia ab initio mundi sanctificatus est dies septimus ante omnem legem , vt dicitur *Genes.*a. Et quidem operibus à constitutione mondi perfectis , dixit de die septimo sic: Requieuit Deus die septima ab omnibus operibus sois.Vnde dicendum,quod *Gloss.*illa *Beda* est, & intelligitur sic : Diem quo sabbati litera solui cœperat deuteron proteron , id est , secundoprimum sabbatum vocat : per hoc innuens obseruantiam legalis sabbati cessaturam , & naturalis sabbati libertatem (quæ vsque ad Moysi tempora cæterorum dierum similis erat)restituendam. Quia licet à constitutione mundi hæc dies sanctificata sit : tamen hoc ante Moysi tempora nesciebatur. Et ideo non obseruabatur. Sed prima sabbati dies qoam nos Dominicam vocamus , dicebatur. Et ideo post legem iterum est restituta in primam, Et boc est quod intendit *Gloss.*

Si autem vis scire secundum naturam : tuoc scias,quod dies est Sol lucens super terram,& non lucentes aliæ stellæ : quia illæ factæ sunt vt præsint oocti. *Genes.*1. Et ideo qoæcunque est quæ simplex habet lumen solis in dominio primæ horæ diei,illa est prima.Et hæc est dies Dominica: & ideo illa secundum naturam prima est. In sequenti die lux Solis funditur in Lunæ dominio; & ideo illa est secunda. Et in tertia die funditur in Martis dominio : & ideo illa tertia. Et in quarta die funditur in Mercurij dominio : & ideo illa est quarta. Sed in quinta die funditur in Iouis dominio : & ideo illa est quinta.Et in sexta funditor io Veneris dominio : & ideo illa est sexta. Et in septima funditur in maleuolo Saturni dominio: & ideo illa est septima. Et hunc ordinem antiqui sapientes attenderunt ante legem , & ideo sic ordinaoerunt. Sub lege autem mutatus est , & post legem iterum receptus. Et ideo sabbatum illud est secundoptimum.Et iste est ordo dierum secundum naturam. Quæ autem sit ratio feriandi vel operandi in diebus, alibi erit locus dicendi. Scias tamen quod licet ista secundum *Gloss.* quorundam dicta sint, quæ hic recitantur facta sunt in sabbato : quia aliter occasionem murmurandi oon habuissent. Vnde ad literam verum est quod secundoptimum sabbatum fuit & sabbatum , & illud festum Kalendarum habens : sicut dicitur *Marc.*1. vbi dicitur : Cum Dominus sabbatis ambularet per sata , hoc est, die in quo plura festa concurrerunt.

Cum transiter] Ecce studium Domini de procuranda salute hominum [per sata] Transit per sata seminator rerum io primo mundi cardioe, qui in fine temporum corda seminat fidelium, verbi diuini seminatione : vt ex rerum dispositione agricolas mundi doceat quid debeant facere. *Ioan.*4. Videte regiones , quoniam iam albæ sunt ad messem, Volebat enim vt coosideratis messibus,considerantes corda parata ad messem,& seipsos idoneos exhiberent messores qui ad metendum mitterentur.

Vellebant]Ecce necessitatis extremæ indicium. Et huius causâ dicit *Mar.*2.quod ita veneīāt turbæ vt nec spatiū manducādi haberēt.Et ideo facto sermone de nouitate vitæ conuenit turba. Tempus autem fuit manducandi. Et Christus ad quietem spiritus potius quam ad escam festinans , declinauit ad campos satos. Simile faciens Isaac *Genes.*24. qui tempore cum sibi sponsa præsentaretur , egressus fuerat ad meditandum in agro. Sic Christus cum sibi quæreret desponsari Ecclesiam. Discipuli autem famescentes aruerunt : sicut dicitur 1.*Corinth.*3. Vsque in hanc horam & esurimus,& sitimus,& nudi sumus. *Hebr.*11.Egentes, angustiati, afflicti. Sic ergo ex fame non studiosa præparabant, sed [vellebant] manibus,non elixando , non condiendo , nun saporibus infundendo [spicas]rudes. Hoc enim licebat secundum legem. *Deuter.*23. Si intraueris segetes amici tui,franges spicas, & manu conteres : falce autem non metas [Et manducabant] Non vendebant, nec deportabant : manducabant autem non ad necessitatis suppletiooem , sed ad nimiæ inediæ & debilitatis remedium : quia ex talibus edulium ad refectionem vix sumi potest.

Confricantes manibus] suis. Ecce præparatio rudis,non lauta.Non sunt igitur de quibus dicitur *Philip.*3. Quorum Deus venter est. De quibus dicitur *Amos* 6. Qui comedunt agnum de grege, & vitulos de medio armenti , bibentes in phialis vinum , & optimo vnguento delibuti , & nihil compatiuntur super contritione Ioseph. *Luc.*16. Epulabatur quotidie splendide. Exemplum hinc accipiant successores Apostolorum qui hæreditatem acceperunt sedes eorum. *Psalm* 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij : constitues eos principes super omnem terram. Spicæ tamen etiam significant Scripturarum sententias , in palea literæ inclusas , quæ manibus confricantur quando operum bonorum impletione & studij vellicatione exponuntor,vt sic purum intellectum reficiant. *Leuit.*2.Si obtuleris munus frugum tuarum Domino : de spicis adhuc virentibus torrebis eas igni (sancti Spiritus) & coostringes (per meditationem)

ditationem) in modom fartis (vt conueniens sint nutrimentum) & sic offeres primitias tuas Domino, fundes super ea oleum (vnctionis & gratiæ sancti Spiritus) Similiter autem & virtutis opus quasi de spica euellitur, quando de motibus pœnitentis euocatur. *Genes.* 41. Septem spicæ plenæ pullulabant in culmo vno, hoc est, septem virtutes in corde vno: sicut fortis ille Gedeon *Iudic.* 6. purgabat triticum cum vellet fugere Madian. Tales autem morales expositiones à quolibet de facili fieri possunt.

Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? Et respondens IESVS ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cum esurisset ipse & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant: quos non licebat manducare nisi tantum Sacerdotibus? Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

Ecce murmuratio. Tangit autem duo: astutiam, & nequitiam. Astutiam in hoc quod quidam, & non omnes: vt si confutarentur illi, non omnes essent confusi: si autem vincerent, omnes viderentur esse victores. *Genes.* 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. *Isa.* 8. Inite consilium, & dissipabitur. Nequitia autem est in interrogatione cum dicunt [Quid facitis?] *Matthæus* dicit & *Marcus*, quod dixerunt ipsi Domino. Sed verum est quod primo dixerunt Discipulis: & cum non desisterent, dixerunt Domino, vt compesceret eos, vel efficeretur accusabilis [quod non licet] lege prohibente [in sabbatis] quia plures festiuitates concurrerant in vnam. Vnde *Num.* 15. Lapidatus est qui collegit ligna in sabbato. Et erant cæci: quia ratio humana hoc dicit, quod in quolibet festo licet naturæ satisfacere.

Et respondens IESVS ad eos, dixit] Ecce confusio contradicentis, & vera doctrina dispensationis [Nec hoc] ad intellectum, supple [legistis] Et contra omnem serpentinum morsum Christus Scripturam opponit: sicut supra patuit in tentationibus diaboli, & hic. Dicit autem duo. Primum est, quod ex Scripturis probat, & de rebus & temporibus propter necessitatem esse dispensandum. Secundum autem est, quod apud se ostendit esse dispensandi auctoritatem summam. Primum horum probat per factum Dauid 1. *Reg.* 21. de quo dicit [quod fecit Dauid] Dicitur enim hic Dauid totum illud fecisse quod circa se factum est dispensatione summi Sacerdotis. Et hoc est [cum esurisset ipse & qui cum eo erant] Et hoc fuit cum completam esse didicit malitiam Saul, ad interficiendum eum. Et ideo propter cibum ad suos declinare non audebat, nec etiam ad alios qui proderent eum Sauli: sed spem habens in honestate Sacerdotis Abiathar iunioris, & patris eius Abimelech: declinauit in Nobe villam ad eos, ibi quærens refectionis consolationem, vbi sciuit se non inuenire proditorem Et ideo necessitas illa dispensandi fuit causa. Et ideo locum habuit dispensatio [quomodo intrauit in domum Dei] non ipse Dauid in propria persona, sed Sacerdos & panes propositionis sibi à Sacerdote exhibitos manducauit: eo quod alios panes Sacerdos non haberet, nec Dauid alibi requirere panes ausus fuit [Et] quod plus est, panes eosdem dedit his [qui cum eo erant] pueris. Excusatus hoc fecit necessitate inducta & dispensatione Sacerdotis: quia famescebat, & ad alium locum declinare secure non poterat [quos] panes propositionis [non licebat] propter inhibitionem legis *Leuit.* 23 [manducare nisi tantum Sacerdotibus] *Leuit.* 24. Panes propositionis erunt Aaron Sacerdotis & filiorum eius: & comedent in loco sancto: quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. Vnde Leo Papa. Cum necessitas fuerit dispenset is qui habet potestatem. Sciat autem, quod sicut diximus, dispensatio est iuris scripti, & editæ legis relaxatio ob necessitatem cogentem vel vtilitatem prouocantem inducta. Vnde *Beatus Bernard.* Non sum ego tam rudis quod ignorem vos dispensatores esse positos secundum potestatem quam dedit vobis Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram. Dummodo causam habeat dispensatio, aut necessitatem cogentem, aut vtilitatem prouocantem. Vtilitatem dico non propriam, sed communem. Si enim harum causarum neutram habuerit, non dispensatio, sed crudelis dissipatio est dicenda.

Considerandum in quibus dispensandum est. Sunt enim quæ necessaria fecit sola promittentis voluntas, sicut vota. Sunt quæ necessaria sanciuit superioris auctoritas, sicut iura, leges, & præcepta. Sunt quæ necessaria & venerabilia fecit obseruandorum dignitas, sicut virtutes, quas Dominus commendauit in sermone in monte. Tamen etiam in his quæ præcipiuntur, quædam etiam sua propria dignitate obligatoria, sicut Decalogus Quædam autem sola obligant auctoritate superioris, sicut id quod iam dictum est, quod panes propositionis non comedant nisi Sacerdotes. Quæcunque ergo sua naturali dignitate obligant, nulli penitus & nullius subiacent dispensationi. Ea vero quæ vouentis obligant promissione & auctoritate sola superioris, & præcepto subiacent, & dispensationi superioris, pensata qualitate temporis & loci & personarum pro quibus fiunt: ita tamen quod causam necessitatis vel vtilitatis accipiat dispensatio. Redeamus igitur ad literam.

Et dicebat illis] auctoritatem dispensandi apud se ostendens [quia Dominus est] cuius est ordinare, & condere leges, & dispensare [Filius hominis] licet infirmam naturam assumpserit [etiam sabbati] licet de feriis & sabbato præcepta sint de principalioribus cæremoniis. *Ioan.* 5. Potestatem dedit iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc. Ac si dicat. Pater dedit Filio potestatem iudicariam iudicandi, & iura condendi, & dispensandi. Nec suboriatur vobis admiratio de hoc [quia Filius hominis est infirmus in carne: quia in carne latet deitas Filij Dei, qua omnia ista potest.

Factum est autem & in alio sabbato vt intraret in synagogam, & doceret.

In ista historia directe inducit Sabbati solnti dispensa

dispensationem secundum Iudæorum interpretationem, & non secundum veritatem. Dicuntur autem in ea quinque: facti ex tempore & loco & opere & qualitate infirmi opportunitas, obseruantium malitiosa calliditas, proposita omnibus de obseruatione sabbati & religionis subtilitas, miraculi perfecti omnibus euidens sanitas, & inuidiæ tabescentis confusa malignitas & peruersitas. De primo duo dicuntur: studium Domini circa nostram salutem. & miseria præsentis infirmi expetens sanitatem. Studium Domini diuinum proponitur, tempori congruum, loco debitum, & virtutem ostendens per ipsius actus. Officium diuinum probatur per hoc quod dicitur [Factum est autem] quia sic factum est in tempore prout præfinitum est in æternitate. *Act.* 4. Fecerunt quæcunque manus tua decreuit fieri. Ideo *Ephes.* 3. dicitur, Sacramentum Ecclesiæ à seculis in Deo absconditum [in alio sabbato] simplici, quod non erat nisi simplex sabbatum. *Isa.* 58. Vocaberis sabbatum delicatum & semen Domini gloriosum [Vt intraret IESVS in synagogam] quia tali loco & tali tempore conuenit multitudo, & ideo multis prodesse poterat. 1. *Corinth.* 9. Omnibus omnia factus sum vt omnes lucrifacerem [& doceret] Ecce actus qui est virtutis summæ (quæ sapientia vocatur) officium. *Ioel.* 2. Lætamini in Domino Deo vestro qui dedit vobis Doctorem iustitiæ. Alij enim dicunt. Iste autem docet ad intellectum, imprimit cordi quæ dicit. *Psalm.* 70. Docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronuntiabo.

Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.

Ecce qualitas infirmi præsentis, de quo tria dicit commendabilia, & vnum miserabile. Primum commendabile est, quod in feria sabbati se diuinis exhibuit. Et hoc notat in consignificatione temporis, cum dicit [Et erat] Alterum est, quod locorum sanctorum frequentator fuit. Et hoc tangit per hoc quod dicit [ibi] Tertium est, quod naturæ dignitatem reseruauit. Et hoc est quod dicit [homo] Miseria autem cui subiacebat est in hoc quod dicit [Et manus eius dextera erat arida] In primo notatur quies pectoris in Deo per contemplationem. *Isa.* 58. Si auerteris à sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, vocaberis sabbatum delicatum & sanctum Domini gloriosum. Ac si dicat. Si sabbato quod est requies, corde ad me vadas, & in tuis vanitatibus non discurras: tunc erit tibi in me sabbatum delicatum & sanctum Domini gloriosum. Et ad hoc sunt feriæ institutæ. Per secundum notatur delectatio laudis diuinæ, quæ fit in synagoga. *Psalm.* 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illuc iter quo ostendam illi salutare Dei. *Genes.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. Per tertium notatur imaginis conseruatio. *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. *Eccli.* 17. Ad imaginem suam fecit eum, & secundum se ipsum vestiuit illum virtute.

Et manus eius] Hic describitur qualitas miseriæ, & describitur à tribus: à specie membri, quia manus erat quæ non est simpliciter membrum, sed etiam organum organorum, & intellectus operatiui instrumentum Describitur autem à proprietate membri quoniam erat manus dextra in qua fuit totius virtutis & operis principium. Describitur etiam à nocumento, quoniam erat arida, quæ sola retenta figura manes aruerat, desiccato fonte spiritus & nutrimenti. Desiccato autem fonte spiritus, necesse fuit quod manus vegetatione & sensu & motu destitueretur. Et sic homo iste in hoc quod manu caruit: omni etiam opere quod per intellectum facere potuit, oportuit vt careret. In hoc autem quod dextra caruit, potenti caruit principio iuuamentorum. Et in hoc quod arida fuit, vegetatione, sensu & motu carebat. Hæc autem omnia causantur ex duobus: vno quidem causantur frigido, sensum stupefaciente & motum amputante: alio autem frigido, humorem vegetatiuum amputante. Et sic secundum naturam septem sunt defectus huius hominis: quinque in manu, & duo in fontibus, ex quibus manus suum debuit capere nutrimentum. Destitutus enim manu in vsu manus, destitutus est in artificio intellectus practici, & iuuamine operum: de quo dicitur *Iob* 6. Ecce non est auxilium mihi in me. Multi enim viuunt auxilio manuum. *Prouerb. vltim.* Operata est consilio manuum suarum. Secundus defectus est in carentia dextræ, quæ est carentia adiutorij: sicut multi fuerunt sibi adiutorium per dextram. *Psalm.* 97. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. De vtroque istorum dicitur *Eccli.* 36. Glorifica manum & brachium dextrum. In manu autem tres habuit infirmitates: carentiam vegetationis, quæ pendebat quasi mortua. *Apoc.* 3. Nomen habes quòd viuas, & mortuus es. Secunda est carentia sensus, & tertia carentia motus. Et ideo designat eum qui nihil facit bonorum operum, nullum habet auxilium virtutis, caret vita gratiæ, priuatur sensu bonæ intelligentiæ. Et non habet motum aliquem boni effectus de quo dicitur *Prouerb.* 13. Verberauerunt me, & ego non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Hæc autem omnia mala duo defectus faciunt: frigus scilicet charitatis, & exiccatio pietatis. *Matth.* 24. Refrigescet charitas multorum. Et præcedit: Abundabit iniquitas. Et hoc idem dicitur *Daniel.* 11. Iniquitas autem maxima est impietas in proximum. *Eccli.* 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta. *Zach.* 11. Brachium eius dextrum ariditate siccabitur. Sic ergo iste septem miseriis miser erat. Sed verificatum est de eo quod dicitur *Iob* 5. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.

Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum.

Ecce insidiantium obseruatio. Et dicuntur tria: insidiantium obseruatio, & obseruantium contra scientiam obstinatio, & obstinatorum pessima intentio. De primo dicit [Obseruabant autem eum] hoc est, seruando obsidebant vndique quærentes occasionem. *Iob* 19. Obsederunt in giro tabernaculum meum. *Eccli.* 51. Circumdederunt me vndique: & non fuit qui adiuuaret [Scribæ] qui malignari sciuerunt [& Pharisæi] quorum multum nocuit malignitas. *Psalm.* 72. Prodiit quasi

quasi ex adipe iniquitas eorum [si sabbato curaret]cum in veritate curare solo verbo simplici, non sit opus seruile, sed libertatis perfectæ. Sed considerabant quod infirmi lectos suos portabant vel alia instrumenta quibus fulcirbantur. Et hoc obseruabant. *Ioan.*5. Sabbatum est,non licet tibi rollere grabbatum [vt accusatent] & morti condemnarent [eum] Sicut illum qui collegit ligna in die sabbati *Num.*15. *Matth.*26. Principes & omne consilium quærebant falsum testimonium contra IESVM.

Ipse vero sciebat cogitationes eorum : & ait homini qui habebat manum aridam : Surge & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos IESVS : Interrogo vos, si licet sabbaris bene facere, an male : animam saluam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam.Et extendit : & restituta est manus eius.

Hic tanguntur sex per ordinem : proditio scilicet malignæ cogitationis. Vnde dicit[Ipse vero sciebat] vt Deus quem nihil latet [cogitationes eorum] *Sapient.*1. In cogitationibus impij interrogatio erit. Sermonum autem eius auditio ad Deum veniet. *Matth.*9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? 1.*Reg.*16 Homo videt quæ patent : Deus autem intuetur cor [Et ait homini qui habuit manum aridam] Ecce secundum, iniquæ cogitationis confutatio [surge] sursum te age,non tam corpore quam mente [& sta] tectus rectitudine iustitiæ, & corporis posi iune [in medio] vt à cunctis videatis, & etiam medium virtutis tangere possis [Et surgens] per effectum [stetit]Per operationem enim velociter obediuit. *Act.*5. Obedite Deo oportet magis quam hominibus. *Baruch* 5.Surge,& sta in excelso.

Ait autem ad illos] confutando omnes versutias eorum [Interrogo vos] Ad rationem recurrite *Isa.*46. Redite,redite præuaricatores ad cor [si licet] salua religione [sabbatis bene facere, an male]Et hoc est tertium in quo demonstrato omnibus miserabili languido quærit iudicium rerum rationis. *Iob* 6. Respondete absque contentione: & loquentes quod iustum est,iudicate. Benefacere autem, est benefice impendere beneficium. Male autem facere, non tantum est irrogare maleficium,sed subtrahere beneficium.Hoc autem quod in communi dixerat, quarto explanat [animam saluam facere] beneficium sanitatis impendendo. Animam enim vocat hominem à parte digniori [an perdere] beneficium subtrahendo. *Luc.*9. Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare.

Et circumspectis omnibus] si aliquis responderet. *Ierem* 4. Aspexi terram : & ecce vacua erat & nihil. *Iob* 13.Prius vos ostendendo fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum [Dixit homini: Extende manum tuam] non tam in elargitione neruorum & iuncturarum, quam in liberalitatem miserationum. *Prouerb. vltim.* Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. *Psalm.*144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Vnde sequitur hic sexto de cura quæ sequitur verbum.

Et extendit] quæ ante parcitate contracta fuit [& restitura est sanitati manu eius] Manus enim sanata est, quando innocens est ad proximum, aperta ad pauperem, & directa ad Deum,& omni virtute perfecta ad bonam operationem. De primo *Psalm.*23. Innocens manibus & mundo corde. De secundo *Tob.*4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue:si parum,hoc ipsum impertiri stude. De tertio 1.*Timoth.*2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. De quarto *Cantic.*5. Manus eius tornatiles,aureæ, plenæ hyacinthis Tornatiles quidem propter bonæ operationis volubilitatem. Aureæ propter diuinæ gratiæ splendorem.Plenæ hyacinthis, qui cælestis coloris est, propter bonam in operibus intentionem.

Ipsi autem repleti sunt insipientia,& colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent de IESV.

Istud est vltimum in quo ostenditur mors pessimorum in gustu salutis omnium: sicut talpa moritur ad solem, & venenata ad diffusionem aromatum. Et hoc est quod dicit [Ipsi autem] inuidi Scribæ & Pharisæi, qui sunt ex parte diaboli. *Sapient.*2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui sunt ex parte ipsius [repleti sunt] repletione premente & stomachante. Inuidia enim excæcauit eos, & indignatio repleuit eos [Insipientia] autem vocatur quando homines ignorant seipsos, & nesciunt suam ipsorum quantitatem.Et hoc accidit eis excæcante propria malitia. *Sapient.*2. Excæcauit illos malitia ipsorum : & nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem sperauerunt iustitiæ [Et colloquebantur adinuicem] vitus quod habebant in corde,iam tunc prodentes adinuicem. *Psalm.*5. Sepulchrum patens est guttur eorum, venenum aspidum sub labiis eorum [quidnam facerent de IESV] hoc est, qua morte eum interficerent. Vel qua accusatione damnarent? *Ioan.*11. Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et *infra.* Ab illo ergo die cogitauerunt eum interficere, sed perficere non poterant : quia nondum venit hora eius.

Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

Hic post plenam capitis confirmationem, agit de electione Apostolorum, qui sunt loco Episcoporum, qui primæ dignitatis & ordinis sunt in Ecclesia. Sunt autem in ipsis tria consideranda, quorum primum est electio & electorum informatio. Secundum autem est verbi & doctrinæ dispensatio, quæ octauo capitulo introducitur. Tertium autem est missio & missorum expeditio, & illa tangitur nono capitulo. A decimo autem vsque ad Passionem tangit de ordinatione eorum qui (sicut Presbyteri & diaconi) sunt secundi ordinis in Ecclesia. In hac ergo prima parte agit de electione & informatione Episcoporum : & primum

mum quidem de electione, quæ duo continet. Præmittit enim quædam de forma electionis præcurrentia, & secundo ponit cum suis conditionibus ipsam electionem. Præcedentia autem electionem sunt duo: temporis à Deo præfiniti dispensatio, & præmissa eligentis oratio. De dispensatione temporis sic dicit.

Factum est autem in illis diebus] Non enim iuxta historiam in illis diebus factum est: quia ea quæ ante narrata sunt, post istam electionem sunt facta: sed secundum præfinitionem consilij diuini ad probationem ordinis ecclesiastici. Sic enim tempus ab æuo ire iubet, omnia implens quæ cogitauit perficienda. Ideo in Prophetis sæpe dicitur. Ecce dies veniunt. Sicut *Ierem.* 23. *Daniel.* 12. Claude sermones & signa librum vsque ad tempus statutum.

Exiit] Tangit hic sex spectantia ad orationem, scilicet, orantis ad solitudinem segregationem, spiritus orantis eleuationem, formam quam decet habere orationem, orantis in oratione perseuerationem, tempus quoad orationis & secreti congruitatem, & orationis finem. De segregatione orantis dicit [Exiit] hoc est, à suis intimis & à curis se segregauit: non quia ipse hoc indigeret, sed vt nobis orantibus formam daret. *Matth.* 26. Sedete hic donec vadam illuc & orem. *Luc.* 22. Ipse enim auulsus est ab eis quantum est iactus lapidis. *Genes.* 22. Expectate me hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, cum adorauerimus, reuertemur ad vos. Hoc dixit Abraham seruis suis.

In montem] in quo significat orantis in spiritu & iustitia eleuationem. *Psalm.* 63 Accedat homo ad cor altum. *Ierem.* 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Genes.* 22. In monte Dominus videbit, hoc est, in altitudine spiritus & veritatis. *Ioan.* 4. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. *Psalm.* 67. Mons in quo beneplacitum est Domino habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Orare] In hoc dat formam quam decet habere orationem Intelliguntur autem tres modi & formæ, secundum tres orationis diffinitiones Prima est quoad ea quæ petuntur vt sint decentia, hoc est, ad salutem pertinentia. Vnde *Damascenus* dicit, quia oratio est petitio decentium à Deo. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Secunda forma est secundum affectum orantis, hoc est quod sit deuota & pia oratio. Vnde *Augustinus*. Oratio est pius affectus mentis in Deum directus Pius autem affectus, est liquescens in Deum ex feruore deuotionis & fluens affectus. *Psal.* 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Cantic.* 3. Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij Tertia forma est accepta secundum intellectum orantis, vt exalterur intellectus in veritatem incircumscriptam. Vnde *Ioannes Damascen.* dicit, quod oratio est ascensus intellectus in Deum. Et *Dionysius* dicit, quod virtus orationis est in Deum ascendere & Deo appropinquare. *Eccli.* 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Ista ergo est forma orationis.

Et erat] Ecce in tempore consignato tangitur orationis instantia cum perseuerantia. *Luc.* 18. Quoniam oportet semper orare, & non deficere. *Rom.* 12. Orationi instantes, necessitatibus Sanctorum communicantes. 1. *Thess.* 5. Sine intermissione orare.

Pernoctans] Ecce tempus quieti & secreto orationis congruum intempestæ noctis silentio. *Psalm.* 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Item *ibidem*. Memor fui nocte nominis tui Domine. *Thren.* 2. Surge lauda in nocte in principio vigiliarum tuarum. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

In oratione Dei] Ecce finis. Dei enim est oratio per finem, & non honores, vel diuitiæ, vel deliciæ, vel pertinena ad hoc seculum. Et ideo dicit *Gloss.* [Dei] non seculi. De oratione enim seculi dicitur 1. *Machab.* 9. Orabat autem scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. *Isa.* 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Sed Deum petens in oratione auditur. *Isa.* 38. Audiui orationem tuam, vidi lacrymam tuam.

Et cum dies factus esset, vocauit Discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit) Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, Iudam Iacobi, & Iudam Iscarioten qui fuit proditor.

Hic tangit electionem. Tangit autem duo, quorum primum est electionis forma. Secundum autem electorum nomina. Circa primum nouem innuit formam electionis circumstantia, quorum primum est, vt electio sit clara, nihil habens tenebrarum. Secundum, vt sit indicta. Tertium, vt sit libera. Quartum, vt sit de vita probata Quintum, vt sit diuina. Sextum, vt sit rationabiliter celebrata. Septimum, vt numero congruentissima, vna vnius, & plures plurium. Octauum est, vt sit de pertinentibus ad corporis compaginationem. Nonum quod sequitur, est de sic electi potestate. De primo dicit.

Cum dies] Non in nocte in latebris celebranda est electio, quando ea quæ fiunt non manifestantur claro lumine: quia *Ioan.* 3. Qui male agit, odit lucem. *Ioan.* 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Factus esset] Per hoc notatur dies electioni præfinita & præfixa, ad quam præparati veniant omnes ad electionem: quia aliter furtiua esset electio: & ille qui sic intraret, fur esset & latro *Ioan.* 10. non intrans per ostium notitiæ & approbationis singulorum, sed ascenderet aliunde.

Vocauit] Ecce libertas electionis. Non intrusit violentia vel prece armata, sicut Iason intrare voluit 2. *Machab.* 4. Nec emit, sicut Simon *Act.* 8. Nec generoso sanguini possidendas sedes istas dedit, sicut Alchimius voluit intrare,

sed

sed libera vocantis voluntate. *Hebr.* 5. Nec quisque sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

Discipulos] Ecce qualis eligendus, quia Discipulus. Discipulus autē est, disciplinis imbutus: & si nondū fit imbutus, non est Discipulus, quãuis forte sit de sequentibus ipsū. 1. *Tim.* 3. Non neophytū, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Sunt autem quatuor quæ secundum *Chrysost.* faciunt eum Discipulum. Primum quidem Legis diuinæ professa scientia. *Isa.* 8. Signa legem in discipulis meis & *Tit.* 1. Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Secundum est humilitas quæ necessaria est sedenti in alto. *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Tob.* 4. Superbiam in tuo animo nunquam dominari permitte: quia in ipsa initium sumpsit omnis perditio. Tertium est mansuetudo, quæ necessaria est in susceptione subditorum. *Num.* 12. Erat autem Moyses mansuetissimus omnium virorum qui erant super terram. Quartum est dilectio, quæ ex se producit zelum animarum. *Ioan.* 13. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem.

Suos] Sui sunt, qui serui sui prudentes & fideles sunt: serui per cultum, & mandatorum custodiam: prudentes per bonorum sibi commissorum multiplicationem, & vtilem dispensationem: fideles autem per fidelissimam custodiam. De primo horum *Psalm.* 115. O Domine quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Vnde per custodiam mandatorum venitur ad prudentiam. *Psalm.* 118. A mandatis tuis intellexi. *Psalm.* 115. Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum. Et sic efficitur prudens. Fidelis autem quando nihil de gloria domus Domini sui manibus suis adhæret. *Matth.* 24. *Luca* 12. Quis putas est fidelis & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.

Et elegit] cum discretione. Quia, vt dicit *Damasce.* eligere, est ex duobus vel pluribus propositis, vnum aliis præoptare. *Cantic.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Bonus enim malo, & melior bono, & optimus meliori, debet in ecclesiasticis dignitatibus præoptari. *Ioan.* 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Duodecim] Ecce numerus sacratus. Tamen scias quod duodecim electi debent habere duodecim electiones, & vnus vnam. Quamuis enim à multis nominetur: tamen vt vna sit electio vnius, vnum vnus præ omnibus elegit vnica electione. *Exod.* 18. Prouide ex omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Dicitur autem hic numerus sacratus: quia sacrante primo multiplicante sacratum primum, surgit hic numerus sacrans. Primum est Trinitatis fides. Sacratum primum quatuor partes orbis, Oriens, & Occidens, Meridies, & Septem trio. Et ter quatuor siue quater tria sunt 12. Isti sunt duodecim Patriarchæ fidem generantes *Genes.* 25. Et benedictiones Israël hæreditate possidentes *Genes.* 49. Isti sunt 12. portæ nominibus Patriarchæ intitulatæ, secundum potestatem clauium regnum cælorum fidelibus aperientes *Ezech.* 48. Isti sunt 12. fundamenta, doctrina fidei Ecclesiam sustentantes *Apoc.* 21. Isti sunt 12. principes, ducatu suo Ecclesiam regentes *Num.* 3. Isti sunt 12. exploratores viam ad terram promissionis sua doctrina præmonstrantes *Num.* 13. Hi sunt 12. fontes: verbo salutis Ecclesiam irrigantes *Exod.* 15. Hi sunt 12. lapides, in veste sacerdotali splendore sanctitatis radiantes *Exod.* 28. Isti sunt 12. panes propositionis, verbo gratiæ Ecclesiam nutrientes *Exod.* 25. Hi sunt 12. lapides altaris, soliditate fidei Dominicam passionem & Dominicum sacrificium prænuntiantes *Exod.* 29. Hi sunt 12. vituli quos in figuram Dominicæ passionis factam, in mortificatione cuiuslibet Apostoli Moyses immolauit Domino *Exod.* 24. Hi sunt 12. lapides à Iordane, quos in consimilem articulorum fidei numerum Apostoli ediderunt *Iosue* 3. eleuauit à Iordane, & posuit in ripam. Adhuc autem hi 12. boues sub mari æneo, quos in figura baptismi sanguinis Christi, Salomon supposuit mari æneo 3. *Reg.* 7. Hi sunt etiam 12. leones in throno Salomonis 3. *Reg.* 10 aduersarios fidei fortiter lacerãtes, & fidem contra hæreses defendentes. Hi sunt tandem 12. stellæ in corona Ecclesiæ præfulgentes *Apoc.* 12. splendore exemplorum bonorum Ecclesiam honestantes & ordinantes. Vnde etiam omnia quæ in cælo sunt ad 12. reuertuntur: quos si in duo diuidas, diagonalem efficies radiationem: si in tria, quadrãtam radiationem describes: & si in quatuor, perficies radiationem trigonam. Nec possunt esse in circulo plures radiationes nisi ea quæ est coniunctio, quæ accipitur penes vnum & idem. Sicut ergo, vnum, duo, tria, quatuor, sex, quæ sunt partes duodenarij. omnes perficiunt circuli radiationem. Vnum autem est vnitatis fides. Duo autem, duo quæ sunt in Deo dicunt personam & naturam. Tria autem, tres personas. Quatuor autem, quatuor virtutes. Sex autem, dicunt contemplationes diuinas rationis, fidei, doni sapientiæ & intellectus, beatitudinis quæ est munditia cordis, & fructus qui est certitudo inuisibilium, & sexta quæ est raptus. *Isa.* 6. Sex alæ vni, & sex alæ alteri [Elegit autem duodecim ex ipsis] Significans in hoc, ex ipso gremio Ecclesiæ esse eligendum. *Osea* 2. Dabo eis vinitores ex eodem loco. *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit: & oues illum sequuntur. Alienum autem non sequuntur: quia non nouerunt vocem alienorum. Alienus enim nec nouit consuetudines Ecclesiæ, neque etiam res Ecclesiæ.

Quos & Apostolos nominauit] Ista est potestas consequens data electo: quia missi sunt electi à latere Domini, vice & potestate sua fungentes. 2. *Corinth.* 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit me spernit [Simonem] Ecce nomina electorum [Simonem] quia sic prius vocabatur, quod sonat obediens [quem cognominauit] id est, cognominandum præfigurauit [Petrum] à petra: quia sua confessio *Matth.* 16. immobilitatem præstat Ecclesiæ: *Ioannis* tamen 1. vocat eum Cephas, quod interpretatur caput: quia in caput & verticem Apostolicum eum constituit, non hic, sed *Matth.* 16. Dicunt tamen quod Cephas interpretatur Petrus: quod non est verum nisi à consequente proprietare.

te. Per hoc enim quod caput est, regens Ecclesiam, fundat eam immobiliter in confessione perpetuę veritatis [Et Andream] qui virilis vel respondens pabulo interpretatur. Frater enim obediendis virilis est: quia vir obediens loquetur victorias [Iacobum maiorem & Ioannem] fratrem eius filios Zebedæi [Philippum] à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Socios ergo & conciues adiungit simul: quia in piscatione Simon, & Andreas, & Iacobus, & Ioannes socij fuerunt: Philippus autem fuit conciuis Andreæ & Petri [Et Bartholomæum] qui interpretatur filius suspendentis aquas. Et solus iste, vt dicitur, inter Apostolos & nobilis & Philosophus fuit. Et ideo dicunt dicere Apostolum 1. *Corinth.* 1. Non multos sapientes vocauit Deus, non multos potentes, non multos nobiles: sed quæ infirma sunt vocauit Deus, vt confundat fortia: & quæ stulta sunt vocauit Deus, vt confundat sapientes: & ignobilia & contemptibilia: & ea quæ non sunt vocauit Deus, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro coram illo [Matthæum] telonearium [& Thomam] Matthæus tamen decimus postponit se Thomæ propter humilitatem: quia de se sentit humilia. 1. *Corinth.* 15. Ego sum minimus Apostolorum. Matthæus additus interpretatur: quia ex profundo peccatorum Apostolis est additus. Thomas autem Didymus, hoc est, dubius, interpretatur abyssus: quia ex abysso multa iudiciorum Dei, fide certificatus fluctuantes certificauit [Iacobum] minorem [Alphæi] filium qui fugitiuus interpretatur vel docens. Hic autem Iacobus tam similis corpore & religione Domino fuit quod frater Domini meruit appellari. Et ideo defuncto sine prole Domino, successit ei ducens vxorem Domini Ecclesiam Ierosolymitanam, in qua post Dominum fuit Episcopus: & ideo dispersis scripsit epistolam, quæ prima est inter Canonicas septem epistolas [& Simonem] Cananæum, fratrem Iacobi minoris [qui vocatur] cognomine [Zelotes] propter zelum boni quem habuit in Christum [Iudam] fratrem [Iacobi] qui cognominabatur [Taddæus] quod interpretatur corculus propter cordis puritatem. Hi enim tres erant fratres, & quartus frater erat Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominabatur iustus, qui cum Matthia sortes habuit ad Apostolatum *Act.* 1. [& Iudã Iscarioten] sic à vico vnde natus fuit, dictum. Et ostendit in hoc Dominus, quod præsens iustitia consideranda est in eligendo, & non futuri casus. Et ideo sequitur [qui fuit proditor] futurus: quod tamen Dominum nostrum IESVM latere non potuit. Sed nobis in hoc, vt dictum est, formam dedit. *Ioan.* 6. Non erat ei opus vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Et descendens cum illis de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à langoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Hic dat electis formam doctrinæ. Tangit autem duo, quod scilicet coram multitudine docuit, & quid docuit. Multitudinem autem diuersificat penes loca vnde venit, docens locum in quo stans docuit, & quos docuit. Dicit ergo quod [Descendens de monte] hoc est, de supremo montis vertice, vbi discipulos in Apostolos elegerat, & vbi totum illum sermonem quem *Matthæus* 5. scribit, habuerat [stetit] in latere eiusdem montis [in loco campestri] hoc est, vbi latus montis in planitiem campi extendebatur. Et tamen non in toto peruenit ad campi humilia. Ibi enim in latere montis resederat turba, suprema altitudinis penetrare non valens. *Genes.* 19. Neque enim possum in montem ascendere, ne forte apprehendat me malum. Vnde ibi reperiuit quædam humiliora sermonis, capacitati turbæ congruentia. 1. *Corinth* 3. Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi non escam.

Et turba discipulorum eius] quæ venit vt audiret verbum illius. *Psalm.* 102. Potentes virtute qui facitis verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius [& multitudo copiosa plebis] Simplices enim sequuntur Dominum. *Psalm.* 24. Simplices & recti adhæserunt mihi [ab omni Iudæa] quæ à Pilato procurabatur [& Samaria] qui nouerant eum ex fama mulieris ad eum venientes *Ioan.* 4. Samaritani autem quinque libros Moysi recipiebant: & tamen erant Gentiles [& Ierusalem] vbi erat summa potestas sacerdotij pariter & regni [& maritima] non à mari Galilææ, sed à vicinia maris magni. Quod est mare occidentale, dictum Tyrrenum, propter opulentissimam ciuitatem Tyrum adiacentem. Et hoc est [Et Tyri] ciuitas Gentilium [& Sidonis] quæ est adiacens in parte vna prouincia. Et hæc tanguntur, vt mirabilis facta sit scientia sermonis Domini, quæ tot, & à tam dispari cultu, & de tam remotis ad Dominum traxit regionibus [qui venerant] sua relinquentes [vt audirent eum] Nec satiabatur oculus eorum visu, nec auris auditu *Eccle.* 4 [& sanarentur à langoribus suis] Omnes enim sanabat qui fidem habebant in ipsum.

Et qui vexabantur à spiritibus immundis] sicut supra patuit [curabantur] *Luc.* 11. Si in digito Dei eiicio dæmonia [Et omnis turba quærebat eum tangere] tactu fidei, & tactu corporis: quia tactu sua caro viuifica, statim omnes immutauit ad sanitatem [quia virtus] deitatis [de illo exibat] in tactu quo tetigit [& sanabat omnes] Tangit enim Christus omnes quos interiori sanitate confirmat. *Luc.* 8. Tetigit me aliquis. Ego enim cognoui virtutem de me exisse. Sicut enim fons aquæ scaturit & fluit aquam: ita fons spiritus emittit indeficienter virtutem sanitatum, dummodo fide & deuotione tangatur. Non tangentem enim fide, non permittit tangere corpore. *Ioan.* 20. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum, in fide scilicet cordis tui.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat.

Hic tangit ea quæ pertinent ad doctrinam electorum.

torum. Quamuis enim turbis loqueretur: tamen specialiter instruit hic discipulos de perfectione. Et hoc est quod dicit [Et ipse] Doctor iustitiæ [eleuatis oculis] vt eleuatio oculorum, deuotionem dicentis & altitudinem indicet dicendorum. *Ioan.* 11. Oculis in cælum eleuatis, dixit, Gratias ago tibi Pater &c. Eleuans autem oculos direxit in eos quos specialiter dilexit, & quos specialiter instruere intendit. Et hoc est [in discipulos suos, dicebat] *Sapient.* 4. Respectus eius. *Psalm.* 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Sicut enim extra ad discipulos radium direxit oculorum: ita interius direxit lumen intelligentiæ, vt intelligerent audita. *Ioan.* 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Psalm.* 18. Deus meus illumina tenebras meas.

Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei.

Hic incipit instructio, & habet duas partes. Primo enim eleuat intentionem ad beatitudinem, & consequenter docet viam, qualiter ad beatitudinem peruenitur. Ad beatitudinem autem eleuans intentionem, primo docet beatitudinem, & meritum eius, & præmium. Secundo autem sub interminatione maledictionis, ponit beatitudini oppositum. Beatitudinem autem commendans, ponit quadruplex beatitudinis meritum, & quadruplex beatitudinis præmium. Primum autem horum quatuor sumitur in abdicatione perfecta eorum quæ beatitudinem impediunt, quæ sunt bona fortunæ. Secunda autem & tertia beatitudo consistit in protendendo desiderium ad beatificans bonum. Quarta autem in fortissima adhæsione boni beatificantis iam adepti. Et est ista diuisio penes ea sumpta, quæ natura fecit in perficiendo naturalia. Hæc enim primo remouet impediens contrarium: deinde dat motum ad finem perfectum: tertio confortat hoc ne ab alterantibus iterum destruatur, sed resistat & teneat hoc quod iam percepit bonum. Dicit igitur.

Beati pauperes] &c. Facit autem tria: beatitudinis prædicationem, meritum ipsius quoad impedientium abdicationem, & proprium eius præmium quoad illud meritum. Dicit igitur [Beati] nunc spe, & in futuro re ipsa [Beati] inquam, quia operationem habentes secundum perfectam animi virtutem, si abducentia animum à se abdicabunt. Dicit enim *Arist.* quod beatitudo est actus vel operatio non impedita, quæ est secundum perfectam animi virtutem. Perfecta autem virtus animi radicata & deputata quæ proprie animi est, sicut prudentia, vel sapientia, vel quod melius est vtraque. Prudentia quidem in eligendis, & sapientia in cognoscendis & saporandis. Hæ enim virtutes non habebunt perfectam operationem, si cor retrahatur exterioribus. *Matth.* 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Vnde *Eccli.* 31. Beatus vir qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Hoc igitur modo isti beati sunt secundum veram beatitudinis rationem. Et tangit meritum dicens.

Pauperes] Pauper est vt dicit *Augustinus*, non sufficiens sibi, & est vere pauper spiritu cuius spiritus sibi causa est paupertatis. Spiritus autē dicitur hic mens vel ratio secundū animi potestatē & habitudinem ad verā ipsius perfectionē. Si enim directe illa mēsura potestatis animi percipiatur, tunc animus diuinis perficitur, & exterioribus occupatus impeditur. Cognoscens ergo se sibi esse insufficientem, possessione exteriorum bonorum, & ideo reuocato corde ab eis alia esse quærenda: vere spiritu pauper est. Vnde omnium ditissimus rex de se dixit *Psalm.* 24. Vnicus & pauper sum ego, hoc est, singulariter pauper.

Est autem hæc paupertas in subiiciendo & in abiiciendo ea. De subiectione *Psalm.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Tobiæ* 4. Pauperem quidem vitam gerimus: sed multa bona habebimus si Deum timuerimus. De abiectione *Matth.* 8. Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Sunt alij pauperes quos necessitas infelicis fortunæ pauperes facit, de quibus nihil ad præsens. *Apoc.* 3. Miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper. Verus enim pauper semper dicit: Sufficientia nostra ex Deo est. 2. *Corinth.* 4. Nullam autem sufficientiam quærit in præsentibus. Et si quærat, quærit in ipsis necessitatis sustentationem. *Hebr.* 13. Sint mores sine auaritia, & contenti præsentibus. Si autem aliquid vltra necessitatem inuenitur, de hoc instrumentum facit virtutis per eleemosynas & beneficentiam. *Hebr.* 13. Beneficentiæ & hospitalitatis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Ecce hoc est meritum paupertatis. Subiungit autem præmium, dicens.

Quoniam vestrum est regnum Dei] Dicit de primo, quid sit, & qualiter habeatur. Est autem regnum, potestas distributa proportionaliter in anima finibus, bonis, legibus, & ordine. Finibus quidem, vt vnumquodque stet in fine suæ perfectionis. Bonis autem, vt vnumquodque suum & connaturale sibi habeat bonum & optimum. Legibus autem, vt vnumquodque ius suum custodiat. Ordinibus, vt quodlibet gradum suum custodiat positionis. Tunc enim nihil deest in anima, & nihil deest in ciuitate, si hæc proportionaliter sint in ciuibus. Nihil deest in gente, si hæc secundum gentis genealogiam seruentur à gente. Et hoc est quod dicit *Dionys.* quod regnum est omnis finis, boni, legis, & ordinis distributio. *Matth.* 6. Adueniat regnum tuum. *Apoc.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum. *Sapient.* 5. Accipient de manu Domini regnum decoris & diadema speciei. *Psalm.* 40. Regnum tuum regnum omnium seculorum. Hæc enim perfecta est potestas, in qua nihil est impotentiæ. Erit enim vnumquodque suis finibus perfectum, quodlibet suo bono optimum, singula suis legibus æquissima & rectissima, & suis ordinibus omnibus singula, & singula omnibus erunt congruissima. Et ideo hoc regnum vocatur regnum decoris.

Dicitur autem hoc regnum Dei tribus rationibus. Vna quidem: quia primum exemplar eius Deus est, à quo progreditur. Secunda autem: quia omne quod perficit & constituit regnum illud, diuinum est, siue sit finis, siue bonum, siue lex, siue gradus ordinis. Tertia vero: quia finis eius Deus est. Ex Deo enim est, & per Deum est, & in ipsum est. *Rom.* 11. Ex ipso, & per ipsum, & in

ipſo ſunt omnia. Ipſi bonor & gloria. Et ideo eſt regnum æternum: quia retorquetur in circulum qui eſt æternus. Ex Deo enim eſt, & per ipſum, & in ipſum. 1. *Corinth.* 15. Vt ſit Deus omnia in omnibus. *Apocal.* 12. Facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius. Hoc regnum à *Matth.* 5. vocatur regnum cælorum: eo quod hoc regnum iam perfecte in cælis obtinuit. In terra aliquando ourat turbatum. *Matth.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Dicit autem *Gloſſ.* quod hæc beatitudo eſt virtutis temperantiæ, quæ facit cordis munditiam. Et hoc eſt non propriè dictum: ſed quia qui (ſicut dictum eſt) pauper eſt, temperat ſe à deliciis, noo vtens eis niſi ad neceſſitatem, eo quod abiieit res mundi, delectationes facientes. Nec enim delectantia abiicit, qui delectari in carnalibus intendit. Et quoad hoc loquitur *Gloſſ.* Similiter autem eum ſe ab exterioribus impedieotibus abſtrahit, in hoe munditiæ cordis ſtudet: quia turbationum occaſiones amputat. Et ſic beatitudo munditiæ cordis ad iſtam reduci aliquo modo (impropriè tameu) videtur. *Lucas* enim non ioteodit vnam reducere ad aliam; ſicut nos inferius explanabimus. Sequitur.

Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini.

Hic ſicut in præcedenti tangit altitudinem meriti, meritum, & præmium. Altitudinem tangit per hoc quod dicit [Beati] hoc eſt, actum ſiue operationem non impeditam ſecundum animi perfectam virtutem habentes. Fit autem iſta operatio quando nihil præſentium inuenitur, quod deſiderio boni, quod eſt in corde ſatisfaciat: ſed ſemper æſtuans manet, & intenditur plus & plus de die in diem. Et hoc eſt quod dicit *Pſalm.* 72. Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? *Pſalm.* 58 Famem patientur vt canes, hoc eſt, inſatiabilem: & circuibunt ciuitatem, hoc eſt, Sanctorum habitationem. 1. *Corinth.* 4. Eſurimus & ſitimus vſque in hanc horam. *Pſalm.* 62. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! Iſtud igitur eſt omni perfectione perfectius deſiderium, & eſt perfectæ virtutis & non impeditæ, & ideo eſt beatitudo. Dicit autem [qui nunc] in præſenti: quia fames iſta non eſt niſi nunc. *Pſalm.* 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Pſalm.* 64. Replebimur ab vbertate domus tuæ [eſuritis] hoc eſt, eſuriem edacem & inſatiabilem boni habetis. Hæc enim eſuries nunquam ſinit nos quieſcere à boni inquiſitione, nunquam ſatiari in boni refectione, nunquam faſtidire in boni perfectione De inquiſitione *Prouerb. vltim.* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem ſuum. Nauis enim inſtitoris ſemper eſt velis ad ventum expoſita: panem negotiando de longe inquirit. Sic eſuriens bonum ſemper tendit mentem, intellectum, & affectum, ad ſtatum ſancti Spiritus, quo aduehatur internæ & æternæ dulcedini, qua reficiatur. De inſatiabilitate *Eccli.* 24. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. De eo quod nunquam faſtidit *Ioan.* 6. Da nobis ſemper panem hunc. *Sapient.* 8. Erit allocutio tædij mei.

Quia ſaturabimini] bono ſcilicet quod omnis boni bonum eſt, quod in hæreditatem accipient. Saturabuntur autem ad plenitudinem, ad delectationem, & ad eructationem. Ad plenitudinem quidem *Pſalm.* 64. Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum. *Pſalm.* 147. Ad ipe frumenti ſatiat te, hoc eſt, dulcedine grani diuini. De delectatione *Iſa.* 55. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. De eructatione *Pſalm.* 144. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt. Hæc autem impletio eſt capacitati ſupereffluens, delectationi ſemper vltra quam cogitari poteſt conueniens, & eructatione nihil niſi dulcedinem diuinam oſtendens. De primo *Luc.* 6 Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. De ſecundo *Pſalm.* 16. Delectationes in dextera tua vſque in finem. De tertio *Cantic.* 4. Emiſſiones tuæ paradiſus ſunt. Hæc beatitudo, vt dicit *Gloſſ.* attribuitur iuſtitiæ: quia nunc eſurientes ex his quæ ipſi patiuntur, diſcunt aliis compati, & ſic tribuere ſua, & non rapere aliena. Et comprehendit ſub ſe miſericordiam, quæ eſt vna beatitudo enumerata. *Matth.* 7. Et patet quod adaptatio iſta eſt valde remota & impropria. *Rom.* 12. Qui tribuit in ſimplicitate, qui miſeretur in hilaritate. 2. *Corinth* 9. Non ex triſtitia aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Sequitur.

Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

Item hæc beatitudo ſumitur ſecundum operationem perfectæ virtutis diuinæ, ſicut & anterior. Sicut enim perfectum virum nihil reficit præſentium: ita nihil conſolatur mundanorum. Et ideo *Philip.* 1. dicit. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, multo magis melius. Et illud 2. *Corinth.* 5. Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe ad Deum. Hoc enim modo actus eſt perfectæ virtutis. Tangit autem meritum cum dicit.

Qui nunc fletis] Flere enim eſt nunc in præſenti tempore, in quo nihil conſolatur. *Thren.* 1. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eios, & non eſt qui conſoletur eam. Eſt autem hic fletus maximè deſiderio patriæ & præſentiæ diuinæ *Pſalm.* 31. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus. Plorat autem etiam aliquando pro incolatu huius miſeriæ. *Pſalm.* 136. Illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Plorat autem etiam aliquando pro inſtantia hoſtis in tentatione. *Thren.* 1. Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquam: quia longe factus eſt à me conſolator, conuertens animam meam. Plorat etiam iſte inceſſanter pro peccatis alienis. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontes lacrymarum, plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. Iſte autem beatus vnde ploret pro peccatis propriis, non habet: quia beati eſt non peccare peccato flebili: & ſi plorat, tunc plorat dubium ſtatum ſui. *Iob* 3. Antequam comedam ſuſpiro, & tanquam inundantes aquæ ſic rugitus meus: quia timor quem timebam euenit mihi, & quod verebar accidit. Si autem plorat peccatum, hoc eſt, quod bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. *Pſalm.* 6.

Lauabo

Lsoabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Plorat etiam damnationem aliquando proximi, timens de pœnis inferni proximo: & quando resipiscit, lætatur. *Psalm.* 114. Eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Hæc omnia plorat, vt dictum est: quia in hac vita nihil inuenit vnde consoletur. Subiungit autem mercedem huius meriti, dicens.

Quia ridebitis] Ridebit autem quando omnis audiens bonum suum corridebit ei: eo quod risum sibi fecit Dominus *Genes.* 21. Risus enim prouenit ex dilatatione, cordis sui latitudine, per colliminationem etiam os extendens moderate. *Prouerb. vltim.* Ridebit in die nouissimo. Tunc enim erit tempus ridendi. Modo autem tempus est flendi, sicut diximus. Tunc autem fiet quod *Apoc.* 7. dicitur. Absterget Deus omnem lacrymam ab omni facie: & mors vltra non erit, neque clamor, neque luctus: quæ prima abierunt. Ista est ergo hæc beatitudo. Sub hac autem dicit *Gloss.* laudari prudentiam, qua cognoscitur quam misera sint hæc terrena, & quam beata cælestia: sub qua comprehenditur illa quam ponit *Matthæus:* Beati pacifici: quia facit pacem pectoris & æternitatis, dum nec turbatur nec turbat. Et hæc est adaptatio etiam extorta & non propria.

Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo. Secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

Hæc item est beatitudo secundum perfectam operationem & non impeditam virtutis completissimæ, quæ bonum conceptum tenet, nec auellitur ab eo alicuius timoris periculi causa quin immobilis permaneat in bono. *Iacob.* 5. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Hic autem dicit [Eritis] non, estis: quia in veritate in sustinendo miseria est, sed post sustinentiam certissima beatitudo. 1. *Petr.* 1. prænuntians quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. Tangens autem actum meriti, tangit quadruplex meritum: quod tamen totum ad actum reducitur fortitudinis. Odium enim sostinent à corde. Et de hoc dicit [Cum vos oderint] ira confirmata & inueterata [homines] humum & non cælum sapientes. *Psalm.* 34. Odio habuerunt me gratis. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt [& exprobrauerint] Ecce probra oris. Exprobrare. hoc est, probris & conuiciis exterminare. *Iob* 16. Aperuerunt in me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam. *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis [& cum separauerint vos] à se extra synagogas tanquam excommunicatos faciendo. *Ioan.* 9. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt siquis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret. *Iob* 16. Absque synagogis facient vos [& eiecerint] Ecce tertium. Nomen autem illud est nostrum cognomen quo à Christo dicimur Christiani: quod nomen est inimicum infidelibus, & ideo eiicitur. 1. *Corinth.* 4. Tanquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. *Isa. vltim.* Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres vestri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum [tanquam malum] hoc est, tanquam infaustum. Putabant enim sonante nomine Christiano sibi infausta debere occurrere. *Act.* 4. Vocantes eos, denuntiauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine IESV, tacto in malo illato. Quia passio non facit martyrem, sed causa: ideo subiungit finem dicens.

Propter Filium hominis] In hoc enim scandalizabantur: quia Filium hominis dixerunt Deum. *Ioan.* 10. Nos de bono opere non lapidamus te: sed quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. 1. *Petr.* 4. Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida & fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. In hac autem beatitudine, vt dicit *Gloss.* commendatur fortitudo quæ facit mansuetum. Et sic illa beatitudo quā dicit *Matthæus*: Beati mites, continetur sub ista. Fortis enim est qui vincit iram & alios motus animi. *Prouerb.* 16. Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Subiungit autem sicut in aliis mercedem, dicens.

Gaudete] Tangit autem duo: promissionem mercedis, & exemplum. De primo dicit [Gaudete] corde [in illa die] mentis illuminatione [& exultate] corpore. *Isa.* 60. Videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, hoc est, vniuersæ amaritudinis. *Deut.* 33. Inundationes maris quasi lac sugent thesauros occultissimos arenarum, hoc est, insultus persequentium pro dulcedine lactis sugent in consolationem, thesauros meritorum congregantes de rabie tyrannorum. *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.

Ecce enim] Ostenditur, parata pretiosa debita multa & in tuto collocata: parata quidem per demonstrationis aduerbium [Ecce] *Psalm.* 126. Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, Filij merces [merces] pretiosa 1. *Petr.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni tanquam immaculati Christi. 1. *Corinth.* 6. Empti enim estis pretio magno, glorificate ergo & portate Deum in corde vestro [vestra] Ecce possessa & ad nutum habita. *Genes.* 15. Ego merces tua magna nimis. *Sapient.* 10. Reddidit Deus mercedem laborum suorum sanctorum [multa est] quantitate, & magna: quia de multis & magnis gaudebunt. *Matth.* 25. Supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Sapient.* 3. In paucis vexati, in multis bene disponentur. 2. *Corinth.* 4. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis [In cælo] Ecce locus tutus. 1. *Petr.* 1. Regenerauit nos in spem viuam: in hæreditatem incorruptibilem, & immarcescibilem, & incontaminatam, conseruatam in cælis. *Matth.* 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo

nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt neque furantur.

Secundum enim hæc] Exemplum est indubitatum [faciebant patres eorum] Et ideo dicti sunt genimina viperarum, venenati venatorum filij [Prophetis] veris. *Act.* 8. Dura ceruice & incircuncisis cordibus & auribus: vos semper Spiritui sancto restitistis: sicut & patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis. Attende autem quod *Lucas* non ponit nisi quatuor beatitudines: cum *Matthæus* ponat octo. *Lucas* enim non ponit aliquam nisi quæ actum habet respectu æternitatis, & nullam ponit penes actum specialis virtutis. *Matthæus* autem ponit & istas, & quæ penes quasdam speciales virtutes accipiuntur. Paupertas enim non est specialis virtutis, sed potius consideratio quod nihil præsentium præstet sofficientiam. Et ideo suspirat ad alia bona tanquam in præsentibus insufficiens & destituta. Esuriens autem est ad vere reficiens bonum, sicut dictum est: & luctus ad vere consolans. Persecutionis autem sofferentia non tam fortitudinis est, quam etiam fortissimi affectus illius boni ditantis & reficientis etiam consolantis, ne amittatur id quod habetur de ipso. *Matthæus* autem considerat tam ista quam ea quæ disponunt ad ipsa: sicut mansuetudo, quæ disponit ad patientiam: misericordia, quæ disponit ad visionem vere ditantis & lætificantis: pacificatio, quæ æquanimitatem dat in aduersis. Talia autem non considerat *Lucas*, qui non nisi perfectissima colligit. Et ideo Christus oculos ad discipulos dirigit, & eos, vt dicit quædam *Gloss.* non lacte sed solido cibo pascit.

Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.

Hic tangit maledictiones quatuor, directe quatuor beatitudinibus inductis oppositas. Et ideo patet diuisio. Contra paupertatem enim dicit [Veruntamen] Licet ita beatificem bonos: quia tamen mali promissionibus non trahuntur, sed potius minis pungantur: ideo [Væ] comminationis æternæ [vobis] discretiue [diuitibus] voluntate & possessione, quos possident diuitiæ, & ideo vos vobis sufficere reputatis. Omnis enim diues aut est iniquus, aut hæres iniqui. Quia si voluntate diues est, habens cor sepultum in diuitiis, iniquus est. 1. *Timoth.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Si autem non habet cor ad diuitias, sed vere pauper est voluntate, & habitu diues: tunc est hæres iniqui. Quia quod omnibus in communi ad vsum datum est, ipse possidet vt dispensator. *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. De diuitibus tamen voluntatem ad diuitias habentibus loquitur, de quibus *Eccle.* 5. Qui amat diuitias, fructum non capit ex eis. Cuius ratio redditur *Eccle.* 5. Quid prodest possessori, nisi quod cernit oculis diuitias suas? *Prouerb.* 11. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. 1. *Timoth.* 6. Præcipe diuitibus huius seculi, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.

Talibus enim diuitibus [Væ] est æternæ damnationis propter tria. Propter inutilitatem diuitiarum, propter permanentem ex diuitiis rubiginem, propter Sanctorum irrisionem. De inutilitate dicitur *Sapient.* 5. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid nobis contulit? *Psalm.* 75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Redimere animam suam diues diuitiis non poterit. *Prou.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: neque acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima [Væ ergo vobis diuitibus] De rubigine dicit *Iacob.* 5. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Diuites etiam pauperes sanctos irridere consueuerunt. Et ideo subiacent maledictioni. *Sapient.* 5. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. *Iacob.* 2. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi pertrahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos? Isti enim maximè dicuntur hic diuites qui in exterioribus fortunæ subiacentibus, ponunt sufficientiam: eo quod vident talia futurarum corporalium necessitatum quorundam esse fideiussores. Non enim omnem defectum redimunt, sed tantum exteriorum, quæ sunt in cibis, & potibus, & vestimentis. Febribus enim, & aliis infirmitatibus, & dubiis, & ignorantiis non sufficiunt. Sic ergo.

Væ vobis diuitibus] Triplex, inquam, væ: laboris, timoris, & doloris. Laboris in acquirendo, qui conuertitur in laborem sine requie. Timoris in possidendo, qui conuertitur in timorem sine omni spe & cum perpetua desperatione. Doloris in amittendo, qui in dolores æternos conuertitur sine omni consolatione. *Isa.* 24. Formido & fouea & laqueus super te qui habitator es terræ. Habitator enim terræ diues est, cuius cor sepultum est in diuitiis, quærens in eis sibi sufficere & pro sufficientia illa securitatis, perpetuos habebit timores: pro consolatione diuitiarum, perpetuos dolores: pro libertate faciendi quod voluit per diuitias, perpetuam hæreditabit foueam carceris absque requie laboris. [Væ ergo vobis] in præsenti laboris, timoris, & doloris, & in futuro similiter. *Eccle.* 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, nisi fructum qui dictus est: cuius causa redditur *Prouerb.* 11. Qui confidit in diuitiis suis, corruet.

Væ ergo vobis] Propter diuitiarum incertitudinē, propter annexam diuitiis anxietatem, propter diuitiarum breuem consolationem & perpetuam desolationem. De incertitudine. 1. *Timoth.* 6. Præcipe diuitibus non sublime sapere, & non sperare in incerto diuitiarum. Sumant enim exemplum ab illo diuite, cuius vberes fructus ager obtulit: qui dixit, Anima habes multa bona reposita in annos plurimos: comede ergo, & bibe, & epulare. Et dictum est ei *Luc.* 12. Stulte hac nocte repetent animam tuam: & quæ præparasti cuius erunt? De

anxietate

anxietate dicitur 1. *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum & in tentationem diaboli,& in desideria multa & nociua,quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. De breui consolatione & perpetua desolatione dicitur similiter *Iob* 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferni nouissima descendunt. Punctum enim indiuisibile est,& breuem & momentaneam huius vitæ consolationem significat.

Væ ergo vobis diuitibus] propter vestram contra naturam peruersitatem, propter omnis boni impedimentum à vobis procuratum, propter remanens in vobis in æternum innaturale desiderium. Peruersitas enim contra naturam est,amare diuitias vt finem in eis ponendo. Humanum enim desiderium & naturæ capacitas ad hoc est, quod spiritualia bona ditent, & sufficientes nos faciant,quæ non in cor hominis ascendant, sed ad quæ cor hominis ascendit. 1. *Corinth* 2. Quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit,quæ præparauit Deus diligentibus se. Hoc igitur neque aurum est,neque argentum, neque temporales diuitiæ. *Isa.* 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Vnde dicit *Augustinus*,quod peruersitas humana est frui vtendis, & vti fruendis. Et hoc facit diues. De impedimento boni dicitur *Habac.* 2. Væ ei qui multiplicat non sua:vsquequo etiam aggrauat contra se densum lutum? Diuitiæ enim sunt omnis boni impedimentum, quando cor apponitur. Vnde *Plato* pergens ad academiam habens aurum in sinu non potuit philosophari propter occupationem cordis circa aurum, & proiecit in mare aurum, dicens:Melius est perdere aurum, quam cor humanum. Habet etiam hoc, quod qui moritur in appetitu diuitiarum & delectatione, perpetuo tenebitur illo desiderio : & tamen quod desiderat nunquam habebit. *Eccls.* 10. Nihil est scelestius quam amare pecuniam : hic enim & animam suam venalem habet:quia in vita sua proiecit intima sua.Ideo dicitur *Eccls.* 5. Noli attendere ad possessiones iniquas,& ne dixeris:Est mihi sufficiens vita. Nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. Subiungit autem causam maledictionis quando dicit.

Qui habetis hic consolationem vestram]Consolans est, quod naturam ex defectu reflorere facit. Vnde id consolatur in quod natura occurrens vndique diffunditur & aperitur & fluit ad ipsum: vt totum vndique capiendo imbibat, & coniungat intimis omnibus. Tale autem consolans hic ponunt sibi diuites exteriora fortunæ bona, quæ nec veram hominis naturam possunt attingere: sed extrinsecus sunt, nec naturæ imbibi, neque naturæ sunt connaturalia, sed animalitati ad tempus pro necessitate seruientia.Peruersitas ergo est,in talibus consolari. Et ideo dicit *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Diuitiæ enim non dant,sed promittentes mentiuntur sufficientiam. *Eccle.* 5. Quid prodest possessori,nisi quod diuitias videt oculis suis? Q.d. Nihil. Hic ergo & nunc posuerunt consolationem suam: & ideo in futuro nihil habebunt. *Luc.* 16. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua,& Lazarus similiter mala.Nunc vero hic consolatur,tu vero cruciaris.

Væ vobis qui saturati estis:quia esurietis.

Ecce secunda maledictionis interminatio,contraria secundæ beatitudini. Vocatur autem hic saturitas, quietatio desiderij in temporali bono, reficiens brutalitatem. Et talem quærunt saturitatem voluptuosi, quos *Gloss.* vocat epicureos:non ideo quod epicurei Philosophi his intenderint,sed quia nulla intellectualia bona vel principia esse dicebant:omnia ad sensibilia,vel similitudines vel tationes sensibilium referentes. Et ex hocquidam peruersi non nisi voluptates corporeas inquirendas pro beatitudine prædicauerunt, humanam vitam ad vitam pecudum comparantes : sicut & diuites de quibus dictum est, felicitatem ad bona fortunæ retulerunt:sicut dicitur *Sapient.* 15. Existimabant vitam hominis compositam esse ad lucrum,& oportere vndecunque etiam ex malo acquirere. Ita isti totam vitam voluptati ascripserunt, reficiens & beatificans hominem in sensibilibus esse perhibentes. Istis ergo interminatur maledictionem,ponens actum mali meriti & causam maledictionis. Interminatur autem maledictionem cum dicit.

Væ vobis]confusionis, excæcationis,& æternæ damnationis. Confusionis quidem:quia magna est ignominia honorem imaginis Dei ad reficiens brutalitatem referre. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione. *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset,non intellexit:comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Tales etiam excæcantur mente quod bona spiritualia credere non possunt. Vnde *Sapient.* 2. dicunt: Vino pretioso & vnguentis nos impleamus. Et *infra.* Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa lætitiæ:quoniam hæc est pars nostra,& hæc est sors. Et in fine Capituli dicit. Hæc cogitauerunt & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia eorum. De damnatione autem æterna sine consolatione *Luc.* 16. Mitte lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam : vt refrigeret linguam meam &c. Nec inuenire potuit guttam aquæ in consolationem.

Qui saturati estis] toto desiderio quietati, in refectione falsa quiesceritis, hoc pro fine vestræ felicitatis & beatitudinis ponentes. 1. *Corinth.* 4. Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis. Saturitas autem sonat in plenitudinem, in arctationem, in oppressionem, in nauseam, in fœtidam eructationem, in vomitum. Et de plenitudine quidem dicitur *Sapient.* 2. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus. *Psalm.* 77. Manducauerunt & saturati sunt nimis. De arctatione dicitur *Iob* 20. Cum satiatus fuerit, arctabitur,& omnis dolor irruet super eum. Arctatus enim saturatus adhuc non cessat. Ita deludit fauces delectabilium saporibus:& ideo arctationem vteri sequitur oppressio & grauatio. *Luc.* 21. Videte ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. De nausea autem *Num.* 21. Anima nostra nauseat super cibo hoc leuissimo. *Num.* 11. Det vobis Dominus carnes vt comedatis, non vno quidem die, nec duobus, aut quinque, vel decem, vel viginti quidem,sed vsque ad mensem dierum,donec exeat per nares vestras & vertatur in nauseam. De fœtida autem eructatione *Psalm.* 143. Eructantia

ex hoc in illud. De vomitu autem *Isa.* 28. Omnes mensæ repletę sunt vomitus sordiumque: ita vt non esset locus vltra.

Væ ergo vobis qui saturati estis] & propter delicias quibus affluitis, propter duritiam qua pauperibus mendicis de abundantiis vestris oihil erogatis, propter loquacitarem quam in conuiuiis etiam contra Deum extenditis. De primo horum *Amos* 6. Qui comediris agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti. De duritia autem sequitur in eade auctoritate. Nihil compatiebantur super contritione Ioseph. *Luc.* 16. Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis epulonis, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis: & nemo illi dabat. De loquacitate autem *Daniel.* 5. Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, & æreos, & ferreos. Loquacitas enim frequenter extenditur in iniuriam Creatoris. Non autem laudant nisi idola pomparum huius seculi; aurea quidem io splendore pompæ, argentea in tinnitu iactantiæ secularis, ærea autem in sono vanæ laudis, ferrea autem in potestate tyranoica omnia cooterente & domante.

Væ ergo vobis qui saturati estis] propter vltra mensuram extensam voracitatem, propter substantiæ & facultatum quæ in pauperes esset expendenda consumptionem, propter gastrimargiæ insanam vitæ abbreuiationem & corruptionem. De voracitate quidem *Daniel.* 14. Nunc non poteris dicere qoin iste sit viuens Deus, venter scilicet. An non vides quanta comedat & bibat quotidie? De secundo *Prouerb.* 23. Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus & dantes symbola consumentur: secundum facultates ad minus. De abbreuiatione vitæ & corruptione *Prouerb.* 23. Cui væ? cuius patri væ? cui sine causa vulnera? cui rixæ? cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?

Væ ergo vobis qui saturati estis] ideo, quia vilis in se gastrimargus, vilis in luxuria, vilis in amentia quam sæpe incurrit. Vilis quidem in se: quia totus labor talium est pro ventre: vnde & gastrides, hoc est, ventrosi vocantur: gastir enim in græco, venter est in latino. *Isa.* 29. Erit quasi pythonis de terra vox tua; & de humo mussitabit eloquium tuum. Python autem idem est quod ventriloquus: pretiosissimum enim talium est venter. *Thren.* 2. Dederunt quæque pretiosa pro cibo, vt refocillarent animam. *Eccle.* 2. Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego? Verbo est vilis in ãantiæ gulæ. Vilis etiam est in luxuria, voracitatem consequente. Propter hoc enim genitalia connexa sunt ventri, vt dicit *Gregor.* quia, vt dicit *Hieron.* venter mero æstuans, facile despumat in luxuriam. Et iterum *Hieron.* Non Ætnæi montes, non vulcanei ignes ita æstuant; vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. *Ierem.* 5. Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. *Psalm.* 105. Initiati sunt Beelphegor, hoc est, idolo tentiginis. Vilis etiam est in amentia consequente; quia inebriantur & incrassantur quod amittunt vsum bonæ rationis. Vnde etiam gastrimargi vocantur à gastir, quod est venter; & margino marginas, quod est insanio insanis: quasi ex ventre & pro ventre insanientes. *Isa.* 28. Præ ebrietate errauerunt: sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino.

Væ ergo vobis qui saturati estis] Saturitas enim præsentium mandatis recalcitrat, contra Deum se armat, futurorum nihil considerat. De primo quidem *Deut.* 32. Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. De secundo *Iob* 15. Currit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est: Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet. De tertio *Eccle.* 2. Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? *Isa.* 22. Comedamus & bibamus: cras enim moriemur. His igitur de causis.

Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis] omni bono intellectus & affectus (quod vere nutrit & pascit & vegetat) priuati. Iste enim est cibus qui non perit, quo vos priuabimini, pane supersubstantiali, pane Angelorum, pane dulcedinis diuinæ, mensa Dei De pane quidem supersobstantiali *Matth.* 6. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Hoc autem est nutrimentum substantiæ & veritatis diuinæ. De pane Angelorum qui est completio theophaniarum *Psalm.* 77. Panem Angelorum manducauit homo. De pane dulcedinis diuinæ *Sapient.* 16. Substantiam tuam & dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas: & voluntati vniuscuiusque deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Et hic panis est dulcedo Spiritus sancti & virtus. De mensa Dei dicitur *Luc.* 22. Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Omnibus his reficiuntur beati, qui esuriunt: & priuabuntur qui nunc saturantur. Priuantur etiam conuiuio de quo dicitur *Isa.* 25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium medullatorum pinguium, vindemiæ defæcatæ. Conuiuium quidem pinguium est refectio beatorum in gloria. Conuiuium vindemiæ, lætitia glorificatorum. Medullati autem pingues, sunt priuilegiati sancti: & vindemia defæcata est priuilegium gaudij de sanguine & passione Christi. Et quia omnibus his priuabuntur: ideo dicitur *Isa.* 65. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: serui mei bibent, & vos sitietis. Modo enim ventrem de siliquis porcorum implestis: & ideo semper esurietis. 1. *Corinth.* 6. Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet. Ideo consulit Christus *Ioan.* 6. Operamini non cibum qui perit: sed qui permanet in vitam æternam, quem Pater meus dabit vobis. Sequitur.

Væ vobis qui nunc ridetis: quia lugebitis & flebitis.

Hic tangit tertiam maledictionis interminationem: & sicut antea, tangit tria: maledictionem, demeritum, & propriam demeriti pœnam. Maledictio est in hoc quod dicit [Væ vobis] Et huic proprium quod dicitur *Iob* 3. Maledicant ei qui maledicunt diei. Illi enim qui rident, de luce mundi huius rident. Et ideo qui diei mundi maledicunt, ridentibus maledicent. Deliciis saturantur, qui

saturati

saturati sunt diuitiis. Se beatos dicunt diuites. Ridentes autem rident de dignitatibus & de honoribus vanitatum seculi, in quibus vane gaudet cor humanum. Et ideo dicitur *Apoc.*8. Væ, væ, væ habitantibus in terra: in diuitiis, deliciis, & vanitate honorum. Talium enim gaudio vano cor abducunt: vt de futura dignitate & honore nunquam cogitet. Arbitrantur enim tales se iam conuersos in deitatem: ideo rident sibi, & rident omnes alios [Væ ergo vobis] quia cor vestrum iam deceptum est & abductum; ne de futuris cogitet honoribus. Maledictionis autem huius sunt tria exempla: Nabuchodonosor qui in bestiam conuersus est, & mortuus etiam de sepulchro eiectus *Isa.*14. Antiochus qui diro dolore viscerum sibi propter foetorem intolerabilis, consumptus expirauit 2. *Machab.*9. Et Herodes qui consumptus vermibus expirauit *Act.*12. Omnes isti risum fecerunt: de aliis ridentes in terra se, & in tanto dolore & gemitu & confusione vitam finioerunt, etiam præsentem.

Qui ridetis] Ecce demeritum. Ridere autem in se non est peccatum: quia & Sara risit, & Sancti sibi corriserunt, & omnis saluatus ridebit in die nouissimo. Sed de subiectione & oppressione aliorum & spolio, sibi facere risum, est quod maledictioni supponitur. Sic enim de fletu multorum ridet vnus, & de gemitu oppressorum ridet oppressor[Væ ergo vobis qui ridetis]nunc de pœnis aliorum vobis risum facientes, in rebus pessimis exultantes, præsentibus ad abusum lætitiæ abutentes. De primo *Iob* 9. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat. De secundo *Prouerb.*2 Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. De tertio *Sapient.*2. Non sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra, nemo sit exors luxuriæ nostræ, vbique relinquamus signa lætitiæ.

Væ ergo vobis qui ridetis] bonos in derisum habentes, cantica de eis facientes, de probris bonorum vobis risum facientes. De primo *Sapient.*5. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. *Psalm.*21. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. De secundo *Iob* 30. Nunc in eorum canticum conuersus sum, & factus sum illis in prouerbium. *Psalm.*68. In me psallebant qui bibebant vinum, hoc est, ebrij temporali iucunditate bonos habēt in psalmo cantici. *Thren.*3. Ego sum psalmus eorum. De tertio dicitur *Matth.*26. quod velabant faciem Domini & colaphizabant eum, facientes sibi ludum & risum. De probris Domini *Luc.*23. Spreuit autem illum Herodes, & remisit ad Pilatum.

Væ ergo vobis qui ridetis] alto cachinno os dilatatis; vanitatem cordis, oris inordinata dilatatione promitis. Ineptam lætitiam risu dentium in malum exemplum exhibetis. De primo *Prouer.*27. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. Benedicens hic proximo suo, est adulator cachinnis voce grandi extollens malos. Et ille non modo similis, sed etiam peior est maledicente. Bonus enim homo non cachinnis, sed moderate vix ridet. *Eccli.*21. Fatuus in risu exaltat vocem suam: sapiens autem vix tacite ridebit. De secundo *Eccli.*19. Risus dentium & incessus hominis enuntiant de eo. De tertio *Eccle.*7. Cor sapientis vbi tristitia, & cor stulti vbi lætitia. Ad ineptas enim lætitias inuitauit stultos. *Sapient.*14. Dum lætantur, insaniunt, aut certe vaticinantur falsa, aut periurant cito. Hæc enim omnia accidunt inepta lætitia ridentibus: quia insaniunt mentis abductione, vaticinantur sibi futura quæ non euenient, extra modum & morem facile peierant.

Væ ergo vobis qui ridetis] Quia ridendo erratis, magis flere debentes: quia risus vester mala conscientia est permistus: quia risus vester breui fine & dolore concludetur. De primo dicitur *Eccle.*2. Risum reputaui errorem, gaudio dixi: Quid frustra deciperis? De secundo *Prouerb.*14. Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat. De tertio *Iob* 21. Infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: & in puncto ad inferni nouissima descendunt.

Væ ergo vobis qui ridetis] Quia Christo dissimiles, factis Sanctorum nihil conforme habetis; & ordinem verum peruertitis in eo quod nunc ridetis. De primo non legitur quod vnquam Dominus riserit, sed fleuit ciuitatis insanæ exultationem. *Luc.*19. Videns Dominus ciuitatem Ierusalem, fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu. De secundo dicit Dominus de omnibus Sanctis. Mundus gaudebit: vos autem contristabimini *Ioan.*16. De ordine autem: quia antea flendum est, & postea gaudendum, cum dicetur seruo fideli. Intra in gaudium Domini tui *Matth.*25. Nunc autem ordo tenendus est *Psalm.*125. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. 1. *Petr.*1. Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. *Luc.*24. Nonne sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Vnde *Prouerb. vltim.* de forti muliere dicitur: Ridebit in die nouissimo. *Psalm.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Væ ergo vobis qui ridetis: quia lugebitis & flebitis] Luctus quidem in eiulatu, & fletus in lacrymatione: non quod ab impiis in inferno aliquid resoluatur, sed quia dolor & constrictio cordis in tristitia, fletus est, & fletus vocatur. *Matth.*13. Ibi erit fletus & stridor dentium. Sicut enim in cachinnis inordinate dilatauerunt os: ita improperium & iniquitas os oppilabunt. Improperium quidem in exprobratione peccati. *Isa.*57. Filij auguratricis, semen adulteræ & fornicariæ. Super quem lusistis? & dilatastis os & eiecistis linguam? Ecce dura exprobratio. *Psalm.*106. Omnis iniquitas oppilabit os suum. Ecce oris oppilatio. 1. *Reg.*2. Impij in tenebris conticescent. Filij autem sunt auguratricis in vana diuinatione, quam sibi de prosperitate diuinauerunt. Semen adulteræ, quæ ad verum animæ sponsum superduxit alienum diabolum. Semen fornicariæ quæ nesciuit gaudere nisi in præsenti libidine. Erit autem luctus de absentia omnis gaudij, & de præsentia omnis tristitiæ: & erit fletus de incendio & fumo & infelicitate separationis à consortio beatorum. De luctu *Ierem.*6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum: quia repente veniet vastator super vos. De fletu autem *Isa.*15. Descendit in fletum. Clamauit Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum Hesebon interpretatur

cingulum tristitiæ vel cogitatio mœroris,& significat,quia cinguntur mœrore,eo quod in præsenti vita de mœrore futuro nihil cogitauerunt. Eleale interpretatur condescensio, & significat qui simul ab altitudine cordis descendunt in foueam perditionis.Horum clamor peruenit vsque Iasa,quod interpretatur factura mandati; hoc est, vsque ad electos, ad quos clamabunt: quia illi mandata perfecerunt; sed tamen apud eos misericordiam non inuenerunt. Et erit dolor eorum incomparabilis & fletus: quando fletus perpetuus eis indicetur, & Sancti consolabuntur: sicut dicitur *Apoc.* 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor,neque vllus dolor:quoniam priora transierunt.Et hoc est quod dicitur *Isa.* 65. Serui mei lætabuntur,& vos confundemini.Ecce, serui mei laudabunt præ exultatione cordis:& vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Sequitur.

Væ cum benedixerint vobis omnes homines: secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

Sicut in præhabitis posuit beatitudinem in hoc,quod à cœpto proposito, mali per persecutiones, bonos auertere non possunt:ita hic per contrarium ponit maledictionem, eo quod mali in malitia per adulationes fouentur & blanditias. Dicit autem tria:maledictionis interminationem, demeriti speciem, & exemplum probans eorum damnationem. Maledictio quidem in hoc quod dicit [Væ vobis] Æternæ damnationis interminatio: hæc enim est maledictio. *Iob* 3. Qui postquam dixit: Pereat dies in qua natus sum, & multas interminationes illi diei maledictionum inflixit: subiunxit: Cur enim exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Peccatum enim quasi genibus excipitur, quando fauore laudantium sustentatur. Ad vbera autem lactatur,quando blanditiis adulatorum fouetur [Væ ergo vobis cum vobis benedixerint] in peccato vos fouentes [omnes homines]humum sapientes.Quia illi non laudant nisi similes sibi peccatores. Quia illi non laudant nisi vituperanda. Quia illis non placent nisi mala. De primo *Psalm.* 9. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. De secundo *Malach.* 2. Maledicam benedictionibus vestris,& maledicam illis: quoniam non posuistis super cor:vt scilicet discerneretis,quid laudari deberet, vel vituperari. De tertio *Psalm.* 52. Confusi sunt qui hominibus placent: quoniam Deus spreuit eos.*Galat.* 1.Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Væ igitur vobis cum benedixerint vobis homines] Quia dicunt bonum malum, & malum bonum. Quia benedictionis non habent sacramentum. Quia Dei irrisio est ad benedictiones eorum. De primo *Isa.* 5. Væ qui dicitis malum bonum,& bonum malum: ponentes tenebras lucem,& lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. De secundo *Psalm.* 108. Maledicent illi, & tu benedices. Induantur qui detrahunt mihi pudore. Quomodo enim habet benedictionis sacramentum, de quo dicitur *Psal. eodem.* Dilexit maledictionem,& veniet ei:noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. De tertio autem *Prouerb.* 1. Ego enim in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit. Ista est via Balaam *Num.* 22. qui maledicere tentauit, quibus benedixit Deus: & benedicere illis,quibus Deus maledixit.

Væ ergo vobis cum vobis benedixerint omnes homines] Quia vos benedicendo, decipiunt. Quia, ne vos ipsos cognoscatis, impediunt. Quia vos ab humano sensu auertunt. De primo *Isa.* 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt: & viam gressuum tuorum ipsi dissipant. De secundo 3. *Reg. vltim.* vbi spiritus mendacij non permisit Achab cognoscere seipsum, donec interfectus est. *Isa.* 30. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores:cesset à facie nostra sanctus Israël. De tertio est exemplum *Daniel.* 4. Vbi linguæ adulatorum benedicentium, Nabuchodonosor auerterunt ab humano sensu, quod putauit se esse Deum: & ideo in bestiam cor eius commutatum est.

Væ ergo vobis cum benedixerint vobis omnes homines] Quia non benedicunt nisi his qui sibi benefaciunt. Quia mercede vili illa benedictio emitur. Quia benedictio illa in vilis hominis potestate & voluntate collocatur. De primo *Mich.* 3. Seducunt populum meum & prædicant pacem; & si quis non dederit in manibus eorum, sanctificant super eum prælium. De secundo *Ezech.* 13. Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt. De tertio patet: quia ille benedicit,& laudat si vult. Et si non vult, non benedicit sed maledicit. Et ideo dicit *Psalm.* 108. Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Quasi dicat.In ore tuo tota est laus mea. Os dolosi non vult laudare. Quinimo pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi *Psalm.* 101. Qui me laudabant, aduersum me iurabant. Hodie laudat, & cras in contrarium iurat. Væ ergo vobis cum benedixerint vobis omnes homines.

Secundum hoc]scilicet laudando vituperandos [faciebant] benedicendo [Prophetis] pseudoprophetis,de quibus dicitur *Ezech.* 13. Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israël. *Ierem.* 5. Stupor & mirabilia facta sunt in mundo. Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus: & populus meus dilexit talia. Tales enim Prophetæ maximè adulatores fuerunt. *Ezech.* 13. Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Quidam enim in peccatis iacent, appodiati ad cubitum, quorum est aliqua mensura peccatorum. Quidam autem in peccatis toti iacent prostrati & sopiti. Consuunt autem sub cubitu puluillos,qui mollia blandientes benedictionibus suis, illos in peccato detinent. Ceruicalia autem supponunt,qui molliter blandiuntur his, qui in profundo iacent peccatorum [patres eorum] non tam generatione carnis, quam imitatione adulatoriæ benedictionis. *Sapient.* 4. Ex iniquis omnis filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. *Luc.* 3. Genimina viperarum. *Sapient.* 12. Nequam est natio eorum & naturalis malitia ipsorum, & non poterat mutari

cogitatio

cogitatio illorum in perpetuum: semen enim erat maledictum ab initio.

Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros.

Positis his quæ à præsentibus eleuant desiderium ad æterna, tangit viam perfectionis ad illa, quæ maximè competunt Apostolis & Apostolicis viris, hoc est, Episcopis, & Archiepiscopis, & Patriarchis. Diuiditur autem in duo, in quorum primo ipsam viam docet perfectionis: in secundo autem, quia via alta & difficilis est, per similitudinem ædificantis domum supra petram, ostendit sapientiam eius qui in suis sermonibus permanserit. Adhuc autem ipsa via perfectionis est duplex. Est enim in ordine ad alterum, quæ est via difficilior: & est via secundum virtutem, quæ est in seipso, & hæc est facilior, & ideo priori postponitur: & hanc ostendit per similitudinem arboris bonæ vel malæ, in comparatione ad fructum. Adhuc autem secundum duplicem modum quo homo ordinatur ad alterum, duas ponit vias perfectionum. Est enim ordo ad alterum, in perferendo illata ab altero. & est ordo ad alterum secundum id quod male facit proximus in seipso, in quo alter non potest habere nisi iudicium. Et ideo primo docet tolerare iniurias, & secundo docet vitare temeraria iudicia. In perferendis autem iniuriis tangit tria. Primo enim ponit præcepta, secundo præceptorum adhibet rationes, tertio autem inuitat ad ea per mercedis considerationem. Vbi autem ponit præcepta ordinationis ad alterum duo facit. Quia enim difficillima dicturus erat: ideo primo excitat ad auditum. Et deinde promulgat præcepta perfectionis. Excitans autem ad attentionem dicendorum dicit.

Sed vobis] Discipulis & Apostolis ad quos eleuans oculos direxi à principio, qui disciplinis meis quæritis imbui, qui imitatione magisterij meos vos probatis esse Discipulos, qui dilectione & beneficio maxime Discipuli mei esse cognoscimini. Vobis, inquam [dico, qui] hoc est, quia vos [auditis] hoc est intus ad intellectum & affectum meum auditum quamuis difficilem percipitis. Non enim estis idola similia hominibus, qui auditum disciplinalem non habeatis. *Psalm.* 113. Aures habent, & non audiunt. Tales enim sunt similes hominibus, non homines: qui auditum disciplinalem non habent. Quia, sicut dicit *Arist.* auditus sensus est disciplinæ per doctrinam accipiendæ. Nec estis de his qui aures aggrauant obturando per alienas delectationes ne capiat in eis sermo meus. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat & conuertatur, & sanem eum. Nec estis de his, qui quando difficilia audiunt, excusant, & ad facilia præbent auditum. *Hebr.* 12. Quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. *Exod.* 20. Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus; ne forte moriamur. Sed estis de discipulis, qui aures disciplinæ habetis ad audiendum. *Matth.* 13. *Apocal.* 2. & 3. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Estis autem de illis, qui aure leui percipitis omne susurrum perfectionis diuinæ. *Iob* 4. Vocem quasi auræ lenis audiui: & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius. Vobis ergo dico qui auditis & dicitis istud 1. *Reg.* 3. Loquere Domine: quia audit seruus tuus.

Diligite] Ecce præcepta. Et sunt in quadruplici ordine. Quædam enim ordinat ad inimicos, quædam ad iniuriantes per violentiam, quædam ad simpliciter petentes quæ nostra sunt, quædam autem ad eos qui obsistunt per calumniosum iudicium. Ad inimicos autem ordinat nos affectu cordis, beneficio operis, & benedictione & oratione oris. De affectu quidem cordis dicit.

Diligite inimicos vestros] Hoc autem contra naturam esse videtur. Dicit enim *in Phædrone Plato* sub nomine Socratis, quod de hominis natura & diffinitione est, amicis benefacere, & inimicis male. Si igitur nulla perfectio contraria est naturæ quam perficit: no potest esse de perfectione hominis, inimicos diligere, & inimicis benefacere.

Adhuc autem, Vnumquodque naturaliter suam appetit conseruationem, ergo per contrarium odit id quod est naturam destruens, & conseruationem oppugnans. Inimicus autem est destruens naturam & conseruationem. Igitur inimici sunt odiendi.

Adhuc autem, Non potest esse dilectio nisi boni vel apparentis boni. In inimico autem non est bonum, nec apparens bonum: sed malum mere & simpliciter malum. Ergo non potest inimicus diligi. Et istæ rationes irrefragabiles videntur, & sunt *Platonis & Aristotelis*. Videntur autem contrariari ad ea quæ hic dicuntur.

Si forte velis dicere cum *Gloss.* quod Christus nos hic eleuat ad ea quæ sunt supra naturam: Hoc nihil est: quia id quod est supra naturam, naturæ non est contrarium. Diligere autem inimicos, directe & naturæ & dilectioni probatum est esse contrarium.

Adhuc autem, Cum non sint nisi tria amicitiarum genera, sicut probant *Aristoteles & Tullius*: illa quæ est fundata super vtile, & illa quæ est super delectabile, & illa quæ est super honestum: videtur quod nullo genere amicitiæ possit diligi inimicus: quia nec vtile, nec delectabile, nec honestum: cum inimicus noceat, & tristitiam inferat, & nihil habeat honestatis & virtutis. Et quod imperetur dilectio quæ nullam causam habet dilectionis, videtur esse superuacuum in præcipiente, & impossibile in eo cui fit præceptum.

Ad hæc & similia dicendum, quod in veritate is qui inimicus est, duo in se habet: naturam, & vitium inimicitiarum. Natura quidem non est ita deprauata quin aliquid boni habeat, & quin possit reparari: & adhoc diligenda est & diligenda. Vitium autem non potest diligi, & similiter natura immobiliter stans sub vitio. Et ita procedunt rationes inductæ. Vnde quando dicitur. Diligite inimicos vestros. Locutio est duplex: eo quod transitus verbi, Diligo, potest transire in accusatiuos illos inimicos vestros, gratia subiecti tantum: sic præcipit eos Dominus diligi: quia sic diliguntur; non ad inimicitiam, sed gratiam & bonum. Vel potest transire in accusatiuos gratia subiecti & formæ inimicitiarum: & hoc non in-

tendit Christus: quia sic diligerentur ad hoc quod essent inimici, & ad vitium: quod omnino innaturale est, & pessimum esset, quia sic procedunt inductæ rationes. Et per hoc patet quod iste est sensus. Diligite eos qui sunt, vel fuerunt inimici vestri: vt dilectione inuitetis eos ad hoc quod conuertantur in amicos, & in Deo lucremini eos. Sic enim impletur illud *Apost. Rom.* 12. Noli vinci à malo: sed vince in bono malum. Vincitur enim malo, qui sic irascitur inimico: quia naturam vult destrui vitio. Sed vincit in bono malum, qui bonum naturæ quod est & potest esse in natura diligēdo per benignitatem, malum inimicitiarum excludit. Sic dicitur *Exod.* 23. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum cum ipso. *Leuit.* 19. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. *Eccli.* 10. Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ. Hoc est igitur quod dicit. Et in hoc est lex adimpleta, & concordat cum ratione naturali: sicut dictum est.

Benefacite his qui oderunt vos.

Ecce ordinat nos ad inimicos, beneficio operis, dicens [Benefacite his qui oderunt vos] Oderunt autem ira inueterata. His ergo præcipit benefacere. Odium enim nunquam dulcius & melius superari potest quam quod beneficium opponatur. *Psalm.* 108. Retribuebant mihi mala pro bonis, odium pro dilectione mea. *Prouerb.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, aquam da illi bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi. Prunas enim charitatis congregat quis super caput odientis, quando bonum reddit pro malo. *Rom.* 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, prunas congregabis super caput eius. *Psalm.* 119. Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosa? supple, te odientis. Sagittæ potentis acutæ, hoc est, consilium acutissimæ veritatis: cum carbonibus desolatoriis, hoc est, cum beneficiis pro malo repensis ignitæ charitatis. Illa enim confundunt eum qui de cætero odium tenere erubescit. Sic enim dicit *Petrus* 1. secundo. Vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Sic etiam dicit dicit *Iob.* 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei. Quis det de carnibus eius vt saturemur, hoc est, qui præ odio carnibus meis quærebant satiari. Hos econtra, benefaciens ex dilectione tabernaculo recepi, & contubernales meos feci. *Rom.* 12. Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: vt possitis dicere illud *Psalm.* 34. Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

Benedicite maledicentibus vobis.

Ordinat nos hic benedictione oris, & secundo oratione pro indeuotis nobis. De primo dicit [Benedicite] hoc est, bona optate per salutationem: sicut, Deus te saluet. Det tibi Dominus benedictionem suam, & huiusmodi [maledicentibus vobis] sicut Christus proditori dixit: Amice, ad quid venisti? Vocauit enim amicum, quem sciuit esse proditorem. 1. *Corinth.* 4. Maledicimur & benedicimus. 1. *Reg.* 16. Dimittite eum maledicere: si forte Dominus reddat mihi benedictionem pro maledictione hac. *Psalm.* 108. Maledicent illi, & tu benedices: induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua. Sicut enim maledictio conuertitur in benedictionem, quando ipse maledicens confunditur, & pro maledictionibus recompensat benedictiones 1. *Corinth.* 14. Sic cadens in faciem suam, pronuntiat quod vere Deus in nobis sit. Non est enim cor, quod beneficiis non vincatur. Vnde Ouidius. *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.*

Orate pro calumniantibus vos.

Ecce secundum oris beneficium in hoc quod dicit [Orate] Si enim salutatione & beneficiis præuentus, non vult conuerti inimicus, tunc nihil aliud restat, nisi vt oretur pro eo quod Dominus ipse sua gratia conuertat eũ: quia tunc non est aliud refugiũ pro obstinatis. 2. *Paralip.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Orabimus ergo [pro] inimicis [calumniantibus nos] hoc est, falsa crimina imponentibus nobis. *Ierem.* 18. Recordare quod steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bona, & vt auerterem iram tuam ab eis. *Psalm.* 34. Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinum meum conuertetur. Cum enim obstinati sunt, & vera dicere nesciunt, falsas calumnias imponunt: & pro illis est orandum, quia non est aliud remedium. 1. *Corinth.* 4. Blasphemamur, & obsecramus.

Sunt autem calumniantes nos, ignorantes & scientes. Ignorantes sunt infideles, qui credunt se in nobis obsequium præstare Deo, si nos persequuntur & calumniantur. *Ioan.* 16. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Et pro illis specialiter orandum est: quia si Deus reuelauerit eis, illi efficientur optimi amici: sicut Paulus amicus Ecclesiæ factus est. Alij autem contra conscientiam calumnias imponunt, cum veritatem nullam habeant: & de illis parum sperandum est. *Psalm.* 51. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, & euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Orate ergo sic pro calumniantibus vos.

Et qui te percusserit in maxillam vnam, præbe illi & alteram.

Ecce præcepta quæ ordinant ad iniuriantes: primo quidem in corpore, quod grauius est: postea autem in rebus, quod est leuius. Dicit ergo [Et qui te percusserit in vnam maxillam] vel in aliam partem corporis. Hoc maximè intelligitur de infideli, & vbi præualet malitia. In his enim non est opponere nisi patientiam. Vbi autem sunt fideles, & non præualet malitia: bonum est exigere emendam coram iudice religioso sine contentione, ne stultus iterum similia attentet. *Prouerb.* 26. Responde stulto iuxta stultiam suam, ne sibi sapiens videatur. Si autem præualet iniquitas, patientia opponenda est. Et ideo immediate præcedit

dit *Prouerb*.26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Tunc autem Dominus misit Apostolos ad infideles & præualentem iniquitatem: & ideo præcepit opponere patientiam contra omnem iniuriam. *Matth*.10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Postea autem Ecclesia inspirata Spiritu Christi statuit, quod minister Christi iniuriam quidem propriam posset remittere, sed iniuriam Ecclesiæ deberet iudici manifestare: & ipso facto percutiens, pœnam incurrit excommonicationis. Quia tunc non præualuit iniquitas: & iudex eiusdem religionis non contentioni studens, sed paci & iustitiæ operam dans habebatur. Hoc est igitur quod dicit.

Siquis percusserit te in vnam maxillam] conuicium simul & pœnam inferens. *Thren*.3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. *Iob* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam [præbe ei & alteram] hoc est, esto paratus si malitia vineat, præbere ei & alteram. Alioquin enim nec Christus fecisset quod docuit. Percutienti enim maxillã, leuiter corripiendo dixit: Si male locutus sum, perhibe testimonium: si autem bene, quid me cædis? *Ioan*.18. Apostolus etiam vbi putauit non præualere iniquitatem: sed aliquid esse cognitionis diuinæ, cum percuteretur ad maxillam *Act*.23. dicit: Percutiat te Deus paries dealbatæ: quia tu sedes secundum legem iudicans me, & contra legem iubes me percuti. Patet ergo quod non est intelligendum nisi de infideli iudice & contentioso contra fidem & contra iustitiam, & vbi præualet iniquitas.

Exponitur etiam sic, & redit in eundem sensum [Siquis percusserit te in maxillam] hoc est, coram & in facie [præbe ei & alteram] hoc est, esto paratus sibi præbere etiam partem quæ non apparet: vt etiam detrahat tibi quod apertè conuiciatur. 2.*Corinth*.11. Sustinetis enim siquis in faciem vos cædit, siquis accipit, siquis deuorat, siquis extollitur. Hoc enim fecit Christus, qui sicut agnus ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum *Isa*.53. 1.*Petr*.2. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebant autem iudicanti se iniustè. Quidam hoc etiam mysticè exponunt dicentes, quod in pugna contra hæreticos, maxilla est apparens pro fide loquens auctoritas: quæ percutitur, cum reuellitur apparenter ab hæreticis. Altera autem exhibetur, cum altera irreuellibilis statim opponitur. *Iudic*.15. Samson in maxilla asini, hoc est, in simplici Scripturæ eloquio, prostrauit mille viros fidei se opponentes. Hæc autem expositio mystica est, & non ad literam.

Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

Ecce secundum præceptum contra iniuriantes [Ab eo qui aufert] violenter & prædominante iniquitate [vestimentum] exterius, quod potius est propter honestatem quam propter necessitatem [& tunicam] quæ est interior vestis & necessaria [noli prohibere] cum contentione & vbi præualet iniquitas. Aliter enim prohibere poteris, & debes cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt dicit *Isidorus*. Quod enim pro charitate institutum est, vt dicit *Beatus Bernardus*, contra charitatem non debet militare. Et ideo quod hic dicitur, pro charitate dicitur. Et ideo si alicuius malitia boni viri patientia abutatur, & in malitia plus grassetur: non debet hoc iudex ecclesiasticus sustinere. Sed (sicut dictum est) vbi præualet malitia: ibi aliud non potest opponi nisi patientia. Et ideo in tali casu quod hic dicitur intelligitur. Aliter enim irrationabile esset tollenti superfluum, non prohibere etiam necessarium: & esset contra naturam: quia necessario subtracto subsistere non possum: & oporteret memetipsum morti exponere, si necessarium non retinerem, si possem. *Matth*.5. idem dicitur. Qui vult in iudicio tecum contendere, & tollere tunicam, dimitte ei & pallium. *Cantic*.5. Percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. *Iob* 24. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes. *Hebr*.10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis, arbitrantes vos habere meliorem & manentem substantiam.

Omni autem petenti te, tribue.

Ecce ordinatio ad eos qui simpliciter petunt quæ nostra sunt: & ad hos ordinat dupliciter. Quidam enim petunt pro beneficentia & largitate. Quidam autem petunt cum violentia & intentione retinendi. De primis autem dicit [Omni petenti te, tribue] ex largitate benignitatis. Qui enim petit, ostendit se esse indigentem. Et hoc debet sufficere bono cordi. Nec expedit multum curiose rimari: verum indigeat vel non, sicut dicit *Chrysost*. Maximè quando petit in nomine & habitu iusti vel Prophetæ. *Matth*.10. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Vnde quibusdam bene vestitis, profugis petentibus ad rogum Ioannis eleemosynarij, & ministris suis quærentibus & dicentibus: An talibus esset dandum? Respondit Sanctus Domini: Obedite simpliciter sermoni Domini [Omni petenti te, tribue] Non enim Deus indiget curiosorum, nec humilis Ioannes. Vel legatur sic [Omni petenti te] ipsum [tribue] compatiendo, si aliud dare non poteris. Da tua si potes. *Luc*.11. Quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Quia si non potes dare & tu, quia non habes superflua, da compassionem. *Iob* 30. Flebam quondam super eo qui afflictus fuerat: & compatiebatur anima mea pauperi. Et sic in veritate petenti tribuis teipsum.

Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

Ecce ordinatio ad petentem cum violentia [ne repetas] in iudicio contentioso coram infideli iudice: & vbi præualet iniquitas. Aliter enim repetere poteris & debes: quia aliter dolus & fraus & violentia patrocinarentur dolosis, & fraudulentis, & violentis: quod est contra omnia iura, & contra omnem rationem. Similiter etiam ne repetas si inopia excludit actionem. *Isa*.58. Omnes debitores vestros repetitis. *Exod*.22. præcipitur si debitor à debente accipiat pignus vestem suam, quod reddat ante solis occubitum: quia ipsum est vestimentum quo operitur, & quo tegi

tegi solet. In his ergo duobus casibus [ne repetas]

Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

Ecce ordo ad alterum per generalis iustitiæ formam. Et est istud præceptum affirmatiuum, & generalissimum inter omnia quæ sunt de iure naturali. Et est indistinctè continens in se omnia quæ sunt iuris naturalis. *Matth.7.* Quæcunque ergo vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis Negatiuum autem illi respondens est *Tob.4.* Quod tibi non vis, caue ne vnquam facias alteri. Intelligitur autem de voluntate ex ratione cum habitu sapientiæ & prudentiæ consiliata. Vt sit sensus [prout vultis] voluntate informata sapientia & prudentia & ratione recta [vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis] secundum eandem rationem voluntatis: quia nobis nihil debemus malum, vel iniustum velle fieri ab aliis. Et ideo nec illis talia debemus facere. Sicut enim diximus superius, iustitia nos ordinat ad alterum secundum æquale damni & lucri: & ideo talia debemus nobis velle fieri à proximo. *Rom.13.* Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis. *Eccli.31.* Intellige ea quæ sunt proximi tui ex teipso. Quod enim tibi vis fieri, alteri facias: & quod tibi non vis fieri, alij ne facias. Sic enim imples istud *Leuit.19.* Diliges proximum tuum sicut teipsum, hoc est, ad quod teipsum. Hoc est igitur quod dicit [& vos facite illis similiter]

Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt.

Ecce hic probat per rationem quod hæc est via perfectionis, quæ dicta est. Dicit autem duo. Inducit enim triformen rationem, de dilectione, de beneficio, de mutuo: & secundo intentas concludit conclusiones. Prima rationum quæ triformes sunt, est de dilectione [Si diligitis illos, &c.] Triplex est apud Philosophos amicitia, fundata super delectabile, vtile, & honestum. Vna est quæ non durat nisi quandiu durat delectabile: vnde dicit *Aristot.* Sæui & austeri parum sunt diligibiles. Est enim in eis paruum quid delectabile. Fundata autem super vtile est secunda, & durat quandiu durat vtilitas. *Genes.25.* Isaac diligebat Esau: eo quod de venationibus illius vesceretur. Tertia est vera amicitia quæ fundatur super honestum virtutis, & hæc semper manet: quia amici diligendi sunt: etiamsi nihil nobis debeat fieri. Homines autem pauci diligunt nisi propter delectabile vel vtile: & secundum horum consuetudinem loquitur Christus, dicens.

Si diligitis eos] mercenaria dilectione [qui vos diligunt] & diligendo præueniunt [quæ vobis est gratia?] [dilectionis quæ iam empta, & non gratis est exhibita. *1. Ioan.4.* In hoc apparuit charitas Dei: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Sed dilectio gratiam habet si gratis exhibetur, & multo magis si pro contrario odio datur. *Rom.5.* Commendat Deus suam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici essemus, Deus pro nobis mortuus est. Vnde hæc dilectio nec est similis dilectioni Christi, nec etiam dilectioni veræ. Dilectio enim vera super virtutem & honestum est fundata, & omni tempore diligit, & non empta est vel mercenaria. Et ideo talis empta & præuenta mercede caret. *Matth.6.* Amen dico vobis: Receperunt mercedem suam. Vnde subiungit exemplum, dicens [Nam & peccatores] qui nec gratiam nec honestum attendunt [diligentes se diligunt] empti ad diligendum: cum tamen nihil honestum diligant in ipsis.

Si autem obiicitur de hoc quod dicitur *Prouerb.8.* Ego diligentes me diligo. Et sic etiam diuina dilectio videtur esse mercenaria. Ista obiectio non valet. Quia cum dicitur. Ego diligentes me diligo, intelligitur sic constructio ordinanda. Ego diligo, diligentes me. Et hoc verbum, Diligo, non transit super accusatiuos illos diligentes me, nisi ratione materiæ, & notat causam ad ipsum: vt sit sensus. Ego diligo: & mea dilectio est eis causa quare me diligant: quia diligendo confero eis gratiam, vnde me diligere possint. Et sic dilectio diligentium Deum non est causa quod diligat eos Deus: sed potius dilectio Dei est eis causa vnde diligant Deum. Et sic adiouatur sensus prædictus, quod non est mercenaria Dei dilectio: & nostra dilectio quæ est supra virtutem fundata, est, vel debet esse illi similis. Et sic optime dicit Christus, quod peccatores diligunt eos qui se diligunt mercenaria dilectione. Sed si diligimus inimicos, est nobis gratia: quia tunc non tantum non est mercenaria dilectio, sed etiam oppositum dilectionis inuenit in subiecto. Et ideo vltra quam gratis est exhibita illa dilectio.

Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis gratia est? Siquidem & peccatores hoc faciunt.

Respondet secundo per rationem, quæ est de beneficio exhibito contra odium. Dicit ergo [Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt] hoc est, vos beneficiis præueniunt: quia etiam apud Philosophos, benefici est velle benefacere, & non contrapati beneficio aliquo. Est enim minoratio quædam sibi benefieri. Benefacere autem virtutis est. Et si hoc est ita secundum mores hominum, multo magis secundum legem diuinam hoc erit amplioris perfectionis: vt beneficus non repatiatur beneficium, sed reputet sibi minorationē, si sibi bene fiat: maximè cum propter Christum etiam malefacienti beneficium supererogare pium sit: sicut fecit Christus *Luc.10.* Siquid supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. *Augustinus in confess.* Ille solus neminem perdit: qui & inimicum diligit propter te, & amicum in te. In hoc casu tenet quod dicitur *Prouerb.25.* & *Rom.12.* Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis, hoc est, charitatis, congeres super caput eius. Et subiungit exemplum [Siquidem & peccatores hoc faciunt] mercenario opere, & empti ad opus. *1. Ioan.3.* In hoc cognoscimus quoniam in ipso manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Spiritus autem suus est quod inimicis benefaciamus & malefactoribus. *Isa.53.*

Ipse

Ipse peccata multorum tulit,& pro transgressoribus orauit vt non perirent. In hoc enim etiam malefacientibus benefecit.

Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis? Nam & peccatores fœnerantur peccatoribus, vt recipiant æqualia:

Tertium est documentum de his qui non in toto, sed in rebus ad nos pertinentibus tantum indigent. Non enim fortasse possumus dare, sed mutuare ad tempus aliquid possumus: vt postea nobis sors restituatur, sine qua viuere non possumus:quia forte agros & vineas non habemus: & oportet nos nostra mobilia in vsum vitæ conuertere, & de illis lucrando licite viuere:tamen portione quadam ad tempus possumus carere sine vitæ dispendio:& secundum hoc mutuum possumus facere proximo, & hoc gratis debemus facere. *Ezech.* 18. Ad vsuram non commodauerit,& amplius non acceperit. *Psalm.* 14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram,& munera super innocentem non accepit. *Deut.* 15. Non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum tuam: sed aperies eam pauperi, & dabis ei mutuum, quando eum indigere prospexeris. Et *inf.* a. Non ages quippiam callide in eius necessitatibus subleuandis. *Deut.* 23. Fratri tuo absque vsura illud quo indiget accommodabis:vt benedicat tibi Dominus in omni tempore tuo. Si ergo mutuum dederitis à quibus speratis recipere[quæ gratia est vobis?]Quia iam recepistis vltra sortem, & sic cum peccato redemptum est beneficium. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Et ideo sequitur.

Nam & peccatores]auari qui lucrari intendunt [peccatoribus] qui in malos vsus sua expendere quærunt [fœnerantur] hoc est, ad fœnus, siue ad vsuras accommodant [vt recipiant] vltra sortem [æqualia] illis damnis & temporibus in quæ possent commutare interim pecunias suas Non enim contenti sunt vt recipiant æqualia sorti:sed potius æqualia his in quæ interim per lucrum illicitum possent suas pecunias commutare. *Matth.* 25. Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? Illa enim reputant æqualia. Si autem nihil præter sortem recipiant, reputant se damnificatos.

Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Hæc est conclusio ex rationibus præhabitis. Et ideo quasi concludendo repetit, dicens [Veruntamen diligite inimicos vestros] affectu charitatis sicut Christus dilexit. *Rom.* 5. Commendat Deus suam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici essemus, Deus secundum tempus pro nobis mortuus. Diligite autem sicut vosipsos, hoc est, ad quod vosipsos, hoc est, ad hoc quod inimicitiis depositis, ciues & fratres & dulcissimi efficiantur amici:sicut Dauid Semei 2. *Reg.* 16. sicut Christus proditorem, sicut Stephanus Paulum lapidantem. Et omnes quidem affectu charitatis diligite, & etiam effectu beneficia exhibere,cum necesse fuerit,& se facultas obtulerit. Et hoc est quod sequitur[Benefacite]hoc est, in opere charitatis& beneficentiæ dilectionem ostendite.Probatio enim dilectionis,exhibitio est operis. *Hebr.* 13. Beneficentiæ autem & hospitalitatis nolite obliuisci. Hoc est enim opus cuius in necessitate non obliuiscitur Deus. *Hebr.* 5. Non iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. In benefactis igitur accipite exemplum Beatum Iob, *Iob* 31. qui sitientes carnes suas, recepit tabernaculo: Dauid, qui Saul in spelunca 1. *Reg.* 24. & in castris,nocte descendens ad eum 1. *Reg.* 26. Sumat exemplum Eliseum,qui eos qui egressi fuerant ad nocendum ei & capiendum eum, pasci fecit lautis ciborum præparationibus, & conduci ad locum securum 4 *Reg.* 6. Sumat exemplum *Ierem.* 18. & 20. qui pro his qui quærebant vitam eius, orauit apud Deum. Sumat exemplum Christum, qui in cruce dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt *Luc.* 24. Speciale autem beneficium ponit in exemplo, in quo frequentius peccatur,& quod in minori est damno:& hoc est.

Mutuum date] Si non habetis quod liberaliter impendatis,saltem [mutuum date]in quo vestrum saluum est vobis, & ex vsu alius potest adiuuari, quando ad lucra licita id quod mutuatis conuertit. Dicitur autem mutuum, quasi de meo factum tuum. Vnde nihil mutuari potest, nisi quod de meo potest fieri tuum: sicut pecunia, vel frumentum, vel vinum, & quod in eodem valore potest restitui, & ad lucrum licitum per negotiationem vel alium modum conuerti. Vnde domus, vel ager, vel vinea, mutuari non potest: nec etiam vestimentum nec ligna, nec aliquid huiusmodi: quod vsu vilescit, & ad lucrũ conuerti non potest nec transmutari Nisi enim de meo fieret tuum, tu tuam voluntatem & vtilitatem de mutuo facere non posses. Si autem transmutari & commutari non posset, sed vel esset immobile, vel vilesceret vsu,iterum non esset mutuum, sed vel venditio, vel locatio. Restituitur autem in mutuo, æquiualens in pretio eiusdem speciei vel alterius, prout accommodans & mutuans inter se conuenerunt. In hoc ergo mutuo, si aliquid beneficij impenditur proximo:oportet quod vtilitas ex mutuo proueniens proximo dimittatur, & sors restituatur. Si autem certa sorte manente,propter vsum quem habet proximus inde:aliquid certum spero recipere, iam non charitatis est beneficium, sed vsura: sicut dicit *Beda.* Quia vsura est spes lucri certi præter sortem, quæ data est in mutuo.

Et ideo duplex est vsura: vna quidem cum in pactum deducitur quid vltra sortem, mutuum danti porrigatur propter mutuum. Secunda autem, cum in pactum non deducitur, sed tantum spes munerum habetur præter sortem exhibendorum. De vtraque istarum dicitur *Ezech.* 18. Ad vsuram non commodauerit. Ecce prima species vsuræ. Et subiungit dicens:Et amplius non accepit. Ecce secunda. De vtraque etiam dicitur in *Psalm.* 14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Ecce prima. Et munera super innocentes non accepit. Ecce secunda. Innocens enim est ipse qui mutuum accipit quando sortem restituit. Hæc autem vsura vtraque peccatum est auaritiæ,

contra

contra charitatem proximi:cuius labores in lucro subtrahit certa quantitate, cum ille in vsu mutui nullam habeat de lucro certitudinem. *Sapient.* 5. Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Ille enim ex necessitate mutuum accipit, & in angustia in lucrum vnde viuat conuertit, & in labore forte aliquid in lucro acquisiuit vnde viuere posset:& hoc vsurarius nihil angustiæ passus, nihil laboris impendens, nihil fortunæ de diminutione sortis timens, tollit, & de angustia & labore & multa diuersitate fortunæ proximi, sibi diuitias congerit & acquirit. Vnde *Chrysost. super Matth.* dicit, quod sors quam mutuat vsurarius, ingressa in domum eius qui mutuum accipit, est sicut hamus latronis proiectus in cameram eius, in qua fur furari intendit. Hamus enim ille patrefamilias dormiente & ignorante, semper voluitur, & modo illi, & modo illi infigitur, donec totum quod erat in camera extrahatur. Et ita sors vsurarij voluitur in facultatibus & laboribus eius qui accepit mutuum, donec quidquid habere poterit, illi sorti adiungatur: & ipse cum filiis si habet eos, in seruum possideatur. 4. *Reg.* 11. Venit creditor vt tollat filios meos sibi in seruos. Et ideo est abominabile peccatum vsura, contra charitatem proximi, contra præceptum Domini:non ponens modum lucri omni tempore, & omne tempus in lucrum vertens:quod est valde crudele. Ipso enim facto nunquam in bonum recordatur proximi. Nec aliud aliquod peccatum semper nocens nisi illud. Latro enim aliquando nocet, & fur:vsurarius autem semper & omni hora. Latro etiam & fur tantum accipiunt,& non plus:vsurarius autem est in accipiendo totum. Et ideo competit ei quod dicitur *Habac.* 1. Totum in hamo suo subleuauit, traxit illud in sagenam suam, & congregauit in rete suum. *Item.* Super hoc lætabitur & exultabit, propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo:quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.

Quærunt tamen quidam, Vtrum in vsura transeat dominium,vel non?Et qui dicunt,quod non: probant opinionem suam ex hoc quod danti vsuras competit actio & repetitio. Et quia Dominus præcipit quod nihil speretur de mutuo, dicens hic [Mutuum date, nihil inde sperantes] quod non fieret, si transiret id quod vltra sortem datur in dominium vsurarij.Qui autem dicunt quod transit in dominium vsurarij, probant assertionem suam ex hoc quod mixtæ voluntates (sicut proiectio mercium in mare in tempore periculi) magis sunt voluntariæ quam inuoluntariæ:quia principium earum est intra, consciente singularia, in quibus est actus, vt dicit *Arist.* Ergo conditionatæ voluntates multo magis sunt voluntariæ. Si ergo datur vsurario aliquid ex pacto, pro certo illud accipiens mutuum voluntarie dedit, & fit vsurarij, & in dominium suum transit: & hoc puto ego verum esse. Quod autem alij competit actio ad repetendum, ex statuto principis est, & non de natura contractus,qui est inter vsurarium, & eum qui accipit mutuum:& huius signum est, quod antiquæ leges vsuras permiserunt, sed eas ordinauerunt. Lucrum tamen est illicitum: quia & prohibitum, & nimis damnosum:sicut dictum est. Ideo ergo dicit: mutuum date,nihil inde sperantes.

Et erit merces vestra multa] Inuitat hic ad beneficentiam inimicorum ex consideratione mercedis. Dicitur autem [merces] respondens merito [multa] autem quia de multis. Si enim inimico non plus rependatur quam intulit, & fiat per modum iustitiæ, erit merces iustitiæ. *Deuter.* 25. Secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus.Si autem minus rependatur inimico quam intulit, erit merces misericordiæ relaxantis. *Iacob.* 2. Superexaltat autem misericordia iudiciũ. Si autem nihil inferatur pro malo quod intulit, erit merces patientiæ, æquanimiter sustinentis illata propter Deum. *Iacob.* 1. Patientia opus perfectum habeat:vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes. Si autem pro malo bonum reddatur, erit merces charitatis. *Psalm.* 34. & 108. Retribuebant mihi mala pro bonis,& odium pro dilectione mea. Et si erit merces iustitiæ, misericordiæ, & charitatis:ergo[multa]*Psalm.* 18.In custodiendis illis retributio multa. *Eccls.* 12. Benefac iusto,& inuenies retributionem magnam:& si non ab ipso, tamen à Deo.

Et eritis filij]Hic inuitat ad idem consideratione exempli diuini, quod peruersum esse non potest. Dicit ergo [eritis] per imitationem [filij Altissimi] *Ioan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Ephes.* 5. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi.1.*Ioan.* 3 Nunc filij Dei sumus:nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.In quo autem imitari debeamus dicit [quia ipse benignus est]visceribus bonitatis & charitatis affluens, & omnes ad conuersionem & pœnitentiam trahens. *Rom.* 2. An diuitias bonitatis eius & longanimitatis contemnis? Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? [super ingratos & malos] Ingrati dupliciter mali sunt. Faciunt enim malum, & in hoc sunt mali: faciunt autem contra beneficium, & in hoc sunt ingrati. Mali autem sunt simpliciter mali: vt *Matth.* 5. dicitur, quod solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos[benignus ergo est] hoc est, bono igne ignitus: qui sic liquescit in bonum, vt det malis suis inimicis, vt det omnibus, vt prouocet ad petendum,vt det plus quam petatur, vt det gratis,& vt det bonum pro malo inimicis & malis.*Matth.* 18. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Dat omnibus. *Iacob.* 1.Dat omnibus affluenter, & non improperat. Prouocat ad petẽdum *Matth.* 7.Petite & accipietis.Plus quam petatur dat. 3.*Reg.* 3.Salomoni petenti sapientiam, addidit diuitias & victoriam. Dat gratis. *Isa.* 55. Venite,emite absque argento,& absque vlla commutatione vinum & lac. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Bonum autem pro malo dat. *Ierem.* 18. Nunquid redditur pro bono malum: quia foderunt foueam animę meæ?Sic ergo[benignus super ingratos & malos]

Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Conclusio est ex omnibus præhabitis. Talis enim dilectio inimici non potest esse sine misericordia.Et ideo in illa concludit. Illam enim maximè diligit: & in illa summam perfectionis ponit. *Matth.* 9. Euntes discite quid est: Misericordiam volo

volo & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocaustum. Duo ergo facit: misericordiam indicit, & formam quam imitemur ponit. Misericordiam indicit cum dicit [Estote misericordes] primum in miseros corporaliter vel spiritualiter viscera compassionis effundendo Secundo autem, miseris de vestro donando. Tertio, siquid debet miser condonando. Quarto, miseriam eius quantum potestis portando. Quinto, miserum à miseria reuocando. Sexto, si etiam redire non vult, sed miserias multiplicat, eum expectando. Septimo, reuertentem sine improperio benigne suscipiendo. Octauo, quantum in nobis est, multa quibus miseria sua regatur largiendo. Nono, etiam pœnam suam secum portando. Decimo, etiamsi aliud esse non potest, satisfactionem pro miseris suscipiendo. De primo horum *Isa.* 58. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. De secundo *Luc* 11 Quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Eleemosyna autem dicitur ab elemonia quod est misericordia. De tertio *Matth.* 6. Dimitte nobis debita nostra: siquidem & ipsi dimittimus omnibus debitoribus nobis. *Matth.* 18. Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: oonne ergo & te oportuit misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? De quarto *Galat. vltim.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. De quinto *Cantic.* 6. Reuertere, reuertere Sunamitis, hoc est, captiua: reuertere, reuertere, vt intueamur te. *Iacob. vltim.* Siquis autem ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. De sexto *Isa.* 5. Expectaui vt faceret vuas. *Habac.* 2. Si morā fecerit, expecta eum. De septimo *Luc.* 15. Cum adhuc longe esset, vidit illum pater suus, & occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. De octauo *ibidem* dicitur. Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manueius, & calceamenta in pedes eius, & occidite vitulum saginatum, vt manducemus & epulemur. Ecce, nudum texit, ne appareret ignominia miseriæ: discalceatum calceauit, ne affectus videretur turpitudo, & pes vili luto pollutus: indecorum & turpiter anuli fulgore redimitum fecit, ne miseriæ videretur indecentia: esurientem bonis pinguibus repleuit, vt porcorum obliuisceretur siliquas: symphoniam cantare fecit, ne in memoriam veniret tristis planctus ignominiosæ paupertatis: amicos in gaudium conuocauit, vt contubernio tristi meretricum penitus obliuisceretur, & in talium societate delectaretur Sanctorum & Angelorum. De nono dicit Apostolus 2. *Corinth.* 12. Ego autem libentissimè superimpendam, insuper & ipse superimpendar pro animabus vestris. De decimo *Genes.* 31. Ego damnum omne reddebam. Quicquid furto peribat à me exigebas. *Genes.* 27. In me sit ista maledictio. Hoc est exemplum eius qui dixit *Ioan.* 17. Pro eis sanctifico meipsum.

Sic ergo estote misericordes: quia misericordia est sola sacrificium acceptum, misericordia peccata relaxat, misericordia iudicium durum temperat, misericordia comes est defunctorum. De primo *Osee* 6. Misericordiam volo & nolo sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocaustum. De secundo *Prouerb.* 16. Misericordia & veritate redimitur iniquitas. De tertio *Iacob.* 2. Iudicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. *Psalm.* 111. Iocundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in æternum non commouebitur. De quarto dicit *Ambros.* Non sunt hominis quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. *Isa.* 54. In misericordiis magnis suscipiam te [Estote ergo misericordes] istis modis, & istis de causis.

Sicut & Pater vester] qui nulli subiacet miseriæ, qui est in cælis. Tamen pro solo pietatis affectu [misericors est] seipsum in nostris miseriis miserabiliter conturbando, miserias nostras suscipiendo, multa pro nostris miseriis à miseris sustinendo, sua nobis & se communicando, omnem nostram miseriam si permittimus abstergendo. De primo horum *Ierem.* 31. Pœnitudo mea conturbauit me, coorturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserabor eius. De secundo *Ionæ* 1. Mittite me in mare, & cessabit mare à vobis, hoc est, in profundum miseriæ & passionis. De tertio *Psalm.* 68. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: qui consolaretur, & non inueni Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. De quarto *Rom.* 8. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? De vltimo *Apoc.* 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Est autem Pater misericors in affectu, miserator in effectu, benignus in profectu, patiens in nostro defectu, præstabilis in modico quem aliquando exhibemus pœnitentiæ effectu. *Ioel.* 2. Benignus & misericors & patiens, & multum misericors & præstabilis super malitia. *Psalm.* 111. Misericors & miserator & iustus Dominus. *Ionæ* 4. Tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Sic ergo Pater noster Deus Trinitas misericors est, quem in potentia imitari non possumus: in sapientia autem admirari possumus, non attingere: in bonitate ergo & misericordia imitemur, vt probemus nos filios esse ipsius. Et sicut in duritia portauimus imaginem terreni patris: sic in misericordia portemus imaginem Patris cælestis, vt sui simus filij. Dicit autem.

Sicut Pater vester] vt notetur similitudo: quia Pater cælestis nihil miseriæ habet in seipso. Et sic à se incipiens, miseretur nostri, non quod sui misereatur, sed quia non patitur se esse miserum. Et sic est nobis faciendum: quia à nobis incipiendum vt alteri misericordiam faciamus. *Eccli.* 14. Qui sibi nequam, cui est bonus? *Eccli.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. *Prouerb.* 11. Benefacit animæ suæ vir misericors. 1. *Timoth.* 5. Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

Posuit præcepta ordinis ad inimicū, quod erat difficillimū, & per consequens ordinē ad proximū

secundum chatitatis & misericordiæ debitum: ideo ponit ordinem secundum iudicium & condemnationem. Iudicium enim durum sæpe impedit dilectionem ad inimicum, & præcipuè condemnatio,& quia non dimittitur ei delictum: & ideo hic hæc remouet impedimenta dilectionis, & facit hic duo: vnum quidem, quod dicta remouet impedimenta: secundum autem, quod ostendit inimicum non posse esse iudicem proximi. De primo autem dicit duo, in quorum primo quatuor ponit præcepta de remouendis impedimentis veræ dilectionis. In secundo autem ostendit, quod secundum modum iudicij nostri & quantitatem iudicabitur de nobis. Quatuor autem præc. pta per ordinem patent in litera. Primum quidem est.

Nolite]hoc est,Dixi:diligite inimicos.Et[nolite iudicare] eos:quia hoc impedit affectum dilectionis. Diximus autem in notulis nostris super *Matth.*7. quod est iudicium rationis,& iudicium iurisdictionis. Iudicium quidem rationis est quo facta nostra vel aliena apud nos discurimus. Et hoc quidem iudicium, aut est de factis propriis, aut de alienis. Si est de factis propriis, in his habet conscientiam testem de facto,& de causa facti, & de intentione facti. Et ideo in illo iudicio optimè proceditur. Et suadet tali iudicio conscientiam discutere *Apostolus* 1.*Corinth.*11. quod si nosipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Si autem facta alienæ conscientiæ curiosius inuestigo, non debeo ante tempus iudicare. 1.*Corinth.*4. Nolite ante tempus iudicare,quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum,& manifestabit consilia cordium. Et ante hoc parum dicitur: Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Dies autem humanus est humanæ cognitionis illustratio, quæ sæpè nebulosa & fallax est. Dies autem Domini,est diuinæ cognitionis illustratio & manifestatio, quæ aliquando in quibusdam facta est à iure, & aliquando à iudicio, aliquando autem à iudice.

Quæ vt intelligantur oportet scire, quod iudicium rationis nostræ aliquando est de operibus proximi, aliquando autem de ipso operante. De operibus ergo quando iudicatur, considerandum: vtrum ipsa opera sint adeo mala quod nullo modo possint bene fieri,sicut furtum,adulterium,fornicatio, & huiusmodi: & si hæc iudicantur esse mortalia peccata, non est peccatum: quia dies Domini per Scripturam suam hæc illustrauit. Qui enim talia mortalia esse non dicit & credit, infidelis est,& iam iudicatus est: sicut dicitur *Ioan.*3. Similiter autem est de ipso operante, dum est in talibus operibus Sed in ipso operante cauendum est ne iudicetur de permanentia in peccato: vt dicamus, quod nunquam erit bonus: quia qui hodie est malus,forte cras erit bonus:& de nullo desperandum est dum est in via. *Eccli.*11. Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem. *Eccli.*18 A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. Tale enim iudicium dies Domini per Scripturam suam non declarauit. Et ideo de finali impœnitentia nullum debeo iudicare. Si autem sunt actus qui possunt bene & malè fieri, sicut acquisitio temporalium,vel locutio cum muliere,vel aliquid huiusmodi: aut iudicatur de opere, aut de operante. Si de opere,non debet fieri iudicium humanæ diei: quia de opere non iudico nisi de causa, vel intentione operis:sicut si dicam quod temporalia ex auaritia congregat & tenet, vt in deliciis viuat, & turpiter expendat. Hoc est iudicium temerarium & humanæ diei: quia opus non ostendit malum: & de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. Similiter autem si hoc modo iudico de operante. Si autem in circunstantiis aliquid boni vel mali manifestetur: hæc manifestatio est dies Domini, qui illuminat occulta:sicut si iuuenis lasciuus,comptus,scurrilia diligens, in loco suspecto cum iuuencula garrula loquatur: rhetoricè possum arguere, quoniam adulter vel fornicator est. Si autem Sacerdos maturus, honestus,cum matrona honesta in loco familiari loquatur: dies Domini ex circunstantia talium personarum, nihil inhonestum permittit iudicare: sed potius quod de consilio animæ sit locutus. Si autem est de occultis omnino, & non manifestis nisi per quædam signa debilia: dies Domini hæc non declarat, nisi vel in iudicio per testes, vel propriam confessionem declaretur: vel à iudice sententia condemnationis feratur. Et si aliter iudicatur: temeritas est,& peccatum.

In iudicio autem iurisdictionis est etiam aliquando temerarium iudicium dupliciter, scilicet, in præsumpta potestate iudiciaria,vel in executione iudicij. In præsumpta autem potestate iudiciaria est: dum aut sedes violenter vel contra iustitiam occupatur. *Exod.*2. Quis te constituit principem & iudicem super nos? *Isa.*22. Quis tu hic aut quasi quis hic? Aut aliquando per simoniam emitur *Zach.*11. O pastor & idolum. Non enim pastor vel iudex est simoniacus,sed idolum pastoris & iudicis. In executione autem iudicij, si non sequitur allegata à iure, tunc temeratiè iudicat:& talis debet esse iudex qui sciat & velit & possit diligenter inquirere veritatem & iuris ordinem. *Iob* 29. Causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam *Eccli.*7. Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates. Hæc autem virtus est ex iuris notitia, & diligenti inquisitione de causa præhabita ante sententiam diffinitiuam Ex parte autem agentis vel rei est iudicium omnino peccatum, si iudicium prouocat ad dispatis cultus iudicem, vel ad iudicem coram quo præualet iniquitas. 1.*Corinth.*6. Audet aliquis vestrum iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? Quasi dicat. Hæc audacia est contra fidei honestatem Et ideo ibidem dicitur: Frater cum fratre in iudicio contendit, & hoc apud infideles. Et iterum. Iam quidem omnino delictum est in vobis: eo quod iudicia habetis inter vos. In hoc enim casu magis est iniuria sustinenda: sicut diximus in antehabitis.Vnde ibidem *Apostolus*.Quare non magis iniuriam accipitis?Quare non magis fraudem patimini. Hæc autem omnia dicta sunt propter diuersarum *Glossarum* intellectum. Literalis enim sensus est quem diximus, quod videlicet vult remouere impedimenta dilectionis quæ præcipuè sunt, quando iudicatur & ponderatur ab inimico illata iniuria, quando condemnatione & non dilectione dignus reputatur, quando non dono beneficij sed pœna æstimatur idoneus. Et ideo dicit *Chrysost.* quod optimus est, qui nihil cogitans de iniuria, propter Deum statim diligit. Est autem & ille bonus qui postquam iudicauit inimicum

inimicum non dilectione dignum: tamen propter Deum dilexit, renuntians iudicio. Rursus autem & ille est in statu salutis qui & iniuriam ponderans iudicauit: & pœnam quam meruit, taxari fecit per condemnationem: sed reuersus ad Deum, hanc ipsam pœnam infligi inimico noluit, sed extunc dilexit & remisit. Beatissimus autem omnium qui ei qui iniuriam intulit & condemnari meruit, & non remissionem, sed pœnæ inflictionem expectauit: omnia hæc dimisit, & multa bona econtra donando cumulauit. Et sic literaliter hic quatuor exponuntur. Dicit ergo.

Nolite] hoc est, velitis non [iudicare] quia iudicium impedit dilectionem. *Ioan.* 18. Nobis non licet iudicare quemquam. Et hoc quidem adhuc magis est difficile quam inimicorum dilectio, quod scilicet nihil iudicem de iniuria mihi illata. Vnde *Ioan.* 3. Non misit Deus Filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Et ita faciunt & alij filij Dei qui sunt per adoptionem filij [non iudicabimini] à Deo. Sine iudicio enim ponderationis suæ culpæ dimittitur ei debitum, qui præueniens iudicium inimico debitum relaxauit. *Luc.* 7. Dimittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Et præmisit: Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque: non trahens eos ad iudicium. Et ideo Maria tantum dilectionis creditur habuisse quod omnibus dimisit, nullum iudicium expetens, etiamsi in multis offensa fuisset.

Si autem obiiciatur illud quod dicit *Apostolus* 2. *Corinth.* 5. Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit. Ex hoc enim videtur quod omnes iudicabuntur. Dicendum, quod omnes quidem in iudicio apparebunt: sed debita non ponderabuntur: quia iam ea operuit ista charitas, qua diligitur (sicut dictum est) inimicus. 1. *Petr.* 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. *Prouerb.* 10. Vniuersa delicta operit charitas. Et hæc est vera expositio. Et omnes aliæ sunt vagæ expositiones.

Si autem aliquis forte de inimico expetit iudicium iustitiæ, & procedit cum eo ad iudicium: illum adhuc reuocat Dominus secundo mandato, dicens.

Nolite condemnare] hoc est, vsque ad condemnationis sententiam procedere. *Ioan.* 8. Nemo te condemnauit mulier? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo, sed absoluo, licet in me peccaueris. Vade, iam amplius noli peccare. *Rom.* 14. Tu quis es qui iudicas, hoc est, qui condemnas alienum seruum? Suo Domino stat, aut cadit [& non condemnabimini] à Deo. Iustum enim est de congruitate æquitatis, quod si in me peccantem non condemnans absoluo, quod etiam me Deus absoluat & non condemnet. *Eccli.* 18. Dimitte proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata absoluentur.

Sunt autem inter pastores qui hæc non faciunt, sed potius ad manum & ad pecuniam respiciunt. *Isa.* 5. Qui iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo: qui dicunt malum bonum, & bonum malũ: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. *Daniel.* 13. Iudicãs iudicia iniusta, innocentes opprimens & dimittens noxios.

Dimittite] Redi ad expositionem literæ [Dimittite] pœnam ad quam condemnatur inimicus. *Luc.* 11. Siquidem & ipsi dimittimus omnibus debentibus nobis. *Eccli.* 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam: & peccata illius seruans seruabit. *Deut.* 32. secundum antiquam translationem. Mihi vindictam: & ego retribuam. *Rom.* 13. Non vosmetipsos defendentes charissimi: sed date locum iræ. *Eccli.* 28. Homo cum caro sit, reseruat iram: & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorum, & desine inimicari [Et dimittetur vobis] à Deo peccatum, si propter Deum dimittitis, exemplum accipientes à Deo, qui dicit *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Dimittit enim Deus dimittentis debitum, & reuocat antiquam culpam super non dimittentem. *Matth.* 18. Nonne & te oportuit misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Hoc est enim expuere super scintillam ignis, quando ex corde dimittitur offensa. Sufflare autem ignem, hoc est, exigere vindictam & pœnam infligendam. *Eccli.* 28. Si sufflaueris, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur.

Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Hic adiungit quod perfectum est, quod liberaliter absque iudicio & condemnatione & exactione emendæ detur iniuria illata. Et tunc etiam dabitur à Deo reconciliatio gratis. *Luc.* 7. Non habentibus vnde redderent, donauit vtrisque. Donatio autem est doni quod est gratis datum, & datio irreddibilis. Sic etiam donandum est delinquentibus. Tunc enim & charitas est dulcior, & cor diligens apud Deum audacius, affectus Deo similior, & amicus de inimico lucratus securior, & ad amicitias de cætero exhibendas obligatior. Dulcior quidem: quia nihil fellis retinet, quando gratis dimittit. Audacius etiam apud Deum est cor, quando simpliciter sine discussione mandatum dilectionis impleuit. Tunc enim simplex obedientia sibi generat apud Deum audaciam petendi quod vult impetrare de peccatis propriis. Deo etiam est similior: quia sic Deus nobis peccantibus donauit. Securiorem etiam accessum habet ad nos: quia si nihil emendæ exigimus nobis faciendæ, hoc est meræ bonitatis: & apud bonum, quilibet est securus: & non est ita securus apud iustum, qui emendam exigit: & ipse de inimico lucratus amicus, apud se non cognoscit obligatum: eo quod in beneficiis charitatis est præuentus. De dulcedine quidem *Eccli.* 49. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria. De audacia dicitur 1. *Ioan.* 3. vbi loquitur de dilectione fraterna, & dicit sic: Charissimi si cor nostrũ non reprehẽderit nos, fiduciam habemus ad Deum: vt quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. De similitudine autem ad Christum *Philip.* 2. Hoc sentite in vobis quod & in Christo IESV. Ipse enim dilexit inimicos Et 1. *Petr.* 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: vt sicut ille gratis donauit; & nos donemus. De securitate autem eius cui peccatum dimittitur,

per oppositum exemplum accipitur 2. *Reg.* 14. Cum Dauid dedisset peccatum Absolom: tamen reseruauit sibi quod intraret in domum suam, & faciem eius non videret. Et ex hoc securitatem noo habens Absalom, multa postea mala procurauit. Ex corde dimittendum est: vt is qui fuerat inimicus, securitatem habeat. 1. *Ioan.* 3. Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Ille etiam tunc quietius possidetur inter amicos. *Augustinus.* Ille solus neminem perdit; qui & amicum diligit in te, & inimicum propter te. Sic enim impletur illud *Ioan.* 17. Quos dedisti mihi custodiui:& nemo ex eis periit nisi filius perditionis. Cui tamen Christus etiam osculum amici porrexit. Sic ergo [Date & dabitur vobis]

Subiungit autem mensuram retributionis ad mensuram dilectionis. Sicut enim diximus, optima dimissio est, si gratis non iudicantes offensam, nec ad iudicium pertrahentes dimittimus. Bona nihilominus est, si post iudicium prouocatum contra inimicum ante condemnationem dimittimus. Adhuc & ille aliquid boni habet, si post iudicium contra inimicum prouocatum, & post condemnationem factam à iusto iudice: dimittimus pœnam, non exigentes infligendam. Dulcissima autem est, si etiam bonum pro malo donamus inimico Hæc igitur vltima est supereffluens. Dimittere autem gratis ante iudicium est coagitata, hoc est, ad quassata mensura. Dimittere autem post iudicium ante condemnationem, est mensura conferta compressa in omnibus. Bona autem est mensura, dimittere post condemnationem, & pœnam indictam non exigere. Hoc est igitur quod dicit.

Mensuram bonam, & confertam] Est enim bona, quæ vndique implet. Conferta, quæ in omnibus est expressa. Coagitata, quæ violentiam impulsionis est passa: vt pars fortiter ad partem stet, vt mensura plus capiat. Supereffluens autem est, quæ vndique exuberat. Et hæc est expositio literalis. *Deut.* 25. Pondus habebis iustum & verum: & modius æqualis & verus erit tibi. *Isa.* 27. In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit, iudicabit eam. In his enim verbis ostendunt Legislator & Propheta, quoniam ad effectum charitatis, & circunstantias dimissionis: dabitur vobis mensura meriti & retributionis. Pondus enim iustum est idem quod mensura conferta. Modius æqualis est mensura coagitata. Modius verus, mensura supereffluens. Quamuis autem hoc sit de dilectione, præcipue tamen est generaliter verum in omni bono & malo merito.

Et secundum hoc dicuntur hic septem. In hoc enim quod dicit [mensuram] intelligitur proportio retributionis ad meritum. *Isa.* 3. Dicite iusto: Quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Væ impio in malum, retributio manuum eius fiet ei. In hoc autem quod dicit [bonam] notat impletionem capacitatis naturæ. *Matth.* 25. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem. In hoc autem quod dicit [confertam] notat quod proportio etiam erit ad naturæ conatum. 4. *Reg.* 4. Illi offerebant vasa vacua non pauca: & illa infundebat. Vasa enim vacua sunt corda. Oblatio eorum est conatus eorum ad bonum. In quæ vasa oleum gaudiorum in retributione infundit mater sapientia. Capacitas autem meriti in opere, exigit mensuram coagitatam: quia omnis circunstantia & omnis actio & cogitatio & affectus implebitur: quæ exhibita sunt ad meritum. Et hoc est gomor, ad cuius mensuram manna colligitur *Exod.* 16. Affectui autem charitatis in merendo nihil sufficit: quia si millies se rependere posset, parum esset charitati: quia infinities infinita pauca reputaret præ charitatis amplitudine. *Cantic.* 8. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, quasi nihilum despiciet ipsam. Et ideo quærit præmium nulla mensura contentum. Et hoc est [supereffluentem] *Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui: quod infinitum existens, in te intrare non poterit. sed tu intrabis in illud infinitum pelagus, & abyssum gaudiorum. Et hæc sunt quinque. Sequitur [Dabunt] in quo notatur mensurantis magnifica liberalitas: quia dat gratis. *Esther.* 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. *Ephes.* 4. Dedit dona hominibus [in sinum] Ecce septimum, quia est remuneratio abscondita in occulto sinus vestri. Et in hoc notatur quod vincit omne sensibile in honoribus & diuitiis & deliciis mundi, nullum habens exemplum. 1. *Corinth.* 2. Quod oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Notatur etiam in sinu certitudo: quia certum est, quod in sinu habemus. 2. *Tim.* 1. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Addit autem [vestrum] vt notetur quod ad nutum habetur tanquam à nobis possessum. Ipse enim qui est merces Sanctorum, noster est, & vult esse vt ad ad nutum habeatur. *Hebr.* 2. Non confunditur Deus vocari eorum Deus. Tradidit enim illis ciuitatem. Ipse ergo noster est. Ciuitas regni sui nostra est: & omnia sua nostra sunt. *Luc.* 15. Omnia mea, tua sunt. 1. *Corinth.* 3. Omnia vestra sunt. Hoc autem quod particulariter determinauit, vniuersaliter subiungit dicens.

Eadem quippe mensura] dilectionis [qua mensi fueritis] in merito [remetietur vobis] non quidem tantum ad tantum, quia hoc parum esset: sed potius in omni mensura dilectionis & meriti, remetietur vobis mensuram bonam, & confertam, & supereffluentem. Mensuram ex sapientia bonam, ex fidelitate remunerantis, confertam: ex iustitia, quia vult quod vndique plenum sit, coagitatam: ex bonitate supereffluentem, ex charitate donatam, & superadditam ex magnifica liberalitate. Sic ergo [remetietur vobis] quasi duabus mensuris: vna quidem debiti, alia autem superogationis: vna iustitiæ, & alia charitatis. *Apoc.* 6. Bilibris tritici denario vno. Denarius est meritum. Bilibris tritici grani frumenti sunt duæ mensuræ: iustitiæ, & charitatis: quas remetietur nobis Deus in adipe frumenti, quo satiabit nos.

Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadent?

Ecce hic incipit per similitudinem ostendere, qualiter rectum iudicium impedit odium reseruatum: & ideo duo facit. In primo enim quod dictum est ostendit. In secundo monet purgare li-

uorem

uorem vindictæ in odio inimicorum. De primo dicit duo. Primo enim ostendit per similitudinem, esse cæcum in iudicando, qui reseruat iram fraternam. In secundo per antipophoram tacitæ respondet obiectioni. Dicit ergo [Dicebat autem] magis imprimere volens per exempla corporalia [illis similitudinem] quia per corporales similitudines spiritualia melius intelliguntur. *Prouerb.* 1. Animaduertit parabolam & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum. *Matth.* 13. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.

Numquid potest] potentia visus [cæcus] in ratione [cæcum ducere?] Quinimo vt dicit *Chrysost.* si hoc præsumat, stultus & fatuus est. Est autem cæcus dupliciter. Vnus quidem nec oculos habens. Alius autem babens quidem oculos: sed visum in eis habet obnubilatum & velatum. Primus est qui in ratione nullam habet gubernandi scientiam: quia nec scit Grammaticam, neque Theologiam, neque iura, neque aliud. Et ideo cæcus est qui talis est. *Isa.* 56. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare. Isti sunt cæci quos Iebusæi posuerunt super murum in opprobrium Dauid: cum ipse Dauid expugnaret ciuitatem 2. *Reg.* 5. Posuerunt etiam claudos in defensionem. Vnde cæci speculatores qui sunt Prælati, custodire debentes Ecclesiam: sunt in ignominiam Christi veri Dauid. Vnde dicunt *ibidem.* Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, odientes animam Dauid. Et ita Christus non ingredietur corda subditorum, nisi cæci Prælati auferantur. *Isa.* 5. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Osee* 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego, ne sacerdotio fungaris mihi. Alij sunt cæci velamen habentes ante oculos: & illi sunt quos vel fumus iræ, vel caligo odij, vel puluis auaritiæ, vel vngula inuidiæ excæcat: nec rectum ducatum possunt dare proximo vel subdito nisi hoc auferatur. Idem patiuntur qui luto luxuriæ vel fluxu gulæ infirmos habent oculos. Qui autem superbiæ supercilio altos habent oculos, non vident nisi quod sublime est, & omne humile despiciunt. Et isti quandiu paruum est peccatum, festucas habent in oculo: & si crescit peccatum, efficitur trabs de festuca. Omnibus autem his modis cæci si ducant suo regimine cæcos, dicit Dominus [Nonne ambo in foueam cadent?] Fouea autem vocatur perditio: quia, sicut dicit *Gregor.* Cum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est quod grex in præcipitium sequatur. *Matth.* 15. Sinite eos, cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Isa.* 24. Formido & fouea & laqueus super te qui habitator es terræ. Formido propter ducentis dubium. Fouea propter ducentis casum. Laqueus in perditione tenens propter resurgendi desperationem.

Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

Hic antipophorat Christus. Posset enim aliquis dicere. Subditus, vel is qui ducitur, potest cauere: quamuis cadat ille qui ducit. Et dicit Dominus, quod oculi discipuli in via morum attendunt ad exempla Prælatorum. Et licet in contemplatiuis aliquando ad rationem potius quam ad auctoritatē magistri respiciatur: tamen in moribus magis ad opera respicitur. Vnde *Gregorius.* Prælatum peccantem arguere non præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerentia gradus peccator honoratur. In talibus enim erroribus [non est discipulus super magistrum] vt errorem magistri corrigat. Professione enim disciplinæ magistri discipulus in talibus cognoscitur: sicut & Christus de discipulis suis ait: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos *Ioan.* 8. Ita per oppositum cognoscuntur discipuli errantium. Vnde sequitur.

Perfectus autem omnis erit] In sui magistri disciplinis [si sit sicut magister eius] hoc est, ductor & doctor, qui magis persuadet exemplo quam verbo: sicut Christus de se dicit *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodū ego feci vobis: ita & vos faciatis. *Matth.* 23. dicitur propter hoc. Vnus est enim Magister vester qui in cælis est. Iste est enim qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In contemplatiuis autem sæpe discipulus melior est magistro: quia ibi ad rationem respicitur, & non ad doctoris exemplum. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. Pedibus enim appropinquat qui vestigiis inhæret exemplaris.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo: & tunc prospicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

Ecce hic dicit de cæcis, qui per aliquod vitium publicum habent boni iudicij & visionis & ducatus impedimentum. Dicitur autem festuca paruum peccatum in oculo subditi: quod duobus modis fieri potest: aut quia paruum est specie: aut quia paruum est nocumento tali quod non redundat in alios, sed stat in vno: sic enim omne peccatum subditi paruum est, quia non trahitur in exemplum, & est paruæ corruptionis respectu peccati Prælatorum. Dicit autem hic tria. In primo notat iudicandi difficultatem in talibus. Secundo notat iudicandi scandalum. Tertio inuectiuam ponit increpationem. De iudicandi difficultate dicit.

Quid autem vides] hoc est, qualiter videre poteris maiori prægrauatus [festucam] paruum nocumento vel specie peccatum [in oculo] rationis [fratris tui] quia conditione subditus frater est, licet gradu sit inferior [trabem autem] hoc est, magnum nocumento & specie peccatum [quæ in oculo] rationis [tuo est non consideras?] In hoc

enim interior oculus potentior est exteriori, quod se, & defectus suos poterit considerate: quod non potest exterior. *Eccli.* 31. Intellige ea quæ sunt proximi tui ex teipso. Et nisi homo ex seipso consideret, non bene iudicat proximum. *Psalm* 16. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem. *Galat.* 6 Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite illum: considerans teipsum ne & tu tenteris. Ideo *Exod.* 38. præcepit Moyses vt specula circumponerentur luteri, in quibus Sacerdotes seipsos considerarent, antequam officia Sacerdotis agerent. Deinde subiungit talis iudicij impotentiam & iniustitiam & incongruitatem, dicens [Aut quomodo] hoc est, qua iustitia, aut qua conscientia [potes dicere fratri tuo] vel corripiendo, aut auctoritate corrigendo [Sine] hoc est, Sostine me [eiiciam festucam de oculo tuo] qui iam faciem corrigentis & corripientis amisisti [Ipse autem in oculo tuo trabem non vides] 2. *Reg.* 7. Non ædificabis mihi domum: eo quod vir sanguinum es. Ibi *Gloss.* Sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. *Eccli.* 34. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Necesse est enim vt subditi palpet vitium: cuius in exemplo corruptionis patet vitium proprium. *Luc.* 4. Medice cura teipsum.

Hypocrita] Hypocrita est homo laruatus, qui extra Doctoris formam vsurpat, & intus sordibus exemplorum malorum hos quos docet, in errorem declinat. *Isa.* 22. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuabit te. Iste enim non est gallus, sed galli similitudo. Et non est homo sed amictum quoddam extrinsecus ad habitum, similitudinem habens & figuram hominis: & ideo subleuabitur de medio Doctorum verorum [eiice primum trabem de oculo tuo] ne coram & in conspectu omnium appareat [& tunc perspicies] iudiciaria auctoritate [vt educas] corrigendo vel corripiendo [festucam de oculo fratris tui] Si autem in consimili es, vel maiori: simul cum fratre ingemisce, & non supercilium correctionis super eum vsurpa.

Attende autem, quod si Prælatus trabem habeat non in oculo, hoc est, non in publico sed in occulto: ille cum timore tempore necessitatis corrigere poterit. Si autem in oculo, hoc est, in propatulo, non debet vsurpare correctionem. Sed si corrigit, non habet frontem, & peccat. Et tamen quandiu prælatus est, corrigere tenetur. Et sic videtur esse perplexus: sed non est: quia vel emendet peccatum, & tunc eiecit trabem: vel dimittat prælationem, & tunc non tenetur ad correctionem. Sed hodie maior pars & trabem publicè in oculo portat, vel etiam iactat: & tamen festucas in oculis subditorum pœna pecuniaria plectunt, non educunt. *Isa.* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Et ideo grex Domini dissipatur. *Ioan.* 8. Quis ex vobis arguet me de peccato, clamat Christus? 1 *Cor.* 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, clamat Apostolus. Peccatum trabis in oculo porto, dicit Episcopus. Imitatores mei nolite esse, sicut & ego diaboli, clamat Plebanus. Et ideo Euangelica veritas non saluatur. Econtra dicitur de summo Sacerdote Iuda 1. *Machab.* 4. Elegit Iudas Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege: & mundauerunt sancta: & ideo prosperatum est opus in manibus eorum.

Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur.

Hic adhuc ostendit quæ mala facit fraternum odium per similitudinem loquens, & per considerationem hominis in seipso. Ponit autem duas similitudines: vnam ad arborem, & alteram ad thesaurum cordis. De arbore autem loquens facit duo. Ponit enim primo comparationem arboris ad fructum secundum bonum & malum in genere. Secundo autem ponit comparationem in specie spinæ & rubi. In prima comparatione duo facit. Primo enim comparationé ostendens præmittit, & sic comparationem præmissam vniuersaliter concludit. Præmittit autem primo comparationem bonæ arboris ad fructum malum: secundo autem comparationem malæ arboris ad fructum bonum. Dicit ergo secundum literalem expositionem [Non est arbor bona] hoc est, boni & delectabilis succi [quæ facit fructus malos] acres, indelectabiles: & non salubres, sed venenosos.

Videtur autem falsum dicere. Quia arbor mala in radice & stipite per insertionem boni surculi facit fructum bonum: sicut tota die in operibus hortensium arborum videmus: quia aliter frustra essent opera culturæ & insitiones plantarum. *Rom.* 11. Ex naturali excisus oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: & socius radicis oliuæ & pinguedinis factus es. Videntur ergo illa non esse vera. Ad hoc dicendum, quod planta nihil habet pro ventre intra seipsam: & ideo non emittit superfluitates: sed terra est venter eius, & radices sunt sicut venæ meseraicæ in animali, & trahunt humorem à terra sicut meseraicæ à stomacho & intestinis ventris: & tam superfluitatem siccam quam superfluitatem humidam separant in ipso tractu. Hic autem succus digeritur in radice ad radicis similitudinem, & in stipite ad similitudinem stipitis, & in ramis ad similitudinem ramorum, & in poro ex quo sugit fructus digeritur, sicut in fonte immediatum ad fructum: in fructu digeritur secundum ipsius fructus congruentiam. Et ita intelligitur planta siue arbor, secundum potentiam & virtutem digestiuam quæ est in poro immediato fructui. Illa est enim planta fructificans, ad quam fructus dependet sugens per entfilidonem. Et secundum hoc vera est comparatio. Et sic est in eo qui habet odium fraternum in voluntate, quæ est immediata potentia ad opus. Ira enim, & odio, & rancore, & indignatione, & felle amaritudinis existentibus & informantibus voluntatem: nullus bonus fructus verbi vel operis à voluntate illa quandiu talis est, procedit. *Act.* 8. In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Vnde quandiu talis est voluntas nihil boni profert. Econtra dulcedine amicitiæ fraternæ informata voluntas, manens sub tali amicitiæ dulcedine nihil mali profert. Et hæc duo notat per duas comparationes. Per eam quæ est dicta, & per eam quæ

sequitur

sequitur [Neque arbor mala] in poro vnde dependet fructus[faciens fructum bonum]quia hoc essent contra naturam, quod digestio & succus essent mala : & fructus esset bonus. *Sapient.* 12. Erat enim natotalis malitia eorum,& mutari non poterat. Ista est literalis expositio.

Sunt autem hæretici qui hic occasionem erroris accipiunt. Et sunt qui vocantur Manichæi, dicentes duo esse principia. Vnum bonum, boni principium : & alterum malum, mali principium: quæ sunt duæ arbores, bona,& mala. Et nos quidem alibi sufficienter satis de hoc disputauimus. Sed hic tamen duas rationes ponimus, quæ cum demonstratione Quia, sunt conuertibiles : & sunt *Aristotel.* Vna quidem : quia quodcunque principium est primum, oportet quod cuiusdam vniuersi sit principium Huius autem principium non potest esse nisi per motum alicuius primi mobilis ab ipso. Vnde in principio 8. *Physicorum* dicit *Aristoteles* de motu primi mobilis, quod est tanquam vita quædam existentibus omnibus. Oportet ergo quod bonum principium, sit per motum primum, vniuersitatis cuiusdam principium: quæ vniuersitas genere & specie differat à mali principio. Eadem necessitate cuiusdã vniuersi est principium malum, per suum motum primum : quæ etiam vniuersitas differt genere & specie ab alia, Ergo sunt duo mundi,genere & specie ab inuicem differentes, & vterque visib lis & sensibilis: quod vt ridiculum, est à *Philosopho in primo Cœli & Mundi* reprobatum.

Adhuc, Principium primum non est principium causati secundi, nisi sit principium causati primi. Causatum autem primum, ante quod nihil poni potest causatum, est esse. Ergo principium primum est principium esse vniuersaliter, & omnium quæ habent existentiam in esse. Ergo quodcunque illorum principiorum primorum detur, illud erit principium esse vniuersaliter. Igitur est principium esse alterius principij, quod etiam ponitur primum. Ergo ipsum est principiatum, & non principium. Ergo si sunt duo principia, sequitur quod non sint duo principia. Et sunt hæ rationes sumptæ à *Philosopho.* Falsa est ergo positio ista, & est error pessimus qui à Pythagora primum est exortus.

Sunt alij stulti qui dicunt, quod arbor mala est homo malus, qui non potest fructum bonum facere. Sed hoc falsum est : quia sæpe homo malus multa bona facit opera : & confortatur in illis ab Ecclesia : quia per hoc humilior fit ad gratiam. Dat enim eleemosynam, orat, castus est, iuste iudicat, & multa bona facit : sicut *Act.* 10. Cornelius per bona opera venit ad fidem & ad gratiam. Et ideo glossandum est, sicut diximus, quod arbor mala non est homo : sed voluntas hominis stans & manens sub forma malitiæ : & inquantum sic est informata, non facit bonum : sicut & arbor infusa malo succo in poro à quo dependet fructus. Et tunc nullus sequitur error. *Sapient.* 4 Fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum & ad nihilum vtiles. Quod autem sub diuisione præmisit : generaliter concludit ; dicens.

Vnaquæque enim arbor] hoc modo quo dictum est[de fructu suo] hoc est, de qualitate fructus sui [cognoscitur] Comparatur autem homo arbori, Quia græce etiam homo arbor circumuersa vocatur. Antropos enim componitur ab an, quod est circum : & tropos, quod est conuersio. Antropos autem homo vocatur sermone græco: quia arbor habet radices inferius, nutrimentum sugentes ori similes : & hoc os habet homo superius vnde sugit nutrimentum, & hoc habet solus. Cætera enim animalia prona sunt in terram os conuertentia. Bifurcationem autem habet inferius homo in cruribus, & ad bifurcationem stipitem corporis descendentem, & manus à latere exeuntes sicut ramos : & ideo per contrauersam positionem homo similis est arbori : propter quod etiam Dominus ad instructionem hominis ponit similitudinem arboris. *Psalm.* 1. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Hoc etiam significatur *Genes.* 2. Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem vt operaretur & custodiret illum. Opus enim hominis erat, vt in ipsa sua similitudine arboris, disceret quid secundum suam naturam Deo deberet. Ex quo enim radices ori similes supra haberet, debebat scire, quod radicati non in terra sed in cælo deberet : ex quo pedes vt ramos fortiores ad terram conuerteret, terram calcare deberet. *Ezech.* 2. Fili hominis sta super pedes tuos, & audi quæcunque ego loquor ad te. Hoc enim modo operari, est opus sapientiæ. Propter quod in paradiso lignorum positus est. Hæc ergo est causa assimilationis ad arborem.

Moraliter autem loquentes ad ædificationem morum, dicimus, quod arbor bona à nouem proprietatibus bona vocatur, videlicet, à loci plantatione, à profunda radicum fixione, à stipitis fortitudine, ab altitudinis proceritate, à ramorum lata extensione, à folij viriditate & retentione, à florum pulchritudine, ab vmbræ & odoris suauitate, à fructus desiderabilitate. Optima loci plantatio est secus aquas, vbi locus dulci aqua paulatim humescit, hoc est, ad rigationem fluentorum Spiritus sancti in doctrina & gratia. *Ierem.* 17. Benedictus vir qui confidit in Domino : & erit Dominus fiducia eius. Erit enim quasi lignum quod plantatum est super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum. *Psalm.* 1. Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Radicum autem profunda fixio est propositi immobilis in timore Dei profundissima immersio : quia aliter tentatione subuerteretur. *Sapient.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, neque stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Stipitis autem fortitudo, virtutis animi est firmitas & robur. *Daniel.* 4. Magna arbor & fortis valde. Magna bonitate & forti autem virtute. Altitudinis autem proceritas est in fastigio contemplationis. *Ezech.* 31. Eleuata est altitudo eius super omnia ligna regionis. *Daniel.* 4. Proceritas eius contingens cælum. Aspectus eius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Omnes enim aspiciunt ad tale fastigium. Ramorum autem lata extensio est subditorum, vel eorum quos exemplo vel verbo sibi adiunxit lata multitudo. *Psalm.* 79. Extendit palmites eius vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Mare significat amaritudinem

huius seculi, in qos multos sibi adiongit per consolationem. Flumen significat transitotiam huius mundi vaoitatem, in qua iterum multos sibi adiungit per prædicationem. *Ezech.* 31. Multiplicata sunt arbusta eius præ aquis multis. Folij autem pulcbritudo & virot est gratia verborum eius & sermonum. Et præeipue quando illa non fluunt sicut vaniloquia. *Psalm.* 1. Et folium eius non defluet: & omuia quæcunque faciet, prosperabuot. *Daniel.* 4 Folia eius pulcherrima. *Ierem.* 17. Erit folium eius viride. *Ezech.* 47. Folia eius sunt in medicinam. *Coloss.* 4. Sermo vester in gracia semper sale sit conditus. Folium enim aridú & volans, est sermo inutilis faciliter emissus. Florum autẽ polchritudo est honestas cõuersationis, quasi cotus floreat. *Cant.* 2. Vineæ florentes odorem dederuot. *Can.* 5. Ego flos campi. *Ezech.* 36. Ramos vestros expandite, & florete, & fructum facite populo meo Israël. Vmbræ autem suauitas & odoris fragrantia, est consolationis eius refrigerium in quo molti quiescunt, & fama bonæ opinionis. De primo horum *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem desiderabam sedi. *Ezech.* 31. Sub vmbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. De odore autem dicitur *Cant.* 4. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Vngventa enim fiunt de floribus, & flores dant odorem. 2. *Cor.* 2. Christi bonus odor sumus Deo in his qui pereunt, & in his qui salui fiunt. Fructus autem desiderabilitas est bonorum operum suauitas *Cant* 7. Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Hæc autem desiderabilitas conficitur ex quatuor: si delectabilis sit, si salubris, si vtilis, & si arbor ad multitudinem eius sit fertilis. De delectabilitate *Cantic.* 2. Fructus eius dulcis gutturi meo. Et hoc habet ex amica conuersatione bonus homo. De salubritate habetur *Prouerb.* 3. Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam. Et hoc habet ex sapientiæ medicamine. De vtilitate, quia cibus omnium est, omnes enim pascuntur: & hoc habet ex verborum pastura & allocutione. *Daniel.* 4. Esca omnium in ea. Fertilitas eius est ex multa fœcunditate & multimoda germinatione. *Daniel.* 4. Fructus eius nimius. *Ezech.* 47. & *Apoc. vltim.* Per singulos menses affert primitua, hoc est, per singulas æterni solis illuminationes semper profert nouos fructus. Hæc est igitur arbor bona quæ nunquam fert fructum malum. Signa autem arboris malæ sunt per oppositum, qoæ facile est accipere. Sequitur.

Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam.

Quod dixerat in vniuersali de comparatione arboris, exemplificat in speciali: duas pessimas arbores comparans secundum negationem ad optimos fructus Prima est spina de qua dicit [Neque enim de spinis] Spina nigra est de qua loquitur: cuius spina ex medulla exoritur, fortiter corpori stipitis & ramorum infixa: cuius succus niger est & acer: & fructus acutus, & accasia ab acumine vocatus. De tali igitur ligno non generatur nisi fructus stipticus acutus, dentes obstupefaciens. Nunqoid ergo [de eo colligunt ficus?] molles, dulces, suaues, & delectabiles? Quasi dicat. Non. Sic de corde in quo radicatur aculeus iræ, & nigredo fellitæ indignationis & odij, nunquam profert ficum dulcissimæ charitatis, sed semper pungit & obstupescit. 2. *Reg.* 23. Præuaricatores quasi spinæ euellentur, quæ non tangentur manu. Sed siquis voluerit tangere eas, armabitur ferro & ligno lanceato. Semper enim defensione vti necesse est contra tales. *Ierem.* 4. Innouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Hæ suot spinæ quæ suffocant semen verbi Dei *Matth.* 13. Nihil ergo dulce exoritur de spinis huius compunctionis. Dicuntur tamen aliquando spinæ etiam hæretici, qui detinent erroribus suis transeuntes. *Cantic.* 2. Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. Dicuntur etiam diuitiæ spinæ *Matt.* 13. Aliud cecidit inter spinas, quæ simul exortæ suffocauerunt illud. Dicuntur etiam spinæ tribulationes tentationum. *Genes.* 3. Spinas & tribulos germinabit tibi. Dicuntur etiam spinæ peccata, propter conscientiæ punctiones & vulnerationes. *Psalm.* 31. Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. Dicitur spina impedimentum virtutis ex antiqua consuetudine mali *Prouer.* 23. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ.

Neque de rubo vindemiant vuam] Secunda comparatio est. Rubus autem non est specialis planta: sed omne arbustum breue & spissum & spinosum, per quod non patet transitus, vocatur hic rubus: à quo etiam dicitur rubeta: & est rana quæ insidet foliis rubi, & clamat tempore pluuiæ. Rubus autem spissitudine & spinositate significat cor oppressum amaritudine & punctionibus inimicitiarum, à quo nunquam vindemiatur vinum gaudiorum cælestium: quia semper cogitat amara sicut diabolus. *Apoc.* 12. Væ terræ & mari, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam. *Psalm.* 57. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes sic in ira absorbet eos. Spinæ vestræ sunt puncturæ iracundiarum contra fraternam charitatem Rhamnus autem rubus quidam est valde spinosus & valde acutarum spinarum. Et huius periculum spinæ nostræ non intelligunt: & ideo sicut viuentes absorbentur, sic absorbet rhamnus in ira sua. *Iudic.* 9. Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. De talibus enim rhamnis semper egreditur ignis iræ, & deuorat etiam excelsos homines: quia semper tales ignem incendunt: & ideo vinum bonæ spei & iucunditatis fraternæ nunquam afferunt. Sequitur.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Hoc quod dixerat sub metaphora, explanat hic loquens expressius sub alia similitudine. Et dicit sicut in præhabitis. Præmittit enim, & concludit. Præmissa bipartita est secundum duas comparationes boni & mali. De bona dicit [Bonus homo] bonitate charitatis fraternæ: quia alius nullus vere bonus est [de bono thesauro.] charitatiuæ dulcedinis quem diu congregauit [profert] ore & opere [bonum] verbum molle, opus beneficij, oratio-

nem

nem pro inimicis. *Prouerb.21.* Thesaurus desiderabilis & oleum in habitaculo iusti. *Psalm.111.* Gloria & diuitiæ in domo eius. Et ideo de illa abundantia non eructauit nisi bonum. *Psalm.34.* Eructauit cor meum verbum bonum [Et malus homo de malo thesauro] cordis, hoc est, habens odium fraternum. *Rom.2.* Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. *Iob 38.* Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis aspexisti: quæ præparaui in diem belli? Hic ergo [profert malum] maledictum & vituperium in ore: homicidium autem & vulnera & liuores in opere. Et subiungit concludens generaliter, dicens.

Ex abundantia enim cordis] hoc est, ex hoc quod exuberat in corde de amore vel odio [os loquitur] hoc est, prolatiua vitius enuntiat, siue fiat per os, siue per opus, siue per aliud signum, quod cor manifestat. *Prouerb.15.* Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Lingua sapientium ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. *Isa.32.* Fraudolenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concionauit ad perdendos mites, cum loqueretur pauper iudicium.

Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico?

Hic incipit inuitare: ad perfectionem eorum quæ docuit in toto sermone, & duo facit: vnum quidem, quia inuitat ad opus quod verbum perficit: & aliud quod per similitudinem ostendit sapientiam viri implentis, & stultitiam non implentis. De primo dicit inuectiuum sermonem. Qui enim difficilia dixerat, tardos quosdam ad implendum videbat, & quasi iam signo quodam dicentes illud *Ioan.6.* Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et ideo dicit [Quid] hoc est, Quare, Qua de causa, Quo intellectu [vocatis]& inuocatis [me Domine] ore [Domine] exteriori quadam reuerentia [& non facitis quæ dico] obediendo mihi. *Malach.1.* Si ego Dominus, vbi timor meus? Tunc enim vos mihi debere obedire recognoscitis, quando me Dominum vocatis. Vocant Dominum ore, qui ore inuocant, & facto non appropinquant. *Tit.1.* Confitentur se nosse Deum, factis autem abnegant. *Isa.29.* Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Alij autem per fidem informem hunc & corde & ore confitentur: sicut fatuæ virgines *Matth.25.* Domine, Domine aperi nobis. *Matth.7.* Multi dicent mihi: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? Et ego iurabo illis, Quia non noui vos. Oportet ergo dicere corde, ore, & opere. *1.Cor.12.* Nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto. *Gloss. Ambros.* corde, ore, & opere. Sic ergo ponit contra non obseruantes sermonem suum inuectionem.

Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit.

Hic tangit commendationem & sapientiam obseruantium sermones istos per assimilationem, & tangit duo. Primum enim commendat eum qui sermones istos obseruat, & secundo ostendit stultitiam & damnum non obseruantis. In commendatione seruantis duo sunt: assimilatio scilicet, & assimilationis causa cum seruantis vtilitate. Assimilatio habet quatuor: assimilatum, ostensionem assimilationis, eum cui assimilatur, & assimilationis modum & rationem. De assimilato dicit tria: appropinquationem ad Dominum, auditum, facti obseruationem. De appropinquatione dicit.

Omnis qui venit ad me] Omnis dicit: vt remoueat personarum distinctionem. *Iacob.2.* & *1.Petr.1.* Non est personarum distinctio apud Deum. *Sapient.6.* Non subtrahet personam viri, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quia pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. *1.Timoth.2.* Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire[qui venit] Venire, voluntarius motus appropinquationis ad Christum. Non enim vult quod trahantur, vel cogantur. Quia sicut dicit *Damasc.* Non suadet vitium, nec compellit ad virtutem. Venit ergo qui voluntariè per fidei deuotionem appropinquat. *Iacob.4.* Resistite diabolo, & fugiet à vobis: appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Omnes ergo onerati peccatis & qui fugerunt gladium tentatoris, veniant. *Matth.11.* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. *Ierem.51.* Qui fugistis gladium, venite, & nolite stare[ad me] Sicut ad lumen, sicut ad exemplum, sicut ad remuneratorem. De primo *Psalm.33.* Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. De secundo *Ioan.13.* Exemplum ego dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Exod.25.* *Hebr.8* Vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. De tertio *Apoc.2.* Vincenti dabo manna absconditum quod est in paradiso Dei mei. Vnde *Matth.11.* Ego reficiam vos *Genes. vltim.* Nolite timere, ego pascam vos.

Et audit] Ecce secundum. Videtur autem peruertere ordinem: quia prius est audire verbum vocantis quam venire. *Rom.10.* Fides est ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Si ergo venit aliquis per fidei deuotionem, oportet auditum esse antequam veniat. Ad hoc dicendum, quod auditus hic sumitur pro auditu interiori Spiritus, dantis intellectum fidei: & ille sequitur primum auditum exteriorem, & sequitur fidei accessum. *Hebr.11.* Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Talis autem auditus describitur *Isa.6.* secundum antiquam translationem: Nisi credideritis, non intelligetis. De illo autem auditu loquitur Christus *Ioan.16.* Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur. *Psalm.84.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. De eo autem qui audit tantum exterius dicitur *Ioan.3.* Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Qui ergo audit intus ad intellectum, est de quo hic loquitur *Hebr.4.* Non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex his quæ audierunt[sermones meos]Sermo à serpendo dicitur: quia in cor serpit nisi aliquid obsistat. *Psalm.147.* Velociter currit sermo eius.

Et facit eos] Ecce tertium, impletio sermonis

in

in opere. *Iacob.* 1. Estote factores verbi & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. *Rom.* 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Iste ergo est qui assimilatur [Ostendam vobis] Ecce assimilationis ostensio. Ostendere autem est per similitudinem oculatæ demonstrationis. Intellectus enim noster materialis est, & semper intelligit cum continuo & tempore: quia non accipit nisi à formis magnitudinum corporalium, & à formis sensibilibus motui & tempori subiacentibus. Et ideo, sicut dicit *Dionys.* Oportet quod similitudinibus corporalibus manuducatur. Et hoc est quod dicit [ostendam vobis] *Iob* 17. Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam: [cui similis sit] *Matth.* 13. Sine parabolis non loquebatur ad illos.

Similis est homini ædificanti domum.

Ecce id cui assimilat. Et si similitudo sumatur ad humana, planum est: quia tunc similitudinem ponit ad architectum sapientem. Sed non sic volunt Sancti, sed quod similitudo ponatur ad Christum qui singulariter homo est. Quia cum in qualibet natura speciei sit aliquod vnum primum, quod naturam illam vere & simpliciter habet: quod est mensura omnium aliorum: & ad cuius analogiam siue proportionem omnia alia naturam & speciem illam participant. Ita oportet quod sit in homine. Tales autem non habemus nisi duos: Adam quem Deus manu sua fecit, & Christum qui opere Spiritus sancti conceptus est. Sed Adam à veritate naturæ per peccatum multum destitit: Christus autem naturam reparauit. Et ideo in Christo simplicius & verius natura humana fuit. Et ideo ipse homo est, ad cuius proportionem omnes alij homines dicuntur. *Ephes.* 4 Donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis Christi. Sic igitur Christus est homo. *Psalm.* 76. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Hic enim homo, ratione singulariter est præditus, & sapientia plenissimè est perfectus. *Matth.* 7. Assimilabitur viro sapienti.

Ædificanti domum] Tres domos ædificat Christus: domum inferiorem, Ecclesiam militantem: domum interiorem, conscientiam virtutibus redundantem: domum superiorem, Ecclesiam triumphantem. De prima dicitur *Genes.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. De secunda *Sapient.* 8 Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia. De tertia dicitur *Ioan* 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. De his domibus dicitur *Exod.* 1. Timuerunt obstetrices Deum, & ædificauit illis domos. Ædificium autem illud à sapientissimo fit architecto Christo, & ideo in omnibus sapienter est perfectum. 1 *Corinth.* 3. Dei ædificatio estis. *Ephes.* 2. Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Hic ergo ædificat, cæmentum & gluten habens pietatis: lapides viuos, fideles. *Ezech.* 13. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit. De lapidibus 1. *Petr.* 2. Tanquam lapides viui superædificamini. In libro pastoris cap. 3. Ecce non vides turrim magnam contra te, quæ ædificatur lapidibus splendidis. i.Q.d. Mirum est, si hoc non vides. *Act.* 1. Ascendite in montem & afferte ligna: ædificate domum, & acceptabilis erit mihi. Ligna enim & lapides, sunt homines vel virtutes, ex quibus domus construitur: Ecclesia quidem ex hominibus, conscientia autem ex virtutibus.

Qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram.

Ecce tangit hic modum assimilationis. Tangit autem hic quatuor. Primum est impedimentorum remotio. Secundum autem in ædificio partium congruus ordo. Tertium est firmitas substantis in fundamento. Quartum est immobilitas in loco. De primo dicitur [Qui fodit in altum] terram porosam, non coniacentem de profundo extrahendo, hoc est, terrenum affectum in bonorum ambitionibus, in diuitiarum cupiditatibus, in deliciarum voluptatibus vsque in profundum cordis eiciendo. Altum enim & profundum sunt idem, differentia penes terminos: vt dicit *Philosophus*. Hoc autem fit per compunctionis plenæ humilem confessionem. *Isa.* 2. Ingredere in petram, abscondere in fossa humo. In petram enim intrare, est vsque ad solidum petræ fodere. Abscondi in fossa, hoc est, in effossa humo, est occultum cordis per totam terrenitatem eiicere: sicut diximus.

Et posuit] Ecce secundum, quod est ædificationis partium ordo. Positio enim, vt dicit *Philosophus*, est ordo partium in loco. Nihil enim valet ædificium sine ordine. 1. *Corinth.* 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis. *Iudic.* 5. Stellæ manentes in ordine & cursu suo contra Sisaram pugnauerunt.

Fundamentum] quod firmiter substat, & hoc est fideles 1. *Corinth.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est, Christus IESVS. *Hebr.* 11. Fides est substantia rerum sperandarum. *Gloss.* hoc est, substans fundamentum in toto spirituali ædificio. Fides enim prima virtus est in cognitione Dei. 2. *Tim.* 2. Firmum fundamentum Domini stat habens signaculum hoc [supra petram] Ecce loci soliditas & immobilitas. Petra enim rupes est quæ penitus est immobilis: & hæc rupes est firmitas veritatis diuinæ quæ subiicitur in omnibus articulis fidei. *Matth.* 16. Tu es Christus Filius Dei viui, dixit Petrus. Et Christus subiunxit. Super hanc petram (immobilis & diuinæ confessionis veritatis) ædificabo Ecclesiam meam. *Eccli.* 26. Fundamenta sempiterna supra petram stabilem. 1. *Corinth.* 10. Petra erat Christus, hoc est, veritas Christi. *Isa.* 54. Fundabo te in sapphiris, qui sunt cælestis coloris, hoc est, in cælesti veritate, quæ est in fidei articulis.

Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat supra petram.

Hic tangit assimilationis huius causam, & dicit

cit quatuor. Primum est irruens & emolliens ex aëris passione. Secundum est affluens & imperum faciens ex inundationis iu vnum congregatione. Tertium est firmitas resisteotiæ in impulsus tentatione. Quartum est causa propter quam totum ædificium persistit in tot insultibus firmum. De ptimo dicit [Inundatione facta] ex ventis, imbribus, & pluuiis, hoc est, ex suggestione diaboli, & persecutionibus hominum, & stillicidiis libidioum carnalium. *Iob* 20. Immittit io eum itam furoris sui: & pluet super eum forte bellum. *Matth.*7. Descendit pluuia, flauerunt venti, venerunt flumina & irruerunt io domum illam [illisum est flumen domni illi] Flumen vanitatis, & flumeo concupiscentiæ, & flumen persecutionis mundanæ. *Sapient.*5. Flumina concurrunt duriter. *Psalm.*92. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam. *Psalm.*148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum [& non potuit eam mouere] de loco fundationis suæ. *Eccli.*9. Si spiritus, hoc est, impetus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. *Psalm.*124. Qui coofidit in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Tangit autem causam [Fundata enim erat supra petram] *Prouerb.*30. Lepusculus, plebs Christiana humilis, qui collocat io petra nidum sum.

Qui autem audit, & non facit: similis est homini qui ædificat domum suam supra petram sine fundamento: in quam illisus est fluuius & continuo concidit, & facta est ruina domus illius magna.

Hic per oppositum tangit assimilationem non facientis. Tangit autem tria: assimilationem, assimilationis causam, & damnum. Assimilatio continet tria: stultum qui assimilatur, & cui assimilatur, & rationem assimilationis. Stultus qui assimilatur, tangitur per hoc quod dicitur [Qui autem audit, & non facit] De tribus superioribus hic primum omittit, scilicet, qui venit ad me: quia non faciens & faciens, venit quidem si audit: sed non faciens non vere venit quia ore venit, & corde recedit. *Isa.* 29. Appropinquat populus iste labiis suis: cor autem eorum longe est à me. Et ideo Dominus de tali appropinquatione non dignatur facere mentionem. *Psalm.*15. Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Et hoc est quod dicit [Qui autem audit] & ad intellectum audit. *Psalm.*110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum [& non facit] *Iacob.*1. Qui auditor est verbi, & non factor: comparabitur viro consideranti vultum oatiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit [similis est homini] Ecce cui assimilatur. Dicitur autem hic homo diabolus ab euentu: quia deuicit hominem. *Matth.*13. Inimicus homo hoc fecit, hoc est, diabolus. *Matth* 7. Similis est homini stulto [ædificanti domum] Diabolus domum nō ędificat, sed potius destruit ædificatam: sed facit domus similitudinem in ruinosis, in quibus ex peccatis quandam facit domos similitudinem, in secularibus rebus quærens habitationem. *Iob* 18. Habitent in tabernaculo eius socij eius qui non est. Hæc autem ædificatio est per terrenorum acquisitionem. Vnde sequitur [super terram] Non constantem in partibus, sed cauernosam & porosam. Hæc enim continuo cedit subtus. *Psalm.*68. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, hoc est, stans fundamentum [sine fundamento] quæ habet cauernas sicut puteus: & ideo non substat. *Psalm.*68. Neque vrgeat super me puteus os suum.

In quam illisus est fluuius] Ecce ratio comparationis & causa. Fluuius autem dicitur torrens concupiscentiæ ex imperu tempestatis diabolicæ. *Apoc.*12. Serpens emisit fluuium de ore suo: vt mulierem, hoc est, Ecclesiam ad se faceret trahi à flumine: & continuo cecidit, nihil habens resistentiæ. *Prouerb.*10. Quasi tempestas non erit impius: iusti autem Dei quasi fundamenta sempiterna.

Et facta est ruina domus illius] hoc est, ædificij illius [magna] quia à fide cadit. Magna: quia ruit in mortale peccatum: ideo est ruina. Si enim in peccatum caderet tantum, forte per pœnitentiam resurgeret. Nunc autem propter infidelitatem eruitur fundamentum: & non cogitatur de pœnitentia. *Apoc.*12. Non valuerunt: neque locus eorum inuentus est amplius in cælo. *Psalm.*136. Dixeruot: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. Ruina eoim est magnus casus. *Prouerb.*24. Septies cadit iustus, & resurgit. Impij autem corruunt in malum, hoc est, simol ruunt.

CAPVT VII.

Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum.

POSITA in præcedenti capitulo electione eorum qui primum io Ecclesia tenent ordinem, & instructione quantum ad vitæ idoneitatem: antequam instruat eos de officio prædicationis, vel traducat in eos potestatem, tangit hic doctrinæ præcedentis confirmationem. Quia autem omnis doctrina per conformia sibi confirmatur argumenta: sicut naturalia oaturalibus, & rationalia rationalibus, & moralia moralibus: ita doctrinam supernaturalem & supermundanam supermuodanis necesse est coofirmari argumentis: sicut dicit *Petrus in Itinerario Clementis & Auicen. in fine sua prima philosophia.* Confirmat ergo hic ipsius eligentis potestatem, & quod ipse vere est qui in tali potestate ordinare habet Ecclesiam: & iden istud caput in tria diuiditur. In primo suæ diuinæ potestatis ponit argumenta supermundana. In secundo ostendit in se completa esse promissa de venturo Messia, & ideo debere ordinare Ecclesiam. In tertio autem potestatis spiritualis in capite manifestat vsum, & in his tribus perfectè ostensum, quoniam potestas eligendi & instituendi Prælatos est apud eom. In prima autem harum partium duo suot argumenta suæ plenæ & diuinæ potestatis. Vnum quidem vitæ, & aliud mortis ostendens potestatem. *Esther* 13. Tu es Domine

qui

qui vitæ & mortis habes potestatem. Potestatem autem vitæ humanæ in manu Saluatoris esse ostendit, quando vitam deficientem reuocat ad salutem: non quando destruit vitam: quia si idem vitam hominis destrueret qui fecit, præuaricator esset & non Saluator. *Galat.* 2. Si enim quæ destruxi, hæc iterum reædifico, præuaricatorem me constituo. Sed quando vitam construit cadentem, tunc ostendit se Saluatorem, qui ordinat ad salutem, & instituit Ecclesiam. *Ioan.* 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum *Ioan.* 10 Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Probat igitur se vitæ habere potestatem, desperatum in vita reuocando ad sanitatem. Et circa hoc facit duo. Primum est accessus ad locum miraculo opportunum. Secundum autem miraculi perfectio. Accessus quidem ad locum duo continet: primum quidem perfectionem doctrinæ prioris: secundum, sapientem inchoationem probationis per opus subsequens. De perfectione autem doctrinæ præcedentis dicit tria, quæ ad omnis doctrinæ bonæ perfectionem exiguntur. Primum quidem, quod in se completa sit: secundum, quod vniuersalis: tertium quod bene impressa discipulis. De primo dicit.

Cum autem implesset] Plenitudo huius doctrinæ in se est, quod bene pertractata sit Doctorum materia, quod aptè locata sint principia & regulæ, quod firmiter conclusa conclusionum scientia. Hoc autem in moralibus non fit sicut in contemplatiuis. In contemplatiuis enim fit ad finem sciendi, in moralibus ad finem faciendi. Dicit enim *Aristot.* quod intelligentiæ practicæ stant ad opus. Et hanc artem tenuit in doctrina sua Christus: & ideo materiam posuit virtutes de quibus sufficienter pertractauit. *Sapient.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem, quibus in vita nihil est vtilius hominibus. Principia autem posuit præcepta. *Eccli.* 24 Legem mandauit nobis in præceptis iustitiarum. Conclusiones autem posuit opera. *Iacob.* 2. Fides sine operibus mortua est. *Ibidem post.* Abraham ex operibus legis iustificatus est. Sic ergo impleuit doctrinam in seipsa. De vniuersalitate autem dicit.

Omnia verba sua] *Ioan.* 15. Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Omnia (inquam) quæ Prælatis ad faciendum & docendum, & omnia quæ subditis ad faciendum expediunt. *Act.* 20 Innocens ego sum à sanguine omnium vestrum Non enim subterfugi quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei. De impressione autem in discipulis dicit [in aures plebis] non ad aures, sed intus ad intellectum. *Nehem.* 8. Legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè, prout poterant audientes intelligere. *Habac.* 2. Scribe visum & exara eum super tabulam, vt percurrat qui legerit. *Heb.* 8. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in visceribus eorum superscribam eas. *Matth.* 7. Admirabantur super doctrina eius. Loquebatur enim sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. Hac igitur doctrina sicut perfecta accedit ad locū, vbi probat huius doctrinæ per supermūdana opera perfectionem. Et hoc est quod subdit [intrauit Capharnaū] in via tamen curās leprosum, & quædam alia perficiens, quæ *Matth.* 8. recitantur. Sed *Lucas* præteriit sciens ab alio dicta, & dicit ea quæ suæ intentioni sunt sufficientia [Intrauit autem Capharnaum] propter tria, quorum primum est loci solennitas. Secundum, habitatorum vrbis honestas. Tertium, Iudæorum & Gentium auditus communitas. Loci solennitas accipitur ex hoc quod erat metropolis Galilææ, & ex ipsa nominis interpretatione. De solennitate *Psalm* 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei *Luc.* 4. Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Vnde *Ambros.* dicit, quod Capharnaum dicitur ciuitas Christi, quam solennitate miraculorum suorum multorum suam effecerat. Habitatorum honestas intelligitur quod habitabant Centuriones & Reguli & Senatus Iudæorum. Centuriones *Matth.* 8. & hic. Reguli: *Ioan.* 4. Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Communis autem Iudæorum & Gentilium intelligitur habitatio: quia erant ibi seniores Iudæorum, & Synagoga: & illi erant Gentilium primates, Centurio scilicet, & Regulus. *Psalm.* 86. Ecce alienigenæ & Tyrus: hi fuerunt illic. Ad talem locum omnis publicus Doctor libenter accedit: quia ibi doctrina sua fit solennior, & magis approbata, manifestior, & pluribus vtilior. *Ioan.* 7. Nemo quippe in abscondito aliquid facit, & quærit ipse in palam esse. *Eccli.* 20. Sapientia absconsa, & thesaurus occultus quæ vtilitas in vtrisque?

Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.

Hic venit ad factum per quod doctrina probatur. Dicit autem tria: miraculi scilicet impetrationem, fidei commendationem, & miraculi perfectionem. Impetratio autem miraculi consistit in tribus, scilicet, in impetratoris dignitate, eius pro quo impetratur miserabilitate, & intercedentium honestate. Dignitas impetrantis commendatur in duobus: à potestate & honestatis singularitate. De potestate dicit [Centurionis autem] Centurio secundum ordinem curiæ Imperatoris est qui centum militibus præest. *Isa.* 60. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem robustissimam. Talis enim ordo consulitur à Ietro socero Moysi *Exod.* 18. Constitue ex eis decanos & quinquagenarios & centuriones. Chiliarchæ autem dicuntur qui mille habent sub se milites. Attende autem, quod quædam *Glossæ* dicunt centenarium esse quadratum & perfectum numerum. Quadratus autem est: quia prouenit ex ductu denarij in seipsum. Et quoad denarium significat perfectionem decalogi, qui semel ducitur in seipsum, quia vno mandato charitatis adimpletur. *Rom.* 13. Qui proximum diligit, legem impleuit. Quadratur autem, quando ad quatuor virtutes cardinales sicut ad rectos & finales angulos comparatur. Sicut enim dicitur in 1. *Ethic.* Homo bonus quadrangulus est ad virtutem. Sic ergo est Centurionis habens dignitatem. Subditur [cuiusdam] In quo intelligitur singularis fuisse honestatis: quia segregatur & distinguitur ab aliis. *Hebr.* 7. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Tales enim peccatores & tyranni esse consueuerunt. Et ideo vt istum à talibus discernat, dicit [cuiusdam]

Deinde tangit eius pro quo impetratur miraculum, miseriam à tribus: à conditione, à doloris fatigatione,

fatigatione, & à periculo. De conditione dicit [seruus] quoniam obsequia seruitutis, & prudentia & fidelitas tam eharum Domino effecerant: vt non tam doleret suæ seruitutis damno, quam optimi & fidelis hominis infirmitatem. *Eccli.*7. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua. *Eccli.*33. Si tibi est seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. Admiranda est benignitas domini, quod tantam habet curam serui. Admirandum obsequium serui, quod Dominum traxit ad dilectionem serui. Vnde *Ephes.*6. Vos Domini eadem facite seruis remittentes minas, scientes quod & vester & illorum Dominos est in cælo: & personarum acceptio non est apud Deum. Tangit autem doloris afflictionem per hoc quod dicit [male habens] Erat enim paralyticus, non valens etiam cuiuo gressu incedere, nec potentia se trahere: sed infirmitate victus in domo iacebat. *Matth.*8. Puer meus iacet paralyticus in domo mea, & male torquetur, hoc est, ad doloris nimium sensum [Erat enim moriturus] Ecce periculum: qoia nihil nisi mortem expectabat ex infirmitatis aggrauatione. *Eccli.*10. Langor prolixior grauat medicum. 3.*Reg.*17. Erat langor pessimus: ita vt non remaneret in eo anhelitus. Nihil etiam nisi mortem ex angustia infirmitatis babebat in desiderio. *Eccli.*30. Melior est mors, quam vita amara: & requies æterna, quam langor perseuerans. *Tobiæ* 3. Melius est mihi magis mori, quam viuere [qui illi erat pretiosus] hoc est, magno pretio comparatus, vel magno pretio æstimatus. Et de hoc iam dictum est: quia hoc, seruitio, prudentia, & fidelitate, meruerat apud Dominum. *Ephes.*6. Non ad oculum semientes, sed sicut Domino. Ad *Philemonem*. Suscipe illum, non iam vt seruum, sed pro seruo dilectissimum fratrem. In hoc autem iste imitator Christi fuit. *Ioan.*15. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos.

Et cum audisset de IESV, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & sanaret seruum eius.

Hic agitur de impetrantium honestate. Et tanguntur quatuor, quorum primum est intercessorum ad intercedendum inductio. Secundum autem, intercedentium in intercedendo studium & solicitatio. Tertium autem est, à pio Domino eius quod petitur impetratio. Quartum autem, eius pro quo intercediter fidei & reuerentiæ ad Dominum magnitudo. In primo horum sunt iterum quatuor. Primum quidem, auditus Saluatoris aduentus. Secundum autem, conuocatus intercedentium honestorum cœtus. Tertium, petitionis affectus valde deuotus. Quartum est expositus petitionis deuotæ affectus. De primo dicit [Cum audisset de IESV] Saluatore, cogitauit de impetranda salute. *Ioan* 4. Cum audisset quia IESVS veniret de Iudæa in Galilæam, rogauit eum vt descenderet & sanaret filium eius. *Act.*10. Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat in ipso. *Luc.*6. Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Hic autem auditus significat auditum verbi, quod facit fidem in corde. *Rom.*10. Fides est ex auditu. Auditus autem per verbum Christi. *Apoc. vltim.* Qui audit, dicat: Veni.

Misit ad eum seniores Iudæorum] Ecce congregatus per industriam Centurionis intercedentium cœtus. Seniores enim, & digni sunt reuerentia, & habent proponendi sapientiam. *Iob* 8. Interroga generationem pristinam, & diligenter patrum inuestiga memoriam. *Sapient.*4. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata [Iudæorum] Deum colentium: quia cum esset dispatis cultus, per seipsum appropinquare non fuit ausus, sciens se esse canem, sicut mulier Gentilis *Matth.*15. quæ audiuit à Domino: non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, hoc est, Gentilibus ad manducandum. Et ideo mittit illos qui sunt filij, & qui sunt populus peculiaris. Quod enim sint filij *Exod.*11. Primogenitus meus Israël. *Oseæ* 11. Ex Ægypto vocaui filium meum. Quod sit populus peculiaris. *Deut.*7. Vos estis populus peculiaris Inter hos etiam misit quos putauit Christo magis acceptos, & magis propinquos. *Deuter.*4. Non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris. Ideo ergo hos hue mittit, & se subtrahit.

Rogans eum] Ecce oblatio deuoti affectus. Non enim cum potens esset, per milites cogebat: nec aliquid sublimitatis ostendit, sed humiliter & deuote ad supplicationis confugit auxilium. *Eccli.*35. Oratio humiliantis se nubes penetrat: & donec propinquet non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat.

Vt veniret] Ecce expositus petitionis affectus. Dicit autem duo: petens aduentum corporalem, & sanitatis effectum. Primum, signum est adhuc pusillæ fidei: quia si perfectam haberet iam fidem, sciret quod non esset locus vbi non esset Deus: & ita absens sicut præsens posset curare: quod & postea sensit, quando in fide profecit. Et ideo quia proficit, non arguitur. *Ioan.* autem 4. Regulus idem petens: quia perstitit in incredulitate & dubitatione, arguitur, dicente Domino: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Hic autem propter profectum fidei commendatur. *Agg.*2. Veniet desideratus cunctis gentibus: & replebitur gloria domus Domini [& sanaret seruum eius] *Eccli.*50. Curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione. Nec verecundatur sanare seruum: quia *Sapient.*6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.

At illi cum venissent ad IESVM, rogabant eum solicite, dicentes ei: Quia dignus est vt hoc illis præstes: diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificauit nobis. IESVS autem ibat cum illis.

Hic tangitur intercedentium studium & solicitudo. Et dicuntur tria. Primum est intercedentium ad IESVM appropinquatio. Secundum autem, intercessionis solicitudo. Tertium autem, eorum quæ proficua erant ad exauditionem allegatio. De primo dicit [At illi cum venissent ad eum] corpore & obsequio & familiaritate appropinquassent. *Psalm.*33. Accedite ad eum & illumi-

namini. *Iacob.* 4 Appropinquate deo, & appropinquabit vobis [Rogabant eum folicitè] Ecce interceſſionis ſolicitudo. 2. *Paral.* 20. Totum ſe contulit ad rogandum Dominum. *Pſalm.* 118. In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me. *Galat.* 2. Solicitus fui hoc ipſum facere [dicentes ei] [Incipit hic eorum quæ ad exauditionem faciunt allegatio. Sunt autem tria: virtutis honeſtas, dilectionis familiaritas, & expenſarum quas in communi negotio fecit impenſa. De primo dicunt.

Quia dignus eſt vt hoc ei præſtes] virtutum honeſtate. 3. *Reg.* 2. Pete quod vis: non enim fas eſt me, aliquid tibi negare. *Eſther.* 5. Quid petis vt detur tibi, & pro qua te poſtulas? etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, imperrabis eam. Tantæ autem fiduciæ impetrandi eſt dignitas in virtute. *Eccli.* 44. Homines diuites in virtute pulchritudinis ſtudium habentes. Ideo *Zach.* 3. dicuntur viri portendentes, quia fiduciam portendunt ad omnem effectum petitionis impetrandum. Allegant autem effectum dilectionis [Diligit enim gentem noſtram] propter reuerentiam cultus diuini. *Deut.* 33. Dilexit populos: omnes gentes in manu illius ſunt. *Prouerb.* 8. Ego diligentes me diligo. Et ita fecerunt iſti [& ſynagogam ipſe nobis ædificauit] Ecce allegatio impenſarum factarum in communi, & Dei negotio: quia ſuis expenſis ædificauit eis ſynagogam, hoc eſt, domum orationis. *Eccli.* 50. Templi altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio & excelſi parietes templi. Iſte tamen quia Gentilis fuit, fidem commendat Gentium, oſtendens quoniam ad vnum ouile Chriſti veniret cum primitiis Iudæorum. *Ioan.* 10. Fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Et ideo *Mat.* 8. Chriſtus propter iſtum dicit. Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham Iſaac & Iacob in regno cælorum [IESVS autem ibat cum illis] Ecce impetratio petitionis à pio Domino. *Iacob.* 1. Poſtulet in fide nihil hæſitans. *Ierem.* 29. Inuocabitis me, & ego exaudiam vos.

Et cum iam non longe eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari.

Ecce hic tangitur eius pro quo interceditur fidei & reuerentiæ ad Dominum creſcens magnitudo. Tanguntur autem hic quatuor. Primum quidem eſt profectus Domini ad petitionem ſeniorum. Secundum autem eſt miſſio ad occurſum Domini Centurionis amicorum. Tertium, compaſſio vexationis Domini ſecundum hominem in itinere pedum. Quartum autem, allegatio ſuæ indignitatis, & allegatio perfectæ fidei Dei in virtute curationum. De primo dicit [Et cum iam non longè eſſet à domo] Centurionis itinerando pedes. Non enim vnquam legitur Dominum equitaſſe, ſed bis legitur aſinaſſe: vt dicit *Beatus Bernardus.* Et ideo fatigabatur itinerando. *Ioan.* 4. Ieſus fatigatus ex itinere, ſedebat ſuper fontem [Miſit autem Centurio amicos] honeſtiores & altos [dicens] Sed *Matthæus* dicit, quod venit per ſeipſum. Et dicunt quidam, quod primo miſit honeſtiores Iudæorum, ſecundo honeſtiores amicorum, tertio audaciam ſumens venit per ſeipſum. *Beda* autem *in Gloſſ.* dicit, quod non venit per ſeipſum niſi ſpiritualiter fidei paſſibus appropinquans. Et ita intelligitur quod dicit *Matth.* *Iſa.* 45. Viri ſublimes ad te venient [Domine noli vexari. *Luc.* 8. Noli vexare magiſtrum.

Non enim ſum dignus vt ſub tectum meum intres: propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus vt venirem ad te: ſed dic verbo & ſanabitur puer meus.

Ecce hic fidei & reuerentiæ proponitur incrementum & magnitudo. Dicit autem quatuor. Primum quidem eſt reuerentiæ & humilitatis. Secundum, ex ante facto eſt excuſationis. Tertium autem, fidei admirabilis. Quartum autem, eſt hæc omnia per ſignum oſtendentis perſuaſionis. De primo dicit [Domine non ſum dignus] Ecce reuerentia, ex Dei maieſtate ſuam cognoſcens paruitatem. *Pſalm.* 8. Quid eſt homo quod memor es eius: aut filius hominis quoniam reputas eum? *Iob* 25. Homo putredo, & filius hominis vermis. Multo ergo magis Gentilis [vt intres ſub tectum meum] Humiliat ſe, non dicens ſe habere domum ſed tectum. 1. *Timot.* 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus. *Hier.* 22. Væ qui dicit: Ædificabo mihi domum latam & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laqueatia cedrina, pingitque ſynopide. Nec dicit tecta cum eſſet magnus princeps. *Iſa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: nunquid vos ſoli habitabitis in medio terræ? [propter quod & meipſum] Ecce ſecundum [non ſum arbitratus dignum] Hic enim ſicut & mulier Chananæa ſe canem *Mat.* 15. reputauit *Rom.* 11. Noli altum ſapere, ſed time [vt venirem ad te] ne tuæ oculos maieſtatis offenderem propter diſparem cultum, in quo eſſe videor. *Eccli.* 4. Quanto magnus es, humilia te in omnibus [Sed dic verbo] Ecce tertium de magnitudine fidei. Et dicit duo. Primo enim exprimit fidem. Secundo adhibet fidei per ſimile perſuaſionem. Fidem exprimit per hoc quod dicit [Sed dic verbo] *Sap.* 18. Omnipotens ſermo tuus ſanat omnia. In verbo enim eſt tibi poteſtas. *Heb.* 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ [& ſanabitur] quantacunque ſit infirmitas [puer meus] Seruum à puritate vocat puerum. *Pſalm.* 32. Dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt. *Iob* 5. Ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alio veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Quo audito, Ieſus miratus eſt: & conuerſus, ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſraël tantam fidem inueni. Et reuerſi qui miſſi fuerant, domum, inuenerunt ſeruum qui languerat, ſanum.

Ecce perſuaſio per ſimilitudinem. Et ſumit ſecundū *Chryſoſt.* duas ſimilitudines: Vnam inter ſe &

& milites, Aliam inter se & seruos inferiores. Quasi sint milites ad duo, quæ sunt in Christo homine: quorum vnum est inter Christum hominem, & Angelos: & aliud inter Christum hominem, & corporalem creaturam. Christus homo enim sub potestate constitutus, sicut Centurio sub potestate Imperatoris. Dicit ergo [Nam & ego] sicut & tu, licet dissimiliter [sum homo] aliis quidem per naturam non maior [sub potestate] tua ordinatione [constitutus] superioris Præsidis & Imperatoris. *Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Psalm.* 45. Imposuisti homines super capita nostra [habens sub me milites] sicut & tu Angelos. 1. *Reg.* 18. Minimus centum militibus præerat. Sicut & de Christo dicitur *Iob* 25. Nunquid est numerus militum eius? & super quem non surget lumen eius? [Et dico huic] imperans [vade, & vadit] obediens: sicut & tu dicis creaturis & Angelis. *Iob* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus: hoc est, fulgurantes Angelos [& alio] hoc est, alij: Grammatica antiqua [veni, & venit] *Baruch.* 3. Vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit eas. *Matth.* 4. Accesserunt Angeli & ministrabant ei [Et seruo meo dico] sicut tu corporali naturæ [fac hoc] quod volo [& facit] obediendo. *Iob* 14. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

Quo audito] quod tamen prius sciuit, sed propter astantes etiam audire voluit. *Isa.* 12. Annunciate hæc in vniuersa terra [Iesus miratus est] hoc est, ad modum mirantis se habuit. Quia in ipsum nec secundum Deum, neque secundũ hominem stupor cadit admirantis: quia nihil ignorauit, sed omnium causas ipse cognouit. *Ioan.* 16. Scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget [Et conuersus] retrorsum vt ad eos dirigeret sermonem [sequentibus se] hoc est, imitantibus iam aliqualiter per fidem [turbis dixi] Non discipulis: quia illi maiores erant [Amen dico vobis], hoc est, vere dico vobis. Et est confirmatio. *Apoc.* 3. Hæc dicit, Amen testis fidelis [Nec in Israël] qui habet legem & Prophetas ad fidem inducentes [tantam fidem inueni] *Gloss.* dicit, quod secundum comparationem præsentium loquitur: quia præteriti Patriarchæ & Prophetæ maiorem habuerunt. Sed adhuc contrarium videtur: quia Apostoli præsentes fuerunt, qui maiorem fidem habuerunt. Sed hoc soluitur. Quia dixit turbis sequentibus, non Apostolis. Et ideo de illis intelligit: quia eliquatis Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, & Discipulis: hoc quod remansit ex Israël, tanquam fæces fuerunt, & tardi ad credendum. *Isa.* 49. Parum est mihi vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium. Vel dicatur [tantam fidem] hoc est, tantam credendi facilitatem. Vnde de Apostolis *Luc. vltim.* O stulti & tardi corde ad credendum. *Matth. vltim.* Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis.

Et reuersi] Perfectio est miraculi. Et omittit hic *Lucas* quod sciuit *Matth.* posuisse, quod dixit Dominus: Fiat tibi secundum fidem tuam, & sicut credidisti. Nuntij ergo amici Centurionis [qui missi fuerant reuersi domum] merito fidei [inuenerunt seruum qui languerat] hoc est, longo angore iacuerat [sanum] *Luc.* 6. Omnes qui habebant infirmos variis langoribus, ducebant illos ad Iesum, & curabantur. Virtus enim erat Dei præsentis & absentis corporaliter ad sanandum eos.

Et factum est deinceps, ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum illo Discipuli eius, & turba copiosa.

Hæc est pars in qua se ostendit habere mortis potestatem. *Rom.* 4. Ante Deum cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. *Hebr.* 11. Arbitrans quoniam & à mortuis suscitare potens est Deus. Hic ergo est caput Ecclesiæ, ex quo charismata fluunt in Ecclesiæ prælatos, & potestas contra quam nec portæ inferi præualebunt; qui mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit. Ostendit ergo illud quod dicitur *Sap.* 1. Quoniam mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Et ideo etiam mortuos reuocat ad vitam. Tanguntur ergo tria. Primum, miraculi ex parte facientis Dei opportunitas. Secundum autem, est miraculum cum suis circunstantiis. Tertium autem, tanti miraculi diffamatio ad fidei ædificationem procurata. In primo horum sunt quatuor, quorum primum est istius facti ad præcedens secundum præsentem intentionem continuatio. Secundum autem, est diligens Saluatoris vt vbique salutem operetur circuitio. Tertium, loci ad salutis perfectionem conueniens adaptatio. Quartum autem, intercedentium ad salutis procurationem incontradicibilis dilectio. De primo horum dicit.

Factum est] ordine dispensationis diuinæ, non temporis [deinceps] postquam se ostendit potestatem habere vitæ: vt se ostenderet etiam mortis habere potestatem. 2. *Corinth.* 5. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorũ & mortuorũ dominetur. Vnde post sanatum infirmum, suscitat mortuum: quia infirmitas præcedit mortem. Sic ergo factum est deinceps [Ibat IESVS] Ecce secundum, In quo notatur Saluatoris circuitio & diligens saluandorum inquisitio. *Matth.* 4. Circuibat IESVS totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni. *Psalm.* 26. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis. Sicut enim de diabolo dicitur 1. *Petr.* 5. Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: ita & multo plus de Saluatore dicitur: Circuit quærens quem liberet: & ideo [ibat] non quiescens. *Prouerb.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Et hoc quidem fecit in se Christus. Faciunt autem & boni pastores. *Genes.* 31. Nocte ac die æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sic ergo ibat IESVS [in ciuitatem quæ vocatur Naim] Et hic tangitur loci ad salutis perfectionem conueniens adaptatio ex duobus: ex loci solennitate, & ex nominis interpretatione. Locus enim erat Galilææ ciuitas solennis, non quidem sicut Capharnaum: sed post eam fuit secundi ordinis, vbi multi habitabant, ad quam etiam multi confluebant: & ideo locus congruus miraculis Dei

fuit *Genes.* 28. Vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam. *Ibidem.* Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. In loco isto manat fons vitæ. *Psalm.* 35. Domine apud te est fons vitæ. In isto loco turba cateruatim fuit ad miranda facta Domini. Vnde multi hic erant cum Domino, multi cum vidua. Isti mirabilia cernere cupientes: illi autem compassionis affectu miseram viduam prosequentes. Interpretatio autem etiam congruit: quia Naim motus vel motio interpretatur, & significat eos qui moti sunt factis vel verbis Domini ex compassione viduæ miserabilis *Psalm.* 59. Commouisti terram & conturbasti eam: sana contritiones eius quia commota est. Commouit enim Dominus terram istam ad compunctionem: conturbauit autem ad dolorem; sanat autem per gratiam quia commota est ad satisfactionem. *Psalm.* 67. Terra mota est etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël [Et ibant cum eo Discipuli eius] Ecce intercedentium dilectio. Et dicuntur Dno. Discipuli enim intercedebant ex charitate, & turba ex fidei deuotione. De Discipulis dicitur [& ibant cum eo Discipuli] vt ex factis Domini exemplum acciperent, vt apud Dominum pro petentibus intercederent. De primo *Isa.* 8. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus. De secundo *Matth.* 9. & *infra.* 10 Rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam [Et turba copiosa] deuoti ad ædificationem fidei. *Ioan.* 11. Propter populum qui circumstat dixi vt credant: Quia tu me misisti. *Ioan.* 11. Non propter me sed propter vos hæc vox facta est. In omnibus enim voluit Dominus ædificare turbas propter Ecclesiam. Vnde etiam *Ioan.* 12, dicitur, quod turba multa quæ conuenerat ad diem festum clamabat Domino. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa.

Ecce miraculum cum suis circunstantibus. Ponuntur autem primo circunstãtia ex parte facientis, & secundo ex parte eius circa quem fit miraculum. Ex parte quidem facientis ponuntur primum inducentia, secundo autem facientia. Inducentia autem sunt quatuor: omnium ad defunctum appropinquatio, defuncti ipsi Domino præsentatio, matris defuncti destitutio, & turbæ ad fidem ædificatio. Domini ad defunctum appropinquatio tangitur per hoc [Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis] Non tam corpore quam miserantis affectu. *Psal.* 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. *Philip.* 4. Dominus prope est, nihil soliciti sitis. *Isa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Porta autem ciuitatis, est ad cor ingressus in ciuitatem cordis: vel ad sensum aliquem appropinquatio in ciuitatem corporis. De primo dicitur *Apoc.* 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: siquis aperuerit mihi intrabo & cœnabo cum eo, & ipse mecum. De porta corporis dicitur *Isa.* 26. Aperite portas, ingrediatur gens iusta custodiens veritatem. Habet enim cor suam ciuitatem ex cogitationibus, intentionibus, delectationibus, consensibus, voluntatibus, ciuilitate magna congregatam. Habet etiam corpus suam ex officiis membrorum, delectationibus sensuum, motibus membrorum, & officiis cõgregatam. Et vtraque ciuitas habet portas suas: vna quidem portas sensuum, alia autem patefactiones intentionum. Ad istas autem portas Dominus appropinquat, quando se intentionibus cordium, vel reuelationibus sensuum manifestat. *Baruch* 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est *Ioan.* 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Sic ergo propinquat nobis. *Psalm.* 33. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. *Act.* 17 Non longe est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.

Ecce] hoc est, præsentiæ eius publicè exhibebatur: & intelligitur hic defuncti ipsi Saluatori præsentatio: vt ex præsentia ipsius ad pietatem moueretur. Q. d. Ecce Domine, respice: populus tuus omnes nos. *Isa.* 63. Et illud *ibidem.* Vbi est zelus tuus, fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum? Et illud *ibidem* 64. Nunquid super his continebis te: & tacebis & affliges nos vehementer? Quid enim fonti misericordiæ amplius præsentari potest quam mortuus? Iste in vltimo genere miseriæ est, in quo nulla est de cætero spes salutis hominis. *Psalm.* 85. Eruisti animam meam ab inferno inferiori. Item *Psalm.* 29. Quoniam tu es qui extraxisti de inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. Hic enim [defunctus] ad publicum [effertur] vt tuam moueat misericordiam publica miseria, & mors miseriarum maxima [Effertur] inquam non tam mortuus corporaliter quam spiritualiter. Mortuus enim erat in peccato spiritualiter. Nunc autem miserabilis effertur in publicum corruptione plenus, in exemplum perditionis. *Isa.* 51. Dormierunt in capite omnium platearum sicut oryx illaqueatus. Moueat ergo tuam misericordiam tanta miseria: & duplici morti duplicem per antidotum oppone vitam, animæ scilicet, & corporis: totum hominem (sicut tuæ est consuetudinis) saluum faciens. Effertur enim mors animæ per scandalum peccatorum. *Isa.* 1. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, neque absconderunt. Effertur mors corporis extra domum ad tumbam tumulanda: ne fœtore corrumpat appropinquantes. Et vtriusque mortis miserere præsens miserator, & multæ misericordiæ, & pie Domine.

Filius vnicus] Ecce mouentia ex parte matris. Et sunt in duplici ordine. Quædam enim sunt in habitudine filij ad matrem: quædam autem in habitudine matris ad filium. De his quæ sunt in habitudine filij ad matrem, dicit [filius vnicus matris suæ] Pignus autem naturæ mortalis fuit inquantum filius, dilectus vteri inquantum filius, totus autem in eo fuit matris affectus inquantum vnicus, omnium votorum suorum dilectus inquantum vnicus, senectutis baculus inquantum vnicus [matris autem suæ] quæ feruentiorem in eo habuit amorem, quæ necessariorem iam habuit robustam prolem. Quod enim pignus naturæ mortalis fuerit filius, patet per hoc quod dicit *Augustinus*, quod nuptiæ bonum sunt mortalium, non propter aliud, nisi quia mortalis & fugientis naturæ in successore pignus remanet, & extinguentis

guentis iam luminis lucerna ex parte accensa. 2. *Reg.* 14. Quærunt extinguere scintillam meam quæ relicta est. Scintilla enim reseruata, est pignus ignis. Et sic est filius pignus parentum. Dilectus etiam est vteri matris. *Prouerb.* 31. Quid dilecte vteri mei? Q.d. quem ego foui in vtero. Vnde & *Tob.*4. Memor enim esse debes quanta sustinuit in vtero suo propter te. Alter etiam fuit pro patre, quia alium non habuit: & ideo deficiente virtute in parentibus, crescit in filiis. Et ideo *Exod.* 20. dicitur: Honora parentes. Inquantum autem vnicus, totus in eo fuit matris affectus: sicut dicit *Basilius.* 2. *Reg.* 1. Sicut mater vnicum amat filium: ita te diligebam. Et ideo *Ierem.*6. dicitur: Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Totus fuit votorum suorum dilectus inquantum vnicus, in quem omnia sua vota referebat. *Prouerb.*31. Quid dilecte votorum meorum? Inquantum etiam vnicus, fuit senectutis baculus. *Tob.*5. Baculum senectutis nostræ, lumen oculorum nostrorum. *Ruth* 4. Natus est qui te diligat, & enutriat senectutem tuam. Et hæc omnia spiritualiter sunt in natis Ecclesiæ, quos in corde suo parturiuit & portauit. Mater etiam feruentiorem in prole habet amorem. Omnis enim mater diligit: sicut dicit *Tullius in Topicis rhetoricis. Isa.* 49. Si potest obliuisci mater infantem suum vt non misereatur filio vteri sui? Q.d. Non potest. Hæc etiam necessariorem habuit tam robustam prolem, quæ iam anus se iuuare non potuit, solo filij solatio sustentanda. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.

Et hæc vidua erat] Ecce miserabilis habitudo matris [Hæc] enim [vidua erat] hoc est, à viro idua, & solatio viri destituta. Et ideo iam ei robusta proles erat valde necessaria: non tam pro filio quam vice mariti protectore domus & familiæ. 1. *Tim.* 5. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. *Psalm.* 131. Viduam eius benedicens benedicam *Isa.* 1. Iudicate pupillo, defendite viduam. *Thren. vltim.* Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. Hæc autem vidua est Ecclesia, à sponso Christo (qui in cælum secundum corporalem præsentiam abiit) idua, hoc est, diuisa [& turba ciuitatis multa cum illa] Ecce turbæ præsentis ex miraculo ad fidem ædificatio. Et hoc est quod dicit *Gloss.* Multi cum domino, multi cum vidua, vt viso miraculo multi fiant laudatores. Sicut enim præcipit Apostolus 1. *Cor.* 10. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Et item 1. *Cor.*14. Vos qui æmulatores estis spirituum ad ædificationem Ecclesiæ, quærite vt abundetis. Sic enim veniente turba & dicente: Volumus IESVM videre, hoc est, Saluatorem in effectu salutis: dixit statim: Venit hora vt clarificetur Filius hominis. Tunc enim clarificatur, quando in fide multorum clarus esse ostenditur. Et ideo dispensatione Dei turba ciuitatis multa erat cum illa.

Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit & tetigit loculum. (Hi autem qui portabant steterunt) & ait: Adolescens, tibi dico, surge.

Hic tangit ea quæ faciunt ad perfectionem miraculi ex parte Christi qui facit miraculum. Et sunt sex: & vnum interponitur, quod remouet id quod prohiberet, si miraculum non esset: & hoc est septimum. Primum autem est misericordiæ & pietatis in viduam respectus. Secundum autem, doloris & compassionis intrinsecus tactus. Tertium autem est consolationis affatus. Quartum est miserantis ad miserum accessus. Quintum est mortui à Christo viuificus tactus. Et hic interponitur eorum qui portabant mortuum, fixus & immobilis gradus. Sextum autem est eius qui mortis habebat imperium, præceptiuus ad vitam regressus. De primo quidem dicitur *Exod.* 3. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto. *Zach.* 2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. De secundo *Ierem.* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius. *Genes.* 6. Tactus dolore cordis intrinsecus. Secundum hominem enim Dominus misericordiæ affectu moueri potuit.

Dixit: Noli flere] Ecce consolationis affatus. *Isa* 66. Quomodo sicut mater blanditur, ita ego consolabor vos. *Ierem.* 31. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis. Fuerunt autem tres causæ quare vidua fleuit. Vna quidem: quia mortui plorandi sunt. *Eccli.* 38. Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare. *Eccli.* 22. Super mortuum plora: defecit enim lux eius. Secunda causa est: quia fuit filius vnicus. *Ierem.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Tertia causa est: quia adolescens in flore suæ iuuentutis defunctus. *Isa.* 38. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsiui residuum annorum meorum. Dominus consolatur eam sicut promisit *Eccli.* 35. Non despiciet preces pupilli: nec viduam, si effundat coram eo loquelam gemitus. *Iob* 29. Cor viduæ consolatus sum. Hæc enim indiguit consolatione, quia in persona eius dicit *Baruch* 4. Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam.

Et accessit] Ecce ad miserum salutis accessus. *Luc.* 10. Appropians alligauit vulnera eius. *Psalm.* 33. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.

Et tetigit loculum] Ecce Saluatoris ad mortuum viuificus tactus. Quia sicut tactu suæ viuificæ carnis vim regeneratiuam & viuificatiuam contulit aquis: ita tactu curat leprosos, & suscitat mortuos: non inquinatus ab illis, sed infundens omnibus salutis effectum. *Marc.*5. Tetigit me aliquis. *Genes.* 27. Accede ad me fili mi, vt tangam te. *Psalm.*143. Tange montes, & fumigabunt in deuotione. Dicitur autem feretrum loculus: quia frigiditas mortui & spasmus in minima contrahunt corpus mortui, nisi sit humor intus putridus & inflatus. Et ideo mortuo corpori minor sufficit locus. Et ideo vocatur loculus. Iste autem loculus secundum *Gloss.* Spiritualiter, secura desperati cordis est conscientia: in quo loculo iacet spiritualiter mortuus, non sentiens mortem suam propriam. *Exod.* 12. Neque enim fuit domus, in qua non iaceret mortuus. Vnde Dominus tres legitur suscitasse: vnum in domo, filiam Archisynagogi. *Matth.*9. qui significat mortuum in conscientia, qui adhuc non prodiit ad publicum mali exempli. Alium in porta vrbis, vt hic, qui significat mortuum in peccatis, qui per portam sensuum

prodiit in publicum scandali & mali exempli. *Ierem.9.* Ascendit mors per fenestras nostras, & ingressa est in domos nostras. Tertium in monumento. *Ioan.11.* Qui clausus lapide fœtens, significat eos qui obduratione malæ consuetudinis pressi fœtent ad corruptionem multorum. Vnde versus

Mens mala, mors intus, malus actus, mors foris, vsus:
Tumba, puella, puer, Lazarus ista probant.

Hi autem qui portabant ferettum steterunt] Ecce portantium fixus gradus, & per hoc remotum suscitationis impedimentum; quia si fortiter portando præteriissent, tactus diuinus super mortuum non fuisset confirmatus, sed à manu retractus. Hi autem qui portabant, literaliter quidem sunt homines; naturaliter autem, vt dicit *Gloss.* sunt elementa: moraliter autem sunt passiones, & peccati affectiones. Et de hominibus quidem constat *Matth.8.* Permitte mortuos sepelire mortuos suos. Naturaliter autem sunt elementa, vt dicit quædam *Glossa.* Mater enim est terra. Vnicus autem Adam, quem ad tumbam naturaliter portant quatuor elementa. Terra quidem spiritualiter portat, cum terrena facit concupiscere: naturaliter autem, quia sua frigiditate & siccitate etiam corpus facit immobile. Aqua spiritualiter portat, cum distillat in libidinem: corporaliter autem, cum sua frigiditate sensum aufert. Aër autem spiritualiter portat, per inanem laudis fauorem: naturaliter autem, quando per angustiam intercipit anhelitum. Ignis autem spiritualiter portat, per incendium iræ: naturaliter autem, cum inflammat ad febris æstuationem.

Melius autem accipitur moraliter, quod quatuor qui portabant sunt quatuor passiones: sicut *Beatus Bernardus* dicit. Amant enim quæ non decet, timent quæ non oportet, dolent vanè, gaudent vanius. De amore quidem & timore dicitur in *Psalm.79.* Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Incensa sunt ab amore male inflammante, suffossa à timore male humiliante: & hæc peribunt ab increpatione vultus tui. De dolore autem siue tristitia dicitur 2.*Corinth.7* Seculi tristitia mortem operatur. De vano gaudio *Iob* 21. Gaudent ad sonitum organi, & in puncto ad inferni nouissima descendunt. Hæ ergo quatuor passiones portantes hominem continuò ad tumulum æternæ damnationis. Hæ autem stant, quando in malum non pellunt: & de statu suo homo incipit cogitare, vt Dei gratia redeat à peccato. *Ierem.6.* State super vias vestras: interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. Vel quatuor qui portant, sunt mala desideria, & peccati consensus in parte vna ex parte capitis, vbi peccatum incipit. Malus autem actus & mala consuetudo in parte pedum, vbi peccatum consummatur. Vel mala peccati delectatio, præsumptio impunitatis, & spes longioris vitæ, & spes futuræ pœnitentiæ, *Zach.1.* Ista sunt quatuor cornua, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros: & nemo ex eis leuauit caput. Et hi stant, quia falsis spebus nos decipiunt. *Sapient.5.* Spes impiorum quasi lanugo quæ à vento tollitur.

Et ait] Ecce sextum, præceptiuus mortui ad vitam regressus [Adolescentem vocat: quia miserabilior est adolescentis in flore vitæ adhuc existentis mors quam senis. *Isa.38.* Ego dixi: In dimidio annorum meorum vadam ad portas inferi. Vel moraliter, adolescens in peccato mortificante facilius resurgit quam in peccato inueteratus. *Daniel.13.* Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius. *Isa.65.* Peccator centum annorum maledictus erit. *Baruch 3.* Inueterasti in terra aliena, coinquinatos es cum mortuis. Recens autem in peccato & iuuenis facilius solo verbo Dei reuocatur ad vitam. *Psalm.118.* In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Vnde & Christus hic non clamauit, sicut *Ioan.11.* quando suscitauit Lazarum, qui significat in peccato inueteratum [tibi dico] Vocauit Christus adolescentem nomine iuuenilis ætatis: quæ causa multis est incontinentis & fluxibilis vitæ. *Sapient.2.* Fruamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. In illa enim ætate causa intelligitur mortis suæ. *Aristot. in ethic. lib.3.* Nomen incontinentiæ ad puerilia peccata ferimus. Et adiungit imperium, dirigens sermonem ad ipsum, dicens [Tibi dico] Mortuus enim etiam, audit vocem virtutis eius. *Ioan.5.* Mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. *Psalm.67.* Dabit voci suæ vocem virtutis. Est ergo vocis huius perpendenda benignitas, & potestas. Benignitas in hoc quod nominat eum ex nomine ætatis. Potestas quod ad ipsum sicut ad audientem dirigit sermonem. *Ioan.5.* Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Mortui enim nobis, voci Dei dormiunt: & ideo vocem eius audiunt excitati. *Isa.26.* Viuent mortui tui Domine: interfecti mei resurgent.

Surge] Ecce imperium. Hoc est, sursum te age ad æterna desideranda. *Coloss.3.* Mortui estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Si autem est vita in Deo, non de cætero iaceat in puluere, sed erigat se ad alta. *Ephes.5.* Surge qui dormis: & illuminabit te Christus. Ecce quod tribus verbis suscitatur: quorum primum, signum est gratiæ: secundum, auditus intelligentiæ: tertium autem, virtutis potentiæ diuinæ. Quod nominat, signum est gratiæ. *Exod.34.* Inuenisti gratiam coram me: & teipsum noui ex nomine. Quod sermonem ad eum dirigit, auditus est intelligentiæ: quia verbum auditum & intellectum viuificat. *Psalm.118.* Viuifica me secundum eloquium tuum, & non confundas me ab expectatione mea. *Eccli.4.* Sapientia vitam filiis suis inspirat. Quod autem imperat vt surgat, effectus est potentiæ diuinæ in verbo Christi. *Psalm.140.* Audient verba mea, quoniam potuerunt, hoc est, potentiam habuerunt & valuerunt. *Sapient.18.* Omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit. *Luc.1.* Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Primum ergo verbum est acceptationis, secundum cogitationis, tertium autem virtutis. Et hæc tria sunt in verbis Dei, quæ suscitant mortuos: quæ præcedunt accessus viuificationis per opera bona, tactus visitationis in peccati cognitione, motus miserationis in dolore cordis. Et verbo in his tribus sequente, subsequitur beneficium resurrectionis.

Et vide diligenter quantum est illud miraculum. Mortuus enim, est carens interiori illuminatione: rigidus, carens flexibilitate: corruptus, carens debita complexione: spasmatus, debita carens

rens compositione. Et hæc omnia restituta sunt solo Domini sermone. Sunt autem hæc etiam in morte spirituali. Hæc enim cater vera causa vitæ. *Psalm.*35. Domine apud te est fons vitæ. Et qui non bibit vitam de fonte, mortuus est. Tenebrosus est etiam, carens interiori illuminante in diuina cognitione. *Thren.*3. Me minauit,& adduxit in tenebras, & non in lucem. Rigidus etiam est carentia flexibilitatis ad bonum. *Exod.*15. Obriguerunt omnes habitatores Chanaan: fiant immobiles quasi lapis. Hæc autem rigiditas prouenit ex superinducta frigiditate. *Matth.*24. Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Corruptus etiam est,carens debita expletione: quia cater omni virtutis ordine. *Psalm.*30. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum,non est vsque ad vnum. Et ideo etiam aliquando fœteot mortui. *Ioan.*11. Ecce iam fœtet. *Psalm.*5. Sepulchrum patens est guttur eorum. Spasinus autem(contrahens membra à compositionis debita figura) est tota pulchritudo imaginis diuinæ destituta. *Thren.*4. Computati sunt in vasa testea,opus manuum figuli. Omnia igitur tollit sermo diuinus,vt diximus. Per Spiritum enim sanctum viram ingerit *Ioan.*6. Spiritus est qui viuificat,per illuminationem veritatis ad pulchritudinem coloris illuminat. *Exod.*34. Splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis Domini. Ex calore charitatis, flexibilitatem ad bonum reparat. *Psalm.*38. Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis. 4. *Reg.*4 Calefacta est caro pueri, & reuixit oscitando septies. *Psalm.*118. Septies in die laudem dixit tibi Sanitate autem virtutis pellit corruptionem complexionis. *Ierem.*17. Sana me Domine, & sanabor. Elargitione autem largitæ misericordiæ & miserationis fugat spasmum turpitudinis:qui membra omnia contrahendo deturpat. *Prouerb. vltim.* Manum suam aperuit inopi,& palmas suas extendit ad pauperem. Sic etiam fit reformatio imaginis. *Cantic.*4: Tota pulchra es amica mea,& macula non est in te.

Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri suæ.

Ecce perfectio miraculi ex parte eius in quo fit. Fiunt autem tria: duo ex parte mortui, & vnum ex benignitate Domini. Primum ex parte mortui,est ostensio vitæ in membris corporis. Secundum autem, reparatio animæ in ratione interpretationis. De primo dixit [Et resedit] vnumquodque membrum in loco iuncturæ in virtute, in qua erat prius. Et hoc indicabat sessione corporis, in qua animalia sedent super naturalia & spiritualia: sicut pectus super naturalia. Talis enim quies vocatur sessio. Resessio autem notat reditum huius sessionis sicut erat prius. *Isa.*52. Surge, sede Ierusalem: solue vincula colli tui captiua Filia Sion Sic enim etiam residet qui spiritualiter est mortuus. *Act.*9. Viso Petro resedit: dansque illi manum erexit eam, & Sanctis ac viduis assignauit viuam. Hæc est ergo prima significatio vitæ, quod homo à peccatis caput erigens, in gratia & quiete Dei resideat, & amplius manibus malignis in mortem non potretur. *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate, quoadusque virtute induamini ex alto. *Thren.*3. Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se supra se.Secundum autem ex parte mortui est.

Et cœpit loqui] in quo significatur in anima rationali, rationis & interpretationis restitutio. *Marc.*7. Solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Rectè enim loquitur qui in oratione cum Deo, in lectione Deum percipit loquentem, in prædicatione & collatione de Deo loquitur: & in laudibus diuinis magnalia refert Dei. De primo horum *Genes.*18. Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis. De secundo 1. *Reg.*3. Loquere Domine quia audit seruus tuus. De tertio *Ezech.*2. Loqueris verba mea ad eos,si forte audiant. De quarto *Ephes.*5. Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Sequitur tertium quod est benignitas Domini.

Et dedit illum matri suæ]Quem enim suscitando suum fecerat, secum ducendo,vel aliter ad obsequia sua deputare poterat: sed misertus viduæ omni solatio destitutæ[dedit eum matri] vt illam loco mariti procuraret. Significat autem in facto quod suscitatus spiritualiter, matri Ecclesiæ per reconciliationem est restituendus, & sacramentorum communioni. Vt sicut scandalizando ab Ecclesiæ gremio per peccatum recessit: ita satisfaciendo ad Ecclesiæ sacramenta reuertatur. Hoc significatum est 4. *Reg.*4. vbi Eliseus matri cuius viuere fecerat filium, dixit: Tolle filium tuum.

Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.

Ecce miraculi diffamatio. Tanguntur autem hic tria: primum quidem, diffamationis causa: secundum, in gratiarum actione fama: tertio autem,famæ diffusio lata. De causa dicit [Accepit autem omnes] vniuersaliter [timor] Timor enim accipit hominem, quando magnitudo rei sic occupat hominem, quod quantumcunque libenter contradiceret, quod vincitur in se, & timore tenetur ne contradicat,nec à laude taceat. Est autem iste timor reuerentiæ. *Eccle. vltim.* Deum time,& mandata eius obserua. *Exod.*20. Perterriti ac pauore concussi steterunt procul. *Hebr.*12. Perterritus sum & tremebundus [& magnificabant]Ecce fama. Et tangit duo: modum,& famam. Modum tangit cum dicit [magnificabant] hoc est, de magnis magnum magnifica laude prædicauerunt. 2. *Machab.*1. Magnifice gratias agimus. *Eccli.*43. Magnificantes Dominum, exaltate eum quantum potestis:quoniam maior est omni laude[dicentes] Ecce fama in ore præsentium. Et tangit duo: magnitudinem facientis,& beneficium facti. Magnitudo facientis extollitur per hoc.

Quia Propheta magnus surrexit in nobis] Dicunt autem Prophetam, à voluntatis Dei notitia: magnum, virtutum & operum potentia: surrexisse, à legis testificante Scriptura De primo notandum, quod Propheta dicitur propriè sciens secreta Dei per inspirationem. Et sic Dominus non fuit Propheta propriè loquendo: quia sciuit

non per inspirationem, sed potius per iunctam sibi diuinitatem. A similitudine ergo actus sciendi futura, dicitur Dominus Propheta. *Ioan.6.* Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Magnus autem dicitur magnitudine virtutis & operationis. *Luc. vltim.* Qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone. Hic autem dicitur surrexisse in altum secundum testimonia legis & Prophetarum. *Deuter.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me audietis eum.

Et quia Deus visitauit plebem suam] Ecce beneficij recognitio. Hæc autem visitatio est in frequenti oculorum reductione super populum suum, qua visitatione incarnationis præstitit beneficium. *Luc.1.* Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. *Psal.105.* Visita nos in salutari tuo ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Et exiit hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem. Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.

Ecce famæ diffusio. Et tangit tria. Primum est diffusio in Iudæam: secundum, in vicinam Iudæorum Gentium habitationem: tertium autem, quia etiam deuenit ad Ioannem in carcere existentem. De primo dicit [Et exiit] diffusus [hic sermo in vniuersam Iudæam] *Ioan.21.* Exiit sermo inter fratres. *Psalm.147.* Velociter currit sermo eius. Fama enim diffunditur sicut odor. *Cantic.4.* Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. *Ioan.12.* Domus impleta est ex odore vnguenti [Et circa omnem regionem] etiam in habitationes Gentium. *Isa.49.* Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Isa.9.* Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis [Et nuntiauerunt Ioanni] Baptistæ iam existenti in vinculis Herodis [discipuli Ioannis] quia præsentes erant. Sequebantur enim etiam ipsi Dominum propter curiositatem videndi miracula [de omnibus his] Non enim prohibebantur discipuli Ioannis quin accederent ad eum & procurarent eum: eo quod Herodes metuebat eum, & libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat: sicut dicitur *Marc.6.* *2.Timoth.2.* In quo laboro vsque ad vincula: sed verbum Domini non est alligatum. *Ephes.6.* Pro quo legatione fungor etiam in hac catena.

Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad IESVM, dicens: Tu es qui venturus es: an alium expectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es qui venturus es: an alium expectamus?

Hic inducitur pars illa quæ est de hoc, quod noster dispositor & ordinator officiorum Ecclesiæ, est verissime ille qui promissus est in lege, nec alius est expectandus post eum. Et ideo hic tria inducuntur, quorum primum est de probatione eius, quod iam dictum est. Secundum autem, quia ex inquisitione Ioannis alicui possit suboriri dubitatio: vtrum ne in fide dubitasset vel non: ideo à Domino commendatur valde: & ostenditur officij sui congruitas. In tertio autem ostenditur reprehensio eorum qui consilium tam commendabilis viri non sunt secuti. Et hæc patent in litera. In prima harum partium tres sunt paragraphi, in quorum primo tangitur legatorum & legationis à Ioanne missio: in secundo legatorũ perfectio & peruentio: in tertio auctoritas & fides sibi iniunctæ legationis. De primo dicit.

Et Ioannes Baptista hæc audiens] quæ dicta sunt [conuocauit duos] Causa autem est: quia discipuli hoc ex liuore quem habebant ad Christum sibi nuntiauerunt tanquam Ioannem pro se habere deberent: quia Christus non remitteret ad Ioannem sicut Ioannes miserat ad Christum. Vnde simili liuore dicunt *Ioan.3.* Rabbi, qui erat tecum trans flumen, cui tu testimonium perhibuisti: ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Quasi dicat. Inconueniens est, quod te sic minorato, ille crescit, & ad te non remittit multitudines turbarum. Simili etiam liuore Iosue zelabat pro Moyse *Num.11.* Cum diceretur enim: Eldad & Medad prophetant in castris, dixit Iosue: Domine mi Moyses prohibe eos. Et ideo vt liuorem curaret discipulorum ex visu quem viderent, & auditu quem ipsius voce perciperent: vocauit [duos] magis pro ipso contra veritatem, per quos & conuincerentur & instruerentur omnes alij ad fidem Christi. *Deuter.17.* In ore duorum vel trium stabit omne verbum. Hos autem vocauit [de discipulis suis] quia illi magis zelabant: & ideo magis credebatur eis. Vnde etiam *Ioan.3.* dixit eisdem: Ipsi vos testimonium perhibetis mihi, quia dixi: Non sum ego Christus. Sed inuidiæ vis magna est. Et de quo non sunt instructi per verba magistri, conuincuntur per facta Domini: vt magis confundantur de tarditate credendi. *Iob 42.* Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam. Et ideo.

Misit eos ad IESVM. dicens] Ecce legationis iniunctio [Tu es qui venturus es?] &c. Venturum enim in lege promissum, qui restiturus erat omnia, omnes expectabant. *Ioan.4.* Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia. *Genes.49.* Salutare tuum expectabo Domine [An alium expectamus?] *Exod.4.* Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Et ideo, quia in lege promissum noluerunt recipere Dominum, antichristum recipient in lege reprobatum. *Ioan.5.* Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me. Si alius venerit in nomine eius, illum accipietis. Horum enim obstinatorum figuram gerunt discipuli Ioannis. Et ideo Ioannes non sibi, sed discipulis fieri facit has quæstiones. *Ambros.* tamen, & quidam alij, sicut *Hieron* & *Beda*: hanc quæstionem dicunt non esse cæcitatis & infidelitatis: sicut Iudæi quæsiuerunt, quando dixerunt *Ioan.10.* Quousque animas nostras tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Nec etiam est dubietatis in fide quorundam: sicut quæstio discipulorum & Mariæ Magdalenæ *Ioan.20.* Dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Sed, vt dicunt, est quæstio

ctio pietatis & teneritatis amoris: sicut *Ioan.* 1. Rabbi, vbi habitas: Cum tamen satis scirent quod domicilium proprium non haberet. Et sicut mater, cuius in exilio filius diu exulauit, sæpe quærit vbi sit filius suus, quantumcunque bene sciat quod non est præsens. Ita dicere volunt, quod Ioannes pietate & admiratione motus, quæsiuit si tot humilia per seipsum esset facturus, maximè in iudicio & crucifixione: cum tamen sciret hoc, sed teneritudine amoris videbatur contrarium hoc de ipso credere. *Cantic.* 1. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, hoc est, Passionis feruore?

Fere simili sententia dicit *Gregor.* eum non dubitasse de aduentu in mundum & ad Passionem, quem intra matris vterum cognouerat, in deserto loquente de cælo Deo acceperat, Spiritu descendente didicerat, Patris voce significatum audierat, digito demonstrauerat, discipulos inuidentes reprehendendo docuerat. Sed dicit eum dubitasse, an per seipsum descensurus esset ad inferos, vel alium ad hæc sacramenta peragenda missurus.

Si autem obiicitur, quod descensus ad inferos secundum Symbolum Apostolorum est articulus fidei, de quo non licet dubitare. Qui (inquam) articulus prophetatus est *Zach.* 9. Tu autem in sanguine testamenti emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Dicendum secundum *Gregor.* quod redemptio ab inferis est articulus, sicut dicit *Psalm.* 85. Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Sed quod per se educat captiuos, vel per alium, est de circumstantibus articulum. Et hoc non oportet explicite credere, nisi postquam perfecta sunt. Hæc ergo est sententia *Gregorij*. Sententia *Ambrosij* etiam à nobis posita est. Prima est sententia *Chrysost.* Et hæc est veritas literæ, secundum illam ergo literam exponemus, alias relinquentes.

Cum autem venissent] Ecce legatorum in legatione profectio [viri] autem dicuntur propter sui animi strenuitatem, & cordis perfectionem. *Eccli.* 44. Laudemus viros gloriosos. *Prouerb.* 8. O viri ad vos clamito. Quasi dicat. Viros figurent voco, qui stantem & strenuum habent affectum [vsque ad eum] hoc est, vsque ad IESVM: vt ipso facto etiam tacentibus verbis certificarentur [dixerunt] suam legationem exponentes. Et in hac expositione faciunt tria. Dictis enim suis adhibent auctoritatem, fidelitatem, & non excedunt mandati limitem. Auctoritatem quidem per hoc quod dicunt [Ioannes Baptista misit nos ad te] Ac si dicant. Illius auctoritate venimus, non nostra: sicut Moyses coram Pharaone *Exod.* 3. dixit: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te. Ioannes enim in magna fuit apud omnes auctoritate, sicut qui ab ipso Deo ad baptizandum missus fuerat. *Ioan.* 1. Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem: hic est qui baptizat. Vnde & nomen prænuntiatum, & officium à Spiritu sancto iniunctum in auctoritate fuerunt. Et ideo ambo coniungunt isti, dicentes [Ioannes Baptista] vt magis auctoritatis habeat legatio.

Dicens] Hic adhibent fidelitatem, dicentes verba Ioannis, non sua [Tu es qui venturus es] Messias in lege promissus. *Ioan.* 1. Quem scripsit Moyses & Prophetæ, inuenimus IESVM, à Nazareth: 1. *Tim.* 1. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quem vox de verbo, propheta de Christo, lucifer de sole, præcursor de rege proponit.

An alium expectamus] Hic innuunt tertium: quia nihil addendo verbis Ioannis, fines mandati non excedunt; nihil omittentes, legationem fideliter peragunt. *Iob* 19. Verbis meis addere nihil audebant: sed stillabat super eos eloquium meum.

In ipsa autem hora curauit multos à langoribus suis & plagis, & spiritibus malis: & cæcis multis donauit visum.

Hic incipit certificatio legatorum, potius quam legationis. Quia quæstio ista propter quærentes, & non propter rem ipsam facta est: quia res ipsa manifesta fuit, licet nuntij essent in dubitatione. Dicuntur autem hic tria. Primo ponitur res ex qua sumitur modus certificationis. Secundo ex re sumpta, ponitur certificans dictum responsionis. Tertio occultè subiungitur repressio dubitantis. De primo dicit quod [In ipsa hora multos] secundum genera hominum [curauit] à langoribus, hoc est, longis angoribus, in toto complexionem chronicis ægritudinibus turbantibus. *Eccli.* 10. Langor prolixior grauat medicum [& plagis] accidentalibus vel apostematum putrescentium, quæ dissoluunt compositionem. Et hæc duo sunt in corpore turbantia totum: aut secundum complexionem, aut secundum compositionem. *Psalm.* 102. Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam [& spiritibus immundis] Et hoc secundum oppressionem virium animæ. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. *Supra* 5. Qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur [& cæcis multis] diuerso genere cæcitatis [donauit visum] Et hæc est infirmitas secundum partem nobiliorem & spiritualem sensum, in quo consistit ducatus totius corporis. *Matth.* 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Infirmitas enim, aut est secundum animam, aut secundum corpus: si secundum corpus, aut in parte, aut in toto: & si toto, aut in toto secundum complexionem, aut secundum compositionem. Et penes hoc sumuntur infirmitates hic enumeratæ.

Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ vidistis, & audistis, Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.

Ecce hic sumitur ex re ipsa congrua quærentium certificatio. Est autem in duobus: in probatione potestatis diuinæ, & in ordine potestatis ecclesiasticæ, quæ procedit ex diuina potestate. Probatio autem potestatis diuinæ est per miracula potestatem diuinam demonstrantia: propter quod *Luc.* 11. Digitus Dei vocatur: vbi dicit, Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. *Exod.* 8. Digitus Dei est hic. Et ita indicat istis quærentibus digito, regnum Dei aduenisse

aduenisse in ipso: & ita se esse qui venturus erat, & expectabatur promissus in lege. Et hoc est quod dicit, Mittens ad reipsius manifestationem [Euntes renuntiante Ioanni] vt suo testimonio vos commincamini: quando rerum veritatem dictis eius concordare vidistis [quæ vidistis] præsentes [& audistis] de præterito. Et ex hoc patet quod aliquamdiu isti fuerunt cum Domino. Notos enim apud eum habebant Andream & alios, qui ad testimonium Ioannis adhæserant Domino: & ab illis tanquam familiaribus & sibi fide dignis audierunt multa quæ non viderant. *Iob* 42. Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam. *Luc.* 10. Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt: audire quæ auditis, & non audierunt.

Quia cæci vident] Ista quæ hic enumerat sumuntur, aut secundum corruptionem in toto, vel in parte. Si autem in parte: aut secundum corruptionem interiorum in exterioribus manifestam, aut secundum corruptionem exteriorum. In exterioribus autem, aut secundum organa sensuum, aut secundum organa motus. In sensibus autem sumuntur secundum corruptionem organorum duorum sensuum disciplinalium, qui sunt visus & auditus: & in his per similia omnes aliæ corruptiones intelliguntur. De illa quæ est secundum partem in organo sensus disciplinalis qui est visus, qui deseruit disciplinæ quæ est per inuentionem, dicit [cæci vident] oculis recuperatis. *Luc.* 18. Respice, fides tua te saluum fecit. *Ioan.* 9. In iudicium veni ego in hunc mundum: vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.

Claudi ambulant] Ecce reparatio defectus secundum corruptionem organi ad motum pertinentis. *Act.* 3. Exiliens claudus, & ambulauit, & intrauit cum illis in templum ambulans & laudans Deum. *Soph.* 3. Sanabo claudicantem, & eam quæ abiecta fuerat reducam. Sanat autem etiam cæcum quando lumen diuinum io fide videre concedit. *Psalm.* 12. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Sanat claudum, quando dicit ambulare in mandatis ad rectitudinem iustitiæ. *Hebr.* 12. Gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Leprosi mundantur] Hic est reparatio defectus, qui sumitur secundum corruptionem interiorum ad exteriora procedentem. *Supra* 4. & *Matth.* 8. Extendens (inquit) manum tetigit leprosum, dicens: Volo, mundare. Et hoc sicut iam ante diximus, mundationem significat hæreticæ prauitatis.

Surdi audiunt] Ecce reparatio organi sensus disciplinalis, qui deseruit doctrinæ: & significat reparationem auditus verbi Dei. *Marc.* 7. Misit digitos in auriculam eius, & dixit: Ephphetha, quod est adaperire.

Mortui resurgunt] Ecce reparatio corruptionis in toto. *Daniel.* 12. Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt. *Ezech.* 37. Ingressus est spiritus in ossa arida: & reuixerunt. *Isa.* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

Sed est Obiectio. Quia hæc signa etiam alij Sancti fecerunt. Et ita non valere videtur probatio, quod ipse qui hæc facit, sit qui venturus sit. Responsio, quod nullus Sanctorum fecit hæc virtute propria, nisi ipse qui est Sanctus sanctorum. Omnes etiam alij ista faciunt cum supplicationibus & exorcismis. Christus autem facit hæc verbo simplici & imperio, quasi sine claue operans. Et ideo per hæc sicut per digitum demonstratur esse promissus, & expectatus in lege [pauperes euangelizantur] Ecce demonstratio ordinis potestatis ecclesiasticæ. Pauperes enim spiritu de quibus *Matth.* 5. & *Luc.* 6. dicitur. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum: qui omnibus rebus huius mundi exuti sunt, sola cælestia meditantes, illi euangelizantur: qui & vocantur ad gradus ecclesiasticos. *Iacob.* 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Sic ergo certificati sunt.

Et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me.

Hic tangit zelantium eum occultam reprehensionem. Dicit igitur [Beatus est] iam in spe, & in futuro beatus erit re ipsa [qui non fuerit scandalizatus in me] Licet enim magna diuinæ potentiæ indicia faceret, & licet Scriptura testimonium perhiberet, & tempus aduentus eius congrueret, & Ioannes testimonium perhiberet: tamen multi causam offensionis accipiebant. Quidam quidem propter infirmitatem quam in eo videbant. Quidam propter nimiam eius humilitatem. Quidam etiam propter liuorem. Quidam autem propter suæ iustitiæ defensionem. Quidam propter temporalis gloriæ conseruationem. Et quidam propter falsi nominis scientiam.

Propter infirmitatem passionis quam in eo videbant, sæpe scandalizabatur Apostoli, *Matth.* 26. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Propter humilitatem autem *Luc.* 4. Nonne hic est fabri filius? *Isa.* 53. In humilitate iudicium eius sublatum est. Ita enim exinaniuit semetipsũ, quod nemo iudicauit de ipso iudicium rectum: dicente *Isa.* 53. Quasi absconditus est vultus eius & despectus: vnde neque reputauimus eum. Propter liuorem autem discipuli Ioannis, & quidam Iudæorum *Ioan.* 10. scandalizabantur in eo. *Ioan.* 7. Quidam dicebant quia bonus est: alij autem, Non, sed seducit turbas. Pharisæi autem scandalizabantur in eo propter suæ iustitiæ defensionem. *Rom.* 10. Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere: iustitiæ Dei non sunt subiecti. Principes autem propter suæ gloriæ conseruationem, quam Christus detestabatur. *Ioan.* 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Propter falsi nominis scientiam scandalizabantur Scribæ, qui dicũtur legisperiti 1. *Tim.* 6. Deuitans falsi nominis scientiam: quam quidam promittentes, circa fidẽ naufragauerunt. Et sic diuersis de causis multi in eo scandalizabãtur. Et ideo dixit Simeon *Luc.* 2. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël: & in signum cui contradicetur.

Beatus igitur est qui in ipso scandalizatus non fuerit] hoc est, occasionem casus non acceperit & ruinæ. Et ideo etiam *Isa.* 8. dicitur lapis pretiosus, probatus, & in fundamento locatus. Et sequitur,

quitùr, quod cadent ex eis plurimi, & illaqueabuntur,& irretientur,& capientur. 1. *Petr*. 2. Vobis igitur bonor credentibus: non credentibus autem lapis quém reprobauerunt ædificantes: & lapis offensionis & petra scandali his qui offendunt in verbo, nec credunt in quo & positi sunt.

Et cum discessissent nuntij Ioannis, cœpit dicere de Ioanne ad turbas.

Hæc est pars in qua continetur commendatio Ioannis ne occasione inductæ quæstionis aliqua sinistra suspicio oriatur contra ipsum: sicut adhuc sunt quidam hæretici qui Manichæi dicuntur, qui propter inductam quæstionem condemnant Ioannem. Tanguntur autem hic tria: primum quidem discipulorum Ioannis à Domino discessio, ne putetur esse adulatoria commendatio: secundum est ipsa laudis magnificatio: & tertium, Ioannis ad eos qui in Ecclesia sunt comparatio. De primo dicit [Et cum discessissent discipuli Ioannis] ne crederetur captare fauorem Ioannis propter ipsius testimonium quod veritati perhibuerat. *Psalm*. 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum, hoc est, blandimentum adulatoris. Ideo dicit de Ephraim quod oleum in Ægypto ferebat. Oleum enim in Ægyptum ferre est blandicias & adulationes in præsenti hominibus exhibere [cœpit] laudando [dicere ad turbas de Ioanne] Laudandi enim sunt viri gloriosi: sicut dicitur *Eccli* 44. sed cum modestia, & non in præsenti: ne subdola & palpans credatur esse adulatio.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

Hic ponitur Ioannis commendatio, & habet duas partes, in quarum prima remouet ab eo vituperabilia quæ eius possent impedire commendationem: in secunda autem in magnis virtutibus ponit eius commendationem. In duobus autem remouet ea quæ sunt vituperalia. Remouet enim ab eo inconstantiam, quæ contraria perseuerantiæ voti sui: & remouet ab eo resolutam mollitiem, quæ suæ contraria esset austeritati. In primo horum sunt tres quæstiones. Prima est, quid traxerit homines vt relinquerent commoda & vtilitates proprias, & ad loca se transferrent inhabitabilia & incommoda? Hoc enim non potuit facere nisi magna res aliqua & mirabilis. Et hoc est quod dicit [Quid videre] hoc est, quid ad videndum erat tam magnum & mirabile [existis] ex propriis commodis & habitationibus [in desertum] vbi nec commodum, nec habitationem propriam vel peregrinam habere potuistis. *Deut*. 22. Inuenit, eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. *Luc*. 3. Omnes exibant ad eum vt baptizarentur ab eo [arundinem vento agitatam?] Secunda quæstio. Q. d. Nunquid hoc fuit arundo vento agitata? quod vos de domibus propriis erectos traxit in desertum ad videndum. Q. d. Non hoc fuit arundo vento agitata.

Arundo autem tria genera proprietatum habet. Habet enim quasdam ex loco suæ generationis, quasdam ex sua substantia, quasdam autem ex hoc quod est infructuosa. Ex loco suæ generationis est in humido & lutoso, & per hoc significat concupiscentiæ humorem & lutum luxuriæ. *Iob* 40. In vmbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus, hoc est, in luxuriosis quiescit diabolus. Hoc non competit Ioanni virgini & ab vtero sanctificato. *Ierem*. 1. Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de ventre, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te. Arundo etiam habet ex seipsa quod est intus caua, exterius nitens & plana, & est fragilis in seipsa, & significat hypocrisim quæ extra pulchritudinem prætendit, & intus nihil habet: habentes speciem pietatis, virtutem autem eius penitus abnegantes. Et hoc iterum non competit Ioanni, de quo dicitur *Luc*. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. *Isa*. 36. Forsitan inniteris super baculum istum arundineum, Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, frangitur & perforabit manum eius. Quia quando arundo frangitur, acutis angulis perforat innitentem: sicut hypocritæ omnibus innitentibus in aduersitate fracti manus vulnerant. Arundo etiam agitabilis est omni vento, & sic significat inconstantes. 3. *Reg*. 9. Percutiet Deus Israël, sicut moueri solet arundo in aqua: & euellet Israël de terra bona. Hoc iterum Ioanni non competit, qui vt dicit *Gregor*. elegit magis solide subsistere in se, quam humana opinione eleuari supra se. Et ideo arundo leuis (quæ in infantia & iuuentute confiteretur veritatem, & modo in carcere negaret veritatem) non fuit. Arundo etiam est infructuosa, & sic combustioni de facili apta. *Sapient*. 3. Tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Sancti enim iudicando cum Domino, peccatores inutiles incendent. Sic autem non fuit Ioannes. *Luc*. 1. Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum Patrem suorum. Item *ibidem*. Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ: & parare Domino plebem perfectam. Non ergo fuit arundo. Talis enim aspectus tam multos & graues & honestos viros de propriis ad deserta, per longa terrarum spatia, non euocasset. Et ideo subauditur. Non.

Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt.

Secundum est quod remouet, iterans quæstionem [Sed] adhuc dicite [quid videre] quid videndum [existis] vestra relinquentes & in desertum properantes. Oportet enim eum qui diuina contemplari desiderat vt sua relinquat. *Cantic*. 3. Egredimini filiæ Ierusalem & videte Regem Salomonem. Oportet etiam quod in desertum solitudinis profunde penetret qui Ioannem, hoc est, gratiam inuenire desiderat. *Exod*. 3. In interioribus deserti dixit Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam [hominem mollibus vestitum?] Remouet id quod contrarium est austeritati. Mollibus enim vestiti non quæruntur in deserto, sed in palatio: sicut statim subinfert. Mollibus autem vestiri est intelligendum quod in omni sensu molle sit: ad videndum quidem propter colorem: ad olfaciendum propter meretricia aromata, quæ vestibus pretiosis inuoluuntur: & ad tactum propter mollitiem corporis resolutam. Vnde *Matth*. 3.

Vestitus

Vestitus erat de pilis camelorum : & zona pellicea lumbos eius. *Hebr.* 11. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis : egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. 4. *Reg.* 1. Qualis enim fuit vir qui occurrit vobis homo pilosus : & zona pellicea circa lumbos eius? Et respondit, Elias Tehsbites est. Sicut enim Ioannes præiuit ante Christum in spiritu & virtute Eliæ: Ita etiam præiuit in habitu Eliæ non mollibus vestitus. *Eccli.* 11. In vestitu ne glorieris vnquam 1. *Pet.* 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Vnde de epulone diuite *Luc* 16. dicitur, quod induebatur purpura & bysso : bysso propter mollitiem, & purpura propter splendorem. Ad tales igitur videndos non existis. Quia [Ecce qui in veste pretiosa sunt] *Sophon.* 1. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina [& in deliciis] resoluti. *Ierem.* 31. Vsquequo dissolueris filia vaga? Tales enim non quæruntur in deserto, sed in ciuitatibus [in domibus regum sunt] & magnatum. Et horum consilium secutus Roboam scidit regnum & Dei meruit indignationem 3. *Reg.* 13.

Mollibus etiam metaphorice vestiuntur & ornantur adulatores : qui, sicut dicitur *Ezech.* 13. consuunt puluillus sub omni cubito manus. Et hoc ad literam est opus adulatorum, semper puluillos post magnates portare, & brachiis eorum & capitibus & naribus supponere Et hi etiam in domibus Regum sunt : quia Reges & magnates fere omnes sunt Sardanapallitæ, & non habent in gratia nisi tales. Ioannes autem nihil tale prætendit, qui sic incepit *Luc.* 3. Genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?

Sed quid existis videre? Prophetam? vtique : dico vobis & plus quam Prophetam. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Remotis vituperabilibus quæ possent existimari de Ioanne, ipsum ostendit esse commendabilem de veritate, propter quam etiam fuit in carcere : quia veritatem prophetalem nunquam deserere voluit. Dicit autem duo : quæstionem & responsionem. Quæstionem sic format [Sed] adhuc dicite [quid existis] extra vos, extra vestra, extra omnia vobis nota [videre] hoc est, ad videndum. *Baruch.* 4. Sta in excelso & vide iucunditatem à Domino Deo tuo tibi venientem. Repondet [Prophetam ?] Q. d. Sic. Tamen dicit *Ioan.* 1. de se. Non sum Propheta. Sed Propheta dicitur dupliciter : stricte, & large. Strictissime Propheta dicitur habens inspirationem diuinam, & ad enunciandum de verbo & sacramentis eius in lege promissis : vt consolentur expectantes. Et sic non fuerunt Phrophetæ nisi in veteri testamento : sicut *Eccli.* 36. dicitur. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Alio modo dicitur Propheta large quilibet habens inspirationem de futuris quibuscunque. Sic Prophetæ etiam fuerunt & sunt adhuc in nouo testamento : quia multa futura & vera prædicunt. Primo modo dicitur *Matth.* 9. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Secũdo modo dicitur *Luc.* 1. Tu puer Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Confirmat autem istam responsionem Christus [Vtique : dico vobis & plus quam Prophetam] quia in matris vtero gestiens ostendit & facto & verbo & digito præsentem Redemptorem, & sacramenta eius demonstrauit : & sic plus est quam Propheta: quia Euangelistæ in demonstrando officium habuit. *Isa.* 41. Primus ad Sion dicit : Ego adsum, & ad Ierusalem, Euangelistam dabo. Propinquum enim regnum cælorum pœnitentibus esse prædicauit : quod alij non potuerunt facere.

Hic est de quo scriptum est] Confirmat per Scripturam *Malach.* 3. Et loquitur Pater ad Filium [Ecce mitto] in quo notatur Ioannis auctoritas ex mittente eum in legationem [angelum] in quo notatur cælibatus & sanctitas. *Malach.* 2. Angelus Domini exercituum est [meum] quem ego sanctifico, & cui nomen impono, & quem à sterili vtero ex sene patre ad hoc voco. *Isa.* 49. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei [ante faciem tuam] hoc est, ante manifestationem tuam per quem tu manifesteris. *Ioan.* 1. vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans [qui præparabit viam tuã] hoc est, viam qua ad te itur, & qua tu vadis ad corda fidelium [ante te] *Isa* 40. Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Psalm.* 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea Sed quia multa de his verbis in præmissis dicta sunt, ideo hic transeamus.

Dico enim vobis : Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est : qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.

Hic sub comparatione loquitur de Ioanne Baptista, & facit duplicem comparationem : vnam quidem, in sanctitate & merito : aliam autem, in potestate & officio. De comparatione sanctitatis & meriti dicit [Dico enim vobis] ore veritatis quod non mentitur. *Num.* 33. Non est Deus quasi homo vt mentiatur [Inter natos mulierum] Mulier molliens & emollita hic vocatur quæ virum passa est, & emollitionem sustinuit concupiscentiæ. Nec dicit; Inter natas, honorem deferens matri quæ in merito & sanctitate omnem excellit creaturam [Propheta] large, & stricte sumendo Prophetam. *Sapien.* 7. Spiritus sapientiæ per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit [maior] sanctitate & merito & dignitate inspirationis & enuntiationis propheticæ. Sanctitate quidem: quia Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Merito : quia ne leui saltem maculare vitam famine posset: ideo antra deserti teneris sub annis petiit : victu parcus, habitu austerus, verbo ædificationis deditus, contemplatione altissimus.

De primo horum *Luc.* 1. Erat in desertis agens vsque in diem ostensiunis suæ ad Israël. De victu *Matth* 3. Esca eius erat locusta & mel syluestre. De habitu *ibidem.* Vestimentum eius de pilis

pilis camelorũ:& zona pellicea circa lumbos eius. De verbo prædicationis *Ioan.*1 Ego vox clamantis in deserto. De contemplatione *Luc.*3. Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Verba audiuit,spiritum vidit,altissimas habuit illuminationes:sicut patet *Ioan.*1. & *Luc.* 3. & *Matth.* 3. & dignitatem habuit inspirationis. *Luc* 1. Necdum separatus à visceribus matris, cognouit vocem matris, & Spiritum Filij, & virtutem in voce matris Dei. Dignissimam etiam habuit enuntiationem : quia gestu indicauit parentibus, & digito agnum Dei demonstrauit. Et ideo *Augustinus*, contra Felicianum arguit. Si maior inter natos mulierum Ioanne nemo est. Omnis autem homo, præter Christum Deum, natus mulieris est. Igitur præter Deum maior Ioanne nemo est.

Qui autem minor est] Hic facit comparationem de potestate accepta in ministerio. Dicitur autem hic regnum cælorum, completa potestas ad regnum cælorum, ordinans in præceptis, & legibus, & officiis, & sacramentis : ordinata ad vnum qui rex est in hoc regno. Talis enim potestas est omne regnum. Et secundum hoc in regno cælorum sunt ministri, qui potestatem in ordine præceptorum & legum & sacramentorum secundum officiorum gradus acceperunt, secundum quod dictum est capiti *Matth.*16. Tibi dabo claues regni cælorum. Et secundum hoc omnis qui est in regno cælorum per officium suum confert gratiam qua aperitur regnum cælorum : vel per officium suum ligat ne aperiatur regnum cælorum. Tale autem aliquid Ioannes suo ministerio nunquam contulit : & ideo in regno cælorum minister non fuit. Et ideo [minimus qui est in regno cælorum maior est Ioanne]secundum huius potestatis comparationem : quia si Ioannes via est ad regnum cælorum, hoc modo dictum : Ioannes nihil est in ordine regni cælorum. Et ideo dixit: Me oportet minui, illum autem crescere. *Ioan.*3. Et ideo etiam nullum signum fecit : sicut illi qui gratias habent sanitatum in regno cælorum. Iste est igitur intellectus literæ secundum veritatem.

Quædam tamen Glossarum expositiones dicere videntur; quod regnum cælorum dicitur regnum beatorum,qui in limbo liberationem Christi spe felici expectauerunt : quorum minor quantum ad securitatem,maior fuit Ioanne adhuc viuo & dubiam viam agenti. Sed hæc non est expositio literalis. Prior autem literalis est. Et secundum hoc malus etiam sacerdos qui toleratur in ministerio Ecclesiæ,maior est Ioanne. Talis enim magnitudo potestatis ecclesiasticæ non competebat ei qui nullum habuit officium ecclesiasticum. sed mediatoris & præcursoris & viæ & præambuli ad hæc acceperat potestatem. Hoc est ergo quod dicit *Isa.*61. Vos Sacerdotes Dei vocabimini. Ministri Dei nostri dicetur vobis. 1.*Petr.*2. Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : vt virtutes eius annuntietis qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum. Nec potest esse de populo acquisitionis qui non habet conferre gratiam populum acquirentem. Sic ergo Ioannes minor est minimo in regno cælorum, & maior est maximo inter natos mulierum in eodem.

Et omnis populus audiens & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis : Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo.

Hic incipit pars tertia illius partis, in qua ponitur reprehensio non suscipientium testimonium Ioannis, & commendatio paucorum suscipientium ipsum. Et ideo secundum ista duo diuiditur in partes duas. Prima harum (quæ est de reprehensione non suscipientium) habet partes duas, in quarum prima ponitur reprehensionis causa. In secunda autem sub metaphora ponitur reprehensio valde congrua. In prima harum dicit,quod generaliter[omnis populus]simplex & idiota solo ductu rationis [audiens] Ioannem,& quod minus videbatur[publicani]quia publico quæstu & actibus magis retrahi videbantur audientes eum [iustificauerunt Deum] hoc est, iustum & veracem ostenderunt in sermonibus suis: qui,sicut Ioannes prædicabat, spem promisit pœnitentibus & confitentibus peccata sua. *Psalm.*50.Iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Et ideo dederunt veritati & iustitiæ Dei gloriam : & confitebantur peccata sua Ioanni, pœnitentiam ad consilium eius recipientes. *Iosue* 7.Fili mi da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris [baptizati baptismo Ioannis] qui nihil conferebat nisi ad baptismum Christi introductionem & assuefactionem : sicut in præhabitis est expositum.

Pharisæi autem] Ecce secundum istius primæ partis : quia cum idiotæ & publicani sic quærerant pœnitentiam secundum consilium Dei qui miserat Ioannem [Pharisæi] præsumentes de sua iustitia [& Legisperiti] siue Scribæ præsumentes de falsi nominis scientia. 1.*Corinth.*8. Scientia inflat [Dei consilium] quod fuit in Ioanne quod duceret ad Christum [spreuerunt] *Psalm.*61. Cogitauerunt consilium meum repellere. *Prouerb.*1. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis [in semetipsos] hoc est, contra semetipsos. Similis modus loquendi est *Daniel.*13. Recte mentitus es in caput tuum,hoc est,contra caput tuum. Vel[in semetipsos]hoc est, quod datum fuit directum [in semetipsos]ad vtilitatem eorum. *Psalm.*17. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis, hoc est, consiliis ad vtilitatem eorum datis. Et tangit hic tertium in quo, dicens.

Non baptizati ab eo] ad quod tamen ab ipso vocati fuerunt. *Prouerb.*1.Quia vocaui,& renuistis : extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret : ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis, aduenerit. *Matth.*21. Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis huius,& cui similes sunt?

Hic ponitur sub metaphora reprehensio. Et sunt tres paragraphi Primus duas quæstiones con-

tinet assimilationis. Secundus continet assimilationem. Tertius autem assimilationis explanationem. Primus qui continet quæstiones duas, habet quæstiones secundum duos modos assimilandi qui fieri consueuerunt. Vnus est quando assimilatio est in dicto, & non in re: sicut est assimilatio parabolarum fictarum: sicut poëtæ aliquando finxerunt ad vtilitatem instructionis hominum. Alius est quando assimilatio sumitur ad rem quæ est vel fuit in natura.

Attende autem, quod tanta fuit malitia istorum & tot modis variata, quod ad nihil vnum assimilari potuit, siue illud esset res ficta vel vera. Vnde etiam illi qui ponebant fabulosæ transcorporationes animarum, quando homo in multis malitiis fuit, ponebant eum in multicorporum aliquid transcorporari, sicut in aliquid compositum ex porco & cane & lupo: vt esset porcus ratione immunditiæ, canis propter iram, & leo propter rapacitatem, & lupus propter insidias. Bonum enim est ex vna sola & tota causa. Malum autem omnifariam. Et ideo etiam malum eum nullo vno habet similitudinem. Bonum autem omne respicit ad vnum. Istam ergo difficultatem assimilationis malorum videns Christus, dicit.

Cui ergo] Ex quo tot modis deuiant [similes dicam] fingendo parabolam quæ non sit nisi in dicto [homines] ab humano tamen cor mutantes. *Daniel* 4. Cor eius ab humano muretur, & cor feræ detur ei. Si enim homines ab humano non mutarentur: tunc vni assimilari possent. Et hoc non esset difficile inuenire. Nunc autem quia ab humano mutantur: in tot genera vitiorum degenerant, quod etiam arti fingendi est difficile Sed oportet quod multicorporibus assimilentur. Non enim conueniunt nisi in boni & humani negatione: aliquando iumentis assimilari. *Psalm.* 48. Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Aliquando secundum aliud vitium comparabiles sunt cani. *Isa.* 56. Canes impudentissimi nescientes saturitatem. Aliquando porco. 2. *Petr.* 2. Canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti. Aliquando pisci & vermi. *Habac.* 1. Facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens ducem. Aliquando leoni. *Eccli.* 13. Venatio leonis onagri in eremo, princeps malus in populum pauperem. Et sic diuersis comparati, etiamsi fingere liceat, vix possunt assimilari Sic ergo fingendo parabolam [cui dicam similes?] Quasi dicat. Sine exemplo sunt in malitia [homines generationis huius] *Deuter.* 32. Generatio peruersa est, & infideles filij. *Marc.* 9. O generatio mala, quandiu ero vobiscum, quandiu patiar vos? Et iden cauendum ab imitatione generationis huius, dicit *Psalm.* 77. Ne fiant sicut patres eorum, generatio praua & exasperans. *Luc.* 3. Genimina viperarum [& cui similes sunt?] Quasi dicat In figmentis parabolarum non inuenitur cui assimilentur. Et sic malitia eorum excedit assimilationem artis: & in naturis nihil est cui similes sint Et ideo modum naturæ excedit eorum iniqua & turpis deformitas. Sicut enim in bono dicitur de Abraham quod non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi: ita de istis dicitur, quod non est inuentus similis illis, qui sic propter suas traditiones irritum facerent mandatum Dei *Matth.* 15.

Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis.

Ecce hic ponitur assimilatio quæ est in negatione tantum & in habitudine ad verbum Dei. Comparatur enim hic factum facto, & non res rei. Dicit ergo in solo hoc quod rebelles sunt verbo Dei, & Spiritui sancto resistunt [Similes sunt pueris] hoc est, facto malorum puerorum, & conformitatem & societatem bonam puerilem violantium.

Attende enim, quod sunt boni pueri, & sunt mali pueri Boni pueri à puritate innocentiæ dicti, mundi, simplices, ludis liberalibus se inuicem ad virtutem & ciuilitatem prouocantes. De puritate puerorum *Isa.* 8. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus. De munditia *Matth.* 19. Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cælorum. De simplicitate 1. *Corinth.* 14. Malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti sitis. De ludo liberali rationabili, ad virtutem & ciuilitatem prouocante 1. *Petr.* 2. Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite vt in eo crescatis Rationabiles sunt: quia actus suos ad rationem referunt. Lac concupiscunt, in quo crescunt, quando studia ludorum conuertunt ad virtutis ciuilitatem. Isti ergo pueri ad hæc puerilia sunt à Patriarchis informati, à Prophetis edocti, à Sanctis exercitati, à Ioanne confortati, & à Christo perfecti. Et ideo sunt omnium enumeratorum figura. *Matth.* 19. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli: non intrabitis in regnum cælorum.

Sunt mali pueri, impuri macula concupiscentiæ, immundi libidine, versuti dolo fraudulentiæ, in pessimis ludis & nociuis vsitati. De primo horum *Ezech.* 16. Non est præcisus vmbilicus tuus, per quem ad matrem (concupiscentiam) adhuc dependes. De secundo *Prouerb.* 7. Sequitur vagam mulierem, sicut bos qui ducitur ad victimam, hoc est, libidinem. De tertio 1. *Corinth.* 14. Nolite pueri effici sensibus De quarto, hoc est, de exercitiis malis. 2. *Mach.* 4. Festinabant participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ: & patrios quidem honores nihil reputantes, græcas glorias optimas arbitrabantur. Et facto illorum similes sunt Pharisæi & Legisperiti. Et sic legenda est litera.

Similes sunt] per negationem [pueris] hoc est, factis bonorum puerorum qui propter dictas proprietates pueri vocantur [sedentibus] hoc est, quiescentibus. Et in hoc commendatur puer qui ætatem vincens, sedet in studiis honestorum ludorum & disciplinalium. *Arist. in 7. Physic.* In sedendo & quiescendo fit anima sciens & prudens [in foro] Tripliciter dicitur forum, à iudicio, à venalium rerum exhibitione, & theatrum. Locus iudicij, primo dictus est forum; & erat locus vbi iudices semper inueniebantur, & vbi leges ex responsis sapientum dictabantur. Locus autem sic dictus est à quodam Foroneo qui sic locum appellauit, & curias tales ad iustitiam faciendam ordinauit. Postmodum autem ab vsu loci, quia ibi solebant confluere multi, locus ille venalium rerum esse cœpit.

cœpit. Et ideo vbi res venales exhibentur, ibi forum vocatum est. Quia vero etiam qui spectacula ludorum exhibent, multitudines hominum aspicientium quæruot, theatrum etiam forum est appellatum. Dicitur autem theatrum à theoro theoras, quod est video vides: quia ibi spectacula exhibebantur.

Adhuc autem attende, quod est ludus liberalis à sapientibus inuentus & institutus: & est ludus vtilis, tamen mechanicus, & hic ab artificibus propter commoditatem ciuium inuentus & institutus: & ludus turpis & nociuus, & hic (vt dicunt *Aristot.* & *Plato*) à ciuitate est exterminandus. Ludus liberalis est in quo præter ludum nihil aliud volumus: quia ipse ludus animum liberum & virtuosum reddit, & prouocat ad virtutem & cordis lenitatem & mansuetudinem: sicut musicorum, & cantuum ludus, & organorum, & huiusmodi. Ludus autem mechanicus est quem propter aliud volumus: sicut est equestris ludus, quem volumus propter militiam: militiam autem propter patriæ defensionem. Ludus autem obscœnus & turpis est ludus scenicorum, qui nudi discurrunt, turpia tecta denudant, & ad turpia prouocant: & ludus taxillorum qui nocinus est.

Attende autem, quod cantus facientes primitus Pythagorici tria intendebant. Aut enim congaudere volebant gaudentibus: & ideo faciebant epithalamia cantica, & celeumata, & huiusmodi. Aut conuiuere moribus & ciuilitate; & ideo cantica de moribus faciebant, virtutes laudantes, & vitia vituperantes. Aut collamentari volebant tristibus: & ideo faciebant lamentabilia cantica, vt construerent ea quæ dicit *Apostolus. Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, idipsum inuicem sentientes. Et in his ludis boni pueri secundum statuta patrum sedebant, in bono studio quiescentes, & se inuicem exercentes in spectaculis hominum in foro. Mali autem pueri ad omnia hæc tria erant discoli, & ideo non restabat illis nisi communis omnium maledictio, & de ciuitate exterminatio. Et ideo dicitur *Ezech.* 2. quod vidit librum scriptum intus & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen quoad bonos: & væ quoad malos. Et hoc est quod intendit de pueris bonis sedentibus in foro.

Et loquentibus] per figuram ipsorum carminum [adinuicem] hoc est, ad collactaneos & coætaneos malos: volentes eos ad honesta prouocare [& dicentibus] ipsa figura carminis [Cantauimus vobis] cantica quibus ad gaudendum cum gaudentibus de spe promissionis æternæ, prouocauimus. *Psalm.* 121. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. *Psalm.* 80. Exultate Deo adiutori nostro. *Isa* 5. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ [& non saltastis] hoc est, concentu & motu cordis & corporis ad cantus nostros non concordastis: sed discoli à nobis fuistis. Saltus enim hic vocatur tripudium. Tripudium autem secundum Pythagoram vocatur ludus, quo artificialiter decenti motu corporis & membrorum, modulatio musicorum repræsentatur. Vnde *Augustinus* dicit, quod intelligitur de saltu cordium potius quam histrionicis motibus corporum. 2. *Reg.* 6. Dauid saltabat ante arcam cum deferretur, cantans in musicis, & dicens. Ludam & vilior

fiam ante Dominum qui elegit me [lamentauimus vobis] hoc est, cantica lamentorum cecinimus, vt vos ad compassionem miserorum & tristitiam pœnitentium prouocaremus. *Thren.* 1. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius. Et ad literã Threni, hoc est, lamentationes, canticum lugubre fuerunt [& non plorastis] per consonantiam vt fleretis cum flentibus. Et sic semper vos discoli estis: & ideo væ vobis. Sed potius de tristitiis aliorum vobis gaudium fecistis. *Abd.* Propter iniquitatem in fratrem tuum operiet te confusio, & peribis in æternum.

Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

Hic explanat assimilationem [Venit Ioannes] Non sequitur ordinem enumerationis ludorum, sed ordinem temporis [Venim enim Ioannes] Baptista cuius tota vita & vox lamentum fuit & terror: dicens *Luc.* 3. Iam securis ad radicem arboris posita est [neque manducans panem] desiderabilem & delectabilem. *Daniel.* 10. Panem desiderabilem non comedi trium hebdomadarum temporibus. *Matth.* 3. Esca eius erat locusta & mel syluestre [neque bibens vinum] in iucunditate. *Luc.* 1. Vinum & siceram non bibet. Et hoc fecit in signum lamentationis [& dicitis] discoli vocibus lamenti Ioannis quod ore & opere deprompsit [Dæmonium habet] Hoc tamen expresse non leguntur dixisse: sed per circumlocutionem; *Ioan.* 1. Vt quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Elias, neque Propheta? Quasi dicat. Si tu non es Christus qui est fons gratiæ, neque Elias qui est figura gratiæ & Christi, neque Propheta qui est præco gratiæ: vt quid ergo de purificatione te intromittis, nullam in te habens virtutem purificationis? Et hoc dicebant in conspectu populi Domini, volentes populum prouocare contra Ioannem, vt fatuus & insanus reputaretur. Et sic per æquipollens dicebant, quod Ioannes dæmonium haberet.

Venit Filius hominis] hoc est, Christus filius virginis [manducans & bibens] societati hominum morem exhibens in comedendo & bibendo. 1. *Corinth.* 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem [& dicitis] contra, irridentes [Ecce homo vorator] auiditatem sonat qui pro ventre insanit [& bibens vinum] *Amos* 6. Bibentes in phialis vinum. Et ante parum. Comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti. Hæc autem quidam inducunt in suæ excusationem edacitatis: volentes assignare pro religione quia comedant & bibant quæ sunt apud illos *Luc.* 10. Et quotidie comedunt pinguia ad magnas buccas, & bibunt mulsum ad magnum ventrem. Et io hoc ex sorditie habitus volunt esse religiosi, de quibus dicitur *Philip.* 3. Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem flens dico) inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est: &

gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Rom.* 16. Huiuscemodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Christus autem & Apostoli non sic: sed adeo esurientes incedebant, quod oportuit spicas confricare. *Luc.* 6. Adeo raro hoc factum est quod non inuenitur vltra tres vices factum. Nubis autem est quotidianum. Et si aliquando non fit, vituperamus hospitem. Excusamus etiam, quod hoc facimus vt simus grati hominibus, voluptatem nostram sub pallio tali procurantes. *Tit.* 1. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Christus autem hoc non fecit. *Eccle.* 10. Beata terra cuius rex sapiens est: & cuius principes vescuntur ad reficiendum, & non ad luxuriam [amicus publicanorum & peccatorum] Non inquantum huiusmodi sunt, sed inquantum per familiaritatem trahuntur ad pœnitentiam. *Matth.* 9. Non opus est valentibus medicus, sed male habentibus. Sic ergo terminata est pars de reprehensione eorum qui Ioannis testimonium non receperunt.

Et iustificata est sapientia] Ecce commendatio paucorum qui Ioannis testimonium receperunt. Dicit ergo [& sapientia] quæ omnia sapienter & cum moderamine disponit. *Sapient.* 8. Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Quæ Ioannem misit, quæ peccatoribus benigne vtitur vt conuertantur, de qua clamat *Apostolus Rom.* 11. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabilis viæ eius [iustificata est] hoc est, iusta & æqua esse probata est [ab omnibus filiis suis] qui forma sapientiæ in filios sapientiæ formati sunt: de quibus dicitur *Ioan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Eccli.* 4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit & suscepit exquirentes se: & præibit in via iustitiæ. Et ideo cum publicani & peccatores exquirant eam, illos suscipit, & præit vt sapientes efficiat. Sic ergo terminatur pars de terminatione eius qui promissus est in lege, & qui habet ordinare gradus Ecclesiæ.

Rogabat autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

Hic incipit pars illa quæ est de ostensione potestatis in spiritualibus vt perfectè probetur esse caput charismatum omnium quæ fluunt in omnem vniuersitatem membrorum. Hæc autem historia in tres diuiditur partes, in quarum prima peccatricis ad accedendum ad Christum ostenditur opportunitas. In secunda notatur eiusdem accessus. Et in tertia de hoc murmurantis repressio. In primo autem tria sunt, scilicet, modus inuitationis, dignitas hospitis inuitantis, & abundantia & commodum exhibitionis. Modus autem inuitationis est quod [Rogabat illum] Sunt enim peregrini: maximè Dei verbum annuntiantes, vocandi, adducendi, rogandi, attrahendi, & cogendi. Vocandi *Luc.* 14. Vocauit multos & misit seruum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent. Adducendi *Genes.* 43. Introduc viros domum quia mecum comesturi sunt in meridie. *Tob.* 2. Vade & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum. De tractu autem per adiurationes & violentas preces *Genes.* 18. Domine si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas seruum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis. Talia enim verba trahentia dicenda sunt peregrinis, vt sciatur quod ex corde procedat inuitatio. Sunt etiam cogendi *Luc.* 24. Coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum quoniam aduesperascit. Hoc autem ideo faciendum est quia hospitalitas est vna de operibus misericordiæ. Et Deus ostendit illam acceptare per hoc quod illi qui sæpe receperunt peregrinos, tandem receperunt Angelos in specie peregrinorum. *Hebr.* 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.

Quidam Pharisæus] Ecce dignitas inuitantis. Particulari enim signo segregatur iste ab aliis. Pharisæi nomine commendatur à specie religionis. *Luc.* 23. Hic non erat consentiens consiliis & actibus eorum: sicut nec Nicodemus, nec Gamaliel, & alij quamplures Pharisæi. De religione autem dicitur *Act.* 26. Secundum probabilissimam sectam nostræ religionis, vixi Pharisæus.

Vt manducaret] Ecce tangitur hic præparationis exhibitio in tribus: in reparante intrinsecus in cibo, in defendente ab impugnatione aëris extrinsecus in receptione domus, in commodo præparato lassato ex itinere in stramento molli commodius in discubitu. Duo autem in primo notantur: præparatio ciborum, & societas, in qua etiam subintelligitur solennitas. De primo dicit [vt manducaret] ad reparationem deperditi ex fame. *Cantic.* 5. Comedite amici, & bibite. *Isa.* 23. Non condentur, neque reponentur mercedes eius: quia his qui steterunt coram Domino (*Gloss.* vel in pauperibus) erunt mercedes eius, vt comedant vsque ad saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem. In domo autem illa non est inuitatus tantum ad comedendum: sed adiungitur societas, & intelligitur solennitas hospitalitatis per hoc quod dicit [cum illo] Quidam autem ad ostia dant pauperibus vel mittunt, & benefaciunt. Quidam intra domos recipiunt procurandos, & melius faciunt. Quidam secum in societate & solennitate & gaudio comesturos, & optime faciunt. De primo *Nehem.* 8. Mittite partes his qui non præparauerunt sibi. De secundo *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus, & ostium viatori patuit. De tertio *Genes.* 43. Mecum sunt comesturi in meridie. *Apoc.* 3. Ego ecce sto ad ostium, & pulso: siquis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Et hæc est magna gloria. *Luc.* 15. Epulari & gaudere oportebat.

Et ingressus domum] Ecce secundum opus misericordiæ in receptione intra domum quæ defendit ab imbribus, & caumatibus, & vniuersaliter impugnantibus ex aëre extrinsecus. *Matth.* 25. Hospes eram, & collegistis me. *Genes.* 19. Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi [Discubuit] Ecce commoditatis (quæ lassis debetur in mollium substratione) præparatio. Discubitus enim est sessio à femore inferius cum appodiatione spinæ dorsi & laterum ad mollia

reclinato

reclinatoria. Fatigabatur enim Dominus & Discipuli ex itinere: & ideo talia emolimenta eum recreabant. *Luc.9.* Facite homines discumbere per conuiuia. Sic ergo IESV posito in discubitu nacta opportunitatem vt posset eum comprehendere familiaritet, quia peccatrici non expediebat immittere se turbis, mota fuit ad veniendum. *Cantic.1.* Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus statura significat humilitatem, & calore significat charitatem: & hæc ambo fragrabant bonum in naribus Domini. Et hoc est quod sequitur.

Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.

Tanguntur autem ibi duo. Primum quidem est peccatricis apud Dominum exhibitio. Secundum autem eiusdem mulieris pietatis operatio. Circa Exhibitionem mulieris notantur quatuor, quorum tria in litera ponuntur, & quartum intelligitur. Primum est mulieris huius ad præsentiam Domini exhibitio. Secundum sui peccati manifestatio. Tertium est diuinæ cognitionis illuminatio. Quartum autem, quod subintelligitur, est aduentus ipsius ad Dominum deuotio. De primo dicit.

Et ecce mulier] Mulier dicitur molliens herum. Et sic hæc præcipuè mulier fuit, quæ multos emolliuit, pelliciendo, hoc est, mollitie pellis prouocando ad libidinem & illiciendo. Et in hoc se Domino præsentauit. *Prouerb.7.* Præparata ad decipiendas animas. 2. *Petr.* 2. Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti: pellicientes animas instabiles. In tali enim nocumento vixerat, & in hoc se mulierem fuisse Domino demonstrabat. Et ideo *Eccle* 7. Sagena cor eius, vincula manus illius. Talibus enim multos eneruauerat animos viriles. Et ideo remissionem petens, se nomine mulieris Domino ostendit. Secundum autem (quod est peccati sui manifestatio) est in tribus: in peccati nocumento, in peccati actu, & in peccandi consuetudine & officio. Peccati nocumentum importatur per hoc quod dicit.

Quæ erat in ciuitate] Corruptio & lenocinium multis exhibitum: & ideo multis nocuit. *Osee 7.* Non quieuit ciuitas à commixtione fermenti donec fermentaretur totum. 1. *Corinth.* 5. Modicum fermenti totam massam corrumpit. *Osee 7.* Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. Ista autem in ciuitate fuit succendens clibanum sicut fomes ignis, & tria habuit succendentia: pulchritudinem, ornatum (quia diues dicitur fuisse) & generis nobilitatem (quia legitur fuisse nobilis) Et ista tria significantur tribus quibus succendebatur fornax Babylonis *Daniel.* 3. Napta, stuppa, & malleolis. Napta enim est bitumen, ignis fomentum, & significat pulchritudinem in qua conualescit ignis libidinis in fornace concupiscentiæ carnalis. Stuppa autem ex multis collecta, ornatus meretricij significat varietatem. Malleoli autem qui in fascibus sunt materia ignis ex sarmentis vitium, generis significant nobilitatem. Vnde etiam viris nobilibus aptantur *Iudic.9.* Tale igitur nocumentum fuit vilis commercij & contubernij huius mulieris. Et hoc sese Domino præsentando accusans in se demonstrauit. Actus autem peccati ostenditur per significatum nominis peccatricis. Et consuetudo & officium importatur per modum significandi. Peccatum autem mulieris proprium, vt dicit *Chrys.* est luxuria & fornicatio. 2. *Machab.6.* Templum luxuriis erat plenum & scortantium cum meretricibus. Templum, hoc est, corpus quod templum esse debebat. *Eccli.* 9. Propter speciem mulieris multi perierunt. Et ex hoc quasi ignis exardescet. Omnis mulier quæ est fornicaria, est quasi stercus in via: ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Consuetudo etiam importatur per modum significandi: quia consueta erat talibus. *Prouerb.7.* Vaga, garrula, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis. *Ezech.* 23. Ingrediebantur ad Oolam, & ad Oolibam mulieres nefarias. Oola interpretatur tabernaculi inhabitatio, Ooliba tabernaculi altitudo: quia tabernaculum contubernij eius inhabitabant multi, & alto fastigio concupiscentiæ fixerat illud. *Ezech.* 16. Fabricasti tibi lupanar in capite omnis viæ, & excelsum fecisti in capite omnium platearum. Hæc autem habuit istud illi peccato dedita. *Ezech.* 16. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuum, & diuisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.

Quæritur autem hic, Quare talis mulier in ciuitate permittebatur. *Deut.* 23. Non erit meretrix de filiabus Israël, neque scortator de filiis Israël. Et dicendum ad hoc, quod (sicut dicit *Arist. in Politic.*) coitum difficile est puniri ab ordinatore ciuitatum propter nimiam eius delectationem: quia periculum esset sodomiæ vel mollitiei. Et ideo talia lex quidem prohibet, sed in præsenti non punit, sed tolerat, ne peius fiat. Et ideo etiam in *Deut.* pœna non adiungitur. Exemplum autem huius dat *Augustinus*, valde conueniens. Siquis enim palatium pulchrum ædificet, & in angulo eius fœtorem cloacæ sustinere nolit: palatium totum fœtore implebit. Vnde tolle cloacam de palatio, & aula fœtore efficitur inhabitabilis. Tolle meretricem de mundo, & sodomia totus efficietur reprobus. Sic ergo tolerabatur, & hac de causa. Talis ergo fuit, vt dictum est. *Rom.* 5. Vbi abundauit iniquitas, superabundauit & gratia. Et hoc est quod sequitur.

Vt cognouit quod IESVS accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.

Hic enim ponitur diuinæ cognitionis circa mulierem istam illuminatio. Et tanguntur quatuor: illuminatio sui, cognitio salutis Christi, accubitus expectantis Domini, familiaritas conuenientis loci. Illuminatio sui tangitur per hoc quod dicit [Vt] hoc est, postquam [cognouit] hoc est, diuinæ illuminationis notitiam accepit. *Psalm.* 17. Deus meus illumina tenebras meas. *Michææ* 7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Hanc enim peccatricem Christus primo luce sua irradiauit: quia aliter ad ipsum non cucurrisset. Vnde *Gregor* Quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit. Maculas autem suas non aspiceret, nisi iam in lumine cognitionis esset. Vnde *Dionys. dicit in*

Epistola ad Titum. Primum donum quod datur homini ex respectu ad lumen, cognitio sui est. *Ierem.* 31. Postquam ostendisti mihi, egi pœnitentiam & percussi femur meum. Proprietas enim huius lucis est, quod turpia illustrat, & à turpibus non deturpatur. *Ioan.* 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt,

Sic ergo luce diuina respecta [cognouit] recognouit salutem in salutis auctore. Et hoc est quod dicit [quod IESVS] Sciuit quod dixerat *Habac.* 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. Ex hoc enim iam concepit spem salutis, dicens cum Manasse 2. *Paralip. vltim.* Indignam saluabis me secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Sciuit promissum Domini de muliere nefaria *Ezech.* 16. Dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Viue, hoc est, cum esses in immunditia sanguinis fornicationum tuarum. Hac igitur spe concepta ex notitia nominis Saluatoris, amplius tracta fuit.

Cognouit etiam [quod accubuisset] quæ in via propter infamiam, nec sequi potuisset, nec decuisset. Motam autem facientem inuenire præsumpsit & accedere. Et idcirco *Cantic.* 1. in persona sua Salomon dicit: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam. Ad literam enim ibi ad pastum suorum plus quam suiipsius accubuerat in meridie: quia in meridie secundum naturam & vsum temperatorum hominum tempus est refectionis: sicut probatum est *in nostris Glossis super Matthæum.* Vnde etiam Petrus in *Act.* 2. excusat discipulos ab ebrietate: quia nondum venit hora edendi, cum tunc esset hora diei tertia. *Cantic.* 1. Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Ad literam enim de spica nardi vnguenta odorifera facere consueuit, quibus Domino cum accumberet obsequium vnctionis impendit. *Ioan.* 12. Vnguentum nardi pistici, hoc est, fidelis & purissimi. In accubitu enim, lassæ ex iniquitate animæ, Christum comprehendere possunt: quæ exultantem ad currendam viam suam comprehendere non possunt.

Accubitus autem est moraliter æquanimis & dulcis expectatio peccatorum ad pœnitentiam. *Rom.* 2. Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?. *Isa.* 30. Expectat Dominus vt misereatur vestri: & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicij Dominus. Hoc enim iudicium omnino iucundum est, quod iudicauit in domo expectare meretricem ad pœnitentiam, magis quam pasci corporaliter à Pharisæo. Et ideo exaltata est misericordia eius: quia tantæ peccatrici pepercit misericors & miserator & iustus Dominus.

Cognouit etiam quod [in domo Simonis Pharisæi] vbi erat accessus familiarior & quietior & maior opportunitas obsequendi, quam in via publica, in qua frequentantium impediebat multitudo. *Luc.* 19. Salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Domus tamen hæc spiritualiter significat conscientiam. *Psal.* 92. Domum tuam Domine decet sanctitudo. Et ideo peccatum in ipsa domo puniendum. Vagam enim, & quietis impatientem, & in plateis se exhibentẽ, ad custodiam domus coerceri conueniebat: vt secreta domus custodiret, quæ multis in plateis fuerat causa ruinæ. Vnde de forti muliere legitur *Prouerb. vltim.* Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.

Quædam *Gloss.* allegorice exponentes dicunt, quod domus Simonis est Synagoga vel sacra Scriptura. Peccatrix autem Gentilitas quæ fornicata est cum idolis. Sed hoc facile est prosequi. Et ideo nos literali simul & morali intendimus expositioni. Id autem quod supra, intelligi ex his dicimus, est quod omnibus prædictis tracta venit ad Dominum. Et (sicut dicit *Gregor.*) non iussa venit: tracta tamen vinculis charitatis Christi, & odore gratiæ ipsius, & spe salutis. Et ideo funiculus quo trahebatur, quasi tribus restibus cõplexus fuit: cognitione fidei, spe salutis, & amore eam ex bonitate sua expectantis. *Eccle.* 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. Dum cognitio illuminat ad veritatem, spes trahit ad veniam, charitas autem ad misericordis Dei accendit amorem. *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Sic enim Adam tractus est & omnes alij peccatores. Odor igitur talis misericordiæ exhibitæ omnibus peccatoribus, & nulli denegatæ traxit eam. *Cantic.* 1. Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Sic ergo tracta venit,

Officium autem deuotionis statim exhibuit. Hoc autem officium exhibitura duo fecit. Primo enim se idonee (ne indecenter reiiceretur) præparauit. Deinde officiosa omnem obsequij deuotionem impendit. Præparauit autem se in quinque. Impensas enim obsequij pretiosas & opportunas secum attulit. Per rectitudinem erecta & parata stetit. Ex verecundia retro se retraxit, & se ad sequendum Dominum aptauit. Quantum licuit, se Domino coniunxit. Locum sibi congruum quæsiuit. Primum horum notatur in hoc quod dicit.

Attulit alabastrum vnguenti] in quo tria notantur: sapientia ferentis, vas liquoris, & vsus vnctionis. Sapientia enim ferentis mulieris in hoc notatur, quod cum esset indigna, vacuis manibus non apparebat in conspectu Domini: attendens quod scriptum est *Exod.* 23. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Et cum esse vulneribus plena, impensas attulit vnctionis. Et cum esset fœtida, aromata tulit quæ fætorem restringerent. Cogitauit enim secum illud *Mich.* 6. Quid dignum offeram Domino? *Psal.* 28. Afferte Domino filij Dei. *Psalm.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Attulit autem alabastrum. Ad literam alabastrum hic vocatur vas alabastrinum, hoc est, de alabastrino marmore factum. Est autem firmum, & perspicuum. Et quia pretiosa vnguenta spirando euanescunt, ideo frigiditate illius marmoris restringuntur & conseruantur: sicut ab auctoribus medicinæ camphora præcipitur in psillio vel semine lini conseruari propter eandem causam. Significat autem cor ism illuminatum, propter perspicuitatem, & luminis diuini susceptibile: & solidum, propter lapidis naturam, & infrigidatum ab æstu libidinis, & conseruationem Spiritus sancti vnctionis. De illuminatione autem & susceptione luminis cordis dicitur 2. *Corinth.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Christi. De soliditate autem dicitur *Exod.* 34.

quod

quod ſcripſit legem in lapidibus, hoc eſt, in cordibus ſolidiſſimis, & tenaci memoria legem tenentibus. De frigiditate autem quæ eſt caſtitas dicitur *Cantic.* 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Quia lilium candore caſtitatem prætendit: ſpina vero puncturam tentationibus libidinum. Tale igitur eſt cor. Vnde *Cantic.* 7. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis. Aceruus enim tritici eſt aceruus ſacri eloquij. Vallatio autem liliorum eſt vndique defendens caſtitatis munitio.

Vnguenti autem vſus eſt lenitio, impinguatio, & odoris diffuſio. Lenit enim, impinguat, & odores diffundit. Significat autem compunctionem quæ lenit dolorem peccatorum. De lenitione *Eccli.* 38. Vnctiones conficiet ſanitatis, & pigmenta conficiet ſuauitatis. De impinguatione deuotionis *Pſalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Lenit ergo vulnerum dolorem in conſcientia, & impinguat ſancta deuotione. *Eccli.* 38. Impingua oblationem, & da locum medico. De odoris autem, hoc eſt, de virtutum fragrantia, ex quibus vnguentum illud conficitur, dicitur *Iob* 41. Feruescere facit quaſi ollam profundum maris ſicut cum vnguenta bulliunt. Profundum maris eſt profundi cordis amaritudines. Hoc feruet in calore doloris & deuotionis & charitatis, & ſpirat odorem virtutum: ſicut quando bulliunt vnguenta, ſpirantia diuerſa virtutum odoramenta. *Cantic.* 4. Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Dicunt autem quidam, quod hæc mulier vnguentum illud ſibi ob decorem parauerat. Et hoc non eſt probabile: quia vnguenta mulierum talium ſunt, aut ad reſtrictionem fœtoris, maxime in inguine, aut ſub mamillis: aut ſunt ad incitamenta libidinis, quæ duo non fuiſſent competentia. Sed probabile eſt, quod hoc Domino fecit fieri ad laſſitudinis abſterſionem. Et ideo etiam vnxit ſibi pedes qui in via fuerant laſſati. Sequitur.

Et ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

Iſta eſt ſecunda præparatio ipſius: in quo notatur, quod per rectitudinem erecta & parata ſtetit. Stans enim paratus eſt obſequi: & ſignificat, quod qui obſequi debeat Domino, rectitudini debet ſe coaptare. *Eccli.* 2. Accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & præpara animam tuam ad tentationem. *Ezech.* 2. Fili hominis ſta ſuper pedes tuos. 3. *Reg.* 17. Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto. Sequitur.

Retro] Et in hoc duo notantur: vnum, quod ex verecundia ſe retrorſum retraxit: aliud autem, quod ſe directe poſt Dominum in via ad ſequendum eum aptauit. De primo dicit *Ierem.* 31. Confuſus ſum, & erubui: quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. Opprobrium adoleſcentiæ maxime ſunt peccata libidinis. *Eccli.* 26. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata. Et illa trahit ſemper retrorſum. Vnde etiam venientibus Angelis ad Abraham, ſancta mulier Sara retraxit ſe poſt oſtium tabernaculi *Geneſ.* 18. Adaptauit etiam ſe ad ſequendum in via Domini. Vnde cum Petrus præire niteretur, non ſapiens quæ dei ſunt *Matth.* 16. dixit ei Dominus: Vade retro ſatana. Q. d. Retro te retrahas, ad ſequendum ea quæ meæ ſunt voluntatis. *Eccli.* 23. Gloria magna eſt ſequi Dominum. Econtra *Iſa.* 59. Auerſi ſumus ne iremus poſt tergum Dei noſtri. Sequitur.

Secus] Notat in hoc quod ipſi Domino, verecunde quantum potuit, ſe coniunxit & appropinquauit. *Pſalm.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Sciuit enim quod etiam tactus fimbriæ ipſius ſanaret *Matth.* 9. & *Luc.* 8. Et ideo tactu pedum Chriſti virtutem dæmonis expellere à ſe nitebatur: ſciens illud 2. *Corinth.* 6. Quæ conuentio Chriſti ad Belial? Et ideo quantum valuit, acceſſit non minus affectu per conſenſum, quam corpore per tactum. *Geneſ.* 27. Accede ad me fili mi vt tangam te. Locum autem competentem ſibi elegit qui eſt humilitatis & ſupplicationis, hoc eſt.

Pedes eius] Iſte enim locus non eſt deſpectabilis: quia & ibi exit diabolus, & indoctus ſalutari imbuitur diſciplina, & ſupplex adorando inuenit ſuffragia. De primo horum trium dicitur *Habac.* 3. Egredietur diabolus ante pedes eius. De ſecundo *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. De tertio autem in *Pſalm.* 131. Adorauimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Pedes autem Domini quibus omnia opera ſua, & maxime corda hominum perambulat, duo ſunt: miſericordia ſcilicet, pes mollis: & veritas ſiue iuſtitia, pes durus & grauis. *Pſalm.* 24. Omnia opera Domini: miſericordia, & veritas requirentibus teſtamentum & teſtimonia eius.

Pes autem, vt dicunt Phyſici, ex quinque componitur ordinibus oſſium. Sed in pectine pedis iſti ordines habent iuncturas ſtrictas, & in digitis habent iuncturas laxas. Miſericordiæ pes quinque habet compoſitionis ſuæ ordines, quia eſt miſericordia dulciter peccatorem ſuſcipiens, eſt miſericordia multum debiti relaxans, eſt miſericordia ad pœnitentiam expectans, eſt miſericordia in ſatisfaciendo adiuuans, & eſt miſericordia tandem in toto à peccato liberans: & iſte eſt pes vnus tota deuotione complectendus. De ſuſcipiente quidem miſericordia habetur *Luc.* 15. vbi pater in amplexibus & oſculis filium peccatorem ſuſcepit poſt multa diſpendia vitæ luxurioſæ. De miſericordia autem relaxante magnam partem debitorum *Iob* 11. Intelligeres quod multo minora exigaris quam meretur iniquitas tua. De miſericordia ad pœnitentiam expectante *Iſa.* 41. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui. *Iſa.* 30. Expectat vos Dominus vt miſereatur veſtri. De miſericordia adiuuante *Pſalm.* 9. Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. De miſericordia in toto liberante *Matth.* 18. Miſertus eſt dominus ſerui illius, & dimiſit ei vniuerſum debitum. Et *Luc.* 7. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque.

Similiter autem pes iuſtitiæ habet quaſi oſſium ordines quinque ex quibus componitur, quorum vnus eſt iuſtitiæ inflexibilis rigor: ſecundus autem, comminationum timor: tertius autem, quia non tantum commiſſorum, ſed etiam vſurarum eſt

implacabilis exactor: quartus autem, sententiarum ineuitabilis & incontradicibilis ipse iudex est rector: quintus autem, quia in potestate iustitiæ durissimus est inimicorū dominator & conculcator. De primo, 2. *Tim.* 2. Si negauerimus, ille fidelis permanet: seipsum negare non potest. *Prouerb.* 6. Non acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. De secundo *Hebr.* 12. Ita terribile erat quod videbatur, Moyses dicit: Exterritus sum & tremebundus. *Exod.* 20. Perterriti & pauore concussi steterunt procul. *Iob* 26. Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius qui poterit intueri? De tertio *Matth.* 25. Serue male & piger: sciebas quia meto vbi non seminaui, & congrego vbi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis: & ego veniens recepissem vtique quod meum est cum vsuris. De quarto *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et stat sententia & obtinet vim: quia sequitur. Et ibunt in ignem æternum. Nec est quem non terreat illa sententia. *Psalm.* 90. Ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Hoc est verbum asperum quod est condemnatio in ignem æternum. Laqueus autem (vt dicit beatus *Bern.*) est pondus catenarum stringentium, stridentium, vrentium, & in morte tenentium. De quinto autem in quo super colla inimicorum extolletur sicut Dominus dicit *Isa.* 63. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. *Isa.* 2. Exaltabitur Dominus solus in die illa: quia tunc implebitur quod dicit *Psal.* 109. Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Isti sunt pedes Domini de quibus *Zach.* 14. dicitur. Stabunt pedes eius supra montem oliuarum, hoc est, misericordiæ & miserationum: quia, sicut dicitur *Iacob.* 2. superexaltat misericordia iudicium. Hos pedes Domini tota deuotione peccatrix ista complexa est: pedem misericordiæ quærens per spem veniæ, pedem autem veritatis siue iustitiæ per timorem qui est initium sapientiæ. Timor quidem, vt dicitur *Eccli.* 1. expellit peccatum. Et qui sine hoc timore est, non poterit iustificari. Hic etiam excludit timorem qui contrarius est veritati. *Rom.* 11. Nolite altum sapere, sed timete.

Dicit etiam *Gloss.* quod pedes Domini sunt pauperes. Et pedes etiam Domini portantes sunt verbi Dei prædicatores. Pedes etiam Domini in cor portantes, sunt intellectus & affectus primæ Dei susceptiones. Duo enim pedes quibus anima occurrit Deo, sunt intellectus & affectus. Pedes autem quos Deus ponit in animam, sunt illuminatio veritatis, & charitas bonitatis & dulcedinis ipsius. Quando enim Dominus dicit *Matth.* 25. quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: tunc pedes sanctorum suos reputat. Lauantur autem pedes pauperum, quando necessitates eorum consolantur per eleemosynas. 1. *Tim.* 5. Si Sanctorum pedes lauit, si necessitatibus eorum communicauit. *Genes.* 18. Lauentur pedes vestri: & afferam buccellam panis. De pedibus autem prædicantium *Isa.* 52. Quam pulchri supra montes pedes annuntiantis bonum. Istud autem leue est prosequi in litera. Et ideo ad primam recurrendum est expositionem. Iam enim habitum est totum hoc quo se hæc peccatrix ad obsequendum Domino præparauit.

Obsequiuum autem quod impendit, consistit in quatuor, scilicet, in pedum rigatione, in rigatorum pedum mundissima tersione, in tersorum pedum deosculatione, & in osculatorum & lassorum pedum suauissima vnctione. De primo horum dicit

Lacrymis cœpit rigare pedes eius] Et in hoc rursum notantur quatuor. Primum est abundans lacrymarum effusio. Secundum, impigra lotionis obsecutio. Tertium, pedum Domini ad spiritualium germinum fœcunditatem effusio. Quartum est extremorum Domini quæ magis indigebant, prudens & humilis procuratio.

De primo notandum, quod oportuit quod multum abunde lacrymas funderet, quæ ambos pedes non solum infundere, sed & lauare & lotos rigare cupiebat. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die ac nocte? *Psalm.* 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Vnde ista fleuit abundanter, & fudit lacrymas, proprietatem omnium lacrymarum habentes. Lacryma enim est clara siue pura, est salsa, est calida, est humida. Clara vt non sordidet, sed sordida detergens. *Psalm.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hoc est, tenebras peccati & turpitudinem stratus ad purum lauabo. *Isa.* 1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Salsa autem est in fletus amaritudine. 4. *Reg.* 4. Dimitte eam: anima enim eius in amaritudine est. Ita dixit Eliseus de muliere quæ tenuit pedes eius. 1. *Reg.* 1. Cum esset Anna amaro animo flens largiter, orauit. *Ruth.* 1. Non vocetis me Noemi, hoc est, pulchra: sed vocate me Mara, hoc est, amaram: quia amaritudine me valde repleuit Omnipotens. Calidæ sunt etiam lacrymæ: quia de calida contritione & deuotione & charitate procedūt. *Psal.* 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Istud significatum est *Genes.* 36. vbi Anan inuenit aquas calidas in deserto. Anan enim interpretatur gratificatio, & significat istam peccatricem desertam quæ feruentissimas super Dominum effudit lacrymas vt grata efficeretur. Humidas etiam effudit lacrymas, quæ infundere possent & rigare. *Psalm.* 6. secundum aliam translationem. Lacrymis meis stratum meum natare feci. Ex humiditate enim habent, quod ablutiuæ sunt: & quando humor procedit ex intimis, tunc magis lauat: quia ante se sordes propellit. *Ierem.* 4. Laua à malitia cor tuum Ierusalem. Sic ergo flens largiter & ista, mundata est lota lacrymis *Gregor.* Lauans lacrymis maculas criminis, susceptoris sui tetigit vestigia: ac praua sua derelinquens itinera, illi postea assidebat, & verbum illius semper audiebat. De impigra autem obsecutionis diligentia dicit.

Cœpit] Non enim ita cœpit, quod cœptum opus non perficeret: sed quia ita diligens fuit ac si omni hora inciperet, ideo dicit [cœpit] *Eccli.* 18. Cum consummauerit homo, tunc incipiet. *Psalm.* 76. Dixi: Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. Sequitur.

Rigare] in quo notatur spiritualium germinum infusio. Terra enim inuia & inaquosa sterilis est. Et ideo rigat pedes, quod in vestigio pedum suorum germinet: & rigati pedes, humorem

Dixit

habentem in se vim deitatis infundant. *Eccl.* 24. Dixi. Rigabo hortum plantationis, & inebriabo partus mei fructum. Hæc est Axa *Iosue.* 15. cui pater dedit irriguum inferius, & irriguum superius. Irriguum inferius pro peccatis commissis. Irriguum superius pro adeptione amoris patris cælestis.

Pedes eius] Ecce extremorum Domini (quæ magis indigebant) prudens & humilis procuratio. Pedum enim lotio humile est obsequium. Pedes etiam Domini lassi, hoc obsequio indigebant. Quod enim humile sit, pater in Christo qui in signum maximæ humilitatis pedes lauit Discipulorum *Ioan.* 13. Pedes etiam indigebant hoc obsequio: quia per loturam pedum lassorum, pedum extrahitur lassitudo. 1. *Reg.* 25. Ecce ancilla Domini sit in obsequium, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Secundum obsequium est tersio, quæ notatur in hoc quod dicit.

Capillis capitis sui tergebat] Et notatur in hoc tria: mollities & delicatio tergentis, inclinatio capitis, & ipsa diligentia tersionis. Capilli enim mulieris secundum naturam molliores sunt quam virorum. Et capilli capitis propter mollitiem cerebri maximè sunt molles. Ex motu enim calor spiritum & sanguinem in pedes Domini traxerat: & ideo leui tactu sensum doloris, lassi pedes accipiebant. Et ideo hæc prudens mulier molle tersorium apponebat: & ideo tali obsequio suam deuotionem exhibebat. Alia autem causa fuit, vt hoc in obsequium humilitatis Christi conuerteret, in quo ante maximam exhibuerat vanitatem. Et ideo in *Cantic.* 7. in laudem eius dicitur. Comæ capitis tui sicut purpura regis, iuncta canalibus. Purpura enim regis rubet purpureo sanguine humilitatis & passionis Christi consideratione. Hæc autem canalibus iuncta est, quando coma immista est lacrymarum fluminibus. Quantum autem ad hoc quod vanitatem capillorum traxit in tersionis pulueris humiliatem, dicitur *Cantic.* 5. Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Elatæ palmarum sunt ramusculi valde crocei, repandi sub spatulis & super stipitem palmæ. Huius ergo mulieris comæ primo in vanitate croceæ & repandæ, sicut elatæ palmarum existentes: postea in tersione pulueris attritorum pedum Domini fuerunt nigræ & deturpatæ quasi coruus per humilitatem & abiectionem. Sequitur.

Capitis sui] Ecce capitis mulieris ad pedes Domini inclinatio: in quo notatur literaliter maiestatis creditæ in Christo adoratio, & typicè notatur mentis (quæ per caput intelligitur) & cogitationum & affectionum (quæ de mente sicut capilli de capite fluunt) ad Christum concors relatio. De adoratione quidem *Psalm.* 131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. *Exod.* 4. Adorauerunt proni in terram. De relaxatione autem cogitationum & affectionum in Christum *Cantic.* 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Vnus enim oculorum, est vniformitas intentionum absque duplicitate. Vnus crinis, est vnitate conformis consensus contendentium cogitationum & affectionum in Christum. Hæc enim duo amore vulnerant cor Christi: itaquod oportet fateri quod captus & vulneratus sit amore, sicut confessus est amorem huius peccatricis. Tersionis autem diligentia, & obsequium præstabat Domino, & figuram indulgentiæ peccatricis. Domino enim secundum literam abstersit humorem, & puluerem: vt penetrare in pedes eius posset vnctio: sicut & Christus linteo quo erat præcinctus, tersit pedes Discipulorum quos lauerat *Ioan.* 13. Figuram autem habuit ad indulgentiam: quia sicut tersit, ita tersa est à Christo à sordibus vitiorum. Et quoad vtrumque istorum dicit *Cantic.* 5. Caput meum plenum est rore, hoc est, roscido lacrymarum humore: & cincinni mei guttis noctium. Noctium enim guttæ magnæ & humidæ sunt valde, significantes abluentes lacrymas maculas & tenebras peccatorum. Hoc est igitur obsequium tersionis.

Et osculabatur pedes eius] Ecce tertium obsequium in pedum osculatione. In osculo autem tria sunt: labiorum impressio, spiritus à corde procedentis in id quod osculatur immissio, & pacis & amoris assecuratio. Labiorum impressio significat labiorum ad laudem, veniam concedentis obligationem: & laudis ipsius iubilum & dulcedinem. De primo quorum dicitur *Psalm.* 62. Labia mea laudabunt te. De secundo item *Psalm.* 62. Labiis exultationis laudabit os meum. Propter quod dicitur *Cantic.* 4. Mel & lac sub lingua tua. Spiritus autem à corde processio in osculatum, indissolubilem significat spiritus adhæsionem. 1. *Corinth.* 6. Qui adhæret Deo vnus spiritus est. *Psalm.* 62. Adhæsit anima mea post te. Coniunctio autem ipsa duorum, osculantis, & osculati: consensum significat amoris, & assecurationem pacis. *Cantic.* 1. Osculetur me osculo oris sui. *Rom. vltim.* Salutate inuicem in osculo sancto. *Cantic.* 8. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te solum foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Hoc est, Quis mihi det vt tu, qui es Deus meus, efficiaris & in conformitate naturæ frater meus, qui sugis vbera matris communis sapientiæ Dei: vt pœnitens, & pœnitendo quærens te inueniam, solum, absque tumultu turbarum: foris, extra secretum contemplationis Angelorum, in discubitu conuiuantium tecum peccatorum, sed pœnitentium: & ibi in signum æternæ pacis deosculer te: & remissione percepta, iam me nemo despiciat vt ante, quando lenociniis adhærens despecta fui, & peccatrix. Illud igitur obsequium est deosculationis.

Et vnguento vngebat] Et est illud vltimum obsequium, quod est lassorum pedum suauissima vnctio. Et est mirabile: quia cum vnctio non possit fieri nisi vnguento, tamen addit [vnguento vngebat] Nec est nugatio: quia antonomastice fuit illud vnguentum cæteris vnguentis rarius: ideo carius & pretiosius: quod non sibi vt diximus, sed soli Deo præparauerat condignum. Hoc igitur vnguentum de diuersis aromatibus confectum, vnctionem significat deuotionis & compunctionis & charitatis. Est enim vnguentum pinguedine laxans locum vnctum, & ex acumine in locum vnctum penetrans, & ex suauitate dolorem mitigans. Habet igitur istud pinguedinem deuotionis, & acumen compunctionis, & suauitaté charitatis. De primo horum dicit *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. De secundo *Psalm* 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris, compungimini. De tertio 1. *Petr.* 2. Si tamen gustatis quoniam suauis est Dominus.

Dominus, hoc est, charitas Domini. Hæc igitur tria concussa & commista, vnctionem istam conficiunt. *Eccli.*38. Vnguentarius vnctiones conficiet sanitatis, & pigmenta conficiet suauitatis. Ne autem careat odore, recipiuntur in ipso omnium virtutum spitamenta: vt verum sit quod dicitur *Cantic.*1. Fragrantia vnguentis optimis. Et illud *Cantic.*4. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Hoc ergo vnguento pedes vnxit Dominicos, de quibus iam ante dictum est. Misericordia enim mollis quidem est, sed isto vnguento delinita mollior efficitur. Veritas autem siue iustitia non emollitur nisi perunctа: & tunc obliuiscuntur pedes isti dolorum quos peccatrix incussit, dum pedes isti eam ad pœnitentiam quærentes lassarentur.

Hæc ergo [vngebat] Vnctione consueta, vnctionem de præterito in præsens continuabat & extendebat. Et hoc est quod in persona vncti dicit *Iob* 29. Lauabam pedes meos butyro, hoc est, deuotionis pinguedine. Christus enim vnctus sonat, & vnctus à Spiritu Domini. *Isa.*61. Spiritus Domini super me: eo quod vnxerit me Dominus. Vnctione charismata gratiarum infundit. 1. *Ioan.*2. Vnctio docebit vos de omnibus. Et vngentes se diligit & suscipit. *Psalm.*132. Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum Dei consensum. Sicut vnguentum in capite quod descendit in corpus totum. In hoc ergo consistit huius mulieris obsequium.

Sed attendendum, quod quæ fuerit ista mulier, & vbi factum fuerit illud quod hic refertur: non est expressum. Et ideo inter patres de hoc inueniuntur diuersitatea. *Gregor.* enim & *Beda* hanc fuisse dicunt Mariam Magdalenam sororem Lazari & Marthæ, accipientes hoc pro argumento quod *Ioan.*12. legitur. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Adducunt etiam hoc quod dicitur *Luc.*8. Maria Magdalena de qua septem dæmonia exierunt. Quod explanans *Gregor.* dicit. Septem Maria Magdalena dæmonia habuit quæ vniuersis vitiis plena fuit. Et hos tota sequitor Romana & Occidentalis Ecclesia.

In contrarium horum opinantur *Ioannes Chrysost.* & *Origenes*: qui dicunt Mariam Magdalenam virginem fuisse, & virginem permansisse: nec probabile esse quod tanta peccatrix cum Domino tantam habuisset familiaritatem Dicunt etiam corporaliter quidem eam obsessam dæmonibus septem fuisse Dicunt insuper non vnam tantum istam peccatricem pedes Domini vnxisse: sed & illam & forte plures alias quæ sequebantur eum, & de facultatibus suis sibi ministrabant. Et cum in hospitiis coram eius agerent, & pedes lauarent: tunc tersserunt capillia propter participationem sanctitatis pedum vt secum gestarent puluerem. Et vnxerunt ad tollendam de pedibus lassitudinem. Ecce ista est diuersitas opinionum patrum: & accipiat quilibet quod vult. Ecclesia enim Occidentalis sequitur *Gregorium*. Et sic pro certo fecit Deus duo magna luminaria: duas Marias, matrem videlicet Domini, & sororem Lazari. Luminare maius, hoc est, Virginem Beatam vt præesset diei, hoc est, lucem infunderet innocentibus. *Prouerb.*4. Semita iusti quasi lux splendens, & crescens vsque ad perfectam diem. Luminare autem minus, hoc est, Mariam pœnitentem sub pedibus Beatæ Virginis. *Apoc.*12. Mulier amicta sole: & luna sub pedibus eius. Et hanc fecit vt præesset, exemplum pœnitentiæ præbendo, nocti, hoc est, peccatoribus. *Eccli.*43. A luna initium diei festi. Quia gaudium est Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Luminare quod minuitur quantum ad dignitatem & humilitatem in consideratione virtutis & perfectionis. Virgo quidem sanctificata à Spiritu sancto, humilis ancilla profudit Saluatorem. Peccatrix autem extracta de leuiathan maxilla *Iob* 40. vnxit vnctione Saluatorem in pœnitentiæ salutem. Sequitur.

Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis mulier est, quæ tangit eum, quia peccatrix est.

Hic incipit pars quæ est de murmuris repressione. Est autem duplex murmur, scilicet, de mulieris facto, & alterum de indulgentia peccatorum quam fecit sibi Christus. Et ideo sunt hic duæ partes. In prima harum adhuc sunt duo, quorum primum est murmuratio, & secundum de murmuris repressione. In prima harum sunt tria: descriptio murmurantis, modus murmurationis, & ipsa murmuratio. In primo horum tangitur inuidiæ nuntius, qui est boni quod fiebat aspectus: in secundo istius inuidentis religionis fastus: in tertio liberalitatis suæ apparatus. Dicit ergo.

Videns autem] Vidit enim iste, & inuidit. *Sapient.*6 Nec cum inuidia tabescente communicabo. Vnde de sex reprehenditur iste Pharisæus, quorum primum est inuidia tabescens. Secundum, iustitia falsa de se præsumens. Tertium, murmuratio intus mordens. Quartum est, quod peccatrici pro compassione est indignans. Quintum, quod proximum & non se de criminibus est accusans. Sextum autem, quod superiorem & meliorem se est redarguens. De inuidia quidem habitum est. De falsa vero iustitia *Rom.*10. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. De tertio dicitur *Sapient.*1. Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ: quia sermo obscurus in vacuum non ibit. De quarto dicitur *Ioan.*7. Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato. *Hieron.* Religio Pharisæorum non compassionem sed indignationem habet. De quinto *Luc.*18. Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. De sexto *Iob* 15. Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit. Hoc est ergo quod dicit. Videns autem.

Pharisæus] diuisus propter religionis signum. *Matth.*23. Pharisæe cæce munda prius quod intus est calicis & parobsidis, vt fiat id quod deforis est mundum [qui vocauerat eum] Aliquando Dominus vocatur vt hic. Aliquando ex humilitate repellitur. *Matth.*8. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Aliquando sine vocatione vt pauper recipitur. *Luc.*10. Mulier quædam Martha nomine recepit illum in domum suam. Aliquando præcipit se recipi. *Luc.*19. Zachæe festinans

festinans descende:quia hodie in domo tua oportet manere. Aliquando præmittit nuntios ex fiducia ad præparandum. *Marc*.14. Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. In quãcunque domum intraueritis, patrifamilias dicite: Vbi est diuersoriũ vbi pascha cum discipulis meis manducem? Aliquando pulsat vt aperiatur. *Apoc*. 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: siquis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo & ipse mecum. Hic tamen Pharisæus in hoc commendabilis erat quia tantum hospitem in domum vocauerat.

Ait intra se dicens] Ecce modus murmuris. Toties enim alios confutatos audierat quod aperte loqui non audebat. *Isa*. 28. Erit quasi pythonis vox tua: & quasi de humo audietur eloquium tuum. *Matth*.9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris: *Isa*. 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Hic si esset Propheta] Ecce murmuratio in duobus peccans: in dubitatione, quia coniunctio notat dubitationem: & in minus dicendo, quia dicit Prophetam Dei Filium. De dubitatione *Iacob*.1. Qui hæsitauerit, similis est spumæ maris quæ à vento mouetur & circunfertur. De minus dicendo dicitur *Hebr*. 3. Moyses quidem seruus fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ erant dicenda. Similiter autem & alij Prophetæ. Christus tanquam Filius in domo sua, quæ domus sumus nos.

Sciret vtique quæ & qualis esset] Ecce proximi accusatio. Dicit autem, quæ & qualis. Quæ autem refert ad naturam corruptam quam mulier ista secuta. Qualis autem refert ad vitium superinductum ex consuetudine. De natura corrupta dicit *Sapient*.12. Erat enim naturalis malitia eorum, & immutari non poterat, hoc est, immutari vix poterat. Qualis autem refertur ad vitium inolitum ex longo actu. *Ierem*.13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam, potestis & vos benefacere cum didiceritis malum. De ingenita ex corruptione peccati malitia dicitur *Ezech*. 16. Radix tua & generatio tua de terra Chananæa, hoc est, transmutata: quia bona natura in corruptionem transmutata est. Et *Ioan*. 8. Vos ex patre diabolo estis. De qualitate autem huic pessimæ naturæ superinducta dicitur *Eccli* 9. Propter spem mulieris multi perierunt: & ex hoc quasi ignis exardescet. Species enim mulieris hic dicitur præparatio: quia præparata est ad capiendas animas. Et hæc est qualitas superinducta naturæ malæ. Addit autẽ [mulier] quæ est ab emolliendo dicta Vnde *Esdr*. 4. Non possũt homines se parari à mulieribus. Si congregauerit homo aurum & argentum & omnem rem speciosam, & viderit mulierem vnam bono habitu & bona specie: omnia hæc relinquentes in eam tendunt, & aperto ore conspiciunt & eam alliciunt. Sic ergo à molliendo vocat eam mulierem. Et addit accusationes.

Quia peccatrix est] Et in hoc male iudicat. *Apoc*. 17. Bestia enim quæ fuit non est. *Prouerb*. 12. Verte impium, & non erit. Sed falsa iustitia non præsumit bonum de aliquo, sed hoc quod fuit adhuc reputat esse non aduertens quod Raab meretrix quæ habitabat in Iericho tempore meretricij, per pœnitentiam ciuis Ierusalem effecta est. *Psalm*. 86. Memor ero Raab & Babylonis scientium me. Non enim peccatrix mulier sanctum sanctorum potuit tangere ad inquinationem sanctitatis, sed potius ad emundationem peccatorum. Vnde *Hebr*.11. Fide Raab meretrix non periit cum incredulis: excipiens exploratores in pace. Ita & ista in fide sancta de peccatrice facta est. Et in eo completa est murmuratio Pharisæi. Sequitur

Et respondens IESVS dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.

Christus hic sicut sæpe (quia Deus erat) respondet tacitæ cogitationi. 1. *Reg*.16. Homines vident quæ patent: Deus autem intuetur cor. *Hebr*. 4. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Et est hic repressio murmuris [Simon] Ecce, hic primo nominatur: quod non fit de Zachæo *Luc*. 19. quem nominat antequam domum eius ingrediatur: cum tamen ille fuerit publicanus. Et huius causa est: quia ille ad Dominum synceram habuit deuotionem sine duplicitate: hic autem non synceram sed etiam ipsam facti vocationem videtur obsetuando fecisse, & minora sensit de Domino quam se haberet veritas. Dubitauit in eisdem. *Eccli*. 2. Væ duplici corde & labiis scelestis. Dicit ergo nunc primo nominans [Simon habeo aliquid tibi dicere] In modo autem loquendi excitat studium audientis quasi aliquid ænigmaticum & magnum dicere velit. *Prouerb*. 8. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum, & aperientur labia mea vt recta prædicent. *Prouerb*. 1. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientium & ænigmata eorum [At ille ait: Magister dic] Magistrum nominat quem Deum, & Dominum, & Patrem vocare debuerat, & tunc demum etiam Magistrum. *Psalm*. 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. *Matth*. 6. Pater noster qui es in cælis. *Matth*. 21. Vnus est Magister vester: qui in cælis est. *Matth*. 22. Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. *Ioan*. 3. Scimus quia à Deo venisti Magister [Respondet IESVS] Excitata intentione ad audiendum, proponit similitudinẽ per quam compescit murmurationem. Et in hac parte duo facit. Primo enim iudicio Simonis proponit similitudinem. Et secundo post iudicium eiusdem, reprimit murmurationem & explanat similitudinem. Dicit autem primo duo: similitudinem, & similitudinis à Simone petit iudicium & approbat. De primo dicit [Duo debitores] in genere, non specie, vel numero [erant cuidam fœneratori] Isti enim duo debitores, sunt in quolibet genere duo, inæqualiter peccantes, siue inæqualitas ista sit in numero peccatorum, siue in circunstantia peccantium. Vnus enim in numero peccatorum, peccat plus quam alius. Alius autem in circunstantia grauius peccat quam alius: aut quod turpius peccat, vel quia ipse peccans in altiori est gradu: sicut grauius peccat Religiosus quam secularis, & Clericus quam laicus. Omnia hæc comprehendit sub vna similitudine.

dine. Tamen hic videtur loqui de peccatorum multitudine. Magis ergo peccans est vnus debitorum. Minus autem peccans est alter debitorum. Fœnerator est Christus, sicut patet *Matth.* 25. quod vocauit seruos suos & tradidit illis bona sua vnicuique secundum propriam virtutem, dicens: Negotiamini dum venio. Isti ergo debitores in omni genere hominum sunt illi fœneratori [vnus debebat] quoad debitum satisfactionis [denarios] Denarius dicitur à decem: quia vnus valuit decem vsuales paruos. Et in denario erat sculpta imago cæsaris. *Matth.* 22. Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei, Cesaris. Tales denarios [quingentos] debuit vnus qui plus debebat [Alius autem quinquaginta] qui minus debebat. Vterque auté numerus surgit à quinque & decem. Quinquies enim decé quinquaginta sunt, & quinquies centum (qui sunt decies decem) quingenta sunt. Quinque autem ad quinque sensuum delectabilia referuntur, quæ auertunt hominem à denario perfectionis decalogi. Et hoc est peruersio tantum in opere. Centenarius autem refertur ad perfectionem virtutis: quia illa non est tantum ex opere, sed ex voluntate & perseuerantia in opere, & ex circunstantia & fine. Et in his quatuor consistit virtutis perfectio. Et ideo homo dicitur quadrangulus ad virtutem. Diximus autem supra quod centenarius est numerus quadratus, multiplicatio in se denario. Auertentia autem à virtutis perfectione sunt quinque, & ideo quinquies centum est corrupta contra virtutem perfectio. Maius autem debitum corruptio virtutis quam corruptio operis. Et ideo vnus debet denarios ex corrupta imagine summi Cæsaris, quingentos corruptionem quæ est contra honestatem virtutis: & alius quinquaginta ex corruptione imaginis eiusdem contra perfectionem operis. Plus enim peccat corrumpendo virtutem quam opus. *Matth.* 18. Iratus Dominus iussit seruum venundari & vxorem & filios & reddi, hoc est, animam & carnem & omnes vires eius & conatus & opera. Sequitur [Non habentibus autem illis vnde redderent] ex proprio; quia nihil habemus nisi quod Domini est. 1. *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. 1. *Paralip.* 29. Tua sunt vniuersa: & quæ accepimus de manu tua, obtulimus tibi. Sic ergo patet quoniam de suo nemo soluere potest debitum. Ergo clamemus omnes. Dimitte nobis debita nostra *Matth.* 6. Non habentibus ergo vnde redderent, pius Dominus [donauit vtrisque] hoc est, condonauit. *Matth.* 18. Misertus est autem eius Dominus, dimisit ei vniuersum debitum. Largus enim Dominus est in dimittendo & ignoscendo & benedictionem post omnia donando. Sicut Eliseus 4. *Reg.* 4. Non solum multiplicauit oleum in solutionem debiti, sed etiam impensas & vitam viduæ & filiorum dicens: Tu & filij tui viuite de reliquo.

Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

Petit iudicium Simonis secundum rationem rectam, & dicit duo: iudicium, & iudicij approbationem. Iudicium petit, dicens [Quis ergo] duorum [eum plus diligit] hoc est, diligere tenetur ex beneficio percepto, alijs omnibus paribus existentibus. *Sapient.* 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et ideo non est inæqualitas dilectionis in Deo sed in effectu. Cum igitur inæqualis sit effectus circa duos debitores: quis eum plus diligere tenetur? [Respondens Simon, dixit] Pharisæus cui proposita fuit similitudo [Æstimo] Hoc dicit: quia iam vidit Christum cordis sui perpendisse cogitationem. Et ideo non audet aliquid assertiue dicere, timens se vndique capi in sermone [quia is] debitor [cui plus] debitu [donauit] quoad effectum dilectionis: quia in alio non proponitur similitudo. *Iob* 6 Respondete obsecro absque contentione, & loquentes quod iustú est, iudicate [At ille] IESVS [respondit] ex verbis suis arguens, & iudicium commendans, & dicens [Recte iudicasti] 3. *Esdr.* 3. Super omnia vincit veritas.

Et conuersus ad mulierem] respectu misericordiæ plus quam corporis. *Cantic.* 7. Dilectus meus mihi, & ad me conuersio eius. *Psalm.* 39. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi [dixit Simoni] Mulieris enim deuotionem comparans superstitioni Pharisæi qui non nisi in exterioribus gloriabatur: cum Christus quæreret interiora. Et ideirco mulier meruit multa dimitti: Simon autem nulla. Et ideo etiam recedit à similitudine, sicut infra patebit: quia inciuile esset de hospite dicere, quod multa deberet in peccatis.

Intraui in domum tuam] à te liberaliter vocatus. Et ideo alicui salus in ea fieri debuit. Tibi propter superstitionem Pharisæi non potuit salus fieri. Oportuit ergo quod illi fieret quæ hoc ex deuotione postulauit. *Luc.* 19. Salus huic domui facta est ad introitum Saluatoris. Hæc autem quærebat salutem, & ideo delectabilius in corde pœnitentis requieui quam in domo tua. Tu quidem peccator es, licet tua reputatione minus debitum habeas quam illa. Vnde *Gregor.* Ad ipsius quippe mentem exultim confugerat quam post vitiorum ignes pœnitentiæ temperies refrigerabat. Vnde *Cantic.* 2. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. Quia sicut dicit *Gregor.* Vt caprea videt cordis secreta & in Pha-

tisæo & in peccattice: teptehendens contemptum Pharisæi, & deuntionem & humilitatem pœnitenris laudans & apptobans. Vt hinnulus autem fugit æstum, quæicos vmbræ refrigerium post æstum concupiscentiæ,ad refrigeratum cor pœnitentis confugiens. Melius ergo intrauit in cot pœnitentis quam in domum Simonis. *Cantic.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, intra vbera mea commorabitur. Fasciculus enim myrrhæ ex multis amaritudiuibus pœnitentiæ componitur quibus dilectus libenter immoratur: eo quod ista cubile cordis pro fœtore voluptatis & vrtica libidinis, & inobedientiæ cicuta: atomaribus aspergunt, & sua proprietate putredinem libidinis exiccant, & sua naturali fragrantia expurgant fœtores volupcarum. Sequitur.

Aquam pedibus meis non dedisti] quæ tamen lassis peregrinorũ pedibus à patribus sanctis eahiberi solebat *Genes.* 18. 1. *Timoth.* 5. Si Sanctomm pedes lauit. Hi enim pedes Domini sunt, qui erant sui sacrusancti corporis membra. Sed & illi sui sunt pedes, qui permundum Sanctos suos portant pauperes. Vnde *Matth.* 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis [Hæc autem] maiore signo dilectionis [lacrymis] de capite & corde suo fluentibus quasi delicatiotibus expensis circa me impensis [tigauit] hoc est, infudit [pedes meos] ad fœcunditatem sui cordis. *Isa.* 16. Inebriabo te lacryma mea Esebon & Eleale. Esebon, signum mœroris: Eleale coosċensio interpretatur: quia peccatrix anima pœnitens sic voluptatem trahit in mœtorem, quod mœrore cingitur ne voluptas amplius confluat. Et per hoc conscendit ad veniæ aothotem Domioum [Et capillis suis tersit] multo tenerius adhibens tersotium omnibus pannis pretiosis. Et ideo *Cantic.* 4. de ea dicitur. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Greges enim caprarum (qui sunt sacrificium Domini pro peccatis exhibeodum: sicut præcipitur *Leuit.* 1. & 2.) suot congregationes subtilium cogitationum & affectionum in amaritudine & igne deuotionis Christo oblatarum pin peccatis perpertatis. Et istæ de monte Galaad, hoc est, de aceruo testimooij ascendunt, quando in testimooio Scripturæ spem salutis peccatori tribuont.

Osculum mihi non dedisti] qood tamen ab hospitio recipientibus, peregrinis in primo introitu, in signum securi & pacifici ingressus, dari consueuit. Et quibusdam etiam in occursu hoc fecerunt. Vnde *Genes.* 29. Iacob ad puteum occurrens Racheli, osculatus est eam [Hæc autem ex quo intrauit] veniam quærens [non cessauit osculari pedes meos] vestigia pedum adorans, locum veniæ ante pedes quærens, inimicum sub scabellum pedum meorum conculcans, verbum sedens ad pedes humiliter audiens, vestigia mea obseruans. Hæc enim omoia quæsiuit io osculo pedum. Adorauit enim in loco vbi steterunt pedes, eo quod ille locus bonorandus est adoratione. *Isa.* 60. Locum pedum meorum honorificabo. Ibi enim Deus habitat. *Ezech.* 43. Locus solij mei, & locus scabelli pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israël. Etiam veniam quæsiuit ante pedes. *Deuter.* 33. Tinget in sanguine pedem suum, hoc est, in sanguine expiationis, in qun peccatores veniam consequuntur. De conculcatione autem inimici *Iudic.* 5. Ante pedes eius volutabatur infectus & mortuus. Et *ibidem.* Conculca anima mea robustos. *Rom. vltim.* Dominus conteret satan sub pedibus eius velociter. De auditu autem verbi. *Luc.* 10. Maria autem secus pedes Domioi sedebat, & verbum illios semper audiebat. Vestigia etiam obseruauit: ne ab eis de cætero aberraret. *Isa.* 63. Quare errare nos fecisti Domine de viis tois: indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Et iden vestigia obseruauit, & ea frequeoter osculabatur: quia per illa sibi patuit via ad veritatem & vitam. *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita.

Oleo caput meum non vnxisti] Hoc etiam peregrinis hospitio receptis in calidis terris exhibebatur ad pellis exhilarationem. Nec erat oleum simplex, sed compositum; quod nigredinem & partes incensas in facie sanauit, & vultum exhilarauit. Et hoc Simon non exhibuit. *Psalm.* 103. Vt exhilaret faciem in oleo. *Eccle.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. *Matth.* 6. Faciem tuam laua, & caput tuum vnge. *Daniel.* 13. Afferte mihi oleum & smigmata, vt lauer [Hæc autem vngento] pretiosissimo [vnxit pedes meos] lotos, tersos, & osculatos: vt attritio pedum per hoc sanetur, & pes lassus refocilletur. *Psalm.* 88. Oleo sancto meo vnxi eum. *Eccli.* 24. Sicut Balsamum non mixtum odor meus. Odor enim suus pinguedinis, olei, & balsami, & aliorum aromatum fuisse perhibetur. Et ideo tota domus odore fragrabat. Et hoc fecit in signum. Oleum enim excitabat figura sua misericordiam. *Cantic.* 1. Oleum effusum nomen tuum. Balsamum autem spirabat diuinæ bonitatis communicationem. De aliis autem aromatibus dicitur *Eccli.* 24. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Cinnamomum est figurans calorem & spiramen charitatis: balsamum autem spiramen bonitatis: electa myrrha in compunctione amaritudinis odorem mortificationis carnis. His ergo aromatibus Domini pedes ad fugam doloris perunxit, pedes (inquam) de quibus superius dictum est. Illos enim sæpe læserat, & iustum fuit vt eosdem teliniret per suauitatis voctionem.

Propter quod dico tibi] ex tuo iudicio tuam tibi condemnationem ostendeos, sed oon promens: qaia propter hospitis honorem te non arguo, sed iudicio tuo te relinquo. *Matth.* 15. Ex ore tuo te iudico serue nequam. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam te contra faciem tuam [Remittuntur ei peccata multa] Ecce, sicut diximus, dimittit comparationem. Si enim similitudinis comparationem prosequeretur, diceret: dimittuntur ei peccata plura: quia plus dilexit. Tibi autem dimittuntur peccata pauciora: quia minus dilexisti, & minora signa dilectionis exhibuisti. Sed quia inciuile est culpare hospitem, recedit à comparatione similitudinis, in vna persooa factum concludens, qui duas in similitudine proposuit. Dicit ergo quia [remittuntur ei peccata multa] in genere, & specie, & numero. *Isa.* 64. Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. *Isa.* 3. In multis offendimus omnes. *Osea* 12. Tota die mendacium & vastitatem multiplicat. *Osea* 4. Maledictum, & mendacium, & furtum, & homicidium, & adulterium, inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit. *Thren.* 1. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens [quoniam dilexit multum]

quia charitas operit multitudinem peccatorum *Iacob.*5. 1.*Petr.*4. Hanc tamen charitatem de se non habuit, sed de larga manu Domini. Hanc autem multam dilectionem opere ostendit post peccati dimissionem: quia probatio dilectioois exhibitio est operis.

Cui autem minus dimittitur] Non specificat propter hospitis vrbanitatem. Parum enim dilexit, qui in corporalibus exterioribus dilexit. Sed videtur falsum quod dicit;quia quantulacunque charitas omnia delet peccata. Adhuc,impium est à Deo dimidiam sperare veniam. Ergo non dimittitur minus nisi dimittatur totum. Respondendum,quod intelligitur quod charitas pro certo operit peccata: quia licet, vt dicunt antiqui, quatuor sunt in iustificatione impij, scilicet, infusio gratiæ, motus liberi arbitrij in Deum, & motus liberi arbitrij cum gratia in peccatum, & ipsa peccati expulsio: tamen in ipsa gratiæ infusione sunt tria: vnum quidem secundum recessum à malo, & sic primum est timor. Alterum autem secundum accessum ad bonum: & hoc est aut in comparatione ad verum, aut in comparatione ad bonum. Ad verum quidem prima est fides in intellectu: ad bonum autem primum est charitas in affectu, & hoc est simpliciter primum: quia etiam fides operatur per dilectionem: & ideo charitas est peccati remissiua. Et quod dicitur *Act.*15. Fide purificans corda eorum; intelligitur de fide quæ per dilectionem operatur. In omnibus enim diuinis affectus præcedit intellectum. Nec timor peccatum expellit,nisi eum amor in affectu præuenisset. Quod autem dicitur, Cui minus dimittitur: non intelligitur quantum ad ipsius maculæ vel reatus dimissionem, quia hæc omnia & tota dimittuntur ex quantulacunque charitate; sed quantum ad dimissionem pœnæ debitæ pro peccato. Cui enim minus de illa dimittitur, minus habet de feruore dilectionis. Et hoc est quod dicit.

Dixit autem ad illam] iam proprio iudicio, conuicto Simone. Ac si diceret *Ioan.*8. Mulier vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo [Remittuntur tibi peccata]quoad culpam. Hoc constat. Et videtur quod etiam quoad pœnam: quia pœnitentiam non iniunxit. *Matth.*9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Luc.*7. Remittuntur tibi peccata. Hæc enim omnia operatur Deus sine vsu clauium, & sine sacramentis, quibus ipse virtutem suam non alligauit.

Et cœperunt qui simul discumbebant] alij Pharisæi: quia vt dicit *Eccl.*27. Volatilia ad sibi similia congregantur [dicere intra se] quia aperte non audebant, videntes principem suum sua conscientia esse deprehensum & confusum. *Rom.*1. Susurrones & detractores, Deo odibiles. Et est ista secunda murmuratio, cui non respondet Dominus:quia istam iam *Matth* 11. & *Luc.*6. repressit [Quis est hic] Despectum notat interrogatio [qui etiam peccata dimittit] quæ non dimittit nisi solus Deus. *Matth.*9. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?. *Isa.*43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.

Dicit autem ad mulierem] oblocutoribus despectis. *Isa.*37. Despexit te & subsannauit te virgo filia Sion [Fides tua] *Galat.*5. Fides per dilectionem operatur. Hæc igitur fides quæ est veritas charitatis [te saluam fecit] quia me Deum credidisti, mihi pœnitentiam prædicanti credidisti, per charitatem in me tendens ad me venisti. Hæc (inquam) fides sub hac charitatis forma te formaliter [saluam fecit] Ego autem Deus vt causaliter & efficienter [Vade]ergo profectibus virtutum. *Psalm.*83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion [in pace]in reconciliatione ad Deum. *Rom.*5. Iustificati igitur ex fide,pacem habeamus ad Deum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Hæc autem pax etiam facit pacem conscientiæ, & pacem cum Sanctis: quia tunc vno consensu bona Sanctorum communicamus. De pace conscientiæ *Phil.*4. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. De pace pace Sanctorum *Psalm.*121. Fiat pax in virtute tua. Vnde de omnibus his *Ioan.*14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Sic igitur[Vade in pace]

CAPVT VIII.

Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus. Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis.


Ic incipit pars illa, in qua informat Ecclesiæ Prælatos de prædicandi & docendi officio ad quod principaliter inuentus est & traditus ordo Episcopalis. Et notatur huius officij priuilegium in quatuor, quorum primum est: quia illius officij actus ab Episcopo per se est exercendus, in aliis autem potest constituere vicarium. *Act.*6. Dixit Petrus: Non est æquum nos relinquere verbum Dei,& ministrare mensis. Eligite ergo viros plenos Spiritu sancto,quos constituamus super hoc negotium: nos autem ministerio verbi insistentes erimus. Ex hoc patet quod in operibus misericordiæ licet habere vicarios, & non in verbi dispensatione. De iudiciis autem quæ committuntur Prælatis, dicit Apostolus 1.*Corinth.*6. Contemptibiles qui sunt inter vos constituite ad iudicandum. Non quidem contemptibiles in vita, sed qui ad prædicandum verbum non sunt idonei: sicut & Ietro consuluit *Exod.*18. vt Moyses per

seipsum in his quæ ad Deum pertinent, & vt maiora referrentur ad ipsum, & in aliis haberet vicarios qui odissent auaritiã, & sapientes in iudiciis qui iudicarent populũ: quia aliter stulto labore cõsumendus esset. Huius signũ est quod Dominus iniungit officium doctrinæ & prædicationis Prælatis, & tacet de aliis. *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Hæc autem omnia nunc commixta & peruersa sunt: quia de principali nulla vel modica cura. De secundariis autem propter lucrum anneaum totum cousumitur tempus. Secundum est: quia ad hoc officium per contestationem extremi iudicij Ecclesiæ pastores obligantur, & nou ad aliud. 2. *Tim.* 4. Testificor coram Deo & Domino nostro IESV Christo qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, inportune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Tertium est: quia hoc officium diligenter exercens, dupliciter remuneratur. 1. *Tim.* 5. Qui beue præsũt præsbyteri, duplici houore digni habeantur. Quartum est: quia cum voce iubili tales, quando boni sunt, suscipit Deus. *Matth.* 25. Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Et hac de causa etiam Dominus hic valde diligenter tria exequitur, & instruit Apostolos.

Facit autem circa hæc tria quæ sunt necessaria, quorum primum est diligentia sui in exemplum proposita. Secundum autem, diuersitas verbi prædicati in fructu demonstrata. Tertium autem, virtus verbi in cordibus auditorum per effectum miraculorum probata. Et hæc patet in litera. In primo horum notantur duo: Prælatorum ad prædicandum exemplaris instructio, & prædicantium in accipiendo temporale solatium potestatis concessio. In primo horum adhuc sunt duo: exempli scilicet exhibitio, & eorum quibus exhibetur ad exemplum excitatio. Quinque autem sunt in exemplo, scilicet, ordinata à Deo ad hoc ministerium dispositio, laboris adhibiti solicitudo, diuersitas eorum quos docuit prædicationis verbo, modus quem habuit in proponendo, & syncezitas quam tenuit verbum de caste docendo & nullo peregrino dogmate adulterando. Et hæc patent in litera. De primo dicit.

Et factum est deinceps] non quidem adhoc in operis executione, sed in summæ sapientiæ præordinatione. Et ideo hoc opus dicit sibi præordinatum à Patre *Ioan.* 17. Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. *Ioan.* 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris. Hoc autem quod dicit [deinceps] non notat ordinem temporis, sed rationis: quia ordinat ista Euangelista secundum quod ad propositi sui in officio sacerdotali faciunt probationem

Et ipse iter faciebat] Ecce laboris adhibiti difficultas. Itinerando enim pedes laborabat Dominus in prædicando. *Ioann.* 4. Iesus fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. *Prouerb.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum.

Per ciuitates] Ecce eorum quibus prædicandum est diuersitas. In ciuitatibus enim sunt personæ vrbanæ & solennes. In castellis autem habitãt forenses & humiles personæ. Et hoc est quod dicit [Et castella] *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est. *Matth.* 4. Circuibat IESVS per ciuitates & castella. *Cantic.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Notatur etiam in hoc quod vrbanis hominibus loquendum est de ciuilibus & virtute: castellanis autem de his quæ spectant ad militiam & culturam, ita quod euilibet proponatur verbum secundum suam capacitatem, & instruatur ex his quæ magis nouit: vt, sicut dicit *Gregor.* ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit: vt per ea quæ vsu didicit, discat ea quæ ignota audit. Quia quilibet facilius instruitur per ea quæ vsitauit, quam per ea quæ non consueuit.

Prædicans & euangelizans] Prædicatio est de his quæ sunt fidei: licet sint supra rationem, tamen congruis & rationabilibus similibus exposita facile capiuntur: quia fides non longe est à ratione. *Rom.* 10. Propter verbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Euangelizatio autem est eorum quæ proponuntur ex diuino oraculo. Et ideo dicitur bona nuntiatio: quia quod ex oraculo Dei, & Angelorum, & Sanctorum, annunciatur: semper est bonum. Vel ad hoc quod cautos reddit si terret. Vel ad hoc quod allicit si promittit. Vel quia instruit ad veritatem si enuntiat aliquid de diuinis. Vnde isti sunt duo boni modi verbum proponendi. *Matth.* 4. Circuibat IESVS docens & prædicans Euangelium regni. *Luc.* 2. Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo [verbum Dei] non adulteratum, sed simplex & simpliciter propositum. *Ezech.* 2. Loqueris ad eos verba mea, si forte audiant, & si forte quiescant.

Hoc enim verbum auctoritate, subtilitate, veritate, vtilitate, præcellit omne verbum. Auctoritate quidem: quia Dei est qui primus omnium auctorum author est. Et ideo Propheta non sibi verbum vsurpat, sed se calamum authoris vocat. *Psalm.* 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Et ideo verbum Dei potestatiuum est, & omnipotens. Potestatiuum quidem in *Psalm.* 140. Audient verba mea, quoniam potuerunt. Omnipotens autem *Sapient.* 18. Omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit. De subtilitate autem dicitur *Hebr.* 4. quod Penetrabilior est sermo Dei omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem corporis & animæ, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. De veritate *Ioan.* 17. Sermo tuus veritas est. 2. *Corinth.* 1. Non est in illo, Est & non: sed est in illo, Est. *Dionysius ad Appollophanium.* Veritati dedisti manus, & falsitatis tenebris es absolutus. De vtilitate *Isa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Et duodecim cum illo] Ecce instruendorum ad instructionem exemplarem excitatio. Duodecim enim Apostoli figura sunt omnium Episcoporum in Ecclesia constituendorum, sicut diximus in ante habitis: vbi etiam numeri istius ostendimus soliditatem, & perfectionem. Isti ergo duodecim sequebantur eum relictis propriis. *Marc.* 19. Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

Et mulieres] Ecce collata potestas temporale

ſolatium accipiendi his, qui verbum fideliter annuntiant Et innuitur hic quod etiam ab vno poteſt accipi, quando alij quam illi prædicatur. Ponitur autem in mulieribus exemplum: quia deuotior eſt ſexus, & facilius obedibilis in bonum. Dicuntur autem hic duo. Primo enim commendantur quædam ſpecialiter deſcriptæ per nomina. Secundum autem innuitur de aliis multis inferioribus quæ non ſunt nominatæ, quæ forte vt ancillæ iſtis deſeruiebant. Circa eas autem quæ ſpecialiter nominantur, duo attenduntur, ſcilicet, ſpirituale impenſum eis beneficium, & expreſſio nominum. De primo dicit.

Et mulieres] non à mollitie, ſed à ſexu ſic vocatæ. 2. *Mach.* 7. Fœmineæ cogitationi maſculinum animum ingerens. *Prouerb. vltim.* Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius [quædam] notæ dignitatis & virtutis *Ruth* 3. Scit omnis Iſraël mulierem te virtutis eſſe. *Prouerb. vltim.* Date ei de fructu manuum ſuarum: & laudent eam in portis opera eius.

Quæ erant curatæ à ſpiritibus immundis] Ecce mulieribus impenſum beneficium, quod optime competit mulieribus Prælatis Eccleſiæ miniſtrantibus, quod prius per eas à ſpiritibus immundis ſint curatæ: quia aliter magnum in hoc eſſet periculum. 1. *Corinth.* 9. Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circundu cendi, ſicut & cæteri Apoſtoli & fratres Domini, & Cephas? Mulieres enim tunc apud Iudæos viris miniſtrabant, & poſt eos ibant ſeorſum, tamen ſequeſtratæ à viris. *Zach.* 12 Mulieres eorum ſeorſum. Vnde etiam legitur in *itinerario Clementis* quod multæ mulieres cum vxore Petri ſequebantur præſertim quæ miniſtrabant: ſequeſtratæ tamen ibant à viris, & ſeorſum noctibus hoſpitabantur. Nunc autem quia Prælati mulieres à ſpiritibus immundis non curant, ſed potius curatas polluunt & immundant: eſſet hoc valde ſuſpectum ſi fieret. Attendendum etiam eſt, quod hi qui hoc fecerunt, mortuos ſuſcitauerunt, & alias virtutes operabantur. Vnde *Hieron.* quibuſdam monachis mulieres circunducentibus reſpondit. Suſcita mortuum, & duc mulierem tecum. Non autem erant tantum curatæ à ſpiritibus malignis, ſed etiam ab aliis [infirmitatibus] Vnde *ſupra* 4. Curata eſt ſocrus Petri à magnis febribus. Et *infra eodem*. Mulier emorroiſſa à fluxu ſanguinis, & aliæ quædam ſunt curatæ.

Maria quæ vocatur Magdalene] de qua in præcedenti captiulo habitum eſt. Dicitur autem Magdalene à Magdalo caſtro cuius ipſa Domina & hæres fuit. Et hæc eſt prima ſpecialiter nominata, & eſt exemplum pœnitentiæ, vt ante diximus. Maria enim amarum mare vel amaritudo interpretatur. Et hæc fuit in dolore contritionis, in qua ſicut dicitur *Ruth* 1. Amaritudine valde repleuit eam Omnipotens. Magdalena vero interpretatur turrita. Quia ſicut turris quædã firmiſſima, ſuo exemplo ſaluat pœnitentes. *Cantic.* 4. Turris Dauid ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Dauid enim, qui manu fortis interpretatur, etiam exemplum eſt pœnitentium. Sua autem turris præſidium eſt pœnitentium, quæ propugnacula habet pœnitentium amaritudines, & pœnitentiæ patres, & exempla pœnitentium. Armatura autem fortium ſunt virtutes, dignos fructus pœnitentiæ facientium. In hoc enim nomen Domini IESV verificatur, quod ſaluum faciat populum ſuum à peccatis eorum. *Prouerb.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam confugit iuſtus à peccatore iuſtificatus, & ſaluabitur. Et poſt nomen proprium & patriæ deſcriptionem, tangit à Domino conſecutum beneficium.

De qua dæmonia ſeptem exierant] Septenarius autem, vt dicit *Gregor.* ad vniuerſitatem pertinet: quia omne tempus ſeptem diebus agitur: & ideo ſeptem dæmonia habuit, quæ vniuerſis vitiis plena fuit. Vniuerſis autem vitiis plena fuiſſe dicitur, quæ ſeptem capitalia vitia habuit, ad quæ omnia alia reducuntur ſicut mẽbra ad capita: de quibus dicitur *Iſa.* 1. Omne caput languidum. Et *Habac.* 3. Percuſſiſti caput de domo impij. Et *Exod.* 3. quod in omni domo iacebat mortuum primogenitum. Primogenitum enim in domo Ægyptiorum, eſt in quolibet genere capitale vitium. Inueniuntur etiam in ſacra Scriptura ſeptem nomina dæmonum, ſeptem vitia prætendentia, quæ ſunt diabolus, ſatanas, leuiathan, Aſmodæus, Behemot, Appollion, dæmon. Diabolus autem qui deorſum fluens interpretatur, ſignificat ſuperbiam, quæ quanto in altum ſe extendit, tanto profundius cadens deorſum fluit. Vnde *Iob* 41. dicitur: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Satanas autem interpretatur aduerſarios plaſmationi, & ſignificat inuidiam, quæ ſemper comes eſt ſuperbiæ, vt dicit *Auguſtinus*, & *Gregor.* quia inuidia contrariatur omni ei quod in bonum plaſmat Deus. *Sapient.* 1. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius. Et iſti duo dæmones cum omni nequitia ſua ſunt ſpirituales. Leuiathan autem interpretatur additamẽtum eorum, & ſignificat auaritiam, quæ ſemper eſt in addendo. *Iſa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Et hæc cum ſuo exercitu in medio carnis & ſpiritus habitat. Appollion quod latine ſonat exterminator, ſignificat eum qui præeſt iræ, quæ omnia exterminat, & hominem ponit extra terminos rationis: quia impedit ira animum ne poſſit cernere verum. *Iacob.* 1. Ira viri iuſtitiam Dei non operatur. Et ille dæmon etiam in medio carnis & ſpiritus habitat & obſidet: quia in carne facit euaporationem fellis: in ſpiritu autem vindicationis appetitum. Dæmon autem, vt quidam dicunt, ſufficiens iniquitas interpretatur, & ſignificat acediam, quæ amore iucunditatis temporalis triſtis & pigra eſt in ſpiritualibus: & materiam quidem habet in exterioribus, triſtitiam autem in interioribus; & etiam ipſa eſt in medio obſidens & opprimens. 2. *Corinth* 7. Triſtitia ſeculi mortem operatur. *Eccli.* 30. Multos occidit triſtitia, non eſt vtilitas in illa. Behemoth autem bos dicitur, & gaſtrimargiam ſignificat: quia ventroſi ſicut vituli effunduntur ſuper eſcam. *Ierem.* 50. Effuſi eſtis quaſi vituli ſuper herbam. *Iob* 40. Fœnum quaſi bos comedet, hoc eſt, ſine intellectua diſcretione, ſicut bos comedit fœnum. *Philip.* 3. Quorum deus venter eſt. Aſmodæus autem qui inſidiabatur Sanctorum nuptiis, & prophanũ iudicij interpretatur, luxuriæ eſt dæmon, propter quem mundus iudicio Dei diluuio periit. *Geneſ.* 6. Cumque vidiſſet Deus terram eſſe

corru

corruptam (omnis quippe caro corrupetat viam suam) dixit ad Noe, Finis vniuersæ carnis venit coram me.

Sunt tamen adhuc duo non tam dæmonum quam rerum nomina, quæ dæmones aliquando accipiunt in potestate: sicut lucifer, & mammona. Sed lucifer aliquando dicitur proptet euentum, quia se in Angelum lucis transformat. 2. *Corinth.* 11. Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. Et ideo hoc non est proprium vni exercitui, sed multis appropriatur. Mammona autem Syra lingua, interpretatur diuitiæ. Et hoc est quod aliquando committit dæmoni auaritiæ. Et ideo non proprie est nomen dæmonis. *Matth.* 6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Hæc igitur septem, vniuersitatem significant nequitiarum dæmonis, sicut dicit *Gregor.* à quibus Maria Magdalena in figuram omnium pœnitentium curata fuit: sicut habitum est in præcedenti capitulo. Et ideo sapienter vestigiis illis semper adhæsit, ante quod à tot dæmonibus liberata fuit.

Et Ioanna] Secunda est quæ nominatur, quæ Dominum sequebatur, quæ aliquando fuit vxor procuratoris Herodis, & post mortem eius, vt creditur: vel etiam ante mortem, si vir non voluit ei cohabitare, nisi in contumeliam Creatoris. Primum tamen est probabilius. Hæc autem Ioanna quæ vaga non fuit, sed vni idolatræ coniuncta: ideo vel Ecclesiam de Gentibus, vel animam significat, prius idolis spectaculorum mundi deditam, nunc autem ad Christum verum sponsum conuersam. 1. *Corinth.* 7. Quod si infidelis discedit, discedat. Non est enim frater aut soror seruituti subiectus in his. Ioanna autem interpretatur, Dominus est gratia eius: vel, Domini misericors eius: quia per misericordiam Domini venit ad gratiam Domini. *Tit.* 3 Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Hæc fuit [vxor] vxorio affectu, non sorde contubernij lupanaris [Chusæ] qui sextarius interpretatur: quia ad mensuram iniquam Herodis, ad tributa iniqua persoluenda homines impellebat. *Mich.* 6. Adhuc ignis in domo impij, & mensura minor iræ plena. Mensura enim minorem habent ad dandum, & mensuram maiorem ad recipiendum [procuratoris Herodis] *Glos.* Cum quilibet malignus spiritus pro tegno diaboli ad decipiendum laborat, quasi Herodis impiissimi procurator existit. Vnde & hæc Ioanna sicut & Matthæus & Zachæus de lucris illicitis ad Deum conuersa intelligitur. Et sicut Matthæus *supra.* 5. & Zachæus *Luc.* 19. fecerunt Domino conuiuia: ita & ista, ea quæ illicite acquisita fuerant, & nesciebatur cuius erant: in vsus pios sustentando Dominum, erogabat. Vnde *Gloss.* Ministrabat Domino carnalia, cuius metebat spiritualia: vt formam daret Prædicatoribus, quod victu & vestitu debent esse contenti. *Isa.* 23 Erunt merces tuæ sanctificatæ Domino. Non condentur neque reponentur: quia his qui steterunt coram Domino, erunt merces eius: vt comedant vsque ad saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem. 1. *Corinth.* 9. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus? Tertia nominata inter famosas mulieres, est

Susanna] de cuius modo viuendi nihil dicitur. Interpretatur autem lilium, propter odoriferum cælestis vitæ candorem, vt dicit *Gloss.* Et ideo significat viuentes in cælibatu & innocentes. *Cantic.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Vna igitur trium ex scandalo fluxæ carnis ad Christum conuersa Secunda ex lucris concupiscentiæ seculi. Tertia autem ex flore virtutum cælestium adhæsit diuino flori. Hæc enim est colonia ciuitatis diuinæ, quod cum Susanna & similibus gloriosa dicuntur de ea. Cum Magdalena memor est Raab meretricis, & Babylonis probrosissimæ confusionis. Cum Ioanna alienigena, & Tyrus, & populus Æthiopum, de angustia lucrorum seculi ereptus, habitat in ea: appropriat enim virtutem & attrahit peccatores, ostendes quod innocentes & recti adhæserunt sibi. Hoc est quod sequitur

Et aliæ multæ] similes illis, vel secundum pœnitentiam, vel secundum innocentiam. Nec est hic murmur innocentis contra pœnitentem, sicut *Num.* 12. Maria soror Moysi pulchra, murmurabat de vxore Moysi Æthiopissa: quia iam Æthiopissa mutauit pellem nigram: quod non fuit possibile Moysi, qui gratiam per legem suam non conferebat. *Ierem.* 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam: potestis & vos bene facere cum didiceritis malum. Tangit autem harum fœminarum pietatis officium, dicens

Quæ ministrabant ei de facultatibus suis] *Luc.* 23. dicitur, quod ascenderunt cum eo de Galilæa. Et hic dicitur, quod ministrabant ei de facultatibus suis. *Matth.* 10. Dignus est operarius cibo suo. 1. *Corinth.* 9. Quis militat stipendiis suis vnquam? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Hoc autem illo tempore à mulieribus accipere non erat scandalum: quamuis scandalum esset apud Gentiles, non apud Iudæos. Et ideo Paulus prædicans Gentibus, ista potestate vti noluit. 1. *Corinth.* 9. Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Licet ergo tres sint nominatæ, quarum vna fuit pœnitens, & altera coniugata, & tertia continens & innocens: ex quibus tribus statibus tota consistit Ecclesia. Tamen [& aliæ multæ] ad aliquem statum istarum relatæ sequebantur eum. In talibus enim ædificationis exemplum est, quando multæ sequuntur: & scandalum, quando sequitur vna vel paucæ. *Luc.* 23 Sequebatur autem eum multitudo magna populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum. Et talis multitudo sequentium innuitur hic cum dicit.

Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum: dixit per similitudinem.

Tangitur autem hic modus doctrinæ quem debent habere Discipuli. Et sunt in hac parte duæ instructiones, quarum prima est diuersitas verbi penes fructum quem facit in audientibus. Secunda autem est diuersitas modi docendi, quem debet habere in prædicantibus. Et hæc patent in litera. Prima harum instructionum habet partes duas, in quarum prima competens audientibus proponitur sermo parabolicus. In secunda congruens Doctoribus ponitur eiusdem explanatio-

nis modus. Adhuc in prima harum partium tangit tria, quorum vnum est conuenientium multitudo, sermonem parabolicum exigens. Secundum autem, docentis officium, ad docendum ex debito officij cogens. Tertium autem, diuersitatem fructus verbi, non ex docente, sed ex auditoribus esse ostendens. De primo dicit.

Cum autem turba plurima conueniret] Et in hoc notantur quinque: temporis videlicet congruentia, multitudinis præsentia, turbationis in audientibus impediens malitia, præsentium ad audiendum concordia, & Doctorum veritatis deficientia. Primum horum notatur cum dicit [Cum autem] Dicit enim *Chrys.* quod omnis Doctor bonus, multis præsentibus auditoribus ad docendum incitatur. Cum autem nulli sunt præsentes, casso labore clamans Doctor consumeretur. *Ioan.* 12. Cum multi venirent & Gentiles etiam properarent, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Clarificatur autem maxime in verbo fidei in cordibus auditorum. Hoc tempus describit *Ioan.* 4. quando dicit Discipulis: Videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem: quia iam corda auditorum præparata erant ad verbi prædicati fidem [turba] à turbando dicitur. Et erat in eis malitia peruersorum dogmatum, turbans & obnubilans ex diuersis hæresibus Pharisæorum, Essæorum, & Sadducæorum, inducta. Et in ista turbatione primo venit ad Ioannem, & postea per Ioannem ad Dominum. Vnde *Matth.* 5. Videns IESVS turbas, ascendit in montem. Sequebantur autem eum sicut oues non habentes pastorem [plurima] Ecce multitudinis præsentia. Plurimum enim pro superabundantia dicitur multitudinis. *Ioan.* 6. Cum vidisset quia multitudo maxima venit ad eum. *Ioan.* 12. Turba multa quæ conuenerat ad diem festum, clamabat: Osanna filio Dauid. Vnde *Matth.* 13. & *Marc.* 2. dicitur, quod ascendit in nauiculam propter turbæ multitudinem, & turba stabat in litore [conuenirent] Ecce ad audiendum concordia. Ad hoc enim conuenerunt vt audirent. *Genes.* 49. Congregamini filij Israel, congregamini, & audite Israël patrem vestrum. *Eccli.* 50. Congregate vos in domum disciplinæ. Hic autem conuentus turbæ est conuolutio mentis in vnum, vt tota intentione sermo percipiatur auditus. & de ciuitatibus] Ecce Doctorum in locis solemnibus vbi esse debuerunt, deficientia. Et tangit duo loca solemnia doctrina bona destituta, & auiditatem auditus. Dicitur ergo [& de ciuitatibus] solemnibus, in quarum portis Doctores sedere debuerant. *Isa.* 1. Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. *Isa.* 59. Corruit veritas in plateis, & iustitia non potuit ingredi. Et ideo currebant vt [properarent ad eum] tanquam ad veritatis Doctorem. *Isa.* 55. Omnes sitientes venite ad aquas. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. *Prouerb* 8. Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam. *Isa.* 55. Properate, bibite cum lætitia vinum & lac, hoc est, doctrinam gaudiorum cælestium, & doctrinam fidei rudimentorum, quæ debetur paruulis. *Prouerb.* 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

Dixit per similitudinem] Ecce, secundum analogiam humani intellectus proprius doctrinæ modus. Est enim, vt dicit *Dionys.* materialis noster intellectus, & non instruitur nisi per similitudines corporales introductus. Sic enim dicit Philosophus: Intellectus noster accipit cum continuo & tempore. Et ideo oportet eum similitudinibus informari, donec seipsum plenius adipiscatur, ex percepto intelligentiæ separatæ lumine. Adeptus enim seipsū intellectus, intelligit sine similitudine. Et sic intellectus Discipulorum, non adeptus autem, sine similitudine & forma continui & temporis, nihil penitus intelligit. Et talis est intellectus turbarum. *Matth.* 13. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis turbas, & sine parabolis non loquebatur cum eis. *Psal.* 77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. *Prouerb.* 1. Animaduerte parabolam & interpretationem, verba sapientium & ænigmata eorum.

Exiit qui seminat, seminare semen suum.

Ecce officium, ad docendum Doctorem cogens. Et dicit quinque: Doctoris scilicet ad docendum processum, Doctoris debitum officium, Doctoris proprium actum, doctrinæ materiam, & eiusdem materiæ puritatem. Processum tangit cum dicit [Exiit] In domo enim seminatum putrescit, & non fructificat. Vnde *Matth.* 13. Ager autem hic mundus est, in quo verbum Dei sicut in agro seminatur. *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. Iste est ager de quo dicitur *Genes.* 24. Egressus autem fuerat Isaac ad meditandum in agro. *Cantic.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Talis igitur est ad seminandum processus. Arguuntur autem de ignauia agricolæ domi manentes, expectantes donec ager, rura relinquens propria, ad eos in domum veniat. Agricola enim egreditur ad agrum, & non ager domum vadit ad agricolam. *Genes.* 9. Noë vir agricola cœpit exercere terram.

Qui seminat] Ecce seminantis siue prædicantis officium. Qui seminat enim est seminator, qui seminandi per curæ susceptionem siue per voti emissionem suscepit officium. Vnde & Apostolus *Act.* 17. Seminator verborum est vocatus. *Marc.* 4. Exiit seminans ad seminandum. *Psalm.* 125. Qui seminant in lacrymis in gaudio metent. *Isa.* 27. Qui egrediuntur impetu à Iacob, florebit & germinabit Israël, & replebunt faciem orbis semine. Videns enim *Isaias* in spiritu dignitatem horum seminatorum, admirando dicit. Qui egrediuntur impetu charitatis & zelo animarum impulsi à Iacob, & in isto egressu florebit virtute & germinabit opere Israël, & replebunt verbo prædicationis faciem orbis, in cordibus hominum semine germinante verbo in fidem credentium.

Seminare] Ecce seminantis proprius actus. Est autem seminare late per totum agrum semen spargere, non in vnum locum collecta semina reponere. *Eccle.* 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua: quia nescis vtrum hoc aut illud citius oriatur: etsi vtrumque, melius erit. *Osea* 10. Seminate in veritate iustitiam, & metite in ore misericordiæ. Seminatio enim fit in veritate fidei vt iustitia bonorum morum exoriatur. Messio autem quando fructus de conuersione fidelium colligitur, fit in ore minimæ vt inopiæ & fragilitati, quantum fieri potest parcatur.

Semen] Ecce seminantis materia. Non enim

prædicationis materia est nisi semen quod fructum potest facere: non cicuta, quæ inducit insaniam: vel vrtica, quæ excitat libidinis pruritum: sed semen faciens fructum, in quo effectiua causa est fructus natiuitatis diuinæ. *Genes.* 1. Faciens semen iuxta genus suum. Sicut etiam semen Dei iuxta genus suum effectiua causa est natiuitatis diuinæ. *Psalm* 106. Seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis. Hoc est enim naturale.

Semen suum] Ecce seminis puritas. Non enim debet seminari nisi semen summi agricolæ, & non aliud: quia quicquid aliud seminatur, producit stirpes adulterinas. *Sapient.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas. *Matth.* 13. Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait. Inimicus homo hoc fecit. *Leuit.* 19. Non feres agrum duplici semine. Non enim seminandum est nisi semen Dei, & nullum aliud. Et hoc optime significatum est *Osee* 2. Exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum & vinum & oleum, & hæc exaudient Iezrahel. Et seminabo eam mihi in terram. Cæli enim rotantes desuper Angeli sunt seminibus iactis, illuminando, purgando, & perficiendo semini verbi in corde cooperantes. Terra autem, fundus est boni & culti per virtutem cordis. Triticum autem, fructus cor confirmans in gratia: vinum, lætitiam ferens in spe cælestium. Iezrahel autem semen Dei interpretatur, quod est diuinum & efficax ad fructum fidei verbum. His igitur Domini terra vriliter seminatur.

Attende autē, quod semen quinque in se habet boni dispositiones. Est enim putum à palea purgatum. Est in se habens duplicem virtutem: impregnantis, & impregnati, vt dicit *Philosophus*. Et in his est vigorosum. Est etiam germinans sola virtute cælestium. Est in se moriens vt faciat suæ speciei fructum. Est etiam sui, licet sit paruum, mirabiliter multiplicatiuum. Et à quocunque horum ceciderit, cadit à ratione & perfectione seminis. Purum enim à palea (temporalium superfluitatum) & herba (quæ est iumentorum pabulum) depuratum est: sicut dicitur *Luc.* 3. Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Sed nunc è conuerso est: quia agricolæ Domini, triticum comburunt igne inextinguibilis concupiscentiæ; & paleas quibus ignis infernis in eos succendatur, diligenter congregant in horrea sua. Quod autem semen habeat virtutem & impregnantis & impregnati, dicit *Philosophus*: quia est sicut ouum in quo congregatus est vterque sexus, & ideo est efficiens & materia fructus: sicut dicitur *Genes.* 1. Cuius semen in semetipso sit, hoc est, seminis efficacia. Non enim haberet seminis efficaciam, nisi haberet vtramque naturam. Virtute autem cælesti pullulat: sicut dicitur *Ierem.* 33. Suscitabo Dauid germen iustum. Quasi dicat. Ego de cælo suscito. *Isa.* 45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Psalm.* 84. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. De morte autem dicitur *Ioan.* 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et ideo dicit *Apostolus* 1. *Corinth.* 15. Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Sic & nos mori nobis oportet, si in fructu animarum volumus resurgere. De mirabili multiplicatione dicitur *Isa.* 55. Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & dat semen serenti, & panem manducanti: sic est verbum quod egredietur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Isa.* 4. Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis.

Est etiam considerandum secundum *Constantinum in Pantegni, & Isaac*, quod in granis bonitas consideratur in tribus, scilicet, Si colore est rubeum, si quantitate secundum suum genus est magnum, si pondere est graue in genere suo: quæ competunt diuino semini, quod est Dei verbum. Hoc enim magnum est: quia de magnis. *Prouerb.* 8. De rebus magnis locutura sum. Et ideo aperto ore vult annuntiari. *Matth.* 5. IESVS aperiens os suum docebat eos. *Act.* 10. Aperiens Petrus os suum, dixit. Hoc etiam est colore exterius charitatis igne rubeum, & intus puritate substantiæ mirabiliter candidum. *Cantic.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. Dilectus autem est verbum diuinum. Hoc etiam est pondere intelligendi grauissimum, & omnem excedens intellectum. *Eccle.* 1. Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigabit? *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius! Sic igitur, Exiit seminare semen suum.

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est.

Ecce ex parte fundi suscipientis semen in fructificando diuersitas. Et tangit duo, scilicet, quod ex parte seminantis non est ista diuersitas, & quod ex fundo suscipiente tota generatur diuersitas & non ex semine. Primum horum notatur cum dicit [Et dum seminat] hoc est, in commune spargit semen sicut debet. Non enim potest attendere seminans quo semen cadat, dummodo in communi in agrum vbique semen dispergit. Disperguntur autem semina, quando diuersis moribus bene adaptantur verba. Vnde *Matth. vltim.* Docete omnes gentes. *Genes.* 4. Negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa & lata indiget cultoribus. Spatiose enim & late semen est spargendum.

Aliud cecidit] Ecce diuersitas ex fundo. Dicit autem in communi ex fundo duas in communi diuersitates: vnam ex fundo malo, & aliam ex fundo bono. Quia autem malum est omnifariam, ideo ex fundo malo tres ponit diuersitates, quarum vna est malitia, non ex fundo, sed ab extrinseco fundi in fundum inducta. Secunda est ab ipsa fundi malitia causata. Tertia est ab intimo fundi concepto, ad superficiem fundi pullulando exorta. Via enim trita est, & indurata pedibus transeuntium. Lapidosa autem ab ipso fundo sunt nata, & spinosa à mala stirpe in fundo concepta ad superficiem emersa. Hæc autem tria, malæ tres sunt cordis dispositiones. Est enim cor omnibus vanitatum & concupiscentiarum & phantasiarum transitibus tritum, & quasi via factum, & in-

duratum : vt nihil boni seminis in interioribus sui recipiat. Et huic maliciæ fundi duplex dicit malum : attritionem , & indurationem interius : & insidias auium exterius. Et hoc est quod dicit.

Aliud cecidit] non ex intentione seminantis, sed ex malitia recipientis [secus viam] in loco conculcato & indurato ex frequentia transeuntium vanitatum , in deliciis & leuitate ambulantium. *Isa.* 51. Dixerunt animæ tuæ , Incuruare vt transeamus : & posuisti corpus tuum quasi viam transeuntibus. 1.*Reg.* 21. Via hæc via polluta est. Hæc est dispositio cordis in quo omnis aratura, disciplinæ sarculo facta , consuetudine vanitatis & deliciarum deleta est & in duritiam redacta. Super hanc enim terram semen cadens , retunditur & resilit : & tunc nudum in superficie dura iacens,nullas radices in profundum mittit:& ideo petit expositum auibus ad deuorandum. *Psal.* 79. Vindemiant eam omnes transeuntes viam.Et hoc est quod sequitur.

Et volucres] hoc est, dæmones insidiando circumuolantes [cæli] hoc est,hunc aërem caliginosum eos celantem inhabitantes [comederunt] sibi incorporauerunt [illud] quoad fructum quem non facit nisi malum. *Deut.* 32. Deuorabunt eos aues morsu amarissimo. *Apoc.* 18. Facta est custodia omnis volucris immundæ.

Obiicitur autem , quod si semen est verbum Dei, non potest esse verum quod volucres dæmones hoc comedant : quia verbum Dei fugiunt & sibi non incorporant. Ad hoc autem dicendum est , quod omne semen in naturam suam trahit terram in quam cadit : quia aliter pullulare non posset. Et ideo hic etiam non dicitur tantum, semen,verbum nudum : sed etiam cordis dispositio, quod attrahitur vel attrahi debet à verbo. Et quia hoc dæmon à verbo expolians incorporat & sibi assimilat : ideo verbum & semen dicitur deuorare. *Osee* 8.Culmus stans non est in eo,germen non faciet farinam : quod si fecerit , alieni comedent eam. *Ezech.* 39 Feris & auibus omnique volatili cæli dedi te ad deuorandum.

Attende etiam, quod primo conculcatum est transitibus vanitatum, & postea ab auibus comestum : quia vanitas concupiscentiarum locum dat diabolo vt deuoret semen verbi. Et hoc cauens Sara *Tob* 3.dixit : Nunquam cum ludentibus me miscui , neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. *Matth.* 7. Ne conculcent ea pedibus suis , & conuersi dirumpant vos.

Et aliud cecidit supra petram : & natum aruit, quia non habebat humorem.

Secunda est dispositio , malitia fundi quæ ex ipso nascitur fundo. Est autem hæc malitia triplex, scilicet, quod aut fundus est nuda petræ duritia , aut parum terræ habens in superficie : aut quod fundus non sit petra , sed petrosus nimis, licet modicum terræ sit interpositum inter petram & petram. Hæc enim ex fundo est malæ terræ dispositio.Si enim sufficienter posita esset terra inter petram & petram , & esset locus aliquo accidente frigidus : aut quia longe esset à via solis, aut ex vicinitate montium superiorum : tunc interpositio petrarum faceret agri fertilitatem:quia tunc petræ modicum solis incidentem calorem congregarent, & diu tenerent,& terram interpositam temperate calefacerent , & facerent eam feracem & fertilem.Et hoc probant opera rusticorum , qui habent ante agros suos , montes altos versus meridiem. Illi enim non eiiciunt de agris suis petras : & si eiiciunt , terra reducitur ad sterilitatem. Si enim locus totus petra sit , illi non recipiunt semen ad intrinsecus sui , sed petra sole percussa retinet calorem ignitum , & arefacit semen,& non facit fructum. Et hæc terra significat cor obduratum,& induratum. Obduratio autem terræ est propositum non emolliendi per aliquem Dei timorem. *Ierem.* 5. Indurauerunt faciem suam supra petram , & noluerunt reuerti. *Iob* 41. Ecce cor eius indurabitur , & stringetur quasi malleatoris incus. Nec vnquam hæc terra fructum affert , nisi beneficio Domini fiat : quod dicitur *Ezech.* 36. Auferam à vobis cor lapideum,& dabo vobis cor carneum.

Petrosus autem locus,parum & minus (quam ad fructificandum sufficiat) terræ habens interpositum,significat cor quod in se est durum:& tamen aliquando (raro scilicet) concipit aliquid desperantis timoris , qui fossilis est in profundum. Et hic timor non est temperie spei mistus : & ideo lapis vbique fere occupans prævalet : & calorem solis incidentem colligit, quo assatus terram modicam coniunctam incendit & exurit , & comminuibilem in puluerem reddit, & non commiscibilem ad fructificandum. Vnde *Psalm.* 79. Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribūt. Ignis fulgoris mundi , est conceptæ cupiditatis auaritia , quæ totum incendit & exurit , & lapideum cor excoquit in petræ soliditatem. *Iacob.* 1. Exortus est sol cum ardore , & arefecit fœnum, & flos eius decidit , & decor vultus eius deperiit.

Petra autem in fundo,& parum expassum terræ desuper,est cor in se quidem durum:habens tamen speciem in se pietatis exterius, de quo Apostolus. Habentes quidem speciem pietatis , virtutem eius penitus abnegantes. Sicut sunt Hypocritæ & simulatores, de quibus dicitur *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Nunquam enim tales faciunt fructum ad maturitatem venientem. Sed potius erit sicut fœnum tectorum , quod priusquam euellatur exaruit. Hæc igitur est ex petra mali fundi dispositio. Vnde sequitur [& natum aruit] incensum ex petræ calore vstiuo. *Isa.* 15. Aruit herba,defecit germen, viror omnis interiit. *Ioel.* 1. Aruit messis agri. Et reddit causam [quia non habuit] verum pietatis [humorem] de quo dicitur *Ierem.* 17. Erit enim quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radices suas. *Psalm.* 1. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum , quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et aliud cecidit inter spinas : & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

Ecce tertia mali fundi dispositio. Et dicit *Gloss.* quod spinosa terra , est cor sollicitudinibus aggrauatum. Est autem intelligendum de spina nigra, quæ ex profundo medullæ exoritur, & in circuitu, stipitem & ramos replet aculeis. Hoc enim lignum multum

multum est vmbrosum & amatum : quod etiam acumen fructus sui ostendit, & vmbra sua fundum facit frigidum, densitate autem inaccessibilem, & amaritudine infœcundum. Et ideo, sicut dicit *Chrysost.* in spinosis non est habitatio nisi serpentum. Et ideo significat cor solicitudinibus & curis compunctum. Quod vero lumine non est lustratum, serpenti, hoc est, diabolo ad habitandum datum hic, & in futuro amaritudine æterna infusum. *Prouerb.* 14. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti : & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. *Ierem.* 4. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Huiusmodi spinæ sunt ambitionis aculei pungentes superbos, inuidiæ anxietates pungentes inuidos, solicitudinum punctiones confodientes auaros, fellitæ amaritudines incitantes iracundos, prurientes scalptationes stimulantes gulosos & luxuriosos. *Isa.* 9. In spinas & in vepres erunt. Vnde sequitur.

Et simul exortæ spinæ], quoad punctiones in ductas [suffocauerunt illud] semen, hoc est, cor ad semen & conuersum & attractum. Suffocare autem est subtus occare, aut subtus focum extingue re Quando aut sub gutture occat & strangulat, aut ignem naturalem scilicet calorem extinguit. Versus.

Suffocat extinguit, suffocat guttura stringit.

Spinæ enim exortæ, fundum connaturalem sibi habentes, ex insolita sui germinis consuetudine. præueniunt seminis ortum: quod amaritudini non connaturale, frigiditate vmbræ extinguitur, & subtus occatur, & putrescit. *Genes* 3. Spinas & tribulos germinabit tibi. *Reg.* 23. Præuaricatores tanquam spinæ euellentur.

Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum.

Ecce vna & sola & simplex terræ bonæ dispositio, quæ quidem p nguis sit deuotione. *Isa* 5. In cornu filio olei. Et est translatio 70. hoc est, in loco pingui Fossa autem sarculo & aratro disci plinæ, adæquata mansuetudine. *Isa.* 8. Proscindet terram suam : & cum adæquarit eam, seret gith & triticum, & vitiam sparget. Humilis etiam sit ad quam descendat montium dulcedo. *Psalm.* 64 Valles abundabunt frumento Infusa pluuia doctrinæ, & rore gratiæ, & riuulis lacrymarum. *Hebr.* 6. Terra super se venientem sæpe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur : accipit benedictionem à Domino [& ortum fecit fructum centuplum] ortum quidem & maturum. Ortum enim primum, facit herbæ virorem. Deinde stipitis erectionem, & paleæ purgationem : & post aristam, florem, filiquarum circumpositionem, formatur in fructum. Et viror quidem est fidei vigor. Stipitis autem erectio, iustitiæ rectitudo. Paleæ purgatio, superfluorum expulsio. Aristæ formatio, bonorum est societas. Siliquarum circumpositio, necessitatum prouisio Floris emissio, bonæ conuersationis fama, & pulchritudo. Fructus maturatio, meritorum multitudo.

Dicit autem *Lucas* [centuplum] *Matth.* 13. distinguit trigesimum, & sexagesimum, & centesimum : quia *Matthæus* statuum in Ecclesia considerat diuersitates. *Lucas* autem sine differentia statuum, germinis iacti considerat perfectionem (quæ surgit ex obedientia præceptorum) in se ductam, dum quodlibet præceptum in seipsum ducitur per charitatem obseruatum. *Genes.* 26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum. Et ideo dicit *Psalm.* 36. Inhabits terram, & pasceris in diuitiis eius. *Num.* 13. Terra quam lustrauimus, optima est, sicut ex his fructibus cognosci potest. *Genes.* 47. In optimo terræ solo pone eos.

Fert autem terra centuplum, quando omnis vigor terræ nostræ multiplicatur per denarium præceptorum. Vigor autem terræ est in decem sensibus : quinque interioribus, qui sunt sensus communis, imaginatiua, phantasia, æstimatiua, & memoratiua : & quinque exterioribus, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Et in cordis aspectu sunt intellectus : agens, materialis, formalis, speculatiuus, adeptus, sanctus siue eliacus, & diuinus. Et isti septem sunt in anima, & iuuantur duobus luminibus : studij, & reuelationis. Et lumen studij duplex est: inuentionis, & doctrinæ. Et sic decem sunt intellectus.

Decem etiam sunt illuminationes : nouem, scilicet ordinum Angelorum, & decima, diuina. Decem etiam sunt modi ad instructionem propositi. Quidam enim ex mundana theologia per vestigium Creatoris proficiunt. Quidam autem altius, per imaginem quam apud se figurauit, in cognitionem Creatoris ascendunt. Quidam vero similitudinibus parabolicis inducuntur. Quidam vero altius imbuti, puritate conscientiæ conspiciunt; quorum oculi beati esse dicuntur *Matth.* 13. Quidam vero per humilitatem orationis reuelationem accipiunt : sicut *Daniel.* 9. & 10. Et quidam per raptum contemplantur limpide : sicut *Paulus* 2. *Corinth.* 12. Quidam vero per studium sacræ Scripturæ, in qua quatuor iuuantur modis : literali, allegorico, morali, & anagogico.

Sunt etiam decem lumina : rationis scilicet, fidei, sapientiæ, intellectus, consilij, scientiæ, donorum, prudentiæ, virtutis, munditiæ cordis (quæ est beatitudo *Matth.* 6.) contemplationis, & artis. Ex omnibus autem his fructificat intellectus. Affectus autem in anima habet liberum arbitrium, voluntatem, synderesim quæ malis remurmurat, conscientiam : & illam quæ impetum facit ad opus, quæ est completus ex ratione & voluntate consensus. In sensibili autem anima etiam sunt quinque, scilicet, appetitiua, desideratiua, concupiscibilis, irascibilis : & quæ totum perficit, sensualitas. Appetitiua quidem, primo appetit, desideratiua vero cum cognitione quadam trahit, concupiscibilis cum dilectionis stimulis impellit, irascibilis vero contra aduersans insurgit, & sensualitas illicitum tangit & gustat.

Ista autem decem quæ insunt in homine secundum animam motiuam, aliis tribus denariis perficiuntur. Liberum enim arbitrium, vt dicit *Aug.* tribus perficitur libertatibus : libertate scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ : quæ sunt libertates à materiæ obligatione, à culpæ electione, & à misericordiæ affectione.

Voluntas etiam tribus perficitur : bono scilicet voluntatis diuinæ : placente, consilio diuino, & perfecto profectus in merito. *Rom.* 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

Synderesis

Synderesis in reluctando malo, tribus complectur: notitia & appetitu, liciti, expedientis, & ædificantis. 1. *Corinth.* 6. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Licitum enim est quod nullo præcepto prohibetur. Expendens quoque ad vtilitatem honestam & publicam refertur. Ædificans est qood in nullius me iudicare cupientis, ponit potestatem.

Conscientia iuuatur tribus, scilicet, puritate, vt nullius mali sit sibi conscia: vt doctrina Scripturæ sit informata: Spiritus sancti attestantione, vt secondum instinctũ Spiritus sit semper ad opus incitata. De primo 2. *Corinth.* 1. Gloria nostra hæc est testimoninm conscientiæ nostræ. De secundo & tertio *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo IESV, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto.

Consensus qui impetum facit ad opus tribus rectificator. Dicitur enim consensus, diuersorum in vnum relatus sensus. Si scilicet operabile certa ratione discutiat, si circunstantiis debitis actum vestiat, si ad finem congruum per intentionem dirigat. Tunc enim est perfectus consensus.

Appetitiua etiam quæ est animæ sensibilis, tribus perficitur ad fructum. Si scilicet sit boni, si sit pulchri, si sit laudabilis. Boni quidem, quod habitum bonum facit: pulchri, quod confert virtutis decorem: laudabilis autem, quod famæ bonæ facit opinionem.

Desiderium etiam quod est cum delectatione secundum doctrinam moralem, perficitur tribus, quæ perfectam faciunt delectationem. Si scilicet delectatio trahens desiderium, sit connaturalis, si sit admirabilis, si sit firmitate perpetua stabilis & immobilis. Naturalis autem est, quando est pura nihil materiæ habens annexum: sicut in homine sunt ea quæ secundum intellectum sunt delectabilia, & in quolibet alio secundum suam simplicem naturam. Admirabilis autem est, quando est altissimorum & dignissimorum secundum naturam. Firma autem quando perpetuæ innititur veritati quæ nihil habet contrarium. 3. *Esdra.* 4. Veritas vincit & inualescit.

Concupiscibilis autem etiam tribus perficitur: zelo scilicet honesti, ardore deuotionis, & ignitione charitatis.

Irascibilis item tribus perficitur: altitudine suæ dignitatis, in qoa indignatur omnibus se vilificantibus & prosternentibus: mansuetudine suæ refrænationis, & fortitudine suæ contra malum insurrectionis.

Sensualitas etiam tribus perficitur, scilicet, verecundia turpitudinis, exercitio studiositatis, gustu puritatis in bonis actibus & operibus. Hæc si ducantur in denariũ, & cum denario præceptorum accipiantur: faciunt fructum meritorum centuplum: & quodcunque horum defecerit, erit fructus aliqua diminutio. Cum his autem erit quod dicitur *Isa* 4. Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. In magnificentia enim erit per naturalium perfectionem, & gloria per contemplatiuorum, illuminationem, sublimis autem per motiuorum siue operabilium perfectionem.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Hic incipit parabulæ explanatio. Et tria faciũt. Primo enim ad quærendum explanationem excitat. Secundo inter auditores explanationis discretiones monstrat. Tertio explanationem declarat. De primo dicit [Hæc] parabolice [dicens clamabat] vt intensione clamoris ad intentionem excitaret cor auditoris. *Ioan.* 7. Stabat IESVS & clamabat, dicens: Siquis sitit, veniat ad me, & bibat. *Psalm.* 68. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. *Cantic.* 5. Dilectus meus clamat ad me [Qui habet aures audiendi, audiat] Est enim auris quæ non est nisi auris figura, sicut idoli. *Psalm.* 113. Aures habent, & non audient. Est auris obturata sicut aspidis. *Psalm.* 57. Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Est etiam auris bona audiens intus, & retinens audita. *Eccli.* 3. Auris bona cum omni concupiscensia audiet sapientiam. *Rom.* 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. *Prouerb.* 1. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. *Apoc.* 2. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Hoc verbo excitati Discipuli interrogabant. Et hoc est quod sequitur.

Interrogabant autem eum Discipuli eius quæ esset hæc parabola.

Discipuli sunt disciplina magistri imbuendi, & cogoscuntur à quatuor: professione veritatis, affectione mutuæ charitatis, & exhibitione mansuetudinis, & habitu humilitatis. De professione veritatis *Ioan.* 8. Si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. De affectione mutuæ charitatis *Ioan.* 13. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli si dilectionem habueritis adinuicem. De mansuetudine & humilitate *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Humilitas discipuli inclinat autem ad audiendũ illuminata intelligendũ, charitas notitiam amatam quæ verbum est, vnit cordi ad implendum. Doctrinæ enim morales, vt dicit Philosophus, non sunt contemplationis gratia, sed vt boni fiamus. De primo horum *Psalm.* 85. Inclina autem tuam: quia concupiuit rex speciem tuam. De secundo *Iacob.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum quod potest saluare animas vestras. De tertio *Psalm.* 42. Emitte lucem tuam. De quarto *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Hi ergo veri discipuli [interrogant] quia nescienti, vt dicit *Chrysost.* & scire volenti, clauis scientiæ est interrogatio. *Eccli.* 32. Audi tacens simul & quærens. *Marc.* 4. dicitur, quod non in via, sed domi in secreto silentij, exuti ab occupationibus & tumultibus interrogabant. *Eccli.* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet: quia sapientia replebitur. Sic ergo & hac de causa interrogabant [quæ esset] hoc est, cuius interpretationis secundum intellectum esset [hæc parabola] *Prouerb.* 1. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientium & ænigmata

eorum

eorum. Adhuc enim erant imbuendi, necdum imbuti. 1. *Corinth.* 13. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus, sapiebam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.

Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Secundum in quo describitur differétia capacitatis in audientibus. Quidam enim non nisi parabolis instruuntur, qui adhuc habent rationem totam ad sensum reflexam: & illi dicuntur esse animales sensu. Quidam autem habent rationem ad fidei principia aliquantulum in se stantem, & illi capiunt veritatem interpretationis parabolarum. Quidam autem habent rationem in intellectum diuinorum eleuatam, stantem in lumine diuino: & illi sunt perfecti in veritatis contemplatione, & sunt magistri in diuinis. Primus gradus est idiotarum turbarum. Secundus discipulorum imbuendorum proficientium. Tertius autem perfectorum. De primis dicitur, 1. *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis. De secundis dicitur *Hebr.* 12. In disciplina perseuerate, se vobis tanquam filiis offert Deus. De tertiis dicitur *Mat.* 10. Sufficit discipulo vt sit sicut magister eius. Hos tres status innuit Dominus hic: duos quidé in Discipulis, & vnum in turbis. Profectum enim tangit in Discipulis secundum statum præsentem, sed perfectum innuit secundum statum futurum in eisdem: ruditatem autem tangit in idiotis turbis. Et hoc est quod dicitur.

Quibus ipse] benignus magister, omnibus secundū analogiam vniuscuiusque doctrinam communicans [dixit] *Eccli.* 24. Doctrinam tanquam antelucanum illumino omnibus, & enarrabo eis vsque in longinquum [Vobis datum est] per donum intellectus verbis meis vobis inditum [nosse] hoc est, noscendi potentia, & adhuc perficietur in vobis. Vnde *Matth.* 15. Adhuc & vos sine intellectu estis? hoc est, sine intellectus perfectione [mysterium] Mystin græce, latine est secretum. Et sicut beatus docet *Dionys.* Tota theologia aut est mystica, aut symbolica. Mystica quidem est in his quæ proprie & non velate de diuinis dicuntur: sed secreta sunt propter eleuationem eorum supra nostrum intellectum: sicut Deus, substantia, esse, viuere, & intelligere, & cætera, quæ nude dicuntur. Et hoc capere incipiunt discipuli. Perfectè autem talia docent magistri. Symbolica autem est omnia quæ velata sunt corporali similitudine, in qua diuina aliqualiter capiunt idiotæ. Et hoc est quod dicit.

Vobis] discipulis futuris magistris [datum est] per reuelationem veritatis [nosse] hoc est, noscendi potentia [mysterium] non velatum [regni Dei] hoc est, eorum quæ ad regnum Dei pertinent. Regnum enim Dei, sicut iam sæpius diximus, completa est potestas in distributione boni, & finium, & legum, & ordinum, sine officiorum & graduum diuinorum perfecte consistens [cæteris autem] idiotis de turba [datum est] per fidem inuolutam adhuc noscendi potentia eiusdem regni [in parabolis] hoc est, corporalibus similitudinibus: vt ex his quæ animalis animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit. 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi: quia spiritualiter examinatur. Et *ibidem*. Sapientiam loquimur inter perfectos. Et *infra*. Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam. Tangit autem duos quasi fines parabolicæ doctrinæ, quæ animalibus debetur hominibus. Qui duo fines secundum velationem duorum sensuum disciplinalium accipiuntur: quorum primus est visus, qui inuentioni deseruit. Et hoc est quod dicit.

Vt videntes] ænigmatice in parabola velata diuina [non videant] nuda & aperta mysteria. Et hoc significatur *Num.* 4. vbi præcipitur quod interiora tabernaculi portent inuoluta: quæ tamen nuda & aperta tetigerunt & viderunt Aaron & filij eius. *Exod.* 34. Esto paratus vt ascédas in monté, & nullus ascendat tecum: & oues & boues non pascātur, econtra. Soli enim Moysi licuit videre nuda, quæ simplicibus (qui per oues) & animalibus (qui per boues) videre nó licuit, nisi per signa inuoluta. Et hoc est quod sequitur [& audientes] diuina in signis verborū parabolicis, non intelligant nuda, sed inuoluta. Nec est intelligendum quod Dominus aliquas similitudines proposuerit, vel aliquas parabolas dixerit, quas nullo modo intelligi voluerit. Quia hoc esset præuaricatoris, quod doceret & nollet intelligi. Sed propter analogiam capacitatis idiotis noluit proponere nisi velate: quia nó intelligebant nuda: vt sic aliquo modo viderent quæ simpliciter & nude videre non poterant, & aliquo modo audirent quæ simpliciter & nude intelligere non valebant. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. *Isa.* 43. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: & surdum, & aures ei sunt. Et hoc optime significatur in *Psalm.* 70 Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Deus docuisti me à iuuentute mea & vsque nunc. Qui enim nó cognoscit literaturam spiritus, necesse est vt introeat passibus considerationis in potentias operum Domini mirabilium corporalium, & vt intueatur illa ad suam ædificationem, in quibus velata videt diuina: & memoretur iustitiæ Dei solius, quæ in factis corporalibus, & verbis parabolicis proponitur. Quia sic Deus docet iuuenes mentes vsque nunc, quando proficiunt ad spiritus literaturam intelligendam.

Est autem hæc parabola. Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam: hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam

terram

terram bonam : hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent , & fructum afferunt in patientia.

Eſt autem hæc parabola] boc eſt , parabolici ſermonis explanatio. Vnde *Marc.* 4. dicitur, quod ſeorſum omnia explanabat Diſcipulis ſuis [Semen eſt verbum Dei] Ponit autem hic expoſitionem , & facit duo. Primo enim ponit expoſitionem ſeminis , & innuit expoſitionem ſeminantis,& deinde ex fundi diuerſitate ponit fructus differentiam. Sator enim Chriſtus eſt , & omnis eius vicarius Prædicator. *Iſa.* 37. Seminate , & metite:& quod ſeminatum fuerit , faciet radicem ſubtus , & fructum ſupra. Iſte enim eſt terræ cælique ſator , qui cuncta ſuperoo ducit ab exemplo, quem non exteroæ pepuleruut fiugere caoſæ. Verum inſita ſummi forma boni liuore carens. Vnde etiam ille ſator triplex ſeminat ſemen verbi Dei : ſemen videlicet Verbi increati , ſemen verbi naturaliter inſiti, & ſemen verbi inſpirati. Semen Verbi increati eſt, de quo dicitur *Geneſ.* 22. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *Galat.* 3. & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Hoc autem ſemen in io triplici agro eſt ſeminatum : in agro cordis, in agro vteri virginalis , & in agro ſepulchri Dominici. De agro cordis *Geneſ.* 24. Egreſſus eſt Iſaac ad meditandum in agro. De agro vteri virginalis *Deut.* 8. Benedicas Domino pro terra optima quam dedit tibi. De agro ſepulchri *Matth.* 27. Vt vocaretur ager ille Haceldama , hoc eſt , ager ſanguinis. In corde ſpargitur per notitiam,in vtero per carnis aſſumptam materiam , in ſepulchro per mortis efficaciam. In corde germinat in lumine, in vtero floret omni honeſtatis ſanctitate , in ſepulchro reſurrectionis vigore & immortalitate. De primo dicitur *Ioan.* 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum. De ſecundo *Cantic.* 7. Venter tuus ſicut aceruus tritici , vallatus liliis. De tertio *Iſa.* 21. Erit ſepulchrum eius glorioſum.

Verbum autem naturaliter inſitum ſiue innatum , eſt ſeminatum ſecundum tria , quæ ſunt in verbo. Eſt enim potens, ſicut dicitur *Sapient.*18. Omnipotens ſermo tuus. Eſt noſcens & ſapiens, ſicut dicitur *Eccli.* 1. Fons ſapientiæ Verbum Patris in excelſis. Eſt benignum & ſpiritu plenum, ſicut dicitur in *Pſalm.* 118. Ignitum eloquium tuum vehementer. Igitur ſecundum tria hæc ſeminatur in corde , ſcilicet , poſſe , noſſe , & bene velle. Pater quidem ſeminat poſſe, Filius noſſe,& Spiritus ſanctus bene velle. Virtus enim Altiſſimi obumbrat vt defendatur ſeminatum , ſapientia Filij illuminat vt diffundatur , bonitas Spiritus ſancti irrorat vt in fructum multiplicetur. Sic enim dicitur *Iſa.* 45. Rorate cæli deſuper,& nubes pluant iuſtum : aperiatur terra , & germinet Saluatorem. Sed attritio viæ impedit poſſe , lapidoſitas impedit bene velle , & ſpinoſitas ſolicitudinum impedit noſſe. Secundum poſſe quidem eſt in Prælatis , ſed via tumultuantis turbæ conterit & conculcat. Secundum noſſe ſeminatum eſt in Magiſtris & Doctoribus, ſed duritia cordis impedit ne ſurſum germinet. Secundum bene velle eſt in Religioſis , ſed ſpinæ diuitiarum ſuffocant ne fructum faciens multiplicetur io meritis. *Agg.* 1. Seminaſtis multum , & intuliſtis parum : & qui congregauit merces,miſit eas in ſaccum pertuſum. Semen autem inſpiratum ſunt dona & virtutes, quæ etiam ſeminantur in agro cordis. Et hoc eſt ſemen cui inimicus ſuperſeminat zizania. *Matth.* 13. Domine,nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait, Inimicus homo hoc fecit. Eſt etiam bonum ſemen quod fert fructum centuplum , eleemoſyna de bonis fortunæ ſeminata. 1. *Corinth* 9. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem manducanti: multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Huius autem ſeminis ager eſt pauperes. *Pſalm.* 91. Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Sunt autem quidam qui perdunt ſemina , quæ vel ventus abiicit , vel terra extinguit, vel humor lutoſus non exiccabilis putrefacit. In ventum autem ſeminat qui in faſtu & pompoſis mendaciis verbum prædicat. *Oſea* 8. In ventum ſeminabunt & turbinem metent. *Oſea* 12. Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum. Tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat. De his autem quæ mala terra degenerat & extinguit , dicitur *Ierem.* 12. Seminauerunt triticum, & meſſuerunt ſpinas. Et de his quæ humor malus concupiſcentiæ putrefacit *Galat.* 6. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet:& qui ſeminat in carne , de carne metet corruptionem. Et ideo ſequitur

Qui autem ſecus viam] in qua diabolus per delectabilia & vanitates mundi cor ad duritiam conculcauit. *Num.* 22. Peruerſa eſt via tua mihique contraria [Hi ſunt qui audiunt] auditu exteriori: ſicut via extra ſuſcipit & non intus abſcondit. *Iſa.* 42. Qui apertas habes aures nonne audies? Q.d. Mirum eſt ſi non audis. Hic eſt Heli 1. *Reg.* 3. qui in templo non audiuit interius loquentem Dominum, & non vidit lucernam antequam extingueretur [deinde venit] per acceſſum tentationis [diabolus] *Matth.* 4. Accedens tentator , dixit [& tollit verbum]hoc eſt,cor verbo attractum [de corde] humano [eorum] *Iudic.* 6. Cum ſæuiſſet Iſraël,venit Madian & Amalec & cæteri orientalium nationum. Et ſicut erat in herba , cuncta vaſtabant. Diabolus autem dicitur volucris: quia inſidiando circumuolat. Hæ ſunt aues quas de ſacrificio ſuo abigebat Abraham *Geneſ.* 15. Finem autem à malitia diaboli intentum ſubiungit, quando dicit [ne credentes] fide formata : quæ, ſicut dicitur *Galat.* 5. per dilectionem operatur [ſalui fiant] per gratiam,& à miſeria per gloriam *Ioan.* 3. Vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habebat vitam æternam. *Ioan.* 11. Qui credit in me, non morietur in æternum. Fides enim formata per dilectionem operans ſaluat. *Luc.* 7. Vade in pace, fides tua te ſaluum fecit.

Nam qui ſupra petram] in omni petræ diuerſitate quæ ſupra determinata eſt: tamen ſpecialiter ſecundum modum tangere videtur , vbi parum terræ ſuper ſuperficiem petræ eſt expaſſum,& hoc eſt in calido vſtiuo incenſum. *Act.* 7. Dura ceruice & indomabili corde vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis [hi ſunt] per ſignificationem [qui cum audierint] auditu exteriori ad interiorem relato [cum gaudio] ex leuitate animi procedente , non ex deuotione [ſuſcipiunt verbum] cum potius in timore & deuotione eſſet ſuſcipiendum. *Iſa.* 26. A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturiuimus,

tutiuimus, & peperimus spiritum salutis [& hi radices] in profundum fixas, quæ est intellectus veritatis cum pietate, & affectus charitatis cum deuotione, & timor castus & initialis cum humilitate [non habent] *Isa.* 40 Equidem neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum: repente sufflauit in eos, & aruernnt, & turbo qoasi stipula auferet eos. Et hoc est quod sequitur [quia ad tempus credunt] prosperitatis *Psalm.* 48. Confitebitur tibi cum benefeceris ei [& in tempore tentationis recedunt] à fide, & negant. *Ioan.* 6. Durus est hic sermo: quis potest eum audire? & abierunt retrorsum. *Sapient.* 4. Si in ramis in tempore germinauerint infirmiter posita, à vento commouebuntur.

Quod autem in spinas cecidit] vmbrosas, seculi solicitudines & punctutas solicitudinum. *Genes.* 3. Spinas & tribulos germinabit tibi [hi sunt qui] quandoque quiere solicitudinibus interposita [audierunt] exterius, & cum aliquo motu interiori [& à solicitudinibus] quæ sunt punctutæ ex spinarum aculeis [& diuitiis] quæ sunt stipites spinarum circumpositi dum labore acquiruntur, timore possidentur, & cum dolore deseruntur. Vnde versus.

Diues diuitias non congregat absque labore,
Nec tenet absque metu, nec deserit absque dolore.

Hebr. 6. Terra proferens spinas ac tribulos reproba est, & maledictioni proxima. *Isa.* 32. Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent [& voluptatibus vitæ] Iste est niger humor spinæ, de quo fit incaustum, quod immobili colore omnia denigrat. Vnde etiam nigram spinam emittit. Obscœna enim voluptas vitæ, totam denigrat vitam. *Thren.* 4. Denigrata est super carbones facies eorum [suffocantur] hoc est, subtus occantur. 1. *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem [& non referunt fructum] nisi forte accasia, quæ tussim excitant & inducunt strangulationem. *Rom.* 6. Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est *Sapient.* 5. Quid nobis profuit superbia? & quid diuitiarum iactantia contulit nobis?

Quod autem in terram bonam] cuius conditiones supra explanatæ sunt, hoc est, in cor bonum, deuotione pingue, lacrymis humidum, doctrina Sanctorum compluuium, gratia irrotatum, sarculo disciplinæ fossum, per confessionem & per pœnitentiam à malis stirpibus expurgatum, fimo dolorosæ recordationis peccatorum fimatum, æqualitate virtutis adæquatum, meditatione sanguinis Christi ad fertilitatem redactum. Hæc enim est terra bona si austrino flatu Spiritus sancti sit perflata, & limpidissima contemplatione soli exposita. Et de omnibus his superius habitum est. De primo enim dicitur in *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. De secundo in *Psalm.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo De tertio *Isa.* 45. Nubes pluant iustum. De quarto *ibidem.* Rorate cæli desuper. De quinto *Osea* 10. Arabit Iudas & confringet sibi sulcos Iacob. De sexto *Ierem.* 1. Vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes. De septimo *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. De octauo *Isa.* 28. Cum adæquauerit terram suam, seret. De nono *Matth.* 27. Vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Secundum naturam enim terra pinguis humano sanguine multum est ferax. Ouidius in Epistolis.

Luxuriat rigido sanguine pinguis humus.

De decimo *Cantic.* 4 Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum. De vndecimo *Matth.* 5. Solem suum facit oriri super bonos & malos. Lumen enim solis viuificum est: & ideo causam generationis in circulo decliuo solis Philosophi esse dixerunt. Tale igitur est cor significatum per terram bonam. Vnde dicit.

Hi sunt] significati [qui in corde bono] per disciplinæ & virtutis exercitium [& optimo] per internæ contemplationis & consolationis solatium. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum [audientes] interiori auditu spiritus [verbum] quod est eum amore notitia, potens, luminosum, & spiritu plenum, & sanctum [retinent] memoria, affectu, & operis impletione. De primo quorum dicit *Psalm.* 136. Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui. De secundo *Ierem.* 20. Factus est sermo in corde meo quasi ignis exæstuans: & laboraui, ferre non sustinens. De tertio *Matth.* 7. Omnis qui audit verba mea & facit ea, similis est homini ædificanti domum suam supra petram. *Apoc.* 1 Beatus qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt [& fructum] centesimum [afferunt in patientia] tribulationum quæ insurgunt propter verbum. *Iacob.* 1. Patientia opus perfectum habet: vt sitis perfecti & in nullo deficientes. *Hebr.* 10. Patientia vobis necessaria est vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones. *Iacob.* 5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum.

Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed super candelabrum ponit, vt intrantes lumen videant.

Hic tangit modum doctrinæ sacræ quem debet habere ex parte docentis. Et dicuntur hic duo: modus scilicet doctrinæ, & verificatio siue probatio modi per exemplum, quando Christus suam doctrinam sub modio carnalis affectus non abscondit. In primo autem horum tria dicuntur, quorum primum est proprius modus doctrinæ sub metaphora propositus. Secundum est idem modus per sermonem explicitum explanatus. Tertium est comminatio & promissio fideliter vel infideliter docentis, per quæ Doctor redditur instans & cautus: instans quidem doctrinæ per incrementum boni, quod fideliter docenti promittitur: cautus autē per subtractionem habiti boni, quod amittit qui fideliter doctrinæ non institerit. Et hæc patent in litera. In modo autem metaphorico doctrinæ quem præmittit, quinque innuit, quorum primum est lucerna, & lucernæ proprietas. Secundum autem lucernæ eiusdem accēnsio quam innuit. Tertium autem est locus lucernæ incompetens in quem non ponitur. Quartum

autem locus lucernæ congruus in quo locatur. Quiorum autem est debitus lucernæ vsus.

Lucerna autem est lumen clausum & circundatum perspicuo corpore, sicut est vitrum, vel crystallus, vel pellis, vel pannus transparens & albus. Vnde *Gregor.* dicit quod lucerna est lumen in testa. Lucerna igitur est triplex: Prælatus videlicet, sermo parabolicus, & sermo sonans creatus. Et de his lucernis hic fit secundum literam mentio. Præter has autem lucernas, dicitur lucerna Christus, dicitur lucerna Baptista Ioannes. Sed ambo isti in figura Doctorum Ecclesiæ dicuntur. In Christo enim lux verbi diuini, in humana claritate perusa (quam peccati tenebra non offuscat) lucerna vocatur. *Iob* 29. Splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Hæc est lucerna quam sapiens mulier, sapientia diuina accendit, & domum euertit donec inueniat drachmam quam perdidit *Matth.* 13. De præcone autem huius lucernæ (qui lucem veritatis in vita pura exhibuit) dicitur *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. De Apostolis autem & Doctoribus dicitur in *Psalm.* 131. Paraui lucernam Christo meo. Illi enim lucem doctrinæ vita peruia & perspicua præbent: sicut dicitur *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Sermo autem parabolicus continet veritatis lucem sub similitudine perspicua. Et ideo hic vocatur lucerna. *Psalm.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Similitudinibus enim congruis docet vbi intellectus & affectus pedem ponamus. Verbum etiam creatum, Verbum increatum in se continens lucerna vocatur: sicut in *Prouerb.* 6. dicitur, Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Hæc enim omnia lucem continent diuinam, ad illuminandum his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Vnde hæ quinque lucernæ sunt. Et sexta (de qua hic non fit mentio) est pura in prædicando intentio: quæ etiam est vas lucis ad lucem æternam relata, non nobis lucens, sed Deo: de qua *Matth.* 6. Lucerna corporis est oculos tuos. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Est etiam lucerna, fulgor honestæ conuersationis, vbi virtus vt lumen splendet in operibus perspicuis. *Eccli.* 26. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, species faciei super ætatem stabilem.

Vel possumus dicere quod omnes istæ septem lucernæ stant super vnum candelabrum in templo Domini. Quia Prælatus in fundamento fidei splendet, lucerna Christi, in præcursionis & præparationis officio. Hæc lucerna præcursoris in flamma sapientiæ habet fulgorem propriæ dignitatis, in modo coaptationis sui ad auditores habet lucernam parabolæ, in doctrina sapientum habet lucernam verbi Dei, in puritate intentionis habet lucernam oculi, & in luce conuersationis habet lucernam speciei. Hæc lucerna lippientibus oculis Heli extincta est & non visa: & ideo condemnatus est 1. *Reg.* 3. His lucernis scrutatur Dominus Ierusalem, hoc est, Ecclesiam *Sophon.* 1. Hæ sunt septem lucernæ in candelabro *Exod.* 25. Et *Zach.* 4. vbi dicitur, quod super lapidem vnum septem oculi sunt, qui has septem lucernas designant. De accensione autem lucernæ subiungit, dicens.

Accendens] Succenditur autem lucerna prima, flamma diuinitatis. *Isa.* 62. Donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Lampas enim græce, latine flamma dicitur. Hæc debet ardere in corde Prælati, vt timeatur, & reuerentia sibi exhibeatur, & vt peccati rubigo in conspectu eius comburatur. *Deuter.* 4. Deus noster ignis consumens est. Lucerna autem eius in præcursionis officio ignescere debet zelo rectitudinis, & lucere luce cælestis castitatis. Vnde *Iob* 38. Nunquid produces luciferum in tempore suo? Lucerna autem ecclesiasticæ rectitudinis accendi debet igne charitatis Dei, & lucere luce claritatis & sanctitatis. *Eccli.* 48. Surrexit Elias sicut ignis: verba eius ardebant vt facula. Lucerna autem parabolicæ similitudinis, accendi debet igne veritatis, & lucere luce propriæ adaptationis. *Iob* 38. Indica mihi per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram. Lucerna autem vocalis verbi, accenditur igne diuino Spiritus sancti. *Psalm.* 118. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Lucerna autem rectæ intentionis accenditur flamma piæ deuotionis. *Psalm.* 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Lucerna vero lucidæ conuersationis tota accenditur flamma charitatis Christi *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? Sic est omnis lucerna ardens & lucens. Hanc igitur lucernam sic accensam nemo

Operit vase] Ecce locus incongruus huic lucernæ. Et tangit duo lucernam hanc offuscantia, quorum vnum pertinet ad mensuram, alterum autem ad quietem resolutam. Id autem quod pertinet ad mensuram capacitatis, est quod dicit [& operit sub vase] quod *Matth.* 5. modius vocatur. Et duo in ipso intelliguntur: capacitas scilicet auaritiæ, & capacitas vnius gentis Iudææ. Non enim lux Euangelica concludi debet sub mensura lucri auaritiæ, nec sub pretio ponatur inpretiabile. Nec etiam, sicut dicit *Hieron.* concludatur sub terminis vnius gentis Iudææ vel alterius. De primo dicitur *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. 1. *Corinth.* 9. Euanglium annuntians, sine sumptu ponam illud, vt non abutar potestate mea in Euangelio. De secundo *Isa.* 49. Parum est mihi vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Id autem quod pertinet ad quietis resolutionem, tangit cum dicit [Neque sub lecto] Omne autem id in quo quiescit resolutus animus, nomine lecti significatur: & sunt commoda propter quæ lumen prædicationis obscuratur, & aliis non ostenditur. *Cantic.* 3. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Non enim tenebras noctis diligit: quia qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Sic ergo veritas sub modio carnis non est abscondenda.

Sed ponit super candelabrum] Ecce locus lucernæ Dei congruus. Et tangit duo: positionem factam ab alio, & candelabrum. Positio autem est ab alio superiori facta vocatio. *Hebr.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Candelabrum autem dignitas Ecclesia

Ecclesiastica. *Apoc.*1. Hoc dicit, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Septem enim candelabra est ecclesiastica dignitas, septem donis sancti Spiritus illustrata. Aurea autem sunt propter deitatis fulgorem in eis. Isti sunt septem spiritus qui in conspectu throni eius sunt. In loco illo igitur ponitur. Tangit autem huius lucernæ communem & generalem vsum [vt intrantes] in Ecclesiam per ostiarium & ostium Christum *Ioan.*10. [videant lumen] veritatis & cælestis conuersationis, & ædificentur ad fidem per veritatem doctrinæ, ad mores autem per lumen conuersationis diuinæ. *Ephes.*3. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, prædicare inuestigabiles diuitias Christi & illuminare omnes. *Baruch* 3. Stellæ luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas. Hoc est Deus noster: & non æstimabitur alius ad eum.

Non enim est occultum quod non manifestetur: nec absconditum quod non cognoscatur, & in palam veniat. Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicunque non habet, etiam quod putat se habere auferetur ab illo.

Ecce figuratæ locutionis & parabolici sermonis ponit expositionem. Et est antipophora. Quasi aliquis quæreret. Dixisti sermonem parabolicum: vt videntes non videant, & hunc commisisti lucernis, quarum lumen omnes intrantes debent aspicere. Quid ergo? Debetne occultum reuelari? Et ostendit quod sic. Quod enim prius velatum committitur rudibus, propter hoc exponitur perfectis: vt ab ipsis perfectis, aliis ad perfectionem proficientibus reueletur: quia aliter nemo proficeret, & nullus de discipulo efficeretur magister. Dicit autem circa hoc duo: vnum quidem de occulto similitudine corporali inuoluto: alterum de abscondito, oculis spiritualium virorum ostendendo. Dicit ergo.

Nihil enim] diuinorum [est occultum] velatum parabolis: quod sub modio pretij sit reponendum, aut sub lecto corporalis voluptatis recondendum: quia nec pretium nec voluptas teneant vos nisi manifestetis [Non enim est occultum] hoc est, sub velaminibus clausum. *Isa.*45. Vere tu es Deus absconditus. *Apoc.*2. Dabo ei manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit [quod non manifestetur] hoc est, intellectui proficienti paulatim aperiatur. Intellectus enim velatus continuo & tempore, & materialis, non nisi velata accipit. Si autem auferatur velamen per laborem proficientis, & diligentiam Doctoris: tunc manifesta erunt abscondita quæ prius erant in tenebris. 2.*Corinth.*3. Cum conuersus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Deus enim spiritus est. Vnde *Augustinus*. Nesciebam quod palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis: & oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis. Hoc enim nostri intellectus defectui ex peccato accidit: sicut dicit *Psalm.*38. Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Et ideo à saluatore nos sapientia Dei, iterum reuelato intellectu proficere possumus ad veritatem. *Psalm* 118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Sic ergo duobus modis iuuatur ad manifestationem: emundatione cordis. *Matth.*5. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Et diligentia Doctoris exponentis veritatem. *Apoc.*5. Dignus est agnus qui occisus est, aperire librum, & soluere signacula eius. Sic Philippus imbuit eunuchum, Candaces reginæ sedentem in curru *Act.*8. Sic Petrus Cornelium *Act.*10. Sic Christus Nicodemum *Ioan.*3.

Neque absconditum] Absconditum est quod est procul in profundum à notitia hominum conditum. Et hoc est quod mysticè in diuinis est dictum: hoc enim à notitia hominum est remotum; hoc enim est super intellectum, & super rationem, & super linguam, vt dicit Sapiens. Et non deficiunt linguæ à narratione eius, nisi propter excellentiam naturæ & altitudinis ipsius: sicut sunt ea quæ de Deo sunt. Quia, sicut dicit *Dionys.* cum ad diuina verba attollimus, perfectam irrationalitatem inuenimus, & quid loquamur nescimus. Abscondita etiam sunt futura quæ prædicta sunt per Spiritum sanctum. *Act.*1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Daniel.* 12. Claude sermones & signa librum vsque ad tempus statutum. Hæc autem abscondita cognoscentur: primum quidem à Doctoribus veritatis, & tunc in palam venient per doctrinam ipsorum. Et hoc est quod dicit [quod non cognoscatur] sicut dicitur *Ioan.*16. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. Hoc enim cognoscere facit Spiritus, de quo dicitur *Ioan.*14. Spiritus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. *Iob* 28. Sapientia abscondita produxit in lucem [&] sic [in palam veniat] Sic enim discipuli quod in aure audiunt, prædicant super tecta *Matth.*10. Sic *Ierem.*21. *Hebr.*9. Erunt omnes Deo docibiles. Et hoc est quod dicit. Cautos autem omnes reddens circa huiusmodi profectum, subiungit.

Videte] hoc est, diligenter attendite vobis [quomodo audiatis] hoc est, ad quem & quantum profectum, non intellectus tantum, sed etiam spiritus & vitæ, percipitis ea quæ dicuntur. *Act.*20. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos posuit Deus rectores & Episcopos regere Ecclesiam quam acquisiuit sanguine suo. 2.*Timoth.*4. Attende tibi & doctrinæ. Bene dico quod attendatis: quia [quæ habet] in talibus conatum & studium [illi dabitur] perfectio intellectus mysteriorum occultorum. Qui enim in talibus habet, non habet nisi principia, sine quibus nullus aliquid potest accipere. Vnde *Ioan.*14. Quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Nullus enim aliquid accipit per doctrinam, cuius principia apud se prius non habuit. Et ideo habenti diuina, iam in parabolis & occultis & absconditis, dabitur intellectus veræ contemplationis. 1.*Corinth.*2. Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis [Et quicunque non habet] hæc rudimenta fidei in parabolis & occultis [etiam quod putat se habere] de lumine intellectus naturalis, quod non vere habetur nisi ad diuina referatur. Ad mundum

enim relatum putatur haberi, & non habetur: quia obnubilatum habetur, & hoc non vere habetur. *Apoc.* 3. Dicis quia diues sum & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper [aufertur ab eo] *Matth.* 25. Auferte ab eo mnam, & date illi qui habet quinque mnas *Matth* 13 Omni habenti dabitur & abundabit. Qui autem non habet, etiam illud quod videtur habere, auferetur ab eo. Hoc modo *Dan.* 4. Cor Nabuchodonozor mutatum est ab eo, & cor feræ datum est ei Hoc modo dicitur *Rom.* 1. quod obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, & dati sunt in reprobum sensum. Et ideo multum cauendum est in auditu verbi vt audiatur & proponatur ad profectum.

Venerunt autem ad illum mater & fratres eius: & non poterant adire eum præ turba. Et nuntiatum est illi: Mater tua & fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respondens dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt & faciunt.

Hic incipit pars illa quæ cautos reddit Doctores, ne sub lecto vel vase carnalis affectus ponant lucernam. Reddit autem cautos per exemplum. Dicuntur autem hic tria. Primum est carnalium amicorum ad Christum dispensatiuus aduentus. Secundum est tentatiuus cuiusdam de amicis quærentibus nuntiatus. Tertium autem sapientissimus à Christo factus responsionis modus. De primo dicit [Venerunt autem] dispensante sapientia Dei, vt exemplo suo Doctores veritatis instruerent [ad illum] hoc est, ad Christum [mater] quæ præcipuo honore erat digna. *Tobiæ* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ [& fratres] consobrini & consanguinei. Multipliciter enim dicuntur fratres, sicut notatum est super *Matth.* 12. Contribules enim dicuntur hic fratres Et non, sicut dicunt Ebionitæ hæretici, ex eadem matre post Christum nati. *Iob* 19 Fratres mei elongauerunt à me, & noti mei tanquam alieni recesserunt à me [Et non poterant adire eum præ turba] Tanta enim erat virtus verborum eius, quod certatim se comprimebant ad audiendum eum. *Aggæi* 2. Veniet desideratus cunctis gentibus Turba enim deuotione sua hic excludit propinquos carnales: & hoc est gloria Doctoris. *Isa.* 60. Videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.

Et nuntiatum est illi] Ecce secundum *Gloss.* vult quod ab aliquo tentante sit factum istud nuntium volente experiri si spiritualia intermitteret propter carnale affectum. 2. *Corinth.* 6. Nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem: & si cognouimus per carnem Christum, sed iam non cognouimus Vel potest dici, quod non tentando sed bono affectu nuntiauit: quia nihil mali fecit, nisi quod tempus opportunum non expectauit *Eccle.* 3. Omnia tempus habent. Nuntians autem sic dixit [Mater tua] cuius venter beatus est qui te portauit, & vbera quæ suxisti *Luc.* 11. [& fratres tui] tibi per eandem matrem tam dignam coniuncti, quorum affectu merito debes moueri [stant] lassi [foris] ad æstum & aëris intemperiem: quibus est condescendendum. *Cantic.* 5. Aperi mihi soror mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. [volentes] ex affectu intimo cupientes [te videre] propter hoc quod omnes te videre desiderant. *Ioan.* 12. Domine, volumus IESVM videre Tuis igitur plus teneris quam alienis. *Leuit.* 19. Diliges fratrem tuum sicut teipsum.

Qui respondens, dixit ad eos] Tertium est in quo est & confutatio tentantis, & præpositio spiritualis operis, & propinquitatis: & tamen nulla abnegatio carnalis propinquitatis [Mater mea] in cuius corde formor. *Galat.* 4. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. *Isa.* 26. Quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Hæc est mater honoris & honestatis *Eccli.* 24 Quæ *Apoc.* 12. clamat in doloribus zeli & charitatis, & parit filium masculum, qui raptus est ad Deum & ad thronum eius [& fratres mei] ex eodem patre per gratiam. & ex visceribus castitatis eiusdem matris per charitatis affectum, & non carnis conceptum nati. *Ioan.* 20. Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum [hi sunt] secundum spiritum: quia dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt [qui verbum Dei audiunt] ad intellectum & affectum: quia illi sunt filij matris sapientiæ. *Eccli.* 4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit. Verbum enim est per quod facta sunt omnia. Et qui formantur forma Verbi, efficiuntur filij Dei, & in forma Dei per Verbum. *Psalm.* 81. Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes. *Isa.* 60. Opus manus meæ germen plantationis meæ ad glorificandum [& faciunt] in opere. Tales enim virtutum doctrinæ & intellectus, stant in opere: quia in opere est perfectio vltima. *Iacob.* 1. Qui perspexerit se in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. *Luc.* 11. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Sic ergo terminata est pars de modo docendi.

Factum est autem in vna dierum: & ipse ascendit in nauiculam, & Discipuli eius: & ait ad illos, Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.

Hic incipit pars quæ est de verbi prædicati potentia in qua ipsos confirmat discipulos ad fidem verbi, quod committitur eis prædicandum Necesse enim est quod prius ipsam potentiam verbi Dei videant & experiantur: & quod postea committatur eis eadem potestas: hoc enim statim constanter fiet in capitulo sequenti. Et in hoc est perfectio ordinis Apostolici & Episcopalis. Ostenditur autem verbum Dei omnipotens in mundo maiori, & in mundo minori, hoc est, in homine propter quem mundus maior siue macrocosmus factus est. Sicut enim dicit *Plato.* Vniuersitas rerum in quatuor mundis consistit, ita quod in quolibet tota sistit; in mundo scilicet ideali, qui

est

est paternus intellectus Dei Deorum, qui opifex & pater existit omnium aliorum. Et hic mundus vere mundus est: quia nihil inquinatum incurrit in ipsum: qui, sicut dicit Boëtius,

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse,

Similique imagine formans.

Et hic mundus, vt dicit *Augustinus*, est sapientia & Verbum Dei: & ideo potens super tres alios mundos faciendi in eis quicquid voluerit. Secundus, in quo vniuersitas rerum consistit, est prima materia, sicut dicit *Gregor.* Vnde *Eccli.* 18. Qui viuit in æternum creauit omnia simul, in prima materia. Tertius, in quo consistit rerum vniuersitas, est tota continentia cæli & terræ & omnium quæ in eis sunt. In quo mundo est vniuersitas formis distincta, & virtutibus propagata, quæ perfecta est ex Verbo Dei, in quo sunt omnia vita & lux. *Ioan.* 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sicut enim dicitur in Lib. De intelligibilibus. Quæcunque sunt in primo motore per rationem & ideam, sunt in prima materia per potentiam, & in mundo sensibili per formam distinctam. Quartus autem, in quo est rerum vniuersitas, est anima hominis quæ est imago mundi, vt dicit *Trimegistus*, in qua resultant omnia per imaginem cuncta ambientem. Sensibilia quidem per partem sensibilem, intellectualia autem per intellectum potentialem, qui est omnia fieri, sicut dicit *Philosophus*. Omnia autem hæc continet mundus primus, qui vere & secundum causam mundus est. Et ideo in aliis facit quicquid voluerit.

Hoc autem verbum in omni virtute sua committitur prædicandum Apostolis, & Apostolicis Episcopis: & ideo conueniens est vt virtutum eius accipiant verum experimentum, tam in mundo sensibili, quam in mundo minori. In mundo autem sensibili dupliciter ostendit virtutem: in creatura videlicet corporali, & in creatura spirituali incorporea, virtuti verbi contraria, hoc est, in dæmonibus quorum legionem compescit, & sibi seruire facit: sicut patet in sequenti miraculo. In isto autem miraculo ostendit se esse potentem verbo, in aqua per tempestatis sedationem, in aëre per ventorum quietationem, in terra per vaporis terrei qui est ventus, repressionem: & in cælo per hoc quod lunam compescuit, ne talem ventum suscitaret qui mare moueret.

Diuiditur autem historia hæc in tres partes, in quarum prima continentur quæ pertinent ad nauigationem, in qua factum est miraculum: in secunda omnia ponuntur quæ aggrauant tempestatis periculum: in tertia autem ea quæ perficiunt miraculum. In prima harum continentur quatuor, in quorum primo Euangelista ponit continuationem historiarum: in secundo Domini præparatam nauigationem: in tertio Discipulorum confirmandorum cum Domino associationem: in quarto Domini ad nauigandum dispensatoriam ad Discipulos exhortationem. In primo horum non dat continuationem temporis, sed potius dicit continuationem ordinis quam sæpe diximus, in qua fides verborum probatur per mirabilia facta operum verbo subiacentium. Et hoc notat cum dicit.

Factum est autem] in sapientia æterni Verbi [in vna dierum] hoc est, in aliqua dierum, quæ non nominatur ne ordo temporis requiratur. Non enim facta Domini subiacent tempori: sed & tempus & omnia alia subiacent factis Domini. Vnde Boëtius.

Qui tempus ab æuo
Ire iubes.

Vnde *Act.* 1. Tempora & momenta Pater posuit in sua potestate.

Et ipse ascendit] Ecce secundum [Ascendit] autem, cuius omnis actus ascensio est. *Psalm.* 83. Ascensiones in corde suo disposuit. Vnde cum etiam ad passionem iret, cuius hæc nauicula figura est, ascendisse perhibetur. *Matth.* 20. Ecce ascendimus Ierosolymam. Ascendit autem, dum nos ascendere facit. *Luc.* 5. Ascendit in vnam nauim quæ erat Simonis, & dixit: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturā [in nauiculam] quæ natura, vsu, & quantitate passionem crucis significat: natura ligni, vsu gubernationis, quantitate diminuta humilitatem significat Christi in passione: & hæc tria simul continentur *Sapient.* 14. Vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare, per ratem liberati sunt. Sic etiam Ecclesia à Christo gubernata crucis gubernaculo, nauis dicitur. Et bene competit. *Prouerb. vltim.* Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum, hoc est, de vltimis finibus cæli afferens per opus redemptionis.

Et Discipuli eius] Ecce Discipulorum confirmandorum associatio. Tota enim familia domus Domini cum Domino ingreditur in nauim: quia extra nauim non est salus. *Genes.* 7. Ingredere tu & omnis domus tua tecum in arcam. Te enim vidi iustum coram me. *Luc.* 11. Qui non colligit mecum, dispergit: & qui non est mecum, contra me est. Ideo dicit *Luc.* 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

Et ait ad illos] Ecce dispensatoria ad nauigandum exhortatio. Et dicuntur duo: exhortatio Domini cum præsciret quidem esset futurum, & simplex obedientia Discipulorum. Exhortando enim dicit [Transfretemus] hoc est, trans fretum siue stagnum quod fretum vocatur hic, nauigemus. *Ioan.* 6. Ipse enim sciebat quid esset facturus. Et ideo dispensatorie hanc fecit exhortationem. *Habac.* 3. Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum. Notatur autem diligentia Domini in prædicando cui non sufficit in vna parte prædicando discurrere, nisi etiam transiret ad aliam ripam & ibi prædicaret. Notatur etiam transitus eius cum Discipulis ab isto litore ad aliud litus æternitatis. *Isa.* 16. Propagines eius relictæ sunt, transierunt mare. Relictæ enim nobis propagines, sunt Apostoli & Discipuli, qui maria transeuntes, & nobis prædicauerunt, & nos ad litus æternitatis transuexerunt. *Isa.* 23. Transfretantes mare repleuerunt te. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius. Isti sunt enim qui mare transfretantes cum Domino aquis suæ doctrinæ repleuerunt: & semine Nili (qui est vnus fluuiorum paradisi) quod est verbum Dei, fruges fidei & iustitiæ in nobis, irrigauerunt corda ad fructum faciendum. Deus autem dedit incrementum. 1. *Corinth.* 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Et ascenderunt] Ecce discipulorum obedientia,

cia, qui cum Domino in nauiculam Ecclesiæ & obedientiæ crucis ascenderunt. *Matth.* 10. Qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. De aliis enim potest dici: In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Sed de Discipulis: Vias enim in aquis tribulationum cognouerunt. *Prou.* 30. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, Viam aquilæ in cælo, Viam colubri super petram, Viam nauis in medio mari, & Viam viri in adolescentia Viam aquilæ in cælo cognoscit, qui oculo contẽplationis cum Christo peruolat altiuola cõtemplatione cælestia. Viam colubri super petrã cognoscit, qui viam sapientiæ Christi in fundamẽto veritatis Ecclesiasticæ perspicaciter peruidet cum Petro, qui hanc veritatẽ illuminatus à Deo perspexit. Viã nauis in medio mari cognoscit, qui gubernationem Ecclesiæ à Christo per crucem factã, per mysterium cognouit. Viam autem viri in adolescentia inuestigat, qui vias incarnationis in visceribus Beatæ Virginis, vel in iuuentute humanitatis assumptæ perspexit. Et hoc quidem nemo ad plenum cognouit, nisi Christus. Discipuli autem secuti vestigia conditoris secundum partem aliquã cognouerunt, & ideo obedienter cum Christo ascenderunt.

Nauigantibus autem illis obdormiuit.

Hic incipit occursus periculi, de quo saluat suos Saluator. Dicuntur autem hic quinque, quorum primum est insufficiens contra periculum adiutorium hominis. Secundum est ad tempus dissimulatio auxilij Saluatoris. Tertium est causa periculi nauis. Quartum ipsius periculi violentia vires hominum superexcellentis. Quintum autem est præsentia periculi iam imminentis Hæc autem per singula patent in litera. Insufficiens enim contra periculum adiuturium hominis tangitur per hoc quod dicitur [Nauigantibus autem illis] Non enim est aliquid ex arte & labore hominis adiutorium contra periculum tempestatis, nisi nauim in ventum vertere & fortiter nauigare. Et innuitur per hoc quod existentibus in periculis auxilium & consilium humana non sunt refutanda. Et quando deest auxilium hominis, requirendum est auxilium diuinum. *Iona.* 1. Remigauerunt viri vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat & intumescebat super eos. *Eccli.* 43. Qui nauigant mare, narrant pericula eius [obdormiuit] Ecce ad tempus dissimulatio auxilij Saluatoris. Causa autem dormitionis est lassitudo prædicationis & vexatio turbarum in procuratione salutis: sicut expressè dicitur *Marc.* 4. Assumunt eum ita vt erat in naui. Non enim aliæ naues erant cum illo. Confutatur autem & Manichæus qui dixit Christum verum hominem non fuisse. Quia si verus homo non fuit, verè humana non est passus, sicut somnum, & vigiliam: cuius contrarium hic dicitur. Dicit etiam *Marcus* quod erat ipse in puppi super ceruical dormiens: quæ solatia, nisi verus homo fuisset, nullo modo quæsiuisset: innuens per hoc quod & nos in laboribus solatia necessitatis accipere, & nobiscum possumus portare. Sicut autem dicit *Origenes*, Mira res esse videtur, quod dormit qui nũquam dormit. *Psalm.* 120. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël. Sed dormit secundum humanitatem, & semper vigilat & insomnis est secundum deitatem. *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Ceruical autem super quod dormit, non est nisi ad reclinationem capitis: docens nos per hoc, quod si accipimus recreationem lassitudinis, ad necessitatem accipienda sunt & non ad voluptatem & resolutionem. *Amos* 6. Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Vnde etiam non legitur quod aliquem Dominus in lecto iacentem curauit. Sed *Ioan.* 6. dicitur, quod curauit eum qui iacebat in grabbato, qui sola necessitate etiam in infirmitate fuit contentus. Grabbatum enim est lectulus, in quo solum quiescit caput. Et dicitur à grabba quod hebraice sonat caput.

Videtur autem contrarium ei quod dicitur *Matth.* 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput quando voluit reclinauit. Et dicendum, quod in veritate sicut *Marcus* innuit, tunc propter laboris lassitudinem, Discipuli secum in nauim ceruical assumpserant: cuius signum est quod ita citò obdormierat. Non enim ita citò obdormiuisset nisi multum laborasset, nec ita fortiter dormiret in tanto motu nauis, nisi multum fatigatus fuisset. Dormire vero istud in naui signat dormitionem mortis in cruce. *Psalm.* 3. Ego dormiui, & somnum cepi, & exurrexi quoniam Dominus suscepit me.

Et descendit procella venti in stagnum, & compellebantur, & periclitabantur.

Ecce causa periculi nauis. Et tanguntur quatuor: modus scilicet impulsionis, impetus concussionis, causa euersionis, & loci dispositio tempestati congruens & habilis. Modus impulsionis tangitur cum dicitur [descendit] Dum enim ventus in alto est & flat, non multum mare concutit: quia tunc aërem transcendit, & non multum impellit inferiora: sicut videtur aliquando in nubibus altissimis, quæ mouentur à vento, & inferius ventus vel non sentitur, vel parum percipitur: Sed quando grauatur venti materia, signum est quod continuo à vapore terreo forti regeneretur, & tunc fortissimus ventus efficitur & ad inferiora concurienda sua naturali deiicitur grauitate. Vnde *Matth.* 7. Factus est motus in mari. *Iona* 1. Dominus immisit ventum magnum in mari, & facta est tempestas magna, & nauis periclitabatur continuo. Et istum ventum præcepit Dominus oriri ad probationem Discipulorum. *Psalm.* 106. Ascenduunt vsque ad cælum, & descendunt vsque ad abyssum: anima eorum in malis tabescebat.

Procella] Ecce impetus concussionis. Procella enim est quando ad modum collium & montium intumescit mare, siue stagnum interpositis vallibus semper inter duas procellas: quia tunc nauis inæqualiter ascendit ante, & descendit retro: & timor est ne inter duas procellas absorbeatur. *Iob* 27. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. *Nahum* 1. Dominus in tempestate, & turbine viæ eius. *Iona* 2. Gurgites tui & fluctus tui super me transierunt. *Psalm.* 68. Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

Venti] Ecce causa euersionis. Ventus enim, sicut

ſicut dicit *Auicen.* eſt fortiter impellens elementum, quod in ſe non eſt terminabile, & ſemper à ſitu vno in alium euertens. *Act.* 27. Miſit ſe contra nauim ventus typhonicus, qui vocatur euroaquilo: & cum arrepta eſſet nauis, & non poſſet conari in ventum: data naue flatibus, ferebamur, hoc eſt, iactabamur. Et hoc maxime contingit quando mixtim flant venti oppoſiti. *Dan.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.

In ſtagnum] Ecce locus periculo conueniens & habilis. Si enim eſſet fluens aqua, fluxus procellas diſtraheret: ſed quando ſtat, ad impetum venti tota mouetur aqua ventum expectans, & à fundo illius eleuatur ventus totam aquam criſpantibus vndis in procellas conuertens motu inordinato. *Iob* 41. Feruеſcere facit profundum mare; ſicut cum vnguenta bulliunt. *Pſalm.* 68. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Deſcenſus autem iſte impetum ſignificat ſuggeſtionis diabolicæ. *Ezech.* 1. Ventus turbinis veniebat ab Aquilone. *Iob* 1. Ventus vehemens irruit à regione deſerti. Et dicitur deſcendere: quia deorſum fluere facit. Et fluit iuxta interpretationem nominis diaboli, qui deorſum fluens interpretatur. Procella autem ex iſto flatu cauſata, procelloſa concupiſcentia, *Pſalm.* 148. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum. Ignis quidem libidinis. Grando percuſſionis in violenta tentationis. Nix in frigiditate deuotionis. Glacies algidæ charitatis. Spiritus ſuggeſtionis, procellarum in motu libidinoſi humoris. Hæc enim omnia confunduntur in tentatione dæmonis. *Sap.* 5. Stabit contra eos ſpiritus virtutis, & flumina concurrent duriter. Hæc omnia irruunt in ſtagnum vani cordis.

Et complebantur, alias, compellebantur, & periclitabantur] Hic tangitur ipſius periculi violentia vires hominis excedentis. Et ideo dicuntur duo: exceſſus ſcilicet periculi ex parte nauis, & exceſſus ex parte virium hominis. Ex parte nauis quidem, cum dicit [Et complebantur] hoc eſt, nauis incepit impleri aqua: quia vento eam inclinante ſæpius hauſit aquam. Vnde *Matth.* 8. ita vt nauicula operiretur fluctibus. *Ionæ* 2. Proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. *Thren.* 3. Inundauerunt aquæ ſuper caput meum, dixi: Perij. *Act.* 27. Puppis ſoluebatur à vi maris.

Et periclitabantur] Ecce exceſſus virium hominis. *Eccli.* 43. Qui nauigant mare, narrant pericula eius. Cauſa vero periculi, vt dicit *Gloſſ.* quædam, fuit: quia proditorem habebant in naui, non quod iam tunc eſſet proditor, ſed quia forte iam tunc moliebatur proditionem. Et in hoc notatur quod ſocietas malorum ſæpe eſt cauſa diſcriminis bonorum. Et hoc confirmatur *Num.* 16. vbi dicitur: Recedite de tabernaculis hominum impiorum, ne forte & vos viuos terra abſorbeat. Et *Ioſue* 7. Anathema in medio tui Iſraël: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te qui contaminatus eſt hoc ſcelere. Vnde. *Gloſſ.* Merito turbatur nauis in qua proditor eſt cum bonis: & qui ſuis meritis firmi fuerunt vel non erant turbati, turbantur alienis. *Iob* 1. Vbi inter filios Dei fuit ſatan, qui procurauit Iob ſpoliationem, liberorũ extinctioné, & corporis beati Iob percuſſioné. 1. *Cor.* 5. Expurgare vetus fermentum: vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Et ideo de naui religionis & Eccleſiæ tales ſunt eliminandi, ne turbetur ex præſentia ipſorum. Sed Chriſtus diſpenſatorie hunc ſuſtinuit: quia adhuc ſeipſum non manifeſtauerat, nec adhuc proditionem perfecerat. Et ideo vt homo iam nihil fecit contra eum: quamuis vt Deus præſciret quid eſſet facturus. Ex omnibus autem his colligitur præſentia periculi iam imminentis: quod etiam notatur in hoc quod dicitur [Et periclitabantur] Vnde *Gloſſ.* quædam dicit: Aduerte neminem ſine tentatione de hac vita poſſe demigrare: cum & Apoſtolos quibus Dominus adeſt, ſæpe tentationum procella perturbet. 2. *Timoth.* 3. Omnes qui pie viuere volunt in Chriſto, perſecutionem patientur. *Luc.* 22. Ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. *Tob.* 12. Quia placuiſti Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.

Accedentes autem ſuſcitauerunt eũ, dicentes: Præceptor, perimus.

Hic ponuntur ea quæ faciunt ad miraculi perfectionem, & ſunt tria. Quædam ſunt antecedentia, quædam eſſentialia, & quædam conſequentia. Antecedentia faciunt ad interpellationem facientis miraculum. Eſſentialia faciunt perfectionem miraculi. Conſequentia miraculi oſtendunt finem. In antecedentibus tria notantur: appropinquatio interpellantium, ſuſcitatio ſupplicantium, & allegatio periculorum iam inſtantium. Dicit ergo.

Accedentes ergo] Ecce interpellantium appropinquatio, quæ non tam loco quam deuotioné facta intelligitur. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Pſalm.* 79. Non diſcedimus à te, viuificabis nos. *Deut.* 4. Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. *Pſalm.* 33. Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. *Pſalm.* 90. Cum ipſo ſum in tribulatione. Eſt tamen debilis fidei ſignum, quod acceſſerunt, loco æſtimantes plus poſſe Saluatorem in propinquos quam in remotos: ſimile quid paſſi regulo *Ioan* 4. qui Dominum deſcendentem in domum ſuam plus poſſe putauit quam abſentem, & ideo à Domino eſt redargutus de paruitate fidei: ſicut & hic Apoſtoli redarguuntur.

Suſcitauerunt eum] Ecce excitatio: quia plus putauerunt poſſe vigilantem quam dormientem: quod quamuis verum eſt ſecundum humanitatem, tamen ſecundum deitatem non eſt verum: quia ſecundum illam non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël. Sed fecerunt ſicut docet Ioſaphat 2. *Paralip.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui vt oculos noſtros dirigamus ad te. *Prouerb.* 6. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis. Diſpenſatoria enim (vt diximus) fuit hæc diſſimulatio adiutorij, vt probaretur in quanta deuotione & feruore Diſcipuli ad Dominum recurrerent [dicentes] Ecce interpellatio, in qua duo continentur: profeſſio maieſtatis, & allegatio neceſſitatis: in quibus duo alia intelliguntur, ſcilicet, præſumptio benignitatis, & reuerentia ſubiectionis. Profeſſio maieſtatis tangitur per hoc quod dicitur [Præceptor] Eſt enim vere præceptor qui omni creaturæ præcipiendi habet poteſtatem. *Eſther* 13. In ditione tua cuncta ſunt

posita:& non est qui resistat voluntati tuæ. *Ibidem.* Dominus vniuersorum tu es: neque est qui resistat maiestati tuæ. *Psalm.* 113. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.

Perimus] Ecce allegatio necessitatis. *Osea* 6. In tribulatione sua mane consurgunt ad me. *Isa* 26. In angustia requisierunt te, & in tribulatione murmoris doctrina tua eis. Præsumptio autem benignitatis notatur ex hoc quod simplex allegatur necessitas, nec petitur aliquid: quia tantum de benignitate sua præsumpserunt, quod per seipsum sciret & vellet & posset & faceret quod salutiferum & bonum foret pro ipsis. *Psalm.* 154. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. 1. *Petr.* 5. omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quia ipsi cura est de vobis. *Psalm.* 39. Ego autem mendicus sum & pauper: & Dominus solicitus est mei. Reuerentia vero subiectionis notatur in hoc quod non procacitet instant, merita sua prætendentes, sed humili subiectione se sibi subiicientes. Et hoc notatur *Marc.* 4. vbi dicitur. Non ad te pertinet quod perimus? Et est sensus. Quoad inferiores causas perimus, neque est auxilium nisi in te. *Esther* 13. Si decreueris saluare nos, continuo liberabimur.

At ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ: & cessauit, & facta est tranquillitas.

Hic tanguntur ea quæ sunt de essentia miraculi, & sunt quatuor: virtutis excitatio, contrariæ potestatis increpatio, periculi sedatio, salutis inductio. Virtutis diuinæ excitatio notatur cum dicitur [At ille surgens] hoc est, virtutem erigens & ad actum extendens: quod licet fiat virtute diuina operante in humanitate, tamen secundum deitatem semper vno modo se habet. Hanc autem excitationem virtutis non nisi significat in surrectione corporis. *Psalm.*77. Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Hæc autem surrectio Saluatoris in nauicula significat Resurrectionem eius de morte & inferno, in qua solutis vinculis somni & mortis suis surrexit ad salutem. Somnus enim ligatio est sensuum, sicut dicit Philosophus. *Iudicum* 15. Irruit Spiritus Domini in Samsonem. Et sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi: ita & vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt & soluta.

Increpauit ventum] Ecce contrariæ potestatis increpatio Et tangit duo: vnum in alto, quod fuit mouens causa: & alterum in imo, quod motum fecit periculum. De primo dicit [Increpauit ventum] vt facientem primo periculum. Et in hoc notat se Dominum aeris & terræ: quia ventus est de natura terræ, & est in forma aeris & mouens aerem. *Matth.* 8. Imperauit ventis & mari. *Marc.* 4. Exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace & obmutesce. Et hoc est quod subiungit [& tempestatem aquæ] vt se Dominum aquæ ostenderet, & Dominum lunæ, quia luna mouet aquas: & per consequens Dominum ignis, quia luna non nisi calore ignis qui cum lumine cæli descendit eleuare potest vaporem venti qui mare impellit. *A.g.* Dominus increpans mare & exiccans illud, & omnia flumina ad desertum adducens. *Psalm.* 88. Tu dominaris potestati maris, motum fluctuum eius tu mitigas. Surgit ergo Dominus cum adiutorium prætendit: increpat ventum, cum suggestionem dæmonis annihilat: sedat mare, dum motum mundi vel cordis amari ad pacem reducit. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.

Et cessauit] sedatio periculi. *Psalm.* 88. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuũ eius tu mitigas. *Iob* 38. Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos [& facta est tranquillitas] hoc est, quies in aere & in mari. Et hæc est magnitudo salutis inductæ per miraculum: quia quando sedatur ventus per naturam, non continuo sedatur aqua: sed postea adhuc mouetur aqua propter motum qui ante fuerat in ea. *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis: & post fletum & lacrymationem, exultationem & gaudium infundis. *Isa.* 55. Dedisti in mari viam: vt transirent liberati. *Sapient.* 10. Transuexisti eos per aquam nimiam.

Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, ad inuicem dicentes: Quis putas, hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

Ecce miraculum consequentia, & sunt tria: increpatio dubietatis, & effectus increpationis, & effectus miraculi. Increpatio tangitur cum dicitur [Vbi est fides vestra] tot sermonibus instructa, tot exhortationibus inuitata, tot miraculis confirmata, tot gratiis dotata? Non quærit autem vt instruatur ignorans, sed vt increpetur dubitans cor Discipulorum. *Marc. vltim.* Exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. *Matth.*8. Quid timidi estis modicæ fidei? *Marc.* 4. Quid timidi estis? necdum habetis fidem?

Qui timentes] Effectus est increpationis: & est timor filialis & reuerentialis. Increpati enim filij timent offensam patris, quamuis non timeant condemnationem. *Psalm.*18. Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi. *Psalm.* 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Mirati sunt] Effectus est miraculi. Et tanguntur hic quatuor: admiratio, prædicatio, Christi exaltatio, & miraculi celsitudo. Admiratio tangitur, cum dicitur [mirati sunt] maiestatem. *Esther* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum. *Iudic.* 13. Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Mirati autem est secundum cogitationem in cognitione huius facti suspendi, & in agonem cordis & stuporem conuerti. *Eccli.*43. Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus nostris admirabimur. *Psalm.* 92. Mirabilis in altis Dominus: testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Eo enim quod sic io altissimis mirabilis inuentus est: omnia quæ docuit credibilia fecit, & his argumentis corda ad fidem conuicit. Sic enim, vt dicitur *Act.* 1. in multis argumentis fidei fuit cum patribus fidei, & contestatus est in nos fidem quam tenemus: & ideo securi sumus.

Ad inuicem dicentes] fidei prædicationem in seipsis iam inchoantes, implentes illud quod dicitur in fine *Apoc.* Qui audit, dicat, Veni. *Hebr.* 10. Non deserentes collectionem vestram, sed adhortantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. *Isa.* 35. Dicite, Pusillanimes confortamini. *Prouerb.* 18. Frater qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma.

Quis putas, hic est] hoc est, quantus & quam magnus potestate diuina præditus. Simile *Luc.* 1. Quis putas, puer iste erit? Nam & manus Domini cum ipso est. Vltra hominem enim videbant eum facere: & ideo mirantur potestatem infinitam, cuius limites nusquam vident, & infinitatem eius in multis conspiciunt. *Isa.* 63. Quis est iste qui venit de Edom, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? *Psalm.* 23. Quia est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Et subiungunt de magnitudine miraculi tria tangentes: facientis facilitatem, facti difficultatem, & perfecti signi velocitatem. Facientis quidem facilitatem eum dicunt.

Quia imperat] Imperio enim facere maximæ facilitatis est indicium. Sed omnia hæc fecit quatenus virtutem sui verbi demonstraret, & in tali virtute verbum prædicandum Apostolis committeret. *Psalm.* 34. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. *Ioan.* 1. Omnia per ipsum facta sunt, hoc est, per Verbum. Et ideo *Sapient.* 18. dicitur: Omnipotens sermo tuus.

Ventis & mari] quod maximæ difficultatis est: quia nullo modo hæc sunt in potestate hominis: quia ventus capi non potest, & mare non potest ambiri propter latitudinem. Dei enim solius, vt dicit *Psalm.* 134. producere ventos de thesauris suis. Et Dei solius est concludere ostiis mare, vt dicitur *Iob* 38. quando erumpit quasi de vulua procedens. Et dicere: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Et obediunt ei] Et hic est velocissimus modus perficiendi: quia ad dictum hominis creatura obedit Creatori. *Sapient.* 16. Creatura tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Quoniam verbum suum omnia ordinat, & moderatur per sapientiam diuinam, quæ prædicanda committitur Apostolis. Et in hoc consistit istius miraculi tota perfectio.

Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

In maiori mundo sensibili Christus ostendit potentiam sui verbi. Hic autem eiusdem verbi ostendit potentiam in eodem maiori mundo insensibili, hoc est, in spirituali creatura, quæ hunc mundum sensibilẽ exercet ad virtutem bonorum, & tentationem malorum. Et congruus est ordo: quia prius est quod animale, quam quod spirituale est 1. *Corinth.* 15. Et ideo prius ostendit virtutem in sensibilibus corporalibus, quam in spiritualibus nequitiis. Sic enim prædicatoribus verbi Dei potestatem dat super omnia dæmonia, & vt langores curent: sicut patebit in cura emorroissæ, & suscitatione filiæ Archisynagogi: quæ se continuo in historia consequuntur. Tria autem dicuntur in hac historia. Primum quidem est, quod antecedit miraculum per modum causalitatis. Secundum autem, quod est de perfectione miraculi. Tertium est, quod est de consequentibus per modum effectus ipsius miraculi. Antecedentia autem sunt tria. Primum est, quod ex parte Domini, faciendi miraculum inducit opportunitatem: & hoc est aduentus Domini illuc secundum corporalem præsentiam. Secundum vero ex parte dæmoniaci dicit miseriam, ad faciendum miraculum misericordem Dominum mouentem: & hoc est occursus viri dæmoniaci. Tertium autem est ex parte dæmonum, atrox & perseuerans malitia, quæ à salutis authore erat comprimenda. In prima harum partium tria continentur, quorum primum est arripatio nauigantium. Secundum, descriptio loci in quem nauigantes applicuerunt. Tertium autem est exitus Saluatoris in locum vbi salutis requirebatur effectus. De primo dicit.

Et nauigauerunt] Domino hæc faciente, vt de abysso aquarum suos educeret. *Psalm.* 143. Eripe me & libera me de aquis multis. *Isa.* 63. Eduxit eos per abyssum quasi equum in deserto non impingentem. *Habac.* 3. Viam fecisti in mari equis tuis. Equi enim Domini quibus vectus est per mundum, Apostoli sunt & Apostolici viri, quos enauigare facit per abyssum mundi cæteris submersis. *Exod.* 15. Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Sic enim *Sapient.* 14. Transeuntes mare per ratem liberati. Sic Petrum de fluctibus liberauit *Matth.* 14. Sic Paulum tertio naufragantem de profundo maris liberauit. Enauigant ergo qui cum Domino nauigant. Submerguntur qui sine Dei adiutorio se abyssis concupiscentiæ mundanæ cõmittunt. Describens autem locum in quem locum nauim eiiciunt, tria dicit: culmen, nomen, & situm. Culmen tangit cum dicit.

Ad regnum] vt notetur quod omne culmen regni Christi subiiciendum erat imperio. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Est autem, vt dicit *Beda*, hoc regnum, regio minoris Arabiæ: non illius vnde Magi venerunt in tribu Manasse iuxta montem Galaad, vbi Iacob à Laban auunculo suo comprehensus est *Genes.* 31. Sceptra enim in vna parte stagni & altera parte eiusdem, subdenda erant potentiæ verbi eius: vt vbique dominans esse intelligatur. *Psalm.* 144. Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Nomen etiam subdit.

Gerasenorum] quod sic dicitur propter stagnum adiacens, versus ripam alteram. In alia enim ripa erat Galilæa. Et hoc est quod sequitur.

Quæ est contra Galilæam] ad differentiã illius quæ est Arabiæ maioris, de qua tres Magi venerunt *Matth* 2. Interpretatur autem, vel generans auram, vel colonum eiiciens, vel aduena appropinquans. Per præsentiam enim Domini terra & aura sancti Spiritus generabat, in qua deambulabat Dominus ad auram post Meridiem: cum in declinatione mundi Dominus quæreret Adam ad pœnitentiam *Genes.* 1. Et tunc eiicit colonum suum diabolum, de quo *Psalm.* 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Et tunc fuit aduena eiectus de paradiso,

diſo, Deo ſuo apptopinquans. 1. *Petr.* 2. Obſecro vos tanquam aduenas & petegrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis &c. *Pſalm.* 38. Aduena ego. ſum apud te & petegrinus, ſicut omnes patres mei. Hæc ſita eſt ſpirituali poſitione contra Galilæam, quæ tranſmigratio facta iotetpretatur, ſemper reſpiciens eam tranſmigiationem quæ in Domino facta eſt: vt ex illa ſpirituali præſentia Chriſti viſitetur, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Et ideo etiam ibidem dæmonum legio eſt expulſa.

Et cum de naui egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.

Ecce tertium, egreſſus Domini ad procurandam ſalutem eorum qui dæmonibus ſeruiebant. Hos vndique quærebat, & ſe eis tanquam bonus exhibuit medicus. *Matth.* 9. Circuibat IESVS ciuitates & caſtella. Aliquando enim prædicauit, ſicut *Matth.* 5. Aliquando in tentatione confortauit, ſicut ante fecit timentes in mari. Aliquando curauit in corpore. Aliquando curauit in mente, ſicut nunc curat iſtos dæmoniacos. Totum enim aſſumpſit hominem, & totum curat in corpore & mente. Et ideo [egreſſus] de quiete ſoporis, de ſapientia gubernationis, de confortatione quam exhibuit tentatis. De primo *Pſalm.* 3. Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi. De ſecundo *Prouerb. vltim.* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris. De tertio *Luc.* 22. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Inde ergo [egreſſus] ad actionis laborem, ad gubernatorum eruditionem, & ad confortatorum conſolationem. De primo in *Pſalm.* 68. Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. De ſecundo *Matth.* 5. Aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes. Omnis enim Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. De tertio *Iſa.* 66. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini: videbitis, & gaudebit cor veſtrum. Ecce quæ faciunt opportunitatem faciendi miraculum ex parte Domini.

Occurrit ei vir] Hoc eſt ſecundum, in quo deſcribitur miſeria mouens miſericordem Dominum ad faciendum miraculum. Et notantur hic quinque, quorum primum eſt dæmoniaci occurſus. Secundum, dæmoniaci iſtius ſubintellectus ſtatus clarus. Tertium eſt, quod à dæmonio miſer eſt vexatus. Quartum eſt, miſeriæ illius iam longum tempus. Quintum eſt, quod à dæmonio etiam in confuſionem humanitatis lacerabatur, non tegens nuditatem habitus: & ab hominum habitatione in horrida loca propellebatur expulſus. Per primum horum notatur dæmonis à Chriſti præſentia coactio. Non enim occurrit vt noceret: cum etiam ſanctis viris dæmones niſi permiſſi nocere non poſſunt. Oportet enim quod etiam dæmones luci & diſcuſſioni Chriſti ſe obiiciant. *Iob* 1. Affuit inter eos etiam ſatan, cui dixit Dominus. Vnde venis ſatan? Non ex ignorantia quærens, ſed vias ſuo examine diſcutiens, vt dicit *Gregor.* Sic ergo occurrit coactus ſuo ſe examini præſentans. 2. *Corinth.* 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.

Vir] Hic innuitur clarus ſtatus iſtius dæmoniaci: ſexu enim erat vir. Cum dicitur [quidam] intelligitur quod erat claræ dignitatis, de qua (vt dicunt Sancti) tota dolens erat regio. Et ideo cum *Matth.* 8. duos dicat fuiſſe dæmoniacos, *Lucas* vnum ſolum commemorat: quia iſte dignitate erat ſingularis: innuens etiam in eos qui potentes ſunt in ſeculo, plus poſſe dæmonia. Et ideo dicitur quod iſte à legione poſſeſſus erat. Alter autem non niſi ab vno vexabatur dæmone. *Iacob.* 1. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia? 4. *Reg.* 5. Naaman princeps militiæ Syriæ, erat vir magnus apud Dominum ſuum & honoratus. Per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ. Erat autem vir fortis & diues, ſed leproſus. Frequenter enim contingit quod illi qui præ cæteris fulgent diuitiis & dignitate, ampliori dæmonum inficiantur quaſi eiuſdem lepræ varietate 1. *Timoth. vltim.* Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Et dum vires & virilitatem ſtrenue in obſequio dæmonis expendunt, à multis dæmonibus poſſidentur.

Qui habebat dæmonium] Ecce dæmonum habitus, qui habitus & miſer & miſerabilis eſt. Habere enim dæmonem, non haberi à dæmonio: notat, quod hic per peccatum cauſa fuerat quod dæmones intrauerunt in eum. *Epheſ.* 4. Nolite locum dare diabolo. *Iacob.* 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. *Tobiæ* 6. Sunt qui accipiunt vxores, vt Deum mente ſua excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus: & in eos habet poteſtatem dæmonium.

Iam temporibus multis] Notat hic miſeriæ iſtius antiquitatem & continuationem. Per hoc enim quod dicitur [temporibus multis] notat antiquitatem. Per hoc autem quod dicit [iam] notat continuationem. Iam enim, vt dicit *Ariſtot. in* 4. *Phyſic.* notat nunc propinquum præſenti, vel in præterito, vel in futuro. Et eſt ſenſus. Ex multo tempore continuo vſque ad propinquum præſenti nunc [habuit dæmonium] *Iſa.* 48. Præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex ventre vocaui te. *Ierem.* 2. A ſeculo confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti: Non ſeruiam. Hic enim dæmoniacus quaſi nunquam lucida habuit interualla, qui ab antiquo de vitio in vitium ſecundum voluntatem cuiuſlibet dæmonis exagitabatur.

Et veſtimento non vtebatur] Ecce dæmonis furor: qui & lacerabat habitum vt detegerentur turpia, & expulit de domibus, propellens ad loca hominum habitationi incongrua & horrida. Significatur autem in hoc quod habitum virtutum lacerat dæmonum furioſa inhabitatio, & habitationes humanæ naturæ congruas horret, quærens immunda mortuorum in inferno poſitorum ſepulchra. Et in hoc duo genera vitiorum notantur. Quædam enim ſunt contra virtutem. Quædam præter hoc, contra omnium hominum conſuetudinem & naturam. Quam diſtinctionem etiam ante nos *Philoſophi* inuenerunt. Contra virtutem ſunt luxuria, gula, ira, & alia huiuſmodi peccata. Contra naturam & hominum morem, ſunt horrida: ſicut de craneis hominum bibere,

hominum

hominum societatem abhorrere, & cum mortuis eligere domicilium, & huiusmodi: quæ iam etiam brutalitatem animalem excedunt, neque animalitati neque humanitati congruentia. De primo *Apoc.* 16. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. *Ezech.* 16. Reuelabo turpitudinem suam in oculis amatorum eius. Vbi enim hominem non operit virtus, ibi statim apparet turpitudo oppositi vitij.

Neque in domo manebat] Ecce vitium contrarium animalitati & humanitati. Domus enim est habitatio animalis & hominis, significans quietem, in qua vel vt animal vel vt homo inhabitat. Vt animal *Daniel.* 4. Cum bestiis ferisque erit habitatio tua. Quia licet peccator sit, tamen animalis naturam custodit. 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Tamen quia animalis est vita, vt dicit *Gloss.* fertur dissoluta lasciuia in corporis quinque sensus: quam intra metas suas spiritus rector non continet. Nihil ergo admittit contrarium generi animalis, quod sibi ex genere est naturale. Domos etiam est habitatio hominis, in qua aliquis per rationem humanitatis inhabitat: sicut est qui ciuilia custodit & humana, quamuis contra Deum & gratiam committat multa: sicut Paulus legem æmulans, antequam conuerteretur ad Dominum, & alij multi, de quibus dicit *Rom.* 10. Ignorantes iustitiam Dei & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et extra hæc exagitat dæmon ad præternaturalia, & ad irrationabilia compellit. *Ierem.* 2. Filij Mempheos & Thaphnes constuprauerunt te vsque ad verticem. Vsque ad verticem enim in qua ratio sita est constupratur, cuius ratio penitus sic euertitur vt irrationabilia prosequatur. Hic igitur dæmoniacus, & contra virtutem ciuilem, & contra naturam animalitatis, & contra ordinem rationis exagitabatur. Et quartum adiungitur genus vitiorum, cum dicitur.

Sed in monomentis] in quo notatur quod in spurcis cadaueribus & horridis dæmonum locis delectabatur. Et talis consuetudinis dicitur fuisse tyrannus Siciliæ Dionysius, qui in inuentionibus dæmoniacis quæ malitiam ferarum & hominum excedebant, delectabatur. *Psalm.* 13. Sepulchrum patens est guttur eorum. *Baruch* 3. Coinquinatus es cum mortuis, inueterasti in terra aliena. *Psalm.* 68. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Sed tanta est Dei misericordia, quod nec illos deserit. *Deuter.* 31. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.

Is vt vidit IESVM, procidit ante illum.

Tertium est in quo continetur id quod ex parte dæmonis ad miraculum mouit faciendum. Sunt autem tria. Vidit enim, & procidit, & clamauit. Vidit visu cognitionis & fidei. Quia dicit *Iacob.* 2. Dæmones credunt & contremiscunt. Procidit, coactam reuerentiam exhibens. Clamauit, intensionem malitiæ ad voluntatem nocendi ostendens. De primo dicit [Is vt vidit] hoc est, deitatem Christi cognouit. *Luc.* 4. Exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei.

Sed contra 1. *Corinth.* 2. Si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, hoc est, crucifigi persuasissent. Responsio. Sciebant in signo, & non in veritate: & sic videbant eum. Dæmones autem Filium Dei videre, est dæmonem in tenebris quidem existentem, lucem claritatis eius in signis gratiæ cognoscere. Et ideo videntes contremiscunt, vt dicit *Iacobus*: quod non facerent, si in tenebris non manerent. Spiritus enim sunt tenebrarum.

Procidit ante illum] Ecce coactam exhibet reuerentiam. Sic enim inimicos suos etiam inuitos ponit scabellum pedum suorum. Et iterum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Philip.* 2. In nomine Domini omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Sic ergo non sponte procidit, qui sicut dicitur *Isa.* 14. vult esse similis Altissimo: sed inuitus ei quem in signis æstimat, reuerentiam deitati debitam coactus exhibet: vt fidei etiam ab inimicis testimonium perhibeatur. *Rom.* 14. Mihi flectitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. *Isa.* 45. Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Homo ergo erubescat qui Christo Domino genu non curuat, cui veritatis inimicus, deitatem agnoscens, contremiscens, totus procumbens, reuerentiam exhibet. Et in hoc hæretici Arriani & Iudæi peius aliquid faciunt dæmoniacæ malitiæ. Vnde *Gloss.* Arrius contendit esse creaturam, quem dæmon confitetur Dei Filium. Iudæi dicunt: In principe dæmoniorum eiicit dæmones: quem dæmonia negant aliquid secum habere commune.

Et exclamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi est IESV Fili Dei altissimi?

Ecce hic est intensio clamoris, demonstrans intensionem malitiæ ad nocendum. Et notantur tria: modus videlicet clamoris, quantitas, & significatio cordis. Modus exprimitur cum dicit [& exclamans] Exclamatio vocatur expulsa præter ordinem vox ex affectu cordis. Et ideo aliquando sumitur in bono, quando bonus affectus talem vocem expellit: sicut dicit *Psalm* 106. Exclamauerunt ad te Domine in tempore afflictionis suæ. Et *Daniel.* 13. Exclamauit autem voce magna Susanna. In malo autem, quando malus affectus talem extrudit vocem: sicut *Daniel.* 13. Exclamauerunt autem & senes. Et hic. Et hoc notat præpositio, quæ est in compositione participij.

Voce magna] quæ semper est potius affectu expulsa, quam sit mente & ratione ordinata. Dicitur autem [magna] non vera vocis quantitate, sed ab intensione sonandi: eo quod alte vel hortide vel cum acumine sonat. Et notat cordis anxietatem vox talis. Aliquando autem vox dicitur magna quæ magna exprimit. Et sic dæmonis vox in diuinis magna non dicitur. Et ideo vox ista cum eiulatu fuisse putatur. *Isa.* 15. Vlulabunt expediti Moab, anima eius vlulabit sibi. Expediti Moab, sunt principes dæmonum, qui principantur his qui ex patre diabolo sunt. Et anima illius principis vlulabit sibi, quando per Christum sibi cognoscit auferri vasa in quibus confidebat *Luc.* 11.

Dixit]

Dixit] Ecce significatum vocis. Componitur autem ex duobus : confessione, & deprecatione. Confessione autem duplici, scilicet, disparitatis, & veritatis fidei. Disparitas notatur cum dicit.

Quid mihi & tibi est] supple, commune. Q. d. Nihil. Ita enim sumus dispares quod me colentes ad te non pertinent, & te colentes nihil mecum habent commune. Et quia nihil est commune mihi & tibi, quare vsurpas vasa mea? Et in hoc notatur quod iam se sensit eiiciendum. 2. *Corinth.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Quæ communicatio templi Dei cum idolis? aut quæ pars fidelis cum infideli?

I e s v Fili Dei altissimi] Ecce confessio veritatis, in qua est confessio actus proprij redemptoris, qui procedit ex virtute deitatis. Et confessio distinctionis personæ in deitate, & confessio hæreditatis æqualitatis cum Patre. Primum est in hoc quod dicit [I e s v] qui saluator interpretatur : quæ salus proprius actus est Redemptoris: in humanitate quidem perfectus, sed ex virtute deitatis elicitus. *Matth.* 1. Vocabis nomen eius I e s v s. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Habac.* 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo I e s v meo.

Fili Dei] Ecce distinctio personalis. Ex modo enim constructionis, transitio ad distinctas personas refertur [Fili Dei] hoc est, fili Patris. *Ioan.* 1. Rabbi, tu es Filius Dei. *Ioan.* 11. Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei qui in hunc mundum venisti. Et hanc quidem confessionem reuelatam à Patre cælesti accipit Petrus *Matth.* 16. Quæ etiam dicitur petra super quam ædificatur Ecclesia, *ibidem.* Sed dæmones per signa gratiæ & amissionem vasorum, existimationem vehementem acceperunt de ea, & coacti cum eiulatu confessi sunt veritatem : non ex propriis, sed ex cogente veritate loquentes. *Ioan.* 8 Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur : quia mendax est & pater eius.

Altissimi] Non dicitur Deus altissimus loco, vel comparatione aliorum deorum : quia non est comparatio ipsius ad alios. Sed dicitur altissimus altissimorum bonorum naturali possessione. *Psal.* 90. Altissimum posuisti refugium tuum. *Luc.* 2. Gloria in altissimis Deo. *Genes.* 14. Benedictus Abraham Deo altissimo, qui creauit cælum & terram. Si autem I e s v s noster, Filius Altissimi est : omnia hæc hæreditate possedit. Et quia vnicus est, cum alio hæreditatem istam non diuisit. Et ideo ipse est altissimus. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Hæc ergo confessio de infidelitate conuincit Arrium, & condemnat Iudæum, vt diximus. Quia confitetur dæmon, quod ex virtute diuina procedat, & quod non ex principe dæmoniorum Beelzebub, & quod Filius Dei sit altissimi, & quod non sit creatura sicut mentitur Arrius.

Obsecro te ne me torqueas.

Ecce deprecatio : in quo notantur duo : modus scilicet, & petitum. Modus tangitur cum dicitur [Obsecro te] hoc est, ob sacramentum tuæ deitatis & præfinitionis. Præfiniuisti enim non hoc tempore iudicium de me facere. Serua ergo factam tuam præfinitionem. Serua etiam tuæ deitatis rectitudinem. In se enim non habet dæmon quod alleget ad obtinendam suam voluntatem. Et ideo confugit ad ea quæ scit esse in Saluatore. Simile *Daniel.* 9. Propter temetipsum Domine attende & fac. *Ezech.* 36. Non propter vos ego facio filij Israël, notum sit vobis, sed propter nomen meum. Et est dolosa allegatio in dæmone: quia ex his quæ sunt in Deo, malitiam intendit suæ obtinere voluntatis. 2. *Mach.* 9. Orabat autem scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus

Ne me torqueas] Ecce petitum, quod in *Gloss.* dupliciter exponitur : & tertius modus innuitur. Vno quidem modo : quia torqueri se reputat, quando à læsione hominis arcetur, & tabescit ex ira & malitia in seipso, & sic torquetur. *Psalm.* 111. Peccator videbit, & irascetur : dentibus suis fremet, & tabescet : desiderium peccatorum peribit. *Mich.* 7. Aspiciet me inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me. Vbi est Dominus Deus tuus? Aliter exponitur in *Gloss.* de tempore, quod tempus iudicij non erat, in quo potestatem tentandi hominem & vexandi dæmon sciuit se amissurum. Et ideo *Luc.* 4. dicunt. Venisti ante tempus perdere nos. Q. d. Hoc esset contra tuam præfinitionem, & contra tuum ordinem. Tertia innuitur expositio, quod in præsentia Christi dæmon incendebatur & puniebatur. Quod fit ex odio : quia odiens aliquem, amplius affligitur in præsentia eius cum videt eum in negotiis suis prosperari. *Psalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. *Mich.* 7. Oculi mei videbunt eam, inimicam scilicet. Nunc erit in conculcationem & lutum platearum.

Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine.

Hic ponitur id quod est ad miraculi perfectionem & commendationem. De perfectione autem miraculi non est nisi præceptum Domini, vt ostendatur virtus verborum Domini, sicut diximus in præcedentibus : quia in illa virtute verbi Domini, committitur verbum prædicandum Apostolis. Dicit ergo [Præcipiebat autem] quia cuius præcepto paret etiam sensibilis creatura, sicut ventus & mare : illius præcepto (quamuis inuita) subditur etiam creatura dæmoniaca, & obedit coacta. *Marc.* 1. Quænam est hæc doctrina noua : quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? [spiritui immundo] Spiritus immundus dicitur à duobus : ab immunditia quam in se fecit, & ab immunditia quam in alio persuasione facit. *Matth.* 12. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa &c. *Marc.* 1. Erat in synagoga homo in spiritu immundo.

Vt exiret ab homine] In hoc iterum notatur quod homo iste causam dederat & locum dæmoni : & ideo in interioribus eius erat præsidens & impediens operationes eius, ne ad ordinem regiminis vitæ recta peruenire posset ratio. Et quoad hoc spiritus dicitur immundus esse in aliquo: non ita quod sit intra animam eius, vel spiritui illius illabatur : sed turbat sanguinem, & spiritum corporeum ipsius, qui est vector formarum & virtutum

eius, & in cogitatu, & verbis, & motibus. Per hunc modum reddit inordinatum. Sic dicitur. 1. *Reg.* 19 Spiritus malus exagitauit Saul *Matth.* 17. dicitur de quodam qui male patitur a dæmonio. Nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et *Matth.* 15. dicitur: Domine, filia mea à dæmonio vexatur. Et similia multa sunt in scripturis. Et ideo quia interiores vias & vires sic impedit, dicitur hic, quod præcepit vt exiret ab ipso, hoc est, vt interiora relinqueret, & non impediret vel vexaret eum.

Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

Hic ponit miraculi commendationem à quatuor, quorum primū est dæmonum vis & crudelitas, cui posse imperare fuit commendabile. Secundum est dæmonū numerosa multiplicitas. Tertium autem, dæmonum coacta supplicitas, quod à Christo nihil nisi per supplices preces impetrabant. Quartum autem, ostensa in porcis dæmonum malitia, cui posse imperare erat maximum. Circa primum duo dicuntur: antiquitas, & tyrannica crudelitas. Antiquitas adhuc in duobus describitur: in tempore, & violentia. In tempore quidem: quia [multis temporibus] possederat eum: iam quasi præscriptum ius habens in ipso, sicut homo in iumento suo quod ab antiquo possidet. Vnde *Matth.* 12. vocatur fortis armatus qui custodit atrium suum, cuius in pace sunt omnia quæ possidet: nec ab aliquo impetitur vel inquietatur in iure suo, sibi à multo tempore descripto. Secundum autem notatur per hoc quod dicit.

Arripiebat illum] Arreptio enim sonat violentiam & inordinatam exagitationem & vexationem. Vnde *Marc.* 5. dicitur de isto, quod erat clamans, & concidens se lapidibus. Arreptio enim est raptus spiritus corporei, qui est vector virtutum ad impulsum dæmonis. Et ideo anima destituta instrumento suo quo mouet corpus & regit, quod est spiritus: quasi sopita & destituta, nullum ordinatum motum habet in corpore: sed viuificat ipsum tamen: quia vita est essentialis motus eius, à quo non destituitur dum est in corpore: sed animalibus operationibus destituitur, propter hoc quod spiritus ad operationes dæmonis vsurpatur. Vnde *Matth.* 8. dicuntur dæmoniaci isti sæui nimis: ita vt nemo posset transire per viam illam. *Isa.* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. *Apoc.* 12. Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam.

Et vinciebatur] Hic describit tyrannicam crudelitatem, quod ruptis vinculis, in desertum agitabatur. Dicit ergo quod [vinciebatur catenis] quæ de ferro fiunt, quod omnia domat, & istum non domabat. *Dan.* 2. Ferrum comminuit, & domat omnia. Istum autem non domabat. *Mar.* 5. Nemo poterat eum domare [& compedibus] ferramentis pedum [custoditus] insuper ab hominibus. *Psalm.* 149. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Iste enim significat dementem concupiscentiam, & furorem irrationabilem, & phantasiam proteruam in peccatore: qui per ista tria exagitatus in concupiscibili & irascibili & rationali, ruptis omnibus fertur ad motus diaboli, nullo retentus retinaculo. Catenæ enim quæ colligantur ansis, significant præcepta colligata charitatis ansulis. Compedes autem sunt sapientiæ diuinæ instituta, per patres promulgata, quæ tanquam nihil rumpuntur ab eo: qui demente concupiscentia & furore irrationabili & phantasia proterua exagitatur. *Ierem.* 2. Nullus auertet eam: omnes qui quærunt eam, non deficient: in menstruis suis inuenient eam. Et hoc est quod sequitur.

Et ruptis vinculis] catenarum & compedum. *Ierem.* 5. Confregerunt iugum, ruperunt vincula [agebatur] violenter [à dæmonio] inordinato motu [in deserta] vbi nihil humanum colebatur vel habebatur: sicut supra diximus. *Ierem.* 2. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui. Sicut enim dicit *Greg.* Qui societatem hominum violat, superest vt solus bestialiter viuat. *Marc.* 5. Neque catenis iam quisque poterat eum ligare: quoniam sæpe catenis & compedibus vinctus, dirupit catenas, & compedes: & semper die ac nocte in monumentis erat & in montibus. Et ideo significat eos, quorum peccata sunt, & contra gratiam, & contra rationem humanam, & contra naturam: sicut diximus. Et ex his agitantur, demente concupiscentia in desideriis delectabilium, & furore irrationabili in nocumento proximorum, & phātasia proterua in contradictione veritatis, & cum contemptu mandatorum diuinorum, & cum trāsgressione statutorum paternorum: & præter omnia hæc solitudinem & singularitatem habent in inuentione nouorum peccatorum. *Psalm.* 79. Singularis ferus depastus est eam. *Isa.* 3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum: vt prouocarent oculos maiestatis eius. *Psalm.* 80. Ibunt in adinuentionibus suis.

Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum.

Descriptio est commendationis miraculi à multiplicitate. Non autem interrogat vt discat ignorans. *Ioan.* 16. Non opus est tibi vt quis te interroget. Sed interrogat ad commendationem gratiæ & miraculi: quia & magnæ gratiæ & magnæ maiestatis est à tot dæmonibus hominem liberasse. Dicit autem tria: nominis interrogationem, multitudinis expressionem, & rationem dat talis nominis & responsionis. Nominis interrogatio fit cum dicitur [Quod tibi nomen est] Accipiunt enim nomina ab officiis, sicut & Angeli boni: vel aliquando etiam ab operationibus, sicut dicitur Satan qui aduersatur, Diabolus qui deorsum fluere facit, Mammona qui diuitias suadet. Et sic de aliis nefandis nominibus dæmonum. *Psalm.* 15. Non recordabor nominum eorum per labia mea. *Oseæ* 2. Auferam nomina Baalim de ore eius: & non recordabitur vltra nominis eorum. Et quod hic quærit nomen, non facit vt nominetur, sed vt tanquam abominabile fugiatur. Quia, sicut dicit *Boetius*, non vitatur malum nisi cognitum. Ideo in morte pessimi Domitiani, lex romana fuit vt nomen infandum è lignis & lapidibus eraderetur, ne esset in recordatione.

At ille dixit, Legio] Ecce expressio numerosæ multitudinis. Nec respondet quæstioni: quia hoc erat

erat impoſſibile. Non enim poteſt multis malitiis in ſpeciali deſignatis vnum nomen imponi. Multæ autem ſpeciales malitiæ in iſto videbantur dæmoniaco: & ideo legionem ſe vocauit. Et quia legio eſt multitudo militiæ ordinata ad vnum ducem: ideo intelliguntur omnes iſti dæmones in iſto vnum habuiſſe principem, cuius imperia exercebant. Multæ enim legiones contrariæ poteſtatis dirigebantur contra Chriſtum, ex quibus virtutum eius experimenta accipere dæmones intendebant. *Pſalm.* 110. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Legio autem antiquitus dicebatur à legatione, hoc eſt, multitudine ſub vno duce legata, & præceptis & ſtatutis illius ligata. Et hæc multitudo tunc ſex millia & ſexcentos & ſexagintaſex milites continebat. Qui numerus à ſex ſurgit: quia ſenarius perfectus eſt numerus partibus ſuis conſtitutus, nec abundans, nec deficiens: vt ex perfectione ſenarij legio ipſa inſtitueretur, quod nec in plus nec in minus quam edictum eſſet faceret. Continet autem millenarium in ſex multiplicatum, qui cubicus eſt numerus. Decies enim decem decies faciunt mille: vt ex ipſa figura cubi ſtabilitatem & immobilitatem legio doceretur. Minimus enim in ea, decem præfuit: & denarius erat radix. Maximus autem ſub duce fuit centum: & hoc erat quadratum radicis. Et dux præfuit ſexaginta centenariis, ad primam perfectionem reſpiciens, & ad radicem, & ad quadratum, & ad figuram cubi, quæ in omni latere eſt ſtabilis & inconuulſa. Nec reſpondet dæmon quæſtioni, vt diximus: ſed quærenti, per legionem innuens multitudinem malitiæ & militiæ contrariæ poteſtatis.

Quia multa dæmonia] Ecce ratio ſuæ reſponſionis: & ſunt verba Euangeliſtæ, non dæmonis. *Luc.* 7. Maria Magdalena, de qua dæmonia ſeptem exierant. *Gregor.* Septem dæmonia Maria debuit, quæ vniuerſis vitiis plena fuit. In hoc autem quod dicit [intrauerant in eum] notatur quod in interioribus ipſius poſſederant iſtum hominem: quod raro contingit, niſi quando dæmonibus datur locus per enormitatem criminis. Exterius enim aliquando illudunt dæmones, & aliquando exterioris corporis puniendi accipiunt poteſtatem, & aliquando rerum ad inferenda damna: ſicut acceperunt poteſtatem in rebus & in corpore beati *Iob* 1. & 2. Sed illudendi ſenſibus, nunquam legitur dæmon accepiſſe poteſtatem, niſi prius illis ſenſibus illuſerit ſeculi vanitas: ſicut 2. *Corinth.* 11. Ipſe ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Quod autem intus præſideat & opprimat, non accipit poteſtatem niſi per peccati alicuius enormitatem. Vnde *Auguſtinus in libro de conflictu vitiorum & virtutum.* Non exterius diabolus aliquem fœdaret, niſi prius fœdaſſet interius. De iſto introitu diaboli *Ioan.* 13. Poſt buccellam introiuit in eum ſatanas. Et *ibidem.* Cum miſiſſet diabolus in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes.

Et rogabant illum ne imperaret illis vt in abyſſum irent.

Deſcribitur hic commendatio maieſtatis facientis miraculum à ſupplicatione dæmonum. Et tanguntur duo, quorum primum eſt ſupplicatio, ne finaliter condemnentur. Secundum eſt ſupplicatio, vt ſaltem in bonis noceant, quibus in corporibus & animabus nocere non ſunt permiſſi. De primo notantur duo, ſcilicet, ſupplicatio ipſa iudicij valde timendi: in quo docetur homo timere finale iudicium, quod tantum timent dæmones, quod differri rogant cum auferri non poſſe deſperant. Secundum eſt, quid ſit in abyſſum ire. De primo *Iob* 41. Non parcet enim verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. Siue enim dæmon coram ſummo iudice potentiam iuſtam alleget, ſiue deprecetur: iudicium tamen finale non euadet. 2. *Petr.* 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in iudicium reſeruari. Quod ergo auferre non poſſunt, differri rogant dicentes.

Ne in abyſſum irent] Ire autem in abyſſum, eſt condemnati tenebro ſocarcere, nec vlterius poteſtatem habere tentandi. Hoc enim cum fiet in die iudicij, euacuabitur omnis poteſtas & omnis principatus: ſicut dicitur 1 *Corinth.* 15. Et tradetur totum regnum Angelorum & dæmonum & hominum Deo & Patri: qui Angelos teget in gloria cum hominibus aſſumptis, & dæmones premet in iuſtitia cum hominibus damnatis. Et ſic omnes inimicos filij ſui ponit in ſcabellum pedum ſuorum. *Rom.* 16. Dominus conteret ſatan ſub pedibus veſtris velociter. *Malach.* 4. Calcabitis impios cum fuerint cinis ſub pedibus veſtris. Vnde *Marc.* 5. dicitur, quod rogabant eum ne expelleret eos extra regionem: quia in illa regione homines magis obediebant eis. Et ideo magis habebant in eos dæmones poteſtatem.

Erat enim ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte: & rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. Et permiſit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.

Hic tangitur commendatio miraculi ab appetitu nocendi dæmonum, & iuſta permiſſione Domini. Et tanguntur hic quatuor, quorum primum eſt nocendi opportunitas. Secundum autem, nocendi cupiditas. Tertium, iuſta nocendi permiſſa poteſtas. Quartum, ipſum nocumentum. De primo dicitur [Erat autem ibi] in loco expulſorum dæmonium [grex] Improprie ſumitur hic: quia nomen gregis non competit niſi animalibus gregatim ambulantibus. Gregatim autem non ambulat niſi quod cuſtodit ordinem in ambulando: ſicut oues, & boues, & huiuſmodi. Porcus autem inordinatis incedit motibus. Et ſumitur grex pro confuſa multitudine. *Eccle.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus.

Porcorum] Porcus dicitur quaſi ſpurcus: quia ſpurcum eſt animal, natura, lege, conſuetudine. In natura enim quaſi eſt monſtrum. Quod patet ex hoc quod multa in ſe colligit quæ in nullo ſecundum naturam inueniuntur animali. Animal enim quod vngulam in duo diuidit, ruminat, & polifilium, hoc eſt, multorum non eſt filiorum, ſed vnius, & raro duorum: & mammas non habet per longitudinem laterum ventris, ſed ſub poſterioribus

rlotibus cruribus. Porcus autem vngulam quidem diuidit, sed non ruminat, & polissium est, & mammas multas habet ab vtroque latere per longitudinem ventris. Adhuc autem, Cætera animalia vngulam in duo findentia, sepum habent loco pinguedinis. Porcus autem mollem habet aruinam. Adhuc autem, Animal mollis carnis phlegmaticæ, mollis est pellis, & mollium pilorum. Porcus autem econtra mollia quidem est carnis, & duræ & spissæ pellis, & durissimorum pilorum, ita quod setas habet loco pilorum. Adhuc autem, In compositione etiam, capitis est enormis, & colli spissi & breuis, ita quod capite nunquam superius eleuato potest cælum aspicere. Secundum legem autem *Leuit.* 11. animal est immundum: quia contra naturam, cum omne animal fortius sit in superiori mandibula quam in inferiori, quod mouet mandibulam inferiorem & non superiorem: solus porcus & elephas fortius in inferiori: & ideo arma defensionis habent in inferiori. Consuetudo autem causa est quare lex prohibet. In luto enim volutatur, & luto in pelle indurato ad pugnam armatur, immundis & spurcis nutritur, singulariter efferatur, & multas alias secundum suum nomen habet spurcitias.

Multorum] qui *Marc.* 5. ad duo millia fuisse dicuntur [pascentium] pastu de terra effosso. Qui terrenum haber sapnrem, cæcus existens, lumine cæli priuatus, & gressus homini iocnngruus [in monte] Quia fuere timore dæmoniaci ad montem se contraxerant pastores porcorum. Hic autem grex, multitudinem confusam significat voluptuosorum. 2. *Petr.* 2. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Horum grex magnus est: quia lata est via quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui inueniunt eam *Mat.* 7. Hi pascuntur in monte superbiæ & altitudinis huius mundi. *Luc.* 15. Misit eum in villam vt pasceret porcos. Pascuntur autem siliquis, non veris granis, hoc est, temporalium inanitate, non adipe gratiæ quo pascuntur Sancti. *Psalm.* 147. Adipe frumenti satiat te.

Et rogabant eum] Ecce nocendi cupiditas: vt saltem noceant in rebus, qui in corporibus hominum nocere non sunt permissi. *Iob* 1. Mitte manum tuam & tange cuncta quæ possidet [vt permitteret] quia etiam in porcos non potest nisi permissus. Dicit autem [eum] quia licet legio fuerit, tamen tota illa multitudo ordinabatur ad vnum, & ille rogabat.

Si autem quæritur, Quare non rogabat vt permitteretur ingredi in oues vel boues istorum hominum. Dicendum, quod omnis Christi actio, fidelium est instructio. Et sicut in primo homine non est permissus tentare nisi in serpente, vt de facili deprehenderetur venenum ipsius: ita & nunc non est permissus ingredi in animal, significans innocentiæ mansuetudinem, sicut est ouis: vel honestorum maturitatem, vel pinrum sactificium, sicut est bos vel hircus: sed significans immundorum spurcitiam, vt est porcus: vt ex hoc homo instrueretur in quos haberet potestatem dæmonium, & sic cautius homo se conseruaret ne dæmon in eum potestatem acciperet. Vnde *Gloss.* Porci sunt homines vocis & rationis expertes, lutulentis actibus dediti, in monte superbiæ pascentes. Et nisi quis porci

mote vixerit, diabolus in eum potestatem non accipit.

Et permisit illos] Iuste quidem: quia Creatoris omnium erant omnia. Iuste etiam: quia in illa regione dæmones ex immundia actibus hominum, specialem habebant potestatem. Et ideo puniendi erant pœna damni: quæ tamen eos instrueret, vt ab immundia actibus cessarent. Signum autem malæ conuersationis eorum erat, quia Dominum à se discedere rogabant. Et sic iusta & instructoria erat ista permissio. In beato autem Iob erat probatoria, & ad probationem virtutis ordinata.

Exierunt ergo] Ecce perfectio vnius miraculi, & nocumentum instructorium ciuium illius regionis. Dicit autem quod [exierunt] ne operationem & virtutes & organa eius de cætero impedirent. Et sic liberatus est homo, & homo homini secundum vsum rationis est restitutus, qui antè fuerat quasi porcus. *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hic ergo homo factus est, per liberationem à spiritu porcino, & restitutionem imaginis diuinæ. *Daniel.* 4. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni: & figura mea reuersa est ad me.

Et intrauerunt in porcos] porcino modo viuentes, vt diximus. Ecce causa nocumenti [& impetu] Ecce nocumentum per effectum. Dicit autem impetus motum non ordinatum à natura, sed impulsum à dæmone. Dæmon enim impellit & exagitat eum quem inhabitat. Et sic feruntur voluptuosi impetu dementis concupiscentiæ. Et hoc habet porcus ex natura, cuius (vt dicunt *Aristoteles & Auicenna*) notatur descensus concupiscentiæ in aurium summissione quas ante porcus fert erectas. Ita voluptuosi summittunt aures ad auditum quando obscœna audiunt. De concupiscentia carnali *Iacob.* 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus [abiit] Bene abiit, qui viam honestæ conuersationis dereliquit. *Eccli.* 9. Mulier fornicaria est quasi stercus in via quod ab omnibus conculcabitur. *Psal.* 1. Beatus vir qui non abiit in via peccatorum [per præceps] quia concupiscentia præceps etiam non vtitur ratione. *Osee* 5. Ligauit eum spiritus in alis suis. *Gloss. Hieronymi.* Spiritus fornicationis & immunditiæ ligat & præcipitat hominem [in stagnum] quod humorem signat carnalium vitiorum: & suffocatus est, hoc est, extinctus. 1. *Timoth.* 5. Quæ in deliciis est, viuens mortua est. Istud est poculum meretricis *Apoc.* 18. Istud est mare rubens concupiscentia sanguinis in quo submersi sunt Ægyptij *Exod.* 15.

Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt: & nuntiauerunt in ciuitatem & in villas.

Hic incipiunt consequentia ad miraculum. Et sunt quædam consequentia ex parte pastorum: quædam autem ex parte ciuium regionis: quædam autem ex parte Domini, & quædam ex parte eius qui à dæmonibus est liberatus. Ex parte pastorum quidem sunt tria: facti scilicet consideratio, maiestatis trepidatio, & veritatis nuntiatio.

Facti consideratio notatur cum dicitur [quod vt viderunt] hoc est, diligenter inspexerunt [factum] virtute diuina [qui pascebant] hoc est, pastores. Sic enim facta Domini consideranda sunt vt virtus operans in eis consideretur ad admirationem. *Matth.*8. Porro homines cum vidissent mirati sunt *Iosue* 6. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.

Fugerunt] Ecce maiestatis trepidatio. Non enim se dignos reputabant appropinquatione Domini: quia porcos pauerant, sicut filius prodigus. *Genes.*3. Audiui vocem tuam, & timui: eo quod nudus essem à veste virtutum. *Iona* 1. A facie Dei cæli ego fugio. Et est stultum consilium: quia potius esset ad ipsum accedendum. *Psalm.*79. Non discedimus à te: viuificabis nos Domine.

Et nuntiauerunt] Ecce nuntiatio veritatis. *Tob.* 12. Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. *Isa.* 12. Annuntiate hoc in vniuersa terra. Nuntiauerunt autem hoc [in ciuitate] vbi habitabant sapientes & maiores [& in villas] hoc est, illius ciuitatis pagos & rura, in quibus habitabant rudes & minores. *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est. Nuntianda enim in veritate, & laude, & timore, sunt opera Dei: quia ex veritate confirmant fidem, ex laude reddunt gratiarum actionem, ex timore conuertunt ad bonam operationem. De primo *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo IESV, non mentior. De secundo & tertio *Isa.* 25. Propter hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te. Omnibus autem nuntianda sunt magnalia Dei. Quia sicut dicitur *Sapient.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. *Psalm.* 148. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cælum & terram.

Exierunt autem videre quod factum est: & venerunt ad IESVM.

Hic ponitur consequens effectus miraculi ex parte ciuium regionis. Dicuntur autem hic tria: exitus videlicet ad probandum, veritatis probatio per visum & auditum, timoris irrationabilis perculsio ex veritate probata. De primo dicuntur tria: exitus ex audiru causatus, finis exitus qui est probatio per visum, & peruentio exeuntium vsque ad Dominum. Exitus autem de ciuitate & villis, exitum significat pristinæ conuersationis & societatis. *Genes.* 12. Egredere de terra & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. *Cantic.* 1. O pulcherrima mulierum egredere. *Apoc.* 18. Exite ab ea populus meus [videre] Quia.

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Iob 42. Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam. *Ioan.* 4. Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & vidimus, quia hic est vere Saluator mundi. Sic & nobis exeundum est à nobis, & nostris: vt videamus Dominum IESVM 2. *Corinth.* 3. Reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. *Cantic.* 3. Egredimini filiæ Ierusalem, & videte Regem Salomonem [quod factum est] Quia interim in factis suis Dominus videtur, donec per speciem in futuro clarius perspiciatur. 1. *Corinth.* 13. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie. *Rom.* 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque virtus eius & diuinitas.

Et venerunt ad IESVM] qui sicut dicitur *Ioan.* 14. est via, veritas, & vita: via portans, veritas ducens, vita beatificans & gratificans: via per mandatum, veritas per verbum, vita per gratiæ iuuamentum. Et vtinam ita perstitissent sicut bene venerunt. Ad hunc aduentum inuitat *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos *Ierem.* 51. Qui fugistis gladium, venite, & nolite stare. *Psalm.* 33 Venite ad me filij, audite me, timorem Domini docebo vos.

Et inuenerunt hominem sedentem à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes eius, & timuerunt.

Ecce veritatis probatio: primo per visum, & secundo per iteratum auditum testificatum. Dicit ergo circa primum duo: veritatis per rem ipsam probationem, & causatum in eis ex tanto prodigio timorem. Circa facti veritatem sex in litera notantur, ex quibus probatur veritas: quod scilicet naturalibus est redditus, quod in ordine regiminis vitæ sedit quietus, quod anterioris status erat liber redditus, quod vestitu honestatis erat amictus, quod sana mente erat decoratus, quod sermonibus Dei erat intentus. Hæc enim sex significant perfecte à dæmonio liberatum. Dicit ergo quod [Inuenerunt] hoc est, intus per veritatem venerunt siue cognouerunt, & ad rei notitiam perfectam venerunt. *Matth.* 7. Quærite, & inuenietis. Sic sapiens mulier accendit lucernam rationis, & euertit domum cordis, & quærit diligenter donec inueniat Christi veritatem *Luc.* 15. *Isa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum. *Sapient.* 1. Inuenitur ab his qui fidem habent, apparet autem his qui non tentant illum [hominem] Qui prius porcino spiritu immundo & fero vexabatur, modo homo inuenitur, restitutus humanis & diuinæ imagini. *Genes.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Eccls.* 18. Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Et quando non sequitur imaginem, cum Nabucodonosor conuertitur in bestiam, cuius actus imitatur.

Sedentem] hoc est, quiescentem in vitæ regimine ordinato, qui prius per vepres & montana exagitatus. *Aristoteles in.* 8. *Physicor.* In sedendo & quiescendo fit anima sciens & prudens. *Thren.* 3. Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se super se. *Luc. vltim.* Sedete in ciuitate, & orate, quoadusque induamini virtute ex alto.

A quo dæmonia exierant] Ecce pristini status liberatio, hoc est, dæmonum expulsio *Rom.* 13. Abiiciamus opera tenebrarum. *Iacob.* 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. *Deut.* 33. Dominus à facie vestra eiiciet inimicũ vestrũ, dicetq; Conterere.

Vestitum]

Vestitum]honestate virtutis & conuersationis. *Isa.* 61. Induit me Dominus vestimento salutis,& indumento lætitiæ circumdedit me. *Rom.* 13. Induamur arma lucis: sic vt in die honeste ambulemus. *Genes.* 37. Fecit ei tunicam polymitam, hoc est, diuersis virtutibus depictam. *Ezech.* 16. Vestiui te discoloribus.

Ac sana mente] in continentia sapientiæ. Mens enim est quæ rerum rationes & veritates mensurat. Sana autem tunc est, quando id perfectè facere potest. Continentia autem, vt dicit *Aristotel.* virtus est quæ facit hominem permanere in mensura mentis, ita quod non abducitur violentia passionis & tentationis. *Ierem.* 17. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. *Psalm.* 102. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Hæc sanitas mentis perficitur per continentiam, passiones, mensura sanæ mentis refrænantem. *Eccli.* 15. Qui continens est iustitiæ apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata. Cibabis illos pane vitæ & intellectus. Et *infra.* Firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur.

Ad pedes eius] verbum & monita illius incessanter audientem. *Luc.* 10. Maria autem secus pedes Domini sedebat, & verbum illius semper audiebat. Recordatus enim erat iste quod dixit *Habac.* 3. Egredietur diabolus ante pedes eius. Et ideo semper illis hæsit vestigiis, ante quæ diabolus stare non poterit. In his ergo est probatio plenæ veritatis [&] ideo [timuerunt] timorem reuerentiæ ad Dominum concipientes. *Habac.* 3. Domine audiui auditum tuum,& timui: consideraui opera tua, & expaui.

Nuntiauerunt autem illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione.

Ecce auditus testificatus. Isti enim duo sensus sunt disciplinales: visus, & auditus:& ex his plene certificatur veritas. Dicuntur autem hic tria: nuntiatio, veritas nuntiantium, & modus rei nuntiatæ. Nuntiatio notatur cum dicitur [Nuntiauerunt autem illis] *Psalm.* 63. Annuntiauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt [& hi qui viderant] Ecce certitudo nuntiantium: quia visa sunt certa. *Matth* 11. Nuntiate quæ vidistis & audiuistis. 1. *Ioan.* 1. Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: hoc annuntiamus [quomodo sanus factus esset à legione] Ecce annuntiatæ rei modus. *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia timore magno tenebantur.

Hic notatur qualiter irrationabili timore sunt perculsi. Dicuntur autem hic tria: rogatio, vnanimitas rogantium, & res petita cum causa petitionis. Rogatio exprimitur cum dicitur [rogauerunt] illum quem forte violenter eiecissent, si non maiestatem eius extimuissent. Vel forte scientes se peccatores timebant ne rememorarentur eorum iniquitates, & perirent propter suam indignitatem. Et ideo etiam ad preces se conuerterunt. 1. *Timoth.* 5. Seniorem te ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. *Genes.* 31. Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius [omnis multitudo] Vnanimitatis rogantium [regionis Gerasenorum] quia tot porci magnæ erant multitudinis, & tot millia dæmonum magnæ multitudini principabantur. Multitudinis enim Gerasenorum, hoc est, auras humanas captantium, concors consensus est ad eiiciendum Christum. *Psalm.* 82. Cogitauerunt vnanimiter, simul aduersum te testamentum disposuerunt [vt discederet ab ipsis] *Iob* 31. Dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et est miserabile, quod isti nunquam vnanimiter repulerunt dæmones, qui à multo tempore erant cum eis: & semel tantum venientem Dominum statim à se eiecerunt. 3. *Reg.* 17. Quid mihi & tibi est vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & occideres filium meum? *Luc.* 5. Exi à me: quia homo peccator sum Domine [quia timore magno tenebantur] quia porcorum more viuentes, timebant porcis pati similia. *Exod.* 14. Fugiamus Israëlem: quia Dominus pugnat pro eo contra nos. Sed stulti fuerunt: quia à dæmonibus non nisi per Dominum poterant liberari. *Psalm.* 54. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. *Hebr.* 12. Qui audierunt excusauerunt, ne eis fieret verbum: ita terribile erat quod videbatur

Ipse autem ascendens nauim, reuersus est.

Istud est consequens ex parte Domini: derelictio scilicet indeuotorum. Dicit ergo [Ipse autem] scilicet IESVS [ascendens] Semper enim ascendit Dominus. Modo autem super capacitatem eorum qui eum à se discedere rogabant, est eleuatus: faciens sicut Paulus & Barnabas *Act.* 13. Vobis oportebat primo loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vitæ: ecce, conuertimur ad Gentes. Gentes enim habitabant in Galilæa. Ascendere ergo est exaltari in cogitatione deuotorum. *Psalm.* 20 Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas. *Mich.* 2. Ipse ascendet pandens iter ante eos. Nauis autem qua vndis supernatat, est via virtutis nusquam mersa in aquis concupiscentiæ. Et hic nauicula vocatur propter vitæ suæ humilitatem. Vocatur autem & nauis propter virtutis securitatem. *Sapient.* 14. Transeuntes mare per ratem liberati sunt. *Prouerb. vltim.* Facta est quasi nauis institoris, delonge portans panem suum [Reuersus est] in Galilæam ad ciuitatem suam, vt dicit *Matthæus*, hoc est, Capharnaum, quam suam fecit coruscatione miraculorum. Et est mirabile de pietate Christi: quia rogatus recedere, recedit ab indeuotis: & non rogatus superuenit deuotis, vbi scit se ea quæ pertinent ad salutem, operatorum: nec expectat donec cum choris & processionibus recipiatur. Vnde *Sapient.* 12. exclamat ad ipsum Sapientia. O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in nobis! Non enim conuiciatur his qui eum à se eiiciunt, nec expectat supplica

supplicationes eorum qui se inuitentes ingerit se omnibus ad salutem. *Mich.* 6. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Eiicientibus enim molestus non fuit. Recipientes autem gratis saluauit, implens illud 2. *Timoth.* 4. Insta opportune, importune.

Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum IESVS, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset IESVS.

Ecce consequens ex parte sanati à dæmonio. Et dicuntur tria, quorum primum est sanati ad Dominum deuotio. Secundum autem eiusdem à Christo salutatis instructio. Tertium vero instructi feruens executio eorum quæ à Domino iniuncta sibi cognouit. Dicit itaque [Et rogabat illum] scilicet IESVM [ille à quo exierant dæmonia] volens adhærere ei qui sibi fuerat causa salutis [vt cum eo esset] & sequeretur eum, sicut Maria Magdalena. *Psalm.* 62 Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. *Zach.* 8. Ibimus vobiscum. Dominus enim vobiscum. 4. *Reg.* 2. Viuit Dominus & viuit anima tua: quia non derelinquam te. Et est laudanda istius deuotio, cui dulce erat remanere cum Domino, & liberari à diabolo. *Philip.* 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius. *Ruth* 1. Non aduerseris mihi vt relinquam te, & abeam. Quocunque enim perrexeris pergam, & vbi morata fueris ibi morabor. *Matth.* 17. Domine, bonum est nos hic esse.

Dimisit autem illum, dicens] Ecce vtilior dimissio & instructio. Causa autem dimissionis est, vt saltem indeuoti aliquem habeant testem veritatis Domino recedente, & aliquem adhortantem ad salutem. *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Causa etiam alia potuit esse, vt nobis formam det, ne curatos in testimonium laudis nobiscum duceremus. 1. *Corinth.* 4 Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et *infra*. Laus erit vnicuique à Deo. Tertia etiam causa esse potuit. Quia iam iste confirmatus fuit: & ideò ad prædicandum mittendus fuit, maxime cum notus esset & vir præclaræ dignitatis, & multum fructum facere posset. *Matth.* 9. Rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos. *Matth.* autem 8. eum qui in dolo propter cupiditatem secum esse voluit, non misit, sed abiecit, dicens: Quo vis me sequi? Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. His ergo de causis istum deuotum dimisit [dicens] per instructionem.

Redi in domum tuam] hoc est, ad familiam tuæ generationis, in qua magis vales, cum sis homo præclaræ dignitatis. *Matth* 9. Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Præterea, Tuis primo prædicare teneris. 1. *Timoth.* 5. Siquis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior [& narra] prædicando [quanta] beneficia [tibi] per me [fecerit Deus] *Psalm.* 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Hoc autem fecit ideo vt illis claræ dignitatis conuersis, facilius alij conuerterentur. 1. *Machab.* 2. Princeps & clarissimus & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filiis & fratribus. Ergo accede prior & fac iussum regis. Maiores enim sunt minoribus in exemplum obedientiæ & fidei.

Et abiit per vniuersam ciuitatem] metropolim. Et est deuota sanati obedientia. *Cantic.* 3. Surgam, & circuibo ciuitatem, quærens quem diligit anima mea. *Ionæ* 3. Ingressus est Ionas in ciuitatem itinere diei vnius, & prædicauit [prædicans omnibus] Et est mirum quod dæmoniacus à legione curatus, factus est Euangelista. *Marc. vltim.* Prædicate Euangelium omni creaturæ [quanta illi] beneficiorum miracula [fecisset IESVS] hoc est, Saluator. *Psalm* 65. Venite, audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ. *Tobiæ* 12. Bonis omnibus per eum repleti sumus: quid isti ad hoc dignum poterimus dare?

Factum est autem, cum rediisset IESVS, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

Hic incipit ostendere verbi virtutem in mondo minori, hoc est, in homine, tam in vita quam in morte. Et ideo hic duo inducuntur miracula, quorum vnum est de sanatione emoroissæ, pro qua nemo intercessit. Alterum autem de suscitatione filiæ Archisynagogi, pro qua multi intercedebant, quam clamore suscitauit: docens Apostolos quod verbo virtutis suæ omnia portat: aliquando sanans virtute, verbum confirmante: aliquando autem verbi potestate: vt & ipsi virtute vtantur in vitæ testimonium, & verbo in veritatis illuminationem. Et ideo diuiditur tota hæc historia in duas partes, in quarum prima agitur de solennitate recipientium se, & expectantium reditum eius, quem indeuoti abiecerunt. In secunda autem ponuntur ea quæ faciunt ad miraculorum perfectionem. Circa primum tria dicuntur: reditus scilicet, exceptio solennis, & causa exceptionis. Reditus describitur cum dicit [Factum est autem, cum rediisset] ad deuotos qui nouerant opera virtutum eius. *Cantic.* 6 Reuertere, reuertere Sunamitis: reuertere, reuertere vt intueamur te. Reuertere, inquam, aduentu iterato veritatis, per illuminationem intellectus. *Luc.* 1. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Reuertere per accensionem affectus in ardore charitatis. *Isa.* 62. Donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Reuertere per infusionem virtutis ad curationem infirmitatis. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo. Reuertere per ostensionem tuæ speciei, & auditum tuæ prædicationis ad doctrinam honestæ conuersationis. *Cantic.* 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Sic ergo cum rediisset [excepit illum turba multa] Iuxta *Isa.* 60. vaticinium. Leua in circuitu oculos tuos: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. *Ioan.* 12. Turba multa quæ conuenerat ad diem

diem festum, clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini. *Psalm.* 117. O Domine saluum me fac, ô Domine, bene prospetare: benedictus qui venit in nomine Domini [Erant enim omnes expectantes eum] Ecce causa expectationis: quia cum magno desiderio salutis in corpore & anima, expectaotes erant reditum Saluatoris. *Psalm.* 39. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. *Michea* 7. Ego autem ad Dominum aspiciam, & expectabo Deum Saluatorem meum.

Ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat.

Hæc est secunda pars in qua ponitur historia duorum miraculorum, & diuiditur in partes tres, in quarum prima ad miraculum faciendum ponitur intercedentium dignitas & multitudo, & Domini ad faciendum inclinatio. In secunda, cum esset in itinere, ponitur prioris miraculi in sanatione emotroissæ perfectio. In tertia vero ponitur filiæ Archisynagogi suscitatio. In prima harum ponuntur tria: intercedentis dignitas, intercedentis humilitas, & intercedentis deuota postulatio cum rationis allegatione, quæ compulit affectum paternum ad postulandum. De primo dicuntur tria: postulantis strenuitas, postulantis famosum nomen, & postulantis dignitas. De primo dicit.

Et ecce] in turba vt intercessione multorum exaudirerur facilius, & esset miraculum coram multis factum gloriosius [vir] in quo intelligitur strenuitas principis in regenda republica. Bias qui fuit vnus de 7. Sapientibus Apollinis dicit: Principatus ostendit virum. Vir enim est, vt dicit *Gregorius*, qui contra biformes fortunæ insultus, vniformi constantia mentis militat præmunitus. Et vere vir virens virore fidei, qui salutem filiæ non peteret ab eo quem non crederet Saluatorem. *Ierem.* 17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Erit enim quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radices suas. Vir, inquam, à vi mentis, quem non desperatio salutis ex magnitudine infirmitatis deiecit à spe salutis. *Roman.* 4. Qui contra spem in spem credidit, vt vere se probaret filium Abrahæ. Hic ergo vir.

Cui nomen Iairus] Ecce designatio famosi nominis. Interpretatur enim Iairus illuminatus, cuius facies cum Domino in monte resplenduit *Exod.* 34. Illuminatus ad fidem Redemptoris. 2. *Corinth.* 3. Nos omnes gloriam Domini reuelata facie speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domino Spiritu. Hic ergo sic iuxta nomen suum ad fidem illuminatus Domino se præsentans.

Et ipse princeps synagogæ erat] Allegatio est dignitatis, non cuiuslibet, sed ecclesiasticæ quæ maior erat omni dignitate seculari. Principes enim tales populorum congregati sunt qui cum Deo Abraham. Princeps autem erat cuius est prima potestas & iurisdictio in his quæ spectant ad synagogam, cæteris ad minora officia deputatis. *Isa.* 32. Princeps quæ sunt digna principe cogitabit: & non erit amplius is qui insipiens est, princeps. Principis enim est iura & condere, & aliis præcipere, & alios ad honesta per verba & exempla ducere. Hæc enim secundum *Isai.* sunt condigna principi. Et ideo dicit *Isa.* 32. quod fraudulentus non vocabitur maior. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites. Fraudulentus enim, qui dictat leges ad perdendos & expoliandos mites & innocentes, tyrannus est. Princeps autem non nisi vtilia populo decernit: & hoc aliis præcipit quod ipse prior facit. E contra de malis principibus synagogæ dicitur *Matth.* 23. Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Iste autem princeps erat summus sacerdos, sicut Episcopus, vel Archiepiscopus apud nos [synagogæ] Et in hoc notatur quod iam in sacrificiis & sacramentis synagogæ cessauerat virtus curationum, & inchoabatur noua gratia, & requirebatur qui curaret. *Hebr.* 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Si enim aliquem ad perfectum duxisset, ipse princeps synagogæ alium non requireret.

Et cecidit ad pedes IESV, rogans eum vt intraret in domum suam, quia vnica filia erat illi fere annorum duodecim, & hæc moriebatur.

Tangitur hic istius principis humilitas. Et tanguntur duo: supplicitas adorationis, & humilitas cordis. Supplicitas adorationis notatur in hoc quod pronus adorauit. *Exod.* 4. Adorauerunt proni in terram. Pronus enim cadit in Deum. Supinus autem cadit à Deo & auertitur ab ipso. Et ideo pronus manuum apprehensione adhæret Deo, & accedit ad ipsum. Supinus autem capite auertitur ab ipso, & impingit contra eum pedibus. *Deuter.* 4. Vos qui adhæretis Domino, viuitis vniuersi. De supinis autem *Isa.* 10 dicitur: In omnibus his non est auersus furor eius, & populus non est reuersus ad percutientem se. 1. *Corinth.* 14. Cadens in faciem suam adorauit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.

Ad pedes IESV] Ecce humilitas deuotionis: quia cum princeps esset, non dedignatus est locum pedum quærere. *Psalm.* 131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. 4. *Reg.* 4. Mulier Sunamitis tenuit pedes Elisei. Sic dixit Mardochæus quod pro salute Israël paratus erat osculari pedes Aman *Esther* 3. Sed & multo magis Christi. Sic mulier peccatrix stans retro secus pedes IESV osculabatur eos *Luc.* 7. Sic multi gratiam inuenerunt ad pedes Domini. *Hebr.* 4. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam inueniamus in auxilio opportuno.

Rogans eum] Ecce supplicatio in qua duo continentur: modus, & res petita. Modus exprimitur per hoc quod dicit [rogans eum] Est rogatio, petitio cum supplicatione & humilitate. *Eccli.* 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes. Et attende, quod cum magnus esset, non conceritur ad imperium vel ad preces armatas, sciens diuinitatem non cogi nisi per humilitatem. Et hoc est argumentum fidei ipsius. *Daniel.* 3. In animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur [vt intraret in domum eius] Hic tangitur res petita, & est duplex: quia vna ordinatur ad alteram, scilicet, vt intraret in domum, & suscitaret filiam.

Quæritur autem, Quare non increpatur iste sicut regulus *Ioan.*4 Et de hoc patres multas reddirunt rationes. Prima quidem est: quia iste cum istis signis humilitatis & deuotionis petit: quod non ille. Procumbit in pedibus: quod signum est deuotæ fidei licet pusillæ. *Psalm.* 98. Adorare scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Secunda autem est: quia iste ad aliud petit quam ille. Iste enim petit, vt viso lamento matris puellæ magis moueatur ad misericordiam: ille autem, quia absentem non credidit curare posse. *Isa.* 64. Nunquid super his continebis te, & tacebis, & affliges nos vehementer? Q. d. Non continebis viscera pietatis, visa tanta miseria in me, & in matre, & in familia domus: (quam quamuis scias iam per præscientiam diuinitatis) tamen humanitus moueberis videns eam oculis carnis.

Tertia causa est: quia sicut tactus mundissimæ suæ, & deitati vnitæ carnis, multa operabatur in ægris: ita sciuit quod præsentia corporalis per sensum tactus multa faceret in filia, si se domui præsentare dignaretur. Multa enim facit carbo ignitus, quæ non facit natura ignis. Et ita facit multa deitati vnita humanitas, quæ non facit per seipsam separata deitas. *Thessal* 60. Locum pedum meorum glorificabo. Locus enim pedum, est humanitas, quæ glorificatur, quando mirabilibus per suum contactum factis honoratur.

Quarta causa est, vt incarnationis ædificetur fides, quia nisi præsentia deitatis aliqua operaretur, quæ non faceret absens, non construeretur fides incarnationis. *Ioan.* 5. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me. His ergo de causis non reprehenditur qui Dominum rogauit, vt domum eius intraret. *Luc.* 19. Hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ.

Quia vnica filia erat illi] Ecce allegatio petitionis subintellectæ: quæ est, vt suscitaret filiam eius: quæ, sicut dicitur *Matth.* 9. defuncta erat. Hic autem, & *Marc.*5 dicitur, quod moriebatur, hoc est, erat in moriendo, quia exeunte patre de domo, erat in agone. Sed cum moram faceret, rediens iam tendebat ad mortem, & tandem etiam mortua est: sicut & inferius patri nuntiatur. Quatuor autem dicuntur ad exaggerationem doloris patris, & prouocationem misericordiæ Christi, scilicet, quod erat vnicum naturæ pignus, fragilitas sexus, teneritudo ætatis florentis, & miseria infirmitatis. De primo dicit [quia vnica erat illi] & ideo affectum paternum totum possederat, qui in alia naturæ pignora indiuisus erat. 2. *Reg.* 1. Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. *Ierem.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.

Filia] Ecce sexus infirmitas. Filia enim magis tenera est quam filius. *Eccli.* 36. Est filia melior filio. *Iudith* 15. Tu gloria Israel, tu lætitia Ierusalem, tu honorificentia populi nostri. Poterat enim esse quod tunc filiæ tenerius diligebantur circa aduentum Saluatoris: quia sperabatur quod de ipsis incarnandus esset Saluator. *Ruth* 3. Benedicta filia tu à Domino.

Fere duodecim annorum] iam quasi pubes effecta, & ideo iucunditati parentum parabatur, & in castitate nutrita, spem honestatis iam promittebat, & gaudium parentum. *Daniel.* 13. Parentes enim eius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. *Cantic.* 8. Soror nostra paruula, & vbera non habet, hoc est, tenella, ex qua spes posteritatis habetur, & nondum fructus.

Et hæc moriebatur] hoc est, mori incipiebat. Et hic allegatur magnitudo miseriæ: quia paternum affectum multum affecit dolor mortis filiæ, ex qua pignus nondum susceperat. *Thren.* 1. Virgines eorum squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. Significatur allegoricè hac filia, caro, vel Ecclesia, quæ moritur quidem, caro, quando ab inquieto spiritu regitur; vel Ecclesia, quando ab inquieto Prælato. *Thren. vltim.* Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Taliter autem exponere non est difficile.

Et contigit dum iret, à turbis comprimebatur.

Hic intelligitur bonitas Domini, & inclinatio ad faciendum miraculum. Et est hic inchoatio ad operationem altetius miraculi. Et tanguntur tria. Primum quorum, descriptio modi, vbi, & quomodo accessit ad eum mulier. Secundum autem, quod humilitas, & deuotio, & fides describitur mulieris accedentis. Tertium est fama miraculi, ordinata ad confortationem cuiuslibet credentis. Dicit igitur de primo quod [contigit dum iret] hoc est, in eundo esset ad domum principis: quia virtus de illo semper manabat sicut fons. *Luc.* 6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes [à turbis comprimebatur] Comprimebatur autem propter multitudinem. Turbæ enim sunt turbata multitudo: quæ etiam Dominum comprimit, nec discernit. *Ioan.* 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Pressura autem turbæ est triplex. Est enim admirantium facta eius: & ideo cum pressura ad visum prementium *Ioan.* 6. Sequebatur eum multitudo magna: quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Sunt etiam turbæ deuotorum, audire eum & videre propter ædificationem cupientium: sicut *Ioan.* 12. Turba exiens ad eum dixit Philippo: Domine, volumus Iesum videre. Est etiam turba, tota turbata Christum persequentium, & pressuras ei suscitantium: qui sequebantur vt caperent & accusarent. *Matth.* 12. Abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent IESVM in sermone, & mittunt ei discipulos suos cum Herodianis. Primi sunt quærentes fidem curiosi. Secundi fideles deuoti. Tertij simulatores fidei & indeuoti. Omnes isti accedentes eum comprimunt. Primi autem eliciunt signa ad ædificationem veritatis. Secundi comprimunt virtutem ad perficiendam bonitatem & sanctitatem. Tertij comprimunt humanitatis fragilitatem ad accusandam infirmitatem.

Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari.

Hic tangitur deuotio mulieris accedentis. Et tanguntur duo: deuotio videlicet mulieris, & meritum. Deuotio tangitur in quatuor: in sexus fragilitate, & teneritudine, in singulari dignitate,

in

in infirmitatis descriptione, in accessus humilitate. Descriptio sexus tangitur cum dicitur [& mulier] Bene mulier, pietate sua summum molliens herum, hoc est, Dominum, & IESVM CHRISTVM. *Prouerb. vltim.* Mulier timens Deum ipsa laudabitur. *Eccli.26.* Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Mulier autem hæc fortis erat, quæ se turbis immittere cogitabat. *Prouerb. vltim.* Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius [quædam] dignitate singularis. Et hæc ab *Ambrosio in Tractatu de Salomone*, dicitur fuisse Martha, soror Lazari, & Mariæ Magdalenæ. Dicit enim ibi sic: Christus largum sanguinis fluxum restrinxit in Martha: Lazarum autem suscitauit quatriduanum, & dæmones expulit de Maria. *Ioan.11.* Diligebat autem IESVS Martham, & Lazarum, & sororem eius Mariam.

Eusebius autem Cesariensis in Ecclesiastica historia dicit, quod hæc fuit specialis dignitatis fœmina, quæ ex quo curata est, ad similitudinem Saluatoris fecit fieri imaginem, cui etiam similes vestes vestibus Saluatoris induit, & fimbrias in vestibus illis fecit, similes fimbriis vestium Saluatoris: & eam in horto & curia sua collocauit. Herbis autem crescentibus sub imagine, quæcunque herbarum fimbrias attigerunt, similem curationis effectum acceperunt, & fluxum sanguinis curauerunt. *Ruth 3.* Scit omnis Israël mulierem te esse virtutis.

Erat in fluxu sanguinis] Describitur hic magnitudo infirmitatis à quatuor: à specie ægritudinis, ab antiquitate, à sumptibus quos fecerat in medicos, & ab incurabilitate. A specie quidem cum dicitur [Erat in fluxu sanguinis] Et hæc alibi dicitur emorroissa, ab emor quod est sanguis, & rois persice, quod est fluxus. Et hic fluxus non erat menstruorum, sed emorroidarum: qui quando est cum menstruo fluxu, & omnium quinque venarum, periculosus est, & facit casum virtutis, & consumptionem substantiæ corporis. Et hic fluxus est humoris, qui nutritiuus est corporis: in quo etiam sedes vitæ est, & causa virtutis. *Leuit.15.* Mulier quæ sanguine fluere non cessat, quandiu huic passioni subiacet, immunda erit. Erat ergo hæc infirmitas, & periculosa, & immunda, & tædiosa. *Psalm.50* Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Fluxus autem dicit distillationem continuam sanguinis immundi. *Osea 4.* Sanguis sanguinem tetigit.

Ab annis duodecim] quot annorum etiam erat puella suscitanda. Sunt autem hi anni circulus vnus perfectus natiuitatis secundum naturam: quia periodus natiuitatis secundum astronomos habet duodecim domos ex 12. signis confectas: & quælibet domus ponit vnum annum. Et ex quo in duodecim annis confortata non fuit, signum erat quod esset morbus incurabilis, qui in nulla suæ parte periodi iuuabatur à virtute cælesti. *Ierem.2.* Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. *Isa 34.* Tabescent montes à sanguine eorum, & tabescet omnis militia cælorum. Omnis autem militia militans ad nocumentum, vel profectum vitæ hominis, est in 12. signis domorum periodi. Et ideo 12. sunt stellæ in corona capitis mulieris *Apoc 12.* quæ genus humanum significat.

Quæ in medicos erogauerat] Ecce sumptus quos expenderat. Dicit igitur [quæ] mulier miserabilis & mollis per infirmitatem effectam [in medicos] hoc est, in medicorum & medicinæ sumptus. Attendens hoc quod dicitur *Eccli.38.* Honora medicum: propter necessitatem enim illum creauit Altissimus. Et *ibidem.* Deus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam [erogauerat] hoc est, expenderat [omnem substantiam suam] hoc est, facultates siue reditus facultatum suarum, quæ dicuntur substantia, quia per eas subsistit infirmitas humana. Attendens illud *Iob 2.* Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. Quid enim prosunt bona temporalia, si non adsit vita vtentis eis?

Nec ab illis] scilicet medicis [potuit curari] Et in hoc notatur morbi incurabilitas, ad commendationem miraculi pertinens. *Eccli.10.* Langor prolixior grauat medicum, breuem langorem præcidit medicus.

Moraliter autem notatur dispositio huius infirmi in sexu, in circunstantia, in specie ægritudinis, in prolixitate, in sumptibus, & in incurabilitate. Non enim sanguine flueret, nisi mulier, hoc est, mollis esset. Mollis autem est qui carnalibus vitiis est emollitus, in nullo concupiscentiæ carnali resistens, & nihil in contrarium laborans. Et hunc etiam Philosophi mollem vocauerunt. *Rom.1.* Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. *Matth.11.* Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Eccli.11.* Mulier fornicaria quasi stercus in via ab omnibus conculcabitur. Molle enim omni tangenti cedit, & omne tangens in se recipit. *Ierem.2.* Omnes qui quærunt eam, in menstruis suis inuenient eam. Hæc ergo erat in fluxu sanguinis, hoc est, in concupiscentia fluxus carnalis. *Ezech.16.* Conculcata in sanguine tuo. Econtra de bonis dicitur, Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt *Ioan.1.*

Ab annis duodecim] A duodecimo anno incipit fortis motus concupiscentiæ: quia tunc humor generationis ad loca pudoris incipit descendere. *Ierem.3.* Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego recipiam te. *Ezech.16.* Peruenisti ad mundum muliebrem, vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda & confusione plena. Et hoc est [à duodecimo anno] Tunc enim ornamenta lasciua adhibent sibi fœminæ, quæ vocat Propheta mundum muliebrem: quia exterius præferunt munditiam in habitu, quam intus non habent: & tunc ex concupiscentia tument vbera, & prominent quasi poma, & pilus inguinis ex humore descendente ad loca pudoris germinare incipit: qui pilus significat cogitationes immundas. Quod pro certo fit in puellis ab annis 12. In masculis autem fit à quartodecimo.

Medici autem] sunt carnales consolatores, sicut fornicatores, & gulosi: & medicinæ sunt fomenta libidinum. *Ezech.16.* Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti. *Luc.15.* Expendit omnem substantiam suam cum meretricibus viuendo luxuriose [nec ab illis potuit curari] quia libido est insatiabilis. *Prouerb.30.* Os vuluæ est insatiabile. Os autem vuluæ (quæ à volendo dicitur, quia semper vult, & volendo non satiatur,) concupiscentiam

centiam significat carnalem. Redeamos autem ad literam, huius mulieris deuotionem terminantes. Dicit ergo.

Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.

Tanguntur hic tria: accessus deuotionis, verecundia pudoris, & tactus fidei. Accessus deuotionis tangitur cum dicitur [Accessit] hoc est, deuotione appropinquauit. *Psalm.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. *Hebr.* 12. Accessistis ad Sion montem sanctum, & ciuitatem viuentis Dei Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritum iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem IESVM, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Qui enim ad Christum deuote accedit, omnia hæc inuenit. Inuenit montis æterni in spiritu contemplationem. Inuenit etiam ciuitatis cælestis suffragium, & Angelorum præsidiū, & Ecclesiæ primitiuorum exemplum, & iudicis omnium iudicium, & Spiritus sancti donum, & sanguinis Christi pretium & testificationem. Et ideo non est mirum si consequitur auxilium, & medicamentum gratiæ curantis. Accessit ergo.

Retro] ostendens sicut peccatrix verecondiam. *Ierem.* 31. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Daniel.* 9. Nobis confusio faciei regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris qui peccauerunt. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio. *Psalm.* 50. Peccatum meum contra me est semper.

Et tetigit fimbriam vestimenti eius] Ecce tactus fidei. Et notantur duo, quod tetigit, & quid tetigit. Quod tetigit, fidei fuit. Sciuit enim quod aliqua virtus deitatis lateret in omni eo quod tangeret. Non enim tangit nisi ad immutationem. Et ideo adoratur lignum crucis, & vestitus eius, & omne quod tetigit. *Genes.* 27. Accede ad me vt tangam te. Tangit enim se tangentem, & tangit ad immutationem salutis. *Luc.* 7. Accessit & tetigit loculum, & restedit qui erat mortuus. *Matth.* 8. Tetigit leprosum dicens. Volo, mundare. Hoc autem maioris fidei fuit quæ tetigit per medium. Et confunduntur per hoc hæretici, qui irrident adorantes vestes & reliquias Sanctorum: dicentes nihil inesse virtutis rebus irrationabilibos: ad quorum confutationem Dominus voluit ad tactum vestimenti sui sanitatem præstare isti fœminæ.

Tetigit ergo fimbriam] quæ minima est [vestimenti] Et sicut dicitur *Matth.* 9 diait in corde suo: Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. Legerat enim vel audierat quod dicit *Psalm.* 132. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Vnguentum enim gratiæ à capite Christo descendit in Apostolos, tanquam in eos qui immediate capiti adhæserunt. Et ad literam, descendit in fila vestimentorum eius, ex quibus fideles capiunt iuuamentum. Et ideo vocantur vestes sacræ.

Significatur autem allegorice in hoc quod tactus IESVS per fidem in quolibet ministro Ecclesiæ minimo sanat infirmitates peccatorum, & sæpe etiam infirmitates corporum: quia non minister operatur, nisi sicut instrumentum. IESVS autem est à quo exit virtus. Quicquid enim adhæret corpori IESV sanitates perficit. Quod autem corpori non adhæret, sicut hæreticus & schismaticus, non perficit sanitates. Et hoc signatum est 3. *Reg.* 18. vbi Elias exauditur. Sacerdotes autem Baal non exaudiuntur qui significant hæreticos. Post resurrectionem autem quia corpus glorificatum non immutat aliquod non glorificatum, nec aliquam sui qualitatem immittit in ipsum, non consequitur aliquid tangens Christū. Et ideo calix non immutatur à sanguine Christi, neque palla à corpore. Et ideo pallæ aut calicis tactus non leguntur tales sanitates perfecisse. Et ideo forte dixit *Ioan.* 20. Noli me tangere: quia talis tactus non confert immutationem. Veronicæ autem vestimentum ante Resurrectionem tetigit, & ad effigiem immutauit, & per illud multis contulit sanitates diuersas.

Est autem attendenda mulieris huius mirabilis humilitas, quæ sibi fimbriam congruere & sufficere reputauit ad consequendam salutem. Cum enim parua esset in oculis suis, parua reputauit sibi congruere Et cum plena esset fide, sciuit quod in minimo adhærentium Christo, sufficiens esset virtus ad suæ salutis perfectionem. 1. *Corinth.* 1. Quod infirmum est Deo, fortius est hominibus. 1. *Reg.* 15. Cum esses paruulus in oculis tuis, constitui te regem Israël.

Et confestim stetit fluxus sanguinis eius.

Tangit hic miraculi perfectionem, & tangit tria: curationem subitam, infirmitatem terminatam, & sanitatem restitutam. Primum est supra naturam, secundum supra artem, & tertium est supra creatam virtutem. Primum enim est supra naturam: quia natura operatur cum motu, & transmutatione, & tempore. Hæc autem curatio est in momento. Et hoc tangit cum dicit [Et confestim] Quia sicut dicit *Amb.* nescit tarda rerum moliminaSpiritus sancti gratia. Infinitæ enim virtutis non est operari paulatim, & cum tempore, sed confestim & in momento. Et hoc probat *Arist.* tali ratione. Quia si virtus aliquanta finita operatur aliquid in aliquanto tempore, dupla illius operatur hoc in dimidio dimidij temporis: & sic de aliis duplis virtutibus. Ergo infinita virtus quæ non habet proportionem ad illam, operabitur hoc in instanti. Et hoc est confestim & in momento. Et hoc est quod dicitur, quod sibi velle & dicere facere est. *Matth.* 8. Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. *Sapient.* 16. Subest enim tibi cum volueris posse. *Esther* 13. Si decreueris saluare, continuo liberamur.

Stetit fluxus sanguinis eius] Ecce terminatio infirmitatis. Fluxus enim sanguinis non nisi ex vna trium causarum prouenire potuit. Aut enim prouenit ex quantitate sanguinis, aut ex corruptione, aut ex defectu virtutis retentiuæ. Et quocunque mod● causabatur infirmitas, per imperium Domini stetit sanguis. Et hoc optime significatum est *Exod.* 4. Tolit Sephora acutissimam petram & circumcidit carnem præputij filij sui. Et sequitur. Sponsus sanguinum tu mihi es; & dimisit

fit eam. Sephora enim interpretatur, adhæsio placuit, & significat hanc mulierem, cuius adhæsio Christo placuit. Petra autem acutissima Christus est, acutissime à nobis & profunde abscidens omnem maculam corruptionis. Caro præputij, significat superfluum fluxum sanguinis corrupti ex defectu perditæ virtutis manantem in omnem concupiscentiæ fœditatem, quæ per Christum abscisa & circuncisa est. Et ideo stetit sanguis, hoc est, concupiscentiæ ebullitio. *Psalm.* 50. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam. *Ezech.* 16. Dixi tibi dum esses in sanguine tuo, Viue. Stat enim fluxus sanguinis quãdo terminatur fluxus concupiscentiæ ex sanguinis feruore proueniens. Et ideo miraculũ quod semel in ista Dominus muliere perfecit carnaliter, quotidie spiritualiter adimplet in fidelibus quos à feruore liberat concupiscentiæ.

In his autem duobus tertium intelligitur quod est restitutio integræ sanitatis, per multitudinem exuberantis sanguinis diminutam, per corruptionem humoris sublatam, per alterationem feruentis sanguinis ad temperiẽ reductam, per virtutem perditam per peccatum restitutam. Hæc enim quatuor exiguntur ad restitutionem integræ sanitatis. *Ioan.* 5. Totum hominem sanum feci in sabbato. Diminuitur autem sanguis superfluus fœde manans, per abstinentiam. Corruptio sanguinis tollitur per continentiam. Feruor frænatur per pœnitentiam. Virtus restituitur per gratiam. Ad primum monet Dominus *Ioel.* 1. Sanctificate ieiunium. Et iterum *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieionio, & fletu, & planctu. Ad secundum *Luc.* 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Ad tertium *Matth.* 4. Pœnitentiam agite: apptopinquauit enim regnum cælorum. Ad quartum *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.

Si autẽ quæritur, Quomodo hæc mulier cognouit ad se tediisse beneficium sanitatis? Dicendum, quod cognouit hoc confortatione virtutis, & consolidatione corporis, & exiccatione humoris, quæ in momento in tantum inualuerunt in ea, ac si contraria horum nunquam per infirmitatem in ipsa sensisset. *Ierem.* 17. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. *Psalm.* 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Et ait IESVS: Quis est qui me tetigit?

Hic incipit huius miraculi diffamatio, ad laudem & gloriam facientis, & ad confortationem fidei Archisynagogi, suscitationem filiæ à Domino flagitantis. Quia videns sanatam mulierem ex tactu fimbriæ, confortatus est ad hoc quod crederet futuram suscitationem filiæ, si per seipsum dignaretur eam tangere. Dicit autem hic quatuor quæ pertinent ad famam tanti miraculi, quorum primum est dispensatoria ordinata ad illuminationem astantium interrogatio. Secundum autem est illuminationem desiderantium Petri & aliorum responsio. Tertium autem est obscura quædam de virtute tacti Domini eruditio. Quartum autem est veritatis plena teseratio. De primo horum dicit.

Et ait IESVS] Non ignorans, sed dispensatorie ad illuminationem excitans [Quis est?] Duo dicit: personæ enim notat dignitatem, & facti magnitudinem. Personæ enim notat dignitatem cum dicit [quis est] hoc est, quantæ dignitatis. Simile *Luc.* 7. Quis est qui etiam peccata dimittit? *Psalm.* 23. Quis est iste rex gloriæ? *Luc.* 15. Quæ mulier habens drachmas decem &c. Nec ignorat sexum, quærens per dictionem masculini generis, sed sciens fœminam esse, quæ iam mente virum induerat, ponit interrogationem per masculinum. 2. *Machab.* 7. Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ fœmineæ cogitationi masculinum animum ingerens erat.

Qui me tetigit] Ecce supponit virtus actum, qui est tactus. Tangitur enim Deus formata, viua, & deuota fide. Formata per dilectionem, viua per sperandarum rerum in corde vigorem, deuota per desiderij feruorem. De formata dicitur *Galat.* 5. Fides quæ per dilectionem operatur. Viuit autem fides, quia secundum actum & experimentum in nobis, certitudine quadam fundat res sperandas. *Hebr* 11. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Feruens autem fides est, quæ non sinit cor in seipso quiescere, quin tendat in id quod credit: & hæc est quæ vocatur non ficta 1. *Timoth.* 1. Charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide nonficta.

Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant.

Ecce illuminationem de quæstione Domini desiderantium responsio. Et tanguntur tria, quorum primum est eorum qui virtutem verborum Domini ignorauerunt, negatio. Secundum autem Petri, qui princeps Apostolorum erat, & aliorum qui cum illo erant, ad illuminationem Dominum inclinans responsio. Tertium autem de quæstione à Domino facta admiratio. Primum notatur in hoc quod dicitur [Negantibus autem omnibus] Non enim negat sermonem Domini nisi qui virtutem eius ignorat. Qui autem virtutem verborum Domini cognoscit, non negat: sed aut assentit, si intelligit: aut si non intelligit, illuminationem expectat & requirit. De negantibus autem dicit *Iob* 31. Hæc est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. *Tit.* 1. Non mentitur Deus. *Num.* 23. Non est Deus vt homo vt mentiatur. *Rom.* 3. Est Deus verax, omnis autem homo mendax [Negantibus autem omnibus] sermonem Domini [dixit Petrus] Apostolorum princeps, & vertex in solidissima petra veritatis fundatus. *Matth.* 16. Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis [Et qui cum illo erant] in consensu studij ad veritatis inquisitionem. *Psalm.* 104. Quærite faciem eius semper. Qui non fuerunt rebelles lumini.

Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt: & dicis, Quis me tetigit?

In hac admiratione continentur tria. Primum quidem præceptoriæ excellentiæ professio. Secundum eius quæ in effectu apparuit veritatis ostensio. Tertium autem de quæstione à Domino facta admiratio.

admiratio. Dicit enim[Præceptor]quia suum erat omnis diuinæ illuminationis dare præcepta. Præceptor enim est omnis magisterij habens perfectionem. *Luc*. 5. Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. In verbo autem tuo laxabo rete. Q. d. Quamuis humanæ rationi videatur inutile, scio quod verbum tuum fultum est omni veritate, nec potest esse irritum & inane quod loqueris. *Prouerb*. 8. Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis prauum quid atque peruersum. *Math*. 24. *Luc*. 21. Verba mea non transibunt.

Turbæ te comprimunt] Ecce veritatis quæ est in effectu apparet ostensio. Turbæ autem sunt multitudo turbata, confusa: & tamen Dominum sequens. Multitudo quidem ad vnum non reducta, eo quod vnus non vniuit eam spiritus: sicut dicitur *Act*. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Turbata autem fuit affectus turbatione, quia non simplici corde quærebat Dominum. Contra quod dicitur *Sapient*. 1. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Confusa autem fuit in ordinatione: quia modo confitebatur, modo negabat: modo honorabat, modo lapidare volebat. *Ioan*. 7. Quidam dicebant quia bonus est. Alij autem dicebant, Non, sed seducit turbas. Sequebatur autem Dominum pro corporis & non animæ vtilitate. *Ioan*. 6. Quæritis me: non quia vidistis signa, sed quia comedistis ex panibus. Et ideo etiam hæc turba non tangit Dominum ad virtutis emissionem, sed ad compressionem, & afflictionem. *Psalm*. 35. Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. *Malach*. 3. Si configet homo Deum suum, quia vos configitis me. Et ideo dicit suis *Ioan*. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Turba ergo talis comprimit IESVM, & affligit. Et ideo in eam nihil suæ virtutis emittit [& dicis] qui non nisi vera dicis. *Deut*. 32. Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus & rectus. Peccauerunt ei & non filij eius in sordibus.

Quis me tetigit?] Quod dictum quidem omnes mirantur, & quærimus à te, scire desiderantes causam dicti tui. Vidit enim Petrus tangi Dominum & comprimi extrinsecus: qui tactus similis est tactui mathematico, qui tangendo coniungitur quidem in vltimis, sed non facit aliquam naturalis virtutis immutationem. Naturalis autem tactus est, quando quod tangit & tangitur, immutant se inuicem secundum suas virtutes & qualitates. Et admirabatur de quo horum tactuum Dominus loqueretur. Et lux vera (quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ semper adest quærentibus veritatem) dixit quod sequitur.

Et dixit IESVS: tetigit me aliquis: nam & ego noui virtutem de me exiisse.

Et dixit IESVS] subobscure, ostendens suæ quæstionis rationem & illuminationem. Dicit autem duo. Confirmat enim primo iterando quod dixerat [Tetigit me aliquis] non tactu turbatum comprimente & affligente, per quem nulla de me elicitur virtus, sed tactu deuotionis & fidei. *Cantic. vltim.* Venter meus intremuit ad tactum eius. Venter enim est quo continentur virtutes diuinæ. *Luc*. 6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Et attende, quod tacta fimbria tactum se dicit: quia ad litteram fumus & vapor à corpore Saluatoris resolutus, quod diuinitati vnitum est, fimbriæ adhæsit, & virtus eius fideles saluauit. Et hoc est quod sequitur [Nam noui virtutem de me exiisse] *Luc*. 5. Virtus erat Domini ad saluandum omnes. *Act*. 10. Pertransiit bene faciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat in illo. Cognouit autem hoc Dominus per sui effectus experimentum: qui tamen omnia præcognouit per deitatis suæ sapientiam & præfinitionem.

Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.

Hic incipit veritatis plena reseratio. Et continet duo: ex parte mulieris scilicet veritatis confessionem, ex parte autem Domini facti miraculi confirmationem, & causæ miraculi reuelationem ad omnium fidelium & infidelium eruditionem. Circa primum notantur tria, scilicet, causa mulierem ad confessionem veritatis inducens, modus humilitatem confitentis prætendens, & ipsa confessio veritatem explanans. Causa autem quæ mulierem ad confitendum induxit, tangitur in hoc quod dicit [Videns autem mulier] visu fidei & munditiæ cordis, quibus duobus oculis potentia videtur deitatis in Christo miracula faciente. *Psalm*. 118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Luc* 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. His ergo oculis vidit [quia non latuit eum] quem nihil latere potuit. *Hebre*. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. *Eccli*. 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem, intuentes in absconditas partes [Videns] ergo quia visa est ab eo quem nihil latuit: quamuis dissimularet vt conuenientius instrueret astantes, & ad fidem induceret aliena confessione virtutis.

Tremens] Ecce modus plenam & perfectam prætendens humilitatem. Et tangit quatuor: tremorem verecundantis, accessum amantis, procasum adorantis, & humilitatem se sibi per omnia subiicientis. De primo dicit [tremens] verecundia eam quasi dissoluente: quia se tanti miraculi operatione reputauit indignam, & incongruum sibi esse quod gratissimo conspectui Christi præsentaretur. *Psalm*. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Iob* 4. Pauor tenuit me & tremor: & cum spiritus me præsente transiret. inhorruerunt pili carnis meæ [venit] Charitate Deo appropinquans. *Iacob*. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis [procidit] adorando. *Matth*. 4. *Deuter* 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Psalm*. 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum [ante pedes eius] se humiliter sibi subiiciendo. *Psalm*. 36. Subditus esto Domino, & ora eum. *Ps*. 131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. Simile quid

peragens

peragens illi peccatrici quæ erat in ciuitate *Luc.*7. Non enim despectabilem reputauit locum, vbi illa consecuta est veniam, vbi gratias agit, vbi misericordiam inuenit per effectum salutis.

Et ob quam causam] Ecce confessio veritatis duplex. Confitetur enim opus, & confitetur effectum operis. Opus enim quod fecit in intentione sua, causabatur ex sperato effectu salutis: licet secundum rem è conuerso per tactum meritorie causaretur effectus salutis. Et hoc est quod dicit [& ob quam causam] quæ non in re, sed suæ intentionis causa fuit[tetigerit eum]sciens scriptum esse *Cantic.*1. Oleum effusum nomen tuum. Et ideo tangit vt oleum misericordiæ eliciat [coram omni populo] vt famosius sit miraculum [indicauit]Opera enim Dei prædicate, honorificum est *Tob.*12. *Isa.*12. Annuntiate hoc in vniuersa terra [& quemadmodum confestim sanata sit] Ecce confessio salutis. *Isa.*53. Vere langores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Vnde *Gloss.* De IESV erit virtus, quæ propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, & sanat omnes infirmitates nostras.

At ipse dixit illi: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace.

Ecce operatæ salutis confirmatio. Et tanguntur tria: benigna saluatæ allocutio, efficaciæ fidei protestatio, pacifica mulieris sanatæ dimissio. Primum notatur cum dicit[Filia]quæ iam patrem requiris & similitudinem prætendis. *Ruth.*3. Benedicta filia tu à Domino, & priorem gratiam posteriore superasti. 1.*Ioan.*3. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.

Fides tua te saluam fecit]Causa meritoria non ex condigno, sed ex congruo. *Luc.*7. Fides tua te saluam fecit. Hæc autem est fides formata, quæ cor purificat. Et hoc quod postulauit, Christum præstare posse non dubitat. *Act.*15. Fide purificans corda eorum. *Iacob.*1. Postulet in fide nihil hæsitans.

Vade in pace] tibi per sanitatis operationem restituta. *Isa.*57. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua. Hæc est pax in qua non bellat oppugnans infirmitas, sed sanitatem confirmat, & consolatur cordis tranquillitas. *Philip.*4. Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Hæc responsio & dimissio confundit turbam comprimentem, erudit cœtum Apostolicum quærentem, consolatur infirmum ad Christum accedentem, & confutat hæreticum de diuinitate Christi mentientem, & confortat laicum maius à Domino miraculum expetentem. Sicut enim dicit *Gregor.* ex perceptione præsentium munerum, firma fit expectatio futurorum. Et in hoc terminatur miraculum de sanatione mulieris emorroissæ.

Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

Vt vitæ & mortis ostendatur habere imperium verbum à Discipulis prædicandum, ad hoc inducitur ista historia. In hac enim potestate verbi, perficiuntur Episcopi in hac vltima parte istius capituli. Diuiditur autem historia hæc in quatuor particulas, in quarum prima continetur id quod ostendit miraculi istius magnitudinem: in secunda continetur id quod facit ad gratiæ istius in alios propagationem: in tertia id quod facit ad mœrentium consolationem, & irridantium confutationem: in quarta vero id quod facit ad miraculi perfectionem & admirationem. In prima harum duo sunt paragraphi. Primo enim nuntiatur mors cum diffidentia suscitationis. Consequenter confortatur ad fidem cum certa promissione salutis.

Quatuor autem tanguntur in paragrapho 1. Notat enim primo continuationem huius historiæ, in qua omnes tres Euangelistæ conueniunt, quod immediate continuatur ad præcedentem. *Marc.*5. *Matth.*9. & hic *Luc.*8. Quia sicut diximus, præcedens factum inducitur in argumentum fidei ad istud: sicut & Iudæi admirantes dicunt *Ioan.*11. Non poterat is qui aperuit oculos cæci nati facere, vt & is non moreretur. Consequens enim est vt si vitæ habet potestatem, quod & mortis habeat potestatem, & quod in ditione sua cuncta sint posita. *Esther*13. & *Sapient.*16. Et *Apostolus* 1.*Corinth.*15. postquam ostendit quod omnia subiecta sunt ei, infert quod nouissime etiam inimica destruetur mors. Et sic procedit hic Christus, sui verbi ostendens potestatem. Et hoc est quod dicit.

Adhuc illo loquente] Et simile est in contrario, cum Dominus probare vellet Beatum Iob, quod dicitur: Adhuc loquebatur ille, & venit alius, &c. Vt sicut ibi tristia tristibus succedebant: ita hic virtus virtutis esset argumentum, & augeretur fides credentium. Secundo tangit fidem nuntij venientis, cum dicit.

Venit quidam] Q.d Non quilibet dubitatæ fidei, sed exceptæ actionis [quidam] cui credi oportebat [venit ad principem synagogæ] ad quem paruus vel dubitatæ fidei nuntius non mitteretur. 3.*Reg.*14. Ego missus sum ad te durus nuntius. *Isa.*21. Vade, pone speculatorem: & quodcunque viderit, nuntiet. Dispensatoria autem est hæc nuntiatio ad magnitudinem faciens miraculi. Tertio tangit nuntium quod affert.

Dicens ei: Quia mortua est filia tua] Dixit autem cum diffidentia spei salutis, æstimans diminutam virtutem esse Domini, quæ qualitates vitæ mutare posset, & non haberet mortis potestatem. Mors autem priuatio est vitæ, corruptio principiorum naturæ, expiratio spiritus vehentis virtutes vitales in corpore, destructio organicorum instrumentorum animæ. Et ideo secundum naturam impossibilis est regressus à morte ad vitam. *Sapient.*2. Non est agnitus qui reuersus sit ab inferis. *Thren.*3. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Talis igitur est mors puellæ. Vt autem dolor crucians ostendatur in patre, dicitur[filia tua]quæ pignus est naturæ, vnicum solatium vitæ tuæ, antequam fructum ex ea receperis. *Luc.*2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. 2.*Reg* 18. Quis mihi det vt ego moriar pro te? Quartum est in paragrapho isto argumentum diffidentiæ salutis, cum dicit nuntius.

Noli vexare illum]Et est ista diffidentia pietati

admixta:ne IESVS qui in multis procurans salutem nostram laborauerat, vlterius in cassum vexaretur. *Exod.* 18. Stolto labore consumeris. *Marc.* 5. Filia tua mortua est: quid vltra vexas magistrum? Q. d. Consolationem accipe quam poteris: quia filia tua non redibit ad vitam. Sic 2. *Reg.* 12. Dauid mortuo filio consolatus est, dicens: Propter infantem cum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui: dicebam enim: Quis scit si forte eum donet mihi Dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vadam magis ad eum: ille non reuertetur ad me. Et hæc est causa quod nuntius à Domino non increpatur: quia factis Patriarchæ & Prophetæ se conformauit, sed tantummodo confortauit patrem. Et hoc est quod sequitur.

IESVS autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere: crede tantum, & salua erit.

Dicit autem duo: consolationem, & confortationem ad fidem: & secundo consolationis & confortationis adhibet causam. Consolatio est cum dicit [Noli timere] timore diffidentiæ. Hic enim timor auferendo spem, occidit salutis fidem. Et ideo præcipitat in desperationem. *Sapient.* 17. Cum sit timida nequitia data est in omnium condemnationem: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Et *ibidem.* Dum ab intro minor est timor, maiorem putat potentiam eius causæ, de qua tormentum præstat. Tali ergo timore [noli timere] 2. *Paral.* 20. Nolite timere, neque paueatis, sed tantummodo confidenter state, & Dominus erit vobiscum. Et hoc est quod sequitur Sed [crede tantum] fide confortata. *Genes.* 18. Nunquid Deo quicquam est difficile? *Luc.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Fides enim omnipotentiæ Dei innititur: & ideo omnia possibilia sunt credenti. *Rom.* 4. & *Genes.* 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ostende ergo esse tanti Patriarchæ filium, & crede. *Ioan.* 14 Creditis in Deum, & in me credite. Ego sum virtus Dei, quæ omnia portat & mutat pro voluntatis arbitrio [& salua erit] Non solum ab ægritudine, sed etiam à morte. 1. *Reg.* 2. Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. *Iob* 5. Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. Virtus hæc quidem in homine non est, sed ego sum Deus. Vnde hanc rex Israël sibi non inesse professus est, dicens 4. *Reg.* 5. Nunquid ego sum Deus vt occidere possim & viuificare. Deus autem viuificat. *Rom.* 6. Deus qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

Aduertendum autem hic quam opportuna, & quam cauta fuit ista responsio. Opportuna, quia tempore illo facta: cum tristia nuntiarentur. Et hoc notat Euangelista cum dicit [IESVS autem audito hoc verbo] tristis nuntij. Fecit enim iuxta consilium Sapientis *Prouerb. vltim.* Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro animo sunt. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. Sicera enim & vinum gaudium excitant. Et significant diuinas in tempore tristitiæ consolationes. Clauum enim clauo exclusit. Clauum verbi tristitiæ, clauo verbi consolationis. *Eccle. vltim.* Verba sapientum, quasi stimuli & quasi claui in altum defixi. Cauta vero fuit. Non enim altercatus est cum nuntio, sed conuertit se ad patrem, qui pro affectu paterno libens verba de salute filiæ recepit, alloquens eum de salute speranda filiæ. *Isa.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam. Sic ergo consolatus est patrem, & confortauit ad fidem. Sequitur.

Et cum peruenisset ad domum, non permisit intrare secumquenquam, nisi Petrum & Ioannem & Iacobum, & patrem & matrem puellæ.

Hic agitur de gratiæ istius in alios propagatione. Tangit autem hic duo, quam benigne scilicet defuncto nihil abhorrens appropinquauit, & quos gratiæ illi sociauit vt in eos fortius propagaretur. De primo dicit [Et cum peruenisset ad domum] Ecce quod nihil abhorrens defuncto appropinquauit. Sciuit quod sicut in contactu leprosi, ita nec in contactu mortui contaminaretur. Vnde *Sap.* 7. Accessit & tetigit loculum defuncti. Oportuit enim quod medicus nostrarum infirmitatum nobis appropinquaret, & intra domum miseriæ nostræ conuersaretur: vt nos vndique tangens, & nostra sua faciens, mortem nostram fugaret. Vnde *Luc.* 10. Appropians alligauit vulnera saucij, & à latronibus vulnerati. Hoc est quod petiuit Rebecca *Genes.* 24. Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? Hoc quod secundum veram translationem dicitur *Ioan.* 1. Verbum caro factum est, & tabernaculo mansit in nobis. Sic enim peruenit ad nos in domum, non iam stans post parietem miseriarum nostrarum. *Cantic.* 2. Et respiciens deitatis oculo per fenestras occultorum nostrorum, & respiciens per cancellos manifestorum nostrorum: sed in ipsam nostrorum humanorum defectuum intrans domum. *Baruch* 3. In terris visus est, & cum hominibus infirmis conuersatus. Sic ergo cum peruenisset ad domum, hoc est, ad huius mortuæ puellæ hospitium in domum Archisynagogi, hoc est, Moysi, de iudaismo corpus assumens in quo iacebat defunctus, quem lex suscitare non potuit.

Non permisit] Ecce tangit iti quot, & quos gratia ista fuit propaganda. Notantur autem duo: quorundam exclusio propter malum meritum, & quorundam aduocatio propter suum beneplacitum. Exclusio malorum tangitur ex modo negationis, cum dicitur [non permisit secum intrare] quod attendens *Apostolus Hebr.* 4 dicit: Festinemus ingredi in illam requiem vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Requies autem illa est in qua quiescitur ab infestatione mortis. *Rom.* 11. Electio consecuta est: cæteri autem excæcati sunt. Vnde hic irridentes & tumultuantes exclusi sunt: sicut patet *Matth.* 9 & *Marc.* 5. Tumultuantes sunt confusionem & tumultum sæculi sequentes. *Isa.* 3. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Irridentes autem sunt spiritualia nescientes, & carnalia sola reputantes. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos. Hos igitur exclusit,

clusit, & hac de causa [nisi Petrum & Ioannem & Iacobum] de suis [& patrem & matrem puellæ] qui erant ex parte defuncti cui præstandum erat beneficium, admisit.

Ad defunctum enim suscitandum ex parte Dei duplex requiritur operatio : Dei scilicet, & ministrorum. Ministrorum autem triplex : potestatis perfectæ in sacramentomm collatione,& veritatis diuinæ in fidei cognitione , & gratiæ gratuitæ in virtutis operatione. Primum horum significatur per Petrum , cui ligandi & soluendi plena collata est potestas. *Matth.* 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Secundum significatut per Ioannem,qui radio irreuerberato veritatem perspexit , de qua dicitur *Ioan.*8. Cognosceris veritatem , & veritas liberabit vos. Et *Ioan.*17.Sanctifica eos in veritate:sermo tuus veritas est. Tertium significatur in Iacobo , qui luctator interpretatur, & primus luctam virtutis inter Apostolos pro Christo perfecit, in quo virtus in lucta non occubuit. *Act.* 12. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio: Et hæc est causa quod de Apostolicis ministris hos & non alios sumpsit:sciens sufficere ad mortis propulsationem cum diuina operatione clauium potestatem , veritatis agnitionem , & virtutis & gratiæ operationem. Ex parte autem puellæ assumit patrem, qui Prælatum significat, paterno affectu subditum diligentem, & acerbo luctu de morte filiæ lugentem [& matrem] lacero pectore pro filia deprecantem , quæ Ecclesiæ significat suffragium.

Hæc enim quinque, nisi defunctus obicem ponat, & in morte remanere contendat, cum operatione diuina sufficiunt ad mortui suscitationem. Postulatio patris significatur *Ioan.*4. vbi pater dicit:Domine descende prius quam moriatur filius meus. Hoc verbom semper esse debet in ore Prælati orantis pro subditis. Suffragium matris significatur *Luc.*7. Hæc vidua erat, & multa turba ciuitatis cum illa. Ecclesiæ enim suffragia multos impetrant suscitari. Hoc est quod Aaron Prælatus pro populo rogans , inuenisse legitur quæ ad vitam est via. *Sapient.* 18. Similiter mater pueri impetrasse legitur suscitationem filij 4.*Reg.*4. Testes etiam idonei sunt diuinæ operationis in sacramentis,minister perfectæ potestatis,doctor limpidæ veritatis, & operator gratiosæ virtutis : per quos excluditur Schismaticus potestatem Ecclesiasticam scindens, hæreticus veritati fidei contradicens , prophanus & immundus virtuti se opponens. His igitur de causis hos assumpsit. Sequitur.

Flebant autem omnes , & plangebant illam. At ille dixit : Nolite flere: non est mortua puella , sed dormit. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.

Hic ponuntur ea quæ faciunt ad mœrentium consolationem , & irridentium confutationem. Dicuntur ergo hic duo. Primo qoidem mœrentium consolatio. Secundo irridentium confutatio. In primo homin tria dicuntur. Primo enim mœrentium luctus exprimitur. Secundo consolatio lugentibus adhibetur. Tertio ratio consolationis subiungitur. De primo dicit [Flebant autem] lacrymis [omnes] propter affectum patris , qui in mansuetudine omnibus profuit, & præfuit:& ideo patris tanti dolorem quilibet tanquam proprium defleuit [& plangebant illam] lugentes quod intempestiue defuncta sit adhuc vernans flore iuuentutis. *Isa.* 38. Dum adhuc ordirer , succidit me: præcisa est velut à texente vita mea , cum adhuc vita multis diebus videretur esse texenda. *Eccli.* 21. Super mortuum plora , defecit enim lux eius. Fletus igitur pertinet ad lacrymarum fusionem. *Psalm.* 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquas , & oculis meis fontem lacrymarum , & plorabo die ac nocte? Multum enim plorandum est, vt defunctus reuocetur ad vitam. Planctus autem refertur ad lugubre carmen. Vnde *Matth.*9. dicitur quod eiecit de domo tibicines. Consuetudo enim erat Iudæis in exequiis defunctorum & planctu, multas facere impensas : ita quod , sicut tradit Iosephus, multi propter expensas defunctorum suorum depauperati sunt. Tibicines ergo carmen lugubre præcinuerunt, aliis succinentibus idem carmen. Et hoc vocatur planctus defuncti. *Ierem.* 9. Vocate lamentatrices, vt veniant : & ad eas quæ sapientes sunt, mittite & properent : festinent , & assumant super vos lamentum. *Ierem.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. *Genes.*50. Magnus est iste planctus Ægyptiis.

At ille dixit] Ecce plangentium consolatio [Nolite flere] inconsolabiliter flentes , tanquam de resurrectione spem non habentes. 1. *Thes.* 4. Nolumus vos ignorare , de dormientibus vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. *Ierem.* 31. Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua à ploratu , & oculi tui à lacrymis : quia est merces operi tuo , ait Dominus. Subiungit autem causam dicens.

Non est enim mortua puella, sed dormit] Huius autem literæ est triplex expositio à Patribus tradita. Vna quidem , quia pater tantus filiamfamilias(quæ adhuc in cura patris erat)secundum legem Domini erudierat. Et ideo mũdo defuncta & in sinu Abrahæ recepta , spe felici redemptionem communem expectans viuebat:& hæc hominibus mortua, Deo viuebat, & somno beatorum patrum quiescebat. *Daniel.* 13. Parentes eius cum essent iusti , erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. De somno tali dicitur *Iob* 3. Nunc enim dormiens silerem , & somno meo requiescerem. Alia expositio est , quia defunctus seculo, vt dicit *Ambr.* Deo viuit. Et qui hominibus qui suscitare non possunt, mortuus est, Deo dormit qui suscitare potest. *Ioan.* 11. Lazarus amicus noster dormit,eamus, & à somno suscitemus eum. *Hebr.* 11. Etiam à mortuis suscitare potens est Deus. Tertia expositio , qoia quidam moriuntur , finalem sententiam excipiendo , de quibus dicitur in *Psalm.* 103. Terminum posuisti quem non transgredientur. *Iob* 14. Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. Et illi mortui esse dicuntur. Alij autem defunguntur, nõ finale sententiam accipiendo, sed potius vita funguntur, vt miracula ad gloriam Dei fiant in ipsis:& illorum mors temporalis casus est , sicut somnus temporalis clausio & casus est sensibilis vitæ. *Ioan.* 9. Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Et sic fuit mortua puella. Mors enim illi dominari diu non potuit , cui fons vitæ

appropinquauit. Et ista est probabilior expositio. Per huiusmodi enim signa, vt dicit *Chrysost.* se esse Dominum probauit, & communem astruxit resurrectionem.

Et deridebant eum] Hic ponitur irridentium confutatio. Derisio autem hæc dispensatoria est: quia licet resistint ex infidelitate potentiæ à morte suscitare valentis, tamen operatur ad manifestationem mortis, & per consequens ad magnitudinem miraculi, & ad gloriam eius qui vere mortuam puellam suscitare potuit. Peccabant tamen deridentes Dominum, cuius verbis simpliciter credere debuerant *Iob* 12. Deridetur enim iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata lucere in tempus statutum. Luxit enim in vita resurrectionis. *Iob* 30. Nunc derident me iuniores tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei, & vita ipsa putabantur indigni. De pœna autem sic Dominum deridentium, dicitur *Prouerb.* 19. Parata sunt derisoribus tormenta, & mallei percutientes stultorum corporibus. Subiungit derisionis causam, dicens [scientes] humana sapiendo secundum causas inferiores [quia vere mortua esset] secundum naturam. *Coloss.* 2. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: Puella surge.

Hic agitur de perfectione miraculi, & fama. Perfectio autem describitur in tribus: in causa, in effectu, & in demonstratione veritatis. Causa describitur in tribus, in facto, in clamore, & in verbi potestate. Factum describitur cum dicit [Ipse autem tenens manum eius] vt significaret se subleuare per adiutorium diuinæ virtutis, & influere vitam per contactum suæ viuificæ carnis. *Iob* 14. Operi manuum tuarum porriges dexteram. *Psalm* 72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me *Psalm.* 138. Posuisti super me manum tuam: mirabilis facta est scientia tua ex me.

Clamauit] Ecce intensio clamoris notans difficultatem eductionis de morte, non quoad se, cui omnia possibilia sunt, sed quoad defunctum qui difficulter redit. *Ioan.* 11. Clamauit, & dixit: Lazare veni foras. *Psalm.* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. 1. *Corinth.* 15. Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?

Dicens] Ecce verbum virtutis & vitæ [puella surge] *Marc.* 5. dicitur. Tabitha cumi, quod interpretatur, puella surge. Nominando autem à sexu & ætate, notat fragilitatis teneritudinem, quæ meretur ignoscentiam de delictis, & gratiam in bonis. Sic enim est Beniamin noster, hoc est, filius dexteræ Christus, in medio iuuenculatum tympanistriarum, semper delicta iuuentutis ignoscens, & bonis gratiam augens. *Cantic.* 8. Soror nostra paruula est, & vbera non habet [Surge] per hoc vocat ad vitam, ostendens in his quæ sursum sunt, verum esse vitæ fructum. *Coloss.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ibi enim est terra viuentium, & ibi est fons vitæ indeficientis, vbi nemo moritur. *Psalm.* 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium. *Item* 35. Apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Et reuersus est spiritus eius: & surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius: quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

Hic tangitur miraculum istud per effectum. Et tanguntur tria, quorum primum est, quod reuersum est veræ vitæ principium. Secundum, quod ostendit vigorosæ vitæ actum. Tertium, quod hoc perfectum est, non per naturam, sed per miraculum. Primum notatur cum dicitur [Et reuersus est spiritus] hoc est, anima, quæ (sicut dicit *Philosophus*) principium est & causa vitæ. 3. *Reg.* 17. Reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. *Ezech.* 37. Veni spiritus, & insuffla super interfectos, & reuiuiscant. *Ioan.* 6. Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam.

Et surrexit] Ecce vitæ simul & virtutis actus. Surrexit autem sursum se egit, in imis non remanens. *Isa.* 58. Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. *Baruch* 5. Surge, & sta in excelso, & vide. *Matth.* 24. & *Luc.* 21. Leuate capita vestra [continuo] hoc est, in momento simul reparata vita & virtute & organis operationum naturalium: quod non potuit fieri per naturam. *Eccli.* 36. Innoua signa, & immuta mirabilia: glorifica manum & brachium dextrum. Sic enim vitam & virtutem reddere non potuit nisi gloriosa manus Dei, quæ naturam instituit. *Psalm.* 76. Hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Et iussit illi dare manducare] ad veræ vitæ demonstrationem. Quia, vt dicit *Ambrosius*, phantastice suscitatus, imaginem habet viuentis, sed non operationem, quæ est comestio, quæ animalem & veram vitam indicat. Vnde *Ioan.* 21. & *Luc.* 24. Dominus comedit cum Discipulis, veram & humanam vitam ostendens, quæ in gloriosis quidem corporibus est secundum potestatem. Sed in his qui ad animalem vitam redeunt, est secundum potestatem, & indigentiam, & nutrimentum quo indiget corpus hominis animale.

Et stupebant parentes eius] Ecce fama miraculi. Dicuntur autem stupere parentes: quia illi intus fuerunt: tamen per effectum, & per parentes prædicatum est omnibus. *Ioel.* 1. Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? *Isa.* 66. Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile? [quibus præcepit] cautelam docens humilitatis in magnis. *Eccli.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Et ideo licet conformare in omnibus præceptis debeamus voluntatem nostram voluntati diuinæ: tamen hoc faciendum est in fine præcepti, & non in re præcepta. Et cum Deus intendat per hoc nos reddere humiles, conformes sumus quando de donis Dei humiliamur, nihil nobis inde attribuentes. Et hoc est quod dicit [ne cui dicerent quod factum erat] cum tamen miracula Dei & opera semper sint

ſint prædicanda : ſicut ſuperius ſæpe dictum eſt & probatum.

CAPVT IX.

Conuocatis autem IESVS duodecim Apoſtolis.

HIc incipit pars illa quæ eſt de commiſſione ſiue collatione poteſtatis Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui primum locum tenent in Eccleſia. Habet autem partes duas, in quarum prima agitur de poteſtatis Eccleſiaſticæ collatione. In ſecunda vero agitur de eruditione, & cautela, & modo qualiter iſtam poteſtatem in ſubditos exerceant: ad hoc enim magna eſt opus eruditione. In prima harum tria ſunt, quorum primum eſt de poteſtatis iſtius collatione. Secundum de poteſtatis iſtius executione. Tertium de hoc qualiter hanc poteſtatem executi ſint ad Chriſtum relatione: ſic & quilibet legatus legationis peractæ facit relationem. Poteſtatẽ autem Chriſtus tradens Diſcipulis quatuor inducit. Primo conuocat ad vnitatem. Secundo Apoſtolicam largitur poteſtatem. Tertio ſui Apoſtolatus & legationis tangit & præſcribit finem. Quarto formam adhibet viuendi tantæ legationi congruentem. De his autem quæ hic dicuntur, multa ſupra *Matth.* 10. & *Marc.* 6. notata ſunt, de quibus nullam hic faciemus mentionem. Dicit igitur circa conuocationem tria: modum ſcilicet qui intelligitur in verbo conuocationis, cum dicit.

Conuocatis] hoc eſt, in vnum vocatis : vt cum Chriſto ſint vnum, inter ſe ſint vnum, & cum eis ad quos mittuntur efficiantur vnum. Cum Chriſto autem exiſtentes vnum, ſunt cum Patre & Spiritu ſancto vnum, cum quibus Chriſtus eſt vnum. *Ioan.* 17. volo Pater vt quos dediſti mihi vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Item *ibidem*. Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Item *ibidem*. Tu in me & ego in eis, vt ſint in vnum conſummati. In hac enim vnione continuus ſine interruptione eſt deſcenſus chariſmatum in totam Eccleſiam. *Pſalm.* 132. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron &c. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Hæc autem vnitatis concordia perficitur tribus : vnitate veritatis creditæ, vnitate charitatis effectæ, vnitate Spiritus totum corpus Eccleſiæ viuificante & mouente. De primo dicitur 1. *Corinth.* 1. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. De ſecundo *Ioan.* 13. In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. De tertio *Epheſ.* 4. Vnus ſpiritus, vnum baptiſma. Ideo Apoſtolus. 1. *Corinth.* 12. In vno Spiritu potati ſumus. Sic in vnitatem vocat credendorum, diligendorum, & per ſpiritum operandorum. 1. *Corinth.* 12. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.

Huius autem conuocationis auctor eſt [IESVS] qui eſt auctor ſalutis & vniformitatis in Eccleſia. Quod ſignificatur per tunicam ſuam inconſutilem *Ioan.* 19. Et qui dicit *Matth.* 12. & *Luc.* 12. Qui non colligit mecum, diſpergit: & qui non eſt mecum, contra me eſt. *Geneſ.* 49. Congregamini filij Iſraël congregamini, & audite Iſraël patrem veſtrum. *Pſalm.* 49. Congregate illi Sanctos eius, qui ordinauerunt teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Tertio autem tangit quos ad ſe immediate congregat & vocat. Cæteros autem mediantibus illis adiungit ſibi.

Duodecim Apoſtolis] quos ſupra nominibus propriis expreſſit. Hic enim ordinat maiores in Eccleſia, qui vice funguntur Apoſtolorum. Partes autem duodenarij ſunt vnum, duo, tria, quatuor, ſex. Et in vno quidem exprimitur vnitas Deitatis, & ſimplicitas intentionis. In duobus autem mandata geminæ dilectionis in vnitate Trinitatis. In tribus autem Trinitas perſonalis cum trinitate theologicæ virtutis. In quatuor autem perfectio humanæ virtutis, cum quadriga Euangelicæ prædicationis, & quatuor mundi plagis, in quibus prædicandum eſt Euangelium. In ſex autem perfectio conſiſtit operationis quia in ſenario expleuit Deus omnem diuerſitatem ſui operis.

Hi autem Apoſtoli habent nouem ornatus per 12. diſtributos. Habent enim principatus auctoritatem, habent etiam fundamentalis doctrinæ fontalitatẽ, habent ſanctitatis fulgorem: quorum primum eſt poteſtatis Patris, ſecundum ſapientiæ Filij, tertium bonitatis Spiritus ſancti. Quoad primum ſignificatur in duodecim Patriarchis filiis Iacob *Geneſ.* 35. Quoad ſecundum ſignificantur in duodecim fontibus inuentis in Elim *Exod.* 15. Quoad tertium ſignificantur in 12. lapidibus pontificalis ornatus *Exod.* 28.

Habent adhuc panis verbi Dei & Euchariſtiæ apud ſe pabulum, habent in ſe conſtantiæ in paſſionibus tribulationum ſtabilimentum, habent in oblatione pro populo de ſe offerre ſacrificium. In primo horum configurati Chriſto nouo pontifici, noui ſacramenti auctori, in ſecundo Chriſto patienti, in tertio configurati Chriſto hoſtiæ. Quoad primum ſignificantur in 12. panibus propoſitionis *Leuit.* 14. Quoad ad ſecundum figurantur in 12. lapidibus poſitis in ripa Iordanis, ſuper quos manauit vnda tribulationis *Ioſue* 4. Quoad tertium in 12. bobus 3. *Reg.* 7. qui ſtabant ſub mari æneo.

Habent adhuc in ſe radiantia merita beatitudinis, habent in ſe fundationem Eccleſiaſticæ poteſtatis, habent in ſe portas & aditus Eccleſiaſticæ dignitatis. Primum per vitæ idoneitatem, ſecundum per datam ſibi à Domino clauium poteſtatem, tertium autem per gratuitam & diuinam ad Apoſtolatum vocationem. Primum eſt per conuenientiam ad Chriſti vitam, ſecundum per conformitatem ad Chriſti fidem qui eſt fundamentum, tertium autem per aſſimilationem ad Chriſti introitum qui eſt oſtium, quod non accepit ſibi honorem : ſed dedit ei honorem qui dixit, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech *Pſalm.* 109. Quoad primum ſignificantur per 12. ſtellas in corona ſponſæ *Apoc.* 12. Quoad ſecundum ſignificantur per 12. cæleſtis ciuitatis fundamenta *Apoc.* 22. Quoad tertium figurantur per 12. cæleſtis ciuitatis portas ſiue oſtia. Et ſic ter trini ornatus Eccleſiæ militantis ſunt: ſicut ſunt ter trini ornatus Eccleſiæ triumphantis. Hos igitur 12. in hos vocauit ornatus. Et hos ornatus

omnis Pontifex habere tenetur, aut ipse inter Apostolos non vocatur à Deo: sed forte se ingerit in dolosa fraude diaboli. Sequitur.

Dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt langores curarent.

Hic Apostolicam largitur potestatem. Dicit autem tria: gratuitam scilicet collationem donationis, magnitudinem largiti muneris, & efficaciam eiusdem contra nocumentum contrariæ potestatis. Gratuitas largiti muneris tangitur cum dicitur [Dedit illis] Non enim reddidit meritis siue obsequiis, nec vendidit pretiis, nec exsoluit pro debitis, sed gratuito dono dedit gratis. *Matth.*10. Gratis accepistis, gratis date. *Ioan.*1. Omnes accepimus de eius plenitudine gratiam pro gratia. *Iacob.*1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. *Ephes.*4. *Psalm.*67. Dedit dona hominibus. *Matth.*25. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem. *Esther* 2. Largitus est munera secundum magnificentiam principalem.

Virtutem & potestatem] Magnitudinem describit largiti muneris. Tangit autem duo munera, quorum vnum dicit perfectionem potentiæ ad actum: secundum autem ordinationem. Est enim virtus vltimum potentiæ cuiuslibet ad summum actus: sicut dicit *Philosophus*, & confirmat *Dionysius*. Potestas est stans potentia ad legis ordinem. Quoad primum induuntur virtute ex alto *Act.*1. Quoad secundum datur eis potestas ordinandi & statuendi omnia secundum legis Christi ordinem, de qua dicitur *Matth. vltim.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et in Apostolos eandem traduxit potestatem. Ex virtute igitur incontradicibiliter omnia facere prævalent, siue naturalia, siue supernaturalia: diuina ex potestate tamen, nihil nisi recte & recta possunt, dicentes cum *Paulo* 2.*Corinth.*13 Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed omnia pro veritate. *Rom.*13. Non est potestas nisi à Deo: & quæcunque sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Virtus igitur quasi vi tuens, contra insurgentia tuetur & prævalet. Potestas vltorem gladium lege concessum exhibet ad vindictam malorum, & laudem bonorum. Sic ergo dedit virtutem, quæ sit dispositio perfecti ad optimum opus. Et ad actum dedit potestatem, ad ordinatæ seueritatis districtionem & iudicium: vt virtus confortet potestatem, & potestas informet virtutem Virtus enim sine potestate est temeraria, & potestas sine virtute debilis & remissa. Potestas enim semper iusta est: virtus autem aliquando præsumptuosa & temeraria. Et ideo *Ierem.*9. dicitur: Non glorietur fortis in fortitudine sua. *Psalm.*48. Qui confidunt in virtute sua. & in fortitudine sua gloriantur. Tale enim donum dicit virtus, quod est perfectum robur ad actum, vt perficere possit quem cunque actum impositum.

Super omnia dæmonia] Tangit hic doni huius efficaciam contra nequitiam contrariæ potestatis. Et hæc est duplex, in spiritualibus scilicet, & corporalibus. In spiritualibus dicit [Super omnia dæmonia] Multiplicitas autem dæmonum in multitudine dæmoniacorum nocumentorum. Hæc autem nocent aliquando ad sensuum euersionem, & imaginationis turbationem, sicut in his qui dicuntur maniaci & dæmoniaci: aliquando autem ad morum corruptionem, sicut in his qui bene sentiunt & male viuunt: aliquando autem ad labefactionem fidei, sicut in hæreticis, qui fraude diabolica decepti videntur bene viuere, & male credunt. Et quodlibet istorum habet multas differentias: quod significatur *Matth.*9. & *Luc.*8. Legio mihi nomen est: quia multi sumus. *Iud.*15. Trecentæ vulpes Samsonis, quamuis caudas haberent colligatas: tamen facies habebant diuisas. Quia quamuis omnium dæmonum malitia ducat ad finem peccati: tamen diuersæ sunt facies peccatorum quæ suadent. Ideo dicit *Psalm.*3. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Ideo etiam aliquando dicitur aspis, aliquando basiliscus, aliquando leo, aliquando draco. *Psalm.*90. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Super omnia autem hæc, & huiusmodi dæmonia est virtus & potestas Apostolica: sicut dicitur *Matth.*16. Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Et hoc est quod dicitur *Iob* 11. Qui fecit eum, applicabit gladium eius.

Et vt langores curarent] Langor est defectus in corpore. Dicitur autem langor, longus angor. *Eccli.*10. Langor prolixior grauat medicum. In langores in quos non potest medicina, in hos potest Apostolica auctoritas. *Marc. vltim.* Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Vnde *Marc.*6. dicitur, quod vngebant oleo multos infirmos, & curati sunt. Inter etiam dona diuina 1.*Corinth.*12. dicitur, quod alij datur curatio infirmitatum. Et hoc quidem aliquando contingit in corpore, quando nouit Dei sapientia hoc expedire. Semper autem contingit in anima, quod medici animarum gratias sanitatum perficiunt in mente. 4.*Reg.*5. Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Lauari septies in Iordane, lauari septies est in sacramentorum humili descensu, vel influxu septem donorum Spiritus sancti. Et tunc & caro recipiet temperamentum concupiscentiæ, & mens munditiam gratiæ. Et hæc per ministeria Sacerdotum Ecclesiæ. Et hoc modo dedit Apostolis potestatem vt langores curarent]

Nec est instantia, quod ferunt hæretici de Pontificibus nostri temporis, quod ideo non habeant à Deo virtutem & potestatem Christi, quia langores non curant: quia nec in diebus Apostolorum omnes languidi curati sunt, neque in diebus Christi: sicut & ipse Christus dicit *Luc.*4. quod multi leprosi fuerunt in diebus Elisei Prophetæ: & nemo eorum curatus est, nisi Naaman Syrus. Tales enim gratiæ aliquando fiunt ad ædificationem fidei: & aliquando non fiunt, quando propter aliquam causam non permittit eas fieri Deus: & aliquando fiunt à malis, & aliquando à bonis. *Matth.*7. Multi dicent mihi: Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? & ego confitebor illis: Quia non noui vos. Sic igitur & adhuc dantur virtus & potestas ecclesiastica.

Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

Tangit suæ legationis auctoritatem, & finem. Auctoritatem in hoc quod dicit [Et misit illos]

Misit

Misit enim illos vt in eis sua auctoritas honoraretur, vt sua voluntas per eos omnibus exponeretur, vt fides per eos prædicaretur, & vt omnes non credentes per eos de infidelitate conuincerentur. De primo quidem horum dicitur *Matth.* 18. Qui vos honorat, me honorat: & qui vos suscipit, me suscipit. Et *Luc.* 10. Qui vos spernit, me spernit. Et hoc etiam intelligendum est de Apostolicis Legatis. Sed non sunt Apostolici Legati, qui in auctoritate & vita & verbo non veniunt Apostolorum, qui in veritate non habent gratiam curandi, sed potius dæmone pessimo impletur, & sofismatum omne cui manus imponunt. De secundo dicitur 2. *Corinth.* 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. De tertio, *Matth. vltim.* Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. *Psalm.* 18. Cæli enarrant gloriam Dei. Et sequitur. In omnem terram exiuit sonus eorum. *Rom.* 10. Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? De quarto *Psalm.* 149. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Exultationes in faucibus, sunt gratiarum actiones de credentibus, Gladij autem in manibus, sunt testimoniorum condemnationes contra non credentes. *Marc. vlt.* Qui vero non crediderit, condemnabitur. Finem autem legationis subiungit, dicens.

Prædicare regnum Dei] Tangit autem duos fines: primum quidem veritatis, alterum autem virtutis tam in spiritu quam in corpore. Finis veritatis est regni Dei prædicatio. Finis virtutis est infirmorum sanatio. In primo horum notantur duo: veritatis scilicet propositio, & veritatis ratio. Propositio importatur cum dicit [prædicare] Prædicatur enim, vt dicit *Chrysost.* cuius ratio probans ipsum non habetur: sed cum sit super intellectum, & sit de indemonstrabilibus, oportet quod supermundanis probetur miraculis. Est enim prædicare quoddam prophetare, vel prophetias exponere. Prophetiæ autem omnes innituntur reuelationi. Reuelatio autem non habet causam per quam possit doceri, siue demonstrari. 2. *Timoth.* 4. Prædica verbum, insta opportune, importune. *Marc. vltim.* Prædicate omni creaturæ. *Isa.* 61. Misit me vt prædicarem captiuis indulgentiam, clausis apertionem.

Regnum Dei] Ratio & nomen est rei prædicatæ quantum ad veritatem. Est autem regnum (sicut dicit *Tullius*) perfecta potestas regendi. Hæc autem completur tribus regni, videlicet, substantialibus, & virtutibus, & operationibus siue officiis. Substantialia autem regno sunt tria, sicut volunt Sapientes: quorum primum est conuersa in naturam iustitia. Secundum autem, rationum iustitiæ plena scientia. Tertium, iudicij inconuulsa sententia. Propter primum Rex eligitur, propter secundum decoratur, propter tertium inthronizatur. Eligitur enim in regem, cui ita naturalis est iustitia, quod videtur non anima alia animatus nisi iustitia. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt. Et ideo nomen imponitur ei ab habitu sibi in naturam conuerso. *Ierem.* 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et ideo dicit *Philosophus*, quod ad regem confugiunt sicut ad iudicem: ad iudicem autem, sicut ad iustum animatum, cuius vitalis & animalis motus est iustitia. Propter scientiam autem rationum iustitiæ datur ei corona, in qua sicut rationes iustitiæ fulgent lapides. Datur habitus regius, cuius fulgor est signum splendentis in eo vndique sapientiæ, iustitiarum, & legum. *Isa.* 33. Regem in decore suo videbunt. Qui autem hæc non habet, significatur per eum de quo dicitur *Daniel.* 11. Stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore regio. Thronus autem ponitur vt denotet inconuulsam iudiciorum sententiam: quia sedendo quiescitur. Et significat quod nulla eum passio timoris, vel amoris, vel odij, vel acceptationis personæ vel munerum diuellit ad declinandum ab æquitate iustitiæ. *Isa.* 16. Præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud, iudicans in æquitate, & velociter reddens quod iustum est.

Virtus etiam regni constat ex tribus, quod videlicet ad infima non sit inclinabilis, quod ad omne arduum sit inuincibilis, & quod ad omne æquum ordinata. Sic enim infimis non eneruatur, fortioribus non repellitur, & in ordinatione non confunditur. Et ideo quasi ossa regni, sunt Domini & homines infima excedentes, militiæ inuincibiles, & potestates ordinatæ, gladium defensorem & vltorem portantes, quibus omnia subdita sint. 1. *Petr.* 2. & *Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

Officia etiam tribus constituuntur: legum videlicet dictatoribus, officiis publicis, & vtilitatibus priuatis. Hæc nouem sumuntur iuxta ordines regni cælorum: & quando diuina sunt, faciunt regnum Dei tam in cælo quam in terra. *Matth.* 6. Adueniat regnum tuum. *Luc.* 17. Regnum Dei intra vos est. Et quia multa sunt in isto regno, ideo multis comparatur *Matth.* 13. Hoc ergo regnum Dei misit eos prædicare: quia hoc sic appropinquauit per regem Christum hominibus. *Matth.* 3. & 4. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Et quia hæc difficilia sunt: ideo *Matth.* 11. dicitur, quod regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et prædicatio istius regni, finis est legationis Apostolorum. Hoc enim est regnum quod amiserunt Iudæi, & datum est nouæ gratiæ populo. *Matt.* 21. Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Et hoc simplici nomine & intentione in sacra Scriptura vocatur regnum. *Psalm.* 144. Regnum tuum regnum omnium seculorum. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Sic mittuntur Angeli *Matth.* 13. qui colligent de regno Dei omnia scandala. Sic *Ioan.* 18. dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo.

Prædicatio ergo istius regni prædicatio est veritatis explanantis leges, & substantialia, & virtualia, & officia istius regni, & virtutes & gratias ad ipsum acquirendum facientes, & promissiones eius, & comminationes in eos qui isti regno contradicunt. Et iste est finis vnus & potissimus. Alter autem finis virtutis exprimitur: cum dicitur.

Sanate infirmos] Est autem duplex infirmitas, & duplex opposita infirmitati sanitas. Vna infirmitas mentis: altera autem corporis: & hæc duplex: vna quidem ex peccato causata, altera autem causata ex humoribus. Infirmitas mentis duplex: peccati, scilicet, & pœnæ. Peccatum quidem

dem sanat medicus animæ per effectum sacramentalis gratiæ: infirmitatem autem pœnæ mitigat per eandem. Et ideo *Eccli.* 38. vtrumque dicitur, scilicet, & quod vnguentarius vnctiones conficiet sanitatis contra infirmitatem culpæ, & pigmenta faciet suauitatis contra infirmitatem pœnæ. Contra infirmitatem autem corporis vtramque, commissa est ministris medicina vnctionis extremæ. *Marc.* 6. Vngentes oleo multos infirmos, & curabantur. *Iacob. vltim.* Vngentes eum oleo: & oratio fidei alleuiabit infirmum: & si in peccatis sit, dimittentur ei. *Psalm.* 101. Qui sanat omnes in firmitates tuas, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. *Act.* 3. Nomen IESV & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Hæc est enim perfectio sanitatis quæ committitur ministris ecclesiasticis: nec vnquam carent tali potestate qui vere sunt ministri Ecclesiæ. Sic Ioseph magnus dispensator summi regis, in figura Christi committit seruis suis medicis, vt aromatibus, hoc est, sacramentalis gratiæ odoramentis condiant totum corpus mysticum sui patris *Genes.* 50. Sic Ioseph Christi amicus & seruus mixtura myrrhæ & aloës (quæ à putredine præseruant) totum vrgit corpus Christi *Matth.* 27. *Ioan.* 19. Sic dicit Dauid *Psalm.* 15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quia notas per ministros fecisti mihi in sacramentis vias vitæ, quoad rem in sacramentis contentam: adimplebis me lætitia cum vultu tuo, per rem in sacramentis significatam & non contentam. Verum tamen est quod Apostoli sanabant etiam vmbra corporis sui multos ægros, & verbis orationum suarum, & impositione manuum: sicut vbique legitur in actibus. Sed hæc gratia sanitatum non generaliter deriuata est ad Ecclesiæ ministros.

Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicunque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

Hic formam adhibet viuendi tantæ legationi congruentem. Hæc autem forma triplices continet regulas quantum ad tria, quæ competunt legatis viatoribus. Prima est de sustentante in via & defendente. Secunda est de necessariorum prouisione. Tertia autem de protegente ab impugnationibus aëris. Sustentans autem & defendens in via est virga, quæ est & baculus sustentans, & à ruina defendens. Et quia non longe mittebantur, sed tantum intra terminos Iudææ: ideo baculo sustentante non indigebant. Quia autem intra terminos fratrum mittebantur qui pacifici erant: ideo etiam non indigebant baculo defendente. Adhuc autem quia noua prædicabant omnibus contraria: ideo vni vel paucis contra omnes baculus non profuisset defensionis: & verbum prædicatum plus profecit patientia quam defensione. Et ideo iterum interdicitur defensionis auxilium. Quod autem intra terminos Iudææ tantum missi fuerint & non longe, patet *Matth.* 10. In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum non intraueritis. Hæc est enim prima missio, in qua primò oportebat verbū offerri filiis Israël. Et tandem cum culpa repulsionis eorum conuertebantur ad Gentes: tunc longe mittendi erant, & solatiis viæ diuersis indigebant, & illa tunc Apostolis sunt concessa. De patientia autem, quam exhibere debebant, dicitur *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: quibus non prodessent pauca defensionis arma. Ita etiam vita concordat doctrinæ & exemplo Magistri. Dixit enim *Matth.* 5. percutienti vnam maxillam, exhibendam esse alteram quando præualet iniquitas. Ipse etiam patientiam exhibuit in iniuriis. Et ideo etiam Apostolis talem formam viuendi & vincendi imposuit. *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim. Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

Sed hæc contraria. Dicit enim *Marc.* 6. Nihil tuleritis in via nisi virgam tantùm. Filij etiam Israël exeuntes de Ægypto, baculos tenebant in manibus *Exod.* 12. Moysi etiam dicitur: Virgam hanc tolles in manu tua in qua facturus es signa *Exod.* 4. Quare ergo hic prohibet virgam tolli? Ad hoc dicendum est, quod supra dicta ratione prohibet hic, & in *Matthæo* virgam tolli, maxime secundum quod virga est de armis defensionis & impugnationis: secundum tamen quod virga est instrumentum sustentationis lassitudinis, quæ aliquando contingit in via parua sicut in magna, permittit portari virgam. De filiis autem Israël non est simile: quia illi recedebant fugientes, & armis indigebant defensionis. De Moyse etiam non erat simile: quia ille mittebatur vt Prælatus & Dominus Pharaonis. Et ideo in signum huius virgam accepit directionis. Isti autem mittebantur ad synagogæ populum eis non obediturum. Et ideo ad illos regnum non acceperunt, sed potius in Gentibus post Resurrectionem.

Sic ergo & concedit, & interdicit tolli virgam in manibus. Defensio enim illa inutilis esset verbo prædicando. *Isa* 36. Forsitan inniteris super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, confringetur, & perforabit manum eius. Et ita est de defensione secularium armorum, quæ inutilia sunt vitis spiritualibus præualente iniquitate, & coram infideli iudice: sicut diximus alibi. Taliter autem præualuit iniquitas, & infideles erant iudices in principio nascentis Ecclesiæ. Et ideo non erat opponenda nisi patientia.

Hac habita regula de armis defensionis & impugnationis, ponit viuendi formam de necessariorum prouisione contra impugnans intrinsecus. Hoc autem est dupliciter. Aut enim est de sollicitudine futuri impugnantis: aut de prouisione præsentis necessarij. Si est de sollicitudine futuri, interdicit peram, dicens.

Neque peram] supple, tollatis in via. Pera autem omne reseruatorium dicitur in futurum. Vnde sacculum sub prohibitione peræ prohibuit, & omne reseruatorium esculenti, vel poculenti siue vestimentorum. Sicut enim dicit *Gloss.* Concessa primum potestate signorum, mittuntur prædicare regnum

regnum Dei: vt magnitudinem promissorum attestetur magnitudo factorum, & fidem verbis daret virtus ostensa, & noua facerent qui noua prædicarent. Iudæi enim signa quærunt. Et cum signa de nouo exhibebant, necessaria vltro eis exhibebantur à contribulibus suis. Et ideo de pera non oportuit aliquid cogitare. Sed cum postea contradictum fuit verbo prædicationis, & signa magicis artibus & principi dæmoniorum imputabantur, dictum fuit *Luc.* 22. Qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium. Non præualente enim iniquitate coram fideli & iusto iudice, licet vti armis defensionis ad repulsam iniuriæ, donec veniat defensio à iudice: sicut & inter illos qui vltro non exhibent necessaria, potest quis licite vti sacculo & pera: sicut & Dominus loculos habuit, in quibus ea quæ mittebantur, portari fecit *Ioan.* 12. Vnde & *Ioan.* 4. cum inter Samaritanos esset, Discipuli in ciuitatem abierunt vt cibos emerent. Hoc est igitur quod dicit [de pera]

Siquis autem apud eos, qui vltro necessaria exhibent, peram portaret, hic eleemosynas aliorum pauperum præripere intenderet, & peccaret. Apud Iudæos autem quibus tunc Apostoli prædicabant præceptum erat, vt fotis non maneret peregrinus, & maxime Leuita, qui habebat sermonem exhortationis ad populum *Leui.* 25. Et ideo tunc pera Apostoli non indiguerunt. Vnde *Iosue* 9. Gabaonitæ qui in peris & vtribus esculentum & poculentum portabant, filios Israël deceperunt. Gabaonitæ proclines iniquitati interpretabantur, & significant quæstuarios prædicatores, inique de pecuniis & bonis aliorum suas peras replentes: & non intendentes ædificationi proximorum, sed qualiter inique eleemosynas pauperum præripiant, filios Dei conuertendos per verbum decipiunt.

Solicitudo autem necessariorum respectu præsentis defectus tangitur hic tripliciter: in esculento, & commutabili pro quolibet necessario, & in vestitu. Et omnia hæc sunt contra impugnans intrinsecus. De primo dicit.

Neque panem] in quo omnia necessaria ad victum intelliguntur. Talis enim necessariorum sufficientia copiose à principio cum viderentur signa, & contradictum non esset adhuc Christo, à Iudæis exhibebatur. Quia etiam decimam quandam apud se colligebant, quam proselytis & aduenis ministrabant: sicut dicitur *Tob.* 1. ita vt in septimo anno proselytis & aduenis ministrarent omnem decimationem. *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus, ostium viatori patuit. Cum autem postea contradicebatur Apostolis, istud non potuit neque debuit obseruari.

Neque pecuniam] quæ sicut dicit *Aristot.*) fideiussor est cuiuslibet necessitatis, & est pro qualibet necessitate commutabilis. Et iden melius hoc exprimitur *Matth.* 10. vbi dicitur: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Sicut enim dictum est via longissima non sunt missi, neque ad contradicentes sermoni. Et ideo exhibitione signorum omnibus abundabant. *Act.* 4. Nec enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores erant agrorum, vendebant & ponebant pretia ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Postea autem cum talis cessauit gratia, consulto portabatur pecunia, & alia quibus futuræ prouidetur necessitati. Sequitur

Neque duas tunicas habeatis] Tunica hic vocatur fouens calorem corporis, & continens spiritus: ne corpora per frigus obuians, aut resolutionem spiritus dissoluatur. Quid autem sit habere duas tunicas iam superius expositum est. Non enim dicuntur duæ à numero vestimenti, sed à numero vsus. Non enim duo vsus camisiæ, vel duo vsus tunicæ, secundum quod est tunica: vel duo vsus supertunicalis, secundum quod est pertunicale, sunt necessarij. Sed sicut sufficit vnus vsus camisiationis, ita sufficit vnus vsus tunicationis, & vnus vsus togationis, & vnus vsus palliationis: & alter simul cum illo adhibitus est superfluus: & hoc hic prohibetur: quia hoc superfluæ solicitudini deputatur. 1. *Timot.* 5. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Iacob.* 5. Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miseriis quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Si autem dicatur, quod tunica est contra defendens ab extrinseco, non est contradicendum: sed tamen etiā hoc est verum, quod continet digerens intrinsecum, & continet spiritum qui est vehiculum virtutum.

Istis autem ordinatis, ordinat id necessarium quod repellit impugnans extrinsecus, quod est hospitium. Hic autem ordo est secundum duo, scilicet, secundum recipientes, & secundum non recipientes. Quantum autem ad recipientes tangit duo, scilicet, quod remanendum est in domo vna, & quod inde non est exeundum ad hospitij iora alibi quærenda. De prima parte dicit.

In quamcunque domum intraueritis] præmissa tamen diligenti inquisitione de hospitis dignitate, quam innuit *Matth.* 10. Et postquam dignus hospitalitate hospes inuentus est, in illius domo manendum est. Est autem dignus, vt dicit *Beda*, qui sibi potius reputat beneficium impendi suscipiendo hospites, quàm impendere. Talis fuit Abraham *Genes.* 18. Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Talis etiam fuit Lot *Genes.* 19. Obsecro Domini, declinate in domum serui vestri, & manete ibi. *Hebr.* 13. Hospitalitatem oolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. In talem ergo domum intrantes, suscipiuntur charitatiue prædicatores: & sine causa exirent. Vnde dicit.

Ibi manete] Et additur *Matth.* 10 Edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius cibo suo. 1. *Corinth.* 9. Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Tunc enim non erant Ecclesiæ, ad quas turbæ verbum audientes confluerent: sed ad domos fidelium confluxerunt vt audirent verbū: quæ aliquoties à primitiuæ Ecclesiæ Episcopis in Ecclesias sunt ordinatæ: sicut in multis Sanctorū legitur gestis. Et hæc est causa dicti istius. Sequitur.

Et

Et inde ne exeatis] Tangit hic quod Scribæ & Pharisæi & pseudo fecerunt, qui discurrerunt per domos, lautiores quærentes hospites. Hoc veris prohibet prædicatoribus. Discurrens enim per domos, vanitates videt in domibus, & capitur diuersorum delectabilium formis. 2. *Timoth.* 3. Ex his sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis. Si tamen honestus hospes expensis non sufficiat, non prohibet fieri ab aliis contributionem ad expensarum onera supportanda: sicut & ratio dictat, & iura Legatis & Prædicatoribus concedunt: sicut & Apostolus dicit 1. *ad Corinth.* 16. Vnusquisque apud se reponat per vnam sabbati quod sibi bonum videtur, vt non cum venero collectæ fiant. Et 2. *Cor.* 8. Non enim vt aliis sit consolatio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. Hac igitur de causa ibi manere, & inde ne exeatis. Sequitur.

Et quicunque non receperint vos] Tangit hic de non recipientibus Prædicatores, & verba prædicationis. Illi autem sunt obstinati, sicut dicitur *Ezech.* 3. Filij Israël nolunt audire me. Et dicitur *Ezech.* 2. quia domus exasperans est. Hi sunt etiam de quibus dicitur *Ioan.* 8. Sermo meus non capit in vobis. Tales igitur significantur per viros Iericho, qui eiecerunt à se exploratores. *Iosue* 6. Recipientes autem significantur per Raab, quæ recepit eosdem, & à persecutoribus abscondit. Non recipientes igitur indigni sunt, quod sibi gratia exhibeatur hospitalitatis. Et illi sunt digni omnibus plagis Ægyptiorum, qui bonis hospitibus male vsi sunt. *Sapient. vltim.* Alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant. Et non solum hæc, sed & alius respectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem vsi erant institutis, sæuissimis affixerunt doloribus. Et ideo præcedit *ibidem.* In se secundum suas nequitias patiebantur.

Quicunque igitur non receperit vos] Tertia Canonica Ioan. Diotrepes non recipit fratres, & eos qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit. A talibus igitur exeuntes [de ciuitate illa] quæ est habitatio prophanorum illorum qui non audiunt Dominum dicentem: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Isti sunt enim imitatores Diotrepis, quem de malo suo conuicit *Ioannes Euangelista.* Isti sunt imitatores illius serui nequam, qui bona Domini sui non dedit ad mensam familiæ Domini, sed subtrahit filiis Dei bona patris eorum *Matth.* 25. Et non imitantur seruum fidelem & prudentem, qui quia in pauca fidelis fuit: & ideo intrans in gaudium Domini sui, supra multa est constitutus. Et ideo etiam.

Puluerem pedum vestrorum excutite] tripliciter. Puluis enim in pedibus signum est laboris itineris. Et hic excutitur in eos, quando labor susceptri pro eis itineris, in eos proponitur, vt testis contra eos in iudicio Dei habeatur. Et hoc est quod dicit [in testimonium supra illos] *Ezech.* 3. Si tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Et sic puluis laboris in non recipientem verbum excutitur, quando labor in testimonium condemnationis eius retorquetur, *Act.* 20. Innocens ego sum à sanguine omnium vestrum. Non enim effugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.

Secundo puluis excutitur, quia têporalia (quæ puluis sunt exiguus) non recipiuntur ab his qui veritatis Prædicatores non recipiunt. *Apoc.* 18. Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis: quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum. In signum huius *Iosue* 6. dicitur de ciuitate quæ nuntios Dei non recepit. Sit ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt: sola Raab meretrix viuat cum vniuersis qui cum ea in domo sunt. Abscondit enim nuntios quos direximus. Sic *Numer.* 16 Non audientibus & non recipientibus verbum Domini dixit: Ne respicias sacrificia eorum, tu scis quod nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis vt affligerem quempiam ipsorum.

Tertio excutitur puluis spiritualiter, puluis videlicet terrenæ conuersationis, qui in peccatis venialibus (quæ puluis dicuntur) adhæret Prædicatoribus veritatis ex contagione societatis, & solicitudinis talium contumacium. Hic autem in eosdem excutitur, quando cura pro eisdem non suscipitur, & ad statum côtemplationis & puritatem casso labore actionis Prædicator reuertitur. Ideo enim dicit Dominus *Ioan.* 13. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, & est mundus totus. Rediens enim ad se, postposito actionis labore, propter improbitatem verbum Dei non suscipientium, excutit puluerem venialium, quando pro improbis talibus deliberat vlterius non inquinari, dicens illud *Cantic.* 5 Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Sic ergo puluis in testimonium reproborum à pedibus Sanctorum excutitur. Dicit autem [supra illos] quia hoc est onus premens illos in iudicio. *Psalm.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Vnde *Matth.* 10. dicit. Amen dico vobis, quod tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij quam illi ciuitati.

Egressi autem circuibant per castella euangelizantes & curantes vbique.

Hic tangitur obedientialis collatæ potestatis executio. Tanguntur autem duo: obedientia Discipulorum, & fama audientium eos. Statim enim mirabilis de Christo fama facta est inter Iudæos qui Apostolos audierunt. De primo autem tanguntur tria: egressus scilicet, circuitus, & fructus. Egressus quidem cum dicit [Egressi autem] à se scilicet, à suis, & à scholis, & ab intimo contemplationis. A se quidem se negligentes in quiete propria, propter ea quæ sunt proximorum. Sic egressus est *Paulus Act.* 20. Spiritus sanctus per omnes ciuitates protestatur mihi dicens, quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum & ministerium verbi quod accepi à Domino. *Canticor.* 1. Si ignoras te amica mea, egredere, & pasce hædos tuos. Se ignorat qui propria negligit, ad hoc vt de se egrediatur & hædos, hoc est, peccatores conuertendo pascat. *Cant.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Sicut

Isaac

Isaac egressus est de se ad meditandum in agro, & Rebeccam inuenit *Genes.* 23. Isaac, Prædicator missus, de suis commodis egressus in agrum ad verbum Dei seminandum, inuenit credentium Ecclesiam sibi spirituali matrimonio copulandam.

Egressi etiam sunt à suis familiaribus, familiis, & amicis. *Genes.* 12. Egredere de terra, & de cognatione tua. *Psalm.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. *Deut.* 33. Qui dixerunt patri suo & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.

Egressi etiam sunt à scholis Domini, studia sapientiæ intermittentes. Omnia enim tempus habent, sicut dicitur *Eccle.* 3. Tempus colligendi lapides, hoc est, solidas veritates in studio: & tempus spargendi eosdem, in doctrina & prædicatione aliis proponendi. Vnde Iuuenalis. Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam? *Eccli.* 29. Transi hospes, orna mensam: & quæ in manu habes, ciba cæteros. *Prouerb.* 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

De quiete etiam contemplationis veritatis egressi sunt ad laborem actionis. Non enim semper sedendum est cum Maria ad pedes Domini in contemplatione, sed aliquando egrediendum ad considerationē domus in cura exteriori. *Prouerb. vltim.* Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. In figura huius Abraham patriarcha postquam in spiritu cum filio adoraue rat in monte, & in igne Spiritus sancti arietem, hoc est, carnis impetum concremauerat, reuersus est ad asinum & ad familiam, & curam commissorum. *Genes.* 22. Puer etiam Samuel non semper auscultauit Dominum in templo, sed etiam aliquando prouidit necessaria populo. Sic igitur egressi.

Circuibant] Ecce circuitus. Et tangit duo: modum, & loca. Modum quia [circuibant] hoc est, in circuitu ibant. Circuit autem qui in idem à quo incipit gressum & motum conuertit. & tamen extrema omnia percurrit. In tali autem prædicationis legatione à Deo auctore missionis incipitur, & per omnea differentias hominum à Deo longe distantes discurritur, & in Deum reditur. Et hæc expositio à verbis *Dionysij* trahitur. *Psalm.* 26. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo & psalmum dicam Domino. Circuit, qui à Domino sicut dictum est, exit. Immolat autem, qui sacrificium de conuersione peccatorum adducit in tabernaculum Ecclesiæ. Hostiam autem vociferationis exoluit, qui voce plena deuictis hostibus Deo laudes exoluit: quod non facit nisi quando post fructum ad Deum redit, & sic circuit, cantans psalmum dicit. Sic circuibat IESVS per ciuitates & castella, docens & prædicans Euangelium regni *Matth.* 4.

Per castella] Locus est circuitus Apostolorum. Castella autem sunt munitiones. Quia in locis in quibus diabolus magis munitus est, magis prædicationi est insistendum *Hebr.* 11. Sancti per fidem vicerunt regna. Et *ibidem* Castra verterunt exterorum, fortes facti sunt in bello. *Iudicum* 5 Noua bella elegit Dominus, portas hostium ipse subuertit. *Genes.* 32. Castra Dei sunt hæc. Idcirco dicitur in *Cantic.* 6. Terribilis vt castrorum acies ordinata [Euangelizantes] Ecce fructus siue finis. Est autem finis prædicatoris in ipso, & finis eiusdem in altero. Fructum in ipso semper consequitur, quando eorum quæ sui sunt officij nihil penitus omittit de contingentibus ad finem. Et hoc est Euangelizare. 1. *Corinth.* 1. Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi vt non euacuetur crux Christi. *Isa.* 41. Primus ad Sion dicet, Ecce adsum, & Ierusalem Euangelistam dabo. Finis autem & fructus in altero tangitur, cum dicitur.

Et curantes vbique] Non poterat esse nisi diuina virtus, quæ vbique curabat: quia virtus humana non sufficeret. De cura autem ista iam dictum est, quod est sanatio integra in anima semper, & frequenter in corpore. *Marc. vltim.* In nomine meo dæmonia eiicient: & super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et ideo dicitur *Psalm.* 67. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Lingua enim canum Dei latratum prædicationis emittens, vulnera lingit & sanat. Et ideo ex inimicis ad Deum conuertit, & sic curat vbique. *Matth.* 10. Euntes prædicate quia appropinquauit regnum Dei, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, demones eiicite: gratis accepistis, gratis date. Iste ergo est finis & fructus in altero, quem non semper consequitur qui à Domino missus prædicat. Sed tamen non propter hoc laborem emittit, quia etiamsi nullum curet, quando prædicando de contingentibus nihil omittit, mercede digna non fraudatur. 2. *Timoth.* 1. Scio cui credidi: & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Vode. 3. *Reg.* 19. Cum Elias Eliseum in prophetam vnxisset, & ille non statim sequi voluisset, dixit Elias: Quod meū est feci tibi. Ac si diceret. Finem optatum quoad me consecutus sum, tu de cætero vide quid agere debeas. Quod autem dicit [curantes vbique] notat quod curæ sacramentorum nullus morbus obsistit, nisi forte aliquis obicem Spiritui sancto posuerit. Quia sicut dicitur *Sapien.* 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum nec in maleuolam animam introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: sicut dicitur ibidem.

Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæsitabat, eo quod diceretur à quibusdam, Quia Ioannes surrexit à mortuis: à quibusdam vero, Quia Elias apparuit: ab aliis autem, Quia Propheta vnus de antiquis surrexit.

Hic tangitur de fama verbi prædicati. Tanguntur autem tria. Primo enim tangitur famæ solennitas, quæ vsque ad solennes personas personuit. Secundo tangitur famæ diuersitas, & tertio Christi, cuius fama prædicabatur, ad videndum desiderabilitas. Circa primum tanguntur duo: famæ solennitas, & audientium capio à fama illa. Intra se enim capiebantur, hæsitantes quæ esset persona tam grandis, de qua talis fama sonaret. Adhuc in primo horum dicuntur tria: solennitas famæ, generalitas in bonis laudibus famæ, & de quo tam laudabilis fama personuit. Solennitas

notatur

notatur in hoc quod ad regum iam deuenit palatia. Et hoc est.

Audiuit autem Herodes] Hic est Herodes Antipas, filius Herodis Ascalonitæ, sub quo passus est Dominus, quem spreuit indutum veste alba, & qoi decollauit Ioannem, imitatus paternam malitiam, qua pater puetos occidit, quærens Christum puerum[terrarcha]Tetrarcha autem dicitur: quia mortuo Herode Ascalonita parte huius, à Romanis diuisum est regnum in quatuor tetrarchias, quarum duas habuit Archelaus, tertiam Philippus, & iste Herodes quartam. Et hæc omnia iam in ante habitis exposita sunt. Hæc autem famæ solennitas (quæ apud omnes honorum memoria digna fuit) odor fuit diuinorum bonorum in Christo, qui diffusus est in mundum, aperta per prædicationem Apostolorum apotheca virtutum suarum, & comminutis & contritis atomatibus per explanationem Scripturarum. 2. *Corinth*.2. Christi bonus odor sumus Deo in his qui pereunt, & in his qui salui fiunt. Venenata enim ad odoris fragrantiam moriuntur, & munda confortantur. *Cantic*. 4. Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Vestimentum autem contextum est ex lanis agni, siue virtutibus Christi. *Psalm* 44. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, supple, spirant. *Eccli*.49. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij: in omni ore quasi mel indulcabitur memoria eius. Iosias, in quo est incensum Domini vel in quo est sacrificium, interpretatur. Et significat Christum, qui incensum boni odoris fuit pro nobis in deuotione orationis, & sacrificium pro nobis in oblatione passionis. Et huius odor coram Deo in fama, & laude coram hominibus est mirabilis. *Genes*.8. Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Et ideo per eum cunctis benedixit. Hoc autem ad ædificationem fecit Episcoporum, vices suas tenentium. 1. *Timoth*. 3. Oportet Episcopum bonum habere testimonium ab his qui foris sont.

Omnia quæ fiebant ab eo] Ecce famæ generalitas. Omnia enim erant in bona fama: & non sicut quidam qui maculosam habent famam, quæ sicut pellis leprosorum varietate respersa est. Sed ista vniuersaliter erat pulchra & bona. *Cantic*.4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ideo dicitur agnus immaculatus. *Exod*. 12. Erit agnus sine macula, masculus anniculus. 1. *Petr*.1. Pretioso sanguine redempti estis, tanquam agni immaculati Christi. *Marc*.7. Redditur causa cum dicitur: Bene omnia fecit. Si enim bene omnia fecit, tunc fama bona erat de omnibus quæ fiebant. Sicut autem Christus omnia fecit bene: sic dicit *Beda*, quod diabolus omnia facit male.

Et hæsitabat] hærendo intra se captus, quænam esset tam digna persona, de qua ista referrentur tam vniuersaliter laudabilia. Differenter autem hæsitabant Nathanael, & Herodes: Nathanael enim ex dictis Philippi probabilibus hæsitans, hoc est, hærere incipiens, ductus est ad IESVM *Ioan*.1. Et hæsitationem promouit in adhæsionem, & à Christo meruit laudem. Herodes autem paterni doli imitator, qui hæsitauerat in dictis magorum *Matth*.2. Sicut & iste hæsitauit in dictis Apostolorum, & hæsitationem conuertit in dolum vulpinum, quærens Christum, & Christi nomen extinguere: & ideo à Christo vulpes vocatus est *Luc*.13.

Eo quod diceretur] Ecce famæ diuersitas, quæ causa fuit hæsitationis. Omnis autem diuersitas ista famæ magna est & solennis: sed tamen penitus insufficiens magnitudini & laudibus Christi. Est autẽ triplex diuersitas ipsius, sicut patet in litera. Et hoc est quod dicit[eo quod diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis] Et notantur in hoc duo, scilicet, quid rationis isti habuerint pro sua opinione, & per quid fidem habuerint resurrectionis mortuorum? Ad primum autem dicendum secundum *Gloss*. quod omnia quæ de natiuitate Ioannis dicta sunt, supra hominem fuerunt: quæ autem in vita apparuerunt, stupenda & supra vires humanas: & quæ de auctoritate suæ missionis erant, penitus erant cælestia. Et ideo tantæ opinionis erat, quod Christus putaretur. Et ideo nullum eo maiorem reputantes, hoc Ioanni attribuerunt: præcipue cum omnes fere imbuti essent doctrinis & baptismo Ioannis. Fides autem resurrectionis eius à mortuis orta est: quia putabant quod sterili ab vtero & emortuo corpore patris natum, impossibile esset morte detineri, sed occultatum esse ad tempus à Deo, & iterum surrexisse. Hæc igitur causa fuit famæ istius. Insufficiens autem fuit: quia ipse Ioannes dixit *Ioan*.1. Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. *Ioan*.3. Non sum ego Christus. *Ioan*. 1. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.

A quibusdam vero, Quia Elias] Secunda est diuersitas rationem suæ opinionis accipiens in duobus, vt dicunt Sancti: à prophetia videlicet, & & à factis. A prophetia *Malach. vltim*. Mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertat cor patrum in filios, & corda filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram anathemate. Putabant igitur hanc prophetiam iam impletam. In factis autem sciebant rationem à duobus: à magnitudine videlicet miraculorum, quia Elias mortuum suscitauit 3. *Reg* 17. & à figura baptismi quam exhibuit Elias, quando Iordanem diuisit 4. *Reg*.2. Discipuli autem Christi baptizabant, & potestatem acceperunt mortuos suscitandi, sicut iam habitum est. Isti autem de Elia dicunt quod[apparuit] quia sciuerunt Eliam non esse mortuum, sed per turbinem ascendisse in cælum 4. *Reg*. 2.

Ab aliis autem, Quia Propheta vnus de antiquis surrexit] Tertia est diuersitas. Et dicunt Sancti, quod isti maxime putabant Eliseum surrexisse à mortuis, rationem suæ opinionis accipientes à tribus: ab vno quidem dicto legis *Deuter* 18. Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, tanquam me audietis illum. Vnde *Ioan*.6. Dicebant: Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Secundum autem fuit à magnalibus quæ fecit Eliseus mortuos suscitando, panes multiplicando, leprosum mundando, & huiusmodi: quæ late de Christo prædicabantur. Tertium autem fuit de diuisione Iordanis in figura baptismi: quoniam sicut Elias ante, ita Eliseus post exhibuit. Et quia *Luc* 1. præcessit in virtute & spiritu Eliæ, putabant sequi Christum in perfectione Elisei, qui duplicatum in se spiritum Eliæ populis exhibuit. Hinc

autem

autem surrexisse fatentur, quia mortuum esse sciebant: sed impossibile putabant eum vinculis mortis detineri, qui postquam mortuus fuit & sepultus, alium à morte suscitauit.

Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui. Quis est autem iste de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

Hic tangitur Christi ad videndum desiderabilitas, etiam ab iniquis. Et tanguntur duo. Primum quidem popularis famæ reprobatio Secundo autem veritatis inquisitio & desiderium. Reprobatio famæ popularis tangitur cum dicit [Ioannem ego decollaui] Et quia nulla fides apud Herodem fuit resurrectionis, ideo Ioannem non esse istum supposuit. Alia autem quæ de Elia & Eliseo dicebant, tanquam fabulosa subticuit.

Attende autem quod efficienter malum suum iste iactando protulit. *Isa.* 3. Peccata sua sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Facinus enim magnum fuit decollare Ioannem, sacrilegas manus inicere Prophetæ, pro turpitudine adulterij occidere castitatis & iustitiæ præconem: & tamen publice dicit [Ioannem ego decollaui] *Prouerb.* 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Non enim iam contristatus est propter iusiurandum, sed lætatus propter homicidium. *Psalm.* 5. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.

Quis autem est iste] tam magnus [de quo ego talia audio?] Quærit philosophari, & esse bonus. Non est enim quærendum quis erat, sed cum Nathanaele accedendum & experiendum, vt sic sequeretur vestigia ipsius. *Psalm.* 33. Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Sed iste in sola ratione inquisitionis stare voluit, & non exercere opera, simile quid faciens istis, de quibus dicit *Aristot. in Ethic. lib.* 4 Ad rationem confugientes, quærunt philosophari & esse boni. Simile aliquid faciens infirmis, qui medicos quidem audiunt studiose, faciunt autem operandorum nihil. Et quemadmodum isti nunquam bene habebunt corpus sic curati: ita nec illi bene habebunt animam sic philosophantes. Quid enim valet bona audite, & non facere? *Iacob.* 1. Qui auditor est verbi & non factor, comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.

Et quærebat videre eum] non propter deuotionem, sed propter curiositatem. *Luc.* 23. Herodes viso IESV gauisus est valde. Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Curiosis autem semper se subtraxit Dominus, & exhibuit se humilibus & deuotis. Est autem notandum quam desiderabilis est iustus, qui etiam ab iniquis videri desideratur. *Cantic.* 5. Guttur eius suauissimum, & totus est desiderabilis. 3. *Reg.* 10. Vniuersa terra desiderabat videre vultum Salomonis, propter sapientiam Dei quæ erat in illo. *Ioan.* 12. Domine volumus IESVM videre.

Et reuersi Apostoli, narrauerunt illi quæcunque fecerunt.

Hic tangitur reuertentium Apostolorum ad Christum legationis relatio. Et tanguntur duo. Primum est reuersio. Secundum autem, relatio. Redeundum enim est semper ad principium, quia aliter egredi apostatare est. Figura istius reditus est reuolatio columbæ ad Noë. Et relationis figura est reportatio rami virentis oliuæ. Non redeuntes autem apostatæ, per eorum significantur, cadaueribus delectabilium huius mundi detenti ne redirent. Et sicut egrediuntur actione, ita reuertuntur amore contemplationis faciei Domini. *Iob* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus. Fulgura sonum significant Prædicatorum, coruscationes miraculorum & bonorum exemplorum.

Narrauerunt illi quæcunque fecerunt] Hic tangitur relatio factorum, & fructus legationis iniunctæ. Nuntiauerunt enim, vt audiret quid approbaret, vel reprobaret in factis eorum: & vt bona illi attribuerent, cuius virtute facta sunt: mala autem ad arbitrium suum corrigerent. *Genes.* 37. Vade, vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Sicut autem apostatæ ad Christum non reuertuntur: ita quærentes latibula in se vel in commissis, ea quæ inueniunt non renuntiant: quinimo legationes verbi Dei, & visitationem in lucrum suum deputant, & furtim sibi vsurpant bona Domini sui, sicut infideles serui à Domino missi. *Zach.* 11. Pasce pecora occisionis, quæ qui possidebant occidebant, & non dolebant & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites enim facti sumus. Ista directe est forma legatorum nostri temporis, qui non veniunt nisi vt occidant corpus & animam, & auferant substantiam, & vendunt quicquid iustitiæ & spiritualium, & reuertentes dicunt: Benedictus Dominus, diuites enim facti sumus.

Et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.

Hic agitur de conformitate & instructione Apostolorum in principatu constitutorum, secundum vitæ formam sibi traditam, & secundum potestatem sibi concessam. Et ideo diuiditur hæc pars in partes duas: ita quod primo ponit confirmationem & instructionem ad vitæ formam quam tradidit pertinentem. Secundo autem dat instructionem debitam potestati quam dedit Apostolis. De vita autem sunt duo, quorum vnum est confirmatio formæ traditæ in hoc, quod non solicitentur de temporalium prouisione. Quia autem omnis forma vitæ ad exemplar Christi referenda est: sicut dicitur 1. *Corinth.* 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideo in secunda ponit instructionem, qualiter in omni forma vitæ semper Christus sequendus est.

In prima ergo ostendit nihil tollendum esse in via: per hoc quod potenti ex paucis vel nullis panibus pascere seruitur, qui in prouisione necessariorum nunquam deserit sperantes in se. Vnde etiam alibi cum diceret, quod attendere deberent à fermento Pharisæorum, & Discipuli intelligerent errantes, quod reprehenderet eos quia panes secum

ſecum non accepiſſent: redarguti ſunt à Domino de ſolicitudine per exemplum ſeptem panum multiplicatorum in quatuor millia, & per exemplum quinque panum multiplicatorum in quinque millia. *Pſalm.77.* Male locuti ſunt de Deo,& dixerunt. Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Nuuquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? *Luc.11.* Si vos cum ſitis mali,noſtis bona data dare filiis veſtris:quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum bonum pueris ſuis? *Matth.16.* Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis: nondum intelligitis,nec recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? Neque ſeptem panum in quatuor millia hominum,& quot ſportas tuliſtis? Sic igitur hæc hic inducitur hiſtoria. Diuiditur autem in partes duas, in quarum prima ſeorſum ducit Apoſtolos tanquam ex miraculo ſpecialiter in forma vitæ confirmandos.In ſecunda autem ponit id per quod confirmatur. Dicit igitur.

Et aſſumptis illis] hoc eſt,Apoſtolis,hoc eſt,ad ſe tractis. Quia ſic neceſſe eſt quod ad exteriora miſſi, iterum aſſumantur à Domino: ne forte exterioribus illecti, obliuiſcantur veritatis & dulcedinis internæ.*Cantic.1* Memores vberum tuorum ſuper vinum.Recti diligunt te.Et præcedit.Trahe me poſt te,curremus in odore vnguentorum tuorum. Vbera enim Domini ſunt ſapientia & bonitas: quorum vnum fundit lac candoris in veritate, eo quod ſapientia Dei dicitur candor lucis æternæ,& ſpeculum ſine macula *Sapient.7.* Alterum autem fundit lac conceptæ dulcedinis in conſolatione, quia per ipſum guſtatur dulcedo ſpiritus eius, de quo dicitur *Eccli.24.* Spiritus meus ſuper mel dulcis.Et niſi Prædicatores in miniſterium miſſi ſemper ſint vberum iſtorum memores, non trahuntur ab exterioribus ad Dominum. Hæc enim vbera plus afficiunt memoriam expertorum ea,quam vinum temporalis iucunditatis, quod aliquando experiuntur procurando ſalutem proximorum. Veritatis igitur & bonitatis vberibus lactatos aſſumit,dulcedine trahens, & dilectione amplexans, & ſtringens deuotione: implens quod dixit *Iſa 66.* Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandietur vobis.

Cum aſſumptis autem [ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum qui eſt Bethſaidæ] Tria dicit. Seceſſit enim in ſe,ſeorſum à frequentia venientium & redeuntium, in locum quieti contemplationis aptum. Secedit enim, cum homo à ſuis exterioribus occupationibus ſenſuum recedit: quod faciens Dominus, nos ſecedere docuit: in cuius figura *Exod.3.*Moyſes minauit gregem à via communi ad interiora deſerti,cum vellet videre viſionem magnam. *Iſa.46.*Redite,redite præuaricatores ad cor. *Matth.6.*Intra in cubiculum,& clauſo oſtio ora Patrem tuum. Seorſum autem cedit, quando turbas frequentantium dimittit. Sicut *Geneſ.22.*Abraham dimiſit ſeruos & aſinum properaturus cum puero,hoc eſt,cum puro ſpiritu ad Dominum. *Thren.3.* Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe. Sic Elias dimiſſa regali frequentia Achab, ſeceſſit in deſertum,& ſedit & dormiuit ſub vmbra iuniperi, cuius lignum præ omnibus lignis diu continet ignem, & ſignificat cor non deſerens ignem charitatis.

In locum autem deſertum venit qui eſt Bethſaidæ. Et tria in hoc notantur. Locus enim dicit continentiam: deſertum autem habitationis ſolitudinem: Bethſaida autem dicit ciuitatis illius vicinitatem & iuriſdictionem. Oportet enim redeuntem ad Chriſtum habere locum continentem ne defluat, deſertum ne impediatur, & ad Bethſaidam pertinentem vt humilietur. Locus autem continens ne defluat, lumen eſt incircumſcriptum & cæleſte. Vnde *Philip.3.* Noſtra conuerſatio in cælis eſt. *Exod.33.* Ecce (inquit) eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam te dextera mea. Locus iſte eſt æterni luminis. Petra autem ſoliditas veritatis. Foramen eſt diligens inquiſitio in veritatis apertione,vt ad interiora perueniatur. Niſi enim cæleſte lumen & veritas æterna contineant contemplantem, ſtatim defluit per rationem phantaſticam,& in diuerſos defluit errores vanitatum. Solitudo autem deſerti, eſt ſolitudo à ſecularibus ſcientiis & rationibus: quia illæ nihil habitationis habent in diuinis. *Marc.6.* Venite ſeorſum in deſertum locum,& requieſcite puſillum. *Abd.1.* Perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſau, hoc eſt, carnalium & ſecularium ſcientiarum. Hæ enim ſubſeruiunt aliquando circa frequens miniſterium in actione, ſed non veniunt ad contemplationis diuinæ ſecretum. *1.Corinth.3.* Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentium prudentiam reprobabo. In ſecreto enim illius deſerti Dei ſapientiam loquimur in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſeculi cognouit, hoc eſt, Philoſophorum, ſicut dicit *Gloſſa Auguſtini.* Hoc autem deſertum eſt pertinens ad Bethſaidam, hoc eſt, domum pecorum: quia interim dum ſumus in corpore non diu contemplamur niſi intellectu pecorino, qui formis corporum perficitur.Quia(ſicut ſæpe diximus) non ſine continuo & tempore, diu diuina contemplamur. *1.Corinth.13.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Literaliter autem videtur contrarium eſſe, quod de iſta refectione dicitur *Ioan.6.* quod abiit IESVS trans mare Galilææ quod eſt Tiberiadis, & ibi manebat cum Diſcipulis ſuis, quando iſtam perfecit refectionem. Sed ad hoc dicendum, quod iſtud deſertum, vicinum quidem fuit Tiberiadi,ſed tamen pertinet ad iuriſdictionem Bethſaidæ. Et ſic vterque verum dicit Euangeliſta. Et hoc tangit interlinearis dicens: Deſertum pertinens ad manus Bethſaidæ, hoc eſt, ad iuriſdictionem eius.

Si autem quæritur,Quare Dominus ſtatim venientibus Apoſtolis ſeceſſit. Diuerſas aſſignant Sancti cauſas. Verior illarum (vt puto) fuit: vt Apoſtolos ab exterioribus ad intima reuocaret: ſicut videtur ſentire *Marc.6.* in auctoritate ſuperius inducta.Et ſecundum hoc litera hic à nobis eſt expoſita.*Chryſ.*tamẽ videtur ſentire quod non timore mortis ab Herode inferendæ ſeceſſit,quia dixit *Matth.10.* Nolite timere eos qui occidunt corpus,& poſt hæc non habent amplius quid faciãt. Sed timuit infelicitati Herodis, qui temere Ioannem decollauit. Et niſi ceſſiſſet,in tantum infelicitatis barathrum decidiſſet, quod homicidium Saluatoris homicidio Prophetæ & plus quam Prophetæ iunxiſſet. *Beda* autem dicit quod ceſſit

malitiæ

malitiæ Herodis, vt Discipulos opportuno tempore cedere doceret, & verbum suum confirmaret quod *Matth.* 10. dixit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Opportunum enim est cum grex non quæritur sed pastor tantum, tyrannidi se tyrannorum subducere. Sic secessit Elias à facie Iezabel 3. *Reg.* 17.

Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos.

Hic incipit confortare Apostolos ex miraculo facto, quantum ad hoc quod nihil tollant in via. Diuiditur autem in partes tres, in quarum prima apponitur opportunitas miraculi ex præsentia turbarum, & dispositione loci, & qualitate temporis. In secunda ponitur intenta Discipulorum eruditio. Et in tertia ponitur miraculi perfectio & commendatio. In prima harum sunt tres paragraphi, in quorum primo deuotio turbæ describitur, quæ in se ex congruo meruit fieri miraculum. In secundo qualitas temporis ponitur, quæ exigit faciendum miraculum. In tertio tangitur loci necessitas, quæ ad miraculum faciendum fecit opportunitatem. In horum paragraphorum primo duo dicuntur: turbæ videlicet ad audiendum Dominum deuotio, & Domini benignitatis magnitudo. Deuotio turbæ rursus accipitur ex duobus: ex diligentia cognitionis eius vbi esset Dominus, & ex deuotione executionis & consecutionis eius. De primo horum dicit.

Quod cum cognouissent turbæ] per diligentem inquisitionem. *Psalm.* 104. Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. *Isa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest. *Ioan.* 1. Rabbi, vbi habitas? *Cantic.* 1. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, & vbi cubes in meridie, hoc est, in contemplationis plena luce. Ibi enim lucem habitat inaccessibilem 1. *Timoth.* 6. [secutæ sunt illum] sua commoda derelinquentes, & horrorem & sterilitatem deserti non timentes, neque recogitantes. Et alius dicit Euangelista *Marc.* 6. pedestres sunt secuti, vt labore fatigationis ostenderent magnitudinem deuotionis *Daniel.* 3. Nunc sequimur te in in toto corde nostro, & timemus te, & quærimus faciem tuam: ne confundas nos, sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui. *Philip.* 3. Sequor autem si quo modo comprehendam in quo comprehensus sum.

Et excepit illos] Benignitatis Christi magnitudo hic tangitur in tribus: in benigna exceptione, in veritatis eruditione, & in ægrotum salutati curatione. De primo dicit [Et excepit illos] Excipere enim sonat quando affectus interior totus extra diffunditur in eum qui excipitur. Et ideo dicit: Excepit, & non, recepit vel suscepit. Et talem benignitatem oportuit exhiberi, quam docuit *Luc.* 15. vbi pater adhuc longe agente filio obuiam festinauit, amplexibus recepit, & habitu decoris indui fecit. Istum etiam modum exceptionis specialiter remunerandum præfigurauit *Hebr.* 11. Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiēs exploratores in pace. Placet enim specialiter Deo talis modus exceptionis lassorum peregrinorum. Sicut igitur, & se inueniri permisit à quærentibus, & consequi à sequentibus & obuiis, vultu & manibus excepit venientes.

Et loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat. Dies autem cœperat declinare.

Hic tangitur eruditio veritatis quæ debetur simplicibus indoctis. Tangit autem duo: modum eruditionis, & materiam. Modum eruditionis cum dicit [loquebatur illis] hoc est, possibilitati & capacitati eorum. *Psalm.* 83. Loquetur Dominus pacem in plebem suam. Altissima enim sapientia Dei, profunda Dei, tacens loquitur rudibus vt capiatur. *Isa.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam. *Isa.* 8. Scribe in eo stilo hominis. *Habac.* 2. Exara visum super tabulas, vt percurrat qui legerit. 1. *Corinth.* 14. In Ecclesia volo quinque verba loqui sensu meo, vt alios instruam: quam decem millia verborum in lingua.

De regno Dei] Ecce locutionis materia. Quid autem sit regnum Dei, iam dictum est. 1. *Petr.* 4. Siquis loquitur, quasi sermones Dei, non sicut qui fabulas loquatur. 2. *Timoth.* 4. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: ad fabulas autem conuertentur, & à veritate quidem auditum auertent, & ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. Christi autem & suorum omnis sermo de regno Dei est. *Act.* 1. Per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei. Adhuc autem quando misit Discipulos, præcepit vt prædicarent quia regnum Dei appropinquauit *Matth.* 10. Et ideo nunc confirmans sermones Apostolorum turbis, quæ Discipulos audierant, de regno Dei loquitur: vt ex vno fonte Apostolorum & Christi doctrina procedere cognoscatur. Sicut enim Christus de Patre dicit *Ioan.* 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Siquis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet ex doctrina vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Ita prædicator veritatis non suam debet afferre, sed eius qui misit eum doctrinam. Et tunc semper loquitur de regno Dei. Regnum enim Dei docet iustitiam ad mores, docet beatitudinem ad merita remuneranda, docet veritatem sapientiæ Dei & fidei, docet fastigium bonoris in præmium virtutis, docet decorem gloriæ in contemplatione speciei diuinæ, docet potestatem confirmatam in contritione nequitiæ. De primo horum *Matth* 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius. De secundo *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. De tertio *Matth.* 13. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, de quo effodiuntur absconditæ sapientiæ, & sacramenta fidei. De quarto *Sapient.* 5. Ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio suo defendet illos. *Psalm.* autem dicit 117. quod dextera Domini fecit virtutem. De quinto dicitur in *Psalm.* 144. Gloriā regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. De sexto *Matth.* 13. Mittet Angelos suos: & colligent de regno eius omnia scandala. Nihil ergo vtilius loqui poterat turbis, quam de regno Dei.

Et eos qui cura indigebant, sanabat] Tangit hic salutarem curam ægrotum: quod est consola-

tionis beneficium. *Marc* autem 7. hoc plenius dicitur. Cum egressi essent de naui, continuo cognouerunt eum: & percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt circunferre in grabbatis eos qui se male habebant, vbi audiebant eum esse. Et quocunque introibat in vicos aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant. Sic igitur curabat omnem langorem tam corporaliter quam spiritualiter. Numera igitur Saluatoris beneficia. Inuenitur à quærentibus, consequitur à sequentibus, excipit grate venientes, docet ignorantes, sanat ægrotantes. Non sic impij Prælati nostri non sic, non inueniuntur à pauperibus, nisi per pretia valuæ dissiliant vt pateat ingressus. Talis clausura virtutis est Assyriorum Hulofernis, & non successorum Christi. *Iud. h.* 14. Nullus audebat tabernaculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire. Isti sunt quos in via positos, nullos pauperum Christi consequitur. Sed potius ab eis strepitu magno pauper conculcatur: quia cum isti qui sint, tenent legem desperatis datam *Sapient.* 1. Quod infirmum est, inutile inuenitur. Isti sunt qui nunquam bonum bene recipiunt, sed abominantur & strident dentibus in eos, & derisioni exponunt. Nullus in eis est sermo doctrinæ: quia vel nihil legis diuinæ, vel parum sciunt: & ideo indigni sunt sacerdotio. *Osea* 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego, ne sacerdotio fungaris mihi. Non curant infirmos, sed sanos vulnerant, & interficiunt valentes *Isa.* 3. Ruit Ierusalem, vir ad virum, vnusquisque ad proximum suum. Sic igitur tactum est de opportunitate miraculi ex præsentia turbarum.

Dies autem cœperat declinare] Ecce opportunitas caussata ex qualitate temporis. Dies autem declinat, quando à nona hora sol declinat ad Occasum. Tunc enim non derelinquendi, sed tenendi sunt hospites ad nos venientes. *Luc.* 24. Coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Vnde *Marc.* 6. dicitur quod cum iam hora multa fieret, quod tunc Discipuli dixerunt: Desertus est locus hic, & iam hora præteriit: dimitte turbas. Est autem attendendum quam dulce fuit Christi eloquium, quod tandiu turbas in deserto suspensas detinuit. Quantæ bonitatis & largitatis fuit, qui nobis debentibus sibi pro spiritualibus temporalia, cedens iuri suo præparare necessaria disposuit. Quantæ fiduciæ fuit, qui de modico quod sui secum portauerant, tot millibus sufficere cogitauit. De primo bonum dicitur *Cantic.* 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. *Psalm.* 44. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. De secundo vnicus inuenitur imitator Domini *Apostolus Paulus.* 2. *Corinth.* 12. Ego inquit libentissime impendam, & superimpendar egoipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar à vobis. De tertio 2. *Corinth* 9 Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.

Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella villasque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus.

Tangit opportunitatem miraculi ex sterilitate loci. Tanguntur autem tria. Primum est commonitio Apostolorum secundum sensum humanum, qui maiorem habuerunt ausum apud Christum. Secundum est ab Apostolis interpellata dimissio propter necessitatem turbarum. Tertium est allegata loci sterilitas propter quam necesse esset dimitti turbas. De primo dicit [Et accedentes[ausu familiari ad Christum [duodecim] *Psalm.* 149. Gloria hæc est omnibus sanctis eius, filiis Israël populo appropinquanti sibi. Apostoli enim secundæ dignitatis post Christum. Significat autem hæc appropinquatio accessum deuotionis Prælatorum pro populo sibi commisso. *Sap.* 18. Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati. *Ierem.* 18. Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum.

Dixerunt illi] non ignoranti, sed ab eo discere cupientes, quare turbam teneret, quæ secundum humanam rationem diu dimittenda fuerat [Dimitte turbas] finiendo sermonem. Simile *Matth.* 15. Dimitte eam, quia clamat post nos. Dicunt autem: Dimitte, quia dulcedine sermonis Domini quasi vinculis quibusdam tenebatur. *Psalm.* 149. Ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis. *Eccli.* 6. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subiice humerum tuum & porta illam, & ne acedieris vinculis ipsius. Ab his ergo vinculis solutis dimitte turbam. Et allegant dimissionis necessitatem, dicentes.

Vt euntes] quia pedestres venerant [in castella] in quibus lautiora inueniunt ditiores [& villas] vbi grossiora inueniunt pauperiores [quæ circa sunt] propinque. quia ad loca distantiora propter Occasum diei ire non possunt [diuertant] Nota quod domum venire non poterant, sed ad diuersoria hospitum oportuit declinare. *Marc.* 8. Quidam enim ex eis delonge venerunt. *Isa.* 60. Filij tui delonge venient [& inueniant escas] vel mendicando, vel emendo. Adhuc enim carnales Discipuli non intellexerunt quod dicitur *Deut.* 8. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et illud *Sapient.* 16. Non natiuitatis fructus pascuntur homines, sed sermo tuus pascit eos qui in te confidunt. Nec memores fuerant Moysi *Exod* 33 qui quadraginta diebus & noctibus non comedit, pastus dulcedine sermonis Domini, & consortio suo. *Psalm.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo! Sed humano sensu loquentes, non aduerterunt quod fame laborare non potest, quem Deus verbo suo reficit & præsentia suæ faciei. Hæc enim est esca de qua dicitur *Sapient.* 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum habentem in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Allegant ergo loci sterilitatem, dicentes.

Quia hic in loco deserto sumus] non attendentes non esse Christum minoris potentiæ nunc quam olim, quando multo maiorem pauit in de-

ſerto quadraginta annis : ſicut dicitur *Exod.* 16. *Ioan.* 6. Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto. Deſertum enim vertit in vbertatem, quando vult.

Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non ſunt nobis plus quam quinque panes & duo piſces : niſi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas. Erant autem fere viri quinque millia.

Hic incipit Apoſtolorum ex miraculo faciendo eruditio. Tanguntur autem tria quæ ad Apoſtolorum pertinent eruditionem. Primum enim erudit eos de debito quod debent turbis Prælati. Secundo non intelligentes Apoſtoli quid erat facturus, excuſationem prætendunt. Tertio autem docet eos de miniſterio quod pertinet ad eos, apud eos qui reficiendi ſunt à Chriſto. De primo dicit [vos date illis manducare] Q. d. Hoc vobis impero & impono, quia vobis hoc eſt debitum quod paſcatis vobis commiſſos. *Ioan.* 21. Simon Ioannis diligis me plus his : paſce oues meas. *Ioan.* 10. Ego ſum paſtor bonus, qui paſco oues meas. *Ezech.* 34 Nonne greges paſcuntur à paſtore ? Vos igitur qui paſtores eſtis, paſcite eos,& date illis manducare panem eleemoſynæ. De pane verbi dicitur *Eccli.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus. De pane Sacramenti ſiue Euchariſtiæ dicitur *Sap.* 16. Paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore. *Pſalm.* 77. Panem Angelorum manducauit homo. De pane eleemoſynæ,qui eſt ſumendus de reditibus Eccleſiæ,dicitur *Iſa.* 23 Erunt mercedes Tyri ſanctificatæ Domino : non condentur neque reponentur : ſed his qui ſteterunt coram Domino erunt mercedes eius, vt comedant vſque ad ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem. Tyrus interpretatur anguſtia. Mercedes ergo Tyri ſunt bona Eccleſiarum, anguſtiis Chriſti & ſanctorum martyrum eius acquiſita, quæ ſanctificantur Domino : nec condenda ſunt in theſauros, nec abſcondenda in auarorum marſupiia : quia bis qui ſteterunt coram Domino (dicit *Gloſſa* ibidem, hoc eſt, vetis pauperibus) debentur mercedes eius, vt comedant ad ſaturitatem, & veſtiantur. Et horum bonorum eccleſiaſticorum Prælati ſunt cuſtodes & erogatores. Et ideo ex illis paſcere tenentur gregem Domini. Et ideo Dominus ter dixit Petro : Paſce oues meas *Ioan.* 21. quia paſcere debet verbo, paſcere debet Sacramento, & paſcere debet temporali ſubſidio. Hoc eſt igitur quod per figuram inſtruit Apoſtolos, dicens [Vos date illis manducare] Et in *Matth.* 14. præmittit, dicens : Non habent neceſſe quoquam ire, cum ſint apud eos qui debent eos iſto triplici pane procurare. Et iſti ſignificantur per tres panes *Luc.* 11. qui accommodandi ſunt à nobis ab amico noſtro Chriſto, quando is de via venit, amicus noſter fatigatus, venit ad nos paſcendus, & non habemus quod ponamus ante eum.'

Videtur autem *Luc.* diuerſa dicere *Ioan.* 6. quia ibi dicitur quod ſolus Chriſtus ſoli Philippo dixit : Vnde ememus panes vt manducent hi ? Et quod hoc dixit tentans : ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Et ad hoc dicendum, quod vtrumque verum eſt. Primo enim dixerunt Diſcipuli vt turbæ dimitterentur,& inſtructi ſunt per Chriſtũ: ſicut hic & in Marc. & Matth. legitur. Sed quia Philippus propter ſimplicitatem ſuam ſpeciali indiguit inſtructione : ideo poſt inſtructionem aliorum ſpecialiter ab eo quærit vt ſpecialiter inſtruat. Et ideo poſtquam dixerat. Date illis vos manducare, & ipſi ſe excuſauerunt ſicut hic dicitur : tunc demum quæſiuit à Philippo vnde emendi eſſent panes, qui in tot millia ſufficerent.

At illi dixerunt] Excuſatio eſt carnalium diſcipulorum [Non ſunt nobis plus quam quinque panes] ponunt negatiuam vt intelligatur non eſſe plures : quod non fieret ſi affirmatiua poneretur, quia minor numerus non excludit maiorem. Et ſi diceretur : Sunt nobis quinque panes, verificaretur, etiamſi centum panes haberentur. Et tunc miraculum non eſſet adeo commendabile. Et ideo ponit negatiuam cum exceptione plurium, quæ exceptio continet in ſe præciſionem. Additur autem *Ioan.* 6. quod iſti panes erant hordeacei, & erant in cuſtodia Philippi, qui ſpecialiter erat inſtruendus, quia ſimplicior & minor fuit inter Apoſtolos : vt dicit *Chryſoſt.* Addunt autem [& duo piſces] qui habebantur ad dulcorationem panis hordeacei. Reuerentiæ autem Domini ſatisfacientes, & voluntati eius obedientes, quia dixit : Date illis vos manducare, exhibent obſequium, dicentes [niſi forte] Aduerbium notat libertatem Dominicæ voluntatis. Et quia ſæpe figuratiue loquebatur : ideo neſcientes quid intendat, dicunt [niſi forte] hoc intendas, quod [nos eamus] quod & parati ſumus facere [& emamus] condigno pretio [eſcas] panis [in omnem hanc] quatuor millium [turbam] Et ex hoc patet quod ſecum portabant pecunia: quia ſicut dicitur *Ioan.* 6. Ducentorum denariorum panes non ſufficerent eis,vt vnuſquiſque modicum quid acciperet.

Attende autem, quod Apoſtoli imperfecti vicem agunt imperfectorum Sacerdotum & Prædicatorum, qui excuſantes paſturam quam tenentur exhibere turbæ, dicunt quod non ſunt nobis plus quam quinque panes. Quinque autem panes ſunt quinque modi exponendi. Sunt enim quinque leges homini propoſitæ. Vna ſicut exemplar, quæ eſt lex rectitudinis diuinæ iuſtitiæ in mente Dei, ad quam homo rectificatur. Alia in corde, quæ eſt lex naturalis iuſtitiæ, ſcripta in corde hominis. Tertia ſcripta, quæ eſt lex mandatorum Dei. Quarta inuenta per rationem, quæ eſt lex ciuilis & humana quam opinio hominum genuit. Quinta eſt lex charitatis,quæ finem & terminum neſcit, quia ex affectu facit quicquid poteſt & expedit. Iſti ſunt quinque panes, quibus in hac vita viuitur. De his autem panibus dicitur *Geneſ.* 40. Tria caniſtra vidi me portare ſuper caput meum: & in vno caniſtro quod erat excelſius vidi me portare omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria. Tria caniſtra ſunt legum vaſa : mens diuina, mens hominis, & libri ſcripti. Mens enim diuina eſt ſuper caput hominis ad conſulendum : quia (ſicut dicit *Auguſtinus* ſuperior portio rationis conſulendis legibus diuinis inhæreſcit. Mens hominis ſuper caput hominis : quia ſuperior pars eius eſt. Liber autem ſcriptus eſt ſuper caput hominis ad ſtudendum. Vna igitur continetur in caniſtro mentis

diuinæ, duæ in caniſtro mentis humanæ, naturalis ſcilirer, & lex chariiatis. Duæ etiam in caniſtro librorum ſcriptorum : vna diuiua, & vna humana quam opinio hominum per rationem ex pati, pacto, & iudicato produxit, ſicut dixit *Tullius*. Omnes enim iſti panes ſatiant, & arte piſtoria, hoc eſt, legum inuentoria fiunt. Et ſata, ex quibus fiunt iſtæ leges, ſunt tria : par quod dicit æquum ſecundum rei naturam : & pactum quod dicit æquum ſecundum voluntatum conuenientiam, quia pactũ eſt quod conuenit inter aliquos: & iudicatum quod ad iuſtitiam determinatum eſt à iudice ſecundum allegara. Hæc tria ſignificantur *Genef*. 18. Accelera, tria ſata farinæ comiſce, & fac ſubcineritios panes azymos.

Hi panes quinque eſſe dicuntur propter quinque iuſtitias, quæ ipſis legibus rectificantur. Eſt enim iuſtum ante Deum. Eſt iuſtum quoad naturæ rectitudinem. Eſt item iuſtum quoad effectus optimum debitum. Eſt iuſtum quoad mandatum. Et eſt inſtum quoad ciuilitatis rectitudinem. De Iuſto autem ante Deum dicitur *Luc*. 1. Erant ambo iuſti ante Deum. De iuſto, quoad naturæ rectitudinem dicitur *Rom*. 2. Iudicabit quod per naturam eſt præputium, te, qui per literam & circuncifionem præuaricator legis es. De iuſto quoad charitatis affectum dicitur *Rom*. 8. Lex ſpiritus vitæ liberabit me à lege peccati & mortis. *Rom*. 13. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. De iuſto legis diuinæ *Eccli*. 24. Legem mandauit nobis Moyſes in præceptis iuſtitiarum. De iuſto legis humanæ *Rom*. 10. Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Omne iſtud inſtum quintuplex, in eo panis eſt quod refecit & confortat ſicut panis. *Pſalm*. 103. Panis cor hominis confirmat. *Genef*. 18. Ponam buccellam panis, & confortetur cor veſtrum.

Secunda expoſitio eſt allegorica, & tangitor io Gloſſis, quod quinque panes ſunt quinque doctrinæ librorum Moyſi, in quibus continetur dignitas patriarchalis quoad benedictionem ſeminis : quod eſt panis vnus. Continetur exitus de Ægypto & mundo per immutationem conuerſationis in ſemine benedicto : quod eſt panis ſecundus. Continetur ritus & modus ſacrificij, qualiter ſemetipſum homo offerat hoſtiam viuam ſanctam, Deo placentem : quod eſt panis tertius. Continetur numerus procedentium ad bella, qualiter virilis animus in bello luctetur contra vitia, & firmum robur accipiat : quod eſt panis quartus. Continetur legis iteratio, qualiter à vetuſtate veteri in nouam legem gratiæ tranſeat: quod eſt panis quintus. Qui quinque panes Apoſtolis turbis miniſtandi committuntur.

Tertia expoſitio eſt item allegorica, quæ eſt, qood quinque panes, quinque ſont genera gratiarum, animam ſpiritualiter reficientes. Vna quidem gratia eſt contra peccatum, quæ eſt gratia ſacramentalis, quaſi dans eſſe ſpirituale filiis Dei. Secunda gratia eſt virtutis, confortans potentias animæ ad bonom operis. Tertia gratia eſt gratia doni ſancti Spiritus, data (vt dicit *Gregor.*) in adiutorium potentiarum & virtutum : vt vbi virtus non ſatis præualet, donum faciat perfectionem. Quarta gratia eſt gratia fructus Spiritus per guſtum diuioum, tolerabilem faciens peregrinationem, & eſurire faciens beatitudinem : & illa gratia enumeratur *ad Gal*. 5. per duodecim fructus, qui ſignificantur per duodecim panes propoſitionum *Exod*. 22. Quinta gratia eſt gratia beatitudinis, quæ enumeratur *Matth*. 5. reficiens ad ſublimitatem ſummæ felicitatis ſecundum perfectiſſimum ſtatum intellectualis & diuinæ virtutis in nobis.

Quarta expoſitio item allegorica eſt, quod quinque panes ſunt quatuor doctrinæ Euangeliorum. Regalis dignitatis quam exequitur *Matth*. Viuificatiuæ virtutis quæ reſtaurat deperdita & viuificat moritura, quam exequitur *Mar*. Sacrificij virtus & paſſionis, quam exequitur *Lucas*. Aſcenſiuæ virtutis & altiuolæ ſecundum diuinitatis contemplationem, quam exequitur *Ioan*. Quinta autem gratia eſt expoſitiua harum quatuor, quam exequitur *Paulus*, & alij Apoſtoli in doctrinis aliorum librorum noui teſtamenti. Iſtæ enim quinque doctrinæ panis vitæ ſunt & intellectus.

Quinta expoſitio moralis eſt. Inuenitur enim panis compunctionis in lacrymis, panis arctus, panis quotidianus, panis vitæ, & panis pinguis. Panis compunctionis in lacrymis, panis eſt pœnitentiæ. *Pſalm*. 79. Cibabis nos pane lacrymarum. Panis arctus eſt panis ſatisfactiuæ iuſtitiæ. *Iſa*. 30. & 3. *Reg. vltim*. Dabis ei panem arctum & aquam breuem, donec reuertat in pace. Panis quotidianus eſt viaticum Euchariſtiæ. *Matth*. 6. Panem noſtrum quotidianum vel ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Panis vitæ eſt panis gratiæ. *Eccli*. 15. Cibauit illum pane vitæ &c. *Iſa*. 4. Panem noſtrum comedemus, & veſtimẽtis noſtris operiemur. Panis pinguis eſt panis deuotionis & conſolationis internæ. *Geneſ*. 49. Aſer pinguis panis eius, præbebit delicias regibus. Omnes iſti quinarij panum committuntur Apoſtolicis viris, turbis proponendi.

Omnibus autem bis generibus panum coniuncti ſunt dulcores geminorum piſcium. Panibus enim legalibus, duo piſces adiunguntur, legis duritiam dulcorantes : quorum vnus eſt Spiritus, ad legem implendam gratiam conferens : alter autem eſt dulcedo charitatis, legis auſteritatem non ſentiens. Et hoc *Ioan*. 21. ſignificatum eſt, & *Luc. vltim*. vbi oblatus eſt piſcis & fauus mellis. Piſcis dulcis, ſpiritus conſolationis. Fauus mellis, dulcedo deuotæ charitatis. Spiritus omnia operatur 1. *Corinth*. 13. Charitas omnia dulcorat. *Geneſ*. 39. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Piſces autem dulcorantes refectionem quinque librorum Moyſi, ſunt intellectus myſticus, vnus, qoi latet in aquis hiſtoriæ & promiſſionis legis. Alius qui capitur in ripa literalis obſeruantiæ, qui ſignificatur *Ezech*. 47. vbi dicitur. Erunt piſces multi ſatis.

Piſces autem dulcorantes qoinque genera panum, quæ ſunt quinque genera gratiarum, ſunt duo quæ coniunguntur refectioni gratiæ : quorum vnum eſt guſtus internæ dulcedinis : ſecundum autem, teſtimonium conſcientiæ in dulcedine mentis ſecundum gratiam agentis. Propter primum, virtus vocatur fructus. *Galat*. 5. Fructus autem ſpiritus ſunt, &c. *Ibi Ambroſ. in Gloſſa*. Hæ virtutes fructus dicuntur : quia delectant poſſeſſores ſua ſyncera & ſancta delectatione. De ſecundo dicitur 2. *Corinth*. 1. Gloria noſtra hæc eſt

teſtimonium

testimonium conscientiæ nostræ. Isti sunt pisces de quibus dicitur in *Psalm*.8. Pisces maris, qui perambulant semitas maris.Isti enim perambulant omnes semitas amaritudinis humani cordis, & eam ad dulcedinem temperant & reducunt.

Quinque autem panum euangelicæ doctrinæ & Apostolicæ pisces, sunt duo Sacramenta, in eis principaliter constructa: quæ sunt Passio, & Resurrectio Christi. Passio enim dulcedinem habet redemptionis. Et Resurrectio dulcedinem habet æternæ beatitudinis. Primus significatur per piscem qui ascendit ad hamum Petri, qui habuit in ore staterem quem pro se soluit Petrus, & pro Christo.Piscis significat Christi Passionem.Stater autem significat Christi animam, qui pro Petro, hoc est,summo Pontifice solutus est:& pro Christo,hoc est,toto corpore ipsius mystico. Secundus autem piscis significatur per piscem Tobiæ,cuius fel illuminauit Tobiam seniorem, & compescuit à Sara dæmonem. Fel enim Christi resurgentis amaritudinem designat Passionis, per quam intrauit in gloriam Resurrectionis, & per eandem inducit suos ad lumen æternum recipiendum. Hepar significat Christi charitatem, quæ à Sara sponsa Tobiæ, hoc est, tota Ecclesia, compescuit dæmonem.

Quintorum autem panum pisces sunt duo, bonæ viæ dulcedinem afferentia, quorum vnum est spes certæ remunerationis, & secundum prægustatio quædam internæ refectionis. Spes enim ex certa expectatione delectat. *Rom*.5. Gloriamur in spe filiorum Dei. 1.*Petr*.1. Regenerauit nos in spem viuam. *Hebr*.6.Spem sicut anchoram aoi mæ habemus tutam ac firmam & incedentem vsque ad interiora velaminis. Deprægustatione internæ & æternæ felicitatis *Isa*.58. Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tuis. *Matth*.15.Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Isti sunt pisces de quibus dicitur *Matth*.13.quod elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Isti ergo panes & isti pisces sufficiunt ad refectionem euangelicam. Dicit tamen *Gloss*.quod duo pisces significabant duas personas, quæ Israëlitico populo ad regendum populum vngebantur, scilicet,Reges & Sacerdotes. *Habac*.1. Facies homines quasi pisces maris. Sequitur.

Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces] Notatur in hac responsione Apostolorum duo: insufficientia habitorum, & sufficientia commutationum. Insufficientia habitorum dicit secundum mysterium simul & literam quatuor, quorum primum est legis insufficientia secundum mysterium. Secundum autem eiusdem sufficientia secundum spiritum subintellectum. Tertium est paupertatis sufficientia secundum victum sapientiæ studentium. Quartum parsimoniæ modestia, propter concupiscentiæ frænum.

De primo dicit *Gloss*.Nondum erant Apostolis nisi quinque panes legis Mosaicæ & duo pisces, id est, illæ personæ quæ Israëlitico populo iungebantur ad regendum populum: Sacerdotes, & Reges: in quibus nulla plenaria refectio poterat inueniri. Quandiu enim legitur Moyses,velamen positum est supra corda eorum. Hoc significatum est *Num*.11. vbi propter insufficientem refectionem populus flagrabat desiderio ciborum Ægyptiacorum. *Hebr*.7.Nihil ad perfectum adduxit lex.

De secundo notatur, quod hoc Apostolis bene sufficeisset, qui spiritum in lege intellexerunt. Litera enim cum spiritu gratiæ semper sufficit. *Psalm*.77.Manducauerunt,& saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis Dominus: non sunt fraudati à desiderio suo. Cum spiritu enim habet in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem in viris perfectis, qui spiritum in lege percipiunt.Et ideo illi significantur per Moysen,qui in sufficientia cibi permansit cum Domino in monte: sicut & Apostolis cum Domino cibus ille suffecisset, si turba non superuenisset. *Eccli*.15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus.

Notatur etiam parsimonia victus, & frænatio concupiscentiæ Apostolorum. Panes enim hordeacei fuerunt, & pisciculi in terra tam calida reseruati non poterant, nisi essent salsi. Vnde *Ioan*.6. Est puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces. *Daniel*.10.Panem desiderabilem non comedi. Vituperatur etiam diues epulo *Luc*.16. qui epulabatur quotidie splendide.

Nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc multitudinem escas] Notatur & hic sufficientia commutationis.Nisi enim omnibus emere potuissent, & ad hoc suffecissent, non dixissent [Nisi forte nos eamus & emamus] Sed si hoc est verum, qualiter dicuntur fuisse pauperes & egeni? Sed sciendum, quod cum Domino fuerunt multi, qui terrenis non renuntiauerant,qui semper quando voluit ministrabant ei de facultatibus suis; sicut *supra* 7. habitum est. Et propter illorum sufficientiam dixerunt,quod sufficiebant ad emendum: sicut habetur *Act*.4. Quotquot erant possessores agrorum, afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebant autem vnicuique secundum quod vnicuique opus erat. Sic Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus *Luc*.19. Sic Matthæus fecit conuiuium magnum in domo *Luc*.5. Sic Ioseph,qui vocabatur Barsabas, cum haberet agrum vendidit eum: sicut dicitur *Act*.4. Sic multi cum Domino cum abundarent in temporalibus, communicabant illa Discipulis: vt spiritualia Discipulorum illis etiam communicarentur:sicut dicitur 1.*Corin* b 9. Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis. Sic multi pretia dabant Dominô & Apostolis,ex quibus habebant loculos, in quibus ea quæ mittebantur portabant *Ioan*.13.

Spiritualiter tamen siue mysticè dicit *Glossa*, quod nondum intellexerunt Apostoli cibum populi credentis non esse venalem. Nec nouerant adhuc nos esse redimendos, non pretio pecuniæ, sed pretioso sanguine agni tanquam immaculati Christi, 1.*Petr*.1. De esca vero spirituali Apostolorum, qua pascere iussi sunt turbam, dicitur *Matth*.10. Gratis accepistis, gratis date. *Luc*.6. Date, & dabitur vobis. *Isa*.55. Comedite absque argento & absque vlla commotatione vinum & lac. Hæc etiam est esca, quæ in omnem turbam sufficit: sicut dicit *Apostolus* 1.*Corinth*.8. Qui multum,non abundauit: qui parum, non minorauit. De hoc optimus dispensator dicit Ioseph *Genes*.50.Nolite timere,ego pascam vos & paruulos vestros.

Erant autem fere viri, &c.] Istud est verbum Euangelistæ quod interseritur ad miraculi commendationem. Et cum dicitur quod [erant viri fere quinque millia] intelligitur secundum *Matth.* 15. exceptis paruulis & mulieribus. Consuetum autem est in talibus, quod plures sequuntur mulieres quam viri. Multi etiam paruuli sequuntur præcipuè cum multi essent inter eos qui sequebantur eum, vt sine solicitudine haberent ab eo necessaria victus *Ioan.* 6. Quæritis me: non quia vidistis signa, sed quia comedistis ex panibus. Mysticè autem dicit *Glossa*, quod per quinque millia significantur illi, qui in seculari adhuc habitu existentes, quinque sensibus bene vti nouerunt. Illi enim vsus sensuum, ad perfectionem quadrati cubiti numeri virtutum referunt. Et ideo quinque panibus, Moysi instructionibus adhuc aluntur. Sed taliter exponere facile est, & habetur in *Glossa*. Nos autem literæ insistimus. Et ideo dicit tantam multitudinem esse commemoratam, ad magnitudinem miraculi commendandam.

Ait autem ad Discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerunt. Et discubuerunt omnes.

Hic incipit Apostolos instruere de ministerio Prælatis debito, & tangit tria: quorum primum est quod discumbere homines faciant per conuiuia. Secundum autem Discipulorum ministerium, & opus turbarum ad ministerium Apostolorum. Dicit igitur tangendo tria: discubitum, ordinem discumbentium, & numerum satiatorum. De primo dicit [Facite] sicut ministri [homines] rationales [discumbere] commode sedere: ita quod incommoditas sessionis cum lassitudine non tollat eis dulcedinem refectionis. Discubitus enim sicut in ante habitis diximus, positio est corporis composita reclinatione & sessione [Facite] ergo vos discubitus sicut boni ministri. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. *Isa.* 61. Ministri Dei nostri, dicetur vobis. Discubitus autem in quibus discumbunt fideles, gradus sunt ordinis vitæ, in quibus ad Christum vocantur, & sacramentis reficiuntur: vnus quidem cum sibi similibus in matrimonio, alius in clericatu, alius in dominio, alius in religione, & sic de aliis. 1. *Corinth.* 7. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat apud Deum. De discubitibus istis dicitur in *Psalm.* 47. Distribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera.

Sic ergo facite [illos discumbere] hoc est, homines rationales, vt quilibet secundum rationem sui ordinis sit in Dei refectione, ita quod pabula competentia ministrentur cuilibet. 1. *Corinth.* 15. Vnusquisque in suo ordine. Quidam enim in hoc ordine Christo fuerunt propinquiores, & quidam remotiores: tamen omnes in lumine, & in cura, & in refectione ipsius. *Sapient.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. *Iacob.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Discubitus autem iste, sicut dicitur *Matth.* 14. stramento fœni quod multum erat in loco propter lassorum recreationem, est ordinatus. Fœnum autem mollitiem significat carnis. *Isa* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Docet autem & nos hic, quod tempore lassitudinis mollioribus licet vti stramentis. Sed non licet in deserto religionis vel pœnitentiæ resoluta quærere. *Matth.* 11. Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Per conuiuia] hoc est, per societates conuiuantium, vt vnusquisque sederet in ordine suæ societatis, nobilis cum nobili, & minor cum minore. Hic enim ordo sapientiæ placet diuinæ. *Genes.* 43. Sederunt coram eo: primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus secundum ætatem suam. 1. *Corinth.* 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis [quinquagenos] Hoc dicit secundum longitudinem numeri sedentium in vna linea. Multæ enim lineæ comedentium discubuerunt in campo. Significat hic numerus remissionem: quia annus quinquagesimus remissionis fuit annus. Et numerus dierum quinquaginta à Pascha (fuit tempus oblationis primitiarum) ad Pentecosten, quando in igne accipiendus erat Spiritus sanctus. *Act.* 2. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes Discipuli pariter in eodem loco: & subito factus est sonus de cælo tanquam spiritus torrens, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Congregatio enim turbarum congregationem significat Discipulorum. Repletio turbarum repletionem significat Apostolorum. Hæc est igitur causa, quod quinquageni in numero sunt ad inuicem ordinati.

Et ita fecerunt] Ecce obediens Domino ministerium Apostolorum. *Exod.* 24. Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus Domino obedientes [Et discumbere fecerunt omnes] Tangitur reficiendorum qualitas. Nullos enim excipitur à largiflua refectione ipsius, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum *Psalm.* 146. Et iterum *Psalm.* 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Attendendum autem, quod non reficitur nisi in aliquo gradu & ordine discumbens. Et sic etiam Prælati ignotos & inquietos gradum & ordinem suæ vitæ non demonstrantes sacramentali refectione reficere non debent. *Matth.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere ante porcos. Omnibus autem in ordinibus Ecclesiæ discumbentibus Ecclesiæ sacramenta præbenda sunt, & nulli neganda. Nec sunt vendenda, sicut iam ante diximus, sed liberaliter & gratis conferenda. *Prouerb.* 11. Maledicetur qui abscondit frumenta in populis. Benedictio autem super caput vendentium, hoc est, distribuentium pro mercede æterna. Non enim sacramenta sunt ministrorum, sed sunt Christi. Et impius est minister qui bona Christi subtrahit filiis Dei.

Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit Discipulis suis vt ponerent ante turbas.

Hic agitur de perfectione miraculi. Et tangit tria. Primo enim tangit ea quæ perficiunt per modum

modum causæ. Secundo tangit ordinem ministerij. Tertio ea quæ faciunt ad commendationem miraculi. Quæ autem perficiunt miraculum per modum causæ, sont quatuot: acceptio scilicet, respectus in cælum, benedictio,& fractio. Est autem acceptio materiæ ciborum, ad diuinam virtutem (quæ in manibus suis erat)reuocatio. Respectus autem in cælum, significat cælestis & diuinæ virtutis (quæ est io Patre & Spiritu sancto) concordem cum sua virtute, & indiuisam operationem. Benedictio significat boni diuini in panem descendentis multiplicationem. Fractio significat istius boni ad capacitatem singulorum diuisionem.

Per primum confutatur Manichæus dupliciter secundum duas expositiones. In hoc enim quod materiam veterum ciborum accepit, noo nouam creauit: osteodit, quod visibilia corporalia ad esum corporis pertineotia ipse fecit, & qood non sunt facta à principe tenebrarum, & maledicta: sicut dicit Manichæus. *Ioan* 1. Omnia per ipsum facta suot, & sine ipso factum est nihil. 1. *Tim*. 4. Spiritus manifeste dicit, quod in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus errorum & doctrinis dæmoniorum, io hypocrisi loquentium meodacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentes nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei booa est, & nihil immundum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.Ex hoc patet, quod si princeps tenebrarum ista visibilia fecisset, & ideo immunda essent: nunquam ea Christus multiplicanda in manus accepisset, sed ooua creasset.

Dicit etiam Manichæus, quod à malo Deo principe tenebrarum data sit lex Moysi. Si ergo secundum aliam expositionem, quinque panes sunt librorum Moysi refectiones,nunquam Christus Moysi per doctriuam spiritualem intellectum multiplicasset, accipiendo eam ad seipsum, sed refutatam abiecisset,& nouam doctrinam attulisset. Sic ergo accepit ad se panes & pisces: vt ea quæ creando fecit,ad se accipiendo diuinæ coniongeret virtuti, & in cootactu manuum diuinarum,panes & pisces multiplicando augeret. *Matth*.26. Accepit IESVS panes &c. Et quos in corpus suom mutauit, eadem potentia multiplicauit. Accepit etiam,quãdo sicut bona à se creata accepta habuit. *Genes*. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde booa.

Dicunt etiam hæretici immundum esse, quod per coitum generatur. Et si est hoc verum, tunc Christus non accepisset pisces, qui pro certo per coitum maris & fœminæ & generant & generantur. Sed hoc facit hæreticis errorem, quia ignari sunt & idiotę,& præsumunt docere qood nesciũt. Multis enim modis coeunt animalia: quædam diu, sicut quæ exterius habent pendentes testiculos: quædam velociter, sicut quæ interius habent testiculos: quædam per coniunctionem velocissimam genitalium porurum, sicut pisces: quædam per reflexionem & implicationem corporum circa se inuicem, sicut serpentes. Et alij multi modi suot coeundi. Quibus omnibus Deus concubitum & permixtionem sexuum & seminum indulsit, quando ea masculum & fœminam creauit, & multiplicari præcepit. Et ideo etiam vt hi confutentur, pisces cum panibus assumpsit: quanquam & io ipsis plantis, & in omnibus quæ generant, oporteat esse virtutes permixtas maris & fœminæ. Et nisi segetes vbique imprægoarent se & imprægnarentur, nullum graoum ex ipsis generaretur. Nec manus Dei vnquam talia contingeret, si hæc à principe tenebrarum creata essent. Manus enim Dei nihil tangũt quod immundum sit: quin etiam his quæ aliquam immunditiam per corruptionem sunt passa, conferunt tactu suo munditiam: vt leprosis, & mortuis: sicut sæpe in ante habitis dictum est.

Respexit in cælum] Vt indiuisam suam & Patris (qui io cælo est) & Spiritus sancti ostenderet operationis virtutem. *Ioan*. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. *Ioan*. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. *Matth*. 11. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ. Sic in cælum respexit suscitans Lazarum *Ioan*. 11. dicens. Gratias ago tibi Pater quia audisti me: ego autem sciebam quia tu semper me audis. Respexit etiam in cælum, vt astantes respicere in cælum doceret ad Patrem cælestem. *Psalm*. 24. Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse euellet de laqueo pedes meos. *Psalm*. 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

Et benedixit illis] Qua benedictione verbali vsus sit, vel quo signo, oon legitur. Sed hoc certum esse constat, quod bonum cæleste panibus & piscibus indidit, quod eisdem dedit virtutem multiplicatiuam, quia sic omnis benedictio Domini intelligitur quod incrementa dat bonorum. *Iob* 1. Operibus manuum suarum benedixisti, & possessio eius creuit io terra. *Genes*. 1. Benedixit eis, & dixit: Crescite & multiplicamini. Sic ergo benedixit, quando virtutis suæ escis illis bonum indidit.

Et fregit] hoc est, ad capacitatem vniuscuiusque diuisit. Paruuli enim in Christo integrum cibum non capiuot, nisi diuidatur, & proportionata viribus eorum apponantur. Et hoc est miraculum quod pauci aduertunt, quod ex eodem genere cibi, & paruulis conuenientia (qui tamen liquidum desiderant cibum) & maturioribus competentia (qoi solidum cibum requirunt) & infirmis (qui gratiæ curationum sequebantur qui leuem quærunt cibum ab infirmo stomacho vincibilem) exhibuit. Et quod in desiderio naturali vnicuique saporem quem desiderauit, præseotauit. *Sapient*. 16. Voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur.

Attende autem, quod sicut tunc, ita & nunc, suis quidem viribus semper Dominus escam omnem frangit: licet forte manus hominis ministret aliquando ad fracturam. Nullus enim ex vna materia conditum in tot sapores, & in tot qualitates diuersorum edentium, cibum coouertere posset, nisi Deus. Sic facit in cibo corporali. Sic etiam io Eucharistia. Sic in verbo suo quotidie perficit fractionem.

Sed heu hodie, quia deficiunt manus Apostolicæ operantes in fractione per ministerium, stat turba in deserto expetens escarum benedictiooem & non accipit à Domino. *Thren*. 4. Paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis. Matribus suis dixerunt, hoc est, Prælatis: Vbi est triticum

&

& vinum, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum? hoc est, in subiectione Ecclesiarum, siue parochiarum. Dicunt enim nostri temporis Prælati contrarium eius quod dicitur *Isa.* 3. pro parte, & conueniens pro parte. Dicunt enim. Non sum medicus animarum, sed tyrannus, oppressor, & interfector. Et in domo mea non est panis verbi, & sacramenti, & virtutis. Quia nec verbum est mihi in doctrina, nec operatio sacramentorum in cura, nec gratia virtutis in conuersatione. Et tamen constituite me iudicem populi huius, vt qui ruit totus corruat, & nunquam adiiciat vt resurgat. Et hoc est quod conqueritur Dominus *Isa* 52. Dominatores eius inique agunt: & tantummodo blasphematur nomen meum inter Gentes. Dominatores imperio dominantes, & non forma facti gregis ex animo, sunt maiores in Ecclesia, constituti optimates capita populorum *Amos* 6. Iniquissime aguor, quia nullum in Ecclesia nisi malum regimen assumunt Et ideo nomen Christi factum est abominabile, & blasphematum

Et distribuit] Hic tangit distributiones ministrorum. Non enim omnibus omnia commisit: nec vni sic omnia, quod non haberet aliquos in parte suæ solicitudinis: non omnia per seipsum perfecit, cum tamen hoc facere potuisset. Sed vnicuique in ordine vicis suæ ministeria ordinatim distribuit Vnde 3. *Reg.* 10 Regina Austri mirata est ordines ministrantium in domo veri Salomonis. *Daniel.* 10. Sta in gradu tuo. Sic enim ordinatum est regnum cæleste in Angelis: & sic ordo Ecclesiasticus de cælo descendit. *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cæli, & rationem eius pones in terra? Sic *Luc* 1. Zacharias in ordine vicis suæ sorte exiit, vt incensum poneret, quando reuelatus est ei Angelus nouæ gratiæ nuntiator.

Discipulis autem suis] distribuit: quia ministerium in populum Dei accipere non debet, qui discipulus Christi non est. *Galat.* 2. Qui operatus est Petro in Apostolatum Circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes. Vnde *Luc.* 12. dixit Discipulis: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. *Psalm.* 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos principes super omnem terram [vt ponerent] Ecce finis ministerij [vt ponerent] nihil aliud nisi quod à Domino acceperunt [ante turbas] 1. *Corinth.* 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis Fidelis autem seruus est & minister, cui nihil adhæret in manibus quod à Domino accepit, quin fideliter & vtiliter proponat turbis. *Matth.* 24. Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Sed hodie accepta à Domino Apostulici nostri vsurpant sibi, nihil vtilium turbis proponentes. Pro certo quia fures sunt & furum socij, habentes Iudæ Apostolatum, Dominum vendentes pro pecunia, quam loculis suis ingerunt & turbæ non proponunt, dispensatione (quæ omnia dissipat) se excusare molientes, & Iura vocantes statuta sua: quæ sic statuunt, vt sibi totum & nihil familiæ Christi proponatur.

Et manducauerunt omnes & saturati sunt. Et sublatum est quod superfluit illis, fragmentorum cophini duodecim.

Tangit miraculi commendationem à tribus: à multitudine manducantium, à saturitate cibos in veritate non phantastice sumentium, à superabundantia fragmentorum. Dicit igitur [manducauerunt omnes] hoc est, tota illa multitudo quinque millium virorum, exceptis paruulis & mulieribus. Dicit autem *Augustinus*, quod simili virtute multiplicat, sicut de paucis granis segetes creat, vnde escas toti mundo largitur. Et ex hoc patet falsum dicere eos qui dicunt, quod hos panes ita multiplicauerit, quod nihil creando addiderit: sed in seipsis multiplicando in tantam quantitatem cibos istos produxerit. Et similiter dicunt de segetibus, quæ singulis annis generantur. Isti sunt qui opus naturæ in miraculum conuertere nituntur, & Philosophiam naturalem destruunt, & positiones quasdam vel potius fictiones asserunt, quibus sine omni ratione probationis credi volunt.

Ego autem sine melioris sententiæ præiudicio dico, quod in totam multitudinem esca ista multiplicata est per additionem materiæ elementorum in formam panis & piscium conuersæ: bene credens quod Deus de omnipotentia facere quod vult potest. Sed non credo eum hoc quod dicunt voluisse: quia nulla ostenditur ratione quare hoc voluerit. Et in creatura in qua operatus est, multo rationabilius, quod augeatur per additionem alicuius alterius, quam quod sine additione in seipsa multiplicetur [Et saturati sunt] Quod non esset si phantastica, vt hæretici dicunt, esset repletio: quia id quod phantasma est, non implet nec satiat. *Psalm.* 21. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum. *Isa.* 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.

Vide D. Thom. 3. p. q. 44. art. 4. in sol 4 arg.

Et sublatum est quod superfuit illis] Ecce tertium à quo commendatur miraculum: quia plus est de superfluo quam fuerit de principali primo, quod fuit quasi semen multiplicatum. Diuina enim virtus semper exuberat & excrescit [fragmentorum cophini duodecim] Duodecim cophini significant reliquias duodecim Apostolorum, in nos redundantes. Quæ etiam significantur per 12. panes propositionis *Exod.* 25. Fragmenta enim sermonum Dei per eos in nos deriuata sunt, reseruata in cophinis, hoc est, in codicibus duodecim Apostolorum, & in doctrinis in quibus Dominus præcepit *Matth.* 14. vt colligerentur in memoria cordium, & in cophino codicum vt non perirent. *Habac.* 2. Scribe visum & exara eum super tabulas. vt percurrat qui legerit. *Apoc.* 1. Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Significat etiam cophinus (qui est instrumentum per quod de viis fimus eiicitur) quod per doctrinas istas omnino ab Ecclesia corruptionis immunditia portetur. *Psalm.* 80. Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino seruierunt. Christus enim & Apostoli exemplis duodecim & doctrinis, & onera nostra portauerunt vsque ad lassitudinis incuruationem, & cophinis doctrinæ duodenæ immunditias nostras purgauerunt: vt veniens Dominus noster ad corda fideliũ, nihil inueniat quod oculos maiestatis eius offendat. Ex hoc igitur miraculo ad formam vitæ præscriptam sunt confortati, ne soliciti sint aliquid secum in via tollere, securi quod procurator eorum Christus omnia de paucis augens abundanter ministrabit.

Et

Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo & Discipuli.

Hic iam confirmatis Apostolis secundum vitæ formam sibi traditam, de non solicitus esse, de tollendo aliquid in via, perficit totam hanc formam vitæ, ostendendo qualiter in hoc Christus sequendus est: sicut & Petrus dixit *Matth.9.* Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Vbi dicit *Hieron.* quod non sufficit omnia relinquere, hoc enim & Socrates fecit Philosophus. Vnde adiungit quod perfectum est, dicens: Et secuti sumus te. Hic igitur agit qualiter Christus sequendus sit. Ad hoc autem tria exiguntur. Quis videlicet sequendus sit, ne erretur in persona: in quo sequendus, quia in tollendo crucem: ad quid sequendus, quia ad gloriam resurrectionis quam ostendit in transfiguratione. Et de his tribus agit hic per ordinem. Et hæc etiam est causa quare hic eodem ordine inducuntur. In prima harum partium duo facit. Varias enim & vanas & imperfectas hominum de sua persona quis sit, sententias & opiniones à cordibus Apostolorum excludit, & veram astruit de sua persona sententiam. Et secundo quid de se futurum sit, & qualiter se sequentes præcedit, ostendit. Adhuc autem duo facit, in prima harum partium. Primo excludit quæ iam dicta sunt, scilicet, varia & imperfecta ab hominibus de se dicta. Et secundo elicit ad confessionem Apostolorum, vera & sufficientia fidei Christianæ. In prima harum tres sunt paragraphi, in quorum primo dicit, qualiter ad istam narrationem deuentum est. In secundo ponitur de hoc, quæ de se sit apud homines opinio, interrogatio. In tertio autem Discipulorum ad interrogata responsio. In primo tria facit. Notat enim primo continuationem, non temporis, sicut sæpe diximus, sed potius probationis, qua suam astruit intentionem de forma vitæ confirmanda. Et hoc est quod dicit.

Et factum est] in opere temporali, sicut præfiniuit in consilio suo æterno Deus. *Isa.35* secundum translationem 70. Consilium tuum antiquum verum fiat.

Secundo dicit qualiter orauit pro his quos pauerat [cum solus esset orans] Homo enim cum orat solus esse debet, non tam in corpore, quam in secreto conscientiæ. *Matth.6.* Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum. Mirandum autem est de Domino quomodo indefesse semper fecit, & operatus est salutem nostram. Turbas enim aduenientes benigne recipit, de regno Dei erudit, infirmis curationem impendit, egentes pascit, pauperibus ministrari per Apostolos præcipit, omnes consolatos dimittit, sine turbis totum se in oratione ad Patrem pro dimissis effundit. *Hebre.5.* In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum cum clamore valido & lacrymis offerens, in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. *Ierem.18.* Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & vt auerterem iram tuam ab eis. *2.Machab.15.* Hic est fratrum amator, hic est qui multum orat pro populo, & pro vniuersa ciuitate sancta Dei. In his enim operibus, Apostolis & omnibus Prælatis formam dedit: quamois heu non sit constitutus qui eum audiuit in parte ista.

Tertium autem est, quod in secreto orationis [Discipuli eius erant cum eo] non quidem omnino in loco orationis, sed in loco dimissionis turbarum. Vnde & *Matth.16.* dicit, quod quando istam interrogationem fecit, quod venit in partes Cæsareæ Philippi, qui locus circa eundem locum est, vbi ista contigerunt. Discipulos enim assumpsit, vt sicut formam ab ipso acceperant in proximorum ædificatione quam circa turbas exhibuit: ita formam acciperent in oratione, quam in secreto ad Patrem effudit. *Luc.18.* Oportet semper orare & non deficere.

Et interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt, & dixerunt, Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero quia vnus Propheta de prioribus surrexit. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.

Ecce interrogatio quæ sit hominum de se opinio. Dat autem exemplum Prælatis, quod aliquando etiam ab inferioribus requirant, quæ de eis sit fama. Fama enim multum requiritur in Prælatis. *1.Timoth.3.* Oportet Episcopum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli [Quem me dicunt esse turbæ?] Duo dicuntur hic: interrogatio, & responsio. Interrogatio [Quem] in persona [me dicunt esse turbæ] cum tot signa meæ deitatis viderint, tot beneficia à me receperint, tot testimonia legis & Prophetarum audierint, tot doctrinis eruditi sint, tot exhortationibus ad credendum mihi sint inuitati: tot testibus, Ioanne, & vobis, & Discipulis sint conuicti. Per omnia enim hæc famæ bonæ de persona sua dedit causam. Sed qui per nullum bonum meritum famam sibi fecit, frustra de fama bona facit quæstionem, sed suam ab omnibus potest audire infamiam. *Psalm.9.* Non mouebor à generatione in generationem sine malo. Mala enim quæ perpetrauit per infamiam, eum à generatione in generationem moueri super linguas hominum effecerunt. Velociter enim currit sermo eius *Psalm.147.*

At illi responderunt, & dixerunt] Ecce Discipulorum ad interrogata responsio [Alij Ioannem] Responsio ista fidelis quidem est in veritate, & insufficiens tamen in confessione. Fidelis quidem, quia nec plus nec minus habet quam erat in dicto turbarum. Et est contra eos, qui libenter audiunt verba mendacij, dummodo dicantur eis placentia. *Isa.30.* Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. *Prouerb.29.* Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Isti autem meram & simplicem dictorum à turbis referunt veritatem. *Ephes.4.* Depooentes mendacium,

dacium, loquimini veritatem vnusquisque eum ptoximo suo: quuniam sumus inuicem membra. Dieunt ergo.

Alij Ioannem Baptistam] Tres diuersitates opinionum referunt: quas etiam supra explanauimus, & assignauimus rationes earum [Alij] ergo dixerunt [Ioannem Baptistam] Propter vitæ excellentiam, & natiuitatis priuilegium, & baptismatis purificationem. Et fuit hæc magna fama, sed non sufficiens. Magis enim debuerunt credere Ioanni qui dixit *Ioan.* 3. Quia non sum ego Christus, sed agnus Dei quem demonstrauit Ioannes, & Verbum Dei quod prædicauit vox, quæ fuit Ioannes. *Ioan.* 1. Sed lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui testimonium perhibuit lucifer & lucerna Iuannes. Lucifer *Iob* 38. Lucerna *Ioan.* 5. Sed sponsus Ecclesiæ, cuiua sponsam Eeclesiam dixit esse paranymphus Ioannes. *Ioan.* 3. Verhum enim Dei Filium, eo Filium quo Verbum, & agnum Dei, & lumen mentium, & sponsum Eeclesiæ credere Dei Filium, est credere Ioanni Baptistæ.

Alij autem Eliam] Propter suscitationem mortui 3. *Reg* 17. Propter diuisionem Iordanis 4. *Reg.* 2. Et hoc est insufficiens: quia Elias, non Dominus: sed in spiritu & virtute Eliæ, Domini præcucurrit præco & seruua *Luc.* 1.

Alij quia Propheta vnus de prioribus surrexit] aut Eliseus, aut ille de quo Moyses prædixit *Deut.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me audietis eum. Et hæc etiam opinio fuit insufficiens: quia *Matth.* 11. dicitur: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: à diebus autem Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et ideo nunc apparet Dominus Prophetarum. *Act.* 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere in nomine ipsius. *Hebra.* 3. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, in testimonium eorum quæ erant dicenda. Christus vero tanquam Filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Sic ergo istæ opiniones Christo Filio Dei sunt insufficientes. Vnde sequitur.

Dixit autem illis] veram ab eis confessionem eliciendo. Quasi dicat. Homines humana videntes, & insufficientem de me habentes confessionem, & humana sentientes, non intelligentes ea quæ sunt sapientiæ diuinæ, sic dicunt [Vos autem] quibus datum est nosse mysterium regni Dei, qui in solido veritatis estis fundati, qui ad familiares reuelationes præ cæteris admissi [quem] in persona [me esse dicitis] corde credendo, & ore confitendo. *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et ab isto loco traxit rationem examinatio Episcoporum de fide & confessione antequam ordinentur in Episcopos: quia Christus de confessione sua examinauit Apostolos. Non enim debet esse Episcopus, qui veram & sufficientem fidem, & confessionem non habet de Christo. Post hanc autem examinationem sequitur responsio. Et hoc est quod sequitur.

Respondens Simon Petrus dixit] Qui princeps erat omnium, pro omnibus respondit: quia omnium cura & confirmatio ad eum pertinuit *Luc.* 22. Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos [Christum Dei] *Matth.* 16. additur: Tu es Christus, Filius, &c. Sed hæc omnia in isto dicto continentur. Christus enim vnctus est, in quo intelligitur vnctio Deitatis, & vncta humanitas, & vngens Pater, & vnctio Spiritus. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me: Dominus ad euangelizandum pauperibus misit me. Vnde *Act.* 10. Quem vnxit Pater Spiritu sancto & virtute. Ex constructione enim transitiua Christus ad aliam personam pertinet, & ad aliam Dei, quando dicitur [Christum Dei] Intelligitur enim Dei Patris. Vnxit enim Deus eum in Regem, & Sacerdotem. In Regem quidem fidelium. *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse veniet & saluabit nos. *Psalm.* 44. & *Hebr.* 1. Thronus tuus Deus in seculum seculi: virga siue sceptrum æquitatis, virga regni tui: dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. De sacerdotio autem *Psalm.* 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui & Rex & Sacerdos fuit Dei summi *Hebræ.* 7. *Genes.* 14. Rex quidem in promulganda iustitia & iustitiæ legibus. Sacerdos autem in offerenda pro nobis suæ animæ hostia. Sic ergo Christus Dei, Filius Dei viui est vnctus in Regem & Sacerdotem. Et hæc est confessio fidei Christianæ de qua dicitur *Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, inquam, est confessio, quam non decepta hominum opinio genuit, sed Pater de cælis Deus, qui suum Filium mundo ostendit, per seipsum reuelauit. Vnde *Matth.* 16. dixit: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Propter quam etiam Simon Petri nomen accepit, quod agnoscens interpretatur, vel rupes. Per reuelationem enim istam agnouit: & propter soliditatem veritatis in hac confessione, rupes vt in ipso fundaretur Ecclesia, vocatus est. In hac ergo confessione veritas personæ exprimitur eius qui vere sequendus est sicut pastor & caput Ecclesiæ. Vnde etiam post elicitam confessionem, adiungit huius veritatis occultationem vsque ad sacramentorum Dei completionem. Et hoc est quod sequitur.

At ille increpans] &c. Dicit autem duo: occultationem, & suam qui sequendus est præcessionem. De occultatione quidem dicit [At ille increpans] Increpatio autem ista non fuit aliud quam sub interminatione fidelitatis interdictio, quia increpatione obiurgationis non erant digni, præcipue cum magna laude extollatur Petrus *Matth.* 16. propter istam confessionem. *Nahum* 1. Increpans mare & exiccans illud, & omnia flumina ad desertum adducens. Mare dicitur hic ista infinitæ & æternæ veritatis confessio: quod exiccauit, quando taceri & occultari præcepit. Flumina autem sunt doctrinæ hanc veritatem confitentium Apostolorum: quæ adduxit ad desertum, quando sileri præcepit hanc veritatem à turbis Iudæorum. *Luce.* 4. Increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum [eos] dicit, cum vnus solus respondit: quia ille pro omnibus dixit veritatem, & omnes alij consenserunt.

Gloss. autem multas causas reddit quare istud taceri præcepit: vnam quidem, vt fallat principem mundi: secundam autem, vt declinet iactantiæ vitium, & doceat humilitatem: tertiam autem,

autem, ne adhuc rudes & imperfecti Discipuli, maioris prædicationis mole premantur. Si autem hoc fallit principem, non potest hoc intelligi, nisi quod princeps mundi fallatur in membris suis, quæ si scirent esse Christum Dei, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Vel forte verius: quia si hæc veritas membris diaboli prædicaretur, statim in scandalum insurgerent & occiderent eos, & Dominum, antequam scripta de Deo Christo sacramenta complerentur. Diabolus autem in se falli de hoc non poterat, qui etiam ista verba à Petro prolata, auditu spirituali percipere poterat. Nisi aliquis forte dicat, quod hoc Dominus ab ipso occultabat. Sed hoc nihil esse videtur: quia similiter dici posset, quod etiam prædicationem Apostolorũ à diabolo Dominus potuit occultare. Vnde primũ, quod scilicet in mẽbris facta est ista occultatio, rationabilius est dictum. Secunda autem causa plana est. Tertia autem sic est intelligenda, quod mole maioris prædicationis, hoc est, maiorum sacramentorum quam portare poterat carnalis affectus eorum, tunc premerentur. Quia carnalis affectus eorum non sinebat eos tunc credere, quod ille qui Christus Dei fuit, dura & ignominiosa pati deberet. Vnde *Matth.* 16 dixit Petrus: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Et ideo nisi carnali affectu extincto per spiritum, non poterant portare tale pondus prædicationis. 2. *Corinth.* 5. Itaque nos neminem ex hoc nouimus secundum carnem: & si cognouimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non nouimus.

Talibus igitur de causis increpauit eos ne cui dicerent. Pati enim & exprobrari, videre eum qui Filius Dei esse prædicatur, magis induceret in fidelitatis, scandalum quam fidei esset argumentum. Cum autem Resurrectionis apparebit testimonium, & victæ mortis & inferni argumentum, & Ascensionis in cælum apparebit stupendum miraculum, & Spiritus missus in omnibus his dabit testimonium: tunc tempus erit de Christo sublimia prædicare. *Psalm.* 92. Mirabilis in altis Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt ipso resurgente, & ascendente, & de cælo per Spiritum missum dante testimonium. Et hoc est quod sequitur.

Quia oportet Filium hominis] Tria autem dicit ad passionem & irrisionem pertinentia, & vnũ quod est quartum consequens hæc, quod pertinet ad gloriam. Primum inter tria pertinet in genere ad passionis mulctam. Et hoc quod dicit [quia oportet] Tangit autem duo, scilicet, secundum quam naturam patitur, & multitudinem passionum. Primum tangit in hoc quod dicit [quia oportet] hoc est, opportunum est ad finem redemptionis. *Luc.* 24. Nonne sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Ista opportunitas est pro nobis assumpta: quia quamuis alius modus nostræ redemptionis fuerit possibilis, vt dicit *Augustinus*: tamen miseriæ nostræ sanandæ nullus fuit conuenientior.

Multa pati] Ecce tangit multifariam Christi passionem. Multa enim genera passionum sustinuit: ligaturas, impulsiones, tractus, trusiones, sputa, colaphos, alapas, flagella, denudationes, puncturas spinarum, baiulationes crucis, clauos, extensiones, & lanceam, & omnia huiusmodi, ita vt *Thren.* 1. clamet, & dicat: O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. 1. *Petr.* 1. Spiritus sanctus prænuntians quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias [& reprobari] Hoc pertinet ad vituperium. Reprobatur autem [à senioribus] qui videntur habere sapientiam per experimentum ætatis. *Daniel.* 13. Iniquitas egressa est à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Isa.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit [& principibus] qui videntur sibi creditam habere potestatem [sacerdotum] in quibus est potestas spiritualis. *Ioan.* 11. Collegerunt pontifices & Pharisæi consilium, & dixerunt: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit &c. *Psalm.* 2. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: aduersus &c. [& Scribis] qui videntur consilium & clauem habere scientiæ & doctrinæ. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui tulistis clauem scientiæ: nec ipsi intratis, nec alios intrare permittitis [& occidi] tandem in morte. *Daniel.* 9. Occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. *Matth.* 26. Quærebant principes Sacerdotum, quomodo IESVM dolo tenerent & occiderent. Ista sunt propter quæ non expediebat adhuc IESVM Christum Filium Dei esse, prædicare.

Et tertia die resurgere] Hoc solum pertinet ad consolationem. Et quando hoc adimplebitur: tunc tempus erit & opportunitas, IESVM Filium Dei esse publice & vbique prædicare. *Osee* 6. Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sequemurque vt cognoscamus Dominum. *Psalm.* 40. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis. Mortuus est enim Dominus in feria sexta, & resurrexit in die Dominica, quæ est tertia post diem mortis, quam sua Resurrectione sibi in Dominicam re & nomine consecrauit. Ecce qualiter præcessit.

Dicebat autem ad omnes:

Hic incipit ostendere qualiter, & in quibus sequendus sit. Habet autem hæc pars duas particulas, in quarum prima dicit hoc quod dictum est. In secunda autem eius ad hoc quod dictum est, ponit rationes persuasiuas ad sic sequendum. In primo adhuc duo sunt. Ostenditur enim primo huius doctrinæ generalitas: quoniam non est via salutis nisi ista. Secundo autem ipsa forma sequendi describitur. Generalitas ostenditur per hoc quod dicit [Dicebat autem ad omnes] quia omnes vult saluos fieri. 1. *Tim.* 2. Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire. *Psalm.* 35. Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. *Sapient.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Sicut enim Creator est omnium, ita Saluator est omnium, nisi stet per ipsos. Et sicut Dominus omnium est, ita Redemptor omnium est. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. *Sapient.* 6. Non subtrahet personam viri quis omnium Dominus est. *Rom.* 10. An Iudæorum Deus tantum? Imo & Gentium. *Psalm.* 112. A solis ortu vsque ad occasum,

ſum, laudabile nomen Domini. Ideo enim operatus eſt ſalutem in medio terræ, vt omnibus quantum eſt de ſe, parata ſit ſalus. *Marc.* 13. Quod vni dico, omnibus dico: Vigilate. Nulla ergo locutio eſt niſi infidelis & inſipientis, quod quoſdam præparauerit ad mortem. Omnes enim creauit ad ſalutem, & promouet quantum expoſcunt ab ipſo. *Ezech.* 18. Quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

Hic deſcribit formam ſequendi. Dicit autem tria. Primo enim ſequelam ponit in libertate electionis. Secundo ſequentem monet à ſe remouere impedimenta inſecutionis & conſecutionis. Tertio dat formam quæ præcedit noſtri Ducis. De primo dicit quinque, in quorum primo tangit ſequentium raritatẽ, ſecundo ſequentum dignitatem, tertio ſequentium libertatem, quarto ſequendi rectum tramitem, quinto formam conſequendi præcedentem nos noſtræ militiæ Ducem.

Primum horum notatur per conditionem [Si] Q. d. Rarus eſt: ſi tamen aliquis eſt. *Matth.* 7. Arcta eſt via, & anguſta eſt porta, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam. *Matth.* 20. Multi ſunt vocati: pauci vero electi. *Thren.* 1. Viæ Sion lugent: eo quod non ſunt qui veniant ad ſolennitatem. Hoc ſignificatum eſt, quod cum Chriſtus iuit ad crucem, quod Diſcipuli eius relicto eo fugerunt *Mat.* 26. *Ioan.* 6. Durus eſt hic ſermo: quis poteſt eum audire? & abierunt retrorſum, & non amplius ambulauerunt cum eo. Per crucem enim & ſui abnegationem, difficile eſt ſequi Chriſtum. *Ioan.* 16. Venit hora & nunc eſt, vt omnes diſpergamini, & me ſolũ relinquatis. Ideo conqueritur Chriſtus *Eccli.* 51. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. *Iſa.* 63. Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Pauciſſimi enim ſunt qui tollant crucem: nulli autem qui ſic tollant ſuam, ſicut ipſe pro nobis tulit eam.

Quis] difficultatem notat & dignitatem. *Pſalm.* 93. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes: aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Chriſtus enim in cruce aduerſus malignantes conſurrexit, & vicit. Ibi extenſus ſtetit, & de peccatis & peccatoribus triumphauit. Sed rarus eſt, qui ſecum conſurgat & ſteterit. Non enim in tempore illo inuentus eſt niſi vnus latro. Et etiam ille ab initio negauit, ſed poſtea reſipuit: quia difficile eſt valde clauatum & extenſum ſtare in cruce. Sed tamen digniſſimus eſt, qui ſteterit. *Iſa.* 63. Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Non tantum de Chriſto dictum eſt, ſed etiam de crucifixis cum Chriſto: qui cum de fragilitate carnis ſimiliter aliis venerint, tamen tinctis veſtibus ſanguine Crucifixi veniunt de Boſra (quæ munita interpretatur) victores omnium munitionum diaboli: ideo demonſtrantur cum gloria *Ioanni Apoca.* 7. Iſti qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt? Et reſpondet Angelus. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.

Vult] notat arbitrij libertatem. Sicut enim ipſe oblatus eſt, quia voluit: ita non dignatur aliquem habere ſequentem, niſi qui ſponte vult & libera electione. Vnde *Chryſoſt.* dicit, quod ſicut agonotheta ſiue adotheta ſtans iuxta ſtadij brauium, non compellit aliquem niſi volentem, ſed coronat vincentem, & dat brauium præcurrenti; ita Dominus Ieſus Chriſtus exhibet brauium & coronam vincenti, ſed ad certamen non compellit aliquem. *Iudic.* 5. Vos qui ſponte obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino. 2. *Mach.* 6. Domine qui habes ſanctam ſcientiam, optime tu noſti quod cum à morte poſſem liberari, propter te diros corporis ſuſtineo labores, ſecundum animam autem libenter hæc patior. Hæc ſunt verba Eleazari martyris. *Iſa.* 56. Qui elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo eis in domo mea & in muris meis locũ, & nomen melius à filiis & filiabus: & nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit. 2. *Mach.* 6. Glorioſiſſimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad ſupplicium. In omnibus ergo his oportet electione voluntatis ſequi, & crucem portare.

Poſt me] Tangit rectum ſequendi tramitem, Non enim errat qui poſt Dominum vadit. Ille enim exiuit à Patre & venit in mundum, per crucem iterum relinquit mundum, & directe vadit ad Patrem: & ideo non errat qui poſt eum graditur. *Ioan.* 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Eundum eſt ergo poſt eum, ſicut ouis poſt paſtorem, ſicut miles poſt ducem, ſicut athleta poſt adothetam. In primo itinere poſt Paſtorem immolatum imus ad victimam. In ſecundo aſpicimus in noſtra pugna adpugnantem ante nos Ducem. In tertio contendimus ad coronantem nos adothetam ſiue agonothetam.

De primo *Ierem* 18. Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens, & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit: & oues illum ſequuntur. Huius gratia dixit *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, à quorum dentibus & ipſe prior Paſtor deuoratus eſt.

De ſecundo dicitur *Hebr.* 12. Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem IESVM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, atque in dextera ſedis Dei ſedet. *Iudicum* 9. Dixit dux exercitus ſociis: Quod me videritis facere, hoc cito facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur Ducem. Dux enim noſter in arboris ramis tollens crucem præceſſit. Certatim igitur & nos ramos præcidentes, & cruces noſtras portantes ſequamur. *Hebr.* 13. IESVS vt ſanctificaret per ſanguinem ſuum populũ, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum, improperium eius portantes. Remanere enim, Duce præcedente, eſt ignominioſum. Poſt eum autem ire eſt glorioſum, & tutum. Glorioſum quidem: quia Duci ſe configurat. Tutum autem: quia qui poſt eum vadit, in vmbra crucis præcedentis habet refrigerium. De primo *Eccle.* 2. Quid eſt homo, vt ſequi poſſit regem factorem ſuum? *Eccli.* 23. Gloria magna eſt ſequi Dominum: longitudo enim dierum aſſumetur ab eo. De ſecundo dicitur

Thren.

*Thren.*3. Ante faciem nostram Christus Dominus captus est in peccatis nostris,cui diximus : In vmbra tua viuemus inter Gentes. *Psalm.*16. Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt,hoc est,sub alis,es passis in cruce manibus. Sic igitur itur post eum,sicut post Ducem.

Itur etiam post eum sicut adothetam coronantem. 2. *Timoth.*2 Non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Leges ordinantes pugnam, à Christi exemplis sunt sumendæ. 1.*Corinth.*9. Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et sequitur. Sic pugno, non quasi aërem verberans : sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim,ipse reprobus efficiar. Sic igitur, Qui vult post me

Venire] Hic dat formam consequendi præcedentem nos militiæ Ducem. Ipse est enim currus Israël,& auriga eius 4.*Reg.*2.Non enim qui post alium vadit, de necessitate venit : sed venit post alium, qui totam viam vsque ad eum quem sequitur perficit. Venire enim est ad terminum itineris ire. Vnde qui venit, ducem consequitur. Et ideo quærentibus Discipulis *Ioan.*1. Vbi maneret,dixit:Venite,& videte. Venite ergo est perseuerare. *Matth.*10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Ierem.*51. Qui fugistis gladium, venite & nolite stare Recordamini procul Domini : & Ierusalem ascendat super cor vestrum. Veniendum enim vsque ad Dominum IESVM, & non reuertendum nisi prius perueniamus : nec ab eo est discedendum. De primo *Matth.*11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos. De secundo dicit *Psalm.*79. Non discedimus à te:viuificabis nos,& nomen tuum inuocabimus. Crux enim reficit fructu quem portat ligni vitæ, & crux viuificat vita quam portat : & ideo & fructum habet, & vitæ lignum dicitur. *Prouerb.*3. Lignum vitæ est his,qui apprehenderint eam : & qui tenuerit eam, beatus. Sic ergo veniat qui vult venire post me, dicit Dominus. Sic Petro & Andreæ (quorum vterque per crucem ad Christum venit) dixit *Matth.*4. Venite post me. Sic de se dixit *Ioan.*12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Omnia enim sibi per crucem in cruce attraxit. Sic de omnibus communem sententiam dedit *Isa* 51. Posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati. Profundum enim maris est profundum Christi Passionis,per quam transeunt liberati. Et ideo statim sequitur. Et nunc qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.

Abneget semetipsum] Hic monet sequentem à se remouere insecutionis & consecutionis impedimenta. Notantur autem circa hoc duo : modus remouendi, & quid sit remouendum. Modus remouendi est in hoc quod dicit[abneget]Est autem verbum decompositum. Componitur autem à præpositione ab,& nego verbo, quod est compositum ex non & ago. Et sic abneget, verbum decompositum est ex præpositione, quæ notat remotionem, & aduerbio negandi significationem habente. Et notat negationem vt exercitam, & verbo actionem denotante. Vt intelligatur quod abnegando, remoueamur ab his quæ abnegamus, nihil penitus agentes. De illis *Tit.*2. Abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria:sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo. Iste ergo est modus abnegandi,vt negantes actiones eorum quæ abneganda sunt, etiam remoueamur ab his. Hoc significatum est *Genes.*19.vbi Angelus compulit Lot exire de Sodomis, & præcepit vt non staret in omni circa regione, sed in monte se saluum faceret. Non enim sufficit talia infanda non agere, sed oportet etiam ab agentibus per discessum se elongare. *Rom.*1. Non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Dicit autem *Glossa ibidem*,quod consentit qui tacet, cum arguere possit. Quæ autem abneganda sint,tangit cum dicit, abneget.

Semetipsum] Quod item decompositum est: quia sunt ibi duo pronomina, & in medio syllabica adiectio. Et est sensus, quod abneget se quod est, & hoc cuius ipse per se causa est, & quod sibi per seipsum inest. Homo enim de se humus & terrenus est. *Eccli.*17. Deus de terra fecit hominem. *Genes.*2. Formauit Deus hominem de limo terræ. 1.*Corinth.*15. Portauimus imaginem terreni. Quia autem terra est, pondere suo grauis est ad sequendum. Hanc autem terram abnegare oportet, & virtute cælesti supergredi, vt totus homo, cælestis in conuersatione & intellectu efficiatur. *Ioan.*3. Qui de terra est,de terra loquitur : qui de cælo venit,super omnes est. 1.*Cor.*15. Primus homo de terra,terrenus.Secundus de cælo, cælestis. Qualis terrenus,tales & terreni:& qualis cælestis : tales & cælestes. Vnde vnus cælestium dicit *Philip.*3. Nostra conuersatio in cælis est: vnde & Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum,qui reformabit corpus humilitatis nostræ,configuratum corpori claritatis suæ. Hoc ergo & in hoc abneget se. Semet autem abneget in hoc, cuius ipse secundum seipsum causa est. Hoc enim non est nisi malum. Quod enim per nos sine Deo facimus,malum est Vnde *Ioan.*15. Sine me nihil potestis facere. Nihil autem est peccatum, quia annihilat : & peius quam nihil fiunt homines, cum peccant. Vnde *Ezech.*18. Nihil factus es, & nihil eris in perpetuum. *Ioan.*1. Sine ipso factum est nihil. *Osea* 13. Perditio tua ex te Israël.Quasi dicat.Quicquid tu ex te agis,perditio est. Et hoc quod sine me discrete agis, abnegandum est, vt ex me agas omne quod agis, & dicas illud *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Ioan.*15. Sicut palmes non potest fructum facere nisi manserit in vite : sic nec vos nisi in me manseritis. Quicquid enim profert palmes quod non est ex vite, non proficit ad fructum, sed ad ignem : ita quicquid profert homo cogitationum, & verborum, & operum quæ non sunt ex Deo, non proficit ad vitæ æternæ fructum, sed ad gehennæ incendium. Et ideo hæc abneganda sunt. Vnde *Rom.*13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Abneget etiam semetipsum] quando præter hæc quæ dicta sunt, abnegat quod in se habitat, hoc est, fomitem mali, extinguendo illum quantum potest. *Rom.*7. Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Item *ibidem*. Video aliam legem in membris meis repugnan

pugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Et hæc omnia oportet abnegare. tertam pro cælu commurate, vitium (cuius causa sumus) pro virtute: fomitem, siue concupiscentiæ ignem, siue ad malum pronitatem, pro gratia Dei, ad bonum nos iuuante: vt expediti simus à spiritu cælesti, confortati à virtute Dei, adiuti à gratia. Tunc enim sequi possumus Crucifixum. Per primum dat nobis Deus potestatem filios Dei fieri *Ioan.*1. Per secundum mutat fortitudinem. *Isa.*40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas vt aquilæ: current, & non laborabunt: volabunt, & non deficient. Per tertium ad omne opus bonum sufficimus. 1. *Corinth.* 15. Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboraui. Sic perditus & damnatus homo liberatur, Spiritu cælesti reddente imaginem Patris cælestis, virtute vitium quod fecit expellente, & Dei gratia in omnibus adiuuante. *Rom.*7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondet. Gratia per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Sic igitur abneget semetipsum, & à se sequendi Christum remoueat impedimentum. Sequitur.

Et tollat crucem suam] Ecce forma ducis præcedentis. Et est ac si dicat [Tollat crucem suam] sicut ego tuli meam. Vnde in hoc tria notantur: crucis exaltatio, crucis cruciatus, & proportio passionum quæ quemlibet contingit. Primum notatur in hoc quod dicit [tollat] Crux enim est arbor alta, non deponenda, non in terra trahenda, sed extollenda, & sic in altitudine portanda. Extollit enim crucem, qui cum Paulo in cruce gloriatur. *Galat* 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI. per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Daniel.*4. Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, & magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum. Hæc recognoscit, qui crucem suam in ea glorians extollit. Extollit autem qui quotidie quantum potest in ea Crucifixo appropinquat, vt dicat cum sponsa *Cantic.*7. Dixi: Conscendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Fructum enim apprehendit qui dulcissimæ redemptionis saporem in ea iam prægustauit. Hæc enim arbor in medio terræ est, vt ab omnibus communiter scandatur. Altitudo eius nimia: quia quantumcunque quis in altum in ea ascendat, vsque ad Christi Passionem non perueniet. Arbor hæc magna latitudine, eo quod vmbra protectionis & esca nutrimenti est in ea, & requies lassitudinis. Fortis virtute: quia & diabolum vicit, & domum eius infernum fregit, & vasa in quibus confidebat distribuit, hoc est, corda quæ possederat diabolus. Et proceritas eius contingens cælum: quia cælum ante clausum aperuit. Igitur arbor hæc si deiiciatur, cælum non contingit.

Deiicitur autem quando deponitur, & cruciatus Christi in terrena lucra & commoda commutatur: sicut quidam de quibus dicitur *Galat.*3 cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini. Qui signati sunt per Asa regem Iuda. de quo 3.*Reg.*15. multa bona & optima prædicantur, quod idola destruxit auaritiæ & pomparum seculi, quod lucos succidit deliciarum luxuriæ, quod in bellis vicit tentationem diaboli. Sequitur, quod in senectute doluit pedes, & nec tunc requisiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est, & mortuus est in vnguentis meretriciis. Pedes enim dolere, est in extremo vitæ à cruce mollescere. Tunc Dominum non requirere, est cum proposito Dei timorem & amorem, deuotionem, & cultum Dei, & laudes eius consuetas abiicere. In medicorum arte confidere, est fomenta libidinis carnalis cum solicitudine sibi præparare. Mori autem in meretriciis vnguentis, est in illecebrosis concupiscentiæ delectationibus vitam finire.

Trahit autem in terra crucem, qui eam quidem manu tenet, sed non ascendit nec tollit, sed de loco in locum humilem crucem ducit. Et isti sunt hypocritæ, qui crucem quidem manu, hoc est, exteriori opere videntur tenere: sed de terra in terram trahunt, quando pro temporali commodo vel lucro faciunt. Et non ascendunt: quia in occulto nihil de Passione Christi sentiunt, de quibus dicitur *Philip.*3. Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis (& nunc flens dico) inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Isti enim crucem vilem ducunt, qui per sordes crucem trahunt & non tollunt in altum. Sic igitur tollitur crux.

Crucem] hoc est, cruciatum. Cruciatus autem ille est triplex: vnus quidem in tristitia absentiæ delectabilium pro Christo: secundus autem in assumptione contristabilium, sicut vigiliarum, ieiuniorum, & huiusmodi, & eleemosynarum: tertius autem, in sustinentia passionum, si inferantur pro Christo. Primus cruciatus cruciat, & domat concupiscentiam: secundus grauat petulantem naturam: tertius autem pro Christo expendit animam. De primo dicitur *Galat.*5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Galat* 2. Ego per legem, legi mortuus sum vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci. Per legem enim (quæ concupiscentiam fecit & lex membrorum vocatur) mortuus sum, abstinendo à delectabilibus huius legis. Et Christo, hoc est, ad honorem Christi confixus sum cruci, concruciatus ei. De secundo cruciatu dicitur *Galat. vltim.* De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini IESV CHRISTI in corpore meo porto. Crucio enim me cruciatu suo: quia denudo me eleemosynis, extendo me deuotione, exalto contemplatione, amarico ieiuniis & ciborum & potuum asperitate, flagello disciplinarum acceptione, morior charitatis amore, confodior clauis, verborum eius in animam meam penetratione. *Eccle. vltim* Verba sapientium quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. Lanceor compassionis pauperum Christi perforatione. De tertio cruciatu dicitur 1. *Petr.*4. Communicantes passionibus Christi gaudete, vt in reuelatione eius gaudeatis exultantes.

Primus cruciatus fit per voluntariam concupiscentiæ cohibitionem, secundus per deuotam pœnitentiæ assumptionem, tertius per patienter portatam & suffertam immissam à Domino tribulationem. De primo dicitur *Eccli.* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. De secundo dicitur *Leuit.*23. Anima quæ afflicta

non

non fuerit, peribit de populis suis. De tertio dicitur *Iacob.* 1. Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio vestræ fidei multo pretiosior est auro quod per ignem probatur 1. *Petr.* 1. Ista est ergo crux quæ tollitur. Dicit autem.

Suam] Est autem crux vniuscuiusque proportionabilis viribus & statui suo, Christi cruciatus assumptus. Ad plura enim tenetur fortis quam debilis, ad plura sanus quam infirmus, ad plura Prælatus quam subditus. Vnde *Apostolus ad Coloss.* 1. dicit: Suppleo quæ desunt passionum Christi in corpore meo. Semper enim ita proportionandum est, vt viribus sit onus portabile, & statui competens, & quod honoretur Christus. *Philip.* 1. Sicut semper, ita & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Et *ibidem*. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. *Galat. vltim.* Vnusquisque onus suum portabit. Sic ergo tollat crucem suam quilibet.

Quotidie] vt semper nouus sit in ea, nec deficiat à crucis salutari mortificatione. Hoc significatum est *Num.* 25. Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Israël. Principes enim suspenduntur, quando principes vitiorum, scilicet, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ crucifiguntur. Contra solem autem suspenduntur, quando quotidie ad ortum noui caloris & fulgoris huius mundi crucifixio hæc teritur. Et sic furor Domini ab Israël, viro præ oculis habente Deum, auertitur. 2. *Corinth.* 4 Semper mortificationem IESV Christi in corpore vestro circumferentes, vt vita IESV in corporibus vestris manifestetur. *Iob* 7. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. 1. *Corinth.* 15. Quotidie morior propter gloriam vestram fratres, quam habeo in IESV CHRISTO, &c. 2. *Corinth.* 4. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur per IESVM: vt vita IESV manifestetur in corpore nostro mortali. Ideo dicit *Philip.* 3. Configuratus morti eius, siquo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.

Et sequatur me] crucifixum, sicut est forma meæ crucifixionis: vt in ipso moriatur animalis vita, quæ in me mortua est: & destruatur corpus peccati, quod ego destruxi: & construatur noua vita, quam ego in cruce construxi. *Rom.* 6. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Talis crucifixio optime significata est 2. *Reg.* 21. vbi dixerunt Gabaonitæ ad Dauid Dentur nobis septem viri de filiis Saul, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saulis. Gabaonitæ procliues iniquitati interpretantur, qui crucifixione magna indigent. Saul autem abutens interpretatur, qui ratione ad concupiscentias abutitur. Septem autem filij sui, septem sunt capitalia vitia crucifigenda ad honorem Domini. Qui enim sic crucifigit se, vt animalitati & vitiis moriatur: in crucifixione Dominum sequitur qui & regnum peccati in cruce sua destruxit, & vitæ animali mortuus fuit. Vnde *Ioan.* 21. significans Petri crucifixionem dixit: Sequere me, hoc est, ad modum meæ crucifixionis oportet te crucifigi.

Sunt autem qui hoc non faciunt, sed potius suspensi sequuntur Absalom in quercu suspensum inter cælum & terram 2. *Reg.* 18. Alij autem se-

quuntur pistorem Pharaonis in cruce suspensum *Genes.* 40. cuius carnes aues lacerabant. Alij sequuntur Aman, qui in domo sua in excelsa trabe suspensus est *Esther* 7. Alij sequuntur Achitophel, qui suspendit seipsum ordinata domo sua 2. *Reg.* 17. Alij sequuntur Iudam proditorem, qui suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius *Act.* 1. Alij sequuntur Simonem Cyrenæum qui crucem portauit in angaria *Matth.* 27. Alij sequuntur latronem in sinistra parte crucifixum cum Domino *Luc.* 23. Alij sequuntur latronem in dextra parte pendentem *Luc.* 23.

Ambitiosi enim crucem patiuntur in angustia obtinendæ altitudinis: sicut dicit *Bernard.* O ambitio ambientium crux, quomodo omnes crucians omnibus places? Et hi semper pendent inter cælum & terram, cælum contingere nitentes & non valentes. Terræ autem quietem humilem spernentes, cum Absalom ambitioso in quercu (quæ porcorum fructum facit) pendentes & strangulati.

Vaneglotiosi etiam crucem patiuntur, affligentes se in vanis quærendo gloriam: & horum carnes aues, id est, vanorum hominum verba lacerant, & lacerationi exponunt, & pendent cum pistore Pharaonis.

Inuidi autem etiam crucem habent, in qua de prosperitate cruciantur bonorum, & in domo cordis sui afflicti, pendent strangulati cum Aman, qui iniquus interpretatur.

Proditores autem & fraudulenti de quibus dicitur *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt ipse enim cogitationes concinnauit aduersus mites. Illi (inquam) tales in cruce pendent angustiæ suæ proditionis & fraudis, & sequuntur Achitophel proditorem Dauid fraudulentum.

Auari autem intima sua proiicientes, & animas suas venales habentes, sicut dicitur *Eccli.* 10. Christum vendentes pro pecunia, cruciatum magnum pro lucris terrenis sustinentes, crucifixi sequuntur Iudam suspensum: isti enim inciderunt in tentationem & in laqueum diaboli, qui strangulat eos, sicut dicitur 1. *Timoth. vltim.*

Hypocritæ autem crucis signum & cruciatum extra prætendentes, & falsi Religiosi crucem portant in angaria, & sequuntur Simonem Cyrenæum.

Qui autem pro criminibus suis sustinent tormenta, & hoc Deo blasphemando imponunt, crucem quidem portāt, & portantur ab ea: sed sequuntur latronem sinistrum. 1. *Petr.* 4. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

Qui autem patiuntur quidem pro malis quæ commiserunt, sed pœnitentes, & sibi culpam dantes, in dextera Dei patiuntur cum latrone dextro: & accipiunt spem promissionis eius, quod secum erunt in paradiso.

Verissime autem Crucifixi sunt imitatores, qui solo Crucifixi amore se crucifigunt, vel ab aliis crucifiguntur, dicente *Petr.* 1. *Canonic.* 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Et iterum 1. *Petr.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Hic enim patienter ferens, non remurmurat per iram & vindictam, non comminatur per iustitiam, peccati regnum destruit. Hic est de quo dicitur *Coloss.* 3. Mortui enim estis, &

viia vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus appaiuerit vita vestra, tune & vos apparebitis cum ipso in gloria. *Galat.* 2. Christo confixus sum ctuei:viuo aotem ego, iam non ego, viuit vero in me Christus. Hoc est igitur quod dicit formam nobis dando, in qua sequamut eum : quam formam Martyres præ cæteris tenuerunt. Imitati sunt tamen etiam Confessores, seipsos crucifigendo.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam : nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat ? Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum Angelorum.

Eius quod dixit tangit hie rationes persuasiuas. Tangit autem hic rationes tres: vnam quidem per consequentiam perditionis ad salutem animæ: aliam autem econtra per consequentiam salutis ad perditionem : tertiam autem per comparationem lucri temporalis cuiuscunque ad animæ perditionem. Prima ratio est hæc. Quicunque voluerit animam saluare, sequitur quod perdet eam: quia ad salutem animæ sequitur perditio eiusdem. Seiendum autem. quod anima dicitur hic ab actu animandi. Vnde anima sumitur hic prout animat corpus Et secundum hoc anima intendit corpori, & corporis delectationibus, & corporeis vtilitatibus: à quibus etiam dicitur animalis vita. Quibus intendere, & saluare tales delectationes sine contristantibus, & tales saluare vtilitates sine damnis, est perdere secundum causam meritoriam eandem animam: quia tunc erit eum contristantibus eam æternaliter in inferno, & in damnis æteroorum gaudiorum. Et hoc est quod dicitur *Ioan* 12. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam. *Eccl.* 18. Si præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Ab huiusmodi anima dicitur homo animalis & brutalis: quia anima quando immergitur corpori, & intendit per appetitum in quinque corporis sensus, animalis & brutalis efficitur. 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi: quia spiritualiter examinatur.

Qui ergo [voluerit] voluntate irrationabili [animam suam] hoe est, animalem motom animæ [salnam facere] hoc est, in delectabilibus suis saluare: ille [perdet eam] quia cum illa salute perdita & mortua est anima æternaliter. 1. *Timoth.* 5. Quæ in deliciis est, viuens mortua est. Vnde *Luc.* 12. dicitur ei qui dixit : Anima habes multa bona præparata ad annos plurimos, Comede & bibe & epulare: Stulte hac nocte repetent animam tuam: & ea quæ præparasti, cuius erunt? Et sic per hoc quod putauit saluare animam, perdidit eam. Eadem enim animalis vita, quæ delectata est & saluata *Luc.* 16. io diuite epulone, qui epulabatur splendidè: perdita est in inferno : quia lingua eius cruciabatur in flamma gehennæ.

Alia tamen huius expositio est: quia salus animæ in bonis delectantibus corpus, pronitatem inducit in anima ad concupiscentias carnis : & quo aliquis plus delectatur in animalitate, eo plus ad concupiscendũ pronus efficitur: & quo plus ad talia pronus efficitur, eo plus ab appetitu verorũ bonorum & honestorum elongatur : quia pronitas concupiscentiarum adimit bonum naturale, quod in veris & in honestis & diuinis bonis naturaliter delectatur. Et vocatur bonum naturale animæ quod inest secundum ipsam, & non inquantum est in corpore. Et sic dicit *August.* quod delectatio in commutabili bono mala est, inquantum adimit naturale bonum animæ. Et sic quo aliquis saluat aoimam in animali delectatione, eo adimit bonum naturale. Et sic etiam hie perdit animam secundum naturale bonum eius. Sic intelligitur illud *Luc.* 15. quod filius prodigus perdidit substantiam suam, boni scilicet naturalis, viuendo luxuriose cum meretricibus. Sic illud *Iob* 7. Posuisti me contrarium tibi: & factus sunt mihimetipsi grauis. Ex eo enim quod contrarij sumus Deo in bono naturali, nobis graues efficimur.

Nam qui perdiderit] per contrarium [animam suam] à saluantibus eam secundum animalem motum & delectationem [propter me] hunc finem ponendo, quod subtrahit sibi delectantia propter me [saluam faciet eam] & in vitam æternam, & in bono natorali in hac vita. Dicit autem [propter me] quia quidam Pholosophi, Stoici vocati quorum princeps fuit Socrates, & magnus imitator fuit Crates Philosophus, multum abstinuerunt à delectabilibus corporia, propter honestatem virtutis, & saluam fecerunt animam secundum salutem boni natoralis. Sed quia propter Deum non fecerunt, ideo in vitam æternam animam non saluauerunt. Christus enim est ostium vitæ æternæ : & qui non intrat per Christum, non saluatur. *Ioan.* 10. Ego sum ostium. Per me siquis introierit, saluabitur : & ingredietor & egredietur, & pascua inueniet. Per salutem ergo animæ, homo adepto bono naturali perdit animam, & mutatur in bestiam. *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, &c. Per perditionem vero animæ, redit à bestialitate ad salutem animæ veræ : sicut dicitur *Daniel.* 3. In ipso momento rediit ad me sensus meus, & ad honorem decoremque regni mei perueni. Hoc ergo est quod dixit.

Quid enim proficit] Tertia ratio est à comparatione vtilitatis. Et est sensus. Quia perdita substantia propter quam diligitur quicquid appetitur in mundo, totum aliud inutile efficitur. Et hoc est quod dicit [Quid] hoc est, ad quid [proficit homini?] qui rationalem, immortalem, & ad bona honesta & æterna ordinatam habet animam [si vniuersum mundum] quoad mundanas delectationes & vtilitates [lucretur] in concupiscentiis omnibus viuens [se antem ipsum] secundum quod est ipse in imagine Dei consideratus, quia sic est homo secundum quod homo : dicit enim *Philosophus*, quod homo suus intellectus est [perdat] in bono naturali, vel ad æternam vitam [& detrimentum sui faciat] quia quanto in brutalibus & mundanis delectatur, tanto magis in bono naturali

rali

tali diminuitur,& à vero bono elongatur. Et tunc etiam illud quod male dilexit,in tormentum conuertitur. Sic enim dicitur *Sapient.*14 Creaturæ in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium. Ista est tinea de homine nata, & deuorans hominem. *Isa.* 14. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Hoc est densum luctum quod hominem vt gluten tenet, ne procedat ad bona naturalia. *Habac.*2. Væ qui multiplicat non sua. Vt quid etiam aggrauat contra se densum lutum? Subiungit autem vlteriorem probationem, quod detrimentum sui faciat, qui lucrandis intendit, dicens.

Nam qui me erubuerit] Duo tangit: erubescentiam Dei, & erubescentiam sermonum Dei. Loquitur de his, qui animam saluant præseruando eam à tormentis: & vt saluent eam, negant confessionem veritatis fidei & iustitiæ: de quibus dicit *Matth* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Quin potius timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem perdere animam in gehennam. Qui ergo sic volens saluare animam, præseruans eam à tristitia mortis, quæsitus ad pœnam [me erubuerit] hoc est, me propter erubescentiam negauerit[&]erubuerit [meos sermones] hoc est, negauerit veros esse sermones meos, qui sanctificant & saluant animas. *Ioan.* 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Auctorem igitur veritatis & veritatem propter salutem temporalem animæ negare, est Christum & sermones suos erubescere. Et hoc est naturæ hominis. vt homo est, contrarium: quia (sicut dicit *Damascenus*) verecundia est timor, vel fuga de turpi actu. Confiteri autem Christum auctorem veritatis, & veritatem, honestum est & non turpe: & ideo talis erubescentia propriè habet pœnam debitam. De his autem qui in turpibus non erubescunt, dicitur *Ierem.* 6. Confusi sunt, quia iniquitatem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. De erubescentibus autem vere in turpibus actis siue perpetratis, dicitur *Ierem.* 31. Confusus sum & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. De Deo autem & sermone eius nullus debet erubescere. *Isa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus.

Qui ergo erubuerit Deum & sermones veritatis eius [hunc Filius hominis] in iudicio communi [erubescet] hoc est, ad modum erubescentis habebit se ad eum, in eo quod auertet faciem suam ab eo, ac si non noscat eum, & vituperium habeat de notitia eius. *Matth.* 7. Confitebor eis, Quia nunquam noui vos. *Psalm* 15. Nec memor ero nominum eorum per labia mea [cum venerit] iudicare particulariter post mortem cuiuslibet, vel vniuersaliter in iudicio communi [in maiestate sua] *Luc.* 21. Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus & maiestate. *Apoc.* 1. Ecce venier cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. *Daniel.* 7. In nubibus cæli Filius hominis venit, & vsque ad antiquum dierum: & in conspectu eius obtulerunt eum & dedit ei potestatem, honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Et hoc est quod sequitur [& Patris] quia *Ioan.* 5. dicitur, quod Pater dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc. In forma enim humana in qua iudicatus est, iudicaturus est viuos & mortuos. Et hoc patet à maiestate Patris. *Ioan.* 5. Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio. Non enim iudicat Pater in forma & maiestate Dei: sed omne iudicium dedit Filio perficere in forma serui. Et tunc implebitur quod dicitur *Isa.* 52. Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde [& sanctorum Angelorum] qui sicut ministri iudicabunt, & per ministerium in iudicio apparebunt. *Matth.* 13. Mittet Angelos suos qui colligent de regno eius omnia scandala. Item *ibidem.* Exibunt Angeli & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Hoc est ergo quod dicit.

Dico autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

Hic incipit pars illa in qua docet ad quid sequẽdus est Christus: quoniã sicut sequendus est per formam Passionis, ita sequendus est ad gloriam Resurrectionis, quam præmonstrat in claritate transfigurationis. Et hæc pars diuiditur in duas partes, in quarum prima promittit ostensionem illius gloriæ non omnibus, sed quibusdam. In secunda autem exhibet sicut promisit. In prima harum tria facit: per modum consolationis Discipulos alloquitur, assertionem veritatis præmittit, & promissionem subiungit. Dicit ergo primo consolatorie.

Dico autem vobis] Acquisitiuè exponendum est: quia hoc nobis ad omnem consolationem est dictum. Hoc enim dictum est vere amicis, de quibus dicit *Ioan.* 15. Vos dixi amicos: quia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Vobis ergo amicis. Vobis qui in tribulatione posituri estis animas. *Luc.* 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Vobis (inquam) pusillis quibus hæc reuelanda sunt. *Matth.* 11. Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Vobis igitur dico [Vere] assertionem ponendo. *Hebr.* 6. Pollicitationis suæ Deus volens hæredibus confirmare sermonem, interposuit consilij sui iusiurandum: vt per duas immobiles res, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum habeamus solatium. *Tit.* 2. promisit qui non mentitur Deus.

Sunt aliqui] Petrus, Ioannes, & Iacobus, ad omnia testes idonei, & omni exceptione maiores. *Isa.* 8. Adhibui mihi testes fideles, & accessi ad prophetissam [Aliqui]autem, nota specialis familiaritatis est istorum Apostolorum, qui præ cæteris ad secreta Dei admittuntur, & per quos aliis secreta Dei panduntur. Et signum fuit illos in veritate Dei magis fuisse illuminatos, & in charitate Dei magis fuisse accensos, & in gratia magis fuisse confirmatos. Et ideo ad omnia Dei secreta præ cæteris eliguntur: sicut Moyses, & Aaron, & Iosue in veteri testamento: Moyses plus erat illuminatus: Aaron autem facundus, in his quæ populi fuerunt magis erat acceptus: Iosue autem ad singulare ministerium legislatoris electus. Vel Moyses in mandatis, Aaron in sacrificiis, Iosue

in præliis sub Domino pro populo fecerunt. Isti ergo sunt signanter [aliqui] vocati [hic] mecum & vobiscum [stantes] & assistentes. Bene stantes qui rectitudine sunt erecti. *Psalm.* 5. Mane astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Ezech.* 2. Fili hominis sta super pedes tuos. *Psalm.* 121. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.

Qui non gustabunt mortem [hoc est, mortem non experientur temporalem. Gustus enim quidam tactus est, vt dicit *Philosoph.* Tactu autem amaritudinis separationis corporis & animæ mors sentitur. Vel dicatur, quod mors temporalis non est, nisi quidam transitorius gustus mortis. Mors autem æterna tactus mortis est perpetuus. *Sap.* 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt: & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Sic ergo etiam mortem temporalem non gustabunt.

Donec videant] corporalibus oculis. *Luc.* 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & audiunt quæ vos auditis. *Prouerb.* 20. Oculum videntem, & aurem audientem: vtrunque creauit Dominus [Regnum Dei] hoc est, decorem & claritatem beatitudinis regni Dei in transfiguratione, in qua regni Dei claritas præmonstratur Dicunt tamen quidam regnum Dei hic dilatationem Ecclesiæ significare, quam longo post Resurrectionem tempore, viuens Ioannes mortalibus conspexit oculis. Sed primum est melius secundum literam. *Sapient.* 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. *Exod.* 31 Ego ostendam tibi omne bonum: inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine.

Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret.

Tangit hic dictæ promissionis exhibitionem, & dicit tria: quando scilicet, & coram quibus, & qualiter trásfiguratio facta est, & in ipsa regni Dei decor ostensus est De primo autem dicit [Factum est autem] per Dei præfinitionem secundum quam omnia perfecit Christus [post hæc verba] dictæ promissionis & confessionis Petri [fere dies octo]

Contrarium videntur dicere *Matth.* 17. & *Marc.* 9. qui dicunt post dies sex accidisse. Ad hoc respondet *Augustinus*, quod *Matthæus*, & *Marc.* non numerant primum promissionis diem & vltimum in quo facta est transfiguratio, sed intermedios tantum sex. *Lucas* autem connumerat is primo & vltimo dicit: Post dies octo [Fere] autem dicit, quia dies vltima vsque ad reuolutionem eiusdem horæ, in qua primo die promissionem fecit, nondum completa fuit, licet esset iam inchoata.

Quærit autem *Chrysost.* Quare tantum distulit exhibere promissionem? Et respondet, quod hoc fecit ad desiderium Discipulorum accendendum. Suspiratur enim in rem dilatam quæ promissa est, *Prouerb.* 13. Spes quæ differtur, affligit animam. Lignum vitæ desiderium veniens. Aliam causam assignant quidam: quia interim corda Discipulorum ad videndam claritatis suæ speciem præparauit. *Iosue* 3. Sanctificamini in crastinum, hoc est, in futurum. Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Alia & tertia causa esse potuit: quia adhuc turbas dimittere apte non potuit, vt familiariter familiaribus suam ostenderet claritatem. Et ideo dixit *supra*. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Vnde *Exod.* 19. præcipitur ne turbæ montem ascendant, nec bestiæ pascantur econtra montem in quo Dominus in maiestate voluit reuelari.

Mystice autem quarta causa ponitur: quia dies octo sunt octo mentis illustrationes, quæ nisi prius perficiantur, non videbitur Dominus transfiguratus: quarum prima est fidei. Secunda, intellectus doni. Tertia, sapientiæ doni. Quarta, beatitudinis quæ dicitur munditia cordis. Quinta est fructus spiritus qui *Galat* 5. vocatur fides. Et dicit ibi *Gloss.* quod fides est inuisibilium certitudo. Sexta, illustrationis spiritus. Septima, visionis intellectus: & octaua, extasis siue raptus. Fides quidem est lumen veritatis per speculum in ænigmate. 1 *Corinth.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate.

Intellectum autem dat Deus, vt dicit *Gregorius*, cum de auditis in doctrina & scriptura mentem illuminat. 2. *Timoth.* 2. Intellige quæ dico, Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum

Sapientia autem donum, est illustratio mentis acquisita per saporem diuinorum altissimorum, qua humo patiendo in se diuina, dulcis magis quam per auditum & visum accipiat: sicut dicit *Psalm.* 33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Et 1. *Petr.* 2. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. Sic dicit *Dionysius* Beatum Hierotheum diuina didicisse *Ierem.* 31. Non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quia omnes scient me à maiore eorum vsq; ad minorem eorum. Et loquitur de Apostolis. *Sap.* 7. Spiritus sapientiæ per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit.

Munditia autem cordis est, de qua dicitur *Matth.* 5 Beati mundo corde: quoniam ipsi Deũ videbunt. Mundum enim cor splendorem accipit diuinum, & efficitur speculum sine macula, & imago in qua repræsentatur Deus. Et ideo Deus conspicitur in eo sicut lux in suo luminari quod implet Et ideo de Apostolis dixit Christus *Matth.* 5. Vos estis lux mundi. Et iterum. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Fides autem quæ est certitudo inuisibilium, sicut dicit *Gal.* 5. est certum fidei experimentum, per inspirationem superni luminis acceptum.

Et quia hoc, gustus quidam & refectio est intellectus per veritatis experimentum: ideo gustus vocatur & fructus. Dicit enim *Augustinus in lib. de Doctrina Christiana*, quod fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. Et hæc est magna illustratio æterni luminis, de qua dicit *Apostolus* 2. *Corint.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ Euangelij Christi.

Spiritus sancti autem illuminatio est quando lumine

lumine ſuo fotmat nos ſpiritus, ad diuinæ imaginis configutationem: vt illuſtrati ferre poſſimus pœnitentiam ipſius: ſicut Moyſes teſplenduit ex conſottio ſermonis Domioi in monte *Exod.*13. Et de hac loquimt *Apoſtolus* 2.*Corinth.*3. Nos omnes reuelata facie glorism Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spititu.

Viſio per intellectum eſt per lumen quod vocatur theophania. Theophania autem eſt lumen à Deo deſcendens in intellectum, in cuius actu, hoc eſt, complemento agente, videntur ea quæ Deus vult reuelare: ſicut colorats videntur ſub actu & per actum lucis. 2.*Corinth.*3. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit io cotdibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Chriſti. *Pſalm.*35. In lumine tuo videbimus lumen.

Raptus autem eſt, quando excedentes omne qood creatum eſt, in nullo à corpore retenti, videmus eum ſicut eſt, & ſicut in cæleſti hierarchia vident eum beati. Et hoc eſt rapi cum *Paulo* ad tertium cælum 2.*Corinth* 11. Sed hoc contingit raptim, & non diu permanet. Quis, ſicut dicit *Auguſtinus*, iterum teſorbetur mens ſolitis, & retrahitur mole corpotis. Iſta ſunt atma lucis, quibus in die boneſte poſt lucem Chriſtum ambulamus. *Rom.*13. Poſt hos ergo dies factum eſt quod hic dicitur.

Et aſſumpſit] Tangit hic coram quibus facta eſt iſta transfiguratio. Dicit autem quinque: aſſumptionem, aſſumptorum nominationem, nominatorum ſociatam ſibi aſcenſionem, aſcendentium eleuationis verticem, in vertice autem montis orationem. Aſſumptio autem tractus eſt ad ſumentem. Sumens autem nos Deus eſt: quia virtus ſuperior aſſumit inferiorem & attrahit eam. *Pſalm.*88. Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſraël regis noſtri. Perficitur autem tractus iſte tribus: charitate, veritate, & hæſione. Charitas trahit in affectu, veritas in intellectu, & hæſio in ſpiritu. Primum caliditate, ſecundum illuminatione, tertium ſpiritus puritate. *Eccle.*4. Funiculus triplex difficile rumpitur. De tractu charitatis *Ierem.*31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te. De attractu veritatis *Pſalm.*42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. De hæſione ſpiritus 1.*Cor.*6. Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt. *Deut.*4. Vos qui adhæretis Domino, viuitis vniuerſi. *Pſalm.*62. Adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua. Hoc igitur modo aſſumpſit, plus intus ſtringens quam extra vocans.

Petrum, & Iacobum, & Ioannem] Dicit autem *interlinearis* quod tres aſſumpſit: vt in tribus idoneis teſtibus totus mundus crederet. *Deut.*17. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Aſſumpſit Petrum vt dicit *Gloſſa* qui claues regni cælorum accepit. *Matth.*16. Tibi dabo claues regni cælorum. Aſſumpſit Iacobum, *Interlinearis*, qui primus inter Apoſtolos ſolium ſacerdotale accepit. Sed ille fuit Iacobus minor qui vocabatur Iacobus Alphæi, qui primus fuit Epiſcopus Ieroſolymitanus. Et hoc non concordat: quia *Matth.*17. ſic dicitur: Aſſumpſit I e s v s Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Iacobus autem frater Ioannis, filius eſt Zebedæi qui dicitur Iacobus maior, & ille ſolium ſacerdotale nunquam accepit. Ad hoc dicendum, quod reuera Iacobum maiorem aſſumpſit qui fuit filius Zebedæi. Et quod dicit *Ambroſ. in Gloſſ. interlineari*, exponendum eſt de ſolio cæleſti: quis primus inter Apoſtolos martyrio coronatus eſt: Sacerdos, & hoſtia in ſolio cæli inthronizatus. Paſſi ſunt quidem ante eum quidam Sancti, ſicut Stephanus: ſed ipſe primus inter Apoſtolos paſſus. *Act.*12. Occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio. Ioannem accepit, ſicut dicit *interlinearis*, cui mater in cruce committitur. *Ioan.*19. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſuam. Specialis ergo dilectionis ad iſtos, iſta quæ dicta ſunt, ſigna ſunt.

Poſſet tamen dici quod per iſtos tres intelliguntur tres ſtatus ſaluandorum in Eccleſia Per Petrum quidem Prælati, per Iacobum actiui, in lucta ſeculi & tentationibus colluctantes. Per Ioannem autem contemplatiui, in pectore Domini in cœna deliciarum ſpiritus recumbentes. Qui etiam *Ezech.*14. ſignificantur per Noë, Daniel, & Iob, qui liberabunt animas ſuas. Per Noë qui rexit arcam Prælati. Per Iob dolentem actiui, circa frequens miniſterium occupati & turbati. Per Daniel viſionibus Dei vacantem, ſignificantur contemplatiui. Hos igitur aſſumpſit vt omni ſtatui Eccleſiæ futuræ Reſurrectionis decus, iam in figura præmonſtraretur. *Pſalm.*79 Qui ſedes ſuper Cherubin, manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe. Chriſtus enim in maieſtate ſedet ſuper omnem plenitudinem ſcientiæ. *Pſalm.*138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Apparet autem in figura quadam claritatis coram Ephraim fructificantibus in actione: Benjamin filio dexteræ, Prælatis in regimine: & Manaſſe, hoc eſt, religioſe contemplantibus in exteriorum obliuione. Tres igitur, & hos tres illis aſſumpſit de cauſis.

Et aſcendit] iam enim eleuata eſt magnificentia ſua ſuper cælos, cum ſpecies ſua etiam ſpecies cæleſtes exceſſit. Aſcenſiones enim iam in corde ſuo diſpoſuit in hac valle lacrymarum, quando Diſcipulis quam altus eſſet in maieſtate demonſtrauit. Ante enim admirabile fuit nomen ſuum in vniuerſa terra per oſtenſionem ſapientiæ in verbo, & per viſam potentiam in ſignis. Modo autem ſecundum dictum *Sapient.*7. Specioſior efficitur ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparatus inuenitur prior. Luci enim ſuccedit nox: claritatem autem eius nihil poteſt offuſcare. Bene ergo aſcendit, qui ſic coram Diſcipulorum oculis exaltatus aſcendit, qui oculos & corda Diſcipulorum ad hæc conſpicienda aſcendere facit *Baruch* 5. Sta in excelſo, & vide iucunditatem à Domino Deo tuo tibi venientem.

In montem] Montem, inquam, Thabor, qui veniens lumen interpretatur. *Pſalm.*88. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia. Brachium in quo eſt virtus Patris, eſt Filius, quod in potentia maieſtatis illuxit: & cum illo exultat Hermon, quod mons modicus eſt, & anathema interpretatur, humani intellectus ſignificans modicam eleuationem quæ

anathems

anathematizata hactenus, hoc est, separata fuerat à lumine, ad quod nunc ad contuendum ascendere iubetur. Iste est mons eleuationis spiritus, in quo Dominus transfiguratus videtur, vt primitus eleuetur in lumine, & consequenter in virtute. In lumine quidem sensibilis visionis cælum transcendendo, secundo imaginariæ visionis cacumen transuolando, tertio intellectualis visionis cacumen attingendo. Sic enim cum Paulo rapitur in tertium cælum, si sensibilia etiam diuina relinquit, si imagines in quibus figuratiuè aliquid significatur transcendit: si ad ea quæ solo intellectu, purissima mentis acie vix attinguntur, oculum mentis conuertit. *Psalm.67.* Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. *Ezech.40.* Tulit me in visionibus Dei in montem excelsum nimis.

Eleuatio virtutis est per tres gradus. Primus est omnes passiones animæ sensibilis virtute cardinali ordinare, temperantia præfigente modum, fortitudine vincente difficile, iustitia in omnibus eis statuente rectum, & prudentia docente in eis ad eligibile rectum rationem. Secundus est in omnibus humanis, metas mentis secundum sapientiæ ordinem nunquam excedere. Tertius autem omnia hæc ad puritatem intellectualium substantiarum referre. Per primum efficitur homo virtuosus, per secundum actuum suorum dominus, per tertium efficitur diuinus. De hoc monte dicitur *Ierem.31.* Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Psalm.67.* Mons Dei mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons Dei per apparitionem, mons pinguis per deuotionem. Vt quid enim ô homines ignari diuinorum suspicamini, conferentes ad eum montes coagulatos, hoc est, celsitudines humanas, quæ coagulatæ sunt gelicidio superbiæ, vel fastus humani: & ideo stolidi, & nihil veræ altitudinis habentes.

Vt oraret] Nihil enim transfigurat nisi oratio: quia oratio, vt dicit *Augustinus*, est pius mentis affectus in Deum directus. Et ideo mentis affectus in diuino igne accenditur. *Damascenus* enim dicit, quod oratio est accensus intellectus in Deum. Et ideo intellectus in diuino lumine illustratur. Ac census autem & illuminatus iam ad transfigurationem est præparatus. Et ideo *Luc. 8* dicitur: Quoniam oportet semper orare & non deficere. Orare autem desiderij mentis accensione, & intellectus illuminatione. *Ioan.4.* Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, hoc est, spiritus feruore, & veritatis illuminatione. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. *1.Corinth 14.* Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Sic igitur & tunc & coram istis facta est transfiguratio.

Et facta est dum oraret, species vultus eius, altera: & vestitus eius, albus & refulgens.

Hic ponit transfigurationis modum & formam & tangit tria: modum scilicet, & formam transfigurationis, & attestationem transfigurati. Modus autem & forma describitur in ipso Domino IESV, & describitur in vestitu eius. Dicit igitur [Et facta] non quidem per transmutationem substantiæ, vel circumpositionem qualitatis, vel figuræ alienæ, quia fingere non conuenit veritati: sed potius per effulsionem claritatis internæ mortalis habitus tunc non clausit quomodo ante. Et sic nihil assumpsit alienum, nihil amisit sibi & nobis proprium [species eius] hoc est, speciositas eius [altera] non alia. Et in hoc solo altera, quia mortalis species exterior, non clausit fulgorem deitatis interiorem: nec fulgor interior consumpsit mortalem speciem exteriorem, sed obtexit ad horam. Et in hoc solo species facta est altera. Quia cum ante in colore vultus humani esset speciosus forma præ filiis hominum: nunc resplendens super solem in vultu diuino humanato, speciosus factus est præ vultibus Angelorum: ostendens quam mirabilis est humanitatis nostræ futura glorificatio, quæ in suo vultu præmonstrata omnium Angelorum excessit claritatem. Hanc videns in spiritu *Psalm.44.* ait: Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Hoc figuratum est *Exod 3.*.. vbi in monte ex consortio Domini resplenduit facies Moysi: ita vt dicat *Apostolus 2.Corinth.3.* quod non poterant intendere in faciem Moysi filij Israël propter gloriam vultus eius, nisi velaretur. Sed veritas excedit vmbram: quia incomparabiliter plus illuxit facies nostri Saluatoris ex consortio vnitæ sibi deitatis, quam facies Moysi ex consortio diuini sermonis. Vnde *Matth.17* dicitur, quod resplenduit facies eius sicut sol. Et impletum est *Isa.62.* vaticinium: Egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur. Sicut enim pellis lucernæ retinendo omnia propria, emittit ex se splendorem luminis, & non tegit ipsum: & videtur candens in lumine in se clauso, & non in colore proprio, quem tamen vere habet: ita resplenduit vnita carnis deitas in colore mortalis corporis. Et color corporis in candore splendoris videbatur, & non amittebatur. Est enim Dei Filius etiam in humana carne splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ipsius: sicut habetur *Hebr. 1. Sapient. 7.* Speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis ipsius. Et *ibidem.* Quod est candor lucis æternæ. Vnde non mirum si vel semel candor ille immensus emicuit & refulsit, vt fides regni Dei in nobis confirmaretur.

Et vestitus eius albus & refulgens] *Marc.9.* dicitur sic: Vestimenta eius facta sunt splendida & candida nimis velut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere. Et hoc ad literam quidem ita fuit, quod ex maiestate luminis in corpore sic resplenduit vestis quam induerat, quod tota incanduit immixto sibi lumine corporis, quod ad illum candorem nullo genere artis deduci potuisset. *Psalm.103* Præcinctus lumine sicut vestimento. Et hoc est quod Pater dixit de Filio *Iob 40.* Circumda tibi decorem, & in sublime erigere: esto gloriosus, & speciosis induere.

Mysticè tamen, Vestimentum hoc significat ornatum corporum resurgentium, adhærentium Christo. *Isa.49.* Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris, & circumdabis eos tibi velut vestimentum. Albedo autem significat in eis innocentiam mundissimæ castitatis. Refulgentia significat reflexionem super

eos,

eos, & in eos superni luminia, per quod gloriosa corpora fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum *Matth.*13.*Sapient.*3. Fulgebunt iusti,& tanquam scintillæ in arundineto discurrent.

Moraliter vero, Quod Christus operatus est in suo corpore,operatur quotidie in viri sancti mente, in qua dum fulgorem suæ claritatis immittit, faciem mentis alteram facit: & incipit refulgere sicut sol in lumine diuino. *Psalm.*88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Et dum luminosis virtutibus vestit conuersationem, quid aliud quam vestes eorum albas & candidas cælo similes facit? *Apoc.*12. Mulier Ecclesia,monstratur amicta sole: & luna sub pedibus eius, & corona duodecim stellarum in capite eius. Sic *Genes.*37. filio suo dilectissimo tunicam facit polymitam, coloribus suis splendores stellarum superantem. Sic igitur transfiguratus est Dominus.

Nec moueat aliquem istud nomen transfigurationis, quasi Dominus alteram figuram acceperit: quia hoc nequaquam est sentiendum. Sed nomine figuræ dicitur transfiguratio propter figuras radiorum ab ipso in magnifica gloria refulgentium: illi enim in oculis inruentium varias figuras depinxerunt, sicut faciunt radij cuiuslibet corporis luminosi. Vnde *Eccli.*43. Radios in eos igneos exuffluans suos. Per modum enim linearum radij exeunt,& incidentes oculis inruentium, varias figuras depingunt. Et ideo transfiguratio vocatur à *Matthæo & Marco.*

Et ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses & Elias, visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.

Hic agitur de attestatione transfigurati Domini. Diuiditur autem hæc pars in duas partes, in quarum prima ponit attestationem legis & prophetiæ: in secunda vero attestationem Patris, & Spiritus sancti. Prima est attestatio facta, sacramentis gratiæ completis per Christum hominem. Secunda est attestatio magnificæ gloriæ reuelatæ per hominem Deum. Prima diuiditur in partes duas, in quarum prima ponit attestationem legis & prophetiæ. In secunda Discipulorum & nostræ mortalitatis ostendit infirmitatem ad reuelatam gloriam. In prima harum tria facit. Dat enim testimonium per nomen. Ostendit idoneitatem testium. Et testium tantorum describit depositionem Dicit igitur.

Et ecce] Demonstrabile pro reuerentia [duo] propter testimonium legis & prophetiæ[viri]pro strenuitate & animi vigore. Et sic tria significantur:reuerentia, virtus, & veritas legis & Prophetarum. De singulari reuerentia ipsorum qui cum IESV fuerunt,dicitur *Zach.*3. Audi IESV sacerdos magne,tu & amici tui qui habitant coram te: quia viri portendentes, hoc est, pro reuerentia sua magna portendentes. Et sic sunt ad honorem demonstrabiles. Strenuitate autem mentis & vigore viri dicuntur. Viri enim singularis virtutis fuerunt, de quorum vno *Num.*12. dicitur: Erat Moyses mansuetissimus omnium virorum qui erant super terram. De altero autem *Eccli.* 46. Quis poterit similiter gloriari tibi, qui tulisti mortuum ab inferis? Et sic vterque singulariter vir fuit[Duo]vt dictum est,propter legem & prophetiam. *Habac.* 3. secundum translationem *Septuaginta.* In medio duum animalium cognosceris. Lex enim data est per Dei vocem auribus populi intonantem, prophetia vero per diuinam inspirationem. Et sic vtrunque testimonium immobilis est veritatis. Isti ergo duo viri [loquebantur] cum Legislatore & Domino Prophetarum. Loquebantur autem ad ipsum quia veritatem sibi reuelatam retulerunt,& pro synagoga(vt dicit *Origenes*) intercesserunt.

Erant autem Moyses]Ecce à nominibus describit idoneitatem horum testium, & dicit duo: nomina eorum, & gloriam. Ex nominibus enim erant famosi.Ex gloria autem in qua apparuerunt sibi à Deo facta,erant idonei & maiores exceptione. Dicit ergo [Erant autem Moyses] vnus de quo dicitur *Num.*12. Siquis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses,qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Deum videt. Sic igitur testimonium Moysi idoneum est & fidelissimum. Vnde *Ioan.* 5. conuincens Iudæos de infidelitate, dicit:Est qui accusat vos, Moyses in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?[& Elias]Qui fuit Prophetarum eximius, Iordanem diuidens, in cælum eleuatus, & in paradiso reseruatus 4.*Reg.*2.*Eccli.*48.Surrexit Elias sicut ignis:verba eius vt facula ardebant 4.*Reg.*2. Pater mi, pater mi, currus Israël & auriga eius. Hic pro affectu bis pater dictus est:pro subuectione infirmorum, currus:pro regimine reuelationis, cælestis dictus est auriga:pro zelo,ignis:pro spiritu eloquij sui, verba eius ardebant vt facula. Bis autem pater, pro affectu formante eos in lumine prophetiæ, & pro affectu formante in charitate. Hi ergo ipso nomine sunt maiores omni exceptione [visi in maiestate] magnificæ gloriæ: ne putarentur apud Deum gloriosi non esse. *Isa.*60. Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. *Psalm.*46 Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Et ideo sicut Principes cum Rege fulgent in honore: ita & isti reuelantur in maiestate Regis nostri.

Est autem aduertendum, quod Moyses mortuus ex mortuis venit,& Elias viuus ex viuis: vt ostenderetur quod dicitur *Sapient.*16. Tu es Domine qui vitæ & mortis habes imperium. 2.*Corinth.*5. In hoc Christus mortuus est, & resurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur. Vnus autem de inferno venit de limbo patrum, & alter de paradiso: vt ostendatur quia & inferiorum est Redemptor,& ad paradisum Reductor. *Zach.*9. Tu in sanguine testamenti emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua. De tertio *Cantic.*4. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Omnia enim hæc quæ sunt diuini fructus ad paradisum reducit Christus. Sic ergo per Moysen signum dedit de profundo inferni. Per Eliam autem receptum in cælum dedit signum in excelsis supra. *Isa.*7.

Pete

Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Quia autem & tres Apostoli ibi fuerunt, venientes dè mundo, ostendit id quod dicitur *Philip.2.* Vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confitea tur quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria est Dei Patris.

Quæritur autem, Qualiter visus sit ibi Moyses: cum dicat auctoritas quod ante Christi descensum nullus liberatus sit de limbo? Sed ad hoc dicendum, quod licet apparuerit in mundo, tamen à pœna limbi non adhuc fuit redemptus. Et quod dicitur, quod nullus liberatus sit à limbo, intelligitur de pœna limbi. Quia & Samuel apparuit & à limbo quoad locum exiuit 1.*Reg.vlt.*

Sed adhuc obiicitur. Quia si Christum in gloria Dei Patris aspexit, tunc à pœna limbi liber fuit: quia pœna limbi non est nisi carentia visionis. Sed ad hoc dicendum, quod maiestas Christi visa fuit & fulgor deitatis suæ per causam, & non per essentiam. Essentialiter enim fulgor ille fuit claritas corporalis. Et sic Moyses Deum immediate in monte non vidit.

Adhuc quæritur, Qualiter ibi Moyses apparuit? Vtrum in corpore proprio, vel assumpto? Vel in propria persona vel Angelorum ministerio, qui in persona eius visionem hanc exhibent? Ad hoc sine præiudicio dicendum videtur, quod Moyses in persona propria ibi videbatur: quia aliter suum parum valeret testimonium. Et non erat ibi in corpore proprio, sed potius in corpore sibi ab Angelis aptato & assumpto ad intentionem apparitionis sensibilis: sicut in ante habitis diximus. Corpus enim proprium putridum erat: & non est credibile quod resurrexerat tunc ad istam visionem peragendam. De Elia autem constanter dicendum est, quod ibi in corpore & anima fuerit de paradiso illuc translatus: & peracto testificationis ministerio, iterum in paradisum reuectus.

Moraliter autem docemur & nos: quia in montem meditationis & spiritualis transfigurationis ascendentes, reuoluere debemus infernalia ad timendum, cælestia ad appetendum, ea quæ mundi, sunt ad contemnendum & descendendum. Vnde de infernalibus dicitur *Psalm* 54. Descendant in infernum viuentes. Viuens enim in infernum descendit, qui meditando ea quæ in inferno sunt, timore concutitur, & satagit ne in infernum post mortem descendat. *Genes.*37. Lugens ad filium meum descendam in infernum. In paradisum autem & in cælum similiter est ascendendum. *Psalm.*106. Ascendunt in cælum, & descendunt in infernum: anima eorum in malis tabescebat, hoc est, in solicitudinibus salutis. De his autem quæ in mundo sunt, meditatur ad contemnendum qui dicit: Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? *Psalm.* 72. Sic enim ad montem meditationis est ascendendum. Redeamus autem ad literam & videamus quid isti testes deponant.

Et dicebant] concorditer [excessum eius] charitatis, humilitatis, passionis eius. De charitatis excessu *Ioan.*15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Cantic.*8. Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. De excessu humilitatis *Philip.*2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens Et post. Humiliauit semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis *Isa* 53. In humilitate iudicium eius sublatum est. De excessu passionis dicitur *Thren.*1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. *Thren.*3. Recordare paupertatis meæ, transgressionis, absinthij, & fellis.

Quem completurus erat in Ierusalem] hoc est, vsque ad complementum omnium quæ scripta sunt perducturus. *Luc.*24. Oportet implere omnia quæ scripta sunt in lege & Prophetis de me. *Matth.*20. Ecce, ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis. *Ioan.*19. dixit: Consummatum est. Vel [completurus] hoc est, ad complementum perfectionis deducturus. *Ioan.*13. Cum dilexisset suos qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos. *Psalm.*118. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Vnde *Mich.*6. *Isa.*5. Quid est quod vltra debui facere tibi, & non feci? [Ierusalem] autem ad hoc eligitur: quia in medio est habitabilis terræ. *Psalm.*73. Operatus est salutem in medio terræ. Hoc autem qualiter sit, iam in ante habitis expositum est.

Petrus vero & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes, viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.

Tangit hic qualiter infirmitas humana se habet ad visam beatitudinem, ad quam nata est & ordinata humanitas. Tangit autem tria, scilicet, qualiter excessu beatitudinis infirmitas grauatur: secundum, secundum quod beatitudo ab infirmitate percipitur: & qualiter delectatione beatitudinis humana infirmitas illicitur. De primo dicit.

Petrus vero] vertex Apostolorum & princeps, qui sibi fortis videbatur [& qui cum illo erant] Iacobus & Ioannes specialiter inter alios priuilegiati, sicut ante diximus [grauati erant somno] hoc est, ligatione sensuum. Est autem duplex grauitas capitis somnum perficiens. Vna quidem naturalis, quando à loco digestionis fumus eleuatur ad cerebrum, & à frigiditate cerebri ingrossatus & infrigidatus, reflectitur ad organum sensus communis, & in ipso alia sensuum organa grauantur frigiditate, & immobilitantur & ligantur: ita quod vis sensibilis auertitur ab eis. Et sic Discipuli somno non grauabantur. Alia autem est, quando superioris visionis quæ est supermundana, sic anima capitur & tapitur ad superius, quod inferiora derelinquit sensuum organa, & ideo clauduntur ac si dormiant Et hoc modo Discipuli grauati erant somno, tanquam in extasi existentes. *Daniel.*10 Domine in visione tua solutæ sunt compages meæ: & nihil in me remansit virium. Sic *Genes.*2. immisit Dominus soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius. Vnde dicit ibi *Gloss.* quod in illo sopore interfuit cælesti curiæ, & cognouit qualiter de Christi latere fabricanda esset Ecclesia, & Christo coniungenda. Vnde *Gloss.* Somno grauantur: quia splendore incomprehensibilis deitatis premitur sensus humani corporis. *Iob* 33. Per somnum in visione nocturna, quando

irruit

irruit ſopot ſuper homines & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. Sic *Num.*24 dicitur. Dixit homo cuius obturatus eſt oculus, qui viſiones omnipotentis Dei intuitus eſt, qui cadens apertos habet oculos. *Cantic.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Sic grauatus ſomno Ioannes ſuper pectus Domini recubuit *Ioan.* 21. Sic in ſomnis Iacob vidit ſcalam cuius ſummitas cælos tangebat *Geneſ.* 28. quia ſic ſomniare eſt diuina oracula percipere, & veras & myſticas viſiones oculo mentis illuſtrato videre.

Et vigilantes] Hic tangit ſecundum quid beatitudo gloriæ Dei ab humana mente percipitur. Dicit ergo [Et vigilantes] intus magis quam extra. Hæc autem vigilia non eſt redundantia lucis ſuperioris ad organa ſenſus. Vigilia enim dupliciter fit ſicut & ſomnus. Eſt enim vigilia expaſſio caloris & ſpiritus ab interioribus ad organa ſenſuum. Vel melius, ſolutio ſenſuum per expaſſionem caloris naturalis & ſpiritus in organa. Hoc autem contingit dupliciter. Aliquando contingit digeſtione iam facta, quando iam ceſſat fumus ad cerebrum aſcendens. Et ideo etiam ceſſat reflexio ingroſſati fumi à cerebro ad ſenſuum organa. Et tunc ſubtilis calor & purus ſpiritus ad organa ſenſuum habent influxum, & ſic ſoluuntur ad ſentiendum. Et hæc eſt naturalis ſolutio ſenſuum, & vigilia. Aliquando autem contingit quando aliquid magnum acceptum attonitam facit mentem hominis, & hoc per redundantiam paulatim defluit ad ſenſus: ſicut quando viſio intellectualis conuertitur ad imagines myſticas: & imagines myſticæ formantur in oculis & auribus corporali viſione. Et ſic factum eſt in Diſcipulis. Tunc enim quando reuehitur forma ſenſibilis, reuehitur etiam calor & ſpiritus ſenſibilis, & ſoluunt ſenſus ad vigiliam. Sic ſolutus eſt ad vigiliam Eliphaz qui *Iob* 4. ſic dicit: In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Et cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui. Quaſi dicat. Prius in magnitudine viſionis imaginariæ anima auerſa à ſenſibus, infrigidatum eſt cor meum, inhorruerunt pili: quod non contingit niſi frigiditate poros pilorum comprimente Sed cum ſpiritus qui viſiones præſentabat, tranſiret ad organa ſenſuum: tunc vigilans vidi viſione corporea, quod quidam per imaginem ſtetit ante oculos, & aure lenita (per calorem & ſpiritum auditiuum) quæ prius obturata erat, audiui vocem ipſius mecum ſenſibiliter loquentis. Et per omnem eundem modum accidit hic Diſcipulis. Et hoc eſt quod dicit [& vigilantes] ſenſu redeunte ab interius opprimente viſione.

Viderunt] corporalibus oculis [maieſtatem] hoc eſt, lumen ingens quod ſignificabat maieſtatem eius. 2. *Petr.* 1. Non enim indoctas fabulas ſecuti, annuntiamus vobis Domini noſtri IESV CHRISTI virtutem: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Et *Ioan.* 1. *cap.* 1. Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: hoc annuntiamus vobis [& duos viros Moyſen & Eliam] qui ſtabant cum eo. Dicit autem hic *Gloſſa* quædam: Sciendum non corpora vel animas Eliæ & Moyſi apparuiſſe: ſed ex aliqua ſubiecta creatura illa corpora fuiſſe formata. Poteſt etiam credi Angelico miniſterio illud factum eſſe, vt Angeli eorum perſonas aſſumerent. Hæc autem *Gloſſ.* ex opinionibus antiquorum ſumpta eſt. Et mihi videtur verius quod ſuperius diximus: quia hoc magis conſonat verbis Euangelij.

Myſticè autem notat hic quædam *Gloſſa*, quod poſt ſomnum mortis melius videbitur in illa æterna & ſuprema vigilia gloria reſurrectionis. Et tunc etiam cognoſcetur qualiter duo viri Moyſes & Elias ſunt cum Domino: quia melius intelligent quomodo vnum iota aut vnus apex non præteribit à lege *Matth.* 5. Et quomodo Dominus legem & prophetias non ſoluerit, ſed adimpleuit.

Et factum eſt: cum diſcederent ab illo, ait Petrus ad IESVM: Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, & vnum Eliæ: neſciens quid diceret.

Hic tangitur qualiter humana mens ex viſa delectatione beatitudinis æternæ illicitur ad manendum in ea. Tangit autem tria: quia videlicet illicitur & trahitur, & illectionis expreſſionem, & ignorantiam ſiue ſui ſtatus obliuionem. Dicit igitur [Et factum eſt: cum diſcederent] Moyſes & Elias [ab illo] hoc eſt, à IESV. Ante enim Petrus occupatus magnitudine viſionis & totus abſorptus, nihil de receſſione temporali cogitauit. Videns autem iam paulatim viſionem ſe ſubducere, dolens tunc incepit ſolicitari de permanendo: ſentiens in ſe quod non paruo affectu in *Pſalm* 83. dictum eſt. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Et ideo illis quorum ſocietatem toto corde deſiderauit, ſe ſubducentibus [ait Petrus ad IESVM] quem ſciuit authorem huius maieſtatis.

Præceptor] Exprimit qualiter illectus ſit, & dicit profeſſionem maieſtatis in Chriſto, affectum dulcedinis ex parte, & deſiderium & modum permanentiæ. De primo dicit [Præceptor] hoc eſt, quem credimus & experti ſumus præceptorem gratiæ & gloriæ, vitæ & mortis, miſeriæ & beatitudinis. *Eſther* 13. In ditione tua cuncta ſunt poſita: & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati [bonum eſt nos hic eſſe] hoc eſt, in dulcedine huius beatitudinis permanere. Et dixit hoc affectus dulcedine beatitudinis, & in ea exutus omnibus vitæ mortalis oblectamentis: vnde *Gloſſ.* Qui ad montana conſcenderat, non vult ad terram deſcendere, ſed ſemper in ſublimi perſeuerare. *Philip.* 1. Cupio diſſului, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius. 2. *Corinth.* 5. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Deum.

Faciamus hic tria tabernacula] Modum & deſiderium tangit permanendi. Tria autem dicit, propter legem, & prophetiam, & Euangelium: ignorans adhuc quod horum non tria ſunt tabernacula, ſed vnum tricameratum, propter tria quæ dicta ſunt, & propter habitationem præeuntium & concomitantium & ſubſequentium, &

propter fidem Trinitatis. *Apoc.*21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis: & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. *Isa.*4. Erit tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. Hoc autem tabernaculum est absconditum lucidissimæ faciei Dei *Psalm.*30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Hanc lucem conspexerat Petrus, & vidit se protegi à turbine turbarum: & ideo manere desiderabat: & vt impiger operarius exhibet obsequium sui operis, cum dicit [Faciamus] Errat ergo cum dicit [tria] facienda, cum Christus vnire veneat. *Ioan.*10. Fiet vnum ouile & vnus pastor. Sed tamen error non est præsumptionis, sed pietatis: cum totam intentionem refert ad permanendum in beatitudine: & ideo non arguitur. Præmisit etiam conformitatem voluntatis suæ ad voluntatem diuinam. Et hoc tangit *Matth.*17. dicens eum dixisse: Si vis, faciamus, &c. Quod *Chrysostomus* ideo dicit eum dixisse: quia ante tedargutus fuerat eum diceret, Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Et ideo ne iterum tedarguatur, præmittit: Si vis, faciamus. Hæc autem tabernacula distribuit, dicens.

Tibi vnum] Noluit enim Petrus, vt dicit *Beatus Bernardus* seorsum habitare: & ideo nullum sibi & Discipulis singulariter dicit ædificandum, cupiens habitare cum Christo cum sociis, eo quod sint de familia Christi. Moysi autem qui familiam habuerat synagogam, vult ædificari tabernaculum: quia familia Moysi videbatur à familia nouæ gratiæ diuisa. Similiter vult ædificari tabernaculum Eliæ, qui in hoc diuisus à Moyse, quod futurus erat medius inter gratiam & legem, sicut dicitur *Malach. vltim.* Et sic secundum tres familias putabat distribuenda esse tria tabernacula, nesciens intellectum *Isaiæ* dicentis 33 Oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius vsque in sempiternum. Nullum ergo faciendum nisi Domino, cuius familia sunt omnes electi *Isa.*60. Populus tuus omnes iusti in perpetuum possidebunt terram [Moysi vnum] Absit: quia sicut dicitur *Ezech.*1. Rota est in rota: vetus in nouo, & non separatum ab eo. *Osee* 1. Ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel [Et Eliæ vnum] Quod iterum stare non potest: quia licet vt mediator conuertat corda patrum in filios, & corda filiorum ad patres eorum: tamen non conuertit eos ad se, sed ad Christum. Et ideo non erit nisi tabernaculum Christi. Hæretici autem secundum dictum Petri volunt ædificare diuersa tabernacula suorum conuenticulorum: sed hæc corruent & peribunt. *Psalm.*15. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, neque memor ero nominum eorum per labia mea. Errorem autem Petri corrigit Euangelista dicens

Nesciens quid diceret] Absorptus enim deliciis, in mentis excessu dixit: non considerans non esse manendum in monte, sed ad redemptionem properandum; non quærendam esse habitationem diuisam, sed diuisos in cruce Christi & fide esse vniendos. *Ephes.*2. Vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, faciens pacem. Sic angularis lapis vnit vtrumque parietem. Sic 1. *Corinth.*15. fiet Deus omnia in omnibus. Sic *Cantic.*6. vna est columba Ecclesia Prædictis tamen rationibus diuisa habitacula facere voluit Petrus, nesciens quid diceret. Dicit autem *Gloss. quædam*, quod transfigurationis huius tres habemus testes de terra, Apostolos: tres de cælo, Moysen, & Eliam, & vocem Patris. Et secundum hoc tres de cælo dicuntur: non quod habitauerint in cælo, sed quia cælesti virtute sunt allati. Et sic veritas constat: quia vnum sunt isti testes in depositione testimonij.

Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt.

Hic incipit ostendere testimonium diuinum Patris, & Spiritus sancti de transfigurato Domino. Tangit autem duo: testimonium ipsum, & disciplinam silentij qua se cohibuerunt à prædicatione visionis istius. In prima harum partium quatuor dicuntur. Vnum quidem signum præsentiæ sancti Spiritus. Alterum autem experimentum debilissimi huius miseriæ status, qui hoc ferre non potuit nisi per protectionem obumbrationis. Tertium testimonium vocis. Quartum autem ne error sit cui feratur testimonium, solitudo Filij, qui ante cum aliis magnis viris apparuerat. Dicit ergo continuando historiam.

Hæc autem] in extasi mentis [illo] Petro loquente] 2 *Corinth.*5. Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. *Psalm.*67. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Beniamin filius dexteræ Petrus, æterni gaudij prægustans dulcedinem, & in ea voces inordinatas emittens affectus ebrij. *Cantic.*1. Introduxit me in cellam vinariam [facta est nubes] Addit *Matthæus*, lucida: quia de luce ætheris formata, non de opacis elementis assumpta. Hæc autem nubes non fuit aliud nisi reflexio multiplicati luminis super ipsos: sicut per modum nubis multiplicantur radij in pariete, quando sol incidit super speculum, vel super crystallum, aut alium lapidem purum & pretiosum. *Isa.*19. Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum. In tali enim nube Dominus venit, & assumptus est. *Act.* . Nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Psalm.*17. In circuitu eius tabernaculum eius. Quia tale lumen ad modum tabernaculi circumfunditur & dilatatur. Et si aliquando dicitur caligo: non dicitur hoc quia in se sit caliginosum, sed quia reuerberat oculos sua claritate, & sic obuoluuntur caligine in seipsis. Et sic dicitur *Exod.*19. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te [& obumbrauit eos] Confortauit vt aliquatenus ferre possent claritatem. *Luc.*1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Obumbrauit enim dupliciter: temperamentum præstando, & se in ipsis formando ad modum eis possibilem. Et ideo claritate eius nimia circumuoluti [timuerunt] Tanta enim est infirmitas humana, quod hoc ipsum ferre non potuit propter quod facta subsistit, vt dicit *Gregor.* *Matth* 28. simile: Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Hæc autem nubes signum fuit pœnitentiæ Spiritus sancti, qui (sicut in baptismo) diffundebatur in charismatibus supra Christum, sed ibi

ad

ad ſanctificationis operationem : & ideo venit in colnmba. Hic autem ad maiſtatis demonſtrationem : & ideo venit in nube.

Intrantibus illis in nubem. Et vox facta eſt de nube, dicens : Hic eſt Filius meus dilectus : ipſum audite. Et dum fieret vox, inuentus eſt I E S V S ſolus. Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.

Tangit teſtimonium Patris. Tangit autem tria: conſonantiam Patris cum Spiritu ſancto, demonſtrationem Filij, & præceptum obediendi. Conſonantia Patris cum Spiritu notatur in hoc, quod non ſonat Pater niſi in nube. Opotet enim quod obumbretur nube Spiritus, qui audire debet vocem Patris : quia Spiritus vebit in cor vocem Patris, & docet eam. *Ioan.* 16. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ideo etiam de nube ſonuit ad legiſlationem *Exod.* 19. Nec aliqua vox ſonat ſecundum naturam niſi in ſpiritu. Et ideo vox facta eſt in eis, intrantibus eis in nubem. Cum enim dicit [Intrantibus illis] non intelligitur de introitu pedú, quia iacebant cadentes : ſed de introitu cordium, quando ſignificatum nubis percipere in cordibus inceperunt. *Pſalm.* 13. Ponis nubem aſcenſum tuum. Non enim aſcendit ſuper corda hominum, nec eos aſcendere facit niſi in nube iſta. Et hoc eſt quod dicit.

Vox facta eſt de nube] hoc eſt, de claritatis illius nubeæ diffuſione, quæ diffuſionem Spiritus ſignificabat in corde. *Rom.* 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis [dicens] Ecce Filij demonſtratio in eadem nube [Hic] corporaliter in maieſtate demonſtratus [eſt Filius] naturalis [meus] de ſubſtantia mea genitus. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Dicit autem [dilectus] in Spiritu ſancto connexus mihi, & eiuſdem Spiritus ſiue dilectionis mecum eſt vnum principium : quia à me fluit in eum, & ab eo in me reciproca dilectione, & à nobis in muodum. *Sapient.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, hoc eſt, cælum. *Coloſſ.* 1. Tranſtulit nos in regnum Filij dilectionis ſuæ, hoc eſt, filij ſui dilecti : ſicut dicit *ibidem Gloſſ. Auguſtini.* Quæ dilectio à Filio ſicut à Patre procedit.

Ipſum audite] Ecce obediendi præceptum. Audiendus eſt enim in omnibus quæ dixerit, & obediendum eſt ei. *Exod.* 24. Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. *Pſalm* 94. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Cum deſiderio enim eſt audiendus, cum obedientia exaudiendus. Cum deſiderio audiendus : quia diffuſa eſt gratia in labiis eius : mel & lac ſub lingua eius. Et ideo dicit ſponſa *Cantic.* 8. Fac me audire vocem tuam. Et *Cantic.* 2. Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis. Cum obedientia autem exaudiendus : quia ad id quod vtile eſt, erudit & præcipit. *Hebr.* 12. Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos : nonne magis obediemus Patri ſpirituum, & viuemus? & illi quidem in tempore paucorum dierum erudiebant nos : hic autem ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius. Eſt etiam cum timore audiendus : ſicut dicitur *Hebr.* 2. Quia quibuſdam non audientibus eum in ira ſua iurauit, dicens *Pſalm.* 94. Si introibunt in requiem meam. Ipſum ergo audite libenti charitate, reuerenti obedientia, cum timore ſuæ auctoritatis quam habet ad iudicandum.

Et dum fieret vox] Iſtud inducitur, vt ſciant Apoſtoli cui perhibetur teſtimonium. Quod ſi ſonante voce adhuc in maieſtate viderétur Moyſes, & Elias : forſitan Diſcipuli viſionis magnitudine attoniti, putarent alicui aliorum teſtimonium perhiberi. Quod ne putetur [Dum fieret vox] Patris teſtificans ſolum Dominum eſſe maieſtatis [inuentus eſt I E S V S ſolus] Sicut enim in baptiſmo ſolus dicitur voce Patris auctor ſanctificationis, & in Paſſione ſolus hæres claritatis *Ioan.* 12. Sic hic ſolus dicitur eſſe Dominus maieſtatis : ideo ſolus eſt inuentus in loco ſonantis vocis. Digne enim ſolus dignus eſt maieſtate, qui ſolus & vnicus hæres eſt paternæ gloriæ. *Daniel.* 4. Poteſtas eius poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. *Iſa.* 9. Multiplicabitur eius imperium : & pacis non erit finis. Huic ergo ſoli teſtimonium datur, & ſoli maieſtas attribuitur, & ſoli nomen deitatis. *Philipp* 2. Dedit illi nomen ſuper omne nomen. Moyſi ergo & Eliæ vt ſeruis, datur teſtimonium laudis : Chriſto vero vt filio : ſicut dicitur *Hebr.* 2. Et non ſolum præ illis, ſed etiam præ Angelis habet teſtimonium. *Hebr.* 1. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius nomen præ illis hæreditauit. Cui enim angelorum dixit aliquando : Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum. Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium. Sic igitur oſtenditur quod nulli datur teſtimonium maieſtatis niſi Filio. Et ideo aliis ſubductis, inuentus eſt ſolus Ieſus, ſonante voce Patris.

Et ipſi tacuerunt] &c. Hic ponitur inſtructio diſciplinæ conſequens viſionem ex parte Apoſtolorum. Et tangũtur duo: occultatio videlicet viſionis, & tempus occultationis. In *Matth. autem.* 17. legitur, quod I E S V S præcepit eis vt nemini dicerent, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. Sic ergo ad præceptum Domini tacuerunt tribus de cauſis. Vt iactantiam vitare doceret, & laudes fugere. *Eccle.* 11. Non laudes hominem in vita ſua Et *ibidem.* Ante mortem ne laudes quenquam. *Pſalm.* 101. Qui me laudabant, aduerſum me iurabant. Secunda cauſa eſt, vt doceat maxime in reuelationibus ſecretorum tenendam eſſe humilitatem. Vnde *Paulus* 2. *Corinth.* 11. tacuit per 14. annos. Et nec tunc dixiſſet, niſi quod pſeudoapoſtoli qui populum ſpecie talium falſarum reuelationum ſubuertebant, compuliſſent. *Eccli.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Gregor.* Deprædari deſiderat qui theſaurum in via publice portat. *Matth.* 13. Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit. Tertia cauſa eſt : quia non erat tempus opportunum ad hæc prædicanda. Si enim maieſtas viſa prædicaretur &

postea pateret infirmitas in morte, & confusio manifestaretur in cruce, excitaretur scandalum, & nulla ædificatio sequeretur. Sed cum surrexerit à mortuis: tunc victoria mortis, fides erit maiestatis, & tunc opportunius prædicabitur. *Eccli.* 20. Ab ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit eam in tempore suo. Et hoc est quod sequitur.

Et nemini dixerunt illis diebus] ante Passionem [quiquam] nec de apparentibus cum Christo, nec de maiestate Christi [ex his quæ viderant] (sicut dictum est) corporalibus oculis in magnifica gloria. *Daniel.* 12. Claude sermones & signa librum vsque ad tempus statutum.

Factum est autem: in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

Hic incipit pars illa quæ est de confirmatione traditæ potestatis, in qua duo sunt consideranda: modus videlicet vtendi potestate, & modus sequendi Christum eorum qui in potestate sunt ponendi. Et hæc duo ordine eodẽ quo hic dicta sunt, determinat. Vsus autem potestatis, aut est in eo qui constituitur in potestate ecclesiastica, aut in eo super quem potestas accipitur. Si autem consideratur in eo super quem potestas accipitur, sciendum quod ex parte illa semper potest impediri potestas ecclesiastica ne consequatur effectum. Et quoad hoc inducitur historia de lunatico, quem Apostoli curare non potuerunt. Si autem attenditur potestas in eo qui in potestate constituitur, consideratur adhuc tripliciter, quoad tria quæ sunt in eo qui habet super alios potestatem: quorum primum quia potestas constituit in gradu dignitatis & altitudinis: & sic abuti potestate est inflari potestate, & bene vti potestate est humilem se recognoscere. Et quoad hoc ordinatur potestas in historia quæ secundo inducitur. Secundum (quod est in eo cui potestas committitur) est vita idonea in hoc quod in vita vtatur potestate secundum formam qua Christus præcessit. Et posset credere aliquis, quod non sequens Christum in vita, non haberet potestatem ecclesiasticam, quod non est verum: & quoad hoc ordinatur in historia tertio loco inducta. Tertium est vsus potestatis contra malos & rebelles, contra quos non semper oportet cum indignatione & furore procedere: & quoad hoc ordinatur potestas in historia quarto loco inducta. Primo ergo ostenditur, quod quantumcumque idoneus sit Prælatus Ecclesiæ, potestas eius aliquando in sacramentis effectum non consequitur, si obicem ponat ille in quem vtitur potestate sacramentali.

Dioiditur autem hæc historia in tres partes, in quarum prima miraculum expostulatur: in secunda perficitur: in tertia commendatur. In prima harum tres sunt paragraphi: turbarũ videlicet intercessio, miseriæ dæmoniaci allegatio, & Discipulorum de impotentia curationis accusatio. In primo horum tria dicuntur: quando videlicet, & vbi, & qualiter occurrit turba pro misero intercedens. De primo dicit.

Factum est autem] secundum Dei dispositionem, ad cuius dispositionem Christus omnia fecit. *Ioan.* 4. Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei qui in cælis est, & vt perficiam opus eius. *Luc.* 2. In his quæ Patris mei sunt oportet me esse [in sequenti die] Lux vna in demonstranda luce suæ speciei, contemplantibus in monte. Lux alia in demonstranda virtute, actiuis in valle. Hæ enim dies duæ, sunt actiuorum & contemplatiuorum quasi duæ illuminationes. In prima illuminat mirabiliter à montibus æternis: in secunda clamat, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ Et hoc est [in sequenti die] quia prima est lux contemplationis in fulgore verbi. Sequens autem dies actionis in virtute operationis verbi: quia actio informatur ex contemplatione.

Descendentibus illis de monte] Ecce locus vbi factum est in descensu montis Thabor. Si enim ascendat Dominus, nos illuminat: & si descendat, nos curat. Et sic vndique nostram operatur salutem. *Psalm.* 103. Ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem fundasti eis. Dum enim ascendit, nos ascendere facit: & cum descendit nobis & nostræ infirmitati condescendit: nec tantum altis & sapientibus debitor est in monte, sed & infimis & inferioribus in valle. *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est. Et hoc est quod sequitur.

Occurrit eis turba] gratulabunda, ita quod lætitia cordis expassa in vultu internam patefecit deuotionem. *Amos* 4. Præparare in occursum Dei tui Israël. *Ioan.* 12. Propterea occurrit ei turba, quia audierat eum fecisse hoc signum. Et hæc etiam deuotio multum intercessit pro infirmo.

Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi.

Hic ponitur miraculi expostulatio. Dicuntur autem hic tria. Vnum est postulantis instantia. Secundum, maligni spiritus allegata malitia. Tertium est infirmi periculosa & acerba miseria. In primo horum quatuor dicuntur, quorum primum est clamoris intensio: secundum, in eo ad quem clamat potestatis professio: tertium, respectus in filium supplex obsecratio: quartum, magnæ & naturalis & indiuisæ dilectionis allegatio. Dicit [Et ecce] qui seipsum clamando demonstrabilem fecit [vir] in hoc commendabilis quod puerilia transcenderat. 1. *Corinth.* 13. Cum autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli [de turba] quæ sibi deuotione sua meruit exauditionem: fuit enim de societate & numero deuotorum. Communio enim Sanctorum multa meretur. Vnde *supra* 7. Turba multa ciuitatis erat cum vidua cuius filium Dominus suscitaoit.

Exclamauit dicens] Tangit clamoris intensionem: quia [exclamauit] hoc est, ex intimo affectu & toto corde clamauit. *Psalm.* 118. Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. *Daniel.* 13. Erat cor eius fiduciam habens in Domino. Et ideo clamauit.

Magister] Ecce maiestatis professio. Nominat autem eum à perfectione sapientiæ propter doctrinam quæ ostendebatur in ipso, plusquam Dominum, quod occultum erat propter nimiam ipsius humilitatem. *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magister

gister, & Domine: & benè dicitis: sum etenim. *Matth.* 22. Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: & non est tibi cura de aliquo. *Ioan.* 3. Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum ipso.

Obsecro te] Ecce vt respiciat in filium supplex deprecatio [obsecro] hoc est, ob sacramenta potestatis & doctrinæ tuæ coniurans peto [respice] oculo misericordiæ [in filium meum] *Sap.* 4. Gratia & misericordia in Sanctos eius, & respectus eius in electos eius. *Thren.* 1. Vide Domine afflictionem meam. Visus enim afflictionis cor misericordis mouet ad miserationis effectum. *Psalm.* 24. Respice in me, & miserere mei [quia vnicus mihi est] Magnæ & naturalis & indiuisæ dilectionis est allegatio. Et ideo necesse fuit quod cor Patris affligeretur in filio. 2. *Reg.* 1. sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. *Ierem.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.

Et ecce spiritus apprehendit eum.

Hic ponitur spiritus maligni allegata malitia. Ponuntur autem hic tria. Primum est affligens intrinsecus spiritus. Secundum est violentiæ quam intulit modus. Tertium est afflictionis affectus. De primo dicit [Et ecce spiritus] Q.d. euidens est quod est spiritualis & non corporalis nequitia. *Ephes.* 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Dicitur autem *Matth.* 17. quod lunaticus erat. Quia, sicut dicit *Gloss.* tempore nouæ lunæ affligebat, vt lunam odibilem hominibus faceret, cuius lumen homines affligeret, & ad insaniam deduceret: & per consequens homines Creatorem blasphemarent, qui tam nociuas fecisset creaturas. *Sapient.* 14. Creaturæ in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium.

Vel potest dici melius, quod licet spiritus immundus huius afflictionis fuerit principium: tamen in affligendo habuit humidum coporis, & maxime capitis humidum pro vexationis instrumento. Et quia in nouilunio corruptum in capite augmentabatur humidum: ideo in nouilunio plus torquebatur dæmoniacus: & ideo lunaticus dicebatur. Luna enim hanc virtutem habet in suo lumine, quod mouet humidum, & corrumpit humidum quod putrefactioni est paratum. Et ideo periculosa fiunt apostemata animalium, quæ de nocte lumini lunæ exponuntur. Qui autem accusant lunam propter hoc, possunt etiam accusare solem: quia sub lumine solis febricitans magis æstuat quam si sibi non exponeretur. Et similiter facit ignis comburens Beatum Laurentium qui bonus fuit. Creaturæ enim sua explent officia. Et quod aliquando nocent, hoc est per accidens: quia exponuntur eis quædam in quæ agunt secundum suas qualitates. Et si aliquando non agunt in talia, hoc fit per miraculum diuinum: tamen secundum ordinem institutionis suum primum, actiones suas custodiunt. *Sapient.* 19. In se elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonos immutatur, & omnia suum sonum custodiunt. Ideo semper quidem vniuerso prosunt: sed si alicui nocent, hoc est per accidens. Spiritus autem est præsidens & affligens intus, & ideo periculosior erat afflictio: quia causa & principium ipsius per artem cognosci non poterat. Spiritus enim hic malus accipitur, quem dæmonem vocamus. *Matth.* 15 Filia mea male à dæmonio vexatur.

Apprehendit eum] Ecce afflictionis modus per apprehensionem. Apprehensio autem est captio trahens ad capientem. Et dat intelligere, quod spiritus malus cepit vias sensus & motus eius in ipsis neruis sensationis, & motiuis, & spiritibus, qui vehere debebant virtutes sensitiuas & motiuas ad regimen ordinatum corporis: & tractas ad se conuertit ad inordinatum corporis nocumentum. *Matth.* 17. Male patitur: nam sæpe cadit in ignem & crebro in aquam. Apprehensio enim sonat violentam naturalium ad voluntatem dæmonis attractionem. *Marc.* 9. Attuli ad te filium meum habentem spiritum mutum: qui vbicunque apprehenderit eum, &c. Dicit autem *Marc.* quod erat mutus & surdus: quia dæmon vias motus ad linguam, & vias sensus ad aures, corrupto repleuit humore: ita quod lingua & aures ad sensum & motum moueri non poterant. Et forte similiter fecit in viis aliorum sensuum. Et hoc innuitur ex sequentibus.

Et subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma: & vix discedit dilanians eum.

Tanguntur hic multiplices huius miseriæ effectus. Tanguntur autem septem, scilicet, subita & indeliberata inuasio vt se præmunire non posset, clamor internum prodens dolorem, allisio ex casu quasi epileptici ad terram, dissipatio in iuncturarum dislocatione, spuma in fœdi humoris emissione, vix discessus in continua sine interpolatione afflictione, dilaniatio in membrorum dilaceratione. De primo horum dicit.

Et subito] *Dionysius* dicit, quod subito est quod fit præter spem, hoc est, ante deliberationem: & fit in momento, contra quod nullus se potest præmunire. Hoc enim hac astutia facit dæmon, vt afflicto non possit subueniri. *Psalm.* 29. secundum veritatem hebraicam. Ad momentum ira eius. Vbi habemus nos: Quoniam ira in indignatione eius. *Isa.* 30. Subito dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur contritione præualida [clamat] angustiam cordis interiorem indicans. *Isa.* 65. Vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis [& elidit eum] hoc est, in casum præcipitat, & cadentem allidit & collidit. *Iob* 30. Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide [& dissipat eum] *Iob* 30. Dissipauerunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & præualuerunt: & non fuit qui ferret auxilium [cum spuma] *Marc.* 9. Allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit [& vix discedit] sine interpolatione affligens. *Iob* 30. Qui me comedunt, non dormiunt [dilanians] cum membrorum discerptione & dilaceratione. *Nahum* 2. Dissipata est, & scissa, & dilacerata: cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium sicut nigredo ollæ.

Ista septem, septem possunt attribui capitalibus vitiis,

vitiis, sed non eodem ordine quo enumerata sunt. Elisio enim attribuitur superbiæ: quia illa præcipitat & allidit. *Psalm.* 145 Dominus erigit elisos. *Gloss.* elisos per superbiam, erigit per humilitatem. Subito autem inuadit per inuidiam: quia statim visa prosperitate alicuius bonorum torquetur per inuidiam. *Iob* 5 Paruulum occidit inuidia: quia nisi paruulus in se esset, ad bonum alterius non occideretur. Clamor autem attribuitur iracundiæ. *Ephes.* 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Vitium autem quod animæ vigorem dissipat, est acedia, quæ per miseriam dissipationis interiorem etiam vocem acuit, ac si sit vox infirmi per totum dissipati: propter quod etiam acedia vocatur. *Psalm.* 34. Dissipati sunt nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. Omnibus enim his modis acediosi se habent ad Deum, & ad spiritualia. Spuma autem attribuitur libidini luxuriæ: propter quod & venus de spuma maris Cypri nata esse à Poetis fingitur: & omne semen libidinis cum spuma esse prohibetur. *Hieron.* Venter mero æstuans facile despumat in luxuriam. *Sapient.* 5. Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis quæ à vento dissipatur: quia ad literam libido luxuriæ cito dissipatur. Quod dicit quod [vix discedit] sine interpolatione affligens, est auaritia, quæ nunquam quiescit, nunquam satiatur. *Prouerb.* 30. Terra non satiatur aqua. Ignis autem nunquam dicit, Sufficit. Hoc est terrena concupiscentia cum æstibus & facibus auaritiæ nunquam sufficientia [Dilanians] autem & discerpens membra, est gula: quæ postquam interiora membra oppressa sunt, & vsque ad dilaniationem extensa, adhuc ingerere non cessat. *Isa.* 28. Omnes mensæ repleræ sunt vomitu, sordiumque: ita vt non esset locus. Sic igitur miserabiliter affligitur quem diabolus possederit. Sic *Luc.* 7 beneficio Domini de Magdalena septem dæmonia exierant.

Et rogaui Discipulos tuos vt eiicerent illum: & non potuerunt.

Ecce Discipulorum de impotentia curandi accusatio. Dicit autem duo: suam in curatione filij adhibitam diligentiam, & Discipulorum in curando filio impotentiam. In primo horum dicit tria: suam quam ad Discipulos habuit fidem & reuerentiam, & innuit magnam in Discipulis nisi curet imperfectionem & verecundiam, & petitionis suæ exprimit conuenientiam. Dicit igitur [Et rogaui] reuerentiam exhibens & fidem: quia aliter non supplicassem. Non enim ab ipsis rogassem filio meo salutem, nisi credidissem te eis dedisse curandi potestatem: & ideo cum fide & supplicatione rogaui, & non cum temeritate, attendens quod dicitur *Iacob.* 1. Postules in fide nihil hæsitans. Te enim in illis veneratus sum, sicut dixisti. *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Ideo rogaui [Discipulos] de quibus dixisti *Ioan.* 14. Qui credit in me, opera quę ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Et *Marc. vltim.* In nomine meo dæmonia eiicient. Et ideo ne impotentia Discipulorum tibi imputetur, exaudi me [vt eiicerent illum] quæ fuit pia & honesta & conueniens dictis eius petitio. Tu enim venisti vt dissoluas opera diaboli: & ideo petens vt eiiciatur diabolus secundum teipsum peto. *Deuter.* 33. Dominus eiiciet à facie tua inimicum tuum, dicetque: Contere. *Rom. vltim.* Dominus conterat satanam sub pedibus vestris velociter.

Et non potuerunt] Non dicit, non voluerunt; sed, Non potuerunt: Cuius quinque causæ esse perhibentur à Sanctis. Vna est secundum *Chrys.* qui dicit, quod hoc fuit ideo: quia columnæ Discipulorum ibi non fuerunt. *Galat.* 5. Petrus & Ioannes qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ, societatis. Hoc tamen non videtur: quia *Matth.* 17. indifferenter omnes quæsiuerunt, dicentes: Quare nos non potuimus eiicere eum? Nisi forte columnas vocet, in robore columnarum existentes: quia columnæ non fuerunt, nisi postquam in die Pentecostes Spiritum sanctum ad robur acceperunt. *Act.* 1. Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Et hoc verum est, quod postea multa potuerunt, quæ ante non poterant. Alia causa est, modicitas fidei Apostolorum. Vnde Dominus *Matth.* 17. post miraculum illud dicit eis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Tollere, & mittere in mare: & nihil erit impossibile credenti. Tertia causa, paruitas fidei postulantis, qui licet habuerit fidem, non habuit sufficientem. Et huius signum est, quod exprobando hic dicit Dominus: O generatio infidelis & peruersa, quamdiu patiar vos? Quarta causa est indignitas infirmi, qui locum in se, culpa sua, dedit diabolo. Contra quod dicit *Apostolus Ephes.* 4. Nolite locum dare diabolo. Quinta causa est: quia licet Dominus posset curare sine vsu clauis Ecclesiasticæ, tamen Apostoli & alij ministri Ecclesiæ hoc non potetant. Et quia Apostoli non recte vtebantur claue, ideo istum dæmoniacum sanare non potuerunt: debebant enim opera satisfactionis adhibuisse. Et ideo *Matth.* 17. dicitur eis, quod hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. Et dicit ibi *Hieron. in Glossa*, quod non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Et ideo indebite viens claue, non absoluit, sed in errorem inducit.

Respondens autem IESVS, dixit: O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit. Et increpauit IESVS spiritum immundum, & sanauit puerum: & reddidit illum patri eius.

Hic agitur de miraculi perfectione. Habet autem quatuor paragraphos, in quorum primo potus infidelitatis increpatio, & exprobatio: in secundo præcepta à Domino filij oblatio: in tertio dæmonis coram Domino infestatio: & in quarto dæmonis eiectio, & pueri sanatio. Dicit ergo, non impatientia & tædio victus, sed obiurgans infidelitatem [O generatio] Vnde *Rom.* 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum. Quod autem dicit [O generatio] ideo dicit, quia vexabatur vt Moyses incredulitate eorum. *Psalm.* 105. Vexatus est Moyses propter eos: quia contristauerunt

runt Spiritum sanctum eius. *Osea* 10. Corripientur propter duas iniquitates suas. Dicit autem, generatio [infidelis] propter defectum fidei. *Psalm.* 77. Generatio quæ non direxit cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus eius [& peruersa] propter morum peruersitatem. *Deut.* 32. Generatio praua atque peruersa! hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? [vsquequo ero apud vos] ad correptionem vestram, & non recipitis disciplinam. *Psalm.* 94. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper: Hi errant corde: ipsi vero non cognouerunt vias meas [& patiar vos] hoc est, æquanimiter duritiam vestram sustinebo. *Isa.* 42. Tacui, semper silui, patiens fui. *Ibidem Isa* 57 Non cogitasti in corde tuo? quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.

Adduc filium tuum] Ecce præcepta à Domino sibi facta oblatio. *Matth.* 4. Obtulerunt ei omnes male habentes. Hæc autem oblatio non ideo facta est, quod Dominus non posset ita curare absentem sicut præsentem: sed vt turba videns eum vexari in præsentia Domini, magis credat quod Christus non in Beelzebub, sed in contraria virtute eiicit dæmonia.

Et cum accederet] Ecce vexatio dæmonis in præsentia Saluatoris [elisit eum] in terram ad modum epileptici [& dissipauit eum] vt magis pateret miraculum. *Apoc.* 11. Descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. Et propter hanc impatientiam dæmonis & incredulitatem eorum, qui tot signa ab eo fieri viderunt, qui tot eruditionibus fuerunt eruditi, qui tot testimoniis Ioannis & aliorum fuerunt edocti de ipso, qui tot beneficiis præuenti, dixit [O generatio infidelis, &c.] Ideo etiam non simpliciter imperauit Dæmoni, sed [increpauit I e s v s spiritum immundum] Verba autem comminationis, & increpationis ponit *Marc.* 9. dicens: Surde & mute spiritus, præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Dicit etiam *Marcus* (per quod confirmantur omnia quæ dicta sunt) quod quæsiuit, quantum tempus esset, ex quo hoc ei accidit. Et dixit pater: Ab infantia. Et hoc totum manifestari voluit ad miraculi commendationem, & ad ostendendam contrarietatem sui ad Dæmonem: vt postea confunderentur dicturi, quod in Beelzebub dæmonia eiiceret: & vt virtus sua vincens dæmones ostenderetur: & per consequens regnum quod prædicauit, regnum Dei esse crederetur. *Luc.* 11. Si in digito Dei eiicio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei.

Et sanauit puerum] Secundum est in quo est miraculi perfectio, & restitutio integræ sanitatis. Non enim sufficit malum tollere, nisi bonum sanitatis integrum reuocetur. *Act.* 3 Nomen I e s v & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omniom vestrum *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Tertium autem est de benignitate Domini: quia eum quem curauerat & à tyrannide diaboli eripuerat, sibi in seruum potuit retinere: sed innata sibi benignitate, paterno amori compatiens, imitatus facta Prophetarum [dedit illum patri suo] Sic Elias puerum quem suscitauerat, matri reddidit 3. *Reg.* 17. Sic Eliseus puerum quem viuere fecerat matri reddidit 4. *Reg.* 4. Maxime quia & pater credidit, clamans & dicens (cum dæmonium discerperet filium, & I e s v s diceret: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti) Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. In argumentum ergo confortandæ fidei patris, filium dedit patri: ex cuius visa sanitate continuo in fide confirmaretur.

Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad Discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

Hic ponuntur ea, quæ faciunt ad miraculi commendationem, & sunt duo: stupor communis, & memoria specialis in cordibus Discipulorum. In stupore communi dicitur quod [stupebant omnes] de turba. *Ierem.* 5 Stupor & mirabilia facta sunt in terra. Est autem stupor systoles cordis propter admirationis altitudinem [in magnitudine Dei] quæ apparuit in virtutibus diuinis in talibus manifestis prodigiis. *Act.* 6. Faciebat prodigia & signa in populo. *Act.* 10. Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.

Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat] Secundum est, in quo specialiter tangit instructionem Apostolorum. Et tangit duo: quod videlicet factum memoriæ commendetur, & causam quare debet memoriæ commendari. De primo dicit [omnibusque mirantibus] in communi, quorum quidam ex curiositate videbant mirabilia. Quidam autem ex inuidia videntes tabescebant: & ideo non ædificabantur. Et hac de causa etiam non curat, quod factum tam memorabile in memoria eorum commendetur. Et ideo istis mirantibus nihil dicit illis. Sed [in omnibus quæ faciebat] mirabilibus [dixit ad Discipulos suos] Memoriam enim fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, sicut dicit *Psalm.* 110. Dixit ergo ad eos de quibus dicit *Psalm.* 144. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt.

Ponite vos] specialiter quibus iam virtus magnificentiæ meæ in corpore mortali innotuit [vos] inquam, qui permanebitis mecum in tentatione passionis *Luc.* 22. [vos] inquam, qui prædicaturi estis virtutem passionis meæ, & eritis testes operum meorum. *Psalm.* 44. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt [in cordibus vestris] hoc est, in armario memoriæ, & ædificamini ad fidei confirmationem: quia vos estis de quibus dicit *Psalm.* 144. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et subiungit causam.

Filius enim hominis] Tangit hoc secundum quod subiicitur Passioni. Hoc enim habet à filio

hominis, & non à Filio Dei secundum quod Filius Dei [futurum est] in ordinatione diuina. *Rom*.8. Etiam Filio proprio non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum [vt tradatur] à Deo Patre, à Iuda, & à seipso [in manus] hoc est, potestatem [hominum] & exponant eum tormentis, & morti, & confusioni. Et ibi apparebit infirmitas, in qua necesse est fidei vestræ, quod memores sitis virtutis deitatis in signis. *Eccli*.11. In die malorum ne immemor sis bonorum. *Thren*.3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea *Psalm*.136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

At illi ignorabant] Hoc est consequens ad præcedentia. Tantum enim abhorrebant separationem à Christo, quod voluntas fecit eis incredibilia quæcunque dicebantur de Passione ipsius. Vnde *Glossa*. Hæc ignorantia non tam de tarditate, quam de amore nascitur: quia adhuc carnales & mysterij crucis ignari: quem Deum crediderunt, moriturum credere nequeunt. Sed sicut per figuras loquentem audire solebant: sic etiam quod de sua traditione loquebatur, figuraliter aliud significare putabant. Et hoc est.

At illi ignorabant verbum istud] *Matth*.15. Adhuc & vos sine intellectu estis? [& erat velatum ante eos] non velamine verbi, quia verbum in simplici intelligentia veritatis dictum fuit: sed velamine cordis carnaliter Christum diligentis: & ideo nihil de Passione sua recipere valentis. 2.*Corinth*.3. Velamen est positum supra cor eorum. Cum autem conuersus quis eorum ad Dominum, auferetur velamen[vt non sentirent illud] quantumcunque expresse diceretur: quia non adhuc nisi carnaliter nouerunt. *Philip*.2 Hoc sentite in vobis quod & in Christo I E S V. Dicitur autem quod non senserunt; quia per affectum profundatum non experiebantur [&] propter reuerentiam [timebant interrogare eum de hoc verbo] quia aliquando exprobrauerat dure quod sine intellectu essent. Præcipue autem timebant modo, quando exclamauerat: O generatio infidelis & peruersa, quandiu ero vobiscum? signa faciens, erudiens verbo, informans exemplo, curans beneficio, portans beneficio, alliciens temporali subsidio. Timebant enim, quod ipsi maxime talia quotidie recipientes inter alios plus arguerentur: eum tamen putarent ipsum figuratiue fuisse locutum. Et ideo interrogare non audebant illo tempore.

Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

Hic incipit determinatio potestatis ecclesiasticæ secundum gradum, in quo ponitur is qui accipit potestatem Sic enim abuti potestate, est inflari potestate: & bene vti potestate, est humilem se exhibere ad obsequium & vtilitatem subditorum. Tanguntur autem hic duo, scilicet, principium peruersitatis ex ambitione, & remedium ambitionis ex humilitatis simplicitate. De primo autem dicit quatuor: tentationem, tentationis acceptationem, acceptatæ tentationis collationem, & collatæ in corde tentationis ambitionem. Tentationem autem dicit [Intrauit] significans quod diabolus eam non immisit: sed occasione verborum & factorum Christi intrauit. Dederat enim claues regni cælorum Petro: & ex hoc maior inter alios videbatur. Adduxerat tres in montem, & ad alia familiaria eosdem tres admisit: & ex hoc iterum illi tres maiores esse videbantur. Duodecim autem æqualis nominis & æqualis dignitatis elegerat *Matth*.10. *Luc*.6. Et ex hoc videbantur æquales. Et ex his dubiis, intrauit in corda eorum ista disputatio de maioritate prælationis. Contra quod dicit *Tob*.4. Superbiam in tuo animo nunquam dominari permitte: quia in ipsa initium sumpsit omnis perditio. *Psalm* 35. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum non moueat me: ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Hæc igitur tentatio sic intrauit potius, quam à diabolo immitteretur. Aliquando enim intrat in corruptam & imperfectam mentem tentatio: aliquando autem à diabolo immittitur: & aliquando à diabolo monstratur, vt ad cor ostensa subintret: aliquando etiam à bono aliquo peruerse accepto, ad cor intrat per seipsam.

A diabolo immittitur non sic quod à diabolo creetur, & sic creata imponatur. Sed quia facta in sensibilibus, à diabolo ad cor dirigitur, & incenditur. *Psalm*.77. Immissiones per Angelos malos. *Ioan*.13. Cum misisset diabolus in cor, vt traderet eum Iudas, Simonis filius, Iscariotes. A diabolo monstratur *Luc*.4. *Matth*.4. Assumpsit eum diabolus, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum: & ait, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Per se autem à bono occasionata subintrat: sicut dicitur *Sapient*. 14. Creaturæ in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium. Et ideo dicit *Iob* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine: cum tamen virgo quoddam de bonis Dei existat. Aliquando etiam tentatio tangit intrando. Aliquando etiam mentem abducit. De tactu quidem dicitur *Sapient*.18. Tetigit autem & iustos tunc tentatio mortis, & in eremo commotio multitudinis facta est: sed non diu permansit ira tua De abductione autem mentis à regimine gratiæ & rationis dicitur 1.*Thess*.3. Ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Intrauit ergo in cor Apostolorum hæc tentatio ad mentis tactum, & non ad mentis subuersionem. Et hoc est quod dicit [Intrauit autem] Sequitur.

In eos] Et per hoc notatur tentationis illius quædam ignorata acceptatio: non enim hoc malum esse sciebant. Et ideo vsque ad discussionem & interrogationem hanc tentationem acceptauerunt: quia aliter in eos non intrasset, si eandem vsque ad tactum mentis non acceptassent. Sic enim tentatio intrat in hominem, & non homo intrat per consensum in tentationem. *Matth*.6. Ne nos inducas in tentationem. *Matth*.26. Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Vnde si tentatio intrat in nos, consolatio est: hoc enim humanum est. 1.*Corinth*.10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Si autem nos intramus in tentationem periculum est: quia tunc abducti sequimur tentationem. *Prouerb*.7 Irretiuit eum multis sermonibus, & blandimentis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans nescit quod ad vincula stultus trahatur.

Cogitatio]

Cogitatio] Ecce tentationis acceptæ collatio. Cogitatio enim dicitur quasi coagitatio. Cogitatio igitur fit in collatione concepti, quando per coagitationem ponderatur ab anima quid, vel quantum, vel quale sit quod ab anima conceptum est: & vsque ad hoc tentati sunt de prælatione, *Eccli.* 23. Domine pater & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu & consilio eorum, ne sinas me cadere in illa exprobratione. Vlterius non sunt tentati Apostoli. Qui enim vlterius in tentatione procedunt, illiciuntur delectatione: & delectatio trahit ad consensum: consensus autem quærit qualiter perficiatur in opere: & opus quærit consuetudinem, consuetudo defensionem, & defensio contemptum. Et sic dicitur *Iacob.* 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, generat peccatum: peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem. Sed nec ad delectationem, nec ad consensum, nec ad opus tentati sunt Apostoli. Quæ autem fuerit huius cogitationis materia subiungit.

Quis eorum maior esset] Cuius quædam causæ iam habitæ sunt, quas inducit *Gloss.* Et quædam etiam causa esse potuit: quia Petrum sibi in solutione didrachmatis coæquauit *Matth.* 17. quamuis ibidem Christus omnes Apostolos tanquam filios summi regis liberos esse probauerit. Dicimus quæstionem tamen istam & ante tributi solutionem, & post tributi solutionem esse factam: vnde *Luc.* 22. & hic. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior videretur. Hæc autem cogitatio de prælatione, non de ambitione temporalis dignitatis orta est: quia nihil de illa viderant in Domino, vel audierant: sed potius viderant eum fugisse, quando à turbis quærebatur vt raperetur ad regnum *Ioan* 6. *Matth.* 27. & *Ioan.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Sed potius de maioritate in regno cælorum & gratia & potestate contendebant: vnde *Matth.* 18. vbi eadem historia perfectius ponitur, dicitur, quod accesserunt Discipuli ad IESVM, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Sed nec de illa disputandum est: sed potius de humilitate cogitandum, quam exemplo suo docet Dominus, quæ nostræ miseriæ sanandæ competens est antidotum, quæ etiam veram apud Deum efficit maioritatem & gloriam. De primo *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. De secundo *Iacob.* 4. 1. *Petr.* 4 Humilibus dat gratiam. De tertio *Luc.* 14. Recumbe in nouissimo loco: vt dicat tibi qui te inuitauit: Amice ascende superius. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Nec videbatur malum de hoc cogitare.

At IESVS videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se.

Hic incipit huius tentationis remedium, & continet tria: exempli ostensionem, exempli informationem, & informationis rationem. De primo dicit duo: morbi cognitionem, & medicinæ sapientissimam præparationem per exempli ostensionem. Dicit ergo [At] econtra quia contraria est medicina morbo [IESVS] Saluator radicis omnium morborum. *Eccli.* 10. Breuem langorem præcidit medicus. Morbus enim statim in principio præcidendus est antequam inualescat.

Principiis obsta, sero medicina paratur.

Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum [videns cogitationes eorum] hoc est, causas & concomitantias cogitationum. 1. *Reg.* 16. Homo videt quæ patent: Deus autem intuetur cor. Causæ autem cogitationum fuerunt quas diximus.

Concomitantiæ autem & sequelæ frequenter sunt delectationes potestatis, & ambitio honoris. Quamuis enim qui episcopatum desiderat, bonum opus desideret 1. *Timoth.* 3. quod bonum opus de substantia est prælationis: tamen in gradu prælationis frequenter surrepit delectatio potestatis: & in reuerentia subiectionis à subditis Prælato exhibita, tentat elatio & ambitio dignitatis. Et hoc est quod dicitur *Eccli.* 11. Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portauit diadema. Quia licet in bono opere, sicut dicitur *Isa.* 32. Princeps ea quæ sunt digna principe, cogitabit. Et non debeat esse is qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus debeat vocari: maior tamen (propter potestatis delectationem & ambitionem gloriæ) dignitatis opere bono (quod prælationi substantiale est) neglecto: indignus qui tyrannus (hoc est, oppressor) est, sedet in throno Episcopali se intrudens, timore Dei postposito: & insuspicabilis, de quo nunquam aliqua suspicio promotionis esse deberet, portat diadema, dignis & bonis exclusis propter astutias vulpinas ambitiosorum, & pretia diuitum, & impressiones potentum.

Has igitur causas, & concomitantias, & sequelas cogitationum istarum videns benignissimus & sapientissimus IESVS [apprehendens puerum, statuit eum secus se] & per exemplum pueri morbo occurrit. Et est error iste Apostolorum salutaris Ecclesiæ, si Prælati nostri temporis aduertere dignarentur. Quis enim crederet vnquam aliquid mali latere in cogitatu maioritatis in regno cælorum, nisi hoc Dominus per seipsum ostendere dignaretur? Occurrens autem huic morbo, dicit quatuor valde notabilia: modum scilicet, exemplum, exempli firmamentum, & confirmati exempli prototypum. Modum dicit.

Apprehendens] Apprehensio autem sonat acceptionem cum impetu factam: quia cum impetu huic morbo ambitionis occurrendum docuit. Dicit enim Dominus *Genes.* 1. humanæ naturæ dignitatem ostendens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ. Quasi dicat. In hoc sit imago potestatis & dignitatis nostræ in eo, vt sicut nos tres personæ præsumus omnibus, & tamen inter nos æquales sumus: ita ipse homo præsit irrationabilibus, sed in genere suo seruet æqualitatem. Et ideo dicit *Gregor.* quod contra naturam superbire, est hominem hominibus velle præesse. Et hoc est à diuina distare imagine *Eccli.* 10. Non est concreata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. Tumorem ergo elationis reprimendo (in quo occasionem sumpsit omnis perditio & naturalis subuersio) cum impetu apprehendit IESVS puerum. Isto modo locutionis vsus est Euangelista *Matth.* 14. Cum Petrus esset in periculo, dicens: Extendens manum

num apprehendit Petrum, & dixit: Modicæ fidei quare dubitasti? Isto etiam modo locutionis vsus est Raphael Angelus ad Tobiam eum iam esset à pisce deuorandus, dicens: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te *Tob. 6*. Hoc igitur modo non vtens tardis rerum moliminibus (quæ nescit Spiritus sancti gratia) [Apprehendes IESVS] Saluator & adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Puerum] Ecce exemplum per omnia ea quæ sunt propria pueri. Hæc autem sunt simplicitas, humilitas, innocentia, castitas mentis & corporis, remissionis facilitas, societatis suæ æqualitas, sociorum charitas, eorum quæ habet largitas, omnibus alludens benignitas, & ea quam apud omnes intuentes habet libens gratia, teneritudinis suæ pulchritudo: & quia nihil turpe commisit, de nullo habere coram aliquo verecundiam. Quibus *Aristot. addit 1. Physic.* quod omnes viros vocant patres, & omnes fœminas matres. His addit Apostolus à seruo non differre, etiamsi sit Dominus omnium *Galat. 4*.

Hæc quatuordecim sunt puero attributa. Quia etiam pueritia vsque ad quartumdecimum annum extenditur. Et de simplicitate quidem dicitur 1. *Corinth.* 13. Cum essem paruulus, cogitabam vt paruulus, meditabar vt paruulus, sapiebam vt paruulus. 1. *Corinth.* 14 Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti sitis. 1. *Petr.* 2. Quasi modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis Deus enim diligit simplicitatem in Prælato, & odit dolum. 1. *Paral* 1. Scio Domine, quod simplicitatem diligis. De humilitate dicitur 1. *Reg.* 15 Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. *Isa. 9*. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. *Eccli.* 3. Quanto maior es, humilia te in omnibus.

De innocentia dicitur in *Psalm.* 14. Innocentes & recti adhæserunt mihi. Innocentia autem puerilis est nulli nocere, & nocumenta illata non conqueri, vel expetere. Homo enim inferens nocumenta, non Prælatus, sed tyrannus vocatur. Reseruans autem illata nocumenta (vt cum venerint ad cumulum, tandem conterat inferentem) vocatur dolosus & fraudulentus. Puer autem & nihil infert nocumentorum, & illata non reseruat ad vindictam. Et hæc innocentia vocatur mititas & mansuetudinis lenitas. *Num.* 12. Erat Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram. *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Beatus Bernardus* bonus Abbas (in pueri innocentia subiectos dirigens) in fine vitæ dixit quibusdam sibi magis familiaribus: Nunquam plus sensui meo, quam alterius credidi, læsus à lædente vindictam non expetij, nulli vnquam scandalum feci: si quando incidit prout potui sedare studui. De castitate mentis & corporis aduertendum, quod puerorum ante septennium est motus libidinis non sentire. *Tob.* 3. Nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Hoc signatum est *Daniel.* 3. vbi dicitur, quod in trium puerorum sarabaliis odor ignis non est inuentus. Saraballa enim loca protegunt libidinum, & significant mentis & corporis castitatem. Odorem autem ignis non esse in eis, est nullum sentire motum libidinis in periculum castitatis.

De remissionis facilitate dicitur *Coloss.* 3. Supportantes inuicem, & donantes siquis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam. De societatis æqualitate *Malach.* 2 Nunquid non pater vnus omnium vestrum? nunquid non vnus Deus creauit vos? Quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? *Matth.* 23. Omnes vos fratres estis.

De sociorum mutua inter pueros charitate *Hebr.* 13. Charitas fraternitatis maneat in vobis. *Ioan.* 13 In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. De hoc quod eorum quæ habet largus est, dicitur *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum libenter impertiri stude. *Iacob.* 1. Dat omnibus abundanter, & non improperat.

De omnibus alludente puerili benignitate *Col.* 3. Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem. *Tit.* 3. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei. *Ephes.* 4. Estote inuicem benigni, misericordes. De eo autem quod puer apud omnes se intuentes habet quandam libentem & placentem gratiam, dicitur *Rom.* 5. Pro bono forsitan quis audeat mori. Et ibi dicit *Gloss.* quod iustus à bono differt: quia iustus est opera habens iustitiæ: bonus autem innocentia puerili bonus est: & ille iam gratus est, quod pro ea forsitan citius aliquis morietur, quam pro iusto. *Esther.* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum. *Psalm.* 45. Diffusa est gratia in labiis tuis. Sic Beata Virgo plena gratia dicebatur; quia oculis omnium erat gratiosa.

Teneritudinis autem puerilis pulchritudo pẽdet in Prælatis ex pulchritudine virtutis *Esther* 2 Incredibilis pulchritudinis, omnium oculis erat gratiosa: cui etiam Dominus contulit splendorem, quia omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Hoc enim maxime Prælatis conuenit, sicut dicit *Psalm.* 44. Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Est etiam pueri de nullo habere verecundiam, quia nihil turpe commisit. Et in hoc primum innocentiæ statum pueri repræsentant. *Genes.* 2. Erant autem ambo nudi: Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant. *Isa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus: ideo non sum confusus. *Psalm.* 24. Deus meus in te confido, non erubescam. Frustra enim alios corripit, qui in se habet quod verecundetur.

Vocat etiam puer à principio omnes viros patres eo quod ad omnes paternum habet affectum. 2. *Mach.* 14. Razias qui pro affectu pater Iudæorum dicebatur. *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Vltima proprietas, quod cum sit Dominus omnium, non differt à seruo: ita & Prælatus coram Deo à sibi subditis differre non debet. *Galat.* 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium. *Augustinus.* Honore coram vobis Prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Sic ergo apprehendit IESVS puerum, id est Apostolorum & Prælatorum exemplum.

Dicitur

Dicitur quod hic puer fuit Beatus Martialis Lemouicensium Apostolus, & primus Episcopus. Sequitur.

Statuit eum] hoc est, firmiter collocauit, vt in æternum ab exempli ratione non moueretur: vt ad ipsum se mensurans omnis ambitiosus confunderetur. *Matth.* 18. Aduocans IESVS paruulum, statuit eum in medio, & dixit: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.

Est autem attendendum, quod tria exempla correctionis Dominus ambitiosis adhibuit: virgam Aaron quantum ad introitum & vitæ rectitudinem, Luciferum quantum ad pœnam transgredientium, puerum autem quantum ad humilitatem non alta sapientium, in gradu dignitatis constitutorum. De virga dicitur *Num.* 17. Refert virgam in tabernaculum fœderis, vt sit ibi in signum rebellium filiorum Israël. Per flores enim & frondes & fructum virgæ, Aaron in statum magnitudinis vocatus est. *Hebr.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Vocatus ergo, rectus sit iustitiæ & iudicij rectitudine, florens sit virtutis & conuersationis pulchritudine, frondens eloquij venustate, fructificans meritorum accumulatione: & dignus erit vt ad statum magnum vocetur, & inuitus trahatur. Lucifer autem datur per exemplum pœnæ ambitiosorum. *Ezech.* 28. Proieci te de monte Dei, de medio lapidum ignitorum. Et *ibidem.* De cælo in terram proieci te, ante faciem regum dedi te, &c. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? cecidisti de cælo in terram qui vulnerabas gentes? Lapides igniti vertices sunt fulgorum Angelicorum, de quibus in tenebras interiores & exteriores Lucifer proiectus est: & ante faciem regum, hoc est, ambitiosorum, regnare super alios cupientium, & in sede Dei sedere volentium, in exemplum est positus, vt homo terrenus cogitet quantis tenebris inuoluendus sit propter peccatum ambitionis: si Lucifer qui mane oriebatur præ cæteris clarior, globos suæ lucis amittens, in tantum barathrum tenebrarum proiectus est. Vnde Discipulis gloriantibus de potestate dixit Christus *Luc.* 10. Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem.

Puer in medio statutus, propter potestatis vsum super subiectos: vt non tyrannice, sed in mansuetudine: non ad vindictam iniuriæ, sed in lenitate: non in fastu gloriæ, sed in humilitate gubernet subiectos. De primo horum dicitur *Esther* 13. Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed in mansuetudine gubernare subiectos. De secundo *Leuit.* 19. Non quæras vltionem, neque memor eris iniuriæ ciuium tuorum. *Galat. vltim.* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis: considerans teipsum ne & tu tenteris. De tertio *Prouerb.* 29. Superbum sequitur egestas, humilem spiritu suscipiet gloria.

Secus se] Ecce relatio exempli ad prototypum humilitatis, qui est Christus omnium humilium humilior, & primus typus, hoc est, figura prima humilitatis [Secus se] ergo statuere paruulum, hoc est, paruuli humilitatem quantum fieri potest sibi conformare. Qui non tantum se humiliauit, sed etiam cum in forma Dei esset (qui omni præest visibili & inuisibili creaturæ) & non rapinam, sed per iustitiam naturalem se Deo æqualem arbitratur: tamen non tantum se humiliauit, sed etiam exinaniuit. Pudeat ergo hominem, non solum Deo & Angelis inferiorem, sed etiam in humanis honestatibus nullum, sed etiam bestiis per immundos actus inferiorem: alta sapere, & non humilibus consentire. *Rom.* 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die visitationis. Humilis Christus clamat *Ioan.* 10. Ego sum ostium. Per me siquis introierit, saluabitur. Stans autem in alto superbus, quomodo sine impactione intrabit per ostium tantæ humilitatis?

Et ait illis: Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicunque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

Hic in incipit informatio Apostolorum secundum exemplum ostensum. Est autem triplex informatio, quarum vna est consequens ad alteram. Vna est informatio pueri. Secunda, informatio sui. Tertia, informatio Patris mittentis formam Christi in in mundum. Dicit igitur [Quicunque] Quia sine personarum acceptione sunt dona Dei. *Act.* 10. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus. *Iacob.* 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV Christi gloriæ [susceperit puerum] secundum formæ puerilis inductionem, vt mente puerum secundum proprietates superius inductas induat. *Ephes.* 4. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Nouus autem homo est puer: quia dicit *Philosophus*, quod nouum est suo principio propinquum. Et sic est puer iuxta suum principium in omni bona proprietate. *Rom.* 13 Induimini Dominum Iesum Christum. Sic ergo suscipitur puer, quando suscipitur forma puerilis. *Psalm.* 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum & vltorem. *Genes.* 43. Ego suscipio puerum: require illum de manu mea. Sic suscipiendo puerum, fit homo conuersus, & efficitur sicut paruulus: sicut dicitur *Matth.* 18. Et quia forma hæc ad prototypum retorquenda est, ideo subiungit.

In nomine meo] Nomen à notamine dicitur. Et est sensus. Quicunque recipit puerum in nomine meo, in quo habet notamen siue notam meam, hoc est, similitudinem meam: ille, inquam [me recipit] hoc est, me induit. *Rom.* 15 Suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Hoc est quod dicitur 1. *Reg.* 2. Samuel autem ministrauit ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. Et tunicam paruam faciebat illi mater sua. Samuel enim interpretatur postulatus à Deo, in omni proprietate pueri, accinctus ephod, veste significante candorem illibatæ castitatis: cui cum hoc mater Ecclesia & gratia, diuersis virtutibus contextam fecit tunicam, humilitate puerili paruam. *Matth.* 18 Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Iste est Sadoch, qui iustus interpretatur:

terpretatur: qui (ſicut dicitur 1. *Paral.* 12.) puer egregiæ indolis, venit in auxilium Dauid. Quicunque ergo ſuſceperit ſic puerum in nomine meo, dicit Dominus, me recipit.

Et ſic duas habet informationes, vnam pueri, & alteram Chriſti. Quia autem vnus eſt totius fons boni, ad quem etiam Chriſtus refert ea quæ habet, eo quod omnia ab ipſo habet: ideo vlterius de tertia informatione ſubiungit.

Et quicunque me recipit] eo modo quo dictum eſt, mente me induendo [recipit eum] Patrem [qui me miſit] *Ioan.* 14. Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Eſt autem obiectio. Quia dicitur, quod humilitas virtutem exemplarem non habet in Deo, quamuis habeat in Chriſto homine: quia humilitas, vt dicit *Auguſt.* ſenſus eſt propriæ vacuitatis, & talis ſenſus in Deum cadere non poteſt: non ergo videtur eſſe verum, quod induat aliquis Patrem in humilitate puerili. Ad hoc autem eſt dicendum, quod ſicut fides quoad formam ſpecificam (quæ eſt cognitio per ſpeculum & ænigma) non habet aliquid in Deo, ſed in ſuo genere (quod eſt cognitio veritatis diuinæ) habet in Deo exemplar: ita humilitas prout ſenſus humi (quæ vacua eſt) non habet aliquid in Deo: ſed hæc eſt virtus humana. Prout autem eſt ſenſus ſui, quòd homo ſentiat hoc quod eſt: per hoc habet aliquid in Deo, & in angelica natura. Et ſic proportionabiliter induit humilis Deum, quando ſeipſum congnoſcit & ſentit. Et ſic recipitur Pater quando homo ſentit ſeipſum. *Geneſ.* 18. Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis, qui quidem fuit humilis in ſenſu ſuiipſius. *Eccli.* 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Pater igitur in forma humilitatis mittens Filium, induitur. quando humilis Chriſtus induitur. *Philipp.* 2. Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV. Sic Beata Virgo prius humilitate induit Chriſtum, quam ipſum carne induerit. *Luc.* 1. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Et iterum. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

Nam qui minor eſt] Hæc eſt ratio informationis inductæ: & tota pendet ex humilitatis quantitate. Q.d. Vos qui diſputatis de maioritate in regno cælorum, contendite quis veſtrum ſit humilior: nam [qui minor eſt] in oculis ſuis, & habitu humilitatis [hic maior eſt] in regno cælorũ, hoc eſt, in eccleſiaſtica & diuina dignitate. Et ſecundum hoc, qui faſtu ſuperbiæ inflatus eſt, etiamſi ſedeat in throno Chriſti, nullus eſt in regno cælorum. *Luc.* 22. Reges Gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent inter eos, benefici vocantur. Sic non erit inter vos: ſed qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut minor: & qui præceſſor, ſicut miniſtrator.

Hæc enim regula Chriſti eſt ad gratiæ receptionem, ad Chriſti imitationem, ad ordinis eccleſiaſtici promotionem, ad honoris æterni adeptionem, ad Sanctorum comparationem. Gratiam enim non recipit niſi humilis. Et maioris gratiæ receptibilis eſt, qui humilior eſt. *Iacob.* 4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: & ei quæ humillima fuit, gratiæ plenitudinem infudit, ſicut Beatæ Virgini: ſicut profundiores conchæ plures recipiunt aquas. Vnde *Ptolomæus Philoſophus.* Qui inter ſapientes eſt humilior, inter ſapientes eſt ſapientior: ſicut profundiores lacunæ, plures recipiunt aquas. In hoc etiam eſt Chriſti imitatio. *Phil.* 2. Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Hoc etiam dignum facit ad promotionem ordinis eccleſiaſtici. 1. *Reg.* 15 Cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es. 2. *Reg.* 6. Ludam & vilior fiam coram oculis Domini, qui elegit me potius quam domum patris tui Saul ſuperbi. Hoc promouet ad honorem æternum. *Luc.* 14. Recumbe in nouiſſimo loco: vt dicat tibi qui te inuitauit: Amice aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Hoc facit etiam Sanctorum comparationem *Matth.* 11. Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt eo quo maior non ſurrexit inter natos mulierum. De iſta autem materia multa notata ſunt *Matth.* 8. & *Marc.* 9. & poteſt ea reſpicere qui voluerit.

Reſpondens autem Ioannes, dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non ſequitur nobiſcum. Et ait ad illos IESVS: Nolite prohibere: qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.

Hic ordinat poteſtatem eccleſiaſticam, quantum ad eos qui in vita mala conſtituuntur in eccleſiaſtica poteſtate: de quibus credebatur, quòd poteſtatem eccleſiaſticam non haberent, propter vitæ malæ meritum: quod eſt error. Et ad excludendum illum errorem, inducitur hic iſta hiſtoria. Dicit autem hic duo. Punit enim hic Apoſtolicum errorem ex ſimplicitate cauſatum, & ex dicto præcedente: & conſtanter ponit contra errorem veram & Catholicam inſtructionem. In primo horum dicit tria: relationem facti ſecundum veritatem quod iſtius inſtructionis eſt occaſio, prohibitionem Apoſtolicam, & cauſam prohibitionis. De primo tangit Euangeliſtam referentem, & ſecundo relationem. De primo dicit.

Reſpondens autem] Et eſt mirabilis modus loquendi, quòd ille reſpondeat qui de nullo eſt interrogatus. Sed ſciendum, quod cum Chriſtus diceret humilem (qui Chriſtum induit in pueri humilitate & ſimplicitate) ſolum magnum locum in Eccleſia inter miniſtros Chriſti tenere: putabat illum à miniſterio eſſe arcendum, qui ſic in pueri humilitate non induit Chriſtum. Et ad hoc reſpondit. Et hoc eſt [Reſpondens autem Ioannes] auſu maioris familiaritatis, quia à Domino in montem fuerat ad viſionis cæleſtis reuelationẽ aſſumptus. Petrus autem tacuit: quia deſcendens de monte acriter fuit redargutus. *Matth.* 16. Vade retro ſatans, ſcandalum mihi es: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt. Vnde etiam *Ioan.* 13. Non eſt auſus interrogare Dominum: Quis eſt qui tradet te? ſed annuit Ioanni vt interrogaret. Ioannes ergo præſumens de ſibi ſæpius oſtenſa benignitate [dixit: Præceptor] Antequam faciat facti reuelationem, profitetur maieſtatem. Q.d. Præceptor es: & ideo ad te cuncta referimos, vt à te illuminationes doctrinæ accipiamus. *Pſalm.* 122. Ecce

ce ficut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. Sed tuum est præcipere & ordinare, nostrum autem obedire & obtemperare. 1. *Reg.* 3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus.

Vidimus] Ecce narratio fidelis sine detractionis accusatione, simplex boni quod potest, commemoratiua. Fidelis. quia de visa quæ non fallit: contra eos, qui debiliter audita statim referunt superioribus. Sic dicit Dominus *Genes.* 18. Descendam, & videbo vtrum clamorem opere compleuerint qui peruenit ad me. Sic cum Dominus vellet plagare Ægyptios, propter peccata quæ commiserunt in filios Israël, dixit *Exod.* 3. Videns vidi afflictionē populi mei qui est in Ægypto: & gemitum eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus. Sic ergo dicit, vidimus [quendam] non nomine dignum, quia Christum non sequebatur. *Matth.* 5. Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Sic Christus sine nomine loquens dixit *Luc.* 18. dixit IESVS ad quosdam qui de se præsumebant tanquam essent iusti, & aspernabantur cæteros. Dat autem formam, quòd quando referimus aliquid in detrimentum aliorum, bonum est ad nomina non descendere.

In nomine tuo] Ecce simplex veritas, quæ commemorationem facit boni quod potest. Dicit autem [in nomine tuo] in quo virtutem accipiunt sacramenta, & claues Ecclesiæ. *Marc. vltim.* In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. *Ioan.* 16. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et hoc est quod dicit [in nomine tuo] quia inuocatio nominis Christi facit effectum in sacramentis,& non minister. Hæc enim inuocatio, forma est Ecclesiæ: quam qui tenet in sacramentis & clauibus, siue sit malus, siue bonus: siue fidelis & orthodoxus siue hæreticus & schismaticus: consequitur effectum expulsionis dæmonum: dummodo is qui suscipit sacramentum, obicem non ponat. Si enim ille ponit obicem, tunc sacramentum consequitur in nomine inuocato, & non rem sacramenti: quam tamen rem sacramenti habebit, fictione recedente. *Ierem.* 14. Tu in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos. *Ezech.* 36. Non propter vos ego faciam filij Israël, notum sit vobis: sed propter nomen meum sanctum [eiicientem dæmonia] sicut etiam Christus dixit Iudæis. Si ergo in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? *Matth.* 12. *Luc.* 11. Et secundum quandam *Gloss.* filios Iudæorum vocauit quosdam non sequentes Christum, qui in nomine Christi dæmones eiecerunt.

Et prohibuimus eum] Ecce error Apostolicus. Non enim erant à bono opere, quod in forma Ecclesiæ fecerunt, prohibendi: sed potius de mala vita fuerunt corrigendi, in qua Christum cum Apostolis non sequebantur. *Philipp.* 1. Quid enim? dum omni modo siue per veritatem, siue per occasionem, Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim quod hoc mihi proueniet ad salutem. *Luc.* 19. Si hi tacebunt, lapides clamabunt. Ideo in *Psalm.* 18. non solum dicitur: Dies diei eructat verbum, sed etiam, quod nox nocti indicat scientiam.

Si autem obiicitur quod dicitur *Eccli.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et quod dicitur in *Psalm.* 49. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras &c. Dicendum, quod in veritate non est speciosa laus in ore peccatoris, sed tamen est vtilis & sonora. Et non est digna quod annuntiet, quod ad suam annuntiat damnationem. Sed tamen effectum habent sacramenta ministrata per ipsum, si in forma Ecclesiæ ministrentur. Et hoc est quod dicit *Apostolus* 1. *Corinth* 13. Si charitatem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: quod non percucurit nisi seipsum & consumit: & tamen vtiliter sonat omnibus aliis.

Quia non sequitur te nobiscum] Ecce causa prohibitionis. Dicit autem quod [non sequitur te nobiscum] Sed sequitur quidem te in forma eiectionis dæmonum, sed non sequitur nobiscum in conformitate morum. Sequuntur quidam formam sacramentorum, quam Christus tradidit: sed non tenent formam vitæ quam Christus Discipulis imitandam exhibuit: & ideo cum Discipulis non sequuntur. Habent enim tales sanam doctrinam, & sanam sacramentorum administrationem: sed non habent bonam vitam, & sunt mercenarij vocati *Ioan.* 10. *Matth.* 7. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine: nonne in nomine tuo prophetauimus? nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et ego confitebor illis: Quia nunquam noui vos. Discedite à me operarij iniquitatis: quia licet bene confiteamini, dicentes: Domine, Domine: tamen per malam vitam operarij estis iniquitatis.

Et ait ad illum IESVS] hoc est, ad Ioannem, formam instructionis per eum ad omnes alios referens. *Marc.* 13. Quod vni dico, omnibus dico. Dicit autem duo: instructionem, & instructionis rationem. Instructionem dicit [Nolite prohibere] *Prouerb.* 3. Noli prohibere eum qui benefacit: si potes, & ipse bene fac. Hoc significatum est *Num.* 11. vbi nuntiatum est Moysi, quod Eldad & Medad prophetant in castris, qui non fuerunt egressi coram Domino cum Moyse. Et dixit Iosue minister Moysi, & electus à pluribus: sicut & Ioannes dixit hic: Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille. Quid, inquit, æmularis pro me? Quis mihi tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Eldad atrium interpretatur, & significat eos qui atrium suum custodientes cum Christo, de carnis cura non exeunt: & tamen prophetiæ, hoc est, doctrinæ rectæ donum accipiunt. Medad autem mensura interpretatur, & significat eos qui doctrinæ verbum sub mensura auaritiæ & suæ vtilitatis ponunt, Quos verus tolerat Moyses propter doctrinæ vtilitatem: quia non minister malus, sed bonus Dominus in sacramentis operatur: & ideo non officit Ecclesiæ. Si enim exigeretur minister bonus & sanctus, sicut dicunt Manichæi hæretici, intolerabilis generaretur error inter fideles. Quia cum nemo sciat vtrum amore vel odio in hac vita dignus sit, sicut dicitur *Eccle.* 9. nemo sciret vtrum sacramenta aliquid perficerent in suscipientibus Et sic omni hora sacramenta iterare oporteret. Neque vnquam posset sciri quod dicit

cit *Isa*.1. Lauamini, mundi estote: quia nesciret vtrum aliquam in sacramentis acciperet munditiam.

Qui enim non est aduersum vos] Ratio est instructionis. Et hoc generaliter verum; quia qui in forma doctrinæ & sacramentorum non est aduersum Discipulos Christi [pro vobis est] quia confert Spiritus sancti gratiam, & generat filios Dei & Ecclesiæ: sicut & Discipuli. Et hoc significatum est *Genes*.29. vbi Iacob de semine suo filios benedictionis genuit, tam per vuluas ancillarum, quam per vuluas liberarum. Ancillæ siquidem significant ministros Ecclesiæ malæ vitæ, & bonæ existentes doctrinæ: quæ dum saluant semen liberum patriarchæ, hoc est, formam fidei in docendo, & sacramentorum administrationem: generant filios benedictionis æternæ, quamuis sint serui peccati *Ioan*.1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, neque ex aliquo quod hominis est: sed ex Deo nati sunt.

Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem.

Hic ordinat potestatem ecclesiasticam, inquantum potestas est contra malos & rebelles: contra quos in spiritu lenitatis & patientiæ oportet procedere, non in zelo vindictæ vel spiritu furoris. Diuiditur autem hæc historia in quatuor particulas, in quarum prima ostenditur, quod constanter se Dominus habuit ad præscitam Passionem, festinans præordinatum Passioni. Secundo, quam sapienter præmittens nuntios, vt pararetur ei in via. Tertio, qualiter ab ingratis beneficiis eius, non est receptus, & qua de causa. Quarto autem, qualiter Discipuli potestate contra illa dure vti volentes, à Domino sunt instructi. In prima harum partium dicit tria. Primo enim; sicut consueuit diuinam innuit præordinationem: secundo, sacramentorum completionem: tertio, Passionis suæ constans propositum, & deuotionem. De primo dicit.

Factum est autem] supple, in opere, sicut ordinatum fuit in Patris præfinitione. *Ioan*.18. Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum? quomodo ergo complebuntur Scripturæ?

Dum complerentur] hoc est, per omnia sacramenta in lege & Prophetis præfigurata, ad complementum deducerentur. *Luc*. 8. Consummabuntur omnia quæ dicta sunt de Filio hominis. *Galat*.4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant, redimeret. Sicut enim misit in mundum: ita sub lege misit, vt legis sacramenta compleret. Et deinde misit ad Passionem vt redimeret eos, & gratiæ libertate donaret: quia sub iugo legis pressi, per legem redimi non poterant [dies] hoc est, illuminationes ad omnium tenebrarum expulsionem. *Ioan*.1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Esther* 8. Iudæis noua lux oriri visa est. *Psalm*.138. Nox sicut dies illuminabitur. *Mich*.7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est [assumptionis eius] Assumptio enim hic, id quod de nostro assumpsit, & causa assumptionis. Causa enim assumptionis fuit sacramentum redemptionis cum omnibus ad hoc pertinentibus & præordinatis à Deo. Vnde *Psalm*.21. etiam intitulatur pro assumptione matutina: Deus, Deus meus, respice in me: quia agit de Passione. Hanc enim passibilitatem & Passionem Dominus de nostro assumpsit. *Psalm*.17. Misit de summo & accepit me, & assumpsit me de aquis multis: eripuit me de inimicis meis fortissimis. Dicitur autem assumptio: quia per Passionem à Patre in cælum assumptus est. *Ioan*.13. Sciens quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem [Dies] ergo, hoc est, splendores gratiæ [assumptionis] hic pro nobis assumptæ passionis [completi sunt] quia venit Pascha, quando in cruce pro nobis oblatus est Dominus.

Et ipse] Dominus [faciem suam firmauit] *Gloss. Interl.* obstinata & imperterrita mente, locum quo pati decreuerat petit. Obstinatio autem in malo poni consueuit, sed hic ponitur pro constantia. Vnde constanti & imperterrita mente semetipsum crucifixoribus præsentauit [faciem suam] in cuius immutatione deprehenditur audacia, quando non pallescit nec trepidat. *Ezech*.3. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam. *Isa* 51. Quis tu vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? 1. *Machab*.2. A verbis viri peccatoris ne timueritis: cuius gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam. Sic etiam fecit quod docuit *Matth*.10 Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Sic ergo imperterrite se loco Passionis repræsentans, faciem suam dicitur obfirmasse. Et hoc est quod sequitur.

Vt iret in Ierusalem] ad locum Passionis. *Matth*.17. & *Luc*.18. Ecce ascendimus Ierosolymam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis. Vadens enim Ierusalem, non iuit tunc nisi vt vetus pascha consummaret, & nouum initiaret sua Passione. Sicut etiam agnus paschalis primo ad locum immolationis ferebatur *Exod*.12. & postea occidebatur, & immolabatur. Et ideo *Ioan*.18. obiiciens se crucifixoribus, dixit: Ego sum. Et si me quæritis, sinite hos abire. *Psalm*.39. Dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus. Sic ergo, & hac de causa iuit in Ierusalem. *Luc*.13. Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vt perficiam illud? Sic enim in charitate, & in zelo redemptionis vrgebatur, vt firmata facie festinaret pati pro nobis. *Psalm*.68. Zelus domus tuæ comedit me.

Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi.

Agitur hic de discretione euntis, quia præmisit

nuntios

nuntios vt reciperetur: ne si personaliter abiiceretur, vilificaretur in oculis eorum qui crediturí erant in eum. Præmisit etiam nuntios, vt teneret formam doctrinæ quam tradidit *Matth.*10. In quamcunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete. Discipuli igitur præmissi quærebant, quis dignus esset in ciuitate, vt tantum reciperet hospitem. Et non inuenerunt. Vel forte verius est: quia etiam dixerat Discipulis, quod ad prædicandum non intrarent in ciuitates Samaritanorum, forte misit vt emerent, & propriis manibus pararent. Et quia, sicut dicitur *Ioan.*4. Iudæi non coutuntur Samaritanis: etiam non inuenerunt apud quem cibos emptos præpararent. Et quamuis hoc totum præsciret Dominus, tamen præmisit: vt ea euentu non receptionis, instruendi acciperet opportunitatem. Et hoc est quod dicit [Et misit nuntios] Ioannem, & Iacobum [vt pararent illi] Misit autem [ante conspectum suum] vt corda etiam excitarent ad occurrendum ir deuotione & gratitudine conspectui suo. *Luc.*10. Misit eos binos in omnem locum & gentem, quo erat ipse venturus.

Et non receperunt eum: quia facies eius erat euntis in Ierusalem.

Ecce ingratitudo. Propter contentionem enim & æmulationem, quia Samaritani contenderunt, quod in monte Samer esset adorandum, vbi Patres adorauerunt: Iudæi autem, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet, non receperunt aliquem qui pergebat in Ierusalem adorare. Et hoc est quod sequitur [quia facies eius] exterior. Prætendebat enim in habitu & gestu peregrinum euntem in Ierusalem ad adorandum. *Luc.*24. Tu solus peregrinus es in Ierusalem. *Ioan.*4. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Ierosolymis est locus vbi oportet adorare. Est autem factum Samaritanorum adhuc simile operibus hominum secularium, qui derident & abiiciunt omnes in Ierusalem cælestem euntes. *Iob* 30. Derident me iuniores tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei. Hi sunt qui abiiciunt eum, & non recipiunt Saluatorem. 1.*Corinth.*4. Tanquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. *Genes.*43. Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiusmodi conuiuium. *Genes.* 46. Detestantur Ægyptij omnes pastores ouium, hoc est, custodes animarum, vel virtutum, quæ per oues significantur. *Eccli.*13. Si communicabit lupus agno aliquando: sic peccator iusto.

Cum vidissent autem Discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?

Hic ponitur instructio Discipulorum in executione potestatis. Tanguntur autem duo: zelus indignationis Discipulorum, & instructio zelum cohibens & ordinans. Tanguntur autem tria, scilicet, zeli excitatio, zelantium nominatio, & zeli sub voluntate Domini ordinatio. De primo dicit [Cum vidissent autem Discipuli eius] Visus enim malitiæ eorum, & ingratitudinis, & inuidiæ, excitauit zelum. Zelus enim est virtus, vt dicit *Beda*, quæ qualibet mala videns, corrigit si potest: si non potest, tolerat & gemit. Acceperunt autem exemplum zelandi à Phinees *Num.*25. Phinees filius Eleazari Sacerdotis, auertit iram meam à filiis Israël: quia zelo meo commotus est contra eos. 1.*Machab.*2. Phinees dum zelat legem, accepit pactum sacerdotij sempiterni. Hac ergo de causa accensus est in zelo furor eorum.

Iacobus & Ioannes] qui filij tonitrui dicuntur: & ideo per ignem coruscare voluerunt & comminationibus intonare. Iacobus autem luctator, perfectionem sonat in actiua. Ioannes autem, in quo est gratia, perfectionem in contemplatiua vita. Ista enim duo debent esse præparantia Domino IESV. *Luc.*10. Mulier quædam Martha nomine recepit IESVM in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria.

Dixerunt] Ecce zeli sub voluntate Domini cohibitio. Tanguntur autem tria: professio auctoritatis in Domino, conformatio voluntatis cum Domino, vltio iniquitatis pro Domino. De primo dicit [Domine] *Esther* 13. Dominus vniuersorum tu es [Domine] ergo dicunt, cuius legem præterire illicitum est, & cuius omne dictum legis habet vigorem. *Isa.* 33. Dominus legifer noster.

Vis] Ecce conformatio voluntatis cum Domino. *Luc.*20. Non mea voluntas, sed tua fiat. *Matth.*26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Item idem 6. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

Dicimus] Vltionis zelus pro Domino assumptus. 3.*Reg.*19. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum [vt ignis descendat de cælo] ad modum Eliæ 4.*Reg.*1. Dixerunt autem hoc: quia potestatem quam acceperant, iam experti fuerant in operatione signorum. Et putabant maxime pro Domino hanc potestatem esse exercendam: sicut Elias fecit ab igne Dei consumi aduersarios, dicens: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Acceperant autem isti nomen à Domino quo Boanerges, hoc est, filij tonitrui dicebantur. Et ideo præ aliis sicut tonitrua reputabant se debere coruscare per ignem in Christi vltionem. *Psalm.*96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Hebr.*10. Terribilis autem est quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. *Deut.*32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Omnia igitur hæc induxerunt Apostolos, quod voluerunt vlcisci per ignem. Et præcipue quia dixerat Dominus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? *Luc.*12. Hoc enim forsitan de igne materiali Discipuli adhuc carnales intellexerunt.

Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis.

Hic tangitur Discipulorum instructio, qualiter in spiritu lenitatis & mansuetudinis oporteret

exercere potestatem ecclesiasticam & censuram, & non in furore vel liuore vindictæ. Dicit autem tria: increpationem vindictæ, instructionem ignorantiæ, & dissimulationem dispensatoriam culpæ. De increpatione dicit duo. Ex gestu enim corporis ostendit interiorem voluntatem mentis, cum dicitur [& conuersus] hoc est, conuersione corporis dure respexit Discipulos sequentes: vt ostenderet se nolle vindictam quam intendebant infligere peccatoribus. *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. *Sapient.* 1. Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis acquisierunt eam. Probauit autem Christus per hoc se esse filium Iacob, qui de filiis vltionem quærentibus dixit *Genes.* 49. In consilium eorum non veniat anima mea: maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. Probauit etiam se esse filium Dauid, qui filiis Saruiæ quærentibus vltionem facere pro eo, dixit 2. *Reg.* 19 Cur efficimini mihi hodie in satan. Ergone hodie interficietur vir in Israël?

Increpauit illos] Secundum est, in quo ponitur increpatio verborum. *Psalm.* 67. Increpa feras arundinis, hoc est, feroces & vacuos. *Iob* 5. Increpationem Domini ne reprobes. *Hebr.* 12. Quis filius quem non corripit pater? [dicens] hoc est, insipientiam eorum arguens [Nescitis] hoc est, non attenditis [cuius spiritus estis] hoc est, in cuius spiritu signati estis in discipulatum meum: ille enim est spiritus charitatis, & benignitatis, & sofferentiæ malorum. Charitatis quidem, quæ etiam pro inimicis animam ponit. *Rom.* 5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Benignitatis autem quæ bonum pro malo etiam malis impendit, vt ad pœnitentiam adducat. *Rom.* 2. An diuitias bonitatis eius, & longanimitatis contemnis? Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Sufferentiæ autem, quia sæpe sufferentia mali plus valet ad correctionem, quam vindicta. Vnde etiam Samaritani postea per mulierem & Dominum confusi, pœnitentiam egerunt *Ioan.* 4. Et qui modo recipere noluerunt ad se mittentem: tunc per se exeuntes de ciuitate, ad se vocauerunt absentem. Vnde *Gloss.* Non semper in eos qui peccant, est vindicandum: quia nonnunquam amplius prodest clementia ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique sic Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur. Vel [Nescitis cuius spiritus estis] hoc est, quod non habetis in potestate spiritum: quia spiritus sonat iram, quod in ira, naribus ampliatis, sufflatur spiritus. *Isa.* 2. Quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus eius. Et hunc sensum adiuuat interlinearis dicens: Perfecta virtus non habet studium vltionis: nec vlla iracundia, vbi charitatis est plenitudo. *Iacob.* 1. Patientia opus perfectum habeat: vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.

Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.

Tangit causam, simul & exemplum. Dicit autem [Filius hominis] quia in humanitate nostram salutem est operatus [non venit] in mundum [animas hominum] hoc est, animales vitas hominum [perdere] quibus perditis, etiam anima perderetur in gehennam [sed saluare] Ideo enim & IESVS, hoc est, Saluator, appellatur. *Ioan.* 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. *Ioan.* 17. Quos dedisti mihi custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Aliquãdo tamen in spiritualibus factis, Apostolis talem vindictam exercendi potestatem dedit: sicut Petro in Ananiam, & Saphiram vxorem eius: quia mors talium obstinatorum, viuentibus vtilem metum incussit. Et tunc zelo ædificationis & iustitiæ exercetur in tales: sicut & Dominus ait *Exod.* 22. Maleficos non patieris viuere. Isti autem Samaritani magis ex ignorantia, quam ex malitia peccauerunt. Putabant enim eos non recipi debere, qui in Ierusalem adorabant: eo quod Patriarchæ spiritu Dei præditi in monte adorauerant, & sua auctoritate locum orationi consecrauerant [Et abierunt] Ecce dissimulatio culpæ ingratitudinis ad tempus [Abierunt] ergo dissimulantes patienter [in aliud castellum] vbi sunt recepti iuxta doctrinam Domini: Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam *Matth.* 10. Dicitur tamen *Marc.* 13. quod expectabant siquis eos inuitaret: & non inuenientes, tunc demum ibant ad castellum aliud. De his tamen super *Marcum* plura dicta sunt.

Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocunque ieris.

Hic incipit pars illa, in qua agitur de sequela potestatem Christi accipientium. Introducuntur autem hic tria, quorum primum ostendit sequentium simplicitatem: secundum autem, sequentium & operis finem: tertium autem, sequentium expeditionem. Et secundum hæc tria, tres introducuntur hic historiæ. In prima harum historiarum dicit tria: quando, & vbi factum est: dolum accedentis, & duplicitatem: determinatæ responsionem eruditionis de simplicitate præcedentis. De primo dicit [Factum est autem] secundum Dei dispositionem [ambulantibus illis in via] non immediate post præmissa, sed diu ante: sicut patet *Matth.* 8. vbi eadem historia inducitur, post descensum de monte. Quia, sicut iamdudum diximus, historiæ ab Euangelistis non introducuntur secundum ordinem temporis, sed potius secundum quod faciunt ad suorum propositorum declarationem [dixit quidam ad illum] *Matth.* 8. dicitur, quod fuit vnus de Scribis qui præsumptionem habuit scientiæ.

Sequar te] Duo tangit in dicto, & vnum innuit in intentione dicendi. In dicto speciem prætendit pietatis, & fastum promittit præsumptionis. Speciem pietatis prætendit cum dicit [Sequar te] Hoc enim pietatis est, & religionis. *Matth.* 7. Veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 2. *Corinth.* 11. Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo mirum, si ministri eius transfigurantur velut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum. Isti sunt hypocritæ significati per Gabaonitas *Iosu.* 9. qui

qui vestibus vilibus & vtribus scissis atque consutis deceperunt filius Israël. Addit autem hoc, quod est fastuosæ præsumptionis, cum dicit.

Quocunque ieris] qui nec per viam viam perfectionis ducem sequi posset. *Isa.* 16. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius, & arrogantia eius, plusquam fortitudo eius. Propter hoc irrisoriè de talibus dicitur *Iob* 11. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum, Omnipotentem reperies? Perfectissima cum Deo sponsa trahi vt sequatur desiderat: & iste vento plenus, sequi promittit Deum quocunque erit. *Psalm.* 18. Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius. Et quis sequi posset sic præcurrentem? *Eccle.* 2. Quid est homo, vt sequi possit regem factorem suum?

Tertium autem quod innuitur in dicto suo, est intentio dolosa. Intentione enim lucrandi sequi voluit, vt potestatem acceptam ad miracula facienda ad lucrum conuerteret: sicut Simon *Act.* 8. qui oblato pretio dixit Apostolis: Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum. *Psalm.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odiuit, &c. *Eccli.* 1. Accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & falllacia.

Dixit illi IESVS: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.

Hic ponitur doli confutatio per Domini responsionem Et quia dolosus fuit & præsumptuosus: propter hoc vtrunque per similitudinem in eo arguit, ostendens se in neutro eorum præcedere: & ideo tales se sequi non posse. Et hoc est quod dicit contra dolum [Vulpes foueas habent] Vulpes, vt dicit *Isid.* dicitur quasi volupes, quia pedes facile in quoslibet voluit anfractus. Est etiam animal astutum, callidum, dolosum, insidiatiuum, venatiuum, in latebrosis cauernis anfractuosis habitatiuum. Et talis fuit iste in astutia accedens & calliditate, in calliditate concupiscentiæ & auaritiæ Dominum quærens, in dolo tentans, in insidiis obseruans, per lucrosum appetitum sequens, in latebrosis anfractibus se abscondere putans. De primo *Genes.* 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. *Cantic.* 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. De secundo *Osee* 7. Applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis. De dolo *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. Ideo Dominus *Luc.* 13. Herodem vocat vulpem, dicens: Dicite vulpi illi, quia ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras, & die tertia consummor. Callidæ autem vulpes sunt Samsonis, quæ igneæ sunt: comburunt segetes, quia attrahunt quicquid est fructiferum, aut lucrosum. De insidiis dicit *Psalm.* 9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. De venatione *Psalm.* 9. Insidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. *Thren.* 5. Propter montem Sion, quia disperiit: vulpes habitauerunt in eo. Habitat autem in cauernis: quia sequens lucrosum appetitum, in absconditis ambulat: nec possunt deprehendi viæ eius. *Psalm.* 62. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. *Isa.* 29. Væ qui profundi estis corde: vt à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis nos videt? Sic ergo vulpes, hoc est, volupedes in omnem dolum, sunt in hypocrisi loquentes mendacium, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius penitus abnegantes 2. *Timoth.* 3. Isti [habent foueas] hoc est, decipulas, in quas alij incidant, & sæpe cadunt in eas. *Psalm.* 51. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. *Ierem.* 18. Foderunt foueam animæ meæ. Per istam ergo similitudinem percussa est astutia dolosa istius. Sequitur.

Et volucres cæli nidos] Volucres alta petentes, sunt præsumentes & superbi: sicut iste qui ad magna Dei dona cogitauit ascendere, & magna de se præsumpsit. *Apoc.* 18. Facta est Babylon custodia omnis volucris immundæ. Dæmones enim alta petentes tales custodiunt. Istæ volucres in altis habent nidos. *Abd.* Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. Ambitiosus enim semper in altissimo nidificat, in corde suo dicens illud *Isa.* 14 Ascendam in cælum, supra astra cæli exaltabo solium meum. Ostendit autem in se nihil talium esse dicens.

Filius autem hominis] Minora de se prædicans propter humilitatem, dicit se Filium hominis qui est Dei Filius. *Rom.* 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes: formam serui prætendens qui est Dominus omnium [non habet] Simplicem prætendit paupertatem. Q. d. Nihil ego ipse potestate mea lucratus sum, quia non habet Filius hominis in humanis [vbi caput suum reclinet] quæ tamen minima quies inter necessarias quietes. Ideo natus in præsepio, caput in mutuato quieuit diuersorio: iouenis prædicans, non propria quieuit domo: Crucifixus moriens, ad caput nullo sustentatus est receptaculo: vt in omnibus verum sit quod dicitur *Ioan.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt *Ierem.* 14. Quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum. *Psalm.* 87. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem in cruce, humiliatus sum, turpatione ignominiosæ crucis, & conturbatus mulcta pœnalitatis. Natum enim sui non receperunt. Prædicans, quasi viator colonus cordium, instabilis de loco ad locum declinauit, ad diuersa deserti, & habitationis hominum loca. Moriens autem, in cruce eleuatus, & oblatus, etiam capitis caruit receptaculo: & ideo inclinato capite tradidit spiritum *Ioan.* 19. Quia nihil fuit quod nutans caput mortui retineret. Sic præcessit veritas. Per quas vias, dolus hypocrisis mendax sequi non desiderat.

Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autẽ dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.

Hic agitur de synceritate intentionis sequentium, & de fine operis eorum. Tanguntur autem hic tria. Primum est inuitatio deuoti ad sequendum. Secundum, dilatio sequelæ, ad pietatis officium explendum. Tertium est instructio simplicis,

quod non melius bonum propter minus bonum intermittendum.

Attendendum autem, quod iſte diſcipulus quem hic Dominus inuitat ad ſequendum, à quibuſdam dicitur fuiſſe Philippus Apoſtolus:qui licet *Ioan.* 1. venerit ad Dominum, & etiam alios induxerit:tamen poſtea ad propria rediens, & cognitionem Domini aſſecutus ſit, & nunc in toto ad relinquendum propria ſit vocatus: hoc tamen non eſt authenticum. Quicunque autem fuerit, conſtat quod deuotus & ſyncerus fuit, motus ex ſermone Domini in monte, & ſanctificatus. Et ideo deſiderium ſuum ad ſequendum per verbum Domini eſt præuentum. Et ideo dicit.

Ait autem ad alterum]videns eum deuotum,& ideo vocando præueniens deſiderium eius. *Pſalm.* 20. Domine præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis. *Iob* 14. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi:operi manuum tuarum porriges dexteram. Deſiderio enim cupiebat trahi. *Cantic.* 1. Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Vidit enim vnctiones ſanitatis eum in omnibus perficere infirmis: & ideo toto corde ſequi deſiderans, & humilis, ſe ad ſequendum indignum tantum Dominum reputans, expectabat deſideratam vocantis inuitationem.

Sequere me] relictis omnibus: quia tuis rebus familiaribus onerstus, ſequi me non poſſes [Sequere] quidem toto corde: non aliquam cordis tui de cætero portionem familiaribus rebus impendens. *Daniel.* 3. Nunc ſequimur te in toto corde noſtro, & timemus te, & quærimus faciem tuam [Sequere me] inquam, vitam: ne occupatus cum mortuis impediaris & moriaris. *Oſeæ* 6. Viuemus in conſpectu eius. Sciemus, ſequemurque, vt cognoſcamus Dominum [Sequere] adhuc nullo retardatus, vt præcedentem comprehendas. *Philipp.* 3. Sequor, ſiquo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum [Sequere] igitur [me] ſignanter, & non alium: non æſtum auaritiæ: ſicut dicitur *Oſeæ* 12. Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum tota die: mendacium & vaſtitatem multiplicat. Sic enim ſequi voluit ille, quem vulpi & volucribus cæli comparaui. Sed tu [me] ad ſuperna vocantem [ſequere] *Philipp.* 3. Quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor brauium ſupernæ vocationis in Chriſto IESV.

Ille autem dixit] differens obedientiam inſecutionis per occupationem officij pietatis. In hac autem dilatione dicit tria: profeſſionem fidei eius qui ſequendus eſt: petitionem indulgentiæ carnalis affectus, qui ab ipſo Creatore inditus eſt: & allegationem officij pietatis, quod à Patriarchis eſt obſeruatum, à Sanctis inſtitutum, & ab Angelis commendatum. De primo dicit.

Domine] Profitetur enim dictum, cuius iuſſioni credit obediendum eſſe. *Act.* 5. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Pſalm.* 115. O Domine, quia ego ſeruus tuus.

Permitte] hoc eſt, indulge naturæ quam feciſti. *Exod.* 20. Honora parentes. Impium videtur ſi non exhibet officium paterno funeri, ſuper quo etiam Sacerdos contaminandus *Leuit.* 20. Et ideo indulge [primum ire] Non enim tenuo obedientiam, ſed ordine charitatis differo, quæ primo ordinat ad proximos, & poſtea ad alios. *Cantic.* 2. Ordinauit in me charitatem. *Gregorius.* Per obedientiam nunquam præcipitur malum fieri: ſed nonnunquam per obedientiam bonum quod fieri poſſet, præcipitur intermitti.

Sepelire patrem meum] Hoc à Patriarcha Ioſeph eſt obſeruatum *Geneſ.* 50. Aſcendam & ſepeliam patrem meum, ac reuertar. A Sanctis eſt hoc inſtitutum *Tob* 4. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli. Hoc eſt ab Angelis commendatum *Tob.* 12. Quando reliquiſti prandium, & ſepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam. Domino enim dixit Raphaël Angelus.

Dixitque ei IESVS: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos.

Ecce ſimplicitatis inſtructio. Dicit autem duo, quorum primum eſt diſcretionis. Secundum autem, priuilegiatæ dignitatis. Id quod eſt diſcretionis, innuit tria: quorum vnum eſt, vt quod eſt vanitatis, dimittatur: etiamſi coniunctum ſit pietatis officio. Secundum autem, quod diſcretio habenda eſt in officiis pietatis. Tertium, quod id quod minus eſt,committatur vicariis: & id quod maius eſt,fiat per noſipſos. Primum innuit in hoc quod dicit.

Sine]hoc eſt,permitte. Et non permittitur niſi malum. Q.d. Solennitas ſepulturæ quam vanitas hominum ſibi ad ſolatium, non mortuis ad ſuffragium inuenit: ſinenda eſt aliis,& non à te,qui ad æterna feſtinas exercenda. Quid enim profuit diuiti purpurato ſolennis tumba,& multa deflens turba, quando ſepultus eſt in inferno in anima? hoc tamen propter triſtitiæ temperamentum ſinendum eſt. *Geneſ.* 23. Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.

Vt mortui ſepeliant mortuos ſuos] In hoc notatur diſcretio habenda in officiis pietatis. Et notantur tria diſcernenda, ſcilicet, ſepulturæ neceſſitas, ſepelientium indignitas, & ſepulti inidoneitas. Nulla enim inſtans neceſſitas ſepeliendi nobis incumbit, vbi multi alij ſunt ſe vltro offerentes ad ſepulturæ officium:ſed eſſet neceſſarium per nos fieri, ſi alij ſepelientes non inuenirentur: ſicut *Tob.* 2. dicitur, quod ſepeliuit iugulatos in platea iacentes. Secundum eſt indignitas ſepelientium,quam notat cum dicit.

Vt mortui] Et notatur quod iſti fuerunt infideles in peccatis mortui. *Iob* 36. Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos. 1. *Timoth.* 5. Quæ in deliciis eſt: viuens mortua eſt. Et cum talibus participare,viro iuſto eſt incongruum: quia quamuis aliquando pietati dent operam, tamen in modo habent vanitatem, & in fine magis attendunt ſeculi pompam quam pietatem diuinam. Tertium eſt mortui inidoneitas: & hanc notat,cum dicit.

Mortuos ſuos] Non enim diceretur eſſe mortuus eorum,hoc eſt,mortuorum, niſi eſſet omnino à Sanctorum morte ſeparatus. Sancti enim,

mortui dicuntur Dei. *Iſa.*26. Viuent mortui tui: interfecti mei reſurgent. *Apoc.*14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Iſte autem ſuus mortuorum mortuus dicitur: quia filio credente, pater in infidelitate & peccatis remanſit, & ſic vita functus eſt. *Pſalm.*145. Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. 1. *Machab.*2. Gloria viri peccatoris ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuerſus eſt in terram ſuam. Tales autem indigni ſunt ſepultura, & maxime vt viri ſancti occupentur exequiis eorum. *Iſa.*14. Quaſi cadauer putridum, non habebis cum Sanctis conſortium in ſepultura. Et patet ex hoc peccare eos, qui intra ſancta loca ſepeliunt peccatores, & multum occupantur funeribus eorum. Et ex his tertio colligitur, quando non vrget neceſſitas, hoc eſſe propter meliora dimittendum. *Leuit.*15. Docebitis filios Iſraël vt caueant immunditias, & non moriantur in ſordibus ſuis. Non enim communicandum eſt talibus.

Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

Ecce quid in intentione & operis executione principaliter eſt habendum. Sic Paulus prædicauit, & propter prædicare, baptizare intermiſit. 1. *Corinth.*1. Neminem baptizaui, niſi Criſpum & Caium. Baptizaui autem & Stephanæ domum. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare. Et hoc eſt quod dicit [Vade] proficiendo ad vicos, villas, caſtella, ciuitates. *Marc. vltim.* Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium. *Luc.*10. Ecce ego mitto vos [& annuntia] hoc eſt, ad capacitatem auditorum nuntia. *Iſa.*12. Annuntiate hoc in vniuerſa terra [regnum Dei] Hoc eſt diſtributio iuſtitiæ diuinæ pro qualitate meritorum. *Matth.*11. Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.*3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.

Et ait alter: Sequar te Domine.

Hic agitur de ſequentium expeditione. Dicuntur autem hic tria. Primo enim tangitur iſtius ad ſequendum libera & ſpontanea oblatio. Secundo autem quæſita ad ſequendum vtilis, vt ſibi videbatur, dilatio. Tertio autem ponitur differentis ſequelam inſtructio. De primo dicit [Et alter ait] alteritate animi à primo vulpino ſeparatus: quia iſte bonus, ille autem malus fuit. *Num.*14. Caleph, qui plenus eſt alio ſpiritu. A ſecundo autem alter: quia ille pietate officij inſtantis, iſte autem vtilitate rei familiaris diſtulit [Sequar te Domine] ſpontanee me offerens ad te Dominum meum ſequendum. 1. *Reg.*12. Si timueritis Dominum, & audieritis vocem eius, & ſeruieritis ei, & non exaſperaueritis ſermones eius: eritis & vos, & rex veſter qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum. Timor enim facit recedere à peccato, ne eatur per deuium. Audire autem vocem, illuminat viam ad ſequendum: quia lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis *Pſalm.*118. Seruite autem illi, facit de familia ſequente. Non exaſperate autem ſermones, conſeruat ne auertamur à ſequela: & tunc perfecte ſequimur.

Sed permitte mihi primum renuntiare his qui domi ſunt.

Ecce dilatio. Et tangit duo, quorum primum eſt humanæ infirmitatis: ſecundum autem eſt vtilitas rei familiaris. Primum notatur in hoc quod dicit [permitte me primum ire] hoc eſt, indulge quod infirmitati humanæ debetur. Hæc enim non poteſt carere ſolatiis. Et hoc eſt quod dicitur *Geneſ.*19. Eſt ciuitas ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in ea: nunquid non modica eſt, & viuet anima mea? Hæc enim ciuitas eſt rei familiaris vtilitas, in qua ſaluatur vita animalis. Et hanc iſte ſibi petit indulgeri [& renuntiare] hoc eſt, ordinare cum relictione [his qui domi ſunt] quæ ad vitæ huius ordinata ſunt neceſſitatem. Hic enim & ſequi Dominum voluit, & tamen ordinare de prouiſione futuræ neceſſitatis: vt ex ordinatione illa futuræ neceſſitati per ſuos prouideret: attendens hoc quod dicit Apoſtolus. 1. *Timoth.*5. Siquis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Voluit ergo domui ſuæ diſponere, & ſibi. *Iſa.*38. Diſpone domui tuæ. *Prouerb. vltim.* Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. Hæc enim ordinata charitas eſſe videbatur.

Ait ad illum IESVS: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.


Ecce inſtructio. *Pſalm.*118. Bonitatem, & diſciplinam doce me Domine [Nemo mittens manum ad aratrum] Attende quod Dominus per metaphoram arantis viam docet perfectionis. Iſte enim & temporalium voluit habere ſolatium, & tamen ſequi Dominum in via perfectionis, & verbi Dei prædicationis: putans eandem viam perfectis & imperfectis eſſe propoſitam. Quamuis enim infirmis hoc ſufficiat: tamen perfectis viris, & præcipue in primitiua Eccleſia hoc non fuit conceſſum, vt ſimul ſaperent ea quæ surſum ſunt, & ea quæ ſuper terram. Aratrum igitur in quo ſunt duæ ſtiuæ, vel vna: duæ quidem propter duo præcepta dilectionis Dei, & proximi. In quo etiam eſt lignum longitudinale, quod eſt ſignum rectitudinis iuſtitiæ mandatorum: & in quo eſt vomer verbi Dei, & ferrum de ſubtus cauans terram diuini timoris, datur in manu eius qui res familiares poſtpoſuit, & vtilitatibus propriis renuntiauit. Sic 3. *Reg.*19. Eliſeus in duodecim arantibus, propter duodenum Apoſtolorum numerum, vnus erat parentum pietate affectus, cum dicitur: Oro tamen, permitte mihi primum vt deoſculer patrem meum.

Dicit ergo quod ſic [mittens manum] ſolicitudinis ſuſceptæ [ad aratrum] arationis, & proceſſiones cordium: vt inſerat diuinæ gratiæ ſemen, ad merendum fidei & bonorum operum fructum: & cum vxore Lot *Geneſ.*19. [aſpiciens retro] ad rei familiaris ſolatium & ſolicitudinem [aptus eſt regno Dei] hoc eſt, regimini & operi regni Dei, hoc eſt, Eccleſiæ:

quia, ficut fupta diximus, regnum Dei ex multis conficitur, & ideo multis comparatur. 2.*Timoth*.2. Nemo militans Deo, implicat fe fecularibus negotiis: vt ei placeat, cui fe probauit. 1.*Corinth*.9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus fe abftinet. Et ideo inter omnes Apoftolos, vnus folus curam rei familiaris nimis diligens: dum vltra modum propriam vtilitatem procurare voluit, Dominum tradidit & vendidit: & feipfum tandem laqueo fufpendit *Matth*. 27. 1.*Timoth. vltim*. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem,& in laqueum diaboli. Ideo dicit *Apoftolus Philip*.3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus fum vt ftercora, vt Chriftum lucrifacerem. Hoc igitur eft, quod intendit in parabola.

FINIS PRIMÆ PARTIS.





INDEX



D. ALBERTI MAGNI, EPISCOPI RATISPONENSIS, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, ORDINIS Prædicatorum,



In Euangelium ſecundam Lucam,

LVCVLENTÆ EXPOSITIONIS SECVNDA PARS.

CAPVT X.

Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam, & in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus.

GLOSSA. Sicut in Apoſtolis forma eſt Epiſcoporum: ſic in Septuaginta duobus forma eſt presbyterorum ſecundi ordinis. Septuaginta duo mittuntur, qui totidem linguarum gentibus Euangelium prædicent: vt ſicut primum 12. Apoſtoli propter 12. tribus Iſraëlis: ita & hi ſeptuaginta duo propter exteras gentes deſtinĉtur imbuendas. Vel cum Chriſtus ſe diem, Apoſtolos vero horas huius diei nominet: vt per hunc numerum prædicantium ſignificet ſe fidem Trinitatis mundo annuntiaturum: ſicut ſol triduanum ſuæ lucis ambitum per ſeptuaginta duas horas efficere ſolet. Tangit *Gloſſ.* hoc quod dicitur *Ioan.* 11. Nonne duodecim horæ ſunt diei: Qui ambulat in die non offendit, quia lucem huius mundi videt. Lux enim huius mundi Chriſtus eſt, qui dicit *Ioan.* 8. Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Dies autem huius lucis eſt claritas doctrinæ Chriſti: horæ autẽ claritates ſunt duodecim Apoſtolorum. Duodecim autem horæ habent reſpondentes horas in nocte duodecim, quæ obſcuritatem ſignificant humanã: & ſic in die naturali perficit ſol horas vigintiquatuor: quæ vigintiquatuor per tria multiplicatæ, faciunt ſeptuagintaduas: qui eſt numerus prædicantiũ. Et ſic numerus multiplicans eſt tria, ſignificãs fidẽ Trinitatis: numerus autẽ multiplicatus eſt ſeptuagintaduo, qui eſt numerus prædicantium diſcipulorum; & numerus eorum quibus prædicatur, ſcilicet, gentium diuiſarum in ſeptuagintaduas linguas. Tot etiam conſtituit Moyſes duces populi *Num.* 11. Quibus ille mirabili facilitate, totam multitudinem ſibi commiſſam gubernaret: ita etiam Chriſtus ſecundi ordinis viros adiunxit Epiſcopis, hoc eſt, Presbyteros, quibus mediantibus in partem ſolicitudinis Epiſcoporum vocatis, facilitate optima plebes Eccleſiarum gubernarentur: ſicut in Ordinario Epiſcoporum continetur, quando conſecrantur Presbyteri. Hæc inducta ſunt propter huius libri diuiſionem, vt ſciatur de intentionibus gloſſarum eſſe extracta. Hic enim poſt perfectionem Ordinis Apoſtolici ſiue Epiſcopalis, agit de perfectione Ordinis Sacerdotalis, ſiue Presbyteralis.

Diuiditur autem hæc pars in duas partes, in quarum prima ponit omnia, quæ pertinent ad doctrinam Diſcipulorum. Quia autem per doctrinam quidam vocantur & approbantur vt electi; & quidam reiiciuntur & reprobantur vt damnandi: ideo in ſecunda parte cauſas oſtendit iuſtæ electionis, & iuſtæ reprobationis: & hæc pars incipit *Cap.* 15. Adhuc pars prior in tres diuiditur, in quarum priori docet facienda, & cauenda: in ſecunda ad obſeruationem illorum inducit exempla plurima: & hæc incipit *cap.* 13 Quia autem omnis doctrina finem habet conuerſionis ad Chriſtum: ideo *cap.* 14. docet modum conuerſionis ad ipſum. Adhuc autem prima harum in duas diuiditur: in prima enim docet facienda: & in ſecunda *cap.* 12. docet cauenda. Cum autem omnis inſtructio Chriſti ſit in ſermone, virtutem & poteſtatem habente: ideo in prima parte inducuntur duo cap. quorum primum eſt de inſtructione: ſecundum autem de virtutis & poteſtatis, in qua ſigna fiunt, origine. Iſtud autem *cap.* diuiditur in duas partes, in quarum prima ponitur

modus electionis, missionis, & informationis Discipulorum: in secunda autem relatio reuertentium, & confirmatio, & instructio eorundem. In priori istarum dicuntur tria: scilicet, modus missionis, necessitas legationis, & instructio operis. Duo autem dicit in primo: designationem mittendorum, & missionem. De designatione dicit quinque: continuationem historiæ, designationem, designantis auctoritatem, designatorum ab Apostolis distinctionem, & designatorum numerum.

De continuatione dicit [Post hæc autem] Hic post non notat ordinem temporis, sed potestatis. Post potestatem enim Episcopalem est potestas ordinis Presbyteralis: quia Presbyteri constituuntur ab Episcopis, & vocantur in partem sollicitudinis eorum; & correctio eorum spectat ad Episcopos. *Tit.*1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego tibi disposui. Hoc expressè dicitur in præfatione, quam dicit Episcopus in ordinatione Presbyterorum. Hoc igitur notat, cum dicit: Post hæc autem [designauit] hoc est, signo sanctitatis notorio expressit. *Tit.*1. Constituas Presbyteros, si quis sine crimine est. *Exod.*18. Prouide ex omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiúsque sit tibi, partito in alios onere. Et si hoc facias implebis imperium Domini, & præcepta eius poteris sustinere. *Num.*11. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum: vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradámque eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Sic ergo conuersatione sanctitatis istos designauit: hoc enim signo debet eligi Presbyter: & ideo de conuersatione Presbyteri examinatur, quando recipit ordinem, an dignus & iustus sit.

Dominus] Ecce designantis auctoritas. In Domini enim est potestate, quemlibet in ordine gradus sui collocare. *Psalm.*47. Distribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera. *Ezech.*43. Octo gradibus ascendebatur ad templum, hoc est, ordinibus ecclesiasticis Ianitorum, Exorcistarum, Lectorum, Acolythorum siue Ceroferariorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum. Ianitorum, qui introducendos introducant: Exorcistarum, qui Dæmones arceant: Lectorum, qui Prophetias ad intellectum distinguant: Ceroferariorum, qui lumen visibile & inuisibile fidelibus præferant: Subdiaconorum, qui corpori mystico in hostiis offerendis subseruiant: Diaconorum, qui Presbyteris in hostiis oblatis & populo communicandis seruiant: Presbyterorum, qui curam corporis veri & mystici agant: Episcoporum, qui medij inter Deum & populum existant. Hi omnes gradus in manu Domini sunt, ad statuendum & destituendum prout volunt: & ideo ipse est sponsus Ecclesiæ, sicut dicitur *Ioan.*3. Et omnes alij sunt Paranymphi, hoc est, sponsi custodes. *Luc.*12. Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.

Et alios] Ecce ordinis istorum ab Episcopis & Apostolis distinctio: isti enim dant Spiritum sanctum ad esse spirituale in Baptismo, & Pœnitentia, & Extrema vnctione; & Eucharistiam dant ad illius esse vegetationem. Episcopi autem dant Spiritum sanctum ad robur in confirmatione per manus impositionem, & conficiunt chrisma, per quod, vt dicit *Dionys. in Ecclesiastica hierarchia*, omnis completur sanctitas. *Act.*20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus rectores & Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo [septuaginta duos] Huius numeri ratio iam habita est: quia septies duodecim faciunt 72. Senarius autem significat perfectionem operis: duodenarius vero vniuersitatem præmiorum beatitudinis. Et sic perfectio operis ducta in perfectionem beatitudinis, complet numerum istius ecclesiastici ordinis. Sunt etiam septuaginta duæ linguæ nationum, quibus est prædicandum: & septuaginta duo duces præcesserunt in figura veteris legis. Septuaginta etiam fuit numerus annorum redemptionis captiuitatis, quibus duo adduntur, propter duo mandata dilectionis: vt septem dona Sancti Spiritus ducantur in decem mandata decalogi; & hæc omnia duobus informentur mandatis dilectionis: & per illa constituitur quilibet dignè in gradu ecclesiasticæ potestatis. *Suprà* etiam dictum est, quod in tribus diebus naturalibus septuaginta duæ horæ continentur: triginta sex horæ lucis, & triginta sex horæ tenebrarum. Vt per arma lucis expellantur opera tenebrarum nostrarum. Vt dicamus: Nox sicut dies illuminabitur; & nox illuminatio mea in deliciis meis: & huius lucis sol Christus est, horæ Apostoli vnius diei, tres dies in confessione Trinitatis vel trium in Christo substantiarum. Septuaginta duæ horæ sunt gradus septuagintaduorum Presbyterorum.

Sequitur [Et misit illos] Tangit istorum Presbyterorum missionem: & tangit quinque; legationem, modum legationis, formam, locum, & finem. Legationem auctoritatis traditæ tangit, cum dicit [Et misit illos] Non enim prædicarent & curam gregum susciperent, nisi missi. Propter quod conqueritur Dominus de quibusdam *Ierem.*23. Ego non mittebam eos, & ipsi currebant. *Ierem.*14. Non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Per se enim isti se ingerunt. *Ioan.*10. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Veniunt enim per seipsos, qui non missi veniunt. *Rom.*10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur. *Ioan.* 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *Ierem.*25. Misi ad eos omnes seruos meos Prophetas de nocte consurgens.

Binos] Ecce modus missionis. Mittit autem binos, quia sic præcessit in figura *Genes.*7. Animalia immunda bina in arcam inducta sunt. Sic isti mittunt bina immunda, hoc est, viros & mulieres, vel Iudæos & Gentiles inducunt in arcam Ecclesiæ, sicut in Petri linteum *Act.*10. vt sanctificentur. In linteo enim Petri, etiam ea quæ communia, hoc est, immunda erant, sanctificata à Deo dicuntur ex hoc quod Iudæi linteum intraoerunt, & in cœlum omnia recepta sunt. Linteum enim significabat candorem vestis baptismalis: sicut & arca

arca significat baptismum. Alia causa est secundum *Gregorium* quod binos mittit propter charitatis duo mandata. Charitas minus quam inter duos haberi non potest: quia charitas procedit semper in alterum. *Ioan.*13. In hoc cognoscent omnes quia mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Tertia causa est, vt mutuo solatio inter fideles & persecutores fouerentur. *Eccli.*4. Melius est esse duos quam vnum: habent enim solationi mutuæ societatis. *Prouerb.*18. Frater qui adiuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma.

Ante faciem suam] Ecce missionis forma. Dupliciter autem misit ante faciem: vno quidem modo, vt sic se haberent, quasi semper ante faciem suam essent. 3.*Reg.*17. Viuit Dominus, ante cuius conspectum sto. *Tob.*12. Ego sum Raphael Angelus vnus, qui in conspectu eius astamus. Ille enim bonus est Angelus, hoc est, nuntius, qui omnia agit in conspectu Dei cuncta cernentis. *Apoc.*1. A septem spiritibus qui in conspectu eius sunt. Talis enim legatus septiformi spiritu est illuminatus. Vel [ante conspectum eius] hoc est, vt præcederent cóspectum præsentiæ ipsius. *Luc.*1. Præibis ante faciem Domini parare vias eius. Et *ibidem*. Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Semper enim Dominus sicut in mundum in primo aduentu, & sicut ad iudicium in secundo aduentu: Ita & ad cor veniens, præmittit sibi viam præparantes.

In omnem ciuitatem & locum] Duo tangit: generalitatem legationis, & differentiam vocatorum. Generalitas tangitur cum dicit [in omnem] vt nemo sit excusatus. *Psalm.*18. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. *Luc.*14. Pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. *Isa* 55. Omnes sitientes venite ad aquas [ciuitatem & locum] Per hoc tangit differentiam vocatorum. Tangit autem duas differentias, quas sæpe tangunt Sancti. Vna est, quod quidam ciuilitate quadam & vrbanitate virtutum naturalium siue ciuilium disponuntur ad fidem: & illi sunt ciues ciuitatis. Quidam confusione rusticitatis aliquando cadunt in profundum vitiorum: & tunc resipiscunt & veniunt ad Dominum: & illi intelliguntur per habitatores aliorum locorum. De primis dicitur *Cantic.*3. Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. De secundis dicitur *Deuter.*32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Desertum enim est habitatio peccatoris: locus horroris est, vbi nihil est vrbanitatis: locus vastæ solitudinis est, in quo nihil est humanæ consuetudinis, sed potius mos beluinæ ferocitatis. De vtrisque dicitur *Rom.*1. Sapientibus & insipientibus debitor sum. Ita quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis euangelizare. *Psalm.*112. A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. *Malach.*1. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco nomini meo offertur oblatio munda.

Quò erat ipse venturus] Hic tangit legationis istius finem. Finis enim est præparatio ad Domini aduentum, ne veniens aliquid in nobis inueniat, quod oculos maiestatis eius offendat. *Isai.*40. Parate vias Domini: rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Isa.*62. Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides. Per portas transite, est per sensus & sensibilia exempla ad corda festinare. Præparare viam populo, est viam mandatorum prædicando ostendere, & virtutibus planam facere. Lapides eligere, est scandala & offensionum occasiones à conspectu hominum subducere. Sic enim venit Dominus. Venturus enim Dominus est per fidem in intellectum, & per deuotionem charitatis in affectum, & per gratiam in cordis habitaculum, & per virtutem in operationis effectum. De primo horum. 2.*Timoth.*1. Fides habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem quod & in te. Sic ergo Christus per fidem inhabitat, & est illius habitationis fundamentum. 1.*Corinth.* 3. Fundamentum nemo potest aliud ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. De habitatione deuotionis charitatis *Ioan.*14. Pater meus diliget eum, scilicet, diligentem me, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. De aduentu per gratiam in cordis habitaculum *Ephes.*2. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. De aduentu virtutis in operis effectum 1.*Reg.*4. Venit Deus in castra. Non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius in castris Hebræorum. Tunc enim dextera Domini facit virtutem, dextera Domini exaltabit nos, & iteratam dextera Domini facit virtutem, Primò facit virtutem, virtutes nostras roborando per virtutem collatam ab ipso: exaltat nos, hostes nostros vincendo per vitiorum expulsionem: iteratam facit virtutem, opera nostra meritoria in nobis operando. *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Sic ergo est venturus Dominus post viam præparatam a Discipulis. Et est iste fructus & finis legationis ipsorum.

Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci.

Tangitur necessitas istius missionis. Tangit ergo tria: proponit enim euidentem missionis necessitatem: inuitat ad suæ intentionis consonantiam, Discipulorum deuotam voluntatem: & deuotè secum concordantibus. vtilem imponit obedientiæ legationem. In primo horum duo facit: multam enim dicit messium abundantiam: & dicit consequenter eorum, qui ex deuotione metunt, esse nimis defectiuam paucitatem. De primo dicit [Messis quidem multa] Non in agro vno circumcisionis, sed in omni regione præputij. *Ioan.*4. Videte regiones, quoniam iam albæ sunt ad messem. Terra enim primò suscepit semen Dei in eruditione, & fide, & benedictione Patriarcharum: rigationem autem in doctrina legis & Prophetarum: augmentum pullulantium segetum in illuminatione Ioannis. Ad maturitatem autem messium deducta est in tempore reuelatæ gratiæ per Dominum: & ideo dicit *Ioan.* 4. Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Metere enim est fructus ab agris in quibus sunt præcidere: congregare autem, in horreum adducere. Agri autem sunt status circumcisionis & præputij: à quibus statibus fideles præcisi sunt: quia si plus in eis mansissent, in

toto computruissent. Horreum autem in quod congregantur, est Ecclesia. *Prou.* 3. Implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcolaria tua redundabunt. *Apocal* 14. Mitte falcem tuam & mete: quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. Quia autem seges ista à principio à patribus seminata est, à quibus notitia Dei in cordibus hominum impressa: ideo dicitur *Ioan.* 4. Quoniam alius est qui seminat, & alius qui metit. Quia illi quidem in tenebris, & longe à fructibus vitæ existentes, euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Apostoli autem & Discipuli Christi in lumine, & fructum vitæ congregantes, & in labores eorum introeuntes, venientes venerunt cum gaudio & exultatione mentis & corporis, portantes manipulos suos in Ecclesiarum receptacula in vitam æternam. Sic ergo, messis quidem multa.

Operarij autem pauci] operarij sonant messores vtiles. Operarius enim ab opere deriuatur. Opus autem propriè est ab ope dictum, quòd opem fert laboris: hoc enim opus operæ pretium; hoc est, vtile vocatur. Et sic propriè loquendo, quamuis forte mercenarij multi sunt, tamen operarij sunt pauci: quia pauci sunt qui intuitu patrisfamilias vtiliter laborent. Sic dicuntur operarij *Matth.* 20. Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Laboratorum autem, quidam sunt sapientes, & quidam stulti. Stulti, qui stulto labore consumuntur, & ad Deum non referunt labores suos. *Eccle.* 10. Labor stultorum perdet eos: quia nesciunt in vrbem pergere. Qui enim labores suos in vrbe non collocat, labores perdit: quia à prædonibus dispergantur. Labor autem sapientium in tuto collocatur vrbis æternæ, sicut dicitur 2. *Timot.* 1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est Depositum meum seruare in illum diem. Operarius autem propriè loquendo semper sapiens est, nisi abusiuè, & ab ope mala carnis operarius vocetur. *Eccle.* 19. Operarius ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica, paulatim decidet. Operarius ergo bonus, vigil est ad solicitudinem, instans ad operis expletionem; circunspectus ad impedimentorum summotionem; prudens ad operis vtilitatem; fidelis ad fructuum congregationem; sapiens ad commissorum rationem.

De primo dicitur *Matth.* 24. Vigilate: quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. De secundo *Eccle.* 9. Quodcunque valet manus tua instanter operare: quia neque ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quò tu properas. De tertio intelligitur quod dicitur *Nee.* 4. Quòd vices & vigilias agebant ad operandum die ac nocte: vna manu tenentes gladios, & alia facientes opus; vt amouerent impedimenta. De prudentia dicitur simul & fidelitate *Matth.* 24. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? De sapientia dicitur *Eccles.* 34. Si est tibi seruus sensatus, sit tibi quasi anima tua. Tales ergo operarios dicit Dominus esse paucos: multi quidem otio resoluti, multi ad operandum pigri, multi mercenarij indeuoti. De otiosis *Matth.* 20. Quid hic statis tota die otiosi. De pigris *Prou.* 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. De mercenariis *Ioan.* 10. Mercenarius fugit, quia mercenarius est. Quærit enim illo lucrum; & vbi potest subterfugit laborem. Operarij ergo veri & boni sunt pauci: & tamen illi soli sunt Discipuli Domini & Apostolici.

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Secundum est, in quo monet vt voluntati eius consonet humanus affectus. Dicit autem quinque: primum deuotio ad opus, secundum est auctoritas super eos in quibus est operandum, tertium est positio in opere, quartum dispositio benè operantis, quintum materia operis. Deuotio intelligitur per hoc quod dicit [rogate ergo] quod enim aliquis rogat, deuotè expostulat. Rogandus ergo est Dominus, vt nos ponat in opere: & deuotè expostulandus; vt nos in suam ponat agriculturam: & lætandum est in tam vtili labore. *Isa* 9. Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe. *Psal.* 125. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. In hoc autem notatur & bonitas Domini, & qualitas meriti, quod est in conuersione animarum. Bonitas Domini: quia cum nullo bono nostro indigeat, rogat vt rogetur, vt ad nos mittat eos, qui de nostra conuersione nos alloquantur. Qualitas autem meriti: quia nullum adeo gratum Deo impenditur obsequium, sicut est conuersio animarum. Propter hoc enim & de cælis descendit, & homo factus est, & multa sustinere & mori dignatus est, & omnia facere quæcunque fecit. De primo dicit *Psal.* 117. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Hæc enim summa bonitas est, quod misericordiam fecit, mittendo eos qui nos de fide & conuersione illuminarent. *Thr.* 3. Misericordia Domini quod non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius. Quia si hoc non esset, nos sicut alij peccantes in ignorantia Dei in peccatis nostris mortui essemus. *Isa.* 1. Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus. De gratitudine huius meriti patet: quia remunerans hoc meritum, in iubilo cordis exclamat. *Matth.* 25. Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Dominum messis] secundum, ex quo vobis super messem datur operis auctoritas. Dominus enim, vt dicit *Dionysius*, omnium pulchrorum & bonorum perfectam & omnimodam dicit possessionem. Propter quod & Moyses, cum auctoritatem suam super filios Israël ostenderet, dixit *Exod.* 4. & 5. Hæc dicit Dominus: dimitte populum meum. *Ruth* 2. Ager ille in quo Ruth collegit spicas, habuit Dominum nomine Booz. Ager messium mundus est, in quo fidelis anima colligit victum gratiæ sacramentalis: huius Dominus, Booz (in quo est fortitudo) vocatur: qui messores habuit, quos in agrum metendum misit, sicut *Ibid.* legitur. Sic ergo in hoc quod dicit [Dominum messis] auctoritas operis intelligitur.

Vt mittat] ecce positio in opere. Mittere enim est ponere in opere. Et hoc est, quod sub alia metaphora dicit *Matth.* 20. Ite in vineam meam: & quod iustum fuerit, dabo vobis. *Isa.* 37. In anno tertio seminate & metite. Annus primus fuit na- [illegible] turalis.

turalis legis in Patriarchis: annus secundus, annus legis scriptæ sub legislatore & Prophetis: annus tertius, annus gratiæ sub Christo & Apostolis in quo seminatur in spiritu, & metitur vita æterna. *Galat.6.* Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. In hoc tempore rogatur Dominus, vt mittat messores in agrum suum.

Operarios] ecce qualitas merentium, qui non ore tantum dicant, sed operarij sint, opus exhibentes in exemplum. *Prouerb.13.* Anima operantium impinguabitur. *Iob 36.* Operatorem meum probabo iustum. *Iac.1.* Factor operis beatus in facto suo erit.

In messem suam] ecce operis materia. Messis enim Domini est, qua anima fidelis per gratiam hic, & in futuro per gloriam, colligitur in horreum Domini, hoc est, receptaculum gratiæ vel gloriæ. *Matth.13.* Tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate per fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum.

Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Ecce missio. Tangit autem tria: missorum profectum, missorum officium, & missorum periculum. Missorum profectum tangit, cùm dicit [ite] hoc est, non sedendo marcescite, sed eundo proficite. *Prouerb.6.* Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis. *Ezech.1.* Animalia ibant in similitudinem fulgoris coruscantis. *Iob 38.* Nunquid emittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi: adsumus? Hoc est, quod mittit Discipulos voce prædicationis tonantes, & signis & virtutum exemplis coruscantes. *Marc. vlt.* Ite in orbem vniuersum.

Ecce ego mitto vos] quatuor tangit in officio legationis: quod sit demonstrabilis & aperta, quod sit diuina, quod sit fidelis, quod sit talis nuntij cuius virtus sit approbata. Demonstrabilis & aperta intelligitur per demonstrationem aduerbij. *Ioan. 18.* Ego palam locutus sum mundo, & in abscondito locutus sum nihil. *Luc.12.* Non est occultum quod non reueletur, neque absconditum quod non sciatur. Diuinam autem ostendit per hoc quod dicit [ego] qui Deus sum, cui Pater omnem dedit potestatem. *Matth.vlt.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Ideo dicit *Apostolus 2. Corinth.5.* Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Et ideo dicit *Galat.1.* Paulus non ab hominibus, neque per hominem. Et post aliqua subdit: neque enim ab homine didici Euangelium, sed per reuelationem Iesu Christi [mitto] ecce officium nuntij siue legati. *Abd.* Legatus ad gẽtes missus est. Nuntius autem fidelis debet esse in commisso sibi nuntio, & iniuncto ministerio. Ideo dicitur *Matth.10.* & *Luc.6.* Quod elegit duodecim, quos & Apostolos, id est, nuntios nominauit. Hi autem nuntij propter fidelitatem testes vocantur. *Act.1.* Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. *Isa.44.* Vere vos estis testes mei. Ideo dicta eorum vocantur testimonia. *Psal.18.* Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis [vos] signanter quos elegi ex omnibus, vt virtute priuilegiata præditos: quo eloquentia & sapientia & virtute operum & signorum totum illuminetis & moneatis mundum. Et hoc significatum est *Iud. 7.* Vbi viri Gedeonis complosis laguneulis & micantibus lampadibus & sonantibus tubis, clamantes: Gladius Domini & Gedeonis, in fugam conuerterunt castra Madian. Complodere lagunculas, est corpora castigare vel martyrio exponere: lampadibus coruscare, signa & exempla virtutum ostendere: tuba sonare, vocem prædicationis auditam facere: gladius Domini, verbum est Dei & Gedeonis ducis fidelium, hoc est, Christi. Sic ergo [ecce ego mitto vos]

Tangit autem missorum periculum, cum dicit [sicut agnos inter lupos] & tangit tria: primum est missorum qualitas: secundum est missorum positio: tertium qualitas eorum ad quos mittuntur. Missorum qualitas significatur per agnos. Hi enim simplices sunt & humiles, mansueti & vtiles. Simplices, sicut dicitur *Matth.10.* Estote simplices sicut columbæ. Agnus enim sacrificium iuge, & holocaustum cata mane oblatum, & cata vespere: sicut dicitur *Exod.29.* & *Ezech.46.* In omni enim sancto ab origine mũdi seipsum offerente vel occiso pro Christo, cata mane oblatus est Christus agnus, & cata vespere oblatus est in seipso, & in omnibus post se & pro se oblatis: siue sancti seipsos obtulerint per pœnitentiam, siue occisi sint. *Apocal.13.* Agnus qui occisus est ab origine mundi. *Matth. 23.* Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Sic igitur quicunque pro Deo offert corpus suum passioni, siue à seipso illatæ, siue ab altero inflictæ, & non patitur vt latro vel homicida: ille offert se in ignem deuotionis & charitatis; & innocens, quia pro Deo facit. Quamuis fortè peccauerit, tamen peccatum non est causa suæ passionis, sed Deus. Et ille non nisi iuge Dei sacrificium; & est innocens & immaculatus agnus, Christo pro Christo in fide & charitate oblatus: & innocens, quia sanguis agni facit innocentes quantum ad immunitatem pœnæ. Sic enim sanguine agni postes domorum, hoc est, sensus nostri liniuntur *Exod.12.* Sicut etiam (vt *ibidem* dicitur) agnus in omnibus castris Israël offertur. Sic quotidie in oblatione agni nouum Pascha celebratur. Sic legitimum sempiternum fit de oblatione agni in cunctis cognationibus fidelium. Sic ergo omnes suos Christus misit, mittit, & mittet vsque in finem seculi, sicut agnos. *Matth.* autem 10. Apostolos dixit oues; qui quasi veruece, duces gregis missi sunt.

Sed septuagintaduos Discipulos inferioris ordinis existentes, mittit vt agnos paruos & humiles: qui sicut dicitur *Apoc.16.* sunt agni nouelli à veruecibus generati per Rachelis (quæ ouis interpretatur) vterum, hoc est, Ecclesiæ: cuius matrix est sapientia diuina, quia in statu inferiori humiliter sub tantis ducibus pascuntur. De qua humilitate dicitur *Exod.12.* Erit enim masculus agniculus sine macula. Quia sicut dicitur *Malach.1.* Maledictus est qui habet in grege suo masculum, & offert Domino debile. Perfectum enim est masculus, qui virilem habet sensum & affectum, non concupiscentiæ somentum vt fœmina. Mansueti etiam sunt ex natura agni, sicut dicit *Ierem.11.* Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad vi-

ctimam. 1. *Petr.* 2. Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniuste. *Isa.* 53. Sicut ouis ad occisionem ducetur: & quasi agnus coram se tondente obmutescet, & non aperiet os suum.

Vtilitas autem maxima, cuius vellus decentissimum contexit habitum, cuius pellis fouet calorem suauissimum, cuius viscera dulcissimum reddunt sonum, cuius carnes optimum præstant nutrimentum, cuius fimus pinguissimam reddit humum, cuius nomen naturalis agnitionis ad matrem docet sacramentum. Ex vellere quidem contexitur virtutum omnium habitus, de quo *Prouerb. vltim.* dicitur, quod mater sapientia, quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Et ideo subinfertur, quod non timebit domui suæ (hoc est, familiæ) à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus, scilicet, innocentiæ & castitatis candore, quod operatur de lino fortis mulier: & habitu omnium virtutum contexto de lana agni cui nulla defuit virtus, pellibus etiam sanctarum conuersationum omnia nuda protexit. Sicut sub alia metaphora de hœdo dicitur *Genes.* 27. Viscera autem fidibus seruiunt, dulcissimum sonum reddentibus, quando omnia interiora nostra in viscera misericordiæ extenduntur, & delectatione laudis diuinæ tanguntur. Sic enim dicit *Psal.* 102. Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Carnes autem nutriunt in vegetationem sancti Spiritus, & vnionem membrorum corporis veri & mystici nostri Saluatoris ad æternæ vitæ vigorem. *Ioan.* 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in illo. Cum autem Christus in nobis manet, Spiritus eius nos inspirat & viuificat: sicut dicitur *Prouerb.* 1. En ego profero vobis Spiritum meum. Fimus autem agni sunt ea quæ fimant, recordatio & remissio peccatorum quæ pinguem faciunt pinguedine deuotionis animam, & gratiarum actionis de remissione: sicut dicit *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum in gratiarum actione. Nominis autem sacramentum est, quod agnus ab agnoscendo dicitur: quia cum multa millia ouium in grege sunt, quilibet agnus suam matrem agnoscit, & in illa nequaquam decipi poterit. Et sic fidelis matrem agnoscit Ecclesiam, & nequaquam mammas sugit alienæ, hoc est, schismaticorum seu hæreticorum. Scilicet ad sanctæ matris Ecclesiæ conuertitur mammarum suctionem, dicens: Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. *Cant.* 1. In his proprietatibus Christus suos mittit quasi agnos.

Lupi autem sunt malignorum hominum persecutores & persecutiones. Dicit enim *Chrysost.* quod in talibus non natura attendenda est, sed proprietas. Et ideo proprietatem lupi habens, lupus vocatur. Et proprietatem ferens leonis, vocatur leo. Sic est de vrso & leopardo, cane & simia, & omnibus aliis. Quia quodlibet animalium feritatem quidem beluinam habet vnam: homo autem corruptus omnes suscipit, & in hoc omnibus feris est ferocior, & omnibus animalibus animalior, & omnibus irrationabilibus turpior, vt dicit *Chrysost.* De talibus lupis dicitur *Ioan.* 10. Lupus rapit & dispergit oues.

Tangit autem hic quædam *gloss.* quinque lupi proprietates: vna quarum est, quod nocte circumit insidiana, quod dormiente cane & absente pastore ouile subintrat: secunda est quod rigidi corporis existens, se facile flectere non potest: tertia quod proprio fertur impetu, plus impetum sequens quam sagacitatem: quarta est (quæ est secundum vulgi opinionem) quod lupus prius videns hominem aufert vocem, & inducit raucedinem, ita quod inclamari non potest; visus autem prius ab homine ooo aufert, sed acuit, & inclamatur: quinta proprietas est, quod lupus insidiatur semper vitalibus, & maximè gutturi animalium; quia ibi fortius stringit, & citius interimit. His proprietatibus addimus quatuor: quarum vna est, quod lupus naturales cum ouibus habet inimicitias: huius signum, quod non rapit de ouibus ad sufficientiam, sed opportunitatem accipiens & facultatem, totum gregē interficit antequam comedat: & aliquando si non est famelicus, omnibus interfectis de nulla comedens recedit. Aliud signum est (quod *Ioratb Philosophus* dicit) quod os lupi ligatum super os ouis, consumit ipsum. Tertium signum est (vt *idem Philosophus* dicit) quod instrumento organico ex fidibus composito, si fidis vna lupi ponatur inter fides ouinas, ouinæ non sonant in conspectu fidis lupinæ. Secunda proprietas, quod lupus est animal multæ famis propter acutum calorem naturalem. Tertia proprietas est, quod est animal recordatiuum iniuriarum: & huius signum est, vt dicit *Aristot.* quia intendit in eum qui sibi nocuit, & omnibus aliis neglectis, si facultatem habeat, tantum nocet illi vel plus, quam accepit nocumenti ab ipso. Quarta est proprietas, quod est animal cadaueris thesaurizatiuum: & ideo superflua sibi suffodit in terram, vt opportuno tempore accipiat. Hæc est etiam causa, quod sicut canis reuertitur ad vomitum, iterato se de vomitu ingurgitans.

Sic igitur lupi sunt persecutores & tyranni, omnibus his proprietatibus lupi existentes. Latebris enim ignorantiæ & malitiæ nocte ouilia Ecclesiarum circumeunt, captantes absentiam vel negligentiam Pastorum, hoc est, custodum Ecclesiæ: & silentium canum, siue somnim, hoc est, Prædicatorum Ecclesiæ. Et hoc est quod dicitur *Ierem.* 5. Percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos. *Sophon.* 3. Iudices eius lupi vesperè, non relinquebant in mane. Siue enim hæreticus, siue tyrannus sit oppressor fidelium, semper est vespertinus & obseruat caliginem, vel cordis quæ est caligo interior, vel exterioris occultationis, in qua perficiat (dissimulantibus Prælatis & Prædicatoribus) hoc quod concipit. Quia etiam Pastores aliquando interficiunt, aliquando autem in exilium mittunt, oues tunc non contradicente aliquo deuorantes. Rigiditas etiam lupi, rigiditatem & inflexibilitatem significat malitiæ hæreticorum seu tyrannorum, quæ implacabilis est, & non miseretur: & hoc est quod dicitur *Ezech.* 22. Principes eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectando lucra. Hi lupi impetu feruntur, non ratione: & ideo pro ratione eis est impetuosa voluntas. *Habac.* 1. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis. Leuiter enim mouentur secundum impetum, & veloces ad futuris sui nocumentum.

Et

Et si auderem dicere secundum has proprietates, illi qui Pastores & Episcopi & Prælati Ecclesiarum dicuntur, sic lupinos mores induerunt: isti sunt quos lupi inruentes sic absque voce fecerunt, quod potius eum lupis vlulant ad nocumenta piorum, quam lupos inclamant, omnes enim mores & actus luporum induerunt: & hoc est significatum *Genes.* 49. Benjamin lupus rapax mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia. Benjamin enim qui (filius dexteræ) Prælatus esse deberet, factus est lupus rapax in Dei populum. Mane surgens in stipendiis Ecclesiarum, comedit prędam ouium: & in vespere mortis eorum, etiam accipit id quod apud Ecclesiasticos vocatur mortuarium, siue pro mortuo legatum, vel pro eo oblatum. Et sic, & id quod mane oblatum est tollit; & quod vespere offertur, diuidit. Isti sunt qui semper vitalibus & maxime gutturibus insidiantur: quia malis exemplis & dentibus suarum comminationum iam sic strinxerunt guttura ouium, quod non est qui dicere audeat: Cur ita facis? Et ideo lupus princeps luporum gloriatur, & dicit *Isa.* 10. Sicut colliguntur oua, sic vniuersam terram ego congregaui: & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret. Hi sunt qui naturales cum ouibus Christi habent inimicitias nec per mortem placandas, quas vndique vastant, & posteris suis & reliquiis mandant vastandas: nec dulcis sonus orationum vel laudis diuinæ sonat in conspectu eorum. Quod Dauid plangit in *Psal.* 136. dicens: Dixerunt: exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. Et præmisit: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Isti sunt qui semper fame insatiabili oues deuorant, & dentes exacuunt in oues deuorandas: sicut lamentabiliter conqueritur *Psal.* 43. Dedisti nos tanquam oues escarum: & in gentibus dispersisti nos. Oues enim escarum sunt, in quas ad edendum lupini dentes exacuuntur. *Mich.* 3. Violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum: qui comedunt carnem populi mei, & pelles eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt. Exteriora enim eorum & interiora diripiunt, & dura roboris eorum, & infirma mollia ad solatium pertinentia deuorant, fame insatiabili cupiditatis. Et scribunt, quod hoc sit ius eorum. Isti sunt, qui beneficiorum immemores non recordantur nisi iniuriarum: & trabem faciunt de festuca, paruas iniurias aggrauātes, & in vindicta pauperes exossantes. Vnde per Holofernem significantur, de quo scriptum est *Iudith* 3. quod cum omnia sibi offerrentur, & res, & corpora, & cum choris & tympanis sibi occurreretur, & diceretur: Veni nobis pacificus Dominus, & læti seruiemus tibi: quod omnia ista facientes non poterant mitigare ferocitatem pectoris eius. Isti sunt qui cadauera thesaurizant, & ad vomitum conuertuntur: quia quidquid de funere vnius relinquitur, statim rapit alius. Et si aliquis aliquando compunctus de multis beneficiis, aliquod dimittit in infirmitate vomens superfluum: statim vel ab eodem cum sanus efficitur, iterum voratur: vel ab alio, id quod iste vomuit, turpius ingurgitatur. 2. *Pet.* 2. Canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti. Vorax enim cadauerum animal lupus est, & canis vna & eadem proprietate. Isti ergo sunt lupi ad quos agni mittuntur.

Est autem aliud speciale luporum genus, quod Dominus in Euangelio prodidit ex oue & lupo compositum, extra in pelle figurans ouem, & intus habens lupum rapacem: & illud est genus hypocritarum, & hæreticorum. 2. *Timot.* 3. Habentes quidem speciem pietatis; virtutem autem eius penitus abnegantes. *Matth.* 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos, hoc est, ab his quæ per simulationem fructificare intendunt. Hi enim pietate quadam se ingerunt in pastorale officium, vt sicut vetueces sint duces gregum: & statim fructu dignitatis precepto, grassantur in oues, & plus mites persequuntur quàm veri tyranni. Dicit autem [sicut agnos inter lupos] notans quandam missorum positionem in intermedium luporum: vnde *Matth.* 10. dicitur: In medio luporum: vt nusquam sit effugium nisi vnum, quod scilicet agni capiant lupos, vt exuant eos lupinam naturam, & induant eos ouinam: vt iam non oues pabulum habeant, sed cum ouibus ad caulas Ecclesiæ veniant, pabulo ouium in virore sanctarum virtutum pabulati. *Isa.* 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: leo & bos simul morabuntur. Hoc autem fieri non potest, nisi per carmen incantans lupum, quod est verbum Dei vtiliter propositum, & efficaciter adimpletum. *Isa.* 65. Lupus & agnus pascentur simul. Aliter autem fiet quod dicitur *Eccl.* 13. Sicut communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Per gratiam autem Dei, agni primitiui captos lupos, duxerunt ad ouilia Ecclesiæ. Nunc autem peccatis nostris exigentibus, agni non solum capti sunt à lupis; sed agni in peiores lupos sunt conuersi, & deuorant agnos & oues & hœdos, qui ex lupis in agnos fuerant iamdudum mutati. Sic ergo mitto vos sicut agnos inter lupos.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.

Hic incipit informare ad vitam eos quos mittit ad prædicationem; sicut fecit mittendo Apostolos. Habet autem duas partes, in quarum prima itinerantes & prædicantes informat de expedientibus ad itineris necessaria: in secunda conferens suam auctoritatem, dicit quod auditur & recipitur in ipsis, & spernitur in eisdem. Adhuc in prima duo facit secundum duplex necessarium itineranti: dicit enim qualiter se habeant ad recipientes, & qualiter ad non recipientes. In primo horum duo facit: amputat enim solicitudinem impedimentorum, & concedit vsum necessariorum. Quatuor autem amputat impedientia itinerantis prædicationem: quorum tria sunt in his, quæ pertinent ad commodum corporis: quartum autem est occupatio amicitiæ secularis. Tria autem quæ pertinent ad superfluam solicitudinem corporis diuiduntur. Quia quædam pertinent ad totum corpus: quædam autem ad membrum, quod specialiter laborat in itinerando. Ad totum autem corpus pertinentia sunt duo: vnum quod secundum valorem commutabile in quodlibet, corpori necessarium est, & hoc est sacculus pecuniæ: & aliud quod est de necessitate corporis secundum vsum præsentis vitæ animalis, & hoc est

pera vel vter cum esculento vel poculento. Quorum omnium superflua solicitudo interdicta est: vsus autem necessitati debitus est concessus. Et hæc omnia iam in præmissis sunt exposita:& ideo hic non est multum immorandum.

Dicit igitur [nolite portare] vosipsos implendo, sacco onerantes: ne per hoc minus expediti ad iter efficiamini [neque sacculum] pecuniæ receptaculum: sacculum enim pecuniæ secum fert, qui more quæstuarij verbum prædicationis ad lucrum refert. *Prouerb.*7. Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus. Sic ergo sacculus non est portandus: vnde *Marc.* 6. dicitur: Neque in zonis æs ligarent. Qui enim student marsupiis implendis, non purè pronuntiant verbum Dei sed per occasionem. *Sap.* 15. Æstimabant lusum esse vitam hominis,& conuersationem compositam esse ad lucrum,& oportere vndecunque & ex malo acquirere. Isti sunt Pastores in lupos conuersi, de quibus dicitur *Zach.* 11. Qui pascebant pecora, venundabant ea dicentes: Benedictus Dominus, diuites enim facti sumus: & non parcebant eis. Sic ergo non est portandus sacculus.

Neque peram] supple, portetis: vt pera sit receptaculum esculenti vel poculenti, quam peram portant qui propter victum & vestitum prædicant, ex verbo ventrem suum implentes. *Roman. vltim.* Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Hi sunt, qui post crapulam nocturnam prædicant de ieiuniis. *Phil.*3. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Et tales sunt hodie multi Prædicatores, qui in exitibus suis ad prædicandum plus student ad peram pro ventre, quam instantiæ sermonis Domini & lucro animarum. Quod contradicit *Apostolus Hebr.* 12. Nequis fornicator aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. hoc est, ius primogenituræ, quod est benedictio spiritualium bonorum. Vnde *gloss. Ambros.* Tanta Prædicatori debet esse fiducia in Deo: vt præsentis vitæ sumptus etsi non præuideat, sibi tamen certissimè non defuturos sciat: ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. Vnde *Psalm.* 36. Iunior fui, etenim senui,& non vidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem. Hoc autem maxime verum est, quando primitiui erant Prædicatores, quando doctrina Christiana erat noua, quando maximæ perfectionis exempla & ante hoc tempus inuisa oportuit ostendere eos qui noua prædicabant. Præcipuè tamen ista vera sunt, quando ad filios Israël mittebantur, quibus præceptum fuit de peregrinis suscipiendis: & maximè de his, qui more Prophetarum studebant ad docendum populum viam salutis: quia illi decimam quandam apud se habebant repositam, quæ talibus peregrinis & aduenis pauperibus debebatur: & hoc etiam à Iudæis obseruabatur, quamdiu non fuit odiosa doctrina Christi. Et hoc fuit in prima missione Apostolorum, & in prima missione inferioris ordinis Discipulorum de qua Dominus hic loquitur: & ideo istis postea conditionibus & qualitatibus temporum & personarum & locorum non existentibus, Apostoli & Discipuli ad ista non tenebantur: sicut superius & in *Matth.*10. notatum est à nobis.

Sequitur [neque calceamenta] Solus *Marcus* dicit: calceati pedes sandaliis. Et secundum veritatem quidem interdicitur superflua solicitudo calceamentorum, quibus illa gens potius studebat ad decorem quam ad necessitatem: terra enim illa calida propter necessitatem non magno indiguit studio calceorum, & ideo totum studium gens illa conuertit in calceamenti decorem: vnde *Isa.*3. Vbi Dominus loquitur de pœna peccati eorum, dicit: In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum. Et *infra.* Vbi specialia ornamenta auferenda enumerat: Dicit etiam periscelides auferendas. Periscelides autem sunt ornamenta talorum, sicut dextralia sunt ornamenta brachiorum. *Iudith* etiam 15. cum capere vellet Holosernem decore suo, inter alios ornatus calceauit pedes suos sandaliis, *Iudith* 10. Et inde est, quod laudata secundum sensum literæ filia Pharaonis regis in *Canticis*, propter decorem calceamentorum laudatur *Cant.* 7. Vbi dicitur: Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis! Vsus enim calceorum in his qui non itinerabantur fuit, ne pes puluere sordidaretur: sicut innuit *gloss. Isa.*3. Et non fuit contra frigus, nisi raro & parum. Et ideo magnum studium habebant in pulchritudine calceorum, quod interdicit. In his autem qui pedites itinerabantur vsus fuit calceorum, ne pedes duritia viæ subtriti attererentur & deficerent. Et ideo secundum *Marcum* in loco illo soleæ sine decore concessæ sunt, & solicitudo in cura calceamentorum interdicta: quæ tamen longius postea itinerantibus sunt concessa. Vnde *Act.*12. dixit Angelus ad Petrum: Calcea te caligas tuas. Et *Exod.*12. dicitur, quod manducantes carnes agni parati ad iter longum calceamenta tenere debent in pedibus. Dicit autem *Augustinus in libro de Hæresibus:* quod occasione verborum istorum,& præcipuè propter hoc, quod dicitur *Exod.* 3. Ne appropies huc, sed exue calceos tuos. Locus enim in quo stas terra sancta est. Dixerunt quod discipulus Christi esse non potest, qui non est discalceatus: & isti Hæretici vocantur discalceati: quia non intelligentes scripturas, sectas sibi nouas confinxerunt, nomen accipientes Discalceatorum: quod secundum legem improperij & confusionis nomen est in populo Dei. In isto ergo, quem diximus sensu; intelligendum est quod dicitur [neque calceamenta] Sed etiam secundum ciuilitates hominum & mores, inhonestum est denudare pedes, & nudos digitos pedum sic mulieribus ostendere, & occasio est turpitudinis quam dicere non oportet.

Et neminem per viam salutaueritis] Ecce interdicit hoc quod secundum consuetudinem illius gentis fuit singularis amicitiæ: magnis enim & frequentibus consueuerunt occupari salutationibus, sicut legitur. 4. *Reg.*10. Fratres Ochoziæ regis sumus, & descedimus ad salutandum filios regis,& filios reginæ. *Act.*25. Cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. Vnde & & Dominus *Matth.*23. arguit Scribas & Pharisæos, quod amabant salutationes in foro. *Luc.*11. Diligitis primas cathedras in synagogis,& salutationes,

tiones in foro. 3. *Reg.* 19. Dixit Eliseus ad Eliam: oro vt osculer primum patrem meum. Et sic ex multis scripturarum locis accipitur, quod in solemnitate salutationum gens illa multum occupabatur. Et hanc solemnitatem, itinerantes in prædicatione detinentem, interdicit Dominus: non tamen prohibet eulogium salutationis, quo præcipit salutare domum, hoc est familiam domus in quam intrauerint *Matth.* 10. & *Luc.* 10. Quo etiam sancti vsi sunt, sicut patet in omnibus Apostoli epistolis. Et quod aliqui dicunt non esse salutandos: quia sicut dicitur 3. *canonica Ioannis*: Qui dixerit peccatori, Aue, communicat operibus eius infructuosis: nihil est, quia hoc intelligitur non de malis, sed de excommunicatis & apostatis. Si enim omnes malos vitare debuissent discipuli, in primo nulli penitus communicassent nisi sibi: quia omnes alij fuerunt infideles. Et ideo exponendum est istud per modum qui dictus est. Omnia enim impedientia cursum prædicationis interdicit quantum humana permittit fragilitas, vt expediti sint ad prædicandum.

In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt.

Hic agitur de necessario hospitij in receptione prædicandum. Hoc autem habet duos paragraphos, in quorum primo tangit, quid omni hospitio conferre debeant prædicantes: in secundo autem tangit de hospitij immobilitate, & quid debeant petere ab hospitio recipientibus. In primo dicuntur duo: quorum vnum est, quid domui offerant recipienti: in secundo autem ostenditur, quibus oblatum prodest, & quibus non prodest. De primo dicit [in quamcunque domum intraueritis] hoc est, in quamcunque familiam intraueritis ad hospitandum. Intratur autem in familiam, quando sermo prædicantis capitur in familia per fidem, & prædicans per hospitij receptionem: de qua receptione dicitur *Ioan.* 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. *Sap.* 8. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius; nec tædium conuictus illius [primum dicite] hoc est, illos qui sunt de familia domus, beneficiis præuenite. *Rom.* 12. Honore inuicem præuenientes. *Psal.* 20. Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Prædicator enim, ad modum & similitudinem Dei, omnes in beneficiis & eulogio salutationis debet præuenire. 1. *Ioan.* 4. In hoc apparuit charitas Dei, non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos [pax huic domui] hoc est, pax sit vel fiat huic domui à Deo, hoc est, huic familiæ. Pax enim est, quæ est tranquillitas ex remissione peccatorum & reconciliatione ad Deum: ex hoc quod cessat impugnatio, qua homo impugnatur hic & in futuro propter peccata. Et hæc est vera pax, de qua dicitur *Luc.* 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Isa.* 9. Dicitur de mediatore huius pacis: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Hoc enim nomen prætendit pacifici, de quo *ibidem* dicitur paulo ante: vocabitur Pater futuri seculi, princeps pacis. *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua. Hanc igitur pacem (modò Angelorum de cælo venientium) primum euangelizant domui recipienti.

Et si ibi] tangit quibus prodest euangelizatio pacis, & quibus non [& si ibi] hoc est in domo illa [fuerit filius pacis] hoc est, informatus à pace, sicut filius informatur à patre. Talis enim filius est hæres pacis, qui fructus eiusdem pacis hæreditabit: & est filius æternæ Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur. *Galat.* 4. Illa quæ sursum est Ierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Tales autem filij pacis sunt, qui verbum pacis sibi prædicatum, ad fidem & operationem percipiunt; de quibus dicitur *Isa.* 60. Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. *Psal.* 147. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te [requiescet super eum pax vestra] non impugnata manens requiescet, sicut dicitur *Isa.* 26. Dabis pacem nobis: pacem, quoniam in te sperauimus. Hæc autem pax, requies cordis in tranquillitate appetitus: quæ non habetur nisi ab his, qui Deum receperunt in veritatis illuminatione, & charitatis & dulcedinis diuinæ adeptione: quia illi soli habent desiderium suum, sicut dicitur *Prouerb.* 10. Desiderium suum iustis dabitur. Super eos autem dicitur pax ista requiescere: quia excellit intellectum & affectum sanctorum ista pacis tranquillitas. *Philipp.* 4. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Isti tales Euangelistæ *Genes.* 8. Significantur per columbam reuolantem ad arcam Ecclesiæ, & ad mansiunculas eius, hoc est, ad domos & familias Ecclesiæ: portantem ramum virentis oliuæ in signum pacis & reconciliationis in ore suo. Sic duces legislatoris nostri veri Moysi, omni nationi (quam gladio verbi Dei impugnare volunt) primum pacem offerunt, sicut præcipitur *Deut.* 20. [Sin autem] hoc est, si non autem: hoc est, si non fuerit ibi aliquis pace verbi formatus, vel formandus [reuertetur] pax vestra, hoc est, fructus pacis optatæ & oblatæ [ad vos] & reseruabitur vobis ad meritum & coronam. Sic enim ciues Apostolorum Presbyteri veniunt ad vos, portantes pacem, & illuminantes patriam, dare pacem gentibus, & liberare populum Dei. *Psalm.* 75. In pace factus est locus eius. Sic cælestis Ierusalem (visio pacis) ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum: quia hæc est causa pacis, quæ non amplius variatur per desideria: sed participat in gratia id, quod semper est idipsum & nunquam sui generat fastidium. Sic sciet Iob dolens quod pacem habeat tabernaculum suum *Iob* 5.

In eadem autem domo] ecce docet seruare inuiolabilis iura hospitij. Dicit autem tria; præceptum, prohibitionem, & profectum quem domui debent exhibere. Circa præceptum hospitij duo dicit: immobilitatem hospitij, & vsum exhibitorum siue oblatorum ad vitæ necessaria si sunt operarij salutis. De primo dicit [in eadem autem domo manete] eadem dico, in qua sunt filij pacis, & non alia. Filij autem pacis sunt dupliciter: re, & spe. Re quidem tunc pauci fuerunt: spe autem filij

pacis

pacis ſunt & fuerunt , qui in deſperatis operibus obſtinata mente non manſerunt. Apud illos enim manendum eſt : quia illi ædificantur ad fidem, quamdiu de ſalute eorum non deſperatur [manete autem] dicit : quia diſcurrens, vagus eſt , & non inuenitur ad ſalutis conſilium. Adhuc autem, inſtabilis corpore, vanitatem & inſtabilitatem oſtendit in mente. Tertio etiam diſcurrens per domos, delectabilia & vana colligit domorum , & proſequitur voluntates concupiſcibilium. De primo dicitur *Ierem.* 14. Populus hîc dilexit mouere pedes ſuos,& non quieuit, & Domino non placuit. De ſecundo *Ierem.* 2. Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt. De tertio *Prou.* 6. Homo apoſtata, vir inutilis, annuit oculis , terit pede, digito loquitur. *Prou.* 7. Quietis impatiens , neque valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Et de his quidem ante hoc capitulum in iſto eodem opere, & *Matth.* 10. plura alia dicta ſunt.

Edentes] dat vſum neceſſariorum oblatorum his , qui ſunt operarij ſalutis. Dicit autem duo: vſum videlicet , & cauſam conceſſi vſus. De vſu dicit [edentes & bibentes] ſecundum duos naturales appetitus , concedit duplicem vſum neceſſitatis : quorum vnus eſt naturalis appetitus reficientia ſubſtantiam corporis , & ille eſt appetitus eſculenti : & alius eſt appetitus continuationem præſtantis corpori & fluxum per membra , & ille eſt appetitus poculenti. Quia cibus efficitur membrum ſimile ſecundum ſubſtantiam, quando plene conuerſus; & eſt potentia membrum ſimile quando ſumitur, antequam conuertatur : & ideo appetitus naturalis eſt in illum. Potus autem continuat membra , commixtus cibo vnito : & antequam vniatur , dat ei fluere ſua humiditate & currere per membra: vt vniatur eiſdem : quia humidum in ſe interminabile & ad aliud fluens vt terminetur: iſta duo facit. Et hæc duo deſiderat omne animatum, & ſine his conſiſtere non valet. *Cant.* 5. Comedite amici , & bibite. Et ideo horum duorum abundantiam promittit *Prouerb.* 3. Implebuntur horrea tua ſaturitate , & vino torcularia tua redundabunt. Potus enim qui eſt reparatiuus humidi naturalis , calidus eſt & ſecundum actum humidus; quamuis potentia ſit ſiccus : quia ſi eſſet & potentia humidus , paralyſim induceret & membrorum diſſolutionem. Vnde *Geneſ.* 27. Iacob patri ſuo Iſaac obtulit cibos : quos cum oblatos comediſſet , obtulit ei etiam & vinum. *Paulus* etiam 1. *Timot.* 5. dixit: Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

Sic ergo dicit [edentes & bibentes quæ apud illos ſunt] dupliciter ſunt enim apud illos: vel quæ habent : vel quæ ſecundum ſuas facultates facilè comparantur , quæ neceſſitati vel infirmitati debentur prædicantium. Vnde etiam apud Dominum fuit quod ſecundum facultates ſibi miniſtrantium facile comparari poterat. *Ioan.* 4. Diſcipuli eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent. Aliquando enim apud hoſpitem intra domum non inuenitur quod competit infirmitati prædicantis: quamuis inueniatur quod competit neceſſitati ſi ſanus eſſet. Et tunc non eſt inconueniens petere quod infirmitas exigit : quod tamen apud illos eſt ſecundum facultates ſuas. Sed nunquam exigendum eſt quod libido expoſtulat voluptatis: quia aliter maledictio Domini incurreretur *Mat.* 23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ , qui comeditis domos viduarum, lógas orationes orantes. *Iac.* 4. Malè petitis vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. 2. *Petr.* 2. Voluptatem exiſtimantes diei delicias, coinquinationis & maculæ : deliciis affluentes , in conuiuiis ſuis luxuriantes. Sic ergo comedentes & bibentes quæ apud illos ſunt habita , vel ſecundum ſuas facultates ſine diſpendio magno habenda : quia talia etiam ſecundum facultatem apud illos ſunt.

Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum.

Cauſam dicit quaſi licenter edant & bibant & tangit tria hîc valde attendenda : ſcilicet, quomodo dignus ſit, quia opere: quo dignus ſit, quia mercede: & quod hæc merces quam accipit , ſua facta ſit & non miniſtrata de alieno. Quomodo autem dignus ſit, eſt, quia eſt operarius ſecundum ſuperius habitam operarij explanationem. Si enim opus ſuum opere præſtat ſalutis, ipſe opere dignus ſit: aliter autem poteſtatem non habet accipiendi. 1. *Corinth.* 9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Quaſi dicat non eſt magnum : quia eſt debitum. *Galat.* vlt. Communicet autem is qui catechizatur verbo , ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Mercede autem dignus eſt : merces autem dicitur meriti æs, quod debetur pro merito. In merito autem virtutis duo ſunt : laboris effectus, qui eſt circa proximum: & virtutis & gratiæ forma in opere, quæ eſt ad Deum. Et quoad primum debetur ei cibus & ſuſtentatio à proximo : quoad ſecundum debetur ei remuneratio à Deo. Et hoc eſt quod dicitur. 1. *Timot.* 5. Qui bene præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur. 2. *Timot.* 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. *Matth.* 10. Dignus eſt operarius cibo ſuo. Dicit autem [mercede ſua] quam opere & labore ſuam effecit: aliter enim peti non poteſt aliquo iure.

Et ex hoc accipitur quod qui non exhibet opus Eccleſiaſticum in prædicatione & correctione ſubditorum & officiis Eccleſiaſticis, nullum habet ius in facultatibus Eccleſiarum. *Matth.* 20. Tolle quod tuum eſt, & vade. Quod videlicet portando pondus diei & æſtus, tuum effeciſti. Hinc eſt quod dicit *Pſal.* 80. Sumite pſalmum & date tympanum. *Gloſſ.* Tympanum eſt ſuſtentatio temporalium : Pſalmus, oblatio ſpiritualium. Nec bene & licite accipit tympanum , qui non exhibet pſalmum. Sic enim noſtra efficiuntur ea quæ ſunt Eccleſiarum. 1. *Corinth.* 9. *Deut.* 25. Non alligabis os boui trituranti. Et ſicut exponit *ibidem Apoſtolus.* Nunquid de bobus cura eſt Deo ? Scilicet, propter Prædicatores hoc dicit docens quomodo debent qui Euangelium nuntiant de Euangelio viuere : Euangelizando enim, cibum & potum & alia neceſſaria quæ ſunt apud eos quibus euangelizant , faciunt ſua. *Matth.* 6. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie , hoc eſt , quem noſtrum quotidiano labore & merito fecimus: aliter enim à Patre cæleſti ſuum, & non noſtrum panem petere doceremur. Sic igitur dignus eſt operarius mercede ſua.

Nolite tranſire] ecce prohibitio: hæc enim omnis

nis

nis lex continet, scilicet, præceptum & prohibitionem: sicut patet in legis diffinitione quam in fine primi Rhetoricæ dat *Tullius*. Lex est ius scriptum, asciscens honestum, prohibensque contrarium. In prohibitione autem ista dicit duo: prohibet enim inhonestum, & concedit licitum. Inhonestum prohibet cum dicit [nolite transire de domo in domum] penetrantes enim domos in stabiles sunt, & vanitati & concupiscentiæ seruientes. *Eccli*.29. Vita nequam hospitandi de domo in domum: & vbi hospitabitur, non fiducialiter aget. *Prou*. 25. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. Tamen sicut diximus in antehabitis: si grauis est hospitalitas vni, debet agere Discipulus Dei missus, vt fiat contributio ab aliis: sicut fecit Paulus & alij Discipuli. *Philipp*. 4. Nulla mecum Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. Quando enim dignus hospes inuenitur: non est nisi leuitas vel turpitudo in causa, quare Christi Discipulus hospitatur apud alium. Sic continuus hospes in Creta Discipulorum fuit Carpus, vt dicit *Dionys*. Sic Apostolorum hospes fuit Iason, vt dicitur *Act*.17. Fiebat tamen aliquando contributio ab aliis, sicut iam diximus. Aliquando etiam laborabant Discipuli manibus, expensas hospitum per hoc alleuiantes. 2.*Thess*.3. Non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.

Hic concedit licitum, & de hoc dat facultatem. Tangit autem duo: à quibus accipienda sunt necessaria sumptuum, & quæ sunt quæ pertinent ad sumptus. De primo dicit [In quamcunque ciuitatem] Non tangit hic villas & castella: quia ad ciuitates pertinent, & ideo sub ciuitatibus comprehenduntur. *Cantic*.3. Surgam & circuibo ciuitatem: quæram quem diligit anima mea. Ciuitas enim est vnio ciuium, in qua ciuilitatis est studium sub vno iure, eadem libertate gaudentium: & ad huius præsidia pertinent castella: & ad necessitates alias pertinent pagi, rura, & villæ: & ad habitationem artificum pertinent suburbana. Sic secundum litteralem sensum dicitur in *Psalm*.121. quod Ierusalem ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum. Primo ergo prædicatores missi intrauerunt ciuitates, vt per consequens veritas fidei ad castella & oppida & villas & rura & pagos deriuaretur. *Isa*.2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem [intraueritis] ad prædicandum: sicut Ionas intrauit in Niniuen, voce præconis Dei prædicans. Sic dicitur *Prouerb*.1. quod sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. Primus enim Prædicator intrare debet per salutis verbum: quia ille est speculator. *Isa*.21. Pone speculatorem: & quodcunque viderit annuntiet. Sequitur [Et susceperint vos] Suscipitur autem Prædicator primo quando verbum eius suscipitur: & talem cordis apertionem ad verbum vocat Apostolus apertionem ostij 2.*Corinth*.2. Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino: non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum. Post hanc apertionem aperitur etiam domus ad suscipiendum Prædicatorem in procurationem. *Apoc*.3. Ecce ego sto ad ostium & pulso: siquis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Sic *Matth*.25. dicit Dominus: Hospes fui, & suscepistis me. *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Manducate & bibite] conuenientia naturæ & labori & infirmitati [quæ apponuntur vobis] quia illa vestra fecistis per laborem & vtilitatem prædicationis: sicut iam ante dictum est. 1.*Corint*.10. Omne quod in macello venit, manducate: nihil interrogantes propter conscientiam. 1.*Timoth*.4. Omnis creatura Dei bona: & nihil immundum quod cum gratiarum actione accipitur. Tamen in ista missione nihil erat opus interrogare: quia non mittebantur nisi ad filios Israël, in quorum domibus nihil erat commune & immundum, & apud quos erant semper decimæ separatæ quæ talibus pauperibus & peregrinis offerebantur. Et ideo dicit [quæ apponuntur vobis] Illa enim erant oblata quæ offerenda & apponenda erant pauperibus, maximè verbum Dei annuntiantibus.

Et curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

Duo dicit à Discipulis rependenda suscipientibus: vnum in effectu operis, alterum in virtute sermonis. In effectu operis est quod dicit [& curate infirmos] Non totius patriæ, sed quæ in ea sunt domo vel ciuitate quæ susceperit vos: alij enim infirmi indigni sunt curatione. Infirmos autem dicit non tam corpore quam mente, vt totus homo sanetur. *Iacob*.*vlt*. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum. Semper enim in talibus ab infirmitate animi incipiendum est: vt cessante causa infirmitatis (quæ frequenter peccatum est) cesset etiam in corpore infirmitas. Dicit enim *Gregor*. quod nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. *Psalm*.102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Et dicite illis] Ecce quales esse debent in virtute sermonis [appropinquauit in vos regnum Dei] Duo tangit: appropinquationem, & declarat hoc quod appropinquauit. Appropinquauit autem quadrupliciter: scilicet, per temporis impletionem, per gratiæ operationem, per debiti solutionem, per contrarij regni solutionem & destructionem. De temporis impletione *Galat*.4. Quando venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum. *Isa*.49. Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. 2.*Corinth*.6. Ecce nunc tempus accepta

acceptabile, ecce nunc dies salutis: nemini dantes vllam offensionem. De gratię operatione in operis regni. *Ioan.* 1. Gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est. *Psalm.* 83. Misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus. *Rom.* 1. Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. De debiti solutione dicitur *Genes.* 31. Ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat à me exigebas. *Psalm.* 129. Copiosa apud eum redemptio. De contrarij regni solutione, quod erat regnum mortis & Diaboli, dicitur *Hebr.* 11. Sancti per fidem vicerunt regna operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. *Matth.* 12. *Luc.* 11. Alligabit fortem, & omnia vasa eius distribuet in quibus confidebat. Antiquato enim statu peccati & regni eius, quem lex non soluebat: venit regnum Christi, & destruxit statum regni peccati. Quia sicut *Hebr.* 8. dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem veterascit & senescit, prope interitum est. Sic ergo appropinquauit regnum Dei.

Tria sunt de regno Dei: substantia quæ consistit in decore iustitiæ, virtus quæ consistit in potestate gratiæ, & opus quod consistit in conuersationis honestate: sicut in antehabitis ostendimus. Et hæc tria appropinquauerunt: iam enim sicut dicitur *Isa.* 33. Regem Christum in decore suo videmus regnantem. *Psalm.* 92. Dominus regnauit, decorem indutus est. Iam vincit virtus eius in potestatis plenitudine. *Matth. vltim.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et ideo dicitur *Matth.* 11. quod regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud. De conuersationis honestate *Philip.* 3. Nostra conuersatio in cælis est. *Ideo. Apoc.* 7. dicuntur stare in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. In his enim consistit omne bonum regni. Dicit tamen *Gloss. interl.* quæ magistralis est, quod regnum cælorum est, vel Christus, vel vita æterna, vel scriptura. Christus autem dicitur regnum cælorum sicut causa: vita æterna (quæ est in omni gloria iustitiæ) est regnum cælorum futurum per substantiam: Scriptura autem siue mysterium Scripturarum est regnum cælorum per analogiam, quia docet & indicat regnum cælorum. De primo dicitur. 1. *Corinth.* 15. Cum tradiderit regnum Deo & Patri. *Psalm.* 144. Regnum tuum, regnum omnium seculorum. De secundo *Matt.* 6. Adueniat regnum tuum. De tertio *Matth.* 21. Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. *Ibi gloss.* exponit de regno Scripturarum: quia Scriptura regit docendo regnum. Quodlibet istorum est regnum Dei: & effectiuè & materialiter & formaliter & finaliter dictum. Effectiuè: quia Deus est causa efficiens. Materialiter: quia ipse est materia de qua est regnandum, & in qua regnant qui regnant. Formaliter: quia splendor Dei est forma regni ipsius. Finaliter: quia propter ipsum & ad ipsum regnat, quicunque regnat: & ab ipso, & de ipso, & in ipso, & ad ipsum fit omne beatitudinis & iustitiæ regnũ. Ideo dicitur. 1. *Tim.* 1 Regi autẽ seculorũ immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria. Ideo *Apoc.* 19. dicitur, quod habet in vestimẽto & in femore suo scriptum: Rex regũ, & Dominus dominantiũ. Sic dicitur *Matt.* 3. & 4. Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum,

In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos. exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.

Agit hic de non recipientium conuictione & condemnatione: & hoc vniuersaliter, & particulariter in exemplis specialibus. Vniuersaliter autem dupliciter, scilicet, de conuictione & condemnatione. De conuictione autem dupliciter determinat: per signum scilicet frustrati in eis laboris prædicantium, & per testimonium annuntiati in eis verbi veritatis. In primo facit duo: exaggerat culpam contemnentium, & subiungit conuictionem prædicantium. De exaggeratione culpæ dicit duo: diligentiam eorum qui verbum prædicant, & contemptum eorum qui non recipiunt. De primo dicit [In quamcunque autem ciuitatem] vel rura & alia loca ad ciuitatem attinentia [intraueritis] non subtrahendo vos quo minus eis annuntietis consilium Dei. *Act.* 20. Mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei [& non susceperint vos] hoc est, non receperint sermonem vestrum: quia hoc est prædicatorem recipere, quod est verbum Dei recipere. Sicut ante diximus *Luc.* 9. Non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. *Prouerb.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. *Matth.* 25. Hospes fui, & non recepistis me.

Exeuntes] Tangit conuictionem in indicio per signum frustrati laboris [exeuntes] à domibus vel ciuitatibus eorum. *Zach.* 2. O, ô fugite de terra Aquilonis. *Apoc.* 18. Exite de illa popule meus. *Num.* 16. Recedite de tabernaculis hominum impiorum [in plateas eius, dicite] Platea dicitur à Græco Platon, quod est latum, hoc est, latitudine theatri, quo omnes vel plures conueniunt. *Ps.* 54. Non defecit de plateis eius vsura & dolus [Etiam puluerem pedum] Puluis pedum significat magnum iter, & significat fatigationem prædicantium ex assumpto in eos officio & zelo prædicationis [qui adhæsit nobis] ex fatigatione [de ciuitate vestra] vel domo pro qua sic fatigati sumus [extergimus] excutientes [in vos] vt sit testimonium conuictionis contra vos, qui nobis non subterfugientibus laborem veniendi ad vos credere noluistis: & ideo condemnabimini merito vestræ obstinationis, non negligentia subtractæ prædicationis. *Ioan.* 15. Si non venissem & locutus fuissem eis: peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Aliæ expositiones duæ mysticæ superius positæ sunt, quas non oportet hic iterare; ista enim expositio quæ hic posita est, literalis est.

Tamen hoc scitote quia appropinquauit regnum Dei.

Ecce quales debent esse in verbo veritatis in testimonium conuictionis illorum. Dicit ergo [Tamen] quamuis non recipiatis [hoc scitote] per verbum veritatis annuntiatæ [quia appropinquauit regnum Dei] quod premet malos & rebelles, & remunerabit bonos & fideles. 2. *Corinth.* 5.

Omnes

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit. Vnde sensus est: non semper regnabitis vos: sed regnum iustitiæ Dei prope est. Iam ventilabrum habet in manu, & permundabit aream suam: & vos qui estis palea, comburet igne inextinguibili: triticum autem, hoc est, bonos colliget in horreum suum. Iam securis ad radicem arboris posita est: & vos qui estis infructuosæ arbores, exeidemini & in ignem mittemini *Luc.* 3. Hoc enim regno fiet quod dicit *Psal.* 2. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos. Hoc etiam regno fiet quod dicitur 1. *Corinth.* 15. Oportet ipsum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. Et hæc omnia facta sunt populo synagogæ, qui repulit verbum Discipulorum. *Osea* 3. Dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine sacrificio, & sine principe, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.

Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi ciuitati.

Hic tangitur condemnatio in generali. Dicit autem duo: confirmationem dicti, & condemnationem. Confirmationem tangit cum dicit [dico vobis] in cuius dicto veritas est. 2. *Corinth.* 1. Non est in illo, Est & Non: sed est in illo, Est. *Matth.* 24. Verba mea non transibunt [quia Sodomis in illa die] iudicij [remissius erit] quoad condemnationem pœnæ [quam illi ciuitati] vel domui scientet & ex contemptu verbum repellenti. Cuius contrarium videtur esse verum: quia *Isa.* 27. In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit, iudicabis eam: ergo mensura pœnæ erit contra mensuram culpæ. Culpa autem Sodomorum in peccato sodomitico maior est, quam culpa repulsionis verbi Dei: ergo pœna Sodomorum maior est, quam pœna verbum repellentium. Responsio. Dicendum, quod sicut dicit *Glossa* Non fit comparatio peccati ad peccatum in substantia peccatorum, sed potius fit comparatio circumstantiæ ad circumstantiam. Quia Sodomam ad pœnitentiam inuitauit Loth: Iudæam autem ad pœnitentiam inuitauerunt Prophetæ, & Apostoli, & Discipuli & præcipue Christus: & ideo maior est contemptus Iudææ in hoc quod maiores se ad pœnitentiam hortantes contempsit. *Gloss.* Sodomitæ etiamsi in vitiis exardebant, & inhospitales erant: tamen apud illos nulli tales hospites erant, quales apud Iudæos fuerunt Prophetæ, & Apostoli reperti sunt. Loth inter eos etsi iustus, non tamen aliquid docuit, nulla signa fecit: & ideo cui multum donatum est, multum ab eo requiritur: & potentes potenter tormenta patientur. *Sapient.* 6. *Ezech.* 16. Viuo ego dicit Dominus: quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu & filiæ tuæ. Et *ibidem*. Vicisti sorores tuas sceleribus tuis, & iustificasti eas in omnibus abominationibus tuis.

Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quam vobis. Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata, vsque ad infernum demergeris. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui me spernit, spernit eum qui misit me.

Hic tangit condemnationem in speciali. Diuiditur autem hæc pars in duas, in quarum prima sub nomine & specie trium ciuitatum confirmat hanc condemnationem: in secunda autem generaliter quasi à simili concludit de condemnatione omnium Discipulos contemnentium. In prima harum duo sunt. Primo enim inducit condemnationem duarum ciuitatum simul, & similiter peccantium: secundo autem inducit vnam ciuitatem præ aliis quæ condemnabitur: eo quod præ aliis excellentias signorum suorum prædicationum susceperit, & non se correxit. In prima harum partium dicit duo. Primo enim interminatur maledictionem: & secundo per comparationem exaggerat culpam. Dicit ergo [væ tibi Corozaim] quæ est quædam ciuitas Galilææ, & interpretatur mysterium, vel secretum mihi [væ tibi Bethsaida] quæ est alia ciuitas Galilææ, & interpretatur domus frugum, vel domus venatorum. Sunt autem duæ ciuitates, in quibus Dominus plura signa cum Discipulis suis fecit. Et etiam à Bethsaida gloriosiores inter alios multos Discipulos vocauit: Andream, scilicet, & Petrum, & Philippum. *Ioan.* 1. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Est ergo sensus [væ tibi Corozaim] hoc est, interminatio æternæ damnationis tibi imminet [væ tibi Bethsaida] hoc est, æternæ damnationis maledictio te apprehendet. Et diuisim dicit de vtraque: quia licet in genere simile sit peccatum vtriusque, tamen in quantitate & specie diuisa erant peccata ciuitatum illarum. *Galat.* 5. Vnusquisque onus suum portabit. *Matt.* 13. Colligite primum zizania per fasciculos ad comburendum. Sic igitur imminet vobis maledictio.

Corozaim] autem significat eos qui per scientiam multum de mysteriis Dei cognouerunt: quia scientia aggrauat peccatum & contemptum. 2. *Petr.* 2. Melius erat illis viam veritatis non agnoscere: quam post agnitam retroire ab eo, quod traditum est illis sancto mandato. *Iaco.* 4. Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. *Luc.* 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, vapulabit multis [Bethsaida] autem nomine & re significat eos qui multa temporalia à Domino receperunt in diuitiis, & potestate, & honore: qui secundum ea quæ venati sunt etiam condemnabuntur. *Amos* 6. Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël. Transite in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum occisionis: & appropinquatis solio iniquitatis: Quasi dicat: væ vobis diuitibus & potentibus in Ecclesia, quorum termini possessionum & prædiorum latiores sunt omnibus terminis aliorum: & ideo separati estis in diem occisionis, separatas præ aliis pœnas expectantes: quia solio iniquitatis appropinquastis.

Et hæc duo competere videntur Religiosis & Clericis in Ecclesia. Sequitur exaggeratio culpæ per comparationem.

Quia si in Tyro] quæ est ciuitas Gentilium, & interpretatur angustia [& Sidone] quæ est prouincia Gentilium, in qua sita est Tyrus. Quæ prouincia & ciuitas olim fuerunt amicæ Dauid & Salomonis: & postea euangelizantibus Christi Discipulis, deuote fidem receperunt: sicut dicit *Gloss.* [factæ fuissent] à Dauid & Salomone [virtutes] signorum & exemplorum [quæ in vobis factæ sunt] per me & Discipulos meos. *Ioan.* 15. Si signa non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum [olim] tempore Dauid & Salomonis [in cilicio] quod asperitate punctionis ad memoriam reducit compunctionem peccatorum [& cinere] qui ad mentem reuocat mortalitatis humilitatem. *Eccli.* 10. Quid superbis terra & cinis? *Genes.* 3. Puluis es, & in puluerem ibis [sedentes] in pœnitentia quiescentes & morantes: quia quies debet esse peccatori pœnitentia. *Genes.* 4. Peccasti, quiesce. *Isa.* 1. Quiescite agere peruersè, discite bene facere. Moram autem dicit ipsa pœnitentia, quæ quasi pœnæ tenentia vocatur [pœniterent] hoc est, pœnam voluntariam pro peccato tenerent: & punirent in se ipsos quod se dolerent commisisse. *Ierem.* 4. Accingite vos ciliciis, & plangite, & vlulate: quia non est auersa ira furoris Domini à vobis. *Ierem.* 6. Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos.

Si autem quæratur, quare Dominus prædicauit, & Discipulos prædicare fecit non credituris: & non prædicauit, nec prædicari fecit credituris? Dicit *Gloss.* Quod nouit ille qui omnia nouit. Tamen dicendum, quod quamuis non tunc prædicari fecerit, tamen postea prædicari iussit: quia ordo ille obseruandus fuit, vt primum filiis Israël prædicaretur: & illis repellentibus verbum fidei, postea Prædicatores ad Gentes credituras conuerterentur. *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes. Si autem dicitur, quod tunc qui ante illos fuerunt, perierunt: quia verbum fidei non audierunt. Dicendum, quod hoc factum est: quia in naturali lege tunc saluari poterant. *Rom.* 2. Iudicabit id quod ex natura est præputium, te, qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es.

De comparatione autem condemnationis subiungit, dicens [verumtamen Tyro & Sidoni] ciuitati & prouinciæ Gentilium [remissius erit] in condemnatione [in iudicio quam vobis], Corozaim & Bethsaide. Et huius causa dicta est: quia tales illuminatores & doctores, & talia signa non contempserunt. *Matth.* 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic.

Et tu Capharnaum] villa pulchritudinis, vel villa pinguedinis interpretatis: eo quod iuxta nomen tuum in pinguedine temporalium & spiritualium plantata es. *Isa.* 5. Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei [vsque ad cælum exaltata] coruscatione miraculorum de cælo factorum, & virtutibus cælestium. *Isa.* 7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. *Ioel.* 2. & *Act.* 2. Dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum: Talibus enim signis honorata, in cælum exaltata est præ aliis ciuitatibus. Et ideo contemnens [vsque ad infernum demergeris] per condemnationem: quia quanto altior gradus, tanto profundior casus. *Isa.* 14. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Hæc autem ciuitas pinguissimas & collegiatas significat Ecclesias: quæ quãto plus donis Dei exaltatæ sunt, tanto profundius ceciderunt, & acerbior erit earum condemnatio. *Matth.* 11. Cœpit exprobrare Iesus ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. *Abdiæ.* Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te dicit Dominus. *Iob* 20. Si ascenderit in cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit: quasi in sterquilinium in fine perdetur. Vel legatur sic [vsque in cælum exaltata] tua reputatione [vsque in infernum demergeris] iudicio diuino: quia frangit Deus omnem superbum, sicut dicit *Salustius*. *Luc.* 14. Qui se exaltat, humiliabitur. Sic enim cecidit lucifer qui mane oriebatur *Isa.* 14. Sic de medio lapidum ignitorum, de monte Dei cecidit rex Tyri: eo quod posuit cor suum sicut cor Dei *Ezech.* 28.

Qui vos audit] quod in speciali dixit, vniuersaliter adaptans concludit: & est ac si dicat. In istarum ciuitatum peccato non est simile: quia me contempserunt, non Discipulos: & ideo vt par intelligatur peccatum quantum ad veritatis contemptum, subiungit [qui vos audit] hoc est, audiens in cordis hospitio suscipit [me audit] ideo dicit *Apostolus* 1. *Thess.* 2. Accepistis verbum, non sicut verbum hominum: sed (sicut verè erat) verbum Dei. Et maioris reuerentiæ & meriti est, bene suscipere nuntium quam Dominum. *Matth.* 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis [& qui vos spernit me spernit] *Ezech.* 3. Domus Israël nolunt audire te: quia nolunt audire me. Ideo confidenter dicit *Apostolus* 2. *Corinth.* 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Sic enim Christus in suis auditur, & in suis contemnitur. *Isa.* 33. Væ qui spernis: nonne & ipse sperneris? Et *Infra.* Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. Attendendum autem est, quod Christus licet à ciuitatibus quibus maledixit, sæpe corporali hospitio sit receptus: tamen quia non fuit receptus per fidem in cordis hospitio, maledixit. Et ideo omnia quæ inducta sunt, de spirituali receptione sunt intelligenda, sicut etiam exposita sunt.

Qui me spernit] Deum in homine latentem. *Ioan.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. *Luc.* 23. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba. *Iob* 30. Nunc in stultorum canticum conuersus sum, & factus sum illis in prouerbium [spernit eum] Patrem [qui me misit] quia ego & Pater vnum sumus. *Ioan.* 14. Ego in Patre, & Pater in me est. Ideo enim contemnitur in eo Pater: quia Pater & in voce *Mat.* 3. & 17. & *Luc.* 3. & 9. testimoniũ perhibuit Filio: & in opere testificatus est. *Io.* 5. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa sunt quæ testimoniũ perhibẽt de me *Ps.* 118. Mirabilia testimonia tua Domine: ideo scrutata est ea anima mea.

Reuersi

Reuersi sunt autem septuagintaduo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.

Hic incipit agere de reuersione Discipulorum, & instructione eorundem super profectu legationis: & ideo duo tanguntur: Legatorum reuersorum narratio, & secundum narrata eorundem instructio. In prima harum adhuc duo tanguntur: reuersio, & profectus relatio. Reuersio tangitur cum dicitur [Reuersi sunt autem septuagintaduo] Mali enim nuntij signum est non reuerti ad mittentem, apostasiæ enim signum est: sic coruus requieuit in cadauere, & non est reuersus ad arcam *Genes.* 8. Coruus niger, vorax cadaueris: significat nuntium pro qualibet carnali auaritia a fideli legatione apostatantem: qui statim oblato concupiscibili oculorum vel carnis, non curat nuntiare mittenti, sed requiescit in eo quod inuenit. *Sophon.* 2. Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari. Isti autem non sic. Sicut enim Apostoli, ita & illi reuersi sunt, referentes profectus suos ad Christum. *Tob.* 12. Tempus est vt reuertar ad eum qui me misit. Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia eius. *Eccli.* 1. Ad locum vnde oriuntur flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Sic enim continuò reuertendum est ad Dominum à quocumque officio nobis iniuncto: quia aliter deficiet in nobis & spiritus, & sensus, & omnis vigor. Sicut etiam spiritus & sensus ad cor reuertuntur, vt ibi vigorentur. Omnis illuminatio à Deo exiens in nos, ita manat vt nos apprehensos reducat ad Patrem. Sic Filius ad Patrem reuertitur. Sic legati ad Christum reuertuntur. *Ioan.* 15. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Supra etiam quædam de hoc sunt notata. Mali enim nuntij signum est, non audere redire ad eum qui misit eum [cum gaudio] duplici gaudio, scilicet, elationis cuiusdam de signorum operatione: quod corda eorum tetigit, quia adhuc carnales erant. *Roman.* 11. Noli altum sapere: sed time. Vel cum gaudio de virtute spirituali ostensa in signis fidei. *Philipp.* 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus.

Dicentes] Ecce relatio de profectu legationis. In relatione autem ista tria dicuntur: professio maiestatis quam in virtute signorum per experimentum didicerunt, relatio profectus potissime quem virtute Domini fecerunt, & quod hunc profectum nomini Domini & non sibi attribuerunt. De primo dicunt [Domine] cuius dominium iam cognoscimus per effectum, quod omnia tibi subiiciuntur. *Philip.* 2. In nomine Domini omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. 1. *Corinth.* 15. *Psalm.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius [etiam dæmonia] quæ sunt auctores malitiæ tibi contrariæ: & quorum fortitudo omnia alia vincit. *Iob* 45. Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari, qui factus est vt nullum timeret. In dæmone enim notatur excellens posse, & excellens nosse, & excellens ad nocendum malitia. Et iam habitum est de excellenti posse. Dæmon autem in græco sonat scientem, vel intellectum: & in hoc notatur excellens nosse. 2. *Corinth.* 2. Non circumueniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes eius. *Genes.* 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. De malitia. *Habac.* 1 Expandit sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet *Isa.* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionē gentium non paucarum. De omnibus his tribus dicitur simul *Isa.* 10. Dixit enim: in fortitudine manus meæ ego feci: in sapientia mea ego intellexi: & abstuli terminos populorum. Quod enim in fortitudine se fecisse iactat, superbia est de potestate. Quod in sapientia sua se iactat intellexisse, iactat astutiam. Quod terminos se populorum iactat abstulisse, iactat quod non posuit finem malitiæ [subiiciuntur nobis] Præualet enim potestas tua potestati, & sapientia astutiæ calliditati, & bonitas tua præualet malitiæ: & ita tibi nihil resistere potest. *Esther* 13. Domine Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita: & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Et ideo [subiiciuntur nobis] quia tibi resistere non possunt. Qui enim subiicitur tibi subiicitur & nobis, qui tuam habemus virtutem. *Isa.* 50. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur: tinea comedet eos. Si hæc ergo subiiciuntur: omnis effectus potestatis & astutiæ & malitiæ eorum subiicitur. Sic enim sedet à dextris, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum [in nomine tuo] hoc est, vbicunque in nobis est notamen bonitatis tuæ & diuinitatis, vt tua sit gloria, non nostra. *Psalm.* 113. Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. 2 *Corinth.* 4. Vt sublimitas non sit ex nobis, sed ex virtute Dei. Sic igitur verum est quod dicitur. 2. *Corinth.* 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia: sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

Ecce redeuntium secundum relationem factam eruditio: hæc autem eruditio diuiditur in partes tres, in quarum prima dat eruditionem cautelæ contra subortam de potestate elationem: in secunda de bonis factis agit gratiarum actionem: in tertia magna laude extollit bonorum à Deo perceptorum virtutem. In harum prima tria facit: primo enim omnis potestatis collatæ Discipulis ostendit originem, ne glorientur: secundo ostendit in potestate percepta non esse gaudendum, ne inflentur: tertio ostendit in quo secundum veram conscientiam est gaudendum, vt ad omne internum bonum ædificentur. In primo horum adhuc duo sunt paragraphi, in quorum primo casus satanæ propter elationem se notat esse cum Patre approbatorem & causam efficientem propter malum meritum: in secundo potestatis acceptæ se notat auctorem.

De primo dicit [Videbam] Et tangit quinque: casus approbationem, causam, modum, & à quo, & in quid cecidit. Approbatio casus tangitur cum dicitur [Videbam] Visus enim filij approbatio est iudicij Patris, qui tamen secum iudicat. Videns enim iniquitatem illius Pater iudicauit esse casu-

rum: quod secum & fecit & iudicauit Filius. *Habac.*1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Hoc est dicere: Mundi sunt oculi tui, ne approbando videas malum, & ideo deiicis omnem qui male operatur: & respicere beneplaciti oculo (qui beneplacitum visum sæpe ad id quod placet reducit) non poteris ad iniquitatem: sed potius visu auerso condemnas statim vt orta est iniquitas. Et ideo visus est Domini super casum iniquitatis, quia ille placet: iniquitas autē videtur auerso visu. In verbo autem [Videbam] notantur tria: Æternitas Filij: præsentia, & approbatio casus. Æternitas quidem & præsentia notantur in consignificato: quia est præteriti imperfecti verbum: & in præterito quidem notatur æternitas: in imperfecto autem quod includit præsens nunc, notatur præsentia. Vnde sensus est: ante hoc fui, & præsens tunc aderam. In significato autem verbi notatur casus approbatio, & beneplacitum. De primo *Prouerb.*8. Ab æterno ordinata sum, primogenita ante omnem creaturam. *Eccli.*24. Ordinata enim est ordine generationis verbi, (per quod facta sunt omnia) ad creaturæ productionem, quæ facta est per verbum: sicut est ordo causæ ad causatum. De præsentia sui ad casum dicitur *ibidem Prouerb.*8. Quando præparabat cælos, aderam. De approbationis beneplacito, *ibidem.* Cum eo componens omnia. Omnia enim composuit, & nihil inordinatum reliquit: quando etiam superbiam cæli præcipitauit & in bonum ordinauit [Satanam] qui aduersarius interpretatur.

Et in hoc notat causam casus: quia Deo aduersabatur. *Isa.*14. Similis ero Altissimo. *Zach.*3. Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Ab initio enim se de potestate sibi tradita erexit, & aduersari Deo cœpit. Et ideo *Ierem.*51. dicitur mons pestifer qui corrumpit Gentes: quia ab initio se eleuauit, & Gentes corrumpere nitebatur, vt Deo contraria sentirent. *Ioan.*8. Ille erat homicida ab initio & in veritate non stetit, quia mendax est, & Pater eius. Hæc igitur superbia causa est casus. *Psalm.*35. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.

Sicut fulgur] Ecce modus cadendi, & notantur tria; velocitas, expulsio, & forma luminis. Velocitas: quia velociter cadit, & ideo subito statim elatione concepta cecidit. *Isa.*14. Quomodo cecidisti lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram. Q. d. Dum adhuc mane oriebaris, cecidisti. *Isa.*38. Dum adhuc ordirer, succidit me. Expulsio: quia fulgur cum impetu cadit violentia contrariæ naturæ (quæ in loco dominatur) expulsum. *Ps.*5. Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine. *Isa.*64. Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Fulgur enim expellitur frigore & humore loci & nubis ex qua cadit, cum impetu venit: & sic contrario iudicio Dei, & optimis voluntatibus sanctorum Angelorum, & conatibus ad conformitatem iustitiæ & voluntatis diuinæ, expulsus est Diabolus. Et hoc Petrus vocat rudentes detrahentes Satanam. 2. *Petr.*2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. Lumen autem micans notatur in hoc, quod splendorem naturalium cadens non amisit, sicut nec fulgura. Et hoc splendore aliquando vtitur ad deceptionem. 2. *Corinth.*11. Ipse Satanas, transfigurat se in Angelum lucis. Hoc autem splendore in malum (sicut diximus) abutitur: & propter hunc lucifer *Isa.*14. nominatur [de cælo] Ecce vnde cecidit, quia de cælo, hoc est, de decore summo cælesti. Et ideo *Ezech.*28. dicitur: Signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Quo enim similitudo Dei profundius fuit in eo impressa præ cæteris, eò magis signaculum similitudinis dicebatur: plenus sapientia in intellectu: perfectus decore in splendore naturalium virtutum. Ita quod omni lapide pretioso, hoc est, aliorum Angelorum decore videbatur ornatus. Ab hoc ergo cecidit in tenebras, & lucis suæ globos amisit: quia quamuis etiam aliquid decoris retinuit naturalis, tamen hoc in malum conuertit: & ideo *Iob* 3. dicitur tenebrosus turbo possidens noctem peccati. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine.

Cadentem] Ecce casus, & in quid cecidit. Cecidit enim, qui non amplius stetit. *Apoc.*12. Proiectus est draco ille magnus, & Angeli eius: & non est inuentus locus eorum amplius in cælo. *Ezech.*28. De cælo in terram proieci te. *Isa.*14. Ad infernum detraheris in profundum laci. In quid autem cecidit, notatur in consignificato participij, quod formatur à præterito imperfecto, & est præsentis & præteriti imperfecti temporis. Et notat quod casus eius quoad terminum semper est imperfectus: quia semper cadit, & cadet vsque in finem. *Psalm.*68. Infixus sum in limo profundi: & non est substantia. *Esther* 6. Ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius. Huius autem dicti sensus est [Videbam Satanam cadentem] & qui primo in cælo in conspectu meo stare non valens cecidit, non est mirum si etiam in terra in conspectu meo & meorum cadit. Sed tamen cauete: quia elatio quæ eum deiecit, etiam vos deiiceret; si de concessa vobis potestate, superbia vos per consensum tentaret.

Ecce, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur. Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

Sic continua. Non est mirum si dæmonia vobis subiiciuntur: quia ego primus sum præcipitator Satanæ. Ecce potestatem: & ideo in conspectu vestro stare non potest. *Psalm.*90. Cadent à latere tuo mille: & decem millia a dextris tuis. Dicit autem principaliter quatuor: communicatam Discipulis potestatem, & determinat in specie super quid hanc potestatem acceperint, & tertio ex illis infert in genere super omnem inimicum eos potestatem accepisse, quarto autem quoad quid potestatem acceperint explanat. De primo dicit tria: collationem, collatam potestatem, & modum vtendi potestate collata. Collatio notatur in hoc quod dicit [Ecce dedi] quia nihil boni habetis nisi à me, & à Patre & Spiritu sancto datum vobis.

1. *Cor.*4.

1.Cor.4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Eph. 4. Dedit dona hominibus. Esther 5. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. Inter cætera autem dona potestas super superiorem naturam non habetur ab inferiori, nisi data à Deo: & ideo potestas signa faciendi, & Dæmones expellendi, non nisi à Deo haberi potest. Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo.

Potestatem] potestas est potentis stans ordine iuris & rationis. Sic enim est potestas Discipulorum & ministrorum Ecclesiæ. Et ideo abuti contingit hac potestate: si non ordine iuris & secundum rationem quis vtatur, sicut vsi sunt Discipuli. 1. Corinth. 9. Vt non abutar potestate mea in Euangelio. 2. Corinth. 13. Secundum potestatem meam quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram. Et in hoc differt potestas à potentia. Et hæc est causa quod potestas nunquam est passiua: potentia autem quædam est passiua, & quædam actiua. Hæc est etiam causa quod potestas quantumcunque sit magna, non timetur ab eo qui non agit. Rom. 13. Vis non timere potestatem: bonum fac, & habebis laudem ex illa. Vnde quod quidam successores Apostolorum & vicarij Christi contemnunt potestate sua bonos, pro certo non habent à concessa sibi potestate, sed potius à Diaboli furore & indignatione.

Modum autem vtendi potestate contra malum dicit[calcandi] & in hoc duo notantur. Qui enim calcat, fine quidem corporis tangit, & toto corpore premit, & toto pondere. Ita & Discipuli Christi, fine, hoc est, intentione quæ præstituit operi finem, Satanam tangunt: sed tota operis virtute premunt, & ideo conterunt. Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo eius. Malac. 4. Calcabitis impios cum fuerint velut cinis sub pedibus vestris. Iudic. 5. Conculca anima mea robustos. Rom. 16. Dominus conculcabit Satanam sub pedibus vestris velociter. Nisi enim toto pondere prematur tortuosus elabitur serpens: & ideo calce premendus est. Iudi. 5. Voluebatur ante pedes eius: & iacebat exanimis & miserabilis.

Super serpentes & super scorpiones] tangit duas in specie virtutes inimici Satanæ. Serpens autem à serpendo dictus, principio sui corporis, hoc est, ore nocet, & sic se totum intrahit paulatim serpendo. Scorpio autem principio vultus & ore blanditur, & cauda infigit aculeum, in eum qui innititur super ipsum. Et ita facit Diabolus: in apertis enim tentationibus malorum statim dentes figit, & venena diffundit, donec se totum intrahat in perfectam hominis possessionem: in occultis autem tentationibus insidiando circumuolat, & suadendo blanditur, & promittendo decipit, donec hominem sibi inniti sentit: & tunc in fine pungit, & venena deceptionis infundit. De primo dicit Psalm. 90. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quæ sunt diuersitates significatæ in morsu serpentis. De secundo Ezech. 2. Subuersores & increduli sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Ad literam tamen ista completa sunt in quibusdam sanctis: vnde Marc. vltim. Serpentes tollent.

Et super omnem virtutem inimici] inimicus hic dicitur Diabolus, qui semper ad Deum & ad hominem agit inimicitias. Matth. 13. Inimicus homo hoc fecit. Virtus eius dicitur omne illud, per quod potest consummare malitiam suam in nocendo, inquantum conceditur sibi potestas à Deo: sicut sunt venenosa animalia, per quæ ledit aliquando corpora. Sicut præcipiente Domino Num. 21. Immisit igneos serpentes in castra filiorum Israël, hoc est, calidum valde venenum habentes. Aliquando in generibus tentationum accipit hanc virtutem. Iob 40. Virtus eius in lumbis eius: & fortitudo eius in vmbilico ventris eius. Et in quocunque summum suæ malitiæ constituit Diabolus, in hoc potestatem Christus dedit suis. Et in hoc verificauit quod in 1. Canon. Ioan. 3. dicit: In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Sic etiam intrauit in domum fortis & alligauit eum, & omnia vasa nocumentorum eius distribuit, in quibus confidebat Matt. 12. & Luc. 11. Sic ergo dedit Discipulis potestatem super omnem virtutem inimici. Deut. 33. Eiiciet à facie tua inimicum tuum: dicetque, contere.

Et nihil vobis nocebit] ecce in quantum Discipulorum potestas est supra virtutem inimici: quia vsque ad hoc, quod nihil eis noceat: quin potius quod exercendæ eorum virtuti proficiat. 1. Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Beatus Bernardus. Iucundum plane iudicium: vt ille iniquus omnium humilium malleator, fabricet eis inuitus coronas perpetuas, dum omnes tentat, & ab omnibus superatur. Isa. 11. Super foramina aspidis & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini. Mons Domini est excelsum sanctitatis ministrorum Ecclesiæ & Discipulorum Christi. Hi sunt perfecti, iamdudum ablactati, qui sicut dicitur Hebr. 6. Intermiserunt inchoationis Christianæ vitæ sermones, & ad perfectionem eius iam se transtulerunt. Illi sunt enim, qui repleti sunt scientia & virtutibus diuinis: & ideo virtus inimici nihil eis nocere potest. Incipientes autem paruuli sunt, & indigent lacte. Isa. 28. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum: ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Hebr. 5. Facti estis quibus lacte opus sit, & non solido cibo. Perfectorum autem est solidus cibus eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.

Verumtamen in hoc nolite gaudere] ecce eruditio cautelæ contra potestatis delectationem: quia gaudere de potestate vanum est: & eo ipso virtus inimici præualere incipit contra gaudentem. Ierem. 9. Hæc dicit Dominus: non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur diues in diuitiis suis: & non glorietur fortis in fortitudine sua: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. In potestate ergo non est gaudendum: & hoc est quod dicit [quia spiritus maligni subiiciuntur vobis] ad recedendum ab obsessis ad vestrum imperium: quia hoc etiam malis aliquando conceditur. Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & ego iurabo

iurabo illis: quia nunquam noui vos. Hoc enim est inuocationis nominis diuini, & non vestrum. *Ezech.* 36. Non propter vos ego faciam filij, notum sit vobis: sed propter nomen meum. Nolite ergo gaudere in eo quod vestrum non est meritum: quia hoc est vanum.

Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt] in libro vitæ[in cælis] ecce in quo gaudendum est. Dicit autem duo: quod scilicet gaudendum, & in quo gaudendum. Quod gaudendum dicit [gaudete autem] *Isa.* 51. Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt: fugiet dolor, & gemitus. *Isa.* 66. Lætamini cum Ierusalem: & exultate in ea omnes, qui diligitis eam. Gaudium enim illud est diffusio animi in conceptione summi & æterni boni, quo fruendum est in cælo[quod nomina] ecce de quo, & in quo est gaudendum. Et tangit quid de nobis notum est, & qualiter confirmatum per scriptum, & in quo scriptum, & vbi repositum. Primum tangit cum dicit [nomina vestra] per quæ notitiam nobis fecimus. Hæc autem nomina sunt, quibus secunda generatione quæ ex Deo est nominamur. 1. *Canon. Ioan.* 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus. In his diuinis nominibus noti sumus in cælis. *Exod.* 33. Inuenisti enim gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine. Hinc est quod *Num.* 17. Proceres synagogæ ex nomine vocabantur. Hinc est etiam, quod quibusdam magnorum meritorū & singularium priuilegiorum à Deo nomina sunt mutata. *Genes.* 17. & *Genes.* 32. Secundum enim quod actibus diuinis in cælo se notos faciunt, sic nominantur: & dij & deorum filij vocantur vt dicit *Dionys. Ps.* 81. Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.

Scripta sunt] aliquando per præsentem iustitiam: & hæc scriptura delebilis est. *Apoc.* 3. Tene quod habes: ne alius accipiat coronam tuam. *Psal.* 68. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Aliquando autem scribuntur per prædestinatam ad gloriam iustitiam, & non delentur. *Apoc.* 3. Qui vicerit, vestietur vestimentis albis: & non delebo nomen eius de libro vitæ: & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius. Hæc autem scriptura non est nisi immobilitas recedendi à lumine notitiæ diuinæ.

In 3. *d.* 31. *a.* 3. 4. 5. & 6. In libro vitæ] tangit in quo scripta sunt nomina, hoc est, in libro vitæ. Liber autem dicitur, quia immobiliter continet & clarè repræsentat nomina Sanctorum. Vitæ autem vocatur, quia & viuunt qui in eo scripti sunt. Et ipse liber, qui est notitia Dei perpetuæ vitæ, est radix immortalitatis. Et quia immobiliter continet & clare repræsentat, ideo vocatur liber monumenti. *Malac.* 3. Scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius. Quia autem vitam influit æternam, ideo dicitur liber vitæ. *Eccli.* 24. Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis. Sic ergo vocatur notitia Dei liber vitæ. Hæc autem notitia quia æterna est, dicitur aliquando prædestinatio. Et sic notitia prædestinationis dicitur aliquando liber vitæ. *Apoc.* 20. Alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libro. Quia prædestinantis notitia non tantum est de personis saluandis: sed etiam de meritis gratiæ, & de præmiis gloriæ: vt dicit *Augustin. in Libr. de Prædestinatione Sanctorum.* Prædestinatio enim est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Vnde & Moyses quia in hoc libro scribi non poterat per meritum ducis (nisi populus esset cui ducatum præberet) dixit *Exod.* 32. Aut dimitte eis hanc noxam: aut dele me de libro vitæ quem scripsisti. Q. d. Si non dimittis noxam, delebis in deserto multitudinem, & per consequens ego meritum ducis nō habebo, & sic delebis me quoad meritū ducis. Et quia hoc non facies: ideo noxam dimitte. In isto libro non scribuntur mali. Cum enim nomen quod inscribitur sumptum sit ex notitia meritorum gratiæ, & ipsi tale nomen non habeant: non possunt scribi in libro notitię diuinæ. Quamuis enim noscat eos Deus: tamen hoc non est notitia approbationis, sed simplicis visionis, qua reprobando alta à longe cognoscit, auertens se per indignationem ab eis. *Ezech.* 13. In consilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israël non scribentur. *Isti* enim, quia statuerunt oculos suos declinare in terram, sunt de quibus dicitur *Ierem.* 17. Recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Hic est igitur liber vitæ, & hac de causa sic vocatur.

Sunt tamen & alij libri qui erunt in iudicio: sicut corda sanctorum virorum, qui contemplando veritatem Dei inscriptas in corde suo habent leges & iustitias diuinas: & per illas in iudicio quilibet videbit quare saluatur: & quare damnatur. *Dan.* 7. Libri aperti sunt. Et præcedit *Ibidem:* Iudicium sedit. In cordibus ergo Sanctorum scriptum est, vnde quisque damnetur vel saluetur. *Psal.* 149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis eius. Et istæ conscientiæ sic legibus diuinis inscriptæ, aliquando etiam dicuntur libri vitæ: quia exemplata quædam & sigillata sunt ad primum & principalem librum vitæ. Aliquando etiam liber Sacramentorum diuinorum dicitur liber vitæ, propter viam vitæ quam docet *Apoc.* 5. Vidi in dextra sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem: quæ sunt Sacramēta natiuitatis, baptismatis, passionis, descensus ad inferos, resurrectionis, ascensionis, & iudicij, quo indicat viuos & mortuos. Hic enim liber etiam est notitia diuina secundum præfinitionem sui consilij explicans congruis temporibus ea quæ competunt singulis Sacramentis. Et iste est liber de quo dicitur *Isa.* 8. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis. Ex his ergo paret quid sit nomen scriptum esse in libro vitæ. *Psal.* 138. In libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur: quia omnes in luces scribuntur æternas. Et ideo *Nee.* 7. Qui scripturam genealogiæ suæ inter Sanctos non inuenerunt, separati sunt à Populo Domini in cælis, vbi scriptura est hæreditatis immarcessibilis. 1. *Petr.* 1. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, conseruatam in cælis. Cęlum enim immarcessibile est: in quo Filius Dei est. Alij autem in terra, quæ à Deo conculcatur; scribuntur. *Ps.* 48. Vocauerunt nomina sua in terris suis. *Isa.* 66. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. *In* 4. *d.* 43. *a.* 10. & 11.

In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Domine

Pater

Pater cæli terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius,& cui voluerit Filius reuelare.

Tangit gratiarum actionem de bonis, quæ à Patre summo collata sunt Discipulis. Tangit autem tria: bona collata,& causam collationis, & modum. In bonis autem collatis tangit tria: modum scilicet gratias agentis, modum gratiarum actionis, & de quo gratias agit. Circa modum gratias agentis tangit duo: tempus scilicet, & modum. Tempus tangit cum dicit [In ipsa hora] *Matth.* 11. In illo tempore respondens Iesus dixit. Tempus enim illud & hora fuerunt, quando intima Patris notitia de reuelatione sacramentorum fidei, cœperunt per filium coram Discipulis patefecere clarè & intelligi. *Ioan.* 17. Ego te clarificaui super terram:opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem. Tunc enim consummatum est quod dicitur *Matth.* 17. Velum templi scissum est: & apertè visa sunt quæ velata fuerunt. *Apocal.* 11. Apertum est templum Dei in cælo:& visa est arca testamenti eius in templo eius. Templor, aris, non est in vsu, nisi in compositis, contemplor, aris, & ab hoc deriuatur templum, in quo contemplandum est. Apertum est autem templum, quando se contemplabilem præbuit diuina veritas. Et tunc visa est arca continens omnia secreta Sacramenta Dei, quando Pater per Filium patefecit sua secreta Discipulis. Benè enim Filius dicitur arca, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Hæc ergo hora lucis æternæ fuit, quando lux diuina tenebras humanas illuminauit. *Psalm.* 17. Deus meus illumina tenebras meas. Tunc fecit candor lucis æternæ, quod *Sapient.* 7. scriptum est. Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit [In ipsa ergo hora] qua sic secreta Pater Discipulis patefecit [exultauit in Spiritu sancto] concepto bono Discipulorum, quod Spiritus sanctus inspirauit. Spiritus enim sanctus suus (ab ipso procedens) spiritus est, qui gaudium fecit Christo homini, infundens se per lucem reuelationis Discipulis. Hæc autem exultatio, vitæ æternæ refectio est, & deliciæ. *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Hic autem proprius modus est gratias agentis: quia in lætitia donorum perceptorum gratiæ aguntur. *Isai.* 61. Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo.

Et dixit] ecce modus gratiarum actionis. Duo autem tangit: modum confessionis, & cui confitendum est in gratiarum actione. Modus confessionis tangitur, quando dicit [confiteor] hoc est, ex toto corde, & omnibus quæ intra me sunt fateor [tibi] bona tua in te refundens. *Eccl.* 1. Ad locum vnde oriuntur flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Hæc enim est Confessio gratiarum actionis & laudis. *Psal.* 117. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius. *Isa.* 63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israëli, quæ largitus est eis. 2. *Cor.* 9. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius. Est tamen etiam Confessio peccati in pœnitentia: Confessio veritatis in prædicationis doctrina. De quibus alibi dictum est. Sed ista est gratiarum actione confessio laudis. *Eccl. vltim.* Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum [tibi] Propter discretionem ponit pronomen [tibi] quia 1. *Timoth.* 1. Soli Deo honor & gloria. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo, Propter altitudinem & possessionem diuitiarum, pulchrorum, & bonorum verorum dicit [Domine] *Rom.* 10. Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. In hoc enim est Dominus omnium, quia Prælatus est omnibus. Diues autem in omnes, qui inuocant illum: quia perfecta possessio omnium pulchrorum & bonorum verorum est apud ipsum. 1. *Corinth.* 1. In omnibus diuites facti estis in illo. Et ex his diuitiis effudit dona in Discipulos: de quibus hic Filius gratias agit. *Ephes.* 3. Flecto genua mea ad Deum, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine Christum. Iste est Dominus diues, de quo dicitur *Iacob.* 1. Dat omnibus abundanter, & non improperat. Sic ergo: Confiteor tibi Domine.

Pater] Hoc est tertium [Pater] inquam meus per naturalem & æternam generationem. Et [Pater] Discipulorum per adoptionem. De primo *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. *Ioan.* 5. Pater meus vsque modo operatur & ego operor. De secundo *Rom.* 8. Dedit nobis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. De vtroque simul *Ioan.* 20. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum [cæli & terræ] Non quidem Pater vt dicit *Gloss.* sed [Domine] quia non est Pater eius, ad quod non habet conformitatem imaginis. Habet autem conformitatem imaginis in eadem substantia ad Filium, & in diuersitate substantiæ ad hominem: & ideo Filius dicitur *Coloss.* 1. Imago Dei inuisibilis. *Genes.* 1. dicitur: Homo factus ad imaginem & similitudinem Dei. Cælum autem & terra non dicuntur facta ad imaginem, sed vestigia dicuntur diuina.

Ioannes autem Scotus, qui multa temerè protulit, dicit eum Patrem cæli & terræ propter vestigij imitationem, inducens hoc quod dicitur *Coloss.* 1. Primogenitus omnis creaturæ. Non enim, vt dicit, diceretur primogenitus creaturæ, nisi creatura diceretur secundò genita. Sed hoc non sequitur: quia primogenitus non notat ibi ordinem ad secundò genitum: sed notat ibi ordinem causæ generationis ad exitum creaturarum in esse per creationem: quia Verbum genitum à Patre (quod est ratio creatoris) in quo est vt fiat creatura (sicut in arte est vt fiat artificiatum) est causa creationis: sicut ars in mente artificis, causa est vt fiat artificiatum. Dicitur tamen metaphoricè hoc genuisse: sed metaphoricæ locutiones non sunt extendendæ. *Iob* 38. De cuius vtero egressa est glacies? & stillas roris quis genuit? Sic igitur: Confiteor [Domine] omniū [cæli & terræ] & in eis contentorū: Pater mei & hominis diuersa paternitate.

Quia abscondisti hæc] De duobus facit mentionem. Per primum non probat, nisi quod hæc per seipsa abscondita sunt. De secundo autem confitetur in gratiarum actione. De primo dicit, quia [abscondisti hæc] hoc est, talia fecisti, quæ secundum se abscondita sunt Inuisibilia enim Dei, sua excellentia abscondita sunt ab oculis hominum: non propter illorum defectum, sed propter defectum oculorum cordium humanorum. Sicut fulgor solis absconditus est ab oculis vespertilionis: quia propter sui claritatem, quæ excellit oculos vespertilionis, vespertilio inuoluitur tenebris, & non potest videre lumen: cum tamen lumen solis nihil faciat ad hoc quod abscondatur: sed potius manifestat se clarè quantum in se est, & vespertilioni, & erodio æqualiter: sed erodius potestate sui oculi videt lumen in rota solis: Et vespertilio sui oculi defectu, & obuoluitur tenebris, & lumen solis nec in rota nec in aere limpidè lucens videre potest. *Iob.* 37. Ostende nobis quid dicamus ei: nos quippe inuoluimur tenebris. Sic ergo [abscondisti hæc] lucidissima in se. Maximè tamen hæc abscondita sunt ab infirmis oculis cordium peccatorũ infidelium: quia vt dicit *August.* 10. *Confessionum.* Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis. *Eph.* 4. Tenebris obscuratum habentes intellectũ, alienati à vita Dei per ignorantiã quæ est in illis propter cæcitatẽ cordis ipsorũ.

Et hoc est quod subiungit [à sapientibus & prudentibus] notam sapientians & prudentiam huius seculi. Est autem sapientia apud Philosophos cognitio rerum altissimarum, quas difficile est homini scire: vt dicit *Aristot. in* 1. *Lib. suæ Metaphys.* Et has res suo modo Philosophi vocant diuinas. Prudentia autem est cognitio conferentium & vtilium hominibus in dispensatione vitæ, & domus, & ciuilitatis. Et sapientia talis non est fidei: & similiter prudentia non est habens conferentiam ad vitam Christianam. Et ideo sapientia est stultitia, & prudentia est insipientia quædam. *Abdiæ.* Perdam sapientès de Idumæa, & prudentiam de monte Esau. 1. *Corinth.* 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Rom.* 1. De sapientibus huius seculi dicitur, quod cum per creaturas & rationes creaturarum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. De prudentia autem dicitur *Rom.* 8. Prudentia carnis mors est: gratia autem Dei, vita & pax. *Eccli.* 19. Non est cogitatus bonus prudentia peccatorum. Ab his ergo [sapientibus & prudentibus abscondisti hæc] per modum absconsionis, qui dictus est *Iob* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas illius. Ideo Dominus flens dicit *Luc.* 19. Quia si cognouisses & tu (subaudi, fleres) nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Non quidem Domino abscondente lucem clarissimorum donorum suorum, sed te obuoluente tenebris oculos, vt videre non possis. *August. in primo de Trinitate.* Siquis alij digito solem ostenderit, & ille lippiente oculo solem non viderit: culpet oculi lippitudinem, non digiti ostensionem. Sic ergo abscondisti hæc [à sapientibus & prudentibus] nihil ad absconsionem operans, sed tenebras intellectus eorum permittens, & tua luce confundens.

Et reuelasti] De hoc gratias agit, quia [reuelasti] velamen obscuritatis per gratiam tuæ fidei de cordibus eorum auferens. *Psalm.* 118. Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua Domine 2. *Cor.* 3. Cum conuersus fuerit quis eorum ad Deum, auferetur velamen: Deus enim spiritus est. Hæc est pellis, quæ per fel piscis, hoc est, passionis Christi egressa est de oculis Tobiæ *Tob.* 11 [ea] ista: quæ tamen in se clarissima sunt, & sereno lumine limpida [paruulis] Qui diminuti sunt à paruis: quia Humiliores sunt cæteris humilibus. Illi enim reuelationes illuminationum præ cæteris humilibus accipiunt, qui profundius se humiliant: sicut lacunæ profundiores plures capiunt aquas, vt dicit *Ptolomeus Philosophus in Prouerbiis suis.* Illi enim illuminatori nostro Christo similiores sunt, & ideo luminis capaciores. *Psalm.* 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Ideo *Prou.* 9. dicit sapientia: Siquis paruulus est, declinet ad me. His ergo [paruulis] qui etsi possunt, nolunt esse magni, mirabilia tua & salutaria reuelasti.

Causam autem huius tantę reuelationis, & quę sola causa est, dicit [Etiam pater] Sola enim voluntas placens Patris huius rei causa est. Dicit autem circa hoc duo: assertionem veritatis, & altitudinem causalitatis. Assertio veritatis tangitur cum dicit [Etiam pater] q. d. [etiam] in veritate sic ista tu paruulis reuelasti, nec à se habent, nec ab alio nisi à te. Et hoc quod dicit [etiam] assertionis est indicium Ac si dicat: Verè Pater paterno affectu hæc fecisti. *Sap.* 16. Substantiam tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendisti. *Exod.* 33. Ego ostendam tibi omne bonum, inuenisti enim gratiam coram me [quia sic complacuit ante te] Complacitum est voluntas quæ tota simul pascitur in volito: Hæc est voluntas quam experiri iubet Apostolus *Rom.* 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Scilicet sapere cum paruulis ad sobrietatem fidei: & non plus sapere quam oportet in ebrietatem sapientiæ seculi. Nimis enim iucundum beneplacitum est Dei, qood dicit *Apost.* 1, *Cor.* 1. Quia non cognouit mundus per sapientiam suam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Hoc autem placitum est quod diximus, quod humilibus se sibi exhibentibus tollit velamen, quo reuelatum lumen agnoscat, quod turgentes de seculi sapientia cum Magis Pharaonis agnoscere non possunt, *Luc.* 2. Lumen ad reuelationem Gentiũ, & gloriam plebis tuæ Israëlis. Et quidem hoc Deus omnibus parauit: et hoc modo verum est quod dicitur *Ioan.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et tamen non omnis homo illuminatur: quia soli paruuli intellectum suum captiuantes in præcepta fidei percipiunt lumen quod omnibus æqualiter exhibetur; quia in solis paruulis complacitum est Patris. *Iudith.* 9. Nec superbi tibi placuerunt ab initio; sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Ideo dicit *Apost. Ephes.* 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes. Hoc ergo est beneplacitum spiritus Domini, illuminatio paruulorum, & occæcatio superborum de se præ- *In* 1. *d.*
sumentium [Omnia mihi tradita] Dixit quod *12. à 7.*

Pater

Patet reuelauit paruulis. Et tangit hic modum reuelationis: & tangit duo:modum reuelationis,& quod non est possibilis aliquis modus reuelationis, nisi ille solus. Modus est, quia omnia tradita sibi sunt à Patre per ipsum reuelanda. Et hoc est quod dicit: Tu quidem Pater reuelasti, qui [omnia] illa reuelata & edocta à me[mihi tradita sunt] per æternam generationem [à Patre] sum enim lumen de lumine Patre. *Sap.*7. Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. *Hebr.*1. Qui cum sit splendor gloriæ , & figura substantiæ illius. *Colos.*2. In omnes diuitias intellectus plenitudinis , in agnitione mysterij Dei Patris Christi Iesu: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi[omnia ergo mihi tradita sunt à Patre meo] & nihil me latet Sacramentorum & consiliorum diuinorum:& ideo mea doctrina reuelatio est Patris. *Ioan.*7. Mea doctrina non est mea,sed eius qui misit me Patris. Siquis voluerit voluntatem eius facere,cognoscet ex doctrina vtrum ex Deo sit. Et huius *August.* quidem, pulchrum ponit simile. Cum enim intellectus practicus dicit se in tota suæ artis plenitudine , tantum est in verbo , quantum in intellectu dicente. Et sic, omnia quæ sunt intellectus tradita sunt verbo , & tamen habet ea ab intellectu. Et in ho: solo differt ab intellectu: quia ab intellectu est,& intellectus à nullo est. Et hoc quidem verum est in intellectu agente:sed in possibili & contemplatiuo (qui à rebus accipit quod intelligit) nihil est simile. Sic ergo omnia tradita sunt sibi à Patre: & sic sunt in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Patris. Et nihil minus habet Filius quam Pater:quia Filius est ars,& verbum Patris , & imago inuisibilis ipsius , nihil minus habens(vt dicit *Hilarius*) quam ipse, eandem habens naturam,idem posse,idem nosse,idem velle, & idem operari. Ideo *Ioan.*10. dicit. Pater meus quod dedit mihi,maius omnibus est. *Ioan.*1. Gloriam eius quasi vnigeniti à Patre:qui sicut dicit *Basilius* , gloriam paternam cum nullo secundo genito diuisit, sed totam integraliter possidet. *Philip.* 2. Dedit illi nomen,quod est super omne nomen. *Glossa Amb.* Quod vere Deus sit & nominetur : vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium,terrestrium,& infernorum. Nihil ergo retinuit quod non tradidit : & sic quicquid reuelat,Patris est,& à fontali lumine procedit.

Et nemo nouit] ecce quod nullus modus reuelationis diuinorum possibilis est , nisi ille qui est à Patre per Filium. Quod autem dicit [nemo]negationem non facit in genere, sed extra genus: vt sit sensus[nemo] hoc est nihil [nouit Patrem nisi Filius]dictio autem exceptiua, quæ intelligitur in coniunctione , excipit respectu substantiæ,& non personæ : vt sit sensus[nihil nouit Patrem nisi Filius]hoc est , præterquam Filius , hoc est, præter substantiam Filij. Quia sic:cum Spiritus sanctus sit eadem substantia cum filio, etiam Spiritus sanctus nouit Patrem. Sed dicit[nisi Filius] quia Filius est notitia Patris. Et est recurrendum ad simile superius inductum : quia dicentem intellectum agentem nihil nouit in plenitudine sua nisi verbum , quo dicit se ipsum : alio enim secundum partem potest nosci , sed in plenitudine sua non noscit eum nisi verbum. quo plene dicit se ipsum. Sicut si dicamus , quod mens artificis non noscitur plenè , nisi ab arte quæ est ab ipsa & in ipsa, quæ noscit eam in toto ambitu virtutis eius secundum omnia quæ facere potest. Sic Patrem [quis sit]hoc est, quis sit in substantialibus omnibus,& potentialibus,& scientialibus , & omnibus attributis eius non nouit[nisi Filius]Verbum perfectè demonstrans ipsum. Huius autem simile (diminutum tamen est) quia sol à Philosophis ponitur omnium generabilium pater per lumen suum. Duplex ergo est notitia solis : particularis, hoc est, secundum particularem virtutem : & sic nosci patet à multis tam in cælo quam in terra, quæ lumine particulari informat. Et est notitia solis in virtute vniuersali , qua omnium in se habet causam generationis & informationis tam in cælo quam in terra : & in virtute illa non nouit solem , nisi lumen indistanter acceptum in ipsa tota solis,antequam egrediatur de ipso : si lumen illud, gratia exempli, ponamus intellectum & notitiam habere. Et sic est Verbum Filius in Patre, intellectu noscens Patrem in omni sua plenitudine naturæ & virtutis. Et talis est hic sensus:quia illud lumen in Patre sic Patrem manifestans , est Verbum increatum & Filius Patris.

Et] similiter nemo nouit [quis sit Filius nisi Pater] quia ipse Filius est perfecta & indistans similitudo Patris. Omne autem quod noscitur, simili cognoscitur : & quod perfectè cognoscitur, indistanti & indifferenti cognoscitur similitudine:& sic mutua est cognitio Patris à Filio, & Filij à Patre,à qua non excluditur Spiritus sanctus. Sed quod Spiritus non nominatur in ista perfecta notitia & mutua,est ideo ; quia ipse non procedit vt verbum & notitia , sed vt amor connectens Patrem & Filium. Multa autem his similia notata sunt de hoc eodem Verbo *Matth.* 11. Quæ quando coniunguntur his , quæ hic dicta sunt, perfectius intelliguntur. Tamen non dubito quin exempla sint conuenientia , quamuis imperfecta: sicut omnis creatura in repræsentando deficit ad Creatorem. Si quis autem bene scit naturam intellectus agentis,& luminis quod est in ipso:quod (sicut dicit *Philosophus*) est vt ars ad naturam : & siquis bene nouit naturam solis, & luminis quod est in ipso:scit aliqualiter qualiter solum Verbum Filius noscit Patrem , & qualiter solus paternus intellectus noscit Verbum Filium. Sequitur.



Et cui voluerit Filius reuelare] hoc modo est facile. Ex inductis enim exemplis planum est , quod non est reuelatio intellectus nisi per verbum, quod in est ipso lumine ipsius : nec in Deo, nec in homine potest esse alia reuelatio : sicut nec solis est reuelatio aliqua , nisi per lumen quod est in ipso. Quamuis autem ipsum lumen in sole existens , in se habeat vnde perfectè reuelet solem:& ars in intellectu siue verbum , in se habeat vnde perfectè reuelet intellectum : tamen secundum quod lumen à sole distare incipit ,& incidit in id quod formatur lumine:particulatur manifestatio. Et ideo omne cui incidit , non accipit reuelationem solis nisi secundum virtutem particularem. Et similiter , omne in quod procedit verbi manifestatio, accipit manifestationem illam secundum modum possibilem sibi, & in parte, & non in toto:cum tamen nulla possit esse reuelatio intellectus nisi per verbum, vel solis nisi per lumen. Et hoc est quod dicitur *Ioan.* 1. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Nulla enim creatura per seipsam vidit

Deum

Deum in plenitudine suæ deitatis: sed soli splendori gloriæ suæ & figuræ substantiæ suæ Deus notus est. Et hic procedens ab ipso, enarrauit secundum modum possibilem vniuscuiusque, Angeli, vel hominis hanc reuelationem accipientis. Paruulis autem reuelauit:& ideo hic gratias agit.

Attende autem, quod hanc reuelationem *Apostolus* 1. *Cor.* 2. attribuit Spiritui sancto, vbi dicit: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? ita quæ sunt Dei nemo cognouit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Sed hoc est ideo dictum: quia sicut spiritus hominis vehit verbum quod est in manu artificis quando operatur, & vehit verbum in linguam quando loquitur:ita Spiritus sanctus vehit verbum reuelationis diuinæ in corda hominum credentium: & sic idem Verbum Patris quod reuelat Patrem,vehit Spiritus. Et sic reuelatio est & Patris,sicut originis & authoris:& Verbi sicut formæ luminis & notitiæ formalis:& Spiritus,sicut aduehentis & inspirantis. Et tamen non est nisi idem & vnum solum verbum: & eo Verbum, quo Filius siue notitia à paterno procedens intellectu per generationem.Sic dicit *Ioan.* 17.Ego te clarificaui super terram.Et *Ibidem*.Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.Sic dicitur *Math.*23. Vnus est magister vester,qui in cælis est. Paruulis autem vult reuelare, sicut iam dictum est,& non superbis. *Prou.*11.Vbi humilitas,ibi sapientia.

Et conuersus ad Discipulos suos, dixit.

Hæc est pars,in qua laudat eos, qui huiusmodi reuelationem acceperunt. Tanguntur autem tria: modus dicentis, & beatitudo reuelationem accipientis, & dignitas in hoc priuilegij singularis. Modus dicentis tangitur per hoc quod dicit [& conuersus] in gratiarum enim actione totus erat in cælum extensus, totus ad Patrem directus. 2. *Paral.*20.Hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Sed nunc erudiens Discipulos ad eos se conuertit, vt exteriori corporis conuersione interiorem animi intentionem demonstraret: & vox ad eos directa,in aures eorum fortius sonaret. *Psal.*89. Conuertere Domine aliquantulum: & deprecabilis esto super seruos tuos. Hæ sunt duæ corporis habitudines, quibus sæpe inter Patrem & Discipulos mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus vsus est [ad Discipulos suos ait] sua enim conuersione nos ad se trahit,& sic ad Patrem reducit.*Thren.vlt.*Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur:innoua dies nostros sicut à principio.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis.Dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis,& non audierunt.

Hic tangit beatitudinem reuelationem à Patre accipientium, & dicit duo: beatitudinem oculorum cordis & corporis, & causam beatitudinis. In beatitudine duo sunt, scilicet, substantia beatitudinis, & secundum quid insit beatitudo. De primo dicit [Beati] Duæ apud *Moralem Philosophum* beatitudines determinantur. Vna quidem ciuilis & moralis secundum virtutem actiuam moralem: altera autem contemplatiua diuina secundum virtutem intellectualem. Illa vero,quæ est actiua secundum virtutem moralem, consistit in perfecta actione regitiuæ virtutis & ordinatiuæ, cui nihil desit ad regendum & ordinandum in omni operatione vitæ ciuilis: & hæc est prudentia, cui nihil desit in omni ratione eligibilium ad vitam, ad regimen,& ordinem vitæ facientium:& ideò oportet non deficere aliquam virtutum aliarum, & habere ex habitu consueto facultatem in tali ordine & regimine,& non deesse organicè obsequentia in hoc ordine & regimine,sicut diuitias, potentatus, & honores in se & in amicis, & etiã fortunam siue eufortunium in omnibus his. Et hoc vocat *Aristot. in* 1. *Ethic.* actum secundum perfectam animi virtutem cum perfectione de qua iam dictum est. Et ideo omnia hæc simul volens comprehendere *Boëtius in consolatione Philosophia*, dicit quod beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hæc autem beatitudo secundum regimen & ordinem vitæ Christianæ à Domino astruitur *Math.*5.

Alia est beatitudo contemplatiua, quæ est secundum actum perfectum virtutis intellectualis in summo contemplationis: quæ consistit in actu contemplationis mirabilissimorum, purissimorum,& certissimorum; non retracta, & non impedita,retenta in contemplando delectatione nõ habente contrarium. Et contemplatio quidem est secundum solum intellectum visio, nihil habentem continui & temporis, siue imaginationis & sensus: quia in illo discurrunt rationes phantasticæ, vt dicit *Dionys.* Mirabilissima autem sunt altissima,supra quæ non sunt alia. Purissima autem sunt nihil commune cum materia aut materialibus habentia. Certissima autem sunt, quæ sunt via ad omnia alia certificanda, & ipsa per alia nõ certificantur. Non retracta autem contemplatio est, quæ virtute omni sic iuuatur, quod à carne & carnalibus corruptionibus vitiorum vel tentationum, ab actu sic contemplandi non retrahitur. Non impedita autem est, quæ sic claro contemplatur lumine iam adepti per studium intellectus, quod in naturam conuersus habitus non sentit difficultatem. Retenta autem in contemplando est delectatione nihil habente contrarium: quia hæc non remittitur aliquando.

Talis autem est, quæ nihil sui habet in anima sensibili: & hæc est, quæ est in limpida veritate & luce ipsius, & delectatione veritatis: & illa est beatitudo diuina dicta propter tres causas: quarum vna est, quia est secundum hoc quod solum diuinum est,& imago Dei in homine, & hoc est intellectus Secunda est, quia est de diuinis ista contemplatio. Tertia est, quia ista contemplatione vtitur Deus, & substantiæ diuinæ, quæ per participationem Dei dicuntur diuinæ. Et hanc beatitudinem commendat hic Dominus, quando dicit [beati] 3. *Reg.* 10. Beati viri tui,& beati serui tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. 2. *Paralip.* 9. Beati viri tui & beati serui tui, qui assistunt coram te in

omni

omni tempore. *Tob.* 3. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. Sic beati sunt illi de quibus dicitur in *Psalm.* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur: quia gloria virtutis eorum tu es. Et sic beatus fuit Apostolus & alij Discipuli Christi, quando dixit 2. *Corinth.* 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem (supple, gloriæ) transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Sic ergo beati sunt oculi qui vident] Tria dicit secundum partem qua beati sunt: instrumentum, actum, & actus determinationem. Est enim oculus nobilis pars corporis, sola ex luminois compositione & illustratione habens venustatem. Sunt autem oculi facile in omne quod intueri volunt volubiles, figuram luminum cælestium in sphærica forma prætendentes. Et in hoc tangitur oculus interior (qui est intellectus) qui nobilissima pars est hominis, secundum quam ad Dei imaginem facti sumus. *Eccli.* 17. Ad imaginem suam fecit illum, & secundum se vestiuit illum virtute. Hic lumine cælesti in cognitione veri & boni venustatus est. Vnde *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Volubilis etiam est oculus in circumspectione intellectus: quod optime significatur *Exod.* 25. in candelabro luminis in quo erant sphærulæ volubiles in omnem partem. Propter hoc etiam *Ezech.* 1. & *Apoc.* 4. dicuntur animalia Dei plena oculis ante & retro: quia ad omnem partem erant circumspecta. Oculus enim in vno tantum stans, spasmatus est: præter voluntatem autem à visibili auersus, tremens est & paralyticus: sed bonus oculus conuertibilis est ad nutum. Figura autem cælestis in oculo prætendit conformitatem cælestium in intellectum: ita quod tota pulchritudo cælestium in ipso resultet. Et hoc iterum significatur *Exod.* 25. vbi in candelabro luminis sphæræ figurabantur in nucis modum. Isti sunt oculi columbarum *Cant.* 1. *Genes.* 49. Pulchriores sunt oculi tui vino, quod sua claritate temperate sumptum, subtilem facit spiritum visiuum.

Actum autem oculorum tangit cum dicit [qui vident] Oculus enim non videns non est oculus, sed idolum oculi. *Prouerb.* 20. Oculum videntem & aurem audientem vtrumque fecit Dominus. Sed de idolis quibus Diabolus præsidet, & superuacua curiositas hominum inuenit, dicitur *Ps.* 113. Oculos habent & non videbunt. Et ita sunt quidam qui superuacua curiositate inueniunt sibi pellicientes oculos plenos adulterij & incessabilis delicti: sicut dicitur 2. *Petr.* 2. Quibus Diabolus præsidet & gubernat, non habent oculos videntes; quo contradicitur *Psalm.* 12. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Oculus enim non videns, bene tamen somniat. Sic qui in morte peccati dormiunt, non vident nisi phantasias ad modicum apparentes; sed veritatem non considerant, quæ tamen clara est ante oculos eorum: sicut Ægyptij in claro lumine Sanctorum nihil penitus viderunt nisi phantasias somniantium *Sapient.* 17. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris. Sanctis autem tuis maxima erat lux. Et ideo [Beati oculi qui vident] *Matth.* 13. Vestri autem beati oculi qui vident, & aures quæ audiunt.

Determinans autem visum dicit [quæ vos videtis] siue visu interiori, siue exteriori: visus enim exterior ordinatus est ad interiorem, & est propter illum. Et sic sensus est: Beati sunt qui sic me exterius aspiciunt, quod interius diuinitatem per fidem in me ex exterioribus miraculis intelligunt. Vel è conuerso. Qui sic interiora diuinitatis meæ intelligunt, vt eam vnitam esse humanitati quam vident, credant. Vt sic exteriora ad fidem diuinitatis manuducant, qui me vident exterius: & interiora visa per intellectum exterius miracula operari credantur ab eis, qui interiorem vident deitatem. Neutro enim modorum vnquam visus est nisi à præsentibus, deitatem & humanitatem eius cognoscentibus. Et hoc est [qui vident quæ vos videtis] interius & exterius simul aspicientes. *Iob* 19. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Hoc est quod dicit *Ioan.* 1. *Can.* 1. Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. *Is.* 52. Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Omnes fines terræ sunt, propter quos est omnis terra: & illi sunt electi & vocati. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.

Dico enim vobis] Assertio est, quod est singulare priuilegium Discipulorum [quia multi Prophetæ] intus procul videndo in futurum. *Eccli.* 48. Spiritu magno vidit vltima: & consolatus est lugentes Sion vsque in sempiternum [& Reges] se & alios regendo. *Eccli.* 44. Nuntiantea in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo [voluerunt videre] *Ioan* 8. Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est. Voluerunt autem videre oculo corporali. *Cantic.* 8. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te solum foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Et est hoc verbum magno dictum affectu. Frater enim est in eadem carne visus: sugens vbera matris Beatæ Virginis, in cuius spiritu omnes secundum Deum fratres Christi nati sumus: quia ipsa, vt dicit *Augustinus*, figura est Ecclesiæ, quæ omnes nos castis progenuit visceribus. Inuentus est autem foris, extra occultum deitatis, quandiu in terris visus est & cum hominibus conuersatus est. Ibi osculatus est, quando spiritus eius spiritui Discipulorum coniunctus est, & os doctrinæ eius ori eorum impressum est, vt ex ore eius loquerentur. Et ideo non est qui despicere possit istos singulari priuilegio sic dignificatos. Et hoc priuilegium omnis homo concupiuit, qui in spiritu ista præuidere potuit. *Cant.* 2. Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. *Num* 24. In desiderio dixit miser Balaam: Heu quis victurus est, quando ista faciet Dominus? Sic ergo oculo corporali ad interiorem ordinato voluerunt videre [quæ vos videtis] exterius & interius: hæc enim consummata visio. Vnus intus videns, & non extra dixit *Tob.* 5. Quale gaudium est mihi qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? hoc est, de cælo venientis non video.

Et

Et in persona Discipulorum dicitur *Isa.*52. Leuauerunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, quando conuerterit Dominus Sion [& non viderunt] Et hoc est vestrum singulare priuilegium. Cum enim cuperent corporali præsentia videre quem credebant, non est eis datum. Sed vni soli Simeoni, cum diu suspirasset Christi præsentiam: Responsum est in spiritu non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Alij autem non viderunt: & sic lugentes descenderunt in infernum: & est in eis verificatum quod dictum est Legislatori eorum Moysi *Exod.*33. Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Posteriora autem sunt creaturæ & allegoriæ, in quibus Deum viderunt: sicut dicitur *Hebr.*1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis. Et *Oseæ* 12. Ego visiones multiplicaui eis; & in manibus Prophetarum assimilatus sum. Et *Isa.*6. Ea quæ sub ipso erant replebant templum, hoc est, creaturæ, & similitudines dependentes ab ipso. Ipse inuisibilis sedebat super solium excelsum ab oculis hominum, & eleuatum etiam vltra omnem intellectum [&] ideo [non viderunt] *Iob* 36. Qui vident eum, intuentur procul. Non enim paruæ delectationis fuit videre Deum hominem miracula facientem.

Et audire] desiderauerunt doctrinam ab ore Dei sonantem. *Cantic.*2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. *Psalm.*44. Diffusa est gratia in labiis tuis [quæ] vos [auditis] verbum sonans ab ore Verbi incarnati, in spiritu verbi in aures vestras influens. *Eccl.*1. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Et ideo exclamat Petrus *Ioan.*6. Verba vitæ æternæ habes. *Ps.*140. Audient verba mea quoniam potuerunt. *Isa.*50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. *Cantic.*4. Mel & lac sub lingua tua [& non audierunt] Cum tamen in desiderio spiritus dicerent illud *Cantic.*8. Fac me audire vocem tuam. Audita enim voce Redemptoris impletum est quod dicitur in *Psalm.*117. Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.

Moraliter autem ista possunt dici multis Prædicatoribus in scriptura videntibus, & in lectione multa audientibus de Deo, quæ ipsi parum curant: & multis Doctoribus similiter, quoniam Prophetæ, monachi, & laici simplices, & sancti viri, & multi reges seipsos & alios regentes, voluerunt libenter videre per scientiam scripturarum quæ ipsi vident, & non est eis datum: & audire vellent in lectionibus ad intellectum, quæ audiunt illi cum fastidio, & non est eis datum audire. Hi sunt, qui *Num.*12. fastidiunt manna, panem scilicet Angelorum. Hi sunt de quibus *Oseæ* 10. Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius. Ephraim frugifer, qui fructum in spiritu per scientiam lectam & auditam facere deberet, conuersus est in vitulam lasciuientem & diligentem trituram, hoc est, corporales huius mundi labores postposito studio spirituali. Diligunt enim discurrere, rerum temporalium solicitudini se immiscere; ex paleis negotiorum secularium granum pabuli sui, quod interim carpant, excutere: sicut in tritura. Et ideo Dominus conculcabit colli eorum pulchritudinem. Collum est, vt dicit *Beatus Dionys.* continuatio corporis ad caput. Et significat mentem nostram (quæ continuat nos ad caput nostrum Christum) quam videmus in talibus conculcatam, demersam in cogitationes temulentas huius miseriæ. Vnde *Gregor. in gloss. Ibidem super Oseam* dicit, quod per vitulam illam significantur desides animæ: quibus nihil laboriosius est, quam in huius mundi non laborare laboribus.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?

Hic per exempla confirmat quod dixit, & inducit duo: in quorum primo ostendit quod Deus arcana sua abscondit à sapientibus: in secundo autem ostendit qualiter reuelat ea paruulis. In primo horum duo continentur: in quorum primo cuiusdam (qui sibi sapiens videbatur) proponitur de via salutis (quæ paruulis reuelatur) quæstio: in secundo autem per iteratam à sapientia Dei factam quæstionem ponitur tentantis instructio & confusio. In primo horum duo dicuntur: tentatoris descriptio, & proposita ab eo quæstio. Descripitio tentatoris proponitur in quatuor, quorum primum est, quod inter alios magis fuit demonstrabilis: secundum, quod fuit literaturæ specialis: tertium, quod fuit super alios maioris elationis: quartum, quod in tentando magnæ fuit dolositatis.

Primum notatur per aduerbium demonstrandi, cum dicit [Ecce] quasi inter alios demonstrabilis. *Matth.*22. Interrogauit eum vnus ex eis Legisdoctor, tentans eum & dicens: Magister, quod est mandatum magnum in lege? In hoc autem quod dicitur [vnus] demonstrabilis inter alios videbatur [quidam Legisperitus] Ecce literatura singularis. Literatus autem fuit in lege & Prophetis, sicut sunt Theologi apud nos. *Ioan.*3. Tu es magister in Israël. *Daniel.*13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum [surrexit] in signum maioris elationis. Superbi enim inquieti sunt, & sedentes interrogare vel respondere non possunt, quia spiritus tumoris exagitat eos. *Iob* 32. Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. Vnde *Ambros.* dicit, quod iste Legisperitus verba legis tenebat, & vim legis ignorabat. *Matth.*22. Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei [Surrexit] ergo qui in altum superbiæ cor erexit. *Iob* 15. Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones [tentans illum] Ecce quam malignæ fuit in tentando dolositatis. *Matth.*22. Quid me tentatis hypocritæ. *Psalm.*94. Tentauerunt me Patres vestri. *Deuter.*6. Non tentabis Dominum Deum tuum [& dicens] virus, quod in corde suo habuit, emittens. *Iob* 13. Vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.

Magister] Ecce proposita à tentatore quæstio. In hac autem quæstione facit duo: primò enim dolosè magistrum à quo quærit, profitetur: secundo quærit de merito salutis. Dicit ergo [Magister] Magistrum vocat, vt dicit *Chrysost.* cuius non vult esse Discipulus. Non autem confitetur Deum vel Dominum: quia nec colere vult vt Deum, nec

seruire

feruire fibi vult vt Domino, fed fingit fe ab eo difcere velle ficut à magiftro. Similiter facit quidam *Matth.* 22. Magifter, quod eft mandatum magnum in lege? Et *ibidem.* Magifter fcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Et verum quidem dixit in eo quod vocauit eum Magiftrum: Magifter enim fuit doctrinæ & difciplinæ. Fuit, inquam, ipfe fapientia Dei Patris. *Sapient.* 8. Doctrix eft enim difciplinæ Dei, & electrix operum illius.

Quid faciendo?] Quærit de merito falutis, & duo notat: meritum, & præmium. De merito quærit [quid faciendo] totum enim meritum in faciendo confiftit principaliter, & parum in dicendo vel docendo nifi coniungatur & opus: vnde *Matth.* 23. De quibufdam bene dicentibus dicitur: quæ dicunt, facite: fecundum opera vero eorum nolite facere. *Ioan.* 6. Quid faciemus vt operemur opera Dei? Ideo dicit *Ioan.* 10. Et fi mihi non creditis, operibus credite. *Iaco.* 1. Factor operis in facto fuo beatus erit. Virtutis enim perfectio in opere fuo eft, & ad opus eft virtus, vt dicit *Philofoph.* *Apoc.* 14. Opera enim illorum fequuntur illos. Et de præmio fubinfert.

Vitam æternam poffidebo] tria tangit in præmio, vitam, & æternitatem vitæ, & poffeffionem vitæ. Vita eft actus continuus diuinæ vitæ in animam, vel in corpus & animam poft refurrectionem. Vt (ficut fol facit diem continuis influxionibus in mundum) ita continuis influxionibus vitæ fuæ Deus influat vitam fecum viuentibus & fe participantibus. Ideo hæc vita fonti comparatur *Pfal.* 35. Domine, apud te eft fons vitæ. *Apocal.* 7. Agnus, qui in medio throni eft, reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquarum. Hic eft fluminis impetus, qui lætificat ciuitatem Dei. Æternitas autem vitæ huius caufatur ab eo, quod non habet contrarium: quia iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, fed nec vllus dolor *Apocal.* 21. Et ideo in æternum viuent *Sap.* 5. Iufti autem in perpetuum viuent: & apud Dominum eft merces eorum. Radix autem immortalitatis eft cuftodia legum diuinarum. *Sap.* 6. Cuftoditio legum confummatio eft incorruptionis: incorruptio autem facit effe proximum Deo: fic ergo eft æterna vita. Poffeffio autem eft vt ad nutum & votum habeatur, ficut id quod poffidetur. Et ideo dicitur hæreditas: quia hæret infeparabiliter ad votum & ad nutum habita. *Ifa.* 60. Populus meus omnes iufti in perpetuum hæreditabunt terram. *Eccli.* 51. Venter meus conturbatus eft quærendo fapientiam; propterea bonam poffidebo poffeffionem.

Attende autem quod dicit [quid faciendo vitam æternam poffidebo?] quia tunc temporis propter diuerfas fectas Iudæorum, Pharifæorum, & Sadducæorum, & Effæorum, magna erat quæftio inter Doctores: quæ effet iuftitia Deo placens, & qua remuneratione remuneranda? Et de hac altiffima inter Iudæorum Doctores quæftione ifte tentabat Dominum Iefum Chriftum.

At ille dixit ad eum: in lege quid fcriptum eft? Quomodo legis?

Ecce refponfio confutans tentantem per legem: diuiditur autem in duas partes, in quarum prima per legem confutat tentantem: in fecunda per fimilitudinem inductam confutat hypocrifim ipfius. Adhuc prima iftarum duo continet: quorum vnum eft, quod quærendo mittit ad legem & ad legis intellectum: fecundo autem accepta occafione ex lege dicit hanc effe iuftitiam remunerandam. In primo duo facit: mittit enim ad legem, & mittit ad verum legis intellectum. Ad legem mittens dicit [in lege quid fcriptum eft?] Quid fcriptum? Si enim Chriftus refpondiffet per aliquam fectam, dictum eius calumniatum fuiffet. Nunc autem mittit ad legem, quæ ab omnibus fectis à Deo data effe fupponebatur fecundum confilium. *Ifa.* 8. Nunquid non populus à Deo fuo requiret vifionem? pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad teftimonium (fupple) eft recurrendum, quam ad errores hominum. Sic ergo mittens ad legem dicit [in lege quid fcriptum eft] lex enim eft ius fcriptum, afcifcens honeftum, prohibenfque contrarium. Hæc enim eft lex iuftitiæ & promiffionum pro merito iuftitiæ. *Eccli.* 24. Legem mandauit vobis Moyfes in præceptis iuftitiarum, & hæreditatem domui Iacob, & Ifraël promiffiones. Ex quo igitur funt ibi præcepta iuftitiarum, hæreditas domus Iacob, & promiffiones Ifraël: in lege continetur omne quod quæris. Hic ergo [in lege quid fcriptum eft] vnde fimili intentione quidam de iftis quæfiuit *Matth.* 22. Magifter, quod eft mandatum magnum in lege? Quia quærit mandatum magnum de iuftitia, magis Deo placente [quomodo legis?] hoc eft, ad quem intellectum legis? Quafi dicat: Multi errando legunt fcripturas [quomodo] tu [legis] docent enim traditiones hominum, & relinquunt quæ grauiora funt legis. *Matth.* 23. *Rom.* 10. Ignorantes iuftitiam Dei, & fuam quærentes ftatuere, iuftitiæ Dei non funt fubiecti. Tu [quomodo legis?]

Ille refpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.

Hic occafione accepta ex refponfis legis dicit illam quam lex dicit, effe iuftitiam quam Deus remunerat per vitam. Sunt ergo hic duo paragraphi: Vnus quidem qui continet legis refponfionem: fecundus autem qui continet refponfionis approbationem. Primus habet duo: vnum de dilectione Dei, & fecundum de dilectione proximi. De primo dicit [At ille] vt Legifperitus de fapientia glorians, promptus ad refpondendum [dixit] contra illud *Iacob.* 1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum [Diliges Dominum Deum tuum] tria dicit, fcilicet, diligendi modum, & quis diligendus, & quantum diligendus eft. Et modum dilectionis dicit in hoc quod dicit [diliges] Diligere enim eft ex aliis multis electum intimo amare charitatis affectu. Non enim diligeretur nifi difcrete ex aliis electum. Nec ex multis eligitur, nifi omnibus vel multis præoptatum. Et hoc eft in quo refidet charus & intimus affectus, non in alia diuifus. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Dicit Sapientia *Eccli.* 24. Ego mater pulchræ dilectionis. Pulchra enim eft, quæ pulchrum de omnibus eligit: & electum præ omnibus chara dilectione complectitur. *Cant.* 8. Fortis

8. Fortis est vt mors dilectio. Et iterum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem Dei, hoc est, multæ aliæ frigidæ & insipidæ rerum secularium dilectiones.

Dominum] Dominum propter tria : propter altitudinem honoris, propter excellentes diuitias remunerationis, propter fortitudinem redemptionis & defensionis. Hæc enim tria in se continet diffinitio Domini, quam ponit *Dion*. quod Dominus dicit, non subditorum excessum tantum; sed omnium pulchrorum & bonorum possessionem veram, & non cadere vel nutare valentem fortitudinem. De primo *Exod*. 15. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. *Psalm*. 78. Propter honorem nominis tui Domine libera nos. *Apoc*. 4. Dignus es Domine Deus noster accipere honorem & gloriam & virtutem. Honorem, propter dignitatis altitudinem : gloriam, propter diuitiarum magnitudinem : virtutem, propter fortitudinis inuincibilitatem. De diuitiarum autem copia dicitur *Rom*. 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. *Agg*. 2. Meum est aurum, & meum est argentum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quam primæ, hoc est, sapientia & eloquentia in thesauris meis & omnis boni possessio. De fortitudine autem redemptionis dicitur *Num*. 23. Deus de terra Egypti eduxit eum, cuius fortitudo est sicut rhinocerotis, qui in gremio capitur virginis: sicut summæ fortitudinis Dominus captus est in vtero Beatæ Virginis. *Iob*. 9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Sic igitur diligendus est Dominus.

Deum] propter tria, quæ sonat nominis expositio secundum *Damasc*. Theos enim si deriuetur à theoto, tas, dicit omnia videntem: si deriuetur à theoniso, as, sonat idem quod incendere vel ardere, quia Deus noster ignis consumens est : si autem deriuetur à theasthe græco, sonat idem quod circumire, quia ipse omnia circumit per prouidentiam et curam quæ creauit: videt in abscondita illuminans, penetrat in profunda intendens, & circumit omnia conseruans & procurans. Et ideo de primo *Psal*. 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. *Hebr*. 4. Omnia nuda sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. *Eccli*. 23. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circunspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Ideo dicit *Psalm*. 17. Deus meus illumina tenebras meas. De secundo *Luc*. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?3. *Reg*. 18. Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. *Isa*. 61. Egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius velut lapas accendatur. De tertio *Sap*. 6. Æqualiter est illi cura de omnibus. *Psalm*. 39. Dominus solicitus est mei. Ideo *Matth*. 23. Comparauit se gallinæ (ex custodia & solicitudine pullorum, quæ infirmatur & vocem acuit) dicens : Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Sic ergo & his de causis [diliges Dominum Deum] Sequitur

Tuum] Dominum, qui te iure creationis & redemptionis possedit. *Deut*. 32. Dominus Deus tuus qui possedit, fecit, & creauit te. *Psalm*. 115. O Domine quia ego seruus tuus; ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Vel [tuus] qui se tibi dedit ad votum & vsum. *Hebr*. 11. Non confunditur Deus vocari eorum Deus. *Exod*. 3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob : hoc nomen mihi est in æternum. Sic ego Diliges Dominum Deum tuum.

Ex toto corde tuo] Hic tangit dilectionis quantitatem iuxta possibilitatem diligentis, & non secundum valorem rei dilectæ: quia secundum valorem rei dilectæ non est creatura quæ possit diligere: sed sic se diligunt ad inuicem Pater & Filius & Spiritus sanctus. Hæc enim dilectio in illa quantitate incommunicabilis est creaturæ, quia infinita est. Hæc verba autem *Deut*. 6. sic iacent: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Matth*. *etiam* 22. sic dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Et in *Deut*. quidem non ponitur ex tota mente tua : quod tamen ponunt duo Euangelistæ *Matth*. & *Luc*. Adhuc autem in *Deut*. non ponuntur nisi tria in quantitate dilectionis. Et similiter *Matth*. non nisi tria ponit; & tamen *Luc*. ponit quatuor. Et quæritur horum causa.

Ad primum autem dici potest, quòd mens à metiendo dicta mensurat vires & fortitudinem expendenda in affectu, & effectu dilectionis. Et hanc in fortitudine intelligendam esse vult *Deuteronom*. Et ideo non ponit eam. Quia autem aliud est mens mensurans affectum, & aliud fortitudo vitium exercens effectum, ideo *Luc*. hæc distinguit in duo. *Matth*. autem mentem accipit prout viribus mensurat se in effecto: & ideo ponit mentem, & non vires. Et sic patet solutio vtriusque quæsiti. Quæcunque autem *Matth*. 22. notauimus super istam legem dilectionis, ibi requirantur, & coniungantur his quæ hic dicemus. Ibi diximus quinque expositiones, *Augustini*, *Chrys*. *Isid*. *Bern*. & nostram vnam. Hic autem solum *Luc*. exponentes, exponemus ista secundum proprietates eorum quæ videtur sonare litera.

Ex toto corde tuo] tria dicit: cor adhibens dilectioni, totalitatem adiungens dilectioni, & id quod nostrum est vult dari sibi. Cor autem secundum naturam, vt dicit *Basilius*, fundamentum est generationis, quia in homine primo generatur, & non ex alio membro corporis, sed omnia generantur ex ipso. Cor etiam secundum omnes fons est caloris, primum mobile mouens omnia, à quo omnes motus oriuntur, & ad quod referuntur. Cor etiã vitæ & spiritus est principium, sedes animæ, origo sensuum secundum *Aristot*. pyramidalis figuræ, duræ carnis : ligatum neruis & longitudinalibus à basi ipsius ad conum protractis, & transuersalibus in modum retis circunductis & implexis: fundatum super basim fortem versus dorsum : in pectore tres habens concauitates plenas spiritu & sanguine: in sinistra locatum, declinans aliquantulum versus dextram maiori ventriculo ipsius : & ideo in dextra plus emittit de spiritu & sanguine : propter quod calidior & mobilior est dextra pars quam sinistra.

Istis autem proprietatibus attribuendum est dilectioni. Fundamentum enim vitæ & principium sigillandum est dilectione ; vt ex ipso omnia interiora quæ ex corde formantur, dilectione sigillentur. *Cantic*. 8. Pone me sicut signaculum

super

stupet cor tuum. In hoc fundamento (tanquam in fonte, qui in medio paradisi bullit) ignis vitalis caloris custodiendus. *Leuit.6.* Ignis in altari meo semper ardebit. *Luc.* 24. Nonne cor nostrum ardens erat de Iesu? Hoc est primum mouens mobile mouens omnia; vt ipsum charitati mancipatum, & motum dilectione, omnes alios motus informet: quia nullus motus est meritorius nisi charitate informatus, sicut dicitur 2. *Corinth.5.* Charitas Christi vrget nos, hoc est, sua vi stimulat & mouet cor vitæ & spiritus principium: & sic dandum est Spiritui sancto qui est charitas principium in nobis boni spiritus & vitæ. *Ioan.6.* Spiritus est qui viuificat. *Rom.8.* Lex enim spiritus vitæ liberauit me. *Gloss. ibidem.* Lex spiritus vitæ est charitas, quæ ligat sicut lex. Sicut etiam cor est sedes animæ: ita charitas est sedes & quies ipsius: vnde dicitur sedere & manere Deus in amantibus: quia vita gratiæ non sedet nisi in charitate. *Cant.* 3. Media ferculi sui, in quo sedit, charitate constrauit, vt mollius sederet & quietius. Sensuum origo est: quia quoscunque sensus non format & elicit charitas, nihil valent. Et ideo sponsus in *Cant.* 4. Laudat sponsam ab omnibus organis sensuum: ab oculis, propter charitatem veritatis: ab auribus, propter charitatem obedientiæ: à naso, propter charitatem suauitatis: ab ore, propter charitatem dulcissimæ bonitatis: à tactu, propter charitatem soliditatis & firmitatis diuinæ. Omnia enim hæc à charitate producuntur, quod clara est veritas, quod iucunda obedientia, quod suauis est suauitas Dei, quod dulcis bonitas, quod solidissima firmitas cui homo innititur semper, nunquam inoixa super vanitatem. Cor pyramidalis figuræ significat infra latam charitatem in effectu circa proximum. *Psal.* 118. Latum mandatum tuum nimis. Superius strictum in affectu simplici ad Deum. In signum huius pyramidales figuras Iudas Machabæus super busta parentum erexit, docens talem parentes habuisse charitatem. Duræ carnis: & charitas duræ æmulationis, contendens vt placeat amato. *Cant.8.* Dura sicut infernus æmulatio. Ligatura neruorum optimè charitati conuenit, quæ est vita ligans amantem & amatum: longitudinaliter in æternum, quia nunquam excidet: & latitudinaliter circulariter, ad proximum, quem vndique circuit, subueniendo necessitatibus eius propter Deum. *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Fundatio cordis in fortitudine ossium dorsi, immobilitatem significat charitatis. *Rom.8.* Quis nos separabit à charitate Christi. Q d. nullus. *Ibidem.* Nulla creatura poterit nos separare à charitate Christi, quæ est in Christo Iesu. Tres concauitates in pectore plenæ spiritu & sanguine, tres receptiones charitatis in quibus spiritum habet pietatis: prima est receptio summa Dei, quem præ omnibus diligit: secunda receptio animæ suæ & animæ proximi, quas post hoc diligit: tertia receptio siue locatio corporis sui & proximi, quod in fine diligit: & tamē omnibus exhibet pietatem. *Psal.* 62. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Fundit calorem & humorem charitatis & pietatis plus in dexteram: quia illis qui ad dexteram pertinent plura exhibet signa charitatis & pietatis. *Hebr.* 13. Beneficentiæ & charitatis nolite obliuisci. Et *ibidem.* Charitas fraternitatis maneat in vobis. Istis ergo proprietatibus cor ad dilectionem est referendum, scilicet; vt fundata sit vita in charitate, vt omnis motus, & sensus & cordis consistentia fiat in charitate: sicut dicitur *Ephes.* 3. In charitate radicati & fundati.

August. Autem attendens cor esse principium sensus & cogitationis, dicit cor poni pro intellectu, & dicit [ex toto corde diligere] esse ex omni intellectu sine errore tendere in veritatem. Totalitas autem cordis est, vt in eodem corde vel parte eius non sit retrahens. Non enim potest Deus habere partem cum Diabolo vel peccato. 2. *Corinth.* 6. Quæ communicatio templo Dei cum idolis? Et *ibidem.* Quæ conuentio Christi ad Belial? [tuo] autem dicit: quia sicut dicit *Greg.* Nihil corde est fugacius, & sæpe auertitur etiam dum teneri præsumitur. Et quia Deus non præcipit impossibile, ideo dicit [tuo] quod enim nobis præter consensum de corde nostro elabitur, non possumus referre ad Deum. Et ideo dicimur inuenire cor, quando à fugacitate ad Deum reducimus. 2. *Reg.* 7. Inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac. Hoc est ergo quod dicit [ex toto corde tuo] sequitur.

Et ex tota anima tua] hic iterum tria notanda sunt: vt scilicet anima charitati subiiciatur: & nihil de totalitate animæ dilectioni subtrahatur: & hoc quod tuum est, à te de anima non retineatur quin charitati mancipetur. Anima autem nostra principium est & causa intellectualis vitæ & organicæ in nobis: sicut dicunt sapientes. Hæc autem charitati mancipatur, quando vita intellectualis & organica ad charitatem refertur. Qualiter autem hoc fieri possit ostendamus. Dicit *Philosophus* quod intelligere intellectualibus est esse. Ab eadem tamen anima est vita organica tam in oculis quam in manibus quam in pedibus & aliis membris. Vnde *Auicenna* dicit de anima humana, quod ab ipsa fluunt quædam vires non coniunctæ corpori sicut intellectus, & liberum arbitrium, & huiusmodi: & quædam coniunctæ corpori, sicut phantasia, & sensus, & huiusmodi. Et ideo anima non refertur ad charitatem, nisi & intellectus & organorum virtutes ad charitatem referantur. Hoc vult dicere *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Quod enim dicit animam, intelligit id quod separatum est in anima, quod est causa & principium vitæ intellectualis. Quod autem dicit de spiritu in præcordiis, intelligit de spiritu mouente præcordia & organa, quem etiam mancipauit charitati Domini. Huius totalitas est in anima quidem intelligentia, memoria, voluntas: in organis autem sensibilitas, & vegetabilitas. Tota igitur intellectualis vita charitati mancipatur, quando intellectus afficitur claritate lucis, memoria notitia æternitatis, & voluntas tranquillitate pacis. De primo dicitur *Sap.* 7. Proposui pro luce habere illam. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. De secundo *Psal.* 136. Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui. De tertio *Philipp.* 4. Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Organica autem vita suam habet totalitatem, quando omnia membra extendit ad charitatis opera: sicut dicitur *Rom.* 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra seruire iustitiæ in sanctificatio-nem.

nem. In his autem multum est corruptionis, quod nostrum non est: & in hoc transgressores non sumus si non exhibemus: quia corruptionem sentientes gemimus, scientes quod non habitat in nobis, hoc est, in carne nostra bonum *Rom.* 7. Et clamamus cum *Paulo ibidem*, dicentes: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sequitur.

Ex omnibus viribus] & in hoc etiam tria tangit: vires, scilicet hominis, vniuersitatem earundem, & id quod nostrum est in eis quod infirmitas absorptum non deficit. Vires autem a vi dictæ sunt robora & fortitudines. Vnde etiam *Deut.* 6. Dicitur: Ex omni fortitudine tua. Vires ergo sunt robora, quæ habere possumus. Habemus autem tria, quæ vires ministrant: vnum quidem est naturæ habilitas: de quo dicitur in *Psal.* 58. Fortitudinem meam ad te custodiam. Secundum autem, exercitium virtutis quod tribuit facilitatem: de quo dicitur *Isa.* 40. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas, scilicet, virtutum, vt aquilæ, current & non laborabunt, volabunt non deficient. Tertium est gratia Dei, quæ facit potentes & vincentes. *Philipp.* 4. Omnia possum in eo qui me confortat. Hæc est igitur vniuersitas virium. In omnibus autem multum tollit infirmitas: & hoc ad charitatem operando referre non possumus: & ideo dicit [tuis] *Psalm.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Sequitur.

Ex omni mente tua] Iterum tria dicit: mentem ad charitatem Dei referendā, totalitatem mentis, & id quod nostrum est in ea. Mens autem (à metiendo dicta) ratio intelligitur: quę mensurat opus, & circumstantias operis, & finem. Istæ enim mensuræ sunt necessariæ ordini charitatis, qui nullo modo est violandus. *Cant.* 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Iste est vir de quo dicitur *Ezech.* 40. Funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius. Funiculo enim lineo (quod linum de terra oritur) mensuratur actus ad circumstantias terrenæ virtutis. Calamo autem solidæ rectitudinis mensuratur opus ad finem intentionis, vt sic ex omni mente procedat opus ordinatæ charitatis. 1. *Corinth.* 14. Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis. In his autem iterum per surreptionem & ignorantiam multa deperreunt, quæ non potest cauere humana ignorantia *Iob* 3. Viro cuius absconditaest via, & circumdedit eum Deus tenebris. Et ideo dicit [tua] sic ergo dilige Deum ex omni mente tua. Ex toto quidem corde, vt motus vitæ ad ipsum referas: ex tota anima, vt intelligentiam, & voluntatem, & memoriam cum corporalibus organis ad ipsum conuertas: ex omnibus viribus, vt nihil tibi de viribus tuis retineas, vel attribuas: ex omni mente tua, vt omnia ordine charitatis ordines, & nihil inordinatum relinquas. Sic enim attingit charitas à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter *Sap.* 8.

Et proximum tuum sicut teipsum.

Tangit duo: id quod diligendum est, & formam dilectionis. Id quod diligendum est, est proximus. *Leuit.* 19. Sic habetur. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Et dicitur quod ibi 70. habent proximum. Est autem notandum quod est proximus sanguine, & est proximus beneficio largitatis vel misericordiæ. Proximus sanguine, est secundum gradum aliquem sanguinis prope vel propiùs coniunctus. 2. *Reg.* 14. Non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum. Hic tamen videntur proximi dici beneficio misericordiæ & & charitatis. Iste enim proximus est, qui proximè accedit in affectum. Et ille est à quo dependeo per affectus exhibitionem in charitatis beneficiis, quibus me præuenit. Et ideo dicit *Chrysost.* Quod cognatio non facit proximum, sed misericordia. Quæ etiam misericordia secundum naturam est: nihil enim tam secundum naturam est, quam naturæ adiuuare consortem. Est autem intelligendum verbum, quod cognatio non facit proximum secundum actum proprium proximi: quia proximus secundum actum proprium & operationem proximi est qui appropiat: sicut hic dicitur, quod Samaritanus appropians alligauit vulnera. Sæpe autem contingit quod cognati non appropiant, sed longe recedunt. *Ps.* 37. Qui iuxta me erant, de longè steterunt.

Dupliciter ergo dicitur proximus: gradu naturæ, & appropiatione beneficij. Gradu naturæ nemo proximior quam ille, qui sine gradu coniungitur: sicut parens spiritualis, Deus principaliter; in quo sicut dicitur *Act.* 17. Viuimus, mouemur, & sumus. Et post hunc parens carnalis, qui sine gradu coniungitur corpori nostro. In primo autem gradu, qui nobiscum est ex eodem: sicut frater & soror. Et sic postea secundum distantiam est aliquis propinquior & alius longinquior. Et secundum hoc cum omnes spiritualiter & secundum opus creationis & reformationis simus ex vno parente Deo, omnis homo omni homini est proximus in gradu primo. *Ruth* 3. Nec abnuo me propinquum esse; sed alius propinquior me est. Sed proximus secundum actum proximi principaliter proximus est: & de illo hic loquitur Dominus & lex, quando dicit [Et proximum tuum sicut teipsum] supple, diliges. Quod autem dicit diliges, in futurum extendens dilectionem, notat perseuerantiam dilectionis tam ad Deum quam ad proximum. *Ioan.* 13. Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos *Ioan.* 13. Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. *Psal.* 17. Diligam te Domine, virtus mea [proximum] omnem hominem, vel tibi approximantē: quia ille te præuenit beneficiis charitatis. *Ecclesiastici* 37. Omnis homo dicit: Et ego amicitiam copulaui.

Hunc ergo diliges [sicut teipsum] sicut autem non notat quantitatem, sed similitudinē in forma, & fine. In forma quidem, vt ex eiusdem charitatis sinceritate diligamus eū: quia dicit *Tullius in li. de Amicitia*, quod prima lex amicitiæ sancita est, vt pro amicis nō nisi honesta faciamus. Et sic diligitur ex charitatis sinceritate, expulso omni fermēto libidinosi amoris, vel lucrosæ dilectionis. 1. *Cor.* 5 Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio sicut estis azymi. Charitas enim sicut dicitur 1. *Corinth.* 13. Non agit perperam. Secundum finem autem diligit sicut seipsum, quando & ad terminum dilectionis diligit, & ad finem. Ad terminum: quia ad charitatis opera. Sicut enim dicit *Greg.* Charitas magna operatur si est; si autem desinit operari, charitas non est. Ideo etiam

etiam dicit, quod probatio dilectionis exhibitio est operis. Vnde *Ioan.*14. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit. 1. *Ioan.*3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo est charitas Patris in eo? Ad finem etiam eundem, quia propter idem diligit proximum propter quod diligit seipsum: & hoc est propter salutem æternam, propter quam facit quicquid facit. *Deut.*33. Dilexit populos. Et propter quid dilexerit, subdit dicens: Omnes sancti in manu illius sunt. Sic diligitur in Deo amicus: & propter Deum conuertendus diligitur inimicus. Sic ergo [diliges proximum tuum sicut teipsum]

Si autem faciliter hunc passum dilectionis vellemus exponere, diceremus, quia vna charitas accipitur in affectu, & accipitur in effectu: in affectu, quantitas eius mensuratur ad Deum: & in effectu mensuratur ad proximum. In mensura autem affectus ad Deum, qui bonorum nostrorum non indiget, mensuratur secundum duas animæ partes: motiuam videlicet, & apprehensiuam: siue affectiuam, & intellectiuam: quod idem est. Et si mensuratur secundum partem affectiuam vel motiuam, non potest mensurari nisi duobus: vno, quod est sicut motum & affectum imperans: & altero, quod est sicut exequens. Imperans autem motum est cor, quod est omnis motus & affectus principium: & quoad hoc dicit [diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo] *Prouerb.*4. Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit, hoc est omnis motus vitæ. Si autem mensuratur eo quod motum exequitur, hoc est vires quę ad motus charitatis exercentur & expenduntur: & sic dicit [diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis] quia vires expendit charitas. Dicit sponsa in *Cant.*5. Nuntiate dilecto quia amore langueo. Si autem mensuratur secundum partem apprehensiuam siue intellectiuam, hoc iterum contingit duobus modis: vno quidem secundum veritatis intellectum & acceptionem: & hoc est quod dicit [diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua] quia non est in homine anima nisi intellectiua: sensibilis enim & vegetabilis partes sunt potentiæ & non animæ: & ideo dicit *Philosophus in* 10. *Eth.* Quod homo est solus intellectus. Aut etiam mensuratur secundum acceptæ vel intellectæ siue apprehensæ veritatis collationem: & sic dicitur [diliges Dominum Deum tuum ex omni mente tua] quia sicut diximus, mens à mensurando dicta siue metiendo, rationem supponit conferentem accepta per intellectum, & probantem quid sequatur ex acceptis: sicut dicit *Apostol.*1. *Thes.*5. Omnia probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Si autem mensuranda est secundum effectum, tunc dilatatur in opere ad proximum per modum qui dictus est.

Ordinatur autem ista secundum rationem; quia enim imperans est ante exequens: ideo duo imperantia sunt ante duo exequentia. Inter exequentia autem id ponitur ante, quod est essentialius ad virtutem: & hoc sunt vires operantes ante mentem mensurantem. Et quia dilectio affectus est ante dilectionem effectus, ideo dilectionem Dei ponit ante dilectionem proximi. *Ruth* 3. Expande pallium quia propinquus es, hoc est, pallium charitatis in latum propinquitatis per omnem differentiam proximi expande. Et hæc expositio de duobus mandatis charitatis inter alias conuenientior esse videtur. Tamen si hæc quæ dicta sunt hic, his quæ super *Matth.* dicta sunt addantur, melius potest intelligi.

Dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac & viues.

Ecce vera salutaris iustitiæ ostensio, accepta de responsis legis quæ calumniam habere non poterant. Dicit ergo [Rectè respondisti] *Matth.*25. Ex ore tuo te iudicio serue nequam. *Psalm.*49. Arguam te & statuam contra faciem tuam [hoc fac] in opere. *Iacob.*1. Siquis perspexerit in lege perfectæ libertatis, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. *Ps.*110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi [fac] ergo in merito sicut legis & intelligis [& viues] possessione vitæ æternæ. Et ideo consignificat in verbo viuendi tempus futurum, cuius nullus est finis. *Rom.*8. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Spiritus autem quo facta carnis mortificantur, Spiritus est charitatis: quia in hoc est verum, quod dicitur *Cantic.*8. Fortis est vt mors dilectio. Iste calor charitatis est, quo calefacta est caro pueri (quando se super eum expandit Propheta magnus, potens in opere & sermone) & morte fugata reuixit 4. *Reg.*4. Quomodo enim non viuet, in quo continuè spitat spiritus vitæ? Charitas autem est spiritus vitæ, quia Spiritus sanctus est. *Rom.*8. Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis. Quod de charitate exponit *gloss. Ibidem.*

Ille autem volens iustifica re seipsum, dixit ad IESVM: Et quis est meus proximus?

Hic tangitur conuictio hypocrisis eiusdem tentatoris, qui ante de malitia tentationis conuictus est. Diuiditur autem in quatuor partes, in quarum prima continetur quærentis simulatio: in secunda simulatoris in parabolica similitudine instructio: in tertia instructi per parabolam inquisitio: in quarta per occasionem acceptam ex responsis ipsius confutatio. De primo autem dicit duo: simulationem, & simulatoris, vt se occultet quæstionem. De simulatione dicit [Ille autem volens iustificare seipsum] hoc est, iustum ostendere, putans se coram homine & non coram Deo stare. Et ideo *Matth.*23. Dicit Dominus, quod ipse & similes sui similes sunt sepulchris dealbatis, quæ à foris videntur hominibus speciosa, intrinsecus autem sunt plena spurcitia & omni immunditia. *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. *Matth* 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Contra quod dicit *Daniel* 9. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Dixit ad IESVM] de quo dicitur *Ioan.*2. quod non erat ei opus, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim nouit quid esset in homine [Et quis est meus proximus] Aut enim iste nesciuit quis esset proximus in opere & actu proximi: aut

aut sciuit, sed finxit se nescire. Si nesciuit, tunc non ad intellectum legis legit legem. Et sic dicit *Gloss. quadam*, quod Legisperitus vt sapienter respondisse dicatur, primum se legis fatetur ignorare mandatum: quia humiliari recusans, & seipsum iustificare volens, arcana non potest videre quæ reuelantur paruulis Christi. Cui Dominus ita responsum temperat, vt omnis qui misericordiam facit, proximus esse intelligatur. Specialiter ipse Dei Filius, qui nobis per humanitatem proximus esse designatur ex factis. Si autem sciuit quis erat proximus, tunc simulator fuit. Et hoc verius videtur esse secundum literam, quæ dicit quod voluit iustificare seipsum: quia aliquo modo potest ignorare aliquis cognationem proximi, & negare: ideo quod fortè per actum se elongat & operationem. *Iob* 19. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerunt obliti sunt mei. Sed nullus potest ignorare eum qui secundum actum & opus appropinquat: quia asinus nec bos illum ignorat. *Isa.* 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Et ideo pro multa ingratitudine, quæ fuit in isto ad omnes beneficos suos: & pro multa simulatione sua motus Dominus fuit. Et hoc est quod sequitur.

Suscipiens autem IESVS, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.

Suscipiens autem IESVS] in cælum pro multa hominis ingratitudine & simulatione: ostendens in sua in cælum aspectione, quantum peccaret sic simulando, & ingratitudinis vitio: ita suspiciens in cælum in morte Lazari, ostendens quam profundè eum mors absorbuerat. *Ioan.* 11. IESVS autem eleuatis sursum oculis [dixit] Hic autem incipit per similitudinem parabolica instructio. Vtrum autem istud ad literam factum sit sicut hic narratur, an per similitudinem ita aptatum sit, responsione non est determinatum: & ideo sub dubio relinquitur: quia si ita non fuit, tamen sic esse potuit. Et probabilius est quod ita sicut narratur acciderit: quia adhuc desertum quoddam interiacet inter Ierusalem & Iericho, vbi multi transeuntes periclitantur. Diuiditur autem ista similitudo in tria, in quorum primo de periculo agitur sauciati: in secundo autem de duritia & immisericordia eorum qui videbantur esse proximi: in tertio de misericordia eius secundum operationem & actum proximi, licet secundum cognationem esset longinquus & alienus. In primo autem horum quatuor determinantur: via scilicet hominis in periculum incidentis, ministerium sceleris, perpetratio periculi, & crudelis abiectio & derelictio semiuiui. Quatuor autem dicit circa primum: naturam scilicet periclitati sub metaphora, causam periculi à quo recessit, & in quid tetendit cum periclitari incepit.

De primo dicit [Homo] Adam homo interpretatur, & genus humanum significat: quia omnis homo in natura est Adam, vt dicit *Anselm.* [quidam] autem dicitur in ratione dignitatis, in qua singulare antequam caderet habuit priuilegium. *Genes.* 3. Ecce Adam siue homo, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. *Genes.* 5. Vocauit nomen eius Adam, hoc est, homo. *Genes.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Omnis quidem homo in natura: quilibet autem peccans homo in persona, significatur in hac similitudine [descendebat] Ecce causa periculi sub metaphora significata. Descensus enim est in peccatum inclinatio: in quo à gratia Dei, & à dignitate naturæ, & à custodia Angelorum descenditur. *Isa.* 52. In Ægyptum descendit populus meus, vt colonos esset ibi. Descensio ista inclinationem significat hominis in peccatum ad regionem, quæ mortis, mœroris, & tenebrarum est plena. Dicit autem [descendebat] à præterito in præsens continuans descensiones suas, sicut grauis corde. *Psalm.* 4. Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Semper enim deorsum tendit, qui cor suum grauat per peccatum: quia sicut dicitur *Zach.* 5. Iniquitas sedet super talentum plumbi. Dicit autem quid reliquit [ab Ierusalem] ad literam. Sed figuratiuè intelligit illam, quæ sursum est Ierusalem, quæ libera est, quæ est mater nostra *Galat* 4. quæ nomine & interpretatione visio æternæ & internæ pacis interpretatur, vbi nullæ latronum insidiæ, vbi sicut dicitur *Isa* 32. Sedet populus Domini in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Ab ista descendit, quando peccato consensum dedit [in Iericho] quæ interpretatur luna vel defectus: quia sicut dicitur *Eccli.* 27. Homo sapiens in sapientia permanet sicut sol: nam stultus vt luna mutatur. Et ex hoc, defectus omnes quos patitur incidit. *Psalm.* 30. Defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea. In intellectu igitur & sensu menstruis defectibus subiacuit vt luna: in omnibus autem aliis defecit in infirmitatibus ad bonum ex paupertate spoliorum, quam incidit ex quo spoliatus fuit.

Et incidit in latrones] Tangit in ministerio periculorum primum authores sceleris, dicens [incidit in latrones] Et benè dicit [incidit] quia nemo ex intentione vult peccatum: cum peccatum sicut dicit *Dionys.* sit inuoluntarium & præter intentionem, incausale, infœcundum, & pigrum. Et ideo dicit *August.* quod peccatum est actus incidens ex defectu boni. Et ideo [incidit] quia licet ex intentione incommutabili bono delectari vellet; tamen ex intentione abstrahi ab incommutabili bono non intendit: sed hoc incidit, quia frui volebat vtendis. Et sicut dicit *Beatus Bernard.* Nemo simul sapere potest quæ sursum sunt, & quæ super terram *Coloss.* 3. Sic ergo incidit [in latrones] Ecce ministri sceleris. Latro autem est aperte spolians. Fur autem à furno, quod nigrum, dictus est, qui clam insidiatur. Latro autem est diabolus apertè tentans: & fur, quando occultè insidiatur. *Abdiæ.* Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Latro enim & fur ius non habent: sed inuito Domino contrectant ea quæ auferunt. Ita diabolus ius non habuit in homine, sed spolia contrectauit maliciosa voluntate, & Dei permissione. *Ioan.* 10. Qui ascendit aliunde, ille fur est & latro. *Osee* 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. In tales ergo incidit latrones.

Qui etiam despoliauerunt eum] Ecce sceleris ministerium

ministerium duplex. Despoliauerunt autem eum gratuitis auferentes salutis habitum, de quo dicitur *Isa.*61. Induit me Dominus vestimento lætitiæ salutis: & indumento lætitiæ circumdedit me. Sic fratres Ioseph exuerunt Ioseph tunicam polymitam, quam fecerat ei Pater suus *Genes.*37. Gratiam enim & virtutes perdit homo, quando diabolo suadente & præcipitante cadit in peccatum [& plagis impositis] qoia in naturalibus bonis vulnera grauissima intulerunt. Naturale enim bonum est in ordine cordis ad bonum cognoscendum, credendum, volendum, operandum, consequendum, & retinendum: quod qualiter vulneratum sit, patet omnibus qui niti voluerint ad bonum, & difficultatem sentiunt in his quæ dicta sunt. *Isa.* 1. Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Quia neque ligata ligamentis præceptorum, nec curata medicamine Sacramentorum, neque fota oleo misericordiæ ministrorum & compassionum. *Iob* 16. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Quia peccato post peccatum continuò vulneratur naturale bonum.

Abierunt] per dissimulationem ad tempus; non tamen cessantes ab insidiis ante mortem. *Psalm.*9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentes. Diuites sunt Dæmones multos spoliantes [semiuiuo relicto] quia mortuus fuit vita gratiæ per culpam priuatus, & in vita naturæ profundè vulneratus, solam imaginem in qua creatus est retinens. *Psalm.*38. In imagine pertraosit homo. *Iob* 19. Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo. Destruxit me vndique, & pereo. Gloria enim conscientiæ in gratiæ perditione spoliatur: corona lapidum pretiosorum perditur in ornatu virtutum: destruitur homo vndique in habitu naturalium bonorum: & sic voluttatur de peccato in peccatum, & perit.

Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præteriit.

Hìc tangit similitudinem propinquorum secundum opus & actum proximi non appropinquantium: & habet duas partes secundum duo genera propinquorum non appropinquantium. Tangit autem tria: debitum appropinquandi, inexcusabilitatem, & appropinquationis dissimulationem. De primo dicit [Accidit autem] Quia etiam quod Sacerdos infirmitate in manus latronum cadit, accidit & præter intentionem fit: vt diximus *Hebr.*5. Quoniam & ipse Pontifex circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum & pro populo, ita & pro semetipso offerre pro peccato [vt Sacerdos quidam] legis veteris habens Sacerdotium. *Psalm.*98. Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius. Et in hoc notatur debitum: quia Sacerdotis officium est subuenire infirmis, & impendere curam. Quia sicut dicitur *Leuit.*14. & *Sapient.*17. Sacerdos offerre habet pro populo, & orare, & curare infirmitates populi & immunditias [descenderet] per tentationem. Vt (sicut dicitur *Hebr.*7.) ex his quæ ipse passus esset, disceret compassionem [eadem via] vt sit inexcusabilis, quod non inuenit eum: modo autem sau-cium inuenit, [& viso eo] non compassionis oculo, sed potius claudens viscera sua ab eo: quamuis esset loco compatriota, ordine pater, genere frater; viso tamen eo duro oculo. *Iob.* 30. Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ aduersaris mihi [pretenit] nihil subuentionis & misericordiæ impendens. *Toren.* 4. Filia populi mei crudelis quasi strutio in deserto. Crudelitas enim strutionis est quam determinat *Iob.*39. quia duratur ad filios quasi non sint sui. Et sic sacerdotium veteris legis, in quo lex statum habuit, sauciato homini nullam curam vel misericordiam impendit.

Similiter autem & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

Tangit hic similiter tria: debitum curandi, inexcusabilitatem, & curationis subtractionem. Dicit igitur [Similiter] simili de causa: quia gratiam nullam contulit sicut nec sacerdotium vel lex. Quia sicut prætereunte aliquo, qui curam sauciato non impendit, augetur dolor sauciati & gemitus & non minuitur: ita lex & sacerdotium subintrauerunt vt abundaret delictum, ex hoc quod delictum indicauerunt & non curauerunt. *Rom.* 5. Multi autem etiam nostrorum Sacerdotum non curant sauciatos in peccatis: sed paucula illa (quæ à demonibus relicta sunt) temporalia tollunt: & peccatorum vulnera non curant per sinceram Sacramentorum exhibitionem. *Iob.* 24. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Et sic faciunt Domini in defendendo, aduocati in patrocinando, Medici in curando: & quibus ad alterum est in affectu exactoris & latronis. *Isa.* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt. *Ier.*6. A maiori vsque ad minorem omnes auaritiæ student [& Leuita] Leuita hic ab officio Leuitæ dicitur, qui minoris ordinis existens Sacerdoti obsequitur. Et allegoricè quidem cuneum significat Prophetarum, qui licet limpidis oculis saucium viderit, tamen nec curauit nec curare potuit, sed verum eius curatorem indicauit. Moraliter autem quilibet ordinis inferioris curam & misericordiã non impendens, sed lucrum intendens per Leuitam significatur: & maximè illi qui curam sauciorum susceperunt, sicut Prælati & Iudices Ecclesiarum. *Mich.* 2. Contra Dominum est manus eorum: & concupierunt agros, & violenter tulerunt eos. *Isa.*5. Qui iustificant impium pro muneribus: & iustitiam iusti auferunt ab eo. Significantur autem & illi qui dissimulant adiuuare, cum debeant & possunt. Omnes enim isti de crudelitate arguuntur [cum esset secus viam] propinquus. Secus autem viam esse, significat rationem vicinitatis & propinquitatis ex patria, & cognatione, & ordine. *Psal.*37. Amici mei & proximi mei aduersum me adpropinquauerunt & steterunt [& viso eo] vt sit inexcusabilis. *Matth.* 25. Infirmos fui, & non visitastis me [præteriit] *Ierem.* 6. Crudelis est, & non miserebitur. *Isa.*63. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo miserationum tuarum & viscerum tuorum & miserationum tuarum? super me continuerunt se.

Similem ferè in omnibus historiam narrat Alexandro *Aryst.* 1. *lib. De regimine Dominorum*

de Iudæo & gentili, præcipiens Alexandro ne vnquam confidat de Iudæo. Est autem hæc historia: Iudæus & Gentilis iter fecerunt per desertum: Iudæus pede, & Gentilis in iumento subuectus. Cum autem Iudæus deficeret, Gentilis cibauit eum, & de vtribus suis potauit. Itinerantes autem ab inuicem quæsiuerunt quibus legibus vterentur. Gentilis dixit suam esse legé, omnibus hominibus fidem tenere: beneficia impendere, misericordiam exhibere. Econtra Iudæus dixit suam esse legem, nulli fidem tenere nisi contribuli, nulli grates pro beneficiis exhibere nisi suæ esset legis, nulli etiam misericordiam facere nisi carni suæ. Tandem lassato Iudæo positus est à Gentili in iumento cum esculento & poculento, qui statim abegit iumentum cum necessariis dimisso Gentili in periculis deserti. Sed vltor iniquitatum Deus misit bestiam contra Iudæum, quæ deiectum de iumento prostrauit & debilitauit: & sic Gentilis in iumento repositus, à periculis deserti saluatus est. Cum autem improperaret Gentilis Iudæo cur ingratus beneficiis, malum pro bono reddere voluisset. In excusationem prætendit legem, dicés: Hoc esse suæ legis, quòd alienigenis mala essent impendenda, etiam si beneficia essent recepta ab eis: contra quod dicit *Apostolus Rom.* 3. Nulli malum pro malo reddentes: sed è contrario benedicentes. 1. *Cor.* 10. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit.

Hic ostendit qualiter alienigena, secundum opus & actum proximi appropians proximior efficitur; quam cuiuscunque ordinis vel gradus cognatus. Dicit autem duo: scilicet, qualiter misericordia motus appropinquauit, & qualiter curam misericorditer impendit & beneficia. In primo sex continentur, quorum primum descriptio est patriæ, quia alienigena fuit: eo quòd vulneratus erat Ierosolymitanus, & iste Samaritanus. Secundum, quod eodem itinere ambulauit. Tertium, quod passu cordis & corporis ad eum venit, non pertransiens sicut alij duo fecerant. Quartum quod nuntio pietatis oculo vulnera eius respexit, Quintum, quod misericordia intus motus visceribus pietatis est affectus. Sextum, quod congemens doloribus eius, ad ipsum per compassionem appropinquauit.

Dicit igitur [Samaritanus quidam] Congruum nomen patriæ accepit: quia Samaritanus custos interpretatur, qui sui custos & aliorum nihil non custoditum relinqueret. Sui enim custos est qui seipsum intra terminos humanæ pietatis & virtutis custodit. Et qui hoc non facit in canem vel asinum vel aliam bestiam transformatos perditur. *Psalm.* 48. Homo cum in bonore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus. *Deut.* 4. Custodi temetipsum & animam tuam solicite. Alios etiam custodit sibi commissos: quia hic custos Iesus Christus est, & eius sequaces. *Ioan.* 17. Quos dedisti mihi ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. *Psalm.* 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem &c. *Psalm.* 120. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël [Iter faciens] Transit enim talis custos, frequenter visitans & quærens cui miserationum impendat beneficia. Hoc optimè significatum est *Tob.* 5. Viam quæ ducit in Rages ciuitatem Medorum noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui. Medi enim mensurantes interpretantur vel adæquantes: & significant misericordia plenos, qui semper commensurant & adæquant se miseris. Rages autem interpretatur ægrotatio. Viam enim quæ ducit ad ægrotos nouerunt: & omnia itinera illa secundum diuersitates pauperum & infirmorum frequenter ambulant. Tertium est, quia [venit secus viam] quia in eadem via ponit se per compassionem ad patientes per passionem 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror? *Iob* 30. Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi [& videns eum] Ecce quartum, quod nuntio pietatis oculo vulnera eius respexit. *Thren.* 1. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subuersum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. *Psalm.* 24. Respice in me, & miserere mei. *Exod.* 3. Videns vidi afflictionem populi mei, & gemitum eius audiui [misericordia motus est] Ecce quintum, quod misericordia intus motus est: *Ierem* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius. *Ose.* 11. Conuersum est in me cor meum: pariter turbauit me pœnitudo mea [Et appropians] Ecce sextum, quod per miserationes appropinquauit. *Psalm.* 33. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit. *Deut.* 4. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi sicut Dominus Deus noster adhæsit omnibus obsecrationibus nostris Sic amici Iob appropinquabant sibi *Iob.* 2. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Sic enim oportet, quòd appropinquet consolator consolando: vt prius compatiendo condescendat, & condescendens afflicto congemat, congemens inhæreat, & inhærens ad consolationem trahat.

Alligauit vulnera] hîc ostendit qualiter beneficium & curam vulnerato impendit. Dicit autem septem, quæ vulnerato impendit beneficia, scilicet alligationis, lenificationis, depurgationis, subnectionis, hospitalitatis, curationis, expensarum exhibitionis. De primo dicit [alligauit vulnera eius] vulnera sunt aperturæ plagarum peccatorum, quæ plagæ sunt apertæ quamdiu consensu & actu & consuetudine diuidunt integritatem naturalis boni animæ. *Isa.* 1. Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. Hæc vulnera iste custos alligauit, constringendo ea infitiis & restibus præceptorum & consiliorum diuinorum. *Psalm.* 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. *Eccli.* 6. Ne accedieris in vinculis eius. Et infra paulum: in vinculis illius alligatura salutis [infundens oleum] ecce beneficium mitigationis. Oleum enim lenitiuum est. *Cant.* 1. Oleum effusum nomen tuum. Et oleum vnctionem significat gratiæ sacramentalis. *Eccli.* 38. In his curans mitigabit

rigabit dolorem. Et vnguentarius faciet pigmenta suauitatis: & vnctiones conficiet sanitatis. Gratia enim sacramentalis parte pœnæ tollens, mitigat acerbitatem doloris [& vinum] ecce beneficium purificationis. Vinum enim mordacitate sua purificat vulnera, tollens & lauans siquid est in eis putredinis. *Psalm.* 59. Potasti nos vino compunctionis. *Genes.* 49. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Stola dicitur à Græco stolo, quod sonat latine longum: & significat stola vitam corporis huius, quæ sæpe secundum totam longitudinem iuuentutis vsque ad senectam vulnerata est, & vino compunctionis lauanda. Pallium autem amictus animæ est & spiritualiter conuersationis in corde & verbis, quæ similiter lauanda sunt vino pœnæ & compunctionis, dicendo: Asperges me domine hyssopo & mundabor : lauabis me, & super niuem dealbabor. *Psalm.* 50. [Et imponens illum in iumentum suum] ecce beneficium subuectionis. Iumentum enim dicitur quasi iuuamentum, quia iuuat ad laborem: & significat oneris supportationem, qua infirmorum onera supportamus, vt melius fetant onus pœnitentiæ. *Ps.* 77. Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum. *Galat. vl.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores onera infirmorum portare, & non nobis placere. Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem [duxit in stabulum] ecce beneficium hospitalitatis. Stabulum à stando dicitur & significat Ecclesiam in quam pœnitens introducitur pro reconciliatione. Vel significat domum, in quam introducitur pauper infirmus. *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus, ostium viatori patuit. *Isa.* 58. Egenos vagosque induc in domum tuam. *Hebr.* 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis [& curam eius egit] ecce beneficium curationis, quia nihil aliud est nisi adhibere solicitudinem, vt cum effectu subleuetur necessitas indigentis: sic enim curatur & sanatur infirmus. *Osea* 14. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè. *Psal.* 59. Sana contritiones eius, quia commota est.

Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.

Et dicit quatuor : expensarum prolationem, hilarem donationem, fidelem ægroti apud stabularium commissionem, & supererogationis soluendæ promissionem. In primo horum adhuc tria notantur: quorum vnum est Samaritani apud ægrotum morosa mansio : secundum temporis ad recessum determinatio : tertium est quod suprà dictum est, expensarum prolatio.

De primo nota quod ab inuentione ægroti Samaritanus vno die permansit: quia postea quam vulnera ligata sunt, in vno die videtur de infirmi desperatione, vel conualescentia. Quia si non adiunguntur sibi partes vulnerum sed spasmantur, desperationis signum est. Si autem fouetur vulnus & adiungitur, spes est conualescentiæ. Et est opus misericordiæ mansio apud ægrotos donec emendentur. *Iob* 2. Sedebant cotam Iob doleme septem diebus, & septem noctibus. E contra de subito se abstrahentibus à consolatione, dicitur *Osea* 6. Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Nubes enim matutina statim sole orto recedit, & ros exsiccatur subito. Determinatio autem temporis est, quod dicit [altera die] & huius causa literalis iam dicta est. Allegoricè autem, altera dies Samaritani nostri veri custodis Christi est altera lux eius : quia primo die fuit nobiscum vulnera nostra ligans in luce gratiæ. Altera die in luce gloriæ recessit à nobis parare nobis locum. *Ioan.* 14. Vado parare vobis locum. Et si parauero vobis locum : iterum venio, & assumam vos ad meipsum. *Iudic.* 19. Quæso te vt hodie hic maneas, pariterque lætemur [altera ergo die] hoc est, altera luce surgentis auroræ & nouæ sanitatis in vulnerato, & nouæ gloriæ in Samaritano.

Protulit duos denarios] ecce expensarum impendendarum prolatio. Duo autem denarij duo sunt testamenta, imagine summi regis impressa: vel sunt textus, & fidelis interpretatio : vel sunt mandata, & consilia : vel sunt gratia sacramentalis, & virtus. Hæc significantur per duo æra minuta *Luc.* 21. & *Marc.* 12. Quæ vidua in gazophylacium obtulit. Dicuntur autem minuta propter humilitatem, quamuis magna sint ad omnem abundantiam impensarum faciendarum. Vel fortè sunt duo mandata charitatis. *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Matth.* 22. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Denarius decem valet vsuales. Quodlibet enim istorum decem implet mandata decalogi. *Rom.* 13. Qui proximum diligit, legem impleuit [& dedit stabulario] stabularius est plebanus vel prælatus, qui expensis sibi dimissis vulneratum procurare tenetur. *Ephes.* 4. Dedit dona hominibus. Dedit autem, non mutuauit, nec vendidit. *Matt.* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 25. & *Luc.* 12. Quis putas fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?

Et ait : Curam illius habe] ecce solicitudinis commissio. 3. *Reg.* 20. Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. *Genes.* 43. Ego suscipio puerum : require illum de manu mea. *Prouerb.* 11. Qui suscipit animas sapiens est.

Et quodcunque supererogaueris] ecce supererogationis soluendæ promissio. Supererogatur autem in sermone, in potestate, in opere, in debito. In sermone doctrinæ, quando expositiones bonæ & fideles verbis Domini addontur. *Dan.* 12. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hæc est vsura, cum qua recipere vult Dominus commissa seruo fideli talenta. *Matth.* 25. *Prou.* 11. Maledicetur qui abscondit frumenta in populis: benedictio autem super caput vendentium. In potestate supererogatur, quando aliquis potestate sibi concessa non vtitur propter Deum : sicut dicitur. 1. *Corinth.* 9. Dominus ordinauit his qui Euangelium annontiant, de Euangelio viuere. Sed non vsi sumus hac potestate. Gratis enim prædicauit, victum labore manuum acquirens. In ope-

re autem superetogat, qui cum non teneatur nisi ad præcepta, implet etiam consilia, vel omnia, vel quædam. 1. *Corinth.* 7. De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis. In debito superetogat, qui debitis aliquid addit: sicut à vitis deuotis orationes votiuæ adduntur Horis Canonicis & statutis. *Psalm.* 118. Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, super iudicia oris tui [ego cum tedioro] vel in morte vniuscuiusque, quando tedit ad iudicium particulare: vel in resurrectione communi, quando ad vniuersale redierit iudicium. *Act.* 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. *Luc.* 23. & *Matth.* 26. A modo videbitis filium hominis venientem in nubibus. *Apocal.* 1. Ecce venit cum nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: vade, & tu fac similiter.

Hic quærit iudicium conuictionis ex ipso tentatore, & concludit ex tribus: ex quæstione ad veritatem dicendam obligante, ex veritatis responsione, & ex conclusa in tentante conuictione. De primo dicit [Quis horum trium] quorum primi duo sunt compatriotæ & contribules: & ex ordine spirituales pattes & procuratores. Tertius autem alienigena, cui non contebatur Ierosolymitanus, tamen secundum actum & opus proximi approximans [videtur tibi] iudicio rectæ rationis [proximus] secundum actum & opus proximi [fuisse illi] misero [qui incidit in lattones] *Iob* 6. Respondete obsecro absque contentione: & loquentes, id quod iustum est iudicate.

At ille dixit] Ecce conuicta responsio veritatis, quam libenter iste dissimulasset si potuisset [Qui fecit misericordiam in illum] quia alij quamuis sint carne proximi: tamen quia omnis res quando proprio & sibi essentiali opere destituitur, tunc etiam cadit à nomine & nominis ratione, & non habet nomen nisi secundum quid. *Psal.* 37. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. *Ierem.* 20. Audiui contumelias multorum & terrorem in circuitu: persequimini, & persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum. Vnde tales cadunt à ratione proximi. *Psa.* 61. Ore suo benedicebant: & corde suo maledicebant. Sed qui fecit misericordiam appropinquando opere proximi, proximus efficitur. *Prouer.* 11. Benefacit animæ suæ vir misericors. Qui autem crudelis est, propinquos abiicit.

Et ait illi Iesus] ecce in tentante conclusa conuictio [vade] potius profectu virtutis, quam passu pedis. Iste enim videtur nunquam misericordiam fecisse, qui in se non est expertus, quantum per compassionem cordis appropinquatur misero. Dicit ergo tali [vade] cordis compassione. *Eccli.* 17. In partes vade seculi sancti, cum viuis & dantibus confessionem Deo. *Matth.* 9. Euntes discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium. Et tu magister in Israël, disce à Samaritano, *Ioan.* 3. Tu es magister in Israël, & hæc ignoras [fac similiter] non doce tantum sicut Legisdoctor & Scriba, sed ad opus conuertere [& fac] ideo enim *Leuit.* 1. Præcipitur os turturis in sacrificio ad ascellas retorqueri: vt os doctrinæ verbi ad opus retorqueatur. Quod in alio cognoscis esse verum, hoc sine dissimulatione facias in teipso: alioquin dicetur tibi illud *Rom.* 2. Vt quid alium doces, teipsum non doces? *Luc.* 4. Dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum. 2. *Timot.* 2. Solicitè cura teipsum exhibere Deo probabilem, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis: vt scilicet, fideliter sentias, & efficaciter facias quod doces.

Factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum.

Hic ostenditur qualiter Deus arcana sua reuelat paruulis sicut patuit in diuisione superius inducta. *Gloss.* tamen hanc historiam præcedenti continuans dicit, quod habito sermone de dilectione Dei & proximi, supponit exemplum vtriusque dilectionis, non tam in solo sermone quàm in operis exhibitione. Per istas enim duas sorores duæ vitæ significantur spirituales: per Martham actuosa deuotio, qua proximo in charitate sociamur: per Mariam religiosa mentis intentio Dei verbo, qua in amore Dei suspitamus. Et quodcumque quis vult dicere poterit: primum tamen melius est quoad historiæ inductionem: secundum autem literæ dicit continuationem. Vnde sicut in præcedenti historia per quæstionem tentatoris arcana Dei ostenduntur esse abscondita ei qui se sapientem esse putabat, & quod vix parua rudimenta per similitudinem parabolicam intellexit: ita hic per duarum sororum opera studiosa, & per querelam inde exortam datur intelligi istis tanquam paruulis arcana esse reuelata: & quæ in arcanis Dei sint quidem bona ad vitam, sed destituta: & quæ sint in vita sic agenda, quod nunquam sunt destituta. Tanguntur ergo hic tria, in quorum primo vtriusque sororis in bona vita ponitur exercitium: in secundo vnius sororis de altera ponitur interpellatio apud Deum: in tertio huius quæstionis diffinitio ostenditur per Domini responsum. In primo horum tria continentur: quorum primum est in domo, in qua vtraque soror est, dominica receptio: in secundo Mariæ continetur otium & contemplatio: in tertio Marthæ continetur ministerium & occupatio. In horum primo continentur quatuor: in quorum primo attenditur Domini circa salutem nostram transitus & diligentia: in secundo loci ad hoc conuenientia: in tertio pietatis & hospitij honestatis quam Discipulos docuit congruentia: in quarto ex sorore recipientis notatur honesta familiæ sufficientia.

De primo dicit [factum est autem] secundum præfinitionem consilij diuini. Sicut filij Israël ad motum columnæ ignis & nubis mouebantur: ita cum Discipulis fecit Dominus ad præfinitionem consilij diuini; quod sicut nubes refrigerabat, & sicut ignis intellectum illuminabat, & affectum accendebat: sicut dicitur *Num.* 9. [dum irent] Dominus & Discipuli quærendo salutem hominum. *Matth.* 4. Circuibat Iesus per ciuitates & castella, prædicans & docens Euangelium regni. *Psal.* 26. Circuibo

Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vocifetationis; cantabo & psalmum dicam Domino. Allegoricè tamen, dum Pater, Filius & Spiritus sanctus, & Angelorum præsidia & ministeria ibant tunc ad nos, per hoc iter venit ad nos Dominus de cælo profectus. *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. *Cantic.* 4. Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. Mons enim myrrhæ, propter amaritudinem solicitudinis in officio Marthæ: collis thuris, in deuotione Mariæ. Dum ergo sic irent Saluator & ministri salutis

Et ipse] sicut Discipulus præceperat, vt inquirerent quis esset dignus in ciuitate *Matth.* 10. & *Luc.* 10. Et sic tale inueniens hospitium [intrauit in quoddam castellum] ad literam, in Bethaniam: & hoc est planum. Allegoricè autem hic notantur tria: introitus mirabilis, dignitas receptaculi singularis, & munitio inuincibilis. Introitus mirabilis in vterum beatæ Virginis: dignitas singularis in beatitudine matris Virginis: munitio inuincibilis in virtute tantæ sanctificationis. Introitus est porta clausa. *Ezech.* 44. Porta hæc clausa est & non aperietur: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam. Hæc est porta orientalis, per quam ingressus est ille, cui nomen Oriens. *Zach.* 6. quia subter ipsum semper oritur lumen indeficiens. Sic intrauit quando sicut dicitur *Luc.* 2. Visitauit nos oriens ex alto.

In quoddã] Ecce dignitas singularis in terra & in cælo. In terra, in omnibus generationibus quibus Redemptorem protulit. *Luc.* 1. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes inter omnes mulieres, quibus primam dignitatem per Euam amissam reddidit. *Luc.* 1. Benedicta tu in mulieribus. Inter virgines, quarum sterilitatis opprobrium abstulit. *Prouerb. vltim.* Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu sola supergressa es vniuersas. In cælis autem: quia cælibatum prima Deo deuouit: quia regno cælorum integritatem reddidit: & quia vt illuminatrix in cælis etiam mirabili lumine totam cælestem curiam sua luce venustauit. De primo *Luc.* 1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? hoc est, non cognitum propono. Hæc est arca Dei visa in templo Dei *Apoc.* 11. Intus fulgens auro cordis munditiæ, extra circumtecta corporis virginei fulgore *Exod.* 15. De secundo *Luc.* 15. Quæ mulier habens drachmas decem: si perdiderit vnam, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Mulier hæc est beata Virgo, habens in se omnem imaginem nouem beatitudinibus Angelorum, & vna beatitudine hominis insignitam. Perdita est vna culpa parentum. Ipsa autem accensa lucerna flammæ deitatis in testa humanitatis, euertit totam domum, suprema infimis in vtero suo sociando, noua veteribus commiscendo, æterna temporalibus ingerendo, incorruptibilia mortalibus vniendo, pretiosa vilibus imponendo: & sic quæsiuit diligenter, donec drachmam perditam inuenit, & regnum cælorum reintegrauit. De tertio dicitur *Apoc.* 12. quod mulier in cælo apparuit amicta sole, lunam habens sub pedibus, coronam duodecim stellarum in capite. Quia fulgor diuinus splendet in ea in miraculis. Quicquid gratiæ in luna significatur in Ecclesia, procumbit eius meritis. Quicquid lucis fulget in cælo in beatis, refertur in eam: eo quod mater est Redemptoris aperientis ianuam regni cælestis.

Castellum] in castello autem notatur munitio suæ sanctitatis & virtutis. Quæ quidem in sex consistit: situ scilicet altitudinis, fossatorum depressione, murorum circumdatione, turrium altitudine, expensarum abundante præparatione, militum instructione. Situs eius est in monte sancto, ad quem nulla machina pertingit inimici. *Isa.* 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium: & eleuabitur super colles dignitatum angelicarum: & pro gratia impetranda fluent ad eum omnes gentes. Est enim hic mons eminentia suæ sanctitatis. *Ierem.* 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ mons sanctus. *Psalm.* 66. Mons Dei, mons pinguedine consolationis diuinæ pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Etenim Dominus per gratiam & gloriam habitabit in ea vsque in finem, qui non habet finem. *Matth.* 5. Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Hæc est enim ciuitas in qua omnis ciuilitas cælestis habitauit. *Psalm.* 23. Quis ascendet in montem Domini? Nulla quidem creatura per æqualitatem. Omnis tamen sanctus exaltatur in ea per suffragij subuentionem.

Profunditas fossati, abyssus est humilitatis eius. *Eccli.* 1. Profundum abyssi quis dimensus est? Nullus penitus, nisi qui de altissimo respexit humilitatem ancillæ suæ, & de altis in eam descendit. 2. *Reg.* 5. Ædificauit Dauid à Mello & intrinsecus. Mello enim erat vallis profundissima quasi vorago, in qua summus Dauid per gyrum vallem circumducens ædificauit. Quia humilitas vndique muniens, custos est bonorum, omnibus exterius occurrens; ita vt nihil in exterioribus fastuosum inueniatur.

Murorum autem circumdatio est meritorum virtutum in conuersatione per charitatis glutinum, quasi quorundam solidorum lapidum quadratorum eleuata ædificatio. *Isa.* 26. Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator: ponetur in ea murus & antemurale. Murus quidem ex implentibus præcepta, meritáque virtutum. Antemurale autem ex supererogatis operibus consiliorum. Et sic & murum habet & antemurale ex lapidibus pretiosis virtutum. *Isa.* 54. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Lapis significat operum soliditatem. Sapphirus in lapidibus significat in soliditate operum cælestem intentionem. Iaspis in operibus significat fidei virorem, per quam fuit Filij Dei ingressus ad eam. Et expugnabatur Diabolus in propugnaculis fidei istius sic virentis in corde eius. Portæ sculptæ significant ingressus, quos habemus ad eam per imitationem virtutum eius. Sculptura significat imagines patrum, quas per imitationem in se ostendit: sicut Dauid in humilitate, Salomonem in sapientia, Iosiam in religione, Moysen in mansuetudine: & sic de aliis. Termini autem castri quos extendit, totum montem altitudinis cælestis occupando, sunt expressæ claritates angelicæ, quas præfert in conuersatione: & omnes illi termini lapides solidati propositi: & sunt desiderabiles honestatis pulchritudine & dulcedine.

Turres

Turres sunt eleuationes contemplationis eius, quibus super omnes virtutes Angelorum eleuatur in contuitu veritatis. *Cantic.4.* Turris Dauid ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Dauid aspectu desiderabilis est Filius Dei contemplandus. 1.*Petr.*1. In quem desiderant Angeli prospicere. Turris huius contemplatio diuina in oculis beatæ Virginis. Mille clypei pendentes ex ea sunt infinitæ veritates in ea contemplatiuè resplendentes; & omnes signum Regis altissimi semper in aliqua imagine prætendentes. In ea etiam pendet omnis fortium armatura: quia in ea videtur qualiter quilibet militum eius armatur contra hostes & quibus virtutum præsidiis muniri potest: & ideo dicitur *Cantic.7.* Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Nasus vim significat discretionis in contemplatione, qua suauitatis diuinæ percipitur fragrantia. Hæc est eleuata & fortis sicut turris Libani per candidationem lucis fugantis nebulas phantasiarum: & respicit contra Damascum, firmans se in parte illa quæ sanguini coniungitur: quia Damascus potus sanguinis interpretatur. Firmat autem vt non accipiat aliquid in carne & sanguine; sed à Patre luminum apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio *Iacob.*1. *Matth.16.* Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Sic ergo castellum istud turritum.

Quintum est expensatum abundans præparatio, ne fame vel defectu alicuius necessariorum vnquam capi possit. Ibi enim est panis vitæ qui de cælo descendit, ibi est adeps frumenti satiantis, ibi sal sapientiæ, ibi fons aquæ salientis in vitam æternam, ibi carnes agni immaculati, ibi vestis decoris & honestatis, ibi ignis charitatis, ibi hortus conclusus voluptatis, ibi aura flatus sancti Spiritus, ibi nullius boni defectus. De primo dicitur *Ioan.6.* Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Hæc est enim princeps Sara, quæ hunc panem ex tribus satis farinæ sub cineribus nostræ mortalitatis decoxit *Genes.*18. De secundo in *Psalm.*147. Adipe frumenti satiat te, hoc est, pinguedine verbi: quia *Matth.4.* Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Genes.49.* Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. De sale *Matth.6.* Vos estis sal terræ. *Leuit.*2. In omni sacrificio offeres sal. Mater autem sapientiæ sale carere non potest: nec potest euanescere sal eius, vel infatuari. Aqua etiam non deest: quia ipsa est fons indeficientis aquæ per plenitudinem gratiæ ipsius: à qua peccator accipit absolutionem veniæ, iustus autem puritatem gratiæ, tentatus refrigerium temperamenti, deuotus haustum dulcem sapientiæ consolationis consolantis. *Esther* 10. Fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. *Psalm.*45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit, hoc est, confortauit tabernaculum suum Altissimus. Ista est de cuius expensis carnes agni recentes, semper & in omnibus ad quietationem desiderij conuenientes acceptæ sunt. Vnde *Num.*11. Sanctificamini: cras enim comedetis carnes. Et *ibidem.* Dominus dabit vobis ad vescendum carnes.

De huius etiam agni vellere castellum hoc in vestitu decoris non deficit. Hæc est enim de qua *Prouerb. vltim.* Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Lanam enim conuersationis in exterulas contexuit: linum autem innocentiæ neuit ad interulas. Et ideo *Prou. vltim.* dicitur, quod non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. In isto etiam castello ignis æterni luminis nunquam extinguitur. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? *Prouerb. vlt.* Non extinguetur in nocte lucerna eius. Et quomodo lucerna extingueretur, quæ iuxta nomen suum illuminatrix est & interpretatur? ibi etiam est hortus, in quo omnis boni oritur fructus, & arbores fructus medicinales, fructus per singulos menses primitiua offerentes, veteribus semper noua cumulantes. Et primum quidem (sicut hic dictum est) *Ezech.*47. continetur. Secundum autem *Cantic 7.* Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Et ne desint herbæ salutares & aromata, dicitur *Cantic.*4. Hortus conclusus: fons signatus. Ibi flat aura suauissima sancti Spiritus. *Cantic.4.* Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Ad hanc autem deambulauit Dominus post meridiem, iam remisso calore feruoris, declinante sole per peccatum parentum primorum *Genes.3.* quando de redemptione primæ præuaricationis cogitauit. Et vt breuiter dicatur. In hoc castello nullius boni est defectus. *Psalm.*121. Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis. *Psalm.*35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Domus enim Dei, Virgo est beata, & incastellatum præsidium contra timores inimicorum: abundantia domus, plenitudo est charismatum, qua plena gratia omnibus abundanter vsque ad ebrietatem refundit. Torrens inde erumpens impetu magno, pietatis eius fluxus est, charitate vrgente impetuosus & rapidus, omnium ad se rapiens deuotionem. Firmissimum ergo est hoc castellum quantum ad indeficientem abundantiam expensarum.

Nec deest instructio militum defendentium, quæ in se per illuminationes, quas largitur semper, habet omnia agmina Angelorum. *Cantic.6.* Terribilis vt castrorum acies ordinata. *Genes.*32. Castra Dei sunt hæc. Et ideo non timeat aliquis virtutem aliquam inimici: quia 4.*Reg.6.* dicitur, quod plures nobiscum sunt quam cum illis. *Daniel.*7. Millia millium ministrabant huic castello, & decies millies centena millia assistunt ei: sicut Filio suo, qui est rex & hæres huius castelli. Et ideo quicunque confugit in huius castri defensionem, fiet in eo quod dicit *Ps.*90. quod cadent à latere tuo mille: & decem millia à dextris tuis: tibi autem non appropinquabit. Verumtamen hæc præsidia oculis spiritualibus considerabis, & retributionem dæmonum peccatorum videbis. Hæc est enim vnica mulier, quæ (sicut habetur *Iudith* 14.) Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis Babylonis. *Gen.* 3. Ipsa conteret caput tuum. *Habac.*3. Percussisti caput de domo impij. Et capite percusso omnia sceptra ducum eius confusa sunt. Quamuis autem tantorum præsidiorum sit castrum fortissimum: tamen diminutiuo nomine, castellum, propter eius nimiam humilitatem nominatur. Et ideo omnem fiduciam in humilitate ponens defensionis,

ſionis, dixit: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ille enim ſuperbus & ſuperborum rex (de quo *Iob* 40. dicitur, quod omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ) non niſi humilitatis præſidio poterat expugnari. *Luc.* 1. Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles. *Eccl.* 10. Sedes ducum ſuperborum euertit Dominus. Sic ergo [intrauit Ieſus in quoddam caſtellum] introitu mirabili, dignitate ſingulari, & munitione inuincibili præparatum. Sequitur.

Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.

Hic agitur de domus iſtius familia. Et primo tangitur de familia actuoſa per omnis virtutis perfectionem: ſecundo de familia ſuſpenſa admirabilium cæleſtium pulchritudinem, per plenæ lucis illuſtrationem & contemplationem. In primo horum ſex continentur, ſcilicet, naturalis mollities pietatis, ſpecialis præeminentia virtutis, prouocatio exemplaris, hoſpitalitas hilaris, receptio ſalutis, & domus propriæ præparatio commoditatis. Primum horum notatur in hoc quod dicit [mulier] quæ non tam à ſexu quam à ſexus optima proprietate mulier vocatur: quia mulierum eſt frangi mollitie pietatis, & ad nihil durum cor exhibere. Secundum autem notatur per hoc quod dicit [quædam] quod in generalitate mulierum particulat, & ideò ſpecialitatem notat virtutis. Tertium notatur per hoc quod dicit [Martha nomine] quia Martha prouocans vel irritans interpretatur: quia æmulatio ſua ad virtutes plurimos prouocat: quia heroica ſua virtute prouocat ad ſui æmulationem. Vnde Syriaco ſermone Martha domina interpretatur. Quartum, quod eſt hoſpitalitas hilaris, notatur in hoc quod dicit [excepit] Exceptio enim eſt (prout ſuperius nos dixiſſe meminimus) quando omnibus interioribus cum gaudio ad exterius occurrentibus, fit alicuius dilecti ſuſceptio. Quintum notatur in hoc quod dicit [illum] hoc eſt Ieſum Saluatorem, in quo eſt receptio ſalutis. Sextum notatur in hoc quòd dicit [in domum ſuam] In quo notatur ex proprio præparatio commoditatis ad commodum recepti hoſpitis facta.

Quæ omnia magis ſpiritualiter impleta ſunt in beata Virgine, quæ ſint exterius literaliter exhibita per diligentiã Marthæ. Hæc enim nõ fractura ſexus vel pudoris, ſed proprietate pietatis ſingularis Herum vel Heroem ſummum emolliuit & flexit à duritia qua aduerſabatur nobis, quandó piis lacrymis & deuotione flexum molli carne induit: & ſic ad pietatem emolliuit, vt nulli penitus reſiſteret, ſed omnia quaſi mollis ſuſtineret. 2. *Reg.* 23. Ipſe quaſi tenerrimus ligni vermiculus. Qui adeo mollis eſt, vt etiam tactus eius non ſentiatur. Et hanc mollitiem corpore molli (quod humanum eſt) prætenſens: manſuetudine operis, cordis, & verborum exhibuit, quando dixit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Quod autem mulieris fuerit hæc mollities: attende quod cum à matre prouocaretur ad facienda miracula, dixit: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea: quando ſcilicet me ex te emollitum exhibeam. Veniet tempus quando manſuetudine emollitus, nihil fortitudinis, nihil duritiei oſtendam, & tunc filium mulieris me probabo. *Iſa.* 53. Sicut ouis ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. *Ierem.* 11. Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogitauerunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Tunc enim cum ſic ad modum iſta non cognoſcentis ſe habuit, rectè & propriè emollitus fuit: quia molle diffinitur, quod non reſiſtit tangenti. Sic ergo nobis illum antiquitus duriſſimum, quem nullus tangere auſus fuit, mollitum & emollitum exhibuit. Antiquitus enim dictum eſt *Hebr.* 12. Et ſi beſtia tetigerit (montem in quo Deus habitauit) lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur (quod primus inter omnes qui maioris audaciæ eſſe debuit) Moyſes, dixit: Exterritus ſum & tremebundus. Quid ergo alij facerent non tam familiares, & non tam audaces. *Exod.* 20. Loquere (inquiunt) tu nobis: & non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Nunc autem ſic mollis factus eſt, vt ab omnibus tractetur ad libitum, & nulli penitus reſiſtat tangenti.

Hæc [quædam] eſt in generalitate mulierum exceptæ & ſpecialis virtutis ad omnem actiuæ vitæ profectum: de qua dicitur *Ruth* 3. Scit omnis Iſraël mulierem te eſſe virtutis. *Prou. vltim.* Accinxit fortitudine lumbos ſuos, ne defluant per aliquam libidinem: & roborauit brachium ſuum, ad omnem virtutis operationem. Et ideo *Prou. vltim.* dicitur de ea: Date ei de fructu manuum ſuarum, qui dulciſſimum virtutis habet guſtum: & laudent eam in portis opera eius, quæ omni laude digna ad portas omnium ſenſuum ſe manifeſtauit.

Hæc eſt [Martha nomine] quia ſua æmulatione multos choros virginum ad cælibem vitam prouocauit. 2. *Cor.* 9. Veſtra æmulatio prouocauit plurimos. 2. *Cor.* 11. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Quæ enim vnquam ſic ad heroicam ſiue dominalem & cæleſtem vitam ſic omnium corda irritans prouocauit, vt hæc noſtra Martha: non [nomine] ſed nominis interpretatione. 1. *Cor.* 7. Ad id quod honeſtum eſt prouocem, ſcilicet, votum virginitatis: & quod ſine impedimento facultatem præbeat Dominum obſecrandi [excepit] ergo hæc hilarius in vtero, & gremio, & domo Dominum quam Martha, dicens Angelo cum hilariter exciperet Dominum: Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum, hoc eſt, vt Dominus ſit mecum: quia hoc ſecundum fuit in verbis angelicis. Hoc ſignificatum eſt *Iſa.* 45. Vbi dicitur: Aperiatur terra & germinet Saluatorem. Aliter enim terra noſtra, quæ dedit ſalutis fructum, aperta non eſt, niſi quod omnia interiora eius occurrentia in conſenſum verbi angelici, peregrinum in terra Dominum in gaudio ſuſceperunt: & tunc cantans, dixit: Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.

Illum] ſalutis auctoré, qui in ipſo matris hoſpitio ſaluté noſtram eſt operatus. *Luc.* 19. Hodie ſalus domui huic facta eſt: eo quod per redemptionem filius factus ſit Abrahæ. *Matth.* 1. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

In domum ſuam] Hic innuitur præparatio commoditatis ad ſuſceptum in domo hoſpitem

pertinentis. Ad hanc autem commoditatem duo sunt necessaria, quorum vnum est de commoditate domus: & alterum de commoditare recepti in domo hospitis. Ad commoditatem domus pertinent cœnaculum, & lectus, mensa, sella, & candelabrũ: quæ præ omnibus domibus in vtero sunt beatæ Virginis. Et hoc significatum est 4. *Reg.* 4. vbi dicitur, quod mulier magna recepit Eliseum Prophetam: & cum frequenter transiret per eam, fecit ei cœnaculum paruum, & posuit in eo lectum, & mensam, & sellam, & candelabrum: vt veniens requiesceret ibi & reficeretur. Hæc mulier magna dignitate, beata Virgo est. Eliseus Propheta potens in opere & sermone, Dominus Prophetarum Christus est. Mulier ergo hæc magna ad recipiendum istum in vtero Prophetam cœnaculum fecit: apothecam videlicet sancti corporis sui, in qua omnium cibus inueniretur Sanctorum repositus. *Psalm.* 143. Promptuaria enim eius plena, eructãtia ex hoc in illud. *Gen.* 6. Collegit ex omnibus quæ esu spirituali mandi possunt: vt sint tam sibi quam aliis in cibum: & reposuit in hac arca apud se. Hoc autem cœnaculum licet omnium contineat gratiarum & virtutum abundantiam & verbi Dei: tamen paruolum est per humilitatem, & intrare per ostium eius non potest nisi humilis. Et si humiles sunt esurientes, implet hominis: & eos qui se diuites reputant, dimittit inanes. In hoc ponit lectum quietis, in secreta mentis dilectione & charitatis amplexu. Ponit mensam in refectione meditationis diuini verbi, & operum Dei & magnalium ipsius. Ponit sellam in quieta sapientiæ sessione: vt quietè sapientia docens audiatur in corde. Ponit candelabrum in intellectus sui illuminatione. Sternit lectulum floribus & odoribus virtutum. *Can.* 1. Lectulus noster floridus. Mundat domum in expurgatione peccatorum. *Psalm.* 25. Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ. Ornat cœnaculum & mensam munditia conscientiæ. *Eccli.* 29. Orna mensam: & quæ in manu habes, ciba cæteros. Hæc est igitur præparatio domus.

Ea autem quæ in domo sunt ad recepti hospitis commodum præparanda *Gen.* 18. describuntur, vbi dixit Abraham: Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, &c. Parauit tamen de tribus satis similæ subcinericios panes, & vitulum tenerrimum & optimum. Quæ omnia in domo ista parata sunt. Pauxillum aquæ fuit in gratia sancti Spiritus sanguinem purificante: ex qua facti (aliàs loti) sunt pedes humanitatis Christi, quibus terram nostram calcauit. Vmbra requiei sub arbore fuit vmbra refrigerij in virore Mariæ: quæ sicut rubus virens virginitate, ignem diuinum per fœcunditatem tenuit, & florem pudicitiæ inconsumptum seruauit. Bucella ad cellam buccę pertinens panis Dei fuit, qui de se dixit: Ego sum panis viuus qui de cælo descendi *Ioan.* 6. Hìc sub cineribus humanæ mortalitatis manu sapientiæ formatus, decoctus est igne charitatis: de tribus purissimis satis similæ compositus, scilicet, corpore, & anima, & deitate, & omnibus in Eucharistiam præparatus. Vitulus autẽ sacrificiũ pro peccato, est ipse homo natus ex ea secundum humanitatem oblatus: tenerrimus propter deuotionis & gratiæ adipem: optimus propter sanguinis sui pretiositatem. 1. *Petr.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine agni. Sic ergo recepit eum in domum [suam] non alienam. Hanc enim domum ipsa cum hospite suo Filio Dei habuit. In qua nullus communicauit alienus, nec dæmon, nec homo: nec aliquis vnquam nisi iste hospes ius vel opus habuit secum in ea. *Psal.* 100. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

Et huic erat soror nomine Maria.

Ecce residuum familiæ huius domus. Quæ Maria licet secundum historiam sit Magdalena, de qua dæmonia septem Dominus eiecerat: sicut & Martham à profluuio sanguinis curauerat, & Lazarum fratrem harum sororum postea quatriduanum à monumento suscitaturus erat: & ideo fiducialiter ad domum illam declinabat. Tamen spiritualiter hæc melius in familia domus beatæ Virginis inueniuntur. Hæc enim Maria sicut diximus, fastigium & suspensionem significat diuinæ contemplationis; quod plenissimè secundum intellectuales virtutes fit in corde beatæ Virginis. Tanguntur autem hic duo: primum est beata inter actiuam & contemplatiuam sororitas: secundum autem in nomine sororis altissima diuinæ lucis contemplanda veritas, & veritatis puritas.

Primum notatur in hoc quod dicit [& huic] scilicet actiuæ [erat soror] ex eodem enim Patre bonitatis & veritatis formatæ sunt. *Ioan.* 8. Vnum Patrem habemus Deum. Et ex vtero vnius matris processerunt: quæ est sapientia per saporem bonitatis formans actiuam, & per claritatem veritatis producens alteram. Hæc enim duo importat nomen sapientiæ: per saporem vnum, & per sapere alterum. Sapientia enim sapidum sapere importat. Vna igitur sororum istarum ordinatrix est passionum & operum: & ideo actiua latinè, græcè autem practica vocatur. Altera autem illuminatiua intellectuum, & accensiua affectuum in Deum, & delectatiua in solis abstractis diuinis: & ideo latinè contemplatiua, græcè autem theorica. Vna regitur prudentia, quæ est actiua: quia prudentia est cum ratione actiuus habitus, vt dicit *Philosophus.* Altera regitur sapientia, scilicet contemplatiua: quia sapientia est contemplatio altissimorum diuinorum: quæ non propter aliud, sed propter seipsa scire & cognoscere desideramus. *Prouerb.* 7. Liga illam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam. Actiua enim propter diligentiam operis digitis est inscribenda. Sapientia autem propter contemplationem inscribenda est tabulis cordis in intellectum.

Hæ duæ domum beatæ Virginis, in qua primo peregrinantem Dominum susceperunt, totam præparauerunt. Actiua quidem in exterioribus flore omnis virtutis & honestatis. *Eccli.* 24. Flores mei fructus honoris & honestatis. Altera ornans thalamum interius per pulchritudinem æterni splendoris. *Cant.* 4. Tota pulchra es, & macula non est in te. *Cant.* 1. Tigna domorum nostrarum cedrina: laquearia nostra cypressina. Cedrina quidem tigna

gna fulcientia thalamum , imputribilia æternæ veritatis principia. Laquearia autem sibi propter ornatum implexa. Cypressina æterni virotis sunt fidei lumina (quæ articulos nominamus) & aliæ spiritus reuelationes. Actiuæ vitæ in operibus beatæ Virginis est iste sermo *Eccli.* 24. In me omnis spes vitæ & virtutis. Omnis enim spes vitæ est, in qua omnis ordo est viuendi: quia & virgo & mater est, soluta vxor, & vidua, voto seruiens & libera. Ecce omois spes vitæ , & omnis spes virtutis secundum quemlibet statum : omnis enim status exemplum habet io ea.

Contemplatiua dicit in ea , quod præcedit parum : in me omnis gratia viæ & veritatis. Viæ quidem quibus venitur ad visionem; veritatis autem qua iohæretur veritati perceptæ. Viæ illæ sunt , per vestigium ascendere, per speculum considerare , per ænigmata percipere , per reuelationem videre, in lumine ire, in meditatione quærere, in raptu sequi, & pertingere in vltima intellectus asceosiooe. Istæ sunt viæ de quibus dicitur *Prou.* 3. Viæ eius viæ pulchræ : & omnes semitæ eius pacificæ. Et *Prou.* 4. Semitæ iusti quasi lux splendens, & crescens vsque iu perfectam diem. *Iob* 38. Indica mihi, per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram. Veritas autem est quæ manet & vincit, & inualescit : sicut dicitur 3. *Esdr.* 3. & 4. Et totam tenet mentē, & afficit & obligat sibi. Sic dicit filius gloriosæ Virginis *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita : via qua itur : veritas ad quam peruenitur: vita quæ influitur ad veritatem peruenienti. Ecce quale ministerium in ancillis suis habet domus ista. Istæ sunt ancillæ de quibus dicitur *Prou.* 9. Misit ancillas vt vocarent ad arcem , & ad mœnia ciuitatis. Ad arcem quidem contemplationis, & ad mœnia virtutis & ciuilitatis : quia ciuilitas est secuodum vsum & exercitium virtutis consuetudo conuiuendi cohabitantibus: vt dicit *Sapiens.* Obsequio istarum ancillarum sic circummouentium se in sedulitate obsequiorum : & ipsa Domina domus se vocat ancillam, dicens *Luc.* 1. Ecce ancilla Domini. Ecce qualis sororitatis conuictio est inter istas in domo sancta beatæ Virginis.

Nomine Maria] in qua notatur felix & præsagum nomen contemplatiuæ. Maria enim amarum mare, & illuminatrix interpretatur. Contemplatiua enim amaritudine puncta recedit ab exteriorum administratione, & lumine affecta trahitur ad contemplationem interiorem. Sic *Ruth* 1. Noemi binomia fuit , dicens : nolite me vocare Noemi, hoc est , pulchram : sed vocate me Mām, hoc est, amaram: quia amaritudine me valde repleuit Omnipotens. Hoc est desiderium amplexiuum Omnipotentis quod fecit omoia alia amara videri. Et hoc est quod dicit [nomine] in quo sui nominis nota exprimitur : quia amaricatur ad exteriora, totum in interioribus habens desiderium & cordis oblectationem. *Cant.* 5. Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo. Vidit enim ambulantes in lumine Dei , & adeo affecta est, quod nihil sibi dulce est nisi esse cum illis. *Psal.* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt , & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. *Psal.* 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Nihil enim quærit foris laudis vel vtilitatis , quæ intus habet fimbrias subtilium contemplationum, quibus dependet ad dilectum.

Hæc igitur nomine [Maria] vocatur propter quatuor causas : duas in amaritudine , & duas in illuminatione. Amaricatur enim ad exteriora: quia sunt solicitudine plena: & quia administrati oon possuot sine fœdante oculos puluere. De primo dicitur *Prouerb.* 5. Nouissima illius amara quasi absinthium. Nouissima autem concupiscentiæ subiecta sunt hæc exteriora plena solicitudine. Propter secundum etiam perfectissimis Apostolis dicitur , quod extergant puluerem de pedibus affectuum suorum *Matth.* 10. & *Luc.* 10. & *Ioan.* 13. Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet. Duæ causæ io illuminatione sunt duo luminis beneficia: quorum vnum est, quod lumen venustat : alterum, quod lumen dissoluens penetrat. De venustatione siue pulchrificatione dicitur *Apocal.* 12. quod mulier est amicta sole ad venustationem. De subintratione per dissolutionem, cordis apertionem dicitur 2. *Corinth.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere , illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Christi. Sic ergo intus penetrata lumine & extra venustate, cum Moyse *Exod.* 34. Cornuta siue splendida facta est facies eius , & cum ministris gloriæ luminis 2. *Corinth.* 3. reuelata facie gloriam Domini speculans , à claritate in claritatem à Domioi spiritu transformata in eandem imagioem lucis ascendit : vt verè illuminatrix sit, & nominetur Maria [huic ergo erat soror nomine Maria]

Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

Hic tanguntur harum sororum propria officia: & primo tangitur officium Mariæ, & secundo officium Marthæ. In officio Mariæ duo sunt: quies, & verbi Dei auditus. Quies autem adhuc duo habet: positionem quiescentis , & locum. Et positio quidem quiesceotis est sessio, quam notat cum dicit [sedens] Locus autem est [secus pedes Domini] In sessione autem positio est , qua superiora libera eriguntur, fulta substratis inferioribus. Et hoc proprium est contemplatiuis posteriora & inferiora substernere: & superiora capitis & mentis erigere, & libera exhibere. Sic enim cor rectè quiescit, inferiora posteriora substernens, & altiora libera ad cælum extendens. *Phil.* 3. Posteriorum oblitus, ad interiora me extendo. Sic vincula vanitatis collum (per quod trahuntur vitales spiritus) hoc est, rationem deprimentia soluuntur, & residens cor imbuitur sapientia. *Isa.* 52. Excutere de puluere, consurge , sede Ierusalem : solue vincula colli tui captiua filia Sion. De puluere excutitur per abiectionem terrenæ fœditatis. Consurgitur autem per extensionem in cælum contemplatiuæ intentionis. Sedetur per quietem cordis, quæ prouenit ex subiectione corporis. Et filia Sion speculationis æternæ vincula soluit per absolutionem exterioris obligationis : quæ vincula collum, hoc est, rationem per quam spiritus vitalis trahitur, intercipiunt. Sic dicit *Philosophus* , quod in sedendo & quiescendo fit anima sciens & prudens.

Hac sessione quis mortalium vnquam sic sedit, sicut cor Mariæ matris sapientiæ Filij Dei? *Cant.* 5. Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Oculi beatæ Virginis sunt , duo aspectus

eius per ſapientiam :,per ſapientiam experimentalem vnus,& per intellectum veritatis auditæ alius. Iſti enim aſpectus ſimplices ſunt & innocentes & ſine felle,ſicut columbæ. Sedens autem quieſcens ſuper riuulos aquarum (hoc eſt fluxuum conſolationis Spiritus ſancti:in quibus ſicut in aqua claríſſima refulget imago veritatis æternæ,& ſicut in aqua petuia) penetrat lumen diuinum vſque in profundum. Hi aſpectus ſiue oculi lacte candoris & dulcedinis(quod de vberibus ſapientiæ mauat) ſunt loti ab omni inquinamento carnis & ſpiritus:& mellea delectatione affecti reſident in toto quieſcentes iuxta fluenta pleniſſima de ipſo foure bonitatis & veritatis , ad modum torrentis effluentia.

Locus autem quietis huius[ſecus pedes Domini]eſt.Hunc enim locum Magdalena elegit : quia ibi à torpitudinis ſuæ maculis purgata fuit *Luc.*7. Vbi etiam mater Domini tanquam in ſchola quieuit. Vbi ſapientia pedes fixit , per ſaporem ſummi boni imprimens veſtigium vnum , & per lumen Verbi diuini inſigens veſtigium alterum. *Deut.*33. Qui appropinquant pedibus eius , accipient de doctrina eius. *Pſal.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. *Ioan.*11. Maria cum veniſſet vbi erat Ieſus per dulcedinem delectantis bonitatis , & per viſionem claræ veritatis videns eum , cecidit ad pedes eius. Ecce locus & ſitus iſtius apud Dominum in ſpiritus contemplatione.

Opus autem eius & officium deſcribitur , cum dicitur[audiebat verbum illius]tria tangit : auditum patulum , verbum auditum , & verbi auditi fontem irriguum.Et nulli hæc ita competunt ſicut beatæ Virgini , quæ præ omnibus patulum auditum habuit ad audiendum quid dicat Spiritus ſanctus. Et ideo ornamentum aureum accipit *Cant.*1. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Ornamentum ipſum deuotionem ſignificat aurium. Murenulæ quæ manibus teneri non poſſunt , ſed ſtrictæ elabuntur, ſignificant ſuſurra ſapientiæ quæ inſenſibiliter illabuntur. Aureæ autem ſunt : quia ſplendore diuini luminis refulgent. Vermiculi vero ſignificant ſubtiles motus veritatis in corde , qui argentati ſunt per eloquium pulchritudinis, quod ſplendet in verbis veritatis *Pſal.*11. Argentum igne probatum, purgatum ſeptuplum. Hæc eſt Rebecca quæ multum accepit à Domino : in cuius aures ſeruus ſummi Patriarchæ (ſermo ſcilicet propheticus) ſuſpendit inaures aureas;vt nullum audire delectaretur præter ſolum dilectum. Et ideo dicit *Cant.*5. Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt. Tota enim liqueſcit ad auditum eius,experta quod mel & lac eſt ſub lingua eius *Cant.*4. & in *Pſalm.*44. Diffuſa eſt gratia in labiis eius. Et hæc memoria ſemper aures eius aperit ad audiendum in deſiderio, & ſemper inclinat aures ad ipſum auſcultandum:nec alium audire delectatur. *Pſal.* 44. Audi filia & vide,& inclina aurem tuam:quia concupiuit rex ſpeciem tuam. Et ideo dicit *Cant.*2. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. In aure enim melos eſt,& in corde iubilus.

Audiebat autem[verbum]Dicit *Auguſt.in lib. de Trinit.*8. quod verbum, quod inſinuare intendimus, cum amore notitia eſt , vel notitia amata. Hoc autem verbum quatuor facit in anima:ſono enim ſpirituali mentem verberat, notitia intellectum illuminat,amore accendit affectum , & conuenientia ſui cum corde hominis capit & tenet. Sono quidem verberat , propter quod etiam verbum vocatur : & ideo malleo comparatur. *Ierem.* 23. Nonne verba mea quaſi ignis ſunt , & quaſi malleus conterens petras. Verberat enim ad cordis contritionem præcipuè ſermo diuinus.Iſte eſt malleus quo Iahel perforauit tempus Siſaræ *Iudic.*4.Iahel enim aſcenſio Dei interpretatur : & ſignificat eam quæ altius præ cæteris in verbo Dei aſcendit , & diabolo caput perforauit. Quod autem per notitiam illuminet dicit *Pſal.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum,& lumen ſemitis meis. *Pſal.*118. Declaratio ſermonum tuorum dat intellectum Domine. Amore etiam accendit, ſicut ſcriptum eſt *Act.*2. Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. *Ierem.*23. Nonne verba mea ignis ſunt ? *Pſal.*118. Ignitum eloquium tuum vehementer. Capit etiam per conſenſum & conuenientiam ſui cum mente. *Deut.* 30. Prope eſt verbum in ore tuo , & in corde tuo. Et hoc idem dicit *Apoſtolus Rom.* 10. Vnde quibuſdam rebellibus improperans Dominus *Ioan.*8. dicit : Sermo meus non capit in vobis. Sic ergo; conterens , illuminans, accendens , & capiens per informationem verbum præ omnibus illa audiuit : quam ſic concuſſit , vt totam perforaret & confoderet : ſic illuminauit , vt totam irradiaret: ſic accendit,vt totam inflammaret : ſic cepit,vt in ea caro fieret. Et primum quidem horum operatum eſt in ea , ſicut dicitur *Ierem.* 10. Clauis & malleis compegit vt non diſſoluatur. Sic enim conſolidata fuit verbo Domini,quod moueri non potuit ad peccandum. De ſecundo tantum habuit, quod etiam ab illo nomen accepit. *Ezech.*43. Terra reſplenduit à maieſtate eius, hoc eſt, beata Virgo quæ terra diuinum ferens fructum vocatur. Accenſa etiam eſt, quòd ſicut ignis incanduit:quia *Iſa.* 62. In ea egreſſus eſt vt ſplendor iuſtus eius: & ſaluator eius velut lampas eſt accenſus. De quarto autem dicitur *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ecce qualiter audiebat verbum.

Illius]hoc eſt , Ieſu Chriſti, fontis ſapientiæ & omnis verbi : à cuius ore non eſt transfuſum de vaſe in vas:& ideo ſapor eius non immutatus, ſed odor eius remanſit in eo. *Eccli.*1. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Et ideo de officiis contemplatiuæ partis dicit *Gloſſ.* quod contemplatiua charitatem Dei & proximi retinet, & ab exteriori actione quieſcit:ſolius conditoris deſiderio inhæret & calcatis omnibus curis ad videndam faciem Creatoris inardeſcit, & deſiderat miſceri ſupernis ciuibus de æterna in conſpectu Domini incorruptione gaudentibus. Hæc autem ſex præ omnibus hominibus Virgo beata habuit. Secus pedes enim Domini ſedens, ſola charitate Dei & proximi in affectu flagrans , Deum ſibi per charitatem attraxit , & proximo redemptionem impetrauit. Et de primo horum dicitur *Cant.*1. Cum eſſet rex in accubitu ſuo , nardus mea dedit odorem ſuum. Nardus enim calida & humilis & odorifera charitatis ardorem & humilitatē ſignificat, quæ Regem regū de cæli accubitu in vterum Virginis ſuo attraxit odore. De proximi autem redemptione *Geneſ.* 17. In me ſit iſta maledictio fili mi. Hæc etiam audiendi & videndi deſiderio ab exteriori quieuit actione , ſciens hoc quod dicit *Eccleſ.*38.

Sapientia

Sapientia scribæ in tempore vacuitatis; & qui minoratur sapientiam percipiet: qua sapientia replebitur. Hæc solius conditoris desiderio dicens illud *Psalm.* 19. Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et illud *Psalm.* 72. Quid enim mihi est in cælo: & à te quid volui super terram? Hæc etiam omnes curas exteriorum calcauit, dicens sibi illud 1. *Pet.* 5. Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. *Psalm.* 54. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Psalm.* 39. Dominus solicitus est mei. Hæc etiam ad videndam faciem Creatoris inardescit, attendens hoc *Ps.* 104. Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem eius semper. Dicens cum Moyse *Exod.* 33. Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum. Et illud *Cantic.* 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Hæc misceri superius ciuibus desiderat: & ideo etiam familiarius visitatur, salutatur, confortatur, & instruitur ab ipsis de conceptu futuro & regno, quod in ea inchoatum est, & per filium eius perfectum. Hæc igitur sunt officia Mariæ, quorum dilectione & delectatione omnia alia postponit. Sequitur de officiis Marthæ. Dicit ergo.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium.

Quinque autem dicit circa actiuæ officium: conuenientem enim primo ponit actiuæ vitæ nominationem; secundo sufficientem suam dicit actionem; tertio actuosam operationem suam dicit esse circa hominem exteriorem: quarto diligentem dicit esse sui studij laborem: quinto dicit hoc totum pertinere ad huius vitæ administrationem. De primo dicit [Martha autem] sicut supra diximus, prouocans vel irritans interpretatur. Et hoc congruum nomen est actiuæ vitæ, quæ suis operibus multos prouocat ad æmulationem meliorum. 1. *Corinth.* 14. Vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt abundetis. Ad hoc enim omnis actiuus æmulatur, vt ad ædificationem Ecclesiæ sua contendat æmulatio, & Ecclesia accipiat ædificationem. Sic enim Martha prouocat ad bonum æmulandum per exemplum suum, & præueniens per beneficium. *Deuter.* 32. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis. Ecce Marthæ nomen actiuæ conueniens: quod illi præ omnibus conuenit, quæ plurimos in imitationem sui prouocauit: sicut superius iam determinatum est. Hæc est enim Maria, quæ *Exod.* 15. tympano assumpto mortificatione carnis, per votum castitatis præcinuit: & infinitæ mulieres in choris Deo psallentium egressæ sunt post eam: quibus ipsa præcinuit vt cantent Deo, qui in eis gloriosè honorificatus, equum effrænem impetum concupiscentiæ, & ascensorem eius sensum libidinis proiecit in mare amaræ pœnitentiæ & religionis. Hæ sunt iuuenculæ tympanistriæ: in quarum medio Benjamin filius dexteræ Dei, adolescentulus adhuc in carnis integritate gaudet in mentis excessu, seipsum excedens vt interius appareat.

Hæc ergo Martha prouocans, & virtutum domina [satagebat] hoc est, satis agebat in eum viriliter virtutum opere. Non enim satis agit qui secundum virtutem non agit, sed agens bonum & ad modum boni virtutis. 2. *Petr.* 1. Fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Quod præ omnibus illa fecit, quæ ad modum certæ virtutis omnia sua perfecit opera. 2. *Petr.* 3. Satagite immaculati Deo inueniri in pace. Ideo enim, quia omnia hæc ad ædificationem Ecclesiæ egit: nonnunquam inuita otium delicatæ contemplationis interrumpens, & eboros ciuitatis cælestis egrediens, vt proximo proficiat: dolens dicit in *Cantic.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis: tuta etiam rusticana percolere satagentes. *Mich.* 4. Dole, & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem. Ecce quod satactio sua de ciuitate superna egressa, vsque ad Babylonem confusionis peccatorum pertingit, vt ibi liberetur, arbitrans liberati in proximi liberatione. Sic ergo satagebat nostra mater & Martha.

Satagebat autem [circa] quia omnis operatio deseruiens proximorum saluti circa est, & non intus, nisi per intentionem. Illum enim pascit, hunc vestit, docet illum, & corrigit alterum. Et sic circumit, & circumfertur circa omnes proximorum necessitates. *Psal.* 44. Circumamicta varietate. *Tob.* 1. Pergebat ad omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. Iste autem circuitus sic perficitur: quia amor proximorum impellit eam ad proximorum procurandam salutem: & diligentia virtutis & misericordiæ facit eam moueri in circuitu ad omnes omnium miserias subleuandas. Et sic à summo cælo est egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius *Psalm.* 18. Sic enim propriè ancilla dicitur, quæ componitur ab an Græco, quod est circum, & cilleo, les, quod est moueor, tis. 1. *Regum* 25. Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.

Frequens] Ecce obsequij diligentia & frequentia. Non enim est vna necessitas proximi, nec semel tantum incidit proximus in necessitatem: & ideo oportet diligenter & frequenter obsequi. Vnde *Rom.* 12. dicitur: Necessitatibus Sanctorum communicantes. Oportet enim instanter operari circa proximum. *Eccl.* 9. Quodcunque valet manus tua instanter operare. Vnde etiam *Apostolus* 2. *Timoth.* 1. dicit: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit. Ideo *Matth.* 26. dicit Dominus: Pauperes habebitis vobiscum, & cum volueritis potestis illis benefacere. *Deut.* 15. Non deerunt pauperes in terra vestra. Et cum multi defecerint corpore, & plures mente, oportet hanc Martham valde esse frequentem. Quam frequens autem illa est beata Virgo, quæ semper affuit, & nunquam alicui defuit in necessitate. *Prouerb. vltim.* Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Hoc autem totum est.

Ministerium] ad vtilitatem fidelium perfectum. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Non enim

enim dominam se exhibet exceptrix Filij Dei, sed ministratricem & famulam in omni deuotione ministrantem. Hæc enim est princeps & domina earum mulierum, de quibus dicitur *Luc.*8. quod secutæ sunt eum à Galilæa, & ministrabant ei de facultatibus suis. Vnde hic in *Gloss.* enumerantur officia actiuæ vitæ principalia, quæ præ omnibus impleta sunt à beata Virgine. Dicit enim *Gloss.*sic. Actiua panem vel corporalem esurienti, vel doctrinæ ignoranti tribuit: errantem corrigit, superbum ad humilitatem reuocat, quæ singulis expediant dispensat. Hæc enim beata Virgo perfecit: panem tribuit, & cæteras necessitates corporales suppleuit: quando aurum sibi à tribus regibus, qui parum non obtulissent, sic in vsus pauperum distribuit, vt nihil vel parum sibi retinuisse putetur. *Psalm.*111. Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in seculum seculi. Doctrinam ignoranti largita, quando sicut dicitur *Luc.*2. Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quæ postea Apostolos & Discipulos ad prædicandum, & Euangelistas ad scribendum edocuit. Errantem correxit sæpius: sicut Theophilum, & alios quos ad veritatem reduxit. Superbum ad humilitatem reduxit: quando suæ humilitatis ostendit superbis exemplum, dicens: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Hæc, quæ singulis ad vitam bonam expediant dispensat (quia sicut iam ante diximus) omnium in se transformauit vitam & statum. Et ideo *Eccli.*24. ad omnes conciones clamat, dicens: Transite ad me omnes qui concupiscitis me: & à generationibus meis adimplemini. Quæcunque enim desiderantur, in ipsa inueniuntur. Et ideo dicit *ibidem*: Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei. Pulchræ quidem dilectionis Dei & proximi, ordinantis ad faciendum omne bonum virtutis. Timoris autem ordinantia ad fugiendum omne malum malitiæ & vitij & iniquitatis. Agnitionis autem ad cognitionem omnis diuinæ veritatis. Sanctæ autem siue firmæ spei ad expectationem æternæ beatitudinis. Sic ergo stat in perfectione deuotæ actionis, & altissimæ contemplationis.

Quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet.

Hic incipit agere de comparatione actionis & contemplationis: & diuiditur in duas partes: in quæstionē querulosam, & diffinitionem dominicam. Prima harum habet tria: quorum primum, ex lassitudine stans & subtracta actio: secundum autem, querulosa de sorore ad Dominum interpellatio: tertium, adiutorij sororis petitio. Primum notatur in hoc quod dicit [Quæ stetit & ait] Et duo dicit: lassitudinem stantis, & locutionem impatientis. Primum tangit quando dicit [Quæ stetit] Lassa enim substitit, eo quod in tot ministeriis peragendis sola non sufficeret, quamuis pro viribus satageret. Dominus enim cum magna iuit turba Discipulorum: & multæ ad procurandam eum exigebantur sumptuum præparationes. Et ideo Martha lassata [stetit] Hoc significatum est 1. *Reg.*30. vbi dicitur, quod inter viros Dauid lassi quidam substiterunt ad torrentem Besor. Besor enim tribulatio vel angustia interpretatur: quia vbi torrens angustiæ vices supergreditur, ibi necesse est quod Martha lassata subsistat. Sed valde commendabile est quod non sedit, sed stetit, iterum parata ad laborem resumpto spiritu virtutis: quia stans, ad laborandum est parata. Stat autem præcincta ad ministrandum præ omnibus Domina virtutum, quæ sicut dicitur *Prouerb. vltim.* Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Et sicut ipsa dicit *Luc.*1. Fecit potentiam in brachio suo: & mica peregit in obsequiis Domini Saluatoris, *Ruth* 2. De mane vsque nunc stat in agro: nec ad modicum quidem reuersa est domum. Hæc enim in agro actionis ferens pondus diei & æstus perstitit; nec ad modicum quidem laborem intermittens, ad rei familiaris curam reuersa est, vt collectionem spicarum intermitteret. Spicæ enim remanentes significant animas ad manus messorum Apostolorum non venientes, quæ fallente Diabolo manibus messorum Apostolorum sunt subductæ. Et has Regina misericordiæ stans in agro actionis & miserationis colligit: & in horreum Domini, hoc est, Ecclesiam humeris sui adiutorij reportans reducit. Sic ergo stetit, & ait, aliquantulum victa lassitudinis impatientia. Turbata enim est, & est locuta per locutionem dicens illud *Iob* 32. Loquar, & respirabo paululum. Locutio enim prodens dolorem solet refrigerium quoddam præstare laborantibus.

Domine non est tibi curæ] Ecce Domini aduersus sororem quiescentem interpellatio. Et tria dicit: Maiestatis in Domino actionis & contemplationis professionem, miserabilem de Domino quod non curet innuit conquestionem, & de quiescente sorore interpellationem. De primo dicit [Domine] Q. d. Domine & meæ & sororis meæ actionis & contemplationis dispensator. *Esther* 13. In ditione tua cuncta sunt posita: & non est qui tuæ possit resistere voluntati. *Prouerb.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus [Domine] ergo, in cuius ditione omnia, & qui vides vias hominum, & ponderator es spirituum [non est tibi curæ] cum tamen *Sapient.*6. Æqualiter est tibi cura de omnibus. 1. *Petr.*5. Ipsi cura est de vobis. Tu es qui dixisti *Isa.*49. Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Sic ergo dixit [Non] hoc est, nónne [est tibi curæ] quia tu solus laborem & dolorem consideras. Hoc labore circa ministerium proximi, quamuis non vsque ad murmurationem, tamen vsque ad lassitudinem ancilla humilis Domini sæpe laborauit. Vnde etiam in *Psalm.*122. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. Propter hunc laborem actuosis compatiens Dominus, iussit interponi laboribus diem sabbati, & alios festos dies *Exod.*20. Vt requiescat (inquit) seruus & ancilla tua. Et præcipue illa, quæ ipsi Deo ancillata est [quod soror mea] quæ ex naturali mihi obligatur pietate. Frater enim qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma *Prouerb.*18. [reliquit] sedens in otio quietis [me solam] Cum dicat Salomon *Eccli.*4. Væ soli, quia si ceciderit non habet subleuantem. Et *ibidem*. Melius est esse duo quam vnum. Habent enim emolumentum suæ societatis.

tatis. Si duo sint, fouebuntur mutuo [ministrare] quod tam vtile est, vt tibi & tuis inde prouideatur. 2.*Corinth.* 9. Ministerium huius officij non solum supplet ea quæ desunt Sanctis, sed etiam abundatur per multas gratiarum actiones in Domino.

Dic ergo illi, vt me adiuuet] Putabat Martha ex vtilitate ministerij persuasum esse Domino, quod sororem reuocaret à contemplatione, & mitteret eam in ministerium: & ideo ante responsionem Domini infert [Dic ergo illi, vt me adiuuet] Consuetum enim est, vt quilibet opus, quo occupatur & cui deditus est, melius reputet. *Galat.* 5. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Et respondens illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Hic ponitur huius quæstionis diffinitio per Dominum. Ad obiecta enim sororis penitus conticuit Maria. Ne dum respondendo cum sorore altercaretur, à contemplationis intensione remitteretur: sicut dicit *Amb. Cant.* 2. Dilectus meus mihi, & ego illi, hoc est, dilectus intendit mihi, & ego illi: & ideo non aduerto quid dicat vel faciat mihi homo. Felix (tamen vt dicit *beatus Bernard.*) domus & beata semper congregatio est, vbi de Maria Martha conqueritur. Quia frequenter vbi propter tædium contemplationis iam Maria de Martha conquerebatur: potius eligentes esse in huius mundi laboribus, quam sedere ad pedes Domini in otio contemplationis, & audire verbum illius. Qui significantur *Numer.* 11. per eos, qui manna fastidientes flagrabant desiderio ægyptiacarum carnium, & desiderabant pepones, & cepas, & allia lacrymosis oculis manducare: quam cibum Angelorum, habentem in se (sicut dicitur *Sap.* 16) omnis saporis suauitatem. Carnes enim ægyptiacæ carnalem significant voluptatem: pepones fœtentes, vanitatum factas deductiones: cepæ, negotiorum lacrymosas angustias: allia acuta & fœtentia, libidinum impedimenta, in quibus quærunt occupari. Felix etiam Maria est, quæ tacet ad querelas sororis. Signum est interioris abstractionis, quod etiam ea quæ præ oculis & auribus habet, non percepit. Obdormiuit cum Ioanne in pectore Domini *Ioan.* 21. Et ideo non percipit ea, quæ exterius eam perturbare nituntur. Dominus ergo se medium obiiciens, querelas determinat, tria faciendo: laudat enim Marthæ ministeria, ostendit quid necessarium ad vitam, determinat quid optimum quod post hanc vitam non est auferendum. Dicit ergo.

Serm. 3. *In assumpt. B. Mariæ.*

Et respondens] ad querelas Marthæ [dixit illi] ad commendationem eius [Dominus] Multum enim valet ad compescendum murmur laborantis, quando commendatur opus laboris, & acceptum esse comprobatur. *Ierem.* 31. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus [Martha, &c.] Tria dicit: ingeminat nomen in signum acceptationis, commendat solicitudinem, compassionem exhibet ad turbationem. De primo dicit [Martha, Martha] in signũ firmæ recordationis nominis eius & notitiæ, quæ est per dilectionem & approbationem. *Apoc.* 3. Non delebo nomina eorum de libro vitæ, hoc est, de corde & mente mea. *Psal.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui: quod scilicet facio quod possum. Veruntamen in libro tuo omnes scribentur, qui faciunt hoc quod possunt. Et ideo Martha ibi nominatur in gratia virtutis, & nominatur in gratia operis. 2.*Cor.* 8. secundum virtutem (testimonium illis perhibeo) & super virtutem voluntarij fuerunt. *Ibidem infra.* Si voluntas prompta est: secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet [solicita es] ad ministrandum ea, de quibus solicita fuisti ad acquirendum. *Hebr.* 6. Non iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius: quia ministrastis Sanctis & ministratis. *Mich.* 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Igitur hac solicitudine ministrandi solicita es [& turbaris] quia in plurimis necessatiis & necessitatibus sunt tua ministeria, multa capientia impedimenta, necesse est vt turberis [erga plurima] *Psalm.* 105. Vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius. *Num.* 11. Sed & Moysi intoleranda res visa est: & ait ad Dominum: Quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Dum ergo omnium pondus Marthæ imponitur, necesse est vt erga plurima turbetur. Et si non turbatur omnibus ministrans, hoc donum Dei est speciale: sicut in beata Virgine, quæ sine murmuris turbatione omnibus ministrauit. Sicut dicitur. *Rom.* 13. Solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes. Et *Infra.* Necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.

Porro vnum est necessarium] Hæc litera diuersimodè exponitur. Secundum meam opinionem ad commẽdationem partis actiuæ siue Marthæ sic exponenda est. Tu quidem Martha turbaris erga plurima: sed vnum est, quod hoc quod agis est necessarium, & à vitæ huius necessitate exactum, & ideo mihi & Sanctis acceptum: quia sine hoc Maria nec contemplari poterit. *Aug.* tamen videtur exponere pro parte Mariæ. Dicit enim quod vnum est necessarium, quasi formaliter accipiendu vnum, hoc est, vnicum: quia multa ab vno, non vnum à multis: sed multa sunt necessaria vt perueniatur ad vnum. Hoc autem vnum à quo multa sunt, & non ipsum à multis, Deus est, quem quærit diligendo & contemplando Maria: & ad quem per multa, circa quæ turbatur, vult venire Martha. Et hoc est illud de quo dicit *Psal.* 26. Vnam perij à Domino, &c *Tob.* 10. Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis. *Exod.* 20. & *Deut.* 6. Dominus Deus tuus vnus est. 1. *Cor.* 8. Nobis tamen vnus Deus, per quem omnia, & nos per ipsum. Hoc ego solum vnum est necessarium: quia sine omnibus aliis viuitur propter illud. *Act.* 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. *Psalm.* 77. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Sic & Maria Virgo, in qua omnia hæc perficiuntur, vnum quærebat à quo sunt omnia, & in ipso spem totam posuit. *Thr.* 2.

Pars mea Dominus dixit anima mea: propterea expectabo eum.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea] Postquam partem laudauit Marthæ ab vtilitate: quia necessitati præsenti vtilitet deseruit, & in hoc etiam pari Mariæ præfertur: laudat partem Mariæ in hoc, quod non auferetur. Si enim consideretur ex parte intellectus in visione, auferetur quidem modus cognitionis; sed remanet genus visionis, quod est videre Deum. 1. *Corinth.* 13. Scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est: euacuabitur quod ex parte est. Si autem consideratur ex parte affectus in amore Dei: fortior erit amor in futuro quam nunc est. *Isa.* 31. Viuit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem. Quia sicut dicit *Gloss.* Ignis charitatis qui nunc calescit, in futuro (quando per speciem Deus videbitur) amplius exardescet. 1. *Corinth.* 4. Nunc autem manent fides, spes & charitas tria hæc: maior autem horum est charitas. *Ibidem.* Charitas nunquam excidet. In hoc ergo maior est, quia permanentior est, quia manet in æternum.

Tamen à multis quæritur de comparatione actiuæ & contemplatiuæ: & ideo notandum, quod contemplatiua præfertur actiuæ vnitate, puritate, æternitate, firmitate, delectatione. Vnitate quidem, quia est circa vnum: puritate, quia non sordidatur puluere venialium: æternitate, quia hic & in patria permanet in æternum: firmitate, quia est in luce quæ non fallitur fallacia errorum: delectatione, quia consolatione spiritus iugiter oblectat animum. In horum oppositis postponitur sibi actiua. Hæc enim est circa plurima, quibus indiget proximus. Et hæc sunt frequenter non pura à venialibus, propter eos inter quos conuersamur. *Isa.* 6. Vir polluti labij ego sum: & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Hæc est etiam circa transitoria: quia in futuro nec panem porriget, cum non sit egenus. Nec docebit, cum non sit ignotans. Nec corriget, cum non sit errans. Nec visitabit, cum non sit aliquis in carcere neque infirmus. Est etiam circa probabilia, quæ per nos fieri possunt, quæ non habent firmam probationem: & turbatur potius quam delectetur. Est autem contemplatiua circa omnia intelligibilia, & meditabilia, & considerabilia ad finem veritatis: & circa affectiua ad finem dulcenis & bonitatis. Actiua autem circa effectibilia & effecta ad proximi vtilitatem & necessitatem. Si ergo cōsideretur actiua in pluralitatis vtilitate, in merendi virtute, in operandi fortitudine & vigore, in necessitatis huius subuentione, in ea quæ per multos, quibus subuenitur, fit gratiarum actione: in quinque his præponitur actiua contemplatiuæ. Et ideo dicunt quidam quod habent se sicut excedentia & excessa. Quia tamen totum quod actiuæ est non habet rationem boni, nisi inquantum vtile est bonum: & totum quod est contemplatiuæ, habet rationem boni, inquantum honestum est bonum & delectabile: bonum autem vtile est bonum per hoc, quod est ad finem boni: honestum autem & delectabile bonum est, quia ipsum est finis simpliciter loquēdo: tunc contemplatiua est optima, & propter se volita: & ideo libera. Actiua autem non est optima, sed ad aliud bona, & propter aliud volita: & ideo ancilla.

Hoc autem vltimum verbum [Maria optimam partem elegit] ita conuenit beatæ Virgini, quod nulli alij. In bono enim corporis, & in bono animæ, & in bono meriti, & in bono gloriæ semper elegit partem optimam. In bono enim Corporis virginitatis elegit pudorem, & habet florem honestatis, & cum hoc elegit matris vtilitatem: & ideo habet gaudium matris: & ideo nec ptimam similem visa est, nec habere sequentem: significata *Exod.* 3. per rubum ardentem incombustum, qui prætendit ignem diuini fructus: & viror ratuis remanet incombustus.

In bono autem animæ etiam habet splendorem diuinæ lucis in intellectu: & non deest sibi fructus virtutis in opere: significata *Isa.* 11. per virgam rectitudinis virtutis, quę ascendit de radice Iessę, hoc est, incendio charitatis, super quam stat flos diuinæ lucis, qui candor est lucis æternæ, & speculum sine macula *Sapient.* 7. Et super hunc florem superueniens in eam requiescit Spiritus sanctus. Anima ergo eius vltra perfecta est in omni bono, candens flore lucis, ardens incendio charitatis, in altum consurgens omni rectitudine virtutis.

In opere autem siue in bono meriti habet omnem actiuæ proprietatem bonam & omnem contemplatiuæ puritatem: & nihil habet de defectu vtriusque. Vtilis enim multis, & circa multa merendi virtutem tantam habuit, quod priuilegia singularia promeruit. Tam fortis in operando, quod inuincibilem omnibus superauit. Multis, & omnibus ipsam quærentibus in necessitatis subuenit articulo: & ideo per multos, quibus subuenit, abundat gratiarum actio Deo. Habet cum contemplatiua vnum, quod omni intentione quæsiuit & inuenit. Habet puritatem, quam nunquam etiam in minimo (sicut tota pulchra) sordidauit. Habet æternitatem, quam constantia propositi, & vultus constantia, & immutabilitate prætendit. 1. *Reg.* 1. Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Habet veritatis firmitatem, quia ad nugas & fallacias se nunquam miscuit. *Tob.* 3. Nunquam cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Habet cordis delectationem iucundissimam, quia delectabatur in Domino, & dedit ei petitionem cordis sui. Agens ergo est circa plura non turbata, circa maculata venialibus non sordidata, circa transitoria non immutata, circa infirma fortissima, circa tristia iucundissima: significata *Num.* 17. per virgam Aaron, quæ in rebellione filiorum Israël viruit, fronduit, floruit, & amygdalinum fructum produxit. Viruit virtute, fronduit benedictione, floruit grauidatione cordis, quo nos concepit, & corporis, quo Filium Verbum incarnatum suscepit. Fructificauit in partu salutis cibum & refectionem salutarem.

In bono autem gloriæ optimam partem elegit. Pars enim bona, stola corporis: pars melior, stola animæ: pars optima, consortium imperij & Regis nostri in imperatoria maiestate: dicente Scriptura 3. *Reg.* 2. Quod positus est thronus matri Regis iuxta thronum Regis, Rege dicente: Pete mater à me: neque enim fas est me aliquid negare tibi. Non enim (salua pace Ieronymi) ratio esset, quare esset ibi corpus Christi: & non esset ibi id vnde sumptum est corpus Christi: dicente Apostolo *Rom.* 11. Quod si delibatio sancta est, & massa: & si rami sancti, & radix.

Hoc

Hoc significatum est 1. *Reg.* 6. vbi arca ascendens de terra Philistiim, stetit in agro Iosue Bethsamitis. Arca enim Virgo mater Dei est: terra Philistiim, mundus hic est in quo arca Dei capta & peregrinata fuit. Solutis autem mortis nexibus, quibus deprimi non potuit, libera de hoc mundo rediens: in agro, hoc est, in beatitudinis mansione: Iosue, hoc est, Saluatoris: stetit in Bethsames quæ interpretatur domus solis, vel domus illuminationis: quia exaltata super omnes choros Angelorum ad cælestia regna, ad thronum, & illuminationem Filij sui proxima ascendit. Et ideo *Cant.* 6. Dicitur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Vt aurora enim lucem gratiæ soli miscuit: quando gratiam in gloriam commutauit, quæ est lux plena. Pulchra vt luna fuit: quando æterni solis filij sui lux se in corpore eius collegit. *Eccli.* 50. Sicut luna plena in diebus suis lucet. Electa autem fuit vt sol: quando in anima immaculata imago lucis æternæ apparuit. *Apoc.* 12. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. Terribilis autem fuit vt castrorum cælestium acies: quando omnium cælestium agminum splendores expressit. *Apoc.* 12. Corona duodecim stellarum in capite eius, hoc est, nouem ordinum Angelorum, & trium statuum Sanctorum: coniugum, virginum, & viduarum: vel trium aureolas portantium: Doctorum, quæ Apostolos docuit: Virginum, quæ flos virginum fuit: Martyrum, cuius animam gladius doloris Filij sui pertransiuit. Ipsa enim custodiam exhibuit Angelorum: secreta consilia Archangelorum: iusta decreta Principatum: seueritates contra malitiam exhibuit potestatum, conterendo caput dæmonis: interminabilem virtutem in miraculis ostendit virtutum: altitudinem non inclinabilem ostendit dominationom: quietem in receptione sessionis diuinæ præbuit Thronorum: altitudinem scientiæ & contemplationis Cherubin transcendit: & affectione charitatis incendium Seraphin superauit. Doctrix autem, Virgo, & Martyr fuit. Et ideo omni luce cælesti (quæ in duodecim stellis figuratur) coronata decoratur.

Hoc etiam significatur 3. *Reg.* 18. Vbi dicitur, quod nubes paruula tanquam vestigium hominis eleuata est de mari: Elia statim clamante & dicente: quia sonus multæ pluuiæ est. Nubes enim Solis calore attracta, terreoa est inhabitatio corporalis beatæ Virginis, quæ attracta sursum calore dilectionis solis veri, Filij sui: eleuata autem per Assumptionem in cælum de mari amaritudinis & inquietudinis huius mundi ad thronum summæ dignitatis & regiæ maiestatis. Statim autem clamat sermo propheticus, & omnis bonorum cœtus, quod sonus inundantis est multæ pluuiæ: qua terrestres compluit in gratia & venia, cælestes in illuminationum gloria. & infernales in indulgentia: vt sibi pro honore Filij sui curuetur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur quia ipsa est vt domina maiestatis in gloria Iesu Christi filij eius, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria pro honore tantæ reginæ in secula seculorum Amen.

CAPVT XI.

Et factum est: cum esset in loco quodam orans, vt cessauit.

HABITO de doctrina & reuelatione facta paruulis, & confirmatione eorum: agit hic de eo, cuius virtute omnia ea quæ dicta sunt perficiuntur, hoc est, de virtute boni spiritus, quē Pater cælestis dat per virtutem orationis. Hæc enim prouehit ad hoc paruulos, quod eis cælestia tam in actiua quam in contemplatiua reuelantur. Et fere idem dicit *Glo.* continuans *Ambrosij* sic. Post historiam sororum, quæ duas vitas significant, inducit Dominum orasse, & Discipulos ad orandum informasse: quia oratio quam docuit, vtriusque vitæ continet mysterium: & ipsarum perfectio vitarum, non nostris viribus, sed precibus est obtinenda. Diuiditur autem pars ista, quæ in hoc capitulo tota continetur, in duas partes, in quarum prima ostendit id, per quod omnia præcedentia habentur & confirmantur: hoc enim fit virtute orationis. In secunda ostendit, quod totum hoc fundatur in interiori munditia, & non in obseruantia exteriori. In prima harum partium adhuc duo facit. Primo enim docet orationem, cuius virtute omnia hæc fiunt. Secundo autem omnia hæc effici per spiritum qui datur in oratione, probat per effectum, & ostendit per rationem. Adhuc prior istarum duo continet, in quorum primo docet orationem: in secundo orationis persuadet instantiam per vtilitatem exauditionis. Adhuc autem in harum partium prima tria continentur, scilicet, facti huius occasio, doctrinæ orationis à Discipulo expostulatio, & doctrina orationis. Facti huius occasio importatur cum dicitur.

Et factum est] & hoc refertur ad dispositionem diuinam, quæ omnia facta Christi disposuit sicut ipse dicit *Ioan.* 8. Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper [cum esset in loco] quodam à tumultibus hominum. *Matt.* 6. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum [orans] *Hebr.* 5. In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Oratio enim sua aliis exemplum orandi dedit, & desiderium aliorum ad orandum accendit. De primo *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. De secundo *Cant.* 3. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Hæc enim verba sunt adolescentularum desiderantium sic deuotè & feruenter orare sicut sponsa orauit: cuius maximè personam gerit anima Christi. Discipuli autem exhibent personas adolescentularum, & in desiderio imitandi, & admirationis, quæ est ista. *Psal.* 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Et quia sic in deuotione orationis inarserunt.

Vt

Vt cessauit] ab oratione Dominus: quia aliquando in oratione, pro nobis erat cum Patre: aliquando pro honore Patris ducens, erat nobiscum. Cum Patre existens, erat pro nobis: nobiscum existens, erat pro Patre. Sic se vtroque modo probans esse Mediatorem & Pontificem futurorum bonorum. 1. *Timot*. 2. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. De pontificatu autem dicitur *Heb*. 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum. *ibi Gloss*. Assistens Patri, & assistens nobis. Sic Moyses intrat tabernaculum ad Deum, & egreditur iterum ad populum *Num*. 12. Sic docet nos aliquando in secretu esse cum Deo: & aliquando vtiliter esse cum hominibus. 2. *Corinth*. 6. Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus vobis. *Eccl*. 3. Omnia tempus habent: tempus amplexandi, & tempus vacandi ab amplexibus. Amplexandi enim tempus est in oratione, & tempus vacandi ab amplexibus est in vtili cum exterioribus occupatione. Sic inter tabernacula Rachelis & Liæ mutabatur Iacob *Gen*. 29. [vt] ergo [cessauit] ab oratione.

Dixit vnus ex Discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos.

Hic expostulatio est doctrinæ orationis à Discipulis, & tanguntur tria: tempus expostulationis, dispositio expostulantis, & ipsa expostulatio. Tempus expostulationis fuit [vt cessauit] ab oratione: quia dum esset in oratione, non erat inquietandus. *Cant*. 3. Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Capreæ visu præeminent: cerui autem saltibus. Vnde adiurare adolescentulas per capreas ceruosque camporum, est adiurare per limpidas contemplationes in visu intellectus, & per saltus gaudiorum in iucunditate affectus, quæ apparent in orantibus cum in deuotione sunt cum Domino sopiti in sensibus exterioribus, & interioribus instantius vigilantes. Scientes igitur hanc adiurationem Discipuli, interpellare Dominum non audebant dum oraret. Sed vt cessauit

Dixit vnus ex Discipulis eius ad eum] ecce dispositio expostulantis [vnus] enim erat qui non in multa se diuiserat, & ideo orare & scite orare cupiebat. Similiter de potioribus Discipulis fuit, qui cætera audita à Domino sic memorię cõmendauerat, quod vt alia potiora doceretur, dignus erat. Vtrunque enim horum exigitur ad orandum, scilicet, cordis in vnum collectio, & disciplinæ ad mentem reuocatio. De vnitate dicitur *Cantic*. 6. Vna est columba mea. Et hoc est ad commendationem vniti spiritus & cordis. E contra de diuidentibus cor per multa dicitur *Ose*. 10. Dinisum est cor eorum, nunc interibunt. De memoria disciplinæ præteritæ dicitur *Ioan*. 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Sic ergo fuit vnus ex Discipulis, qui dixit ad eum:

Domine, doce nos orare] duo dicit: petitionem enim proponit, & rationem impetrandi subiungit. Petitio est [Dumine, doce nos orare] Domine, dicit: reponens ei reuerentiam siue timorem reuerentialem. *Malach*. 1. Si ego Dominus, vbi timor meus? Dominus etiam qui oratur pro maiestate, scientiam habet qualiter orandus sit. *Psalm*. 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. [doce nos] qui Discipuli tui sumus, & doctrinam tuam profitemur. Et dicit [nos] communiter, petens pro se & pro aliis affectus charitate fraternitatis. *Rom*. 12. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes. *Ioan*. 13. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Hebr*. 13. Charitas fraternitatis maneat in vobis. Sic ergo in communi pro se & pro fratribus affectus dicit [doce nos orare] hoc enim necessarium est. *Rom*. 8. Nam quid oremus secundum quod oportet, nescimus.

In hoc autem quod dicunt [doce nos orare] volunt dicere. Doce nos orare, & modum orationis, & quid oremus, & orationis virtutem, & effectum. Oratio enim est pius mentis affectus in Deum directus, vt dicit *August*. Modus autem orationis in corde quidem exprimitur *Ioan*. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. In corpore autem proprius modus exprimitur 1. *Timot*. 2. Volo viros orare in omni loco: leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Virtus autem orationis est subleuare mentem, & cor in Deum. Et hoc multis rationibus & exemplis probat *Dionys. in lib. de di. no. cap. 2. Quod est de virtute orationis.* Quia si etiam in oratione videtur homini quod Deum in se trahat: tamen è contrario est: quia se potius trahit in Deũ orando, quam è cõuersu Deũ in seipsum. Sicut si multi luminis catenam de cælo pendentem aliquis ad se trahere videretur, non traheret quidem ad se catenam cæli, quæ non est declinabilis: sed per manuum exaltatam vicissitudinem in catena se ad catenam exaltaret: & sic ad cælum appropinquans exaltaretur. Et sic orando trahit se in Deum, & non attrahit ad aliquid Deum vbique præsentem. Ista autem orationis virtus significatur *Iudic*. 13. Vbi dicitur, quod cum flamma altaris ascenderet in cælum, Angelus Domini pariter in cælum ascendit. Altare enim cor est. Flamma autem est flamma deuotionis in corde. Angelus autem Domini, spiritus Dei est, nostro vnitus & coniunctus spiritui, qui in flamma deuotionis in cælum ascendit. Sic enim præueniunt principes cæli coniuncti psallentibus: vt in virtutibus orationum & profectuum nostrorum, nos secum reducant in cælum. Sicut dicit *Damas*. quod oratio est ascensus intellectus in Deum. Subiungit autem rationem huius petitionis, dicens.

Sicut & Ioannes] Baptista, qui præcursor tuus fuit, & cuius tu facta semper approbasti, & quem maiorem inter natos mulierum esse dixisti [discipulos suos docuit] est autem hæc doctrina salutaris, qua Discipuli petunt disciplinam orationis. Oratio enim prodest ad remouenda mala, & ad adipiscenda bona: ad remouenda mala spiritus, & ad remouenda mala corporis, & mala operis. Spiritus enim mala remouet: quia Diabolum fugat, vt dicit *Chrysost*. *Matth*. 17. Hoc genus dæmonis non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. Sic Tobia & Sara orantibus *Tob*. 12. Angelus Raphaël compescuit & ligauit dæmonium. Contra malum etiam corporis valet oratio: quia valet etiam contra corporis infirmitatem. *Eccli*. 38. Fili in infirmitate

firmitate tua ne despicias teipsum; sed orá Dominum,& ipse curabit. *Iac. vltim.* Oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Valet etiam contra mala operis dupliciter, scilicet, ne fiant: & si facta sunt, quod deleantur. De primo dicitur *Matth.26.* Orate vt non intretis in tentationem. Quod facta mala deleantur *Iac. vl.* Si in peccatis sit, dimittentur ei. *Eccli.28.* Deprecanti tibi, peccata soluentur. Vnde *2. Reg.12.* Postquam Dauid confessus est & orauit, statim dixit Nathan Propheta: Dominus quoque transtulit à te peccatum tuum. Sic ergo valet contra malum omne.

Valet etiam ad adipiscenda bona animæ & corporis: animæ quidem quadrupliciter. Primo enim gratiam impetrat. *Luc.1.* Exaudita est oratio tua: & Elisabeth vxor tua pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioannem. Vxor, nostra conscientia est, quæ parit Ioannem, hoc est, gratiam per orationem. *Genes.25.* Deprecabatur Isaac pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum,& dedit conceptum Rebeccæ, hoc est, conscientiæ: quæ multum accepit, quando accepit gratiam. Secundo soluit debitum hominis. Oratio enim, vt dicit *Chrysostomus*, est debitum quod soluit homo de visceribus suis, & de profundo sui cordis. *Tob.12.* Ego orationem tuam obtuli Deo. *Psalm.140.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Et hæc duo facit in affectu. Duo etiam facit in intellectu: illuminat enim,& erudit in dubiis. *2. Paralip.20.* Cum ignoramus quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Dat etiam lucem sapientiæ. *Iacob.1.* Siquis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter,& non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Adhuc etiam valet ad bonum operis, & ad bonum temporis. Operis quidem meritorij, vt dulcius sit ad faciendum. *Eccli.18.* Non impediaris orare semper, & non vereatis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum. Bonum etiam temporis impetrat, quod est pax & tranquillitas. *1. Timoth.2.* Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti: vt quietam & tranquillam vitam agamus. Cum sic igitur ad omnia valeat oratio, præ cæteris est vtilis disciplina orationis: & ideo Discipuli petunt vt orare doceantur.

Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater.

Pius Doctor non deest Discipulis, sed omnia vtilia docens eos, docet orare sicut petunt Discipoli. *Isa.48.* Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans in via quam ambulas [Cum oratis] hoc est, orare vultis [dicite] *Matth.6.* Vos autem sic orabitis. Et ponit hic doctrinam orationis. Quæcunque autem nos de ista oratione super *Matth. cap.6.* notauimus sufficeant: quia hic illa repetere propter prolixitatem non audemus: sed hic alia dicere studebimus. Dicimus igitur quod hæc oratio in duobus consistit: in quorum primo docet ad quem oratio est dirigenda: in secundo autem ponit ea, quæ in oratione potissimè sunt petenda. Primum notatur in hoc quod dicit [Pater] Quod est nomen fontis naturæ, & nomen affectus: quia Pater est à quo fluunt omnia: & Pater est ex quo in nos, & à nobis in ipsum dulcissimus tendit amoris affectus. Quod enim Pater sit à quo fluunt omnia, patet ex hoc, quod Pater est qui producit Verbum, quod est ars plena rationum omnium viuentium: in quo Verbo sicut in formali & effectiua causa est, vt fiant & producantur omnia. *Psalm.109.* Ex vtero ante luciferum genui te in splendoribus Sanctorum. Pater enim genuit Verbum existens in omnibus splendoribus sanctitatis & Sanctorum, hoc est, mundorum: à quibus etiam, sicut *Plato* dicit, mundus vocatur mundus. Sicut iam in antehabitis huius libri nos dixisse meminimus. *Matth.11. Luc.10.* Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ. Pater ergo sic vocatus est tota Trinitas, quæ Pater noster est secundum verissimam patris rationem, quæ colligitur ab *Arist. in Libris Animalium 16. & 17.* quod Pater est qui sui aliquid habet in alio: vnde ille constat in fieri & esse perfecto. Pater enim summus in nobis habet virtutem, spiritum, & imaginem: sicut omnis Pater verus habet in filio. Virtutem quidem qua prouehimur ad esse, & bene esse: spiritum autem quo formamur: & imaginem qua assimilamur. Per virtutem enim in ipso viuimus, per spiritum in ipso eodem mouemur,& per imaginem suam sumus in ipso id quod sumus. Virtutem largitur Pater, quia sibi attribuitur potentia: spiritum autem dat, quia generat per adoptionem: imaginem autem, quia filiis dat potestatem filios Dei fieri.

De virtute dicitur *Isa. vltim.* Si ego qui generationem cæteris tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus? hoc est, virtutem generandi non habeo? Imo est in eo virtus pariendi, in qua fundatur omnis virtus generationis. Et sic dicitur [Pater] per creationem. *Isa.64.* Nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster: & opera manuum tuarum omnes nos. Per virtutem enim productiuam Pater est noster per creationem. *Ephes.3.* Flecto genua mea ad Deum, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Et hoc est primum, in quo Pater cælestis suam in nobis ostendit paternitatem: quia dat posse ad esse,& bonum, siue bene esse. *Ioan.1.* Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Et si natura in nobis aliquid accipit de ista potestate, hoc non est alia de causa, nisi quia natura est creatum exemplatum ad potestatem Patris. Solus enim Deus Pater est. De quo verum est quod dicitur *Rom.4.* Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt sua virtute & potestate. Et quod natura patris carnalis in nobis pullulat à non esse in esse, hoc habet ab illa Patris virtute,& efficienter,& exemplariter. Et similiter, quod sacramentum Baptismi confert esse spiritualiter generans, hoc est etiam exemplariter ab illa virtute. Et similiter, quicunque corde iam pullulat à non esse gratiæ in esse gratiæ, iam in se sentit hanc virtutem: quia iam fingit eum Deus ad esse. Et sic dicitur Pater per creationem. *Ierem.18.* Sicut lutum in manu figuli: sic vos in manu mea domus Israël. *Psalm.32.* Qui finxit sigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum. *Psalm.50.* Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Sic non

non de Filio naturali tantum intelligitur quod dicitur *Psalm.2.* Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Nunquam enim fons generationis diuinæ arescit: sed semper fundit virtutem, ex qua tales filij fingantur & formentur tam secundum esse naturæ, quam secundum esse gratiæ. Hoc est ergo primum, quod sui habet in nobis Trinitas Pater noster Deus, virtutem scilicet sic ad esse nos deducentem.

Dicitur etiam Pater, quia spiritum adoptionis filiorum habet in nobis. Hic autem spiritus confert nobis iam per gratiam existentibus vitam, & motum, & sensum siue cognitionem, & affectum. Et diuinam vitam quidem, quia nobis eam influit. *Ioan.6.* Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Et hæc est vita, qua primo in vtero matris Ecclesiæ viuere incipimus, & vitam nostram manifestare: & cor nostrum aperitur ad fontem vitæ Patris cælestis. *Deuter.4.* Vos qui adhæretis Domino, viuitis vniuersi. *Psalm.35.* Domine apud te est fons vitæ. *Act.17.* In ipso viuimus. *Ioan.1.* Quod factum est, in ipso vita erat. Et quos sic non viuificat Pater, abortiui sunt ad nihilum valentes. *Iob 3.* Sicut abortiuum absconditum non subsisterem. Vnde etiam *Apostolus* quamdiu hanc vitam non habuit, seipsum abortiuum reputauit. 1. *Corinth.15.* Tanquam abortiuo visus est & mihi Dominus. Hæc enim vita motus est Dei Patris in hominem ad commouendum cor eius in vita Dei, vt Deus viuat in ipso: & non viuat sibi homo. *Galat.2.* Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Christus. Quod autem nunc viuo, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me. Sic dicitur *Eccli.4.* Sapientia vitam filiis suis inspirauit. Sic dicitur *Ezech.37.* Veni spiritus, & insuffla super interfectos, & reuiuiscant. Et hoc est primum beneficium paterni spiritus in nobis.

Et secundum beneficium Patris: quia postquam ad esse spirituale formauit per virtutem paternam, inspirat nobis vitam per spiritum paternum. Hic est spiritus qui dat motum in gratia, vt moueamur postquam viuificati sumus. Est hic motus spiritus, impulsus quidam cordis ad Dominum, ex quo venit spiritus. *Isai.25.* Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem. Robusti sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, quorum virtuosus spiritus statim vt cor filiorum Dei intrauerit, motum dat salutis ad Deum in desiderio spiritualis. Sic impletur illud *Isa.2.* Cuius spiritus est in naribus: quia statim flare in naribus incipit Spiritus sanctus. *Genes.2.* Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem. Sic dicit *Apostolus 1. Corinth.15.* quod nouissimus Adam factus est in spiritum viuificantem, hoc est, vitam gratiæ per motus cordis manifestantem. Hoc spiritu mouentur animalia Dei sequentia spiritum *Ezech.1.* Et *ibidem* eodem spiritu mouentur & rotæ sequentes animalia: quia vbi erat impetus spiritus, illuc sequebantur & gradiebantur & animalia Dei, quæ significantur Dei filios, & circularia corda eorum, quæ à Deo incipiunt omnem suum motum: & per Deum dirigentem, in Deum terminant motus suos per sanctam intentionem. Sic enim circumeunt.

Tertium autem quod dat spiritus Patris, est cognitio per intellectum, & affectio per charitatem. *Sapient.7.* Est enim in sapientia spiritus intelligentiæ sanctus. Intelligentiæ quidem per cognitionem, & sanctus per charitatis affectionem; & in hoc spiritu incipit filius cognoscere inuocare Patrem diuinum. Et de primo horum 1. *Corinth.2.* dicit *Apostolus.* Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. De secundo dicitur *Rom.8.* Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus Abba Pater. Sic spiritu suo, quem habet in nobis Pater summus, deducit nos ad esse, & vitam, & motum, & cognitionem, & affectionem filiorum. Et quia ducit ad esse, Pater est per creationem: & hoc facit per creatiuam virtutem. Et quia dat vitam, & motum, & intelligentiam, & affectionem: Pater est per adoptionem. Et istis etiam modis virtus patris carnalis, & spiritus datus ab ipso operantur in generatione carnali: sicut sciunt omnes, qui benè didicerunt naturas generationis humanæ.

Adhuc autem Pater est per assimilationẽ: & sic de suo habet in nobis imaginem nos sibi assimilantem, quantum est possibile creaturæ assimilari Creatori. Et hoc est quod dicit *Genes.1.* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et hæc imago quasi imitago vocatur: quia facit nos imitari similitudinem & exemplar Patris cælestis. *Eccli.17.* Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam creauit illum. Sicut enim Pater carnalis natiuitatem filij (nisi natura erret) promouet semper vsque ad perfectam similitudinem ipsius: ita Pater spiritualis promouet spiritualis hominis generationem vsque ad similitudinem diuinam, nisi obicem ponat homo. Hæc autem imago distinguitur tripliciter ab *Augustino in gloss. Super illud Psalm.4.* Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo. Est enim imago creationis, recreationis, & imago similitudinis. Et omnes has tres imagines habet in nobis Pater cælestis, sicut ante colligitur. Imago creationis est in tribus, sicut dicit *Augustinus super Genes.* In naturali imitatione, in naturali potestate, in naturali origine. In naturali imitatione: quia sicut Deus habet potestatem & liberam facultatem ad cognoscendum verum & bonum: ita & homo habet facultatem ad cognoscendum & quærendum & faciendum per gratiam Dei. *Genes.3.* Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Homo ergo qui Deum vocat Patrem, in hoc debet imitari, quod veritatem agnoscat & diligat sicut Deus, & bonitatem cognoscat & diligat sicut Deus. *Psalm.4.* Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Et hoc, supple inconueniens est: quia signatum est, hoc est, sigillatum in suprema parte animæ, lumen vultus tui super nos: quo cognoscere, & liberè quærere, & facere possumus bonum. Et in hoc dedisti lætitiam in corde meo. Ab hac imagine degener filius efficitur alienus à semine diuino. *Psalm.17.* Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inueterati per imaginis deformationem: & claudicauerunt à semitis suis, in quibus meam imaginem debuerunt imitari. Hi sunt qui in pecorinam & ferinam mutantur imaginem pro diuersitate passionum, quibus commutantur. *Psalm.48.* Homo cum in honore

esset

esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et tales non vere vocant Deum Patrem.

Est autem imago recreationis, quæ quasi pictura & color serenat & decorat creatam imaginem. Et hoc sicut dicit *Gloss.* est fides, spes, & charitas. Fides enim vultum animæ per lucem veritatis purificat & venustat: spes autem æternorum bonorum exhilarat & eleuat: & charitas grato calore & rubicante faciem accendit, & roseum super candorem lilij inducit colorem. *Cantic.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus. Iste filius est speciosus præ filiis hominum, qui in decore & similitudine diuina sic præfulget. *Act.* 6. Intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli stantis inter illos. Ab hac imagine degenerant, qui defectu formatæ fidei filij diffidentiæ secundum Apostolum efficiuntur: & defectu rerum sperandarum turpibus tradunt seipsos: & defectu charitatis diuinæ scatent scatebra libidinum carnalium: quos plangit *Ierem. Toren.* 4. dicens: Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Filij enim Sion sunt filij speculationis æternæ: inclyti per imaginem diuinam: amicti auro primo per fidem, spem, & charitatem; quæ conferunt eis, & splendorē serenitatis, & hilaritatis, & gratæ pulchritudinis. Sed per peccatum computati sunt in vasa testea ad turpem vsum deputata: quando nihil nisi terrenum remanet in eis. Opus autem manuum figuli summi amittere non possunt: & hoc turpe & indecorum retinent.

Imago autem similitudinis est, quæ est in assimilatione memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis. Et hoc, quantum nunc ad propositum sufficit, est, vt forma Patris continuò sit in memoria, & splendeat in intelligentia, & fortissimo desiderio affectata sit in voluntate. Et hoc forte est diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. Vt nihil obliuionis à facie Patris interrumpat memoriam: nihil erroris vel obnubilationis phantasticæ seducat intelligentiam: nihil concupiscentiæ illiciat voluntatem, & ab affectu rectæ similitudinis Patria auertat. Sic filij sunt de quibus dicitur 1. *Canon. Ioan.* 3. Nunc filij Dei sumus: nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, hoc scilicet quod erimus, ex diuina paternitate similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.. In nobis autem sicut eum videbimus. Isti dignissimam in se vidēt Patris cælestis similitudinem: & ideo verissimè vocant eum Patrem. *Psal.* 78. Ipse inuocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum: quia primus est inter spiritualiter genitos, qui sic præfert imaginem Patris.

Adhuc autem sicut diximus, *ex gloss. sup. Gen.* colligitur, quod imago est etiam in similitudine potestatis, & similitudine originis. In similitudine quidem potestatis: vt sicut Deus præest omnibus, ad nihil ignobiliter inclinatus: ita homo præsit sibi subiectis, ad nihil inclinatus sibi subiectorum. Dictum est autem vt præsit piscibus maris, & volatibus cæli, & reptilibus, & bestiis terræ, ad nihil bonum ignobiliter inclinatus. Et hoc ostendit recta & erecta statura hominis: quia sicut dicit *Poeta* Ouidius.

Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit: & erectos ad sidera tollere vultus.

Et hoc fit per hoc quod Dominus est homo omnium, non scabellariter ad aliquod inferiorum per amorem vel imitationē inclinatus. *Ps.* 8. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et ille talis non degenerans à gloria Patris: merito vocat & inuocat Patrem gloriæ, Patrem. *Isa.* 22. Erit in solium gloriæ domus Patris sui: & suspendam super eum omnem gloriam domus patria sui. Sic Patrem nominare non potest ingloriis homo, quem Pater gloriosus erubescit vocare filium: qui vilia eligens, & cum infimis quærit habere conuersationem, contra naturalem suam & propriam dignitatem: sicut *Ezech.* 16. de quodam dicitur. Radix tua & generatio tua de terra Chananæa: Pater tuus Amorthæus: & mater tua Chetæa. Et quando natus es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus. Chananæa, transmutatio interpretatur: quia filij gloriæ commutant generationem suam in natiuitatem ignominiæ, & ibi figunt radices. Amorrhæus autem amaricans interpretatur: & significat Diabolum, qui in peccati persuasione configurat eos sibi per Chetæam matrem, quæ interpretatur insaniens: & significat concupiscentiam, in cuius vulua concipiuntur illi ignominiosi filij, significati per Icaboth, qui interpretatur inglorius: quia natus est quando translata est gloria Domini de Israël 1. *Reg.* 4.

In similitudine autem originis, homo præfert similitudinem summi Patris: quia sicut ex Deo sunt omnia, ita ex vno homine tota prodiit humana natura: & sic Adam verè est ad imaginem Dei. Spiritualiter autem loquendo non omnis origo est commendabilis: sed origo diuina à qua bona cuncta procedunt; & etiam ea quæ mala videntur, & in ipso bona sunt. Et secundum hoc in quo omnia, quæcunque in ipso sunt, vita sunt & lux: & sic procedunt ab ipso. Illa est diuina origo & imago Dei. Talis autem homo à cuius intellectu non procedit nisi lux, & à corde suo vita, est imago Dei: & talis homo est de quo dicitur *Mat.* 12. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Et *Matth.* 13. Profert de thesauro suo noua & vetera. Iste enim est imago Verbi Filij Dei, quem sicut thesaurum omnium bonorum de se genuit Deus. Sic dicitur pater *Matth.* 11. & *Luc.* 10. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Paruuli enim in quibus est thesaurus sapientiæ & gratiæ, & à quibus talia procedunt, filij Dei sunt: quia talia procedunt ab ipso. *Iac.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis suæ: vt simus initium aliquod creaturæ ipsius. A tali autem filiatione degenerant, à quibus non procedunt nisi mala & corruptiones: de quibus dicitur *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & opera illius vultis facere. Sic igitur Pater est, qui sui aliquid habet in nobis. Per virtutem creatricem, Pater est creatione.

ne. Per ſpiritum autem eſt Pater adoptione. Per imaginem autem Pater aſſimilatione.

Hic Pater omne ad nos oſtendit ius & bonitatem patris. Erudit enim, corrigit, recipit, & theſauros confert hæreditatis. Erudit, vt eius recipiamus diſciplinæ ſanctitatem (aliàs ſanitatem) corrigit per verbera, ne bona ipſius amittamus per indiſciplinæ errorem: ſuſcipit miſericorditer reuertentes, vt trahat ad fructum vitæ meliorem: theſauros congerit & largitur, ne inopia faciat filium deteriorem. De primo dicitur *Hebr.* 12. Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: nonne magis obediemus Patri ſpirituum & viuemus? Et iſti quidem in tempore paucorum, ſecundum ſuam voluntatem erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius. De ſecundo *Prou.* 3. & *Hebr.* 12. Quis filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ego adulteri & non filij eſtis. De tertio in *Pſal.* 102. Quomodo miſeretur pater filiorum: miſertus eſt nobis Dominus: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Exemplum *Luc.* 15. Vbi pater longe adhuc agentem recepit reuertentem ad ſe filium, dicens: cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & occidite vitulum ſaginatum: quia ſaluum illum recepi. De quarto dicitur. 2. *Corinth.* 12. Non debent filij parentibus theſaurizare: ſed parentes filiis. *Iſa.* 45. Dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum: vt ſcias quia ego Dominus qui vocaui nomen tuum. Theſauri autem iſti ſunt diuitiæ, gratiæ, & gloriæ. Et Arcana ſecretorum ſunt abſcondita myſteriorum, quæ ſuis filiis Deus ſemper reuelat. Sic ergo vocamus eum Patrem.

Eſt autem Pater ad filium nomen honoris, & reuerentiæ, & plenæ fiduciæ impetrandi quicquid petimus. Quod enim nomen ſit honoris ſummi, patet *Malach.* 1. Si ego pater: vbi honor meus? *Exod.* 20. Honora patrem tuum & matrem tuam: vt ſis longæuus ſuper terram. Quod autem ſit nomen ſummæ reuerentiæ & obedientiæ, patet *Hebræorum* 12. Patres habuimus carnis noſtræ eruditores, & reuerebamur eos. Et quia maxime reuereri & obedire debemus Patri cæleſti, & nulli contra eum ideo dicitur *Matth.* 23. Patrem nolite vobis vocare ſuper terram. Vnus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt. *Matth.* 6. Pater noſter qui es in cælis. Quod vero ſummæ fiduciæ ſit hoc nomen ad impetrandum omne quod petimus, dicit expreſsè *Chryſoſt. ſuper Matth. in Originali.* Vnde *Luc.* 15. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum ex mercenariis tuis. Et ſtatim impetrauit ſupra id quod petiit. *Ioan.* 11. Gratias ago tibi Pater, quia exaudiſti me. Ego autem ſciebam quia tu ſemper me audis. Hoc enim non eſt tantum de Filio naturali verum, ſed etiam de filiis adoptionis, quos ſemper audit Pater: & ideo ſibi eos in paternitate coniungit *Ioan.* 20. dicens: dic fratribus meis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Sic igitur eſt Pater, omne oſtendens ad nos naturale ius Patris, & paternum affectum, & fiduciam ipſo nomine faciens impetrandi quicquid petierimus: vnde *Ioan.* 16. dicit: Amen amen dico vobis. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

Sanctificetur nomen tuum.

Hic poſt captationem beneuolentiæ eius à quo petendum eſt: ponit omnium quæ petenda ſunt ſufficientiam in quinque petitionibus, omnia quæ huic & futuræ vitæ neceſſaria ſunt comprehendens. Quarum tres ſunt de adeptione boni, & duæ de amotione mali. Tres autem quæ ſunt de adeptione boni diuiduntur ſic: quod duæ ſunt de adeptione boni ſpiritualis, & vna de adeptione boni corporalis. Inter eas autem quæ ſunt de adeptione boni ſpiritualis, vna eſt de adeptione boni diuini, quod inuocatum eſt ſuper nos: & alia eſt de adeptione boni meritorij, quod conducit ad bonum diuinum. Et ex hoc patet diuiſio petitionum iſtarum, & ordo: quia bonum eſt ante malum: ſicut habitus eſt ante priuationem. Et inter bona, ſpirituale bonum eſt ante temporale, quia dignius eſt illo. Et inter ſpiritualia bona, diuinum bonum eſt ante meritorium bonum, quod conducit ad ipſum: ſicut finis eſt ante id quod eſt id finem.

Prima ergo petitio (quæ diuini & nobilioris boni eſt) eſt quod dicit [ſanctificetur nomen tuum] dicit autem tria: petitionem ſcilicet ſanctificationis: & cuius petit ſanctificationem, quia nominis: & cuius nominis, quia tui, hoc eſt, diuini nominis in nobis. Cum autem ſanctificari idem ſit quod purificari, & emundari, & confirmari: ſanctificatur nomen diuinum in nobis ſex modis. Emundatur enim per immundantium & inquinantium abiectionem: deputatur autem per impurorum ſeparationem: & manifeſtatur per obſcurantium ipſum illuminationem: clarificatur per venuſtantium ipſum appoſitionem: confirmatur autem per inſcriptionem, & fortiſſimam cordis impreſſionem. Et ſic oramus [ſanctificetur nomen tuum]

De emundatione nominis diuini dicitur *Ezec.* 36. Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum eſt inter Gentes Sanctificat autem Deus Pater nomen ſuum in nobis, quando immundas cogitationes & ſermones & actus abſtergit à nobis per gratiam & pœnitentiam: vt nihil in nobis appareat niſi id quod nominatur à tanto Patre. *Amos* 2. Filius & pater iuerunt ad puellam: vt violarent nomen ſanctum meum. Immunditiis enim ſtupri & aliorum carnalium peccatorum, ſanctitas ſiue munditia Patris Dei in nobis ingenita polluitur & violatur. Et iterum ſanctificatur: quando nomen Patris ſancti in nobis emundatur, & mundum cuſtoditur. *Ezech.* 44. Non polluent vltra domus Iſrael nomen ſanctum meum, ipſi & reges eorum in fornicationibus ſuis. Ideo enim dicit *Leuit.* 19. Sancti eſtote: quoniam ego ſanctus ſum. Vt ſanctitas Patris innata nobis cuſtodiatur: & ſi polluta eſt, iterum emundetur ad normam munditiæ diuinæ. Ideo etiam improperat Dominus quibuſdam *Iſa.* 52. Iugiter tota die nomen meum blaſphematur inter Gentes. Nomen enim mundi & ſancti Patris blaſphemare facit immundus filius ſequens carnis immunditias: ſicut fecit filius prodigus, qui omnem ſubſtantiam ſuam conſumpſit, viuendo luxurioſè cum meretricibus. Talia enim peccata immunditiarum, carnalium

præcipuè,

præcipuè, contraria sunt sanctificationi & munditiæ, quæ innata est nobis à Patre, cuius sanctitate sancti esse debem 9s, qui tam mundus est, vt dicitur *Sapient.7.* quod propter suam muoditiam nihil inquinatum incurrit in illum. 1.*Thess.*4. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra: vt abstineatis vos ab omni fornicatione: vt sciat vnusquisque possidere suum vas in sanctificatione & honore, non in passione desiderij. Sicut enim & ex patre carnali innascitur filio id quod naturale est patri carnali in corpore: ita ex Patre spirituali innasci debet nobis munditia siue sanctitas Patris spiritualis: vt non tantum præferamus imaginem ipsius, sed etiam præferamus munditiam suæ sanctificationis, & denominemur ab ipsa. *Eph.*1. Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.

Nomen etiam diuinum si sanctum esse debeat & sanctificari, purificandum est ab his quæ sibi ad impuritatem permiscentur. Sic enim sanctum dicitur agios, quod est sine terra. Terrenorum enim admistio & concupiscentia splendorem offuscat nominis diuini io nobis: & hoc est in conscientiæ depuratione à terrenorum appetitu. Ideo dicitur 3.*Reg.*6. quod Salomoo operuit & vestiuit oraculum ex auro purissimo. Et similiter Moyses texit arcam auro purissimo *Exod.*26. Sicut aurum autem purissimum ab omni fæce terrena purgatum est: ita conscientia nihil io se terrenum habens, pura est: & diuinum nomen quod ex Patre cælesti est, in ipsa purificatum dicitur. Ideo *Sapient.*3. dicitur, quod Sanctos probat Dominus. Dicitur enim sic: Tanquam aurum in fornace probauit illos: vt ad purum decoquantur. Purum enim est in qualibet natura, quod alienæ naturæ non est admistum. Ita semen diuinum quod ex Patre cælesti in nobis est, purum est quando nihil habet admistum alienum. Ideo 2. *Paralip.*4. dicitur: omnia quæ ad ritum templi facta sunt, omnia ex auro purissimo & mundissimo sunt facta: quia in his quæ ad Deum pertinent nihil debet esse nisi purè diuinum. Et tunc est agios, hoc est, sanctificatum vel depuratum. *Psalm.*17. Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Io quibus oihil debet esse nisi purus diuinus flos virtutis, nobis ex Deo innatus. *Prouerb.*3. Primi & purissimi fructus eius. Quia primum, ideo nihil ante ipsum, & quia purissimum, ideo nihil habet admistum. Sic igitur sanctificatur nomen per alienæ naturæ depurationem. Et ideo dicitur *Osee* 1. Ascendent de terra, quia magnus dies Iezrahel. Ascendit enim de terra, qui se eleuat de terrenitate: & tunc est magnus dies Iezrahel, quod semen Dei interpretatur: quia tunc nihil in nobis apparet nisi semen diuinum.

Sanctificatur etiam per obscurantium ipsum in nobis manifestationem. Sæpe enim nomen Dei immundis actibus non est inquinatum, nec puluere terrenorum admistum: sed tamen adeo est obscurum quod non bene est manifestum, nec bene agnoscitur in nobis cuius simus nominis. Oportet ergo in hoc nomen Dei sanctificari, quod manifestetur cuius simus nominis. Hoc autem cognoscitur per diuinorum manifestationem. Sicut & in naturis per naturam & causam propriam rei formalem cognoscitur nomen illius naturæ: sicut nomen hominis, & nomen equi, & nomen asini, & huiusmodi. Ita etiam in diuinis cognoscitur & manifestatur nomen Patris diuini: vbi figura & proprietas eius in nato manifestatur. Sic enim dicit in *Psalm.*81. Ego dixi dij estis: & filij excelsi omnes. Generatio enim Dei io nobis manifestatur (qua dij dicimur) si nihil io nobis appareat nisi diuinum, & nobis à Patre cælesti ingenitum. Et hoc omnibus per exemplum exterius fit manifestum. *Ioan.*10. Illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, hoc est, qui sermonem Dei (qui est verbum & imago Dei) in opere compleuerunt: quia in illorum vultu apparet, quod nomen Dei in eis saoctificatum est. Vnde & Iudæos Dominus conuincens *Ioan.*10. dixit: Quem Pater sanctificauit, hoc est sanctum mundo præmonstrauit, & sic in mundum misit: vos dicitis quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum. Nomen istud multi obnubilant adeo, quod nescitur vtrum ex Deo vel ex mundo sint. Vnde 1.*Ioan.*3. Omnis qui habet hanc spem, scilicet quod sit filius Dei, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Talis autem est qui omnia à se abiicit opera tenebrarum & dubietatis: vt in luce diei possit manifestari. Sic enim dicitur *Ioan.*17. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, hoc est, nomen tuum cordibus eorum impressum ad manifestum eduxi: vt omnes clarè videant quia sunt filij Dei. Sicut dicitur *Rom.*13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die, honestè ambulemus, hoc est, in lumine diuino. *Ephes.*5. Vt filij lucis ambulate. Qui enim non in manifesto, sed in latebris ambulant: non ambulant in veritate. Et ideo diuinum oomen in eis occultatur, & non sanctificatur, sed obtenebratur. Sic sanctificatur nomen, quando celebre & grande efficitur per eiusdem nominis in diuiois actibus publicam manifestationem. 2.*Reg.*7. Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. *Ruth* 4. Habeat celebre nomen io Ephrata, hoc est, inter eos qui Deo fructificant. Hoc enim modo id quod sanctificatur, celebratur. Quia, sicut dicit *Philosophus*, Sanctitas est virtus quæ scire facit quæ ad Deum iusta sunt. Et ideo quando aliquis se illa scire per effectum ostendit, tunc nomen Dei, quod super eum inuocatum est, sanctificat. *Ierem.*14 Nomen tuum inuocatum est super me Domine Deus exercituum. Vbicunque enim diuinum nomen manifestum est in actibus, ibi ab omnibus inuocatur. Sic ergo saoctificatur ad celebrandum, quando manifestatur.

Sanctificatur etiam, quando clarificatur vt effulgeat & splendeat in gloria, quod latet in humilitate. Et sic sanctificatur in Sanctis, quando mirificatur: quando scilicet mirabilis Deus in Sanctis suis & videtur, & prædicatur. *Psalm.*4. Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum. *Ioan.*17. Pater clarifica nomen tuum hominibus, hoc est, clarum in gloria nominis splendere facito. *Genes.*32. Cur quæris nomen meum quod est mirabile? Sic enim mirabilis est Deus in Sanctis suis: & in sanctitate sua Sanctos, qui nomen iouocant, facit sanctificatos: & per sanctitatem talem nominis, etiam quidam eorum catalogo Sanctorum adscribuntur. *Psalm.*64 Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Quamuis autem non omnes Sancti faciant ea quæ vocamus miracula: tamen hoc miraculum fit in omnibus, quod pusilli & pauperes Diabolum vincunt, præsentibus non attendentes ad æterna suspirant, in

carnis incendiis existentes cælibem vitam ducunt. Et quod omnibus est mirabilius, simplices & illiterati secreta norunt diuinorum consiliorum: & hoc est quod petit *Psalm.*85. Fac mecum signum in bonum: vt videant qui me oderunt, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me. Sic ergo sanctificatur nomen, quando clarificatur in mirabilibus gloriosis.

Est autem sanctificatio idem quod confirmatio. Et hoc fit dupliciter sicut diximus: per inscriptionem, ne deleatur: & per impressionem in mentis memoriam, ne aliqua obliuione recedat à corde. Fit autem inscriptio per literam, & elementa quædam, & signa spiritualia: quibus legitur & in fronte, & in femore, & in vestimento. Nomen sanctificatur in fronte per publicam operis confessionem: in femore per sinceram in nomine Domini delectationem: in veste per honestæ conuersationis virtutem. Vnde *Apoc.*3. Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum. Nomen enim Dei in nobis describitur, quando spiritu Dei in nobis similitudo Dei publicè confitetur. Nomen autem cælestis ciuitatis in nobis scribitur, quando omnia nostra ad exemplum Sanctorum Angelorum perficiuntur: ita quod in nobis legi potest omnium similitudo cælestium. Nomen autem filij nouum nobis inscribitur, quando noua opera priuilegiata filij in meritis nostris figurantur: sicut cælibatus in corpore, doctrina verbi in officij perfectione, & martyrij constantia in periculorum mortis perpessione: & quia scriptura hæc indelebilis est: ideo nomen sic inscriptum, est sanctificatum. Hæc enim scriptura sancta est Spiritu sancto exarata. *Ezec.*9. Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium. *Habac.*2. Scribe visum, & exara super tabulas, vt percurrat qui legerit. Sic ergo inscriptum nomen, est sanctificatum: & sic à Christo scripti & signati sumus, & sanctificati.

Sanctificatur etiã & confirmatur per memoriæ impressionem: vt nulla obliuione hoc nomen vnquã deleatur. *Ps.*136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Sicut dicit *Isa.*26. Nomen tuũ & memoriale tuũ in desiderio animæ, non enim esset in desiderio animæ, nisi semper in memoria esset dulce. Vnde legitur de Cypriano *Ignatio.* martyre, quod nomẽ Domini aureis literis scriptũ habuit in corde. Quia sanctificatũ, hoc est, per memoriæ impressionem sic fuit confirmatum, quod seipsum in corde etiam corporaliter sigillauit. Et hoc est quod clamãs desiderat Dominus in *Cant.*7. Pone me sicut signaculum super cor tuum, hoc est, sicut sigillum in profundum pertingens, in quo imago mea in te semper resultet. Sic sanctificatum sumitur *Eccli.*24. Vbi dicit sapientia. In plenitudine Sanctorum detentio mea, hoc est, vbi plena est confirmatio per impressionem.

Primam harum sanctificationũ operatur munditia cordis & animæ. 1.*Corinth.*7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta corpore & anima. Secundam sanctitatem operatur spiritualitas, segregans cor à terrenorum puluere interius fœdante. *Isa.*52. Exite, exite, pollutum nolite tangere: mundamini qui fertis vasa Domini. Tertiam sanctificationem illuminatio facit spiritualis: vt diuini nominis decor appareat: sicut dicitur. 1.*Corinth.*3. Templum Domini sanctum est, quod estis vos. Et hoc fit per elongantiam obscurantium spiritualium peccatorum: sicut est superbia, & ira, & inuidia, & acedia. Hæc enim obscurant sanctitatem Dei. *Luc.*1. In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Quartam sanctitatem (quæ fit per clarificationem) operatur in nobis diuinus splendor intus ingrediens, & extra in operibus splendens. *Psalm.*109. In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Primæ tres sanctitates significantur in Sanctis: & quarta significatur per sancta sanctorum *Exod.*27. Quinta sanctitas est confirmationis sanctitas, quæ fit scriptura authentica: sicut leges & iura sanciuntur. Et hoc fit, quando leges diuinæ in nobis per doctrinam spiritus intus scribuntur in corde. *Ier.*31. & *Hebr.*7. Dabo leges meas in cordibus eorum: & in visceribus eorum superscribam eas. Sic dicitur sanctum *Rom.*7. Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Sexta sanctitas (quæ est confirmatio memoriæ) fit per dilectionem: quia illa facit nomen Dei profundari in memoria. *Ierem.*51. Recordamini procul Domini: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. Sic ergo dicimus, sanctificetur

Nomen] quod à notamine dicitur: quia notam sui facit in animam, sicut character quidam consignans hominem Deo. Sicut enim patris carnalis virtus notam facit in nato, per quam facit characterem patris: & ideo imprimit ei nomen naturæ patris, vt dicatur & sit homo: ita natiuitas diuina characterem facit virtutis diuinæ, per quam natus dicitur filius Dei, & participatiuè dicitur Deus. *Exod.*7. Constitui te Deum Pharaonis. 1.*Corinth* 8. Sunt dij multi & Domini multi, siue in cælo, siue in terra. Hoc enim nomen verissimum est, quod petimus sanctificari. Hoc enim est quod dicit *Ioan.* 1.*Canon.*3. Nunc filij Dei sumus, supple, participando diuinitatem. Nondum apparuit quid erimus: quia nondum nomen est sanctificatum per depurationem & confirmationem. Scimus autem quoniam cum sanctificatione perfecta apparuerit nomen illud cum re nominis: similes ei erimus participatione deitatis, & non æqualitate: & tunc in nobis videbimus eum sicuti est in suæ perfectione participatæ deitatis. Hoc est igitur nomen quod est super omne nomen, quod petimus sanctificari: quòd sanctificatione sua perfecta nos perfecti sumus, hic secundum gratiam, & in futuro secundum gloriam.

Hoc autem nomen quamuis sit multiplex: tamen quintuplex est secundum relationem suæ deitatis ad nos, secundum quam nos deificat. Vnum autem est Deus, quod est nomen naturæ diuinæ. Alterum autem est, Qui est, quod est nomen æternitatis diuinæ. Tertium autem est, Dominus, quod est nomen diuinæ potestatis. Quartum autem, IESVS, quod dicit Deum humanatum. Quintum, Christus, quod dicit hominem deificatum: sicut dicit *Damascen.* Primum quatuor operatur in nobis: naturæ scilicet diuinæ similitudinem per adoptionem, intellectus illuminationem per diuinam limpidam visionem, interiorem & exteriorem circuitionem per prouisiuam eius virtutem, & nostri curam per suam perfectam prouidentiam. Et per primum vocatur Pater, per secundum autem illuminator, per tertium vocatur cu-

stos,

ftus,per quartum autem gubernator. Per primum format, per secundum autem oculos illuminat, per tertium impedimenta remouet, per quartum autem dirigit in dubiis. De primo dicitur *Isa.*63. Pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. *Eccl.*17. Ad imaginem suam fecit hominem, & secundum se vestiuit illum virtute. Et sic dicitur *Ierem.*14. Nomen tuum inuocatum est super nos. De secundo dicit *Psalm.*17. Tu es qui illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas. *Psalm.*36. In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. *Ioan.*1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sic etiam cæcutiens Simeon illuminatus clamauit *Luc.*2. Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israël. De tertio dicitur in *Psalm.*110. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Semper enim castra nostra circuit. *Deuter.*23. Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos: vt fint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. De quarto dicitur *Prouerb.*11. Vbi non est gubernator, populus corruet. *Isa.*48. Ego Dominus docens te vtilia: & gubernans in via qua ambulas. Hæc enim quatuor sunt in hoc nomine, Deus. Imponitur enim hoc nomen naturæ diuinæ quæ fœcunda est: & ideo vterus quidem semper gignens dicitur in *Psalm.*109. Ex vtero ante luciferum genui te. *Iob* 38. De cuius vtero egressa est glacies? & stillas roris quis genuit? Pater autem est istius creati, quod ad suam producit similitudinem vt dicit *August. Damasc.* autem dicit, quod theos Græcè sonat visionem, quia theoro, ras, est videre. Et sonat circuitionem, quia theaste, circumire; quia circuit omnia quæ sua fruuntur prouidentia. Et thetyn sonat ardere, propter curam quam habet suorum: sicut etiam in antehabitis dictum est. *Deuter.*4. Deus noster ignis consumens est.

Hoc autem nomen, Dominus, nomen est potestatis, vt dicit *Ambrof.* Potestatis autem perfectio in tribus consistit: in gradus superpositione, in instrumentaliter obsequentis ad potestatem perfecta possessione, in continendi potestatem fortitudine. Oportet enim eum, qui participat potestatem diuinam, poni in alto super alios: vt alij non sint eiusdem potestatis. Et sic *Exod.*7. Moyses dicitur Deus Pharaonis, quantum ad altitudinem potestatis diuinæ. Oportet vt abundanter habeat ea, quæ huic potestati deseruiunt tanquam instrumenta ipsius, & sine quibus non perficitur in actu: sicut sunt amici & amicorum copia, & diuitiæ, & apparatus qui pertinet ad potestatem. Oportet etiam quod in ipso, qui vtitur potestate, sit virtus continendi eos, super quos accipit potestatem contra inimicas fortitudines: quia aliter excutietur potestas eius.

Et secundum hæc tria nomen Patris Domini sanctificatur in nobis: quando ista in nobis deputantur, & clarificantur, & describuntur in nobis confirmata. Et tunc sumus filij Domini; sicut fuimus dij ex Deo Patre. Sicut enim Deus Deum generat: sic etiam Dominus generat Dominum. Omnibus autem superponimur per gloriam & honorem. In nullo deficimus in instrumentaliter operantibus per gratias & virtutes & illarum copiam & scientiarum. Continendi autem omnia nostra virtutem accipimus per præsidia suffragiorum diuinorum, Angelorum, & Sanctorum. De primo dicitur de Domino homine in *Psalm.*8. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum. Sic *Genes.*27. dicitur: Iacob esto Dominus fratrum tuorum: & incuruentur ante te filij matris tuæ, scilicet, Ecclesiæ. Et *ibidem*. Dominum tuum illum constitui: & omnes fratres tuos seruituti illius subiugaui. Hoc autem fit per actus dominales & virtutes, qui in supremo constituunt. 1. *Reg.*9. Ab humero & sursum eminebat super omnem populum. Ab humero eminet, qui fortitudine operationis & sustinentiæ passionum Dei, super alios omnes diuina operatur & patitur. Et ille in alto cotam Deo iam est constitutus: sicut dicitur in *Psalm.*112. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Habitat enim Dominus honoris sic in altis; qui tamen in oculis suis humiles sunt. Isti sunt in quorum persona dicit *Apostolus Philip.*3. Nostra conuersatio in cælis est. Nunquam ergo ad pedestria calcanda & scabellaria inclinati sunt. Sed tota voluntate in altissimis cælestium perfectionibus conuersationis ducere vitam: hoc Dominum se esse probat quantum ad primam partem dominationis.

Instrumentaliter autem ad hæc iuuantia sunt virtutes, & scientiæ, & alia cooperantia. Non enim ad gloriam altitudinis istius se erigere poterit, qui in aliqua virtute deficit. Vnde Dominus *Iob* 11. dicit: Esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Et præmisit: Circunda tibi decorem, & in sublime erigere. Decore enim virtutum omnium oportet esse renitentem, & speciosis operibus indutum, qui gloriosus in sublimibus debet esse erectus. *Eccl.*54. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo. Omnia enim talia, sicut instrumenta quædam, subleuant hominem in sublime potestatis diuinæ, in qua nihil est impotentiæ. Breuiter ergo concludendo: Quicunque omnia instrumenta virtutum & spiritualium habet adminiculorum, quibus omnia sua in potestatis perfectione fiant, & nunquam declinet ad infirmitatis ostensionem: hic pro certo secundam partem huius nominis in se sanctificauit deputando & confirmando. Dico autem infirmitatem voluntatis, non corporis. Infirmitas enim voluntatis in peccatis est & vitiis: & hæc infirmitas contraria est potestati diuinæ.

Sic etiam oportet vt in tertia parte continendi habeat fortitudinem: quia aliter dissipatur totum; quia aliter ea quæ sibi subiecta sunt, ad pacem reducere non posset. Vnde *Iob* 50. dicitur ei qui sic in sublime est erectus: Disperge superbos, & omnem arrogantem humilia. Et hoc quidem facit homo Dominus in proprio corde, & paterfamilias in propria domo, & dominatus tenentes in commissis: vel oportet dispendium pati in dominatione. Hæc tria simul tanguntur *Esther* 13. Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita: & non est qui possit resistere tuæ voluntati. In hoc enim quod dicit omnipotentem, Regem in loco honoris dicit esse positum. In hoc autem quod dicit, omnia in ditione sua esse posita,

ſita, notat quod omnia ſubſeruientia poteſtati habet io poſſeſſione perfecta. In boc autem quod dicit, quod non eſt qui poſſit reſiſtere ſuæ voluntati, notat quod habet virtutem & fortitudinem omnia continendi fortitudine inuincibili. Et hoc dominium participat homo pro modulo ſuo, quando ſe in alto ponit, & ſubſeruientes ad hoc virtutes poſſidet,&ſe ſic continendi contra tentationes inimici habet perfectam facultatem. Hæc etiam tria notantur *Eccli.* 54. Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis. In hoc enim quod dicit, virtutibus diuites, ſignificat omnium ad poteſtatem operantium perfectam poſſeſſionem. In hoc autem quod dicit, pulchritudinis ſtudium habentes, ſignificat ea quæ faciunt ad dignitatis exaltationem. Et cum ſubiungit, pacificantes in domibus ſuis, innuit ea quæ faciunt continendi fortitudinem. Sic ergo ſanctificatur & confirmatur in nobis participatio huius nominis Adunai ſiue Dominus. Et ſic dij & domini generantur à Patre cæleſti Deo & Domino.

Eſt autem proprium nomen ſubſtantiæ diuinæ, Qui eſt, quod à tribus perficitur: veritate ſcilicet entitatis, identitate, ſtabilitate. Veritate ſcilicet: quia vere eſt; in comparatione cuius ea quæ ab alio vel per aliud ſunt, non ſunt: ſicut dicit *Aug.* Identitate: quia vnum & idem eſt quod ſimplex eſt: in comparatione cuius non ſunt quæ ex diuerſis & diuerſa ſunt. Stabilitate: quia in ſe ſtabile, nihil expectans in futurum, & nihil abiiciens in præteritum: in comparatione cuius non ſunt quæ nunquam in eodem ſtatu permanent. De primo dicitur *Deut.* 32. Fidelis Deus, & abſque vlla iniquitate, iuſtus, & rectus. *Gloſſ.* Fidelis: hoc eſt, verus abſque defectu, iuſtam & rectam habens entitatem & ſubſtantiam, non deflexam ad priuationem vel ad non ens. De ſimplicitate ſiue identitate dicitur in *Pſalm.* 101. & *Hebr.* 1. Tu autem idem ipſe es: & anni tui non deficient. Hic enim, vt dicit *Boetius*, idem verè & ſimplex eſt, in quo nullus numerus, quod nulli nititur. Quod autem quibuſdam vel cuidam nititur vt ſit, non verè ſimplex eſt. De immutabilitate dicitur. 1. *Timoth. vltim.* Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem. Et in *Gloſſ. Ibidem* dicit *Aug.* quod vera immortalitas vera eſt immutabilitas: quoniam in his quæ mutantur, ipſa ſua mutatio nonnulla mors eſt. *Numer.* 23. Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur.

Hoc nomen etiam in nobis ſanctificatur, quando veritatem ipſius participamus per veritatis perceptionem & falſitatis & vanitatis abiectionem deputamus: ſimplicitatem autem Dei per intentionis noſtræ ſimplicitatem; vt in ſimplici intentione non ad aliud, ſed ad ipſum tendamus: & immutabilitatem ipſius per conſtantiam noſtri propoſiti percipiamus. De primo horum dicitur *Ioan.* 8. Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Vani autem non ſunt in veritate: quia vanum eſt, quod finem ad quem diligere videtur non includit. *Sap.* 13. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Quia ad veram entitatem non perueniunt. *Pſalm.* 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium: Falſi autem ſunt, qui cum aliquid prætendant, aliud interius habent. *Matth.* 7. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Mendaces autem, qui hoc quod dicunt vel promittunt in Sacramentorum perceptione, vel voti emiſſione non perſoluunt. *Rom.* 3. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax. *Ioan.* 8. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius.

Abdicantes autem mendacium oris & operis, & ſeparantes ſe ab omni falſitate, & fugientes vanitatem, ſanctificant in ſe veritatem, hoc eſt, puram Dei entitatem: ſicut petit Dominus *Ioan.* 15. Sanctifica eos in veritate: ſermo tuus veritas eſt. 3. *Eſdræ* 4. Omnis terra veritatem inuocat, cælum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam, & non eſt cum ea quicquam iniquum. Et *ibidem.* Veritas manet, & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſecula ſeculorum.

Vera autem identitas per ſimplicitatem participatur à nobis, & ſanctificatur per duplicitatis emendationem. *Sapient.* 1. In ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem his, qui fidem habent in illum. Hoc modo nomen non ſanctificat, qui vel eſt dubius de Deo, vel duplex. Dubius enim dicitur, quaſi duuius, hoc eſt, qua via ambulet Dei neſcius. *Iacob.* 1. Qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui à vento tollitur & diſſipatur. De duplici *Eccli.* 2. Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabus viis. *Iacob.* 1. Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Hi ſunt non ſimplices, neque ſimplicitatem Dei in ſe ſanctificantes. Sed ſanctificantes ſunt, qui ad vnum & idem ſimplex, ſimplici corde procedunt & contendunt. *Pſalm.* 4. In pace in idipſum dormiam & requieſcam, hoc eſt, in pace cordis contendam ad id quod eſt idipſum: & in hoc dormiam; quia ab omnibus aliis ſenſus & appetitus claudam: & in ipſo, nihil præter ipſum quærens, requieſcam. *Pſal.* 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram. *Matth.* 6. & *Luc.* 11. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Pſalm.* 121. Cuius participatio eius in idipſum. 1. *Corinth.* 1. Idipſum dicatis omnes: & non ſint in vobis ſchiſmata.

Immutabilitatem autem participamus per conſtantiã propoſiti, ſicut diximus: quod ſcil. cor à vacillatione, & opus à trepidatione purificetur. Tunc enim nomen illud ſanctificatur, & manifeſtatur, & clarificatur. 1. *Reg.* 1. Vultus illius nõ ſunt amplius in diuerſa mutati. *Exod.* 14. Tantummodo confidenter ſtate: & Dominus pugnabit pro vobis contra illos. 2. *Paral.* 20. Conſtantes eſtote: videbitis auxilium Domini ſuper vos. Et eſt litera *L X X.* Sic igitur nomen, Qui eſt, ſanctificatur in nobis.

Nomen autem quod nobis magis Deo coniungit, eſt Ieſus, quod ſalutaris vel ſaluator interpretatur. Hoc autem in nobis ſanctificatur, quando à periculis ſeparamur; & remouemur per electionis gratiam à maſſa perditionis. Hoc autem fit, quando ab omnibus diffidentiæ actibus corde & opere remouemur: vt ſalus noſtra à Saluatore perfecta, ſperetur à nobis. Sicut dicitur *Habac.* 3. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo

in

in Deo IESV meo. *Eccli.* 51. Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum: quia adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione. Hoc nomen non sanctificat, qui à periculosis se non deputat. Quod à metaphora vasis *Apostolus.* 2. *Tim.* 2. conuenienter dicit sic. Siquis ergo emundauerit se ab his, scilicet contumeliosis, erit vas in honore sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Et hoc est etiam quod *Isa.* 8. dicitur: Dominum exercituum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror, & erit vobis in sanctificationem.

Christus autem dicit hominem deificatum chrismatis vnctione. Et hoc nomen participatur à nobis chrismatis siue vnctionis participatione: vnctio autem est gratiæ: & hanc vnctionem participamus per gratiæ & gratitudinis participationem: & hoc est, quando nihil nisi gratiosum admittimus, & in omnibus gratias agimus. 1. *Thess.* 5. In omnibus gratias agite. Sic participauerunt nomen illud isti, de quibus dicitur 1. *Paralip.* 16. & *Psalm.* 104. Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. Hoc autem nomen transfundit in nos Pater cælestis, quando Filij sui vnctionem per Spiritum & eius dona in nos influit. *Cantic.* 1. Oleum effusum nomen tuum, quod est Christus, ab vnctione denominatus. *Psalm.* 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Hoc est vnguentum, quod descendit à capite in barbam, hoc est, Apostolos & à barba in oram vestimenti, vt omnibus vnctio exhibeatur.

Sic ergo nomina Dei ex Patre in nos deriuata sanctificantur: quia per emundationem mundificantur, & per terrenorum depurationem pura redduntur, & per abstersionem offuscantium reuelantur & manifestantur, & per clarificationem pulchritudinis enitescunt. Et hoc totum continet nomen sanctificationis secundum quod sonat liberam ab omni inquinamento, & perfectam munditiam: secundum autem quod sonat confirmationem, sic impletur per inscriptionem in corde, & sigillationem siue impressionē indelebilem in memoria. Hoc est ergo quod dicit [Sanctificetur nomen tuum] Nomen enim Domini solius est sanctum in se: & ideo in nobis sanctificandum. *Psalm.* 148. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius. Quidam enim nomen suum quasi sanctum celebrant: de quibus dicitur *Psalm.* 48. Vocauerunt nomina sua in terris suis: & illi de nomine Dei non curant. Qui autem nihil attendunt nisi nomen Dei, quod inuocatum est super eos, cum *Psalm.* 113. dicunt: Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Nomen enim a notamine dicitur. Et Sancti nullam de se notam & notitiam habere quærunt, nisi diuinam: & ideo dicunt [sanctificetur] per confirmationem.

Nomen] non nostrum, sed [tuum] Alij autem hoc nomen blasphemant. *Iacob.* 2. Nonne diuites blasphemant nomen, quod inuocatum est super nos? Non ergo nostrum, quod in terra tantum vocatur, sed [tuum] tam in terra quam in cælo [sanctificetur] Hæc igitur quinque nomina Dei in nobis sunt sanctificanda. Quamuis enim alia sint, sicut Ia, Sadai, & huiusmodi quæ *Hieronym.* ponit, & Eloim, & huiusmodi: hæc ad ista reducuntur, quia Ia est idem quod Dominus. Sadai autem omnipotens: quæ omnipotentia, sicut patuit *supra*, in intellectu dominationis intelligitur. Eloim autem est plurale huius nominis, El, quod sonat Deum. Adonai autem idem est quod Dominus. Tria igitur prima nominant Deum: secundum substantiam enim nomen est, Qui est: secundum virtutem autem nomen est Dominus: & secundum operationem propriam Dei, nomen est Deus. Omnis autem res perfecte habetur & cognoscitur, quando habetur & scitur secundum substantiam, virtutem, & operationem. Duo autem residua sunt nomina Mediatoris, per quem gratia & veritas facta est IESVS CHRISTVS. IESVS quidem secundum aduentum Dei in nos: Christus autem secundum processum & profectum nostrum in Deum. Sic ergo, O Pater, sanctificetur nomen tuum. Emanuel autem sonat nobiscum Deus: & hoc est IESVS CHRISTVS.

Adueniat regnum tuum,

Hæc est secunda petitio, qua per meritum venitur ad præmium. Tria autem in ea notanda occurrunt: vnum quidem, quod principaliter petitur, est regnum: secundum autem, per quod determinatur, est [tuum] Tertium autem modus percipiendi est hoc petitum: quod designat cum dicit [adueniat] Omittimus autem quorundam irrationabilem distinctionem de multiplici regno Dei: quia supra tetigimus eam sufficienter. Et dicimus, quod quantum ad intellectum huius petitionis in regno tria petuntur: decor videlicet regni, & virtus, & operatio iustitiæ. Decor autem regni consistit in corona, purpura, fibula, sceptro, & throno. Corona autem, quæ ornamentum est capitis, ornamentum significat mentis, per ea quæ faciunt candentem & radiantem mentem. Hæc autem non sunt nisi quinque, scilicet, sapientia, intellectus, scientia, prudentia, & ars, vt dicit *Philosophus*. Sapientia quidem in cognitione altissimorum Dei & diuinorum. Intellectus in cognitione principiorum fidei, & aliorum contemplabilium. In omnibus enim his oportet nos inniti quibusdam principiis, quorum veritatem præintelligere oportet. Scientia vero est cognitio eorum, quæ per rationes fidei & scripturarum sunt probata. Prudentia, cognitio eligibilium ad vitam & operationes virtutum. Ars autem est cognitio eorum, quæ facienda sunt vel facta in exteriori materia: sicut in templis, & candelabris, & aliis diuinis vtensilibus. Sic enim ista quinque diuinis rebus adaptantur. Ista ergo radiant in mente tanquam pretiosi lapides in corona. De sapientia quidem dicitur 1. *Corinth.* 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non huius seculi, nec principum huius seculi, hoc est, *Philosophorum*, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam. De intellectu autem dicitur *Prouerb.* 1. Audiens sapiens sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit. Intellectus enim est veritatum suppositarum ex fide & scriptura, ex quibus gubernamus nos & innitamus ad scienda diuina. De scientia autem *Osee* 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego, ne sacerdotio fungaris mihi. Qui enim arguta & probata ex fide & scripturis non percipit

& cognoſcit, fruſtra de regimine ſacerdotij præſumit, quia in regimine deficit. De prudentia autem, quæ eſt eligibilium ad vitam cognitio, dicitur *Prouerb.*2. Inclina autem tuam ad cognoſcenda verba prudentiæ. Sine hac enim etiam vitam ſuam & aliorum neſcit tegere, qui regnum ſibi aſſumit. De attibus diuinis dicitur *Eccli.*38. Vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt. Sic etiam rex in arte regiminis ſapiens eſſe debet: aut ipſe peccabit in regendo. Rex autem eſt cui aduenit regnum, ſicut patebit inferiùs. Coronam ergo regni in decore portare, eſt quinque iſta in capite habere: vt ſapientia ſit ſuperiora ornans: intelligentia anterius præcedens: ſcientia poſteriora eliciens, & ideo poſterius diſpoſita: prudentia à dextris eligibilia diſcernens: ars autem in his quæ ſiniſtra ſunt & exteriora, per bonum ingenium ſemper vtilia perficiens. Hæc eſt corona, de qua dicitur *Eccli.*45. Coronauit autem illum in vaſis virtutis. Et *ibid. infra.* Corona aurea ſuper mittam eius expreſſa ſigno ſanctitatis: & gloria honoris, & opus virtutis. Hic eſt igitur decor regni in capite.

Purpura autem ſignificat ornamentum conuerſationis exterioris. Purpura enim oſtreum eſt conchilium, quod de mari legitur: & ſuo humore ſericum veſtimentum tingitur, quo reges vtuntur. Hoc autem Dominum Ieſum ſignat, qui de mari, hoc eſt, multitudine amaritudinis legitur: & ſuo cruore veſtimentum corporis & conuerſationis regum eius rubricatur. *Iſa.*63. Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimentum tuum quaſi calcantium in torculari? Sic veſtimentum conuerſationis regum Chriſti rubrum eſſe debet per colorem ſanguinis, qui ſemper in eis debet apparere. *Cant.* 7. Comæ capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus. Comæ capitis ſunt opera à mente ordinante dependentia. Sicut enim in antehabitis diximus, omnia præordinat & præmenſurat mens & ratio: & ordinatè à mente deſcendunt omnia, cogitationes, verba, & opera, quæ veſtiunt regem decore. *Pſal.*92. Dominus regnauit decorem indutus eſt. Decor autem iſte purpureus eſt in rege, in ſignum vlticis virtutis per ſanguinem, & in ſignum ſanguinis Chriſti in ſpiritualibus: ſicut iam diximus. Non enim, ſicut dicitur *Rom.*13: ſine cauſa gladium portat. In omnes enim gladio ſpirituali (qui eſt verbum Dei) vlciſcitur contradicentes: ſicut dicitur in *Pſ.*93. Deus vltionū Dominus. Hæc purpura regis eſt vincta canalibus ſcripturarum doctrinis: quia ſecundum ſcripturas & leges ſcriptas omnia operatur.

Fibula autem quæ magno decore munit pectus (& monile vocatur à quibuſdā) & capitiū ſtringit ſub gutture, ne apertus ſinus familiaria pectoris reuelet indecenter: ſignificat ſecretū conſilij nō omnibus eſſe reuelandum. *Tob.*12. Conſilium regis celare honorificum eſt *Prou.* 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt animi, celat amici commiſſum.

Sceptrum autem eſt ſignum directionis, ſemper florens in virtute & iuſtitia, & ſemper frondens in ſermonibus iuris & æquitatis, & ſemper rectum in omni exemplo rectitudinis operum. *Pſalm.*44. Virga directionis virga regni tui. *Exod.* 4. Virgam quoque hanc tolles in manu tua, in qua facturus es ſigna. Hæc igitur ſunt inſignia regalia, & decor regni. *Sapient.*5. Regnum decoris & diadema pulchritudinis accipient de manu Domini: in omni ornamento capitis per virtutes intellectuales: in omni ornamento totius corporis per purpuratam conuerſationem: in omni ornamento directionis in dubiis per ſceptralem virgam frondentem & florentem.

Thronus autem in his, ſignat mentis tranquillitatem in omnibus fortunæ venationibus, & huius ſeculi tumultibus, & diuerſitate cauſarum. *Pſalm.* 44. Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi. Quia quocunque modo ſeculum & ſecula variantur, ſemper ſtabilis manet & inconcuſſus. Non enim regnat, cuius cor cum omni varietate concutitur & iactatur. 2. *Regum* 7. Stabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum. *Pſalm.*88. Ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius: & thronum eius ſicut dies cæli. *Pſal.*88. Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo. Hoc modo diſpoſitum eſt regnum decoris, & decor regni.

Virtus autem regni conſiſtit in tribus: vno quidem quod in ſe non ſit ad humilia declinabile, ſuam ſemper & vbique tenens nobilitatem & & altitudinem. Secundo autem, quod non infirmatam ad omnia magna habeat virtutem: quia per hoc eſt timori omnibus, quæ inſurgere poſſent contra ipſum. Tertio autem, quod ordinem non excedat in reprimendo malitias, & continendo ciuilitates. Hic enim ordo præcipua pars eſt poteſtatis. Et in his tribus omnis conſiſtit regni virtus & ſtabilitas. Et hæc tria regnum Dei Patris confirmant in nobis. Ad humilia enim inclinabile non regnat, ſed conculcatur à vilibus. *Iſa.*51. Dixerunt animæ tuæ: incuruare, vt tranſeamus: & poſuiſti vt terram corpus tuum tranſeuntibus. *Iob* 20. Vadent & venient ſuper eum horribiles. Et hoc accidit, quando ſinguli dæmones, & ſingula vitia viciſſim conculcant hominem. Regnum autem tenet hominem in ſublimi ſuæ nobilitatis & dignitatis. *Galat.* 2. Neque ad horam ceſſimus ſubiectioni. *Pſalm.*46. Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Virtus etiam ad ardua debet non eſſe infirmata per reſolutionem alicuius mollitiei. Et hoc optime notat Salomon in *Prouerb.* 12. vbi dicit. Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet. *Eccli.*4. Noli eſſe inutilis & remiſſus in operibus tuis. Ideo dicit *Apoſtolus Hebr.* 12. Remiſſas manus & diſſoluta genua erigite: & greſſus rectos facite pedibus veſtris: vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. De ordinata autem repreſſione iniquitatis, & continentia ciuilitatis dicitur 1. *Corinth.* 14. Omnia ſecundum ordinem fiant in vobis: vt non cum furore inſurgatur contra malum: nec in diſſolutione contineatur bonum. Et hoc eſt quod dicit *Iob* 29. Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi. Quia non propter hoc diſſolui permittebam. *Et ibidem.* Lux vultus mei non cadebat in terram. Quia lætitiam quam prætendit inutilem, & diſſolutionis cauſam eſſe non permiſit. Ab altera parte, nec in inſurgendo contra malum debet exagitare furor; ſed ordine rationis comprimenda ſunt mala *Eccli.*4. Noli eſſe quaſi leo in domo tua, euertens domeſticus tuos, & opprimens ſubiectos tibi.

Opus autem regni conſiſtit etiam in tribus, ſcilicet, in ordine decernentis iuſtitiæ, in diſtributione officiorum ſecundum miniſtros & miniſteria congrua, & in virtutis exercitatione Ordo autem decernentis iuſtitiæ eſt in ratione, officia congrua

grua

grua in viribus & membris,& virtutis exercitium in operis occupatione. Et sic est de patrefamilias in domo, & rege in regno; qui recta decernit, & officia cōgrua singulis imponit:& de occupatione vtili cuiuslibet,in hoc quod sibi congruit. De primo dicitur *Prou.* 20. Rex qui sedet in solio iudicij,dissipat omne malum intuitu suo. *Prouerb.*17. Non est bonum damnum inferre iusto:nec percutere principem qui recta iudicat. De secundo 1. *Corinth.*4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei. 1. *Corinth.*15. Vnusquisque in suo ordine. De tertio 1. *Corinth.*15. Gratia Dei sum id quod sum,& gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem,sed gratia Dei mecum. 2. *Corinth.* 6. Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sic ergo regnum tale est quod petimus nobis aduenire: quia sic pro certo & nos regnamus,& Deus regnat in nobis. Et sicut dicitur *Luc.*17. Regnum Dei intra vos est. Et qui sic non regnat cum Deo, sustinebit grauem comminationem quam rex noster facit *Matt.*21. Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Hoc autem est regnum

Tuum] discretiuè: quia in eo Deus regnat in nobis, & nos cum ipso, & conducit ad regnum æternum. De primo horum & secundo dicitur *Apocal.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Regnum enim istud est sacerdotale: quia in sacris est: sicut regnum Melchisedech, qui rex pacis & rex iustitiæ interpretatur *Hebr.*7. & *Genes.*14. *Apocal.* 3. Qui vicerit,dabo ei sedem in throno meo:sicut & ego vici,& sedi in throno Patris mei. Hoc etiam regnum ideo[tuum]hoc est,Patris cælestis & æterni dicitur: quia & ostendit regnum cæleste, & conducit ad illud. De primo *Sapient.* 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas: & ostendit illi regnum Dei. De secundo *Sap.* 6. Concupiscentia sapientiæ conducit ad regnum perpetuum. Oramus autem vt hoc regnum[adueniat]nobis: quia per pœnitentiam quidem,qua corrigit illicita,nobis appropinquat:sed per iustitiam aduenit & obtinet in nobis: in futura autem vita consummatur. De primo horum dicitur *Matth.*3.& 4.& *Luc.* 3. Agite pœnitentiam: appropinquauit enim regnum cælorum. Et ideo Dominus cuidam se per pœnitentiam præparanti dixit *Marc.*12. Non longe es à regno Dei. Iustitiæ autem in decore & virtute & operibus status, facit aduenire & obtinere in nobis. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit rex: & principes in iudicio præerunt. De futuro regno, quod consummat omnia dicit *Matth.* 13. Exibunt Angeli, & colligent de regno eius omnia scandala. *Dan.* 7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur:& regnum eius quod non corrumpetur.

Sub hac petitione continetur illa quam *Mat.* 6. Ponit tertiam,quæ est:fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Quando enim regnum Dei perfectè aduenit, non obtinet nos nisi per hoc quod conformis fit voluntas nostra voluntati diuinæ, sicut in cælo & in cælestibus est conformis: sicut patet ex præinductis:& tunc implebitur quod dicitur *Isa.* 46. Consilium meum stabit: & omnis voluntas mea fiet. *Isa* 62. Non vocaberis vltra derelicta,neque vocaberis amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea: & terra tua inhabitata; quia complacuit Domino in te.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Hæc est secundum *Lucam* tertia petitio inter eas quæ sunt de adeptione. Est autem hæc de adeptione boni temporalis secundum expositionem literalem. Pater enim noster in omnibus curam habens de nobis, vult vt etiam ex materiali pane nostra mereamur, & dependeamus ad ipsum, & petamus ab ipso omne quod est necessarium. Notantur autem sex in hac petitione: quorum primum est petiti ad vitæ sustentationem necessitas: secundum autem, sustentantis & petiti ex iustitiæ rationibus ad nos congruitas: tertium,ex tempore solicitudinis pro sustentante opportunitas: quartum,ad hoc concedendum Patris liberalitas: quintum autem, ad hoc cogens nos instans frugalitas: sextum autem, temporis huius cogens ad petendum exacta pœnalitas[panis] enim sustentatio est necessitatis[noster] autem panis est, qui ex iustitiæ rationibus congruit nobis [quotidianus] autem est, qui quotidie est opportunus necessitati. Liberalitas autem attenditur in hoc quod dari petitur,& non vendi, vel reddi. Nec frugalitatem excedimus[nobis]petentes, nec in immensum solicitudinem,ad hanc diem necessaria petentes. In istis ergo sex continetur id quod petitur in ista petitione. Dicit igitur.

Panem] quamuis enim multa sint sustentamenta,tamen id quod de granis,labore hominum acquiritur,& non vagis & clamosis agitationibus agitatur vel venatur. *Gen.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Panis etiam cor hominis confirmat: quia nutrimentum acceptum de pane citius reficit,& magis confortat, & fortius adhæret membris. Hic autem est panis de frumento,& qui solus panis simpliciter vocatur Quia alia grana non faciunt panem simpliciter, sed faciunt panem quendam per quandam similitudinem ad istum dictam. Nec facit peti potum: quia potus non sumitur à natura, neque desideratur nisi propter cibum: vt scilicet fluxu suo det cibo motum ad membra. Et id quod de potu incorporatur, continuationem præstat ei quod de cibo incorporatur. Et ideo sicut qui equum petit ab aliquo, in equo petit omnia quæ ad equitandum sunt necessaria:sic qui petit panem, petit omnia quæ necessaria sunt ad vitæ necessitatem. Petit enim potum qui fluxum dat cibo,& continuationem cibo incorporato. Et cibati corporis petit fomentum in veste & domo vt digestio possit celebrari. Vnde 1. *Timot.*6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. *Eccli.* 29. Initium vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum & domus protegens turpitudinem. Quod enim petitur à Patre cælesti,petitur secundum intentionem vtilitatis:& secundum vtilitatem nostram Pater concedit petita.

Sine autem his quæ dicta sunt panis non est vtilis nobis. Vnde in pane intelligitur conueniens infirmitati hominis & statui suo nutrimentum: & in aqua intelligitur conueniens fluxui nutrimenti,& continuationi membrorum potus & humor, & fouentia in corpore acceptum nutrimentum. Et hoc totum petitur in pane. *Eccli.*39. Initium necessariæ rei vitæ hominum,aqua,ignis, &

ferrum, ſal, lac & panis ſimilagineus; & mel, & & bottus vuæ, & oleum, & veſtimentum. Hæc omnia Sanctis in bona, ſic & impiis & peccatoribus in mala conuertentur. Si enim hæc neceſſaria non eſſent, non ea Dominus iudicio ſibi in pauperibus ſuis facta vel non facta computaret. Hæc igitur intelliguntur in pane cum dicitur [panem noſtrum] *Prouerb.* 30. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? & egeſtate compulſus furer, & peierem nomen Dei mei. Dicit autem

Noſtrum] In quo tria intelliguntur. Noſter enim eſt, quem labor meritorius, vel pretium emens, vel prædium reditus exoluens noſtrum effecit: & ille eſt nobis debitus à Patre cæleſti. Noſter etiã eſt, quem neceſſitas perſonæ, vel ſtatus congruitas, vel infirmitatis indigentia expoſtulat. Quod enim ſufficit vni & congruit, alij non ſufficit nec congruit. Et quod vnus propter infirmitatem vel priſtinam conſuetudinem requirit: alteri non eſt opus, qui nec infirmus eſt, nec delectabilibus aſſuetus. Sic ergo congruens perſonæ vel infirmitati iterum dicitur noſter panis: non nobis debitus, ſed nobis congruus. Tertio noſter dicitur, quo digni ſumus apud Patrem: aut in re, ſi boni ſumus: aut in ſpe, ſi dignos nos facere proponimus. Sic igitur dicitur [panem noſtrum] De primo dicitur *Iſa.* 4. Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. De ſecundo dicitur *Iſa.* 33. Panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt. De tertio dicitur *Matth.* 10. Dignus eſt operarius cibo ſuo. *Geneſ.* 28. Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via qua ego ambulo, & dederit mihi panem ad edendum, & veſtimentum quo operiar: erit mihi Dominus in Deum. Sic igitur materialis panis, quo veſcimur, noſter vocatur.

Panis vero raptus, vel per vſuras & illicita acquiſitus, vel voluptati & non neceſſitati quæſitus, vel quo per peccatum indignos nos fecimus: ſicut Eccleſiarum quibus non deſeruimus, non eſt noſter ſed alienus. *Eccli.* 34. Panis egentium, vita pauperum eſt: & qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Et quia ſic difficile eſt noſtrum panem facere: ideo cum magno timore Sancti leguntur panem manducaſſe. *Iob* 3. Antequam comedam ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ ſic rugitus meus. *Tob.* 2. Manducauit panem cum luctu & tremore. *Daniel.* 10. Panem deſiderabilem non comedi trium hebdomadarum temporibus. *Pſal.* 79. Cibabis nos pane lacrymarum.

Quotidianum] quem ſicut quotidiana exigit neceſſitas; ita quotidianum meritum noſtrum facit. 2. *Theſ.* 3. Qui non laborat non manducet: Hic etiam interdicitur nimia, & in annos plurimos ſolicitudo, talis quæ pietatem in corde extinguit. *Luc.* 12. de illo qui bona ſe dixit habere plurima, repoſita in annos plurimos, quem Deus ſtultum vocauit: quia ipſa nocte repetenda erat anima ſua: & ideo dixit ei Deus: Quæ paraſti cuius erunt? Ideo igitur dicit [quotidianum] Hoc eſt etiam quod dicit Dominus *Matth.* 6. Nolite ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus in futurum? Scit enim Pater veſter cæleſtis quid vobis neceſſe ſit. Vbi autem *Lucas* dicit quotidianum, *Matth.* 6. dicit ſuperſubſtantialem. Et in Hebræo habetur ſegella, quod interpretatur egregium. Et ſicut ibi diximus, ſuperſubſtantialis dicitur, quia ſuper ſubſtantiam noſtram eſt ordinatus. Egregius autem: quia quicquid à Patre cæleſti datur eſt egregium. Quotidianus autem dicitur: quia quotidianæ indigentiæ eſt à Patre cæleſti. Vt ſemper ſit in ore noſtro quod dicit *Pſalm.* 110. Memoriam fecit mirabilium ſuorum: eſcam dedit timentibus ſe. Ad liberalitatem autem eius aſpicientes dicimus

Da] quia non habetur niſi de benignitate & liberalitate ſua. *Luc.* 11. Accommoda mihi tres panes, panem ſcilicet refectionis, panem congruentiæ infirmitatis, & panem confortationis ad robur operis. Ad iſta enim tria requirimus panem. *Thren.* 4. Paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis. Hic autem ſperatur à liberalitate Patris, qui de paucis ſeminibus, multiplicatis ſegetibus, omnes paſcit: ſicut dicit *Auguſt.* *Pſalm.* 144. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Pſalm.* 146. Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. Non negligit hominem qui prouidet iumentis & coruis [nobis] Non enim petimus aliis ad propriæ indigentiæ releuationem. Præſumptuoſum enim eſt petere pro aliis, qui vix ſufficit petere pro ſeipſo. Nec petere per ſe quis auderet: niſi Pater affectu paterno daret rogãdi fiduciã. *Gregorius.* Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere. Pater noſter. Vnde *Ioan.* 6. Operamini cibum qui non perit: quem Pater meus cæleſtis dabit vobis. *Exod.* 16. Iſte eſt panis quem dedit Dominus vobis ad veſcendum.

Hodie] hac mortalitatis die. *Exod.* 16. Colligite ex eo vnuſquiſque quantum ſufficit ad veſcendum. Vnde ibi dicitur, quod manna (quod fuit panis viatorum) in mane reſeruatum computruit. Ita etiam nutrimentum vltra quam ſufficit neceſſitati mortalitatis præſentis, & repoſitum ex auaritia in abundantias futuras putreſcit: & putredo in vermes conuerſa, manducabit corpora & animas auarè reſeruantium. *Matth.* 6. Sufficit diei malitia ſua. Craſtinus enim dies ſolicitus eſt pro ſeipſo. Craſtinus enim dies dicitur, qui non pertinet ad præſentem neceſſitatem: ſed reſeruatur futuris abundantius in deliciis conſumendus. Sic ergo dicitur: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quando autem licet petere delicias, vel veſtium claritatem: qui etiam panem in futurum petere non docet, & abundantiam panis Sodomæ improperat, quem labore ſuum non efficerat, ſed otio tepebat? *Ezech.* 16.

Spiritualiter autem hunc locum exponendo, ſunt quidem tres panes quotidie neceſſarij, & quotidie requirendi: panis ſcilicet intellectus, qui eſt veritatis verbum: panis affectus, qui eſt virtutis firmamentum: & panis ſacramenti, qui eſt animæ famelicæ verum viaticum. De primo dicitur *Deut.* 8. Non in ſolo pane viuit homo: ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Eccli.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. De ſecundo dicitur in *Pſalm.* 77. Panem Angelorum manducauit

uit homo. De quo dicitur *Act.9.* Cum accepisset cibum, confortatus est. Hic enim cibus maxime confortat, qui est panis virtutis. *Eccli.31.* Splendidum in panibus benedicent labia. Hoc enim maxime verum est de splendido in panibus virtutum. De tertio pane dicitur *Sapient.16.* Paratum panem de cælo præstitisti illis fine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem quam in filios habes ostendebas: & voluntati vniuscuiusque deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Plenus enim delectatione & refectione est hic panis, habens io se vas gratiæ, animam Christi quasi gomor mannatis. Habens in se substantiam corporis Christi, qui vere cibus est: sicut dicitur *Ioan.6.* Caro mea verè est cibus. Habens humorem in se sanguinis Christi, qui dat saporem cibo. *Cantic.2.* Fructus eius dulcis gutturi meo. Hic autem sanguis est in specie vini: de quo dicitur *Cantic.7.* Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus eius ad ruminandum. Quia quo frequentius per memoriam teuocatur & per meditationem teritur, eo dulcius inuenitur, & iucundius, & suauius. Vnde habet deitatem ad condimentum. *Psalm.147.* Adipe frumenti satiat te. *Isa.25.* Faciet Dominus omnibus populis in monte, hoc est, eleuatione Ecclesiæ, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. Omnibus enim populis est præparatum huius gratiæ conuiuium, quod est medullatorum pinguium, quod est corporis & animæ Christi: quæ medullam pinguissimarum habent gratiarum, & vindemiam defæcatam, quia in gaudiis gratiarum eius nihil vnquam fuit de fæce peccati immixtum. Hi sunt tres panes quos accommodari petimus ab amico Deo Patre *Luc.11.* quando noster amicus (animus noster) per conuersionem venit ad nos: & reuertitur de labore seculi famelicus, & exesus de labore mundi, in quo nihil inuenitur refectionis: & non habemus vt ponamus ante illum reficiens aliquid, nisi à Deo Patre efflagitemus.

Sunt adhuc alij panes spirituales: panis scilicet pœnitentiæ, panis obedientiæ, panis doctrinæ, panis eleemosynæ, panis consolationis diuinæ, & panis deuotionis in oratione. De pane pœnitentiæ dicitur in *Psalm.79.* Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in mensura. *3.Reg. vltim.* Mittite virum istum in carcerem: & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ. *Isa.30.* Dabit tibi Dominus panem arctum & aquam breuem: & non faciet auolare à te doctorem tuum. In angustia enim reficit panis iste. De pane obedientiæ dicitur *Ioan.4.* Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei, & vt perficiam opus eius. Cibus autem simpliciter non vocatur nisi panis. *Genes.18.* Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes azymos. Tria sata similæ sunt præcepta, consilia, & exempla diuina. Panis autem subcineritius est obedientiæ humilis refectio. Azymi autem sunt, quando sunt sine remurmuratione. In fortitudine istius panis ambulabat Elias *3.Reg.19.* quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Oreb. Quadragenarius enim partibus suis quinquaginta perficit, qui est numerus iubilei: & signat tempus præsens in obedientia ambulandum vsque ad remissionem futuram: quando sicut dicitur *Iob 3.* Seruus erit liber à Domino suo. De pane doctrinæ, qui sunt duodecim iuxta numerum doctrinæ Apostolorum, & numerum doctrinæ Patriarcharum, & numerum 12. Prophetarum, & numerum quinque librorum Moysi, & quinque Prophetarum maiorum, Dauid, Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Danielis, & Iob, & Salomonis. De his inquam dicitur *Leuit.24.* Et significantur per 12. panes propositionis. Significantur etiam per 12. cophinos, quos sustulerunt de his qui manducauerunt *Matth.14.* *Luc.9.* De pane eleemosynæ dicitur *Isa.58.* Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. *Iob 31.* Si comedi buccellam meam solus: & non comedit alienus ex ea. *Eccli.11.* Mitte panem tuum super transeuntes aquas: & post multa tempora inuenies eum. Aquæ dicuntur hic transeuntes pauperes: quia transeunt accipiendo, & redeunt centuplum retribuendo. De pane consolationis diuinæ dicitur *Matth.15.* Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. *Isa.21.* Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. Habitantes enim terram Austri (quæ est terra luminis & caloris) sunt Angeli & Sancti, qui abundant illuminationibus & cõsolationibus Spiritus sancti. De pane deuotionis in oratione dicitur *Genes.49.* Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Hoc est manna quod habet saporem panis oleati: sicut dicitur *Exod.16.* *Num.11.* Hi sunt quinque panes, ex quibus satiauit Dominus quinque millia hominum *Matth.14.* & *Luc.9.*

Dimitte nobis peccata nostra.

Hæc est prima petitio de amotione mali, quæ proprie deprecatio vocatur. Multiplicantur autem istæ petitiones secundum multiplicationem mali quod impugnat. Aut enim hoc iam contractum est, & inest secundum seipsum: aut iam quidem inest secundum causam, & timetur fieri in futurum. Et de primo quidem petitio prima. De secundo autem est petitio secunda. Prima autem harum petitionum duas habet partes, in quarum prima talis mali petit remissionem: in secunda autem illius remissionis proprium ponit remissiuum. Dicit ergo [Dimitte nobis debita nostra] In quo quatuor notantur: paterna inuocata pietas, innocantis hominis supplicitas, orantis debita recognoscentis humilitas, & sui ante Dominum accusabilitas in hoc quod sua dicit esse debita. Pietas paterna innuitur cum dicitur, dimitte, non enim in patre dimittendum petit, vel expectandum donec reddi possit: sed tantum speratur de bonitate sua quod simpliciter dimittat. Vnde & ipse liberaliter dicit de se *Luc.7.* Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Et ideo pietas eius & bonitas notatur in tribus, quorum vnum est quod gratis dimittit, secundum quod totum dimittit, tertium quod non improperando dimittit.

De primo dicit *Psalm.31.* Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Hoc enim *Apostolus Rom 6.* exponit de eo cui Deus accepto fert iustitiam, quem accepto & gratis

gratis de impio facit iustum. Et hoc facit per gratiam præuenientem. *Isa.* 52. Gratis venundati estis: & absque argento redimemini, hoc est, gratis absque commutatione. Hæc enim est vera gratia Patris nostri, vt gratis faciat. *Tit.* 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. *Ephes.* 2. Gratia enim saluati estis per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum est non ex operibus, vt ne quis glorietur. Totum autem dimittit. *Mat.* 18. Misertus Dominus serui illius, dimisit ei vniuersum debitum. Et *ibidem.* Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Ideo dicit *Ambros.* quod impium est à Deo dimidiam sperare veniam. *Ezech.* 18. Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. *Psalm* 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele, hoc est, delebis. De tertio, scilicet quod non improperat, *Iacob.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. *Luc.* 15. Non tantum filio prodigo non improperauit, sed etiam stolam primam protulit, & decorem multum dedit, & conuiuium instruxit: quia saluum illum recepit. Et *eodem.* Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Qui autem gaudet, non improperat. Sic ergo facilis est ad dimittendum Pater noster. Et sic docet nos orare.

Dimitte nobis] In hoc notatur orantis supplicitas. Nobis enim dimitti petimus, attendentes quod supplicandum est pro nostris excessibus. Sic suppliciter orauit Manasses 2. *Paralip. vltim.* vbi dixit: Flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem. Peccaui Domine, peccaui, & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reserues mala mihi. Hoc est enim suppliciter petere.

Debita] In hoc notatur debita recognoscentis humilitas. *Psal.* 50. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper. *Ioan.* 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Qui enim petit sibi remitti debita, recognoscit se esse debitorem. *Ios.* 7. Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, & confitere. atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Recognoscens debitum, stat in veritate. Negans debitum, à veritate declinat, & mendax est. Debita autem dicuntur peccata: quia pro ipsis debitores Deo efficimur. Debitores enim sumus ex omisso, & ex commisso. Ex omisso quidem, quia quod debuimus facere omisimus: & hoc est tripliciter, omissum obedientiæ, omissum concessi temporis, & omissum lucrum gratiæ concessæ. Omissum obedientiæ est contra præcepta affirmatiua, quæ implere omisimus. Et in hoc notatur debitum delicti quasi derelicti. Vnde Dominus de præceptis negatiuis & affirmatiuis dicit *Matth.* 23. Hæc oportuit facere (præcepta scilicet negatiua) & illa non omittere, præcepta affirmatiua. Omissio autem huius maximè fit aut per negligentiam, aut ignorantiam: sicut dicit *Psalm.* 24. Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Omissio autem siue delictum temporis est, quòd perditur tempus quod concessum est ad pœnitentiam & seruiendum Deo. Vnde *Apostolus* loquens ad literam de gratia concessi temporis dicit 2 *Corinth.* 6. Videte ne in vacuum gratiam Dei accipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Multum est enim debitum temporis, vt dicit *Anselm.* quando de toto tempore non præteribit vnicum momentum, quod non exigatur qualiter sit expensum. *Iob* 24. Dedit illi Deus locum pœnitentiæ: & ille abutitur eo in superbiam. Omissum autem lucri gratiæ concessæ secundum omnem gratiam nobis datam multiplicatur: quia in diuitiis, quando non elargiuntur: in scientia, quando non docetur, vel prædicatur, vel consulitur: in virtute, quando in opere non exercetur. Et sic est de aliarum gratiarum omissionibus. Sicut enim dicit *Gregor.* Cum crescunt dona, rationes intercrescunt donorum. *Matth.* 25. Serue male & piger sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis, & ego veniens recepissem vtique quod meum est cum vsuris. Debitum autem commissi est, quod committendo nos debitores efficit. Et hoc est peccatum transgressionis. Hoc enim est, cuius debitores sumus Deo ad satisfaciendum. Vnde *Psalm.* 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Genes.* 42. In me hæc omnia mala redundant. Et ideo sibi debitores efficimur, & ex omisso sicut diximus, & ex commisso.

Est autem aliud debitum per quod efficimur debitores proximo, quem si fraudamus, Deus non dimittit nobis debita, nisi prius quantum possumus soluamus proximo sua debita. *Rom* 13. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal. Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Aliquod etiam debitum debemus spiritui. *Rom.* 8. Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. *Gloss.* sed spiritui. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Omnia hæc debita Patri cælesti debentur: quia etiam ea quæ proximo vel spiritui debentur, ipse reposcit quando non soluuntur: sicut causam suscipiens & proximi, & spiritus. Et quoad omnia hæc dicimus: Dimitte nobis debita.

Nostra] autem dicit docens nos accusare in oratione: quia nostra sunt debita peccatorum, & nihil aliud habemus de nostro. *Prouerb.* 18. Iustus prius est accusator sui. *Psalm.* 140. Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excusandas excusationes in peccatis. Sic ergo dicimus [Dimitte nobis debita nostra]

Siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.

Hic ponit proprium remissiuum, in quo fit remissio peccatorum: & hæc est charitas fraterna remittens debita fratrum. Et notantur tria: scilicet, remissionis confirmatio, propria dimissio, & generalitas dimissionis. Primum notatur per hoc quod dicit [Siquidem] quod tantum valet sicut certè. Hoc enim coram Deo debet esse confirmatum, Qui *Deut.* 32. secundum translationé *LXX.* dicit: Da mihi vindictam, & ego retribuam. 1. *Petr.* 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes. Confirmatio enim sermonis confirmationem notat charitatis. Ideo enim *Matth.* 5.

Diligite

Diligite inimicos vestros: vt non tantum inimicis dimittantur debita; sed etiam è contra affectus dilectionis impendantur, & effectus operis. *Roman.* 12. Si esurierit inimicus tuus ciba illum: et si sitit potum da illi. Hoc enim faciens, carbones congeres super caput eius. *Leuit.* 19. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Certitudinem ergo charitatis aduersus eos qui in nos delinquunt notans, assertionem sermonis interponit cum dicit: Siquidem

Et ipsi] Propriam tangit hic dimissionem: quia quidam sunt adeo felliti cordis, quod iniurias non per ipsos, sed per alios dimittunt. Dominus autem vult quod bonitas & dulcedo cordis præueniat eum qui veniam petit, scilicet quilibet non ab alio inductus, sed ipse per se dimittat. Et hoc est quod dicit: Siquidem & ipsi [dimittimus] *Eccli.* 28. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. *Luc.* 6. & *Matth.* 7. Dimittite & dimittemini. Et *ibidem*: Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. *Eccli.* 28. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? Quasi dicat. Non inueniet. *Matth.* 18. Serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? *Eccli.* 28. In hominem similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecatur? *Act.* 7. Ne statuas illis hoc peccatum: quia nesciunt quid faciunt. *Luc.* 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt. Ecce ipsi sic dimittimus, nullo nos inducente vel cogente, vel per emendationem & humiliationem præueniente: sed nosipsi ex nobis dimittimus.

Omni debenti nobis] Ecce dimissionis generalitas. *Eccli.* 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius firmiter seruabit: hoc est, qui ex ira appetit vindicari de malo illato sibi à proximo, ille nihil aliud inueniet à Domino, nisi quod vindicabit in eum omnia peccata quæ commisit in Deum. Et omnia peccata illius seruans seruat, vt demum cumulatis in vnum peccatis suis, condemnet eum. Omnibus ergo dimittendum est, & omnia dimittenda sunt: quia sicut vult omnia sibi dimitti à Domino, ita omnia dimittere debet: quia ira & inimicitia in nullo est retinenda. *Eccli.* 28. Homo dum caro sit reseruat iram: & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Q. d. Nullus. Sicut autem dimittere debemus debita debentibus nobis: ita cum nos sumus debitores alicui, veniam petere debemus & reconciliari sibi. *Matth.* 5. Si offers munus tuum ante altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersus te: relinque ibi munus ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Vnde sicut charitate paratus debet esse animus offensi vt dimittat debitum: ita per pœnitentiam & charitatem paratus debet esse animus offendentis, vt placet per satisfactionem eum, quem offendisse se recognoscit. Qui autem sic non facit, offensus & offendens, siue læsus & lædens, in peccato remanet apud Deum. *Psalm.* 36. Mutuabitur peccator & non soluet. Quia per peccatum quo lædit proximum, debitor fit proximo: & non soluit per satisfactionem & emendæ exhibitionem. Similiter improperatur ei qui non est facilis ad dimittendum proximo *Isa.* 58. Omnes debitores vestros repetitis. Boni ergo cordis est debita dimittere: & ei cui debet, per humilitatem satisfacere.

Est tamen vnum debitum quod nunquam est dimittendum, sed semper exigendum: & ita reddendum quod semper est & manet adhuc debitum: & hoc est debitum charitatis. *Roman.* 13. Nemini quidquam debeatis nisi vt inuicem diligatis. Hoc enim debitum dulciter obligat, & benignè soluit, & soluendo se magis ad debendum astringit. De hoc dicit *Apostolus ad Philemonem*: Et teipsum mihi debes. Sic ergo dicitur Dimitte nobis debita nostra, siquidem & ipsi dimittimus omnibus debentibus nobis. Qui autem non dimittit, frustra hanc orationem præsumit dicere; nisi in persona Ecclesiæ dicat, & cum fiducia quod Deus per orationem cor suum illuminet, & in futuro gratiam charitatis accipiat, qua debitoribus omnia debita dimittat.

Et ne nos inducas in tentationem.

Hæc est deprecatio quæ est de malo futuro, quod iam imminet per causam. Tentatio enim (quæ est impulsus hostis ad illicitum) est causa peccati secundum intentionem tentatoris. Quia non induceret in tentationem, nisi intenderet peccatum: quia aliter per tentationem prodesset homini: quia tentatio cui per peccatum non consentitur, materia est exercendæ virtutis. Vnde etiam aliqui fortiores & experti vires suas, in gratia Dei sancti tentari orauerunt. *Psalm.* 25. Proba me Deus & tenta me: vre renes meos & cor meum. Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

Tanguntur autem tria in petitione ista, quorum primum est in Deo, & est id quod petitur & est præseruatio à casu in tentatione. Secundum est in quo est casus ille: quoniam ille in ipso inductu ingreditur per gradus in tentationem. Tertium autem est in quo est ille inductus & ingressus qui casus est, ille enim est in tentatione. Dicit ergo primo [Et ne nos inducas] Quasi dicat: à malo imminente libera per debiti dimissionem, & à malo futuro caue & præserua. Per hoc quod [ne nos inducas] hoc est, induci permittas vel dissimules: quia quicunque ductor sit hominis in appetitibus & consiliis & operibus suis, seducit hominem præter te solum. Attendendum enim quod quatuor ducunt & inducunt hominem quamdiu est in via. Opinio enim sua ducit in dubiis, & hæc errat: quia dicit *August.* Quod opinamur, debemus errori. Ductor in appetitibus frequenter est concupiscentia, & hæc præcipitat. Ductor in peruersis operibus vt frequenter est Diabolus, & decipiendo seducit. Ductor in bonis gratiæ est solus Deus: sicut ipse dicit *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Si autem aliquando ducit ratio naturalis & natura, valde ista sunt seducibilia: & ideo non sequenda nisi cum gratia, & ductore gratiæ. Et hoc est quod intendit Moyses *Exod.* 33. Si non tu ipse præcedis nos, non educas nos de loco isto. *Deuter.* 32. Dominus solus ductor eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus. *Isa.* 63. Sic eduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. Sic igitur ducendo & tenendo manum itinerantis in via huius vitæ, præseruat à tentationis casu. *Psalm.* 72. Tenuisti manum dexteram

dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me. Sic *Matth*.4. & *Luc*. 4. Ductus est Iesus in desertum à Spiritu vt tentaretur à Diabolo. Et omnes qui sic ducuntur, vincunt tentatorem & alij cadunt. *Galat*.5. Quicunque spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. *Sap*. 10. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret,& sciret quoniam omnium melior est sapientia. Sic ego præferuat à casu in tentatione.

Secundum autem quod valde attendendum est, in quo est ille casus: quia est in ductu in tentationem. Et attende quod non dicit, ne nos tentatio tangat: quia omnes, qui piè volunt viuere in Christo, tentatio tangit. Tangit autem aliquando tantum exterius in oblatione illicita facta ab hoste: sicut *Matth*.4. Accedens tentator ad Christum ait: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Et sic etiam tetigit primos parentes primo, antequam per peccatum corrumperentur. *Gen*. 3. Serpens dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi. Aliquando etiam tangit tantum interius: sicut quando non hostis, sed concupiscentia causa est principij tentationis. *Iacob*. 1. Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Aliquando est ab exteriori & interiori, quando quidem exterius offertur illicitum,& interius incipit trahi desiderium. *Gen*. 3. Ipsa conteret caput tuum:& tu insidiaberis calcaneo eius. Caput enim serpentis conterere,est primum motum eius in principio tentationis excludere, ne venenum infundat, vel ne tosum ad extinctionem vitalis spiritus serpere valeat. Hic autem non oratur vt non tangat tentatio: quia hoc est impossibile in hac vita. Omnes enim tangit aliquo dictorum modorum tentatio. *Sap*.18. Tetigit autem & iustos tentatio mortis,& commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua. Quando enim sumus in hac vasta eremo, in qua tot insttumenta Diaboli impugnant, non potest esse quin tentatio tangat nos.

Hoc enim est vtile ad sex, quorum vnum est, vt nostræ fragilitatis memores humiliemur. 2. *Cor*.12.Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ, vt me colaphizet. Secundum, vt à peccato purgemur. *Psalm*. 16. Probasti me Domine & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, hoc est, ita depurasti, vsquedum consumatur iniquitas. Tertium est, vt virtus exerceatur. *Tob*.12. quia placuisti Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te, hoc est, probatum ostenderet: & sic in exemplum aliorum virtus tua poneretur. Hoc etiam modo tentatus fuit beatus Iob: sicut etiam *Ibidem* dicitur. Quarta causa est, vt seipsum homo in infirmitate & virtute & fidelitate, quam ad Deum habet, experiatur. Quia sic vel cautus, vel audacior efficitur. *Eccli*. 34. Qui tentatus non est, qualia scit? Et *Ibidem*. Qui non est expertus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa. Quinta causa est, quia per constantiam tentationis digni Deo efficimur. *Sap*. 3. Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se: tanquam aurum in fornace probauit illos,& quasi holocausti hostiam accepit illos. In omnibus enim aliis sacrificium facit homo de suis. In Tentatione autem offert seipsum Deo: sicut se Christus in cruce obtulit Patri. Sexta causa est,vt per victoriam miles Christi gloriosus fiat. Et hoc est quod dicit *Psalm*.5. Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Victoribus enim, secundum leges antiquas, scuta rotunda quibus pugnauerant retro capitibus alligabantur:& sic in conspectu Regum & Ciuium,pro quorum libertate pugnauerant, in gloriam & honorem adducebantur. *Psalm*. 8. Gloria & honore coronasti eum Domine.

Attende autem quod tactus tentationis vocatur & non inductio, totum tempus in quo manet aliquis in tentatione forti animo: ita quod in tentatione animus nec mollescit, nec frangitur. Diu enim fuit Iob in tentatione, & diu Tobias, & nullum in eis habuit tentatio progressum: sed semper stabat animus sicut in tentationis principio. Et ideo dicit *Iacob*. 1. Beatus vir qui suffert tentationē: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Alij autem in tentationem inducuntur. Et illi sunt qui per gradus tentationum vsque ad interiora procedunt, hoc est, de primo motu procedunt ad delectationem: de delectatione vsque ad delectationis moram: de mora vsque ad rationis deliberationem: & de deliberatione vsque ad consensum:& de consensu vsque ad voluntatis impetum: de impetu vsque ad opus: de opere vsque ad iterationem operis: de iteratione vsque ad consuetudinem: de consuetudine vsque ad defensionem: de defensione vsque ad profundum desperationis, vel præsumptionis. Sic procedere & induci in tentationem in quolibet gradu est cadere vel paruo, vel maiori, vel maximo casu. Et ideo orandum est ne sic inducamur. Quamuis enim tentatione tangi sit proficuum, tamen quia spiritus promptus est, caro autem infirma: Dominus dicit *Matth*. 22. Orandum est vt non intretis in tentationem. Sic igitur ad interiora tentationis passibus animæ deuenire, est induci in tentationem. Et quia sic in principio tentationis vel à tentatione tangendo, vel aliquantulum delectando multi tentantur: ideo dicitur *Prou*.24. Septies cadet iustus & resurget: impij vero corruent in malum. Et quia Dominus de vltimis portis tentationis & peccatorum reducit aliquando peccatorem in tentationem & peccatum inductum: ideo dicitur *Iob* 38. Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis,& ostia tenebrosa vidisti? q.d. Non tu fecisti hoc, sed ego. 1. *Regum* 2. Dominus mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Sic enim de ostiis tenebrosis inferorum reduxit Magdalenam. Hoc est ergo induci [in tentationem]

Iam supra dictum est, quod tentatio est impulsus ad illicitum. Super *Matthaum* autem diximus de tentatione quædam. Hic autem ad hoc quod hic sufficit dicimus,quod hic non intendit Dominus de tentatione qua Deus tentat, vt tentatum virturem suam cognoscere faciat: sicut tentatus fuit Abraham *Genes*. 22. Nec de teotatione qua homo hominem tentat, vt experimentum sui capiat. Nec de tentatione qua homo Deum tentat, vt virtum Deus pro eo signum faciat experiatur: sicut in *Psalm*. 94. Tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. *Exod*.17. Tentauerunt Dominum dicentes: Estne Deus in nobis

nobis an non: Sed hic loquitur Dominus tantum de tentatione Diaboli, quæ fit aliquando per hostem, aliquando per carnem, aliquando per mundum, hoc est, mundi oblectamenta, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: sicut dicitur 1. *Ioan.* 2. Hæc enim tentatio est ex apprehenso illicito motus, propellens hominem ad illicitum per gradus sensualitatis in delectando, & inferioris partis rationis in apprehendendo, delectando, & immorando: & gradus superioris partis rationis in videndo, dissimulando, vel consentiendo: & gradus voluntatis in impetum faciendo, & membra in opus exhibendo ad illicitum peragendum. Et quamdiu quidem est in sensualitate, peccatum quidem est, sed veniale. Vlterius autem vel est mortale, vel periculum mortalis. Et ideo dicitur 1. *Cor.* 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum vt possitis sustinere. Hoc igitur est quod oramus dicentes [Et ne nos inducas in tentationem.]

Hoc autem quod addidit *Matth.* 6. Sed libera nos à malo, continetur sub ista eadem petitione. Cuius signum est vt dicit *Gloss.* quia non copulatur isti per coniunctionem copulatiuam, sed aduersatiuam. Q. d. Non permittas induci in malum tentationis, sed libera nos à malo eodem. Quia à malo pœnæ nec liberari possumos, nec oramus nos omnino liberari ab illo: quia oratio non est de hoc quod impossibile est fieri. Malum autem culpæ aut iam contractum & factum est, aut per tentationem timetur futurum. Et hoc sufficienter oratur aut remitti aut caueri per duas obsecrationes præcedentes. Et ideo in his duabus deprecationibus finitur oratio dominica secundum *Luc.* *Matthæus* autem non tantum docet petere sufficientia: sed etiam explicans implicita, plura ponit in oratione dominica. Et hoc iam super *Matth.* explanatum est. Vbi etiam ostendimus qualiter septem dona, & septem beatitudines in septem illis petitionibus intelliguntur. Et qualiter septem vitia excluduntur per easdem.

Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum.

Hic per similitudinem inducit ad orationis instantiam. Diuiditur autem hæc pars in duo, in quorum primo inducit ad instanter orandum: in secundo vero docet quid sit petendum. Adhuc autem primum horum habet duas partes, in quarum prima proponit similitudinem: in secunda similitudinis propositæ concludit intentionem. Similitudo proposita duo continet: primo enim ostendit petendi necessitatem: secundo constituit instandi importunitatem. In petendi necessitate etia continentur, scilicet, ad eum pro quo petitur vinculum obligationis, expressio petitionis, & causa necessitatis. De Primo dicit [Quis vestrum] secundum *Gloss.* remissiuè est legendum, hoc est, aliquis: vel siquis vestrum. Et in hoc notatur amicitiæ raritas. In hoc autem quod dicit [habebit] notatur amici fidelitas. In hoc autem quod dicit [amicum] notatur amicitiæ necessitudo & honestas. Dicit ergo.

Quis vestrum] hoc est aliquis vestrum: quia non omnium est habere veros amicos, sed paucorum vt dicit *Philosophus in Ethicis. Eccli.* 6. Amicus fidelis qui inuenit illum, inuenit thesaurum. Iste autem amicus allegoricè Christus est. *Ioan.* 15. Vos dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et ante *Ibidem.* Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Moraliter autem amicus noster est noster animus, vel nostri cordis intellectus. *Prouerb.* 7. Dici sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam. *Cant.* 2. Ego dilecto meo & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia, hoc est, virtutum odoribus, in quibus pascitur animus.

Habebit] Ecce amici fidelitas quæ notatur in perseuerãtia dilectionis in futurum. *Prou.* 17. Amicus est qui omni tẽpore diligit. *Prou.* 18. Vir amicabilis ad societatẽ magis amicus erit quã frater [amicum] Amicus dicitur quasi animi custos. Et in hoc notatur necessitudo amicitiæ & honestas. Duæ enim sunt falsæ amicitiæ & vna vera. Falsa enim est quæ fundatur super temporalem vtilitatem, tantum diligens quanta est vtilitas: non diligens hominem, sed vtilitatem ab homine prouenientem. *Eccli.* 6. Est amicus socius mensæ & non permanet in die necessitatis. Falsior autem amicitia est quæ non fundatur nisi super delectationem: sicut fuit amicitia Samsonis ad Dalilam *Iudic.* 16. per quam tonsus est à virtute, ligatus funibus concupiscentiæ, excæcatus obtenebratione intellectus. *Ezech.* 23. Nasum tuum & aures præcident amatores tui. Tertia est amicitia vera, quæ fundatur super honestum. *Hieronymus.* Vera enim illa necessitudo est, quam non vtilitas rei familiaris, non subdola & palpans adulatio, sed Christi nectit amor, & studia sacrarum scripturarum conciliant. *Eccli.* 6. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit amicus illius. Hoc igitur modo aliquis [habebit amicum] siue litteraliter, siue moraliter, siue allegorice: quoniam in amicis nihil est diligendum nisi honestum.

Et ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes.

Ecce hic continetur petitionis expressio. Tangit autem tria: motum confidentiæ, tempus indigentiæ, & petitionem sufficientiæ. Motum confidentiæ tangit cum dicit [ibit ad illum] ad quem habet impetrandi confidẽtiam *Prouerb.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Talis autem est amicus: est vnius cum amico cordis, & magis quam frater. *Eccli.* 6. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi corpus tuum: & in domesticis tuis fiducialiter aget [media nocte] præsentis indigentiæ, vel aduersitatis. *Sap.* 18. Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter peragerer, omnipotens sermo tuus venit. *Psalm.* 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te [& dicet illi] Ecce confidentia amicitiæ. *Eccli.* 6. Si possides amicum, in tentatione posside eum [amice] qui es animi mei custos. *Eccli.* 6. Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna comparatio

auri & argenti contra bonitatem illius [accommoda] hoc est, ad commodum meum præsta. Ea enim quæ sunt amicorum, communia sunt quantum ad commodum vtriusque. *Act*. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Nec quisquam eorum quæ possidebat suum esse aliquid dicebat, sed erant illis omnia communia. *Eccls*. 6. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Qui metuunt Dominum inueniũt illum. Talis enim facilis est ad accommodandum

Tres panes] hoc est, tres refectiones. Qui secundum *Glossam* sunt fides sanctæ Trinitatis: vt fides Patris nostram reficiat infirmitatem ex omnipotentia, fides filij nostram reficiat ignorantiam ex sua sapientia, fides Spiritus sancti nostram reficiat & reparet malitiam ex sua bonitate. Fides autẽ vnitatis essentiæ nostrã reficiat animã ex suæ gratiæ vnione & consolatione. *Gen*. 18. Accelera, tria sata similæ cõmisce, & fac subcinericios panes azymos. Primus panis dat virtutem. *Ps*. 103. Panis cõfirmat cor hominis. Secundus dat oculorũ illuminationem, qui attenuati sunt & obtenebrati per inediam 1. *Reg*. 14. Gustaui paululum de melle isto & illuminati sunt oculi mei. Verbum enim veritatis dicitur panis propter soliditatẽ veritatis, & dicitur mel propter dulcedinẽ suæ puritatis. *Ps*. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! De attenuatione autem oculorum ex fame *Isa*. 38. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Naturale enim est ex longa fame obscurari visum. *Eccls*. 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus. Tertius panis dat sanitatem per Dei bonitatem: & ideo dicitur panis vitæ. *Matth*. 15. Cum mulier Syrophœnissa peteret filiæ sanitatem, quæ malè à Dæmonio vexabatur. Respondit Dominus, quod non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. Et intellexit de gratia bonitatis contra malitiam Dæmonis. *Prouerb. vlt*. Panem otiosa non comedit. Fides autem vnitatis non est panis quartus, sed est idem in tribus vniens affectiones & intentiones animæ, quæ in multa diuisa est secundum multa vanitatis concupiscibilis. *Gen*. 49. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.

Potest etiam dici, quod ex quo is qui venit de vis amicus, est noster animus: Quod tres panes sunt intellectus veritatis, & affectus bonitatis, & dioinæ dulcedo consolationis. Primus crescit in spica verbi, secundus germinat in culmo virtutis, tertius floret in deliciis contemplationis. Primus panis est azymus absque fermento hæreticæ prauitatis. *Exod*. 14. Azyma comedetis, & non erit fermentatum in domibus vestris. Secundus panis est calidus calore charitatis, sine cuius calore informes sunt virtutes. *Ios*. 9. Panes, quando egressi sumus de domibus nostris vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus. Hoc est, quando nostra relinquentes, sociati quæsiuimus Sanctorum virtutibus. Tertius panis est oleatus pinguedine spiritualis consolationis. *Exod*. 16. & *Numer*. 11. Manna saporem habebat panis oleati. Isti sunt ergo tres panes.

Vel tres panes sunt discretio morum, discretio eligibilium, & perfectio amoris siue desiderorum. Discretio morum est ad adipiscendum honestum virtutis. Discretio eligibilium est ad cautelam vanitatis, & adeptionem veritatis. Perfectio amoris est ad euitationem libidinis, & amplexum summæ dulcedinis. De primo dicitur *Gen*. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: quia panis morum cum labore excolitur. De secundo dicitur 3. *Reg*. 19. Respexit Elias: & ecce ad caput eius panis subcineritius, & vas squæ: Quia panis discretæ veritatis sæpe tegitur similitudinibus vanitatis. De tertio dicitur *Luc*. 14. Beatus qui manducauerit panem in regno Dei. Primus horum docetur in prouerbiis: secundus autem in Ecclesiaste: tertius vero in Canticis Canticorum.

Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.

Allegatio est causæ indigentiæ. Et tangit duo, quorum vnum est opportunitas indigẽtiæ: alterum autem ipsa indigentia. Opportunitas est ex hospitalitate: illa enim facit opportunam petitionem. Et circa hanc tangit tria: idoneitatem hospitis venientis, lassitudinem recreatione indigentis, & declinationem ad se cui inconueniens est pati repulsam. De primo dicit [quoniam amicus meus] qui recipi est idoneus: quia ab illo nihil habeo diuisum. *Prouerb*. 12. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est [amicus] ergo [meus] cuius occasione libenter damnum subeo expensarum [venit] de via lassus & fractus labore. *Isa*. 28. Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium [ad me] & ideo denegare hospitalitatem est turpe *Hebr*. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis.

Et non habeo] Allegatio est indigentiæ. Dicit [non habeo] *Isa*. 3. In domo mea non est panis, neque vestimentum. Est autem nimis indigens domus, panes supradictos non habens: & ideo compellitur ad amicum diuitem recurrere, qui est Deus: de cuius domo dicit *Psalm*. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos [quod] cum honestate [ponam ante illum] vt ad libitum accipiat quantum vult, vel indiget. *Act*. 4. Distribuebatur vnicuique quantum cuique opus erat. Et hic ostenditur, quod hospiti pauperi apponendus est cibus potius quam frangendus: maximè si in Deo sit amicus & honestus. Vnde *Luc*. 14. Lucas & Cleophas qui collegerant Dominum in specie peregrini, non Domino dederunt fragmentum panis, sed potius commensalem sibi fecerunt, & sibi panem appofuerunt frangendum. Vnde *ibidem* dicitur, quod cognouerunt eum in fractione panis: vt dicit *Gregor*. merito tantæ hospitalitatis. Pauperi autem transeunti, qui sola fortuna pauper est, & non spiritu pauper, frangendus est panis: sicut dicitur *Isa*. 58. Frange esurienti panem tuum: & egenos vagosque induc in domum tuam.

Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse.

Hic tangit similitudinem ad orationis instantiam. Tangit autem tria: scilicet, amici ad quem tempore necessitatis recurritur excusationem, petentis perseuerantem importunitatem, & importunè instantis victoriam. Circa primum tria tangit: primum quidem amici ad amicum difficilem aditum

aditum, quia vnus est intus, & alter est foris: secundum autem petitionis propositæ contrarietatem: tertium vero accusationis causam multiplicem. De primo dicit [& ille] scilicet, amicus dines. *Rom.*10. Diues in omnes qui inuocant illum [deintus] quia ipse est intus in secreto & gaudio contemplationis beatorum. *Ioan.*14 In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Ad hoc intus vocat *Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui. *Hebr.*4. Festinemus ingredi in illam requiem. Et non obduretur quis ex nobis fallacia peccati. *Ps.* 99. Introite in conspectu eius in exultatione. Intus enim esse, est in intimis secreti faciei Dei manere. *Psal.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Sic ergo Deus noster amicus, nullo indigens, omnibus bonis abundans est intus: & nos stantes ad ostium misericordiæ eius pulsantes foris. *Matth.* 25. Venit sponsus: & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.

Respondens, dicat] non enim sic recluditur vt pulsans non audiatur: sed auditur, & responsa dantur petentibus. *Isa.*58. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet clamabis, & dicet: Ecce adsum quia misericors sum Dominus Deus tuus. Erit autem tempus cum nec exaudiet, neque respondebit, *Tren.*3. Cum clamarem, & rogarem: exclusit orationem meam. *Psal.*74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Modo autem clamantes aliquando audit & respondet, sed non exaudit: sicut audiuit diuitem purpuratum in inferno & respondit, sed non exaudiuit *Luc.*16. Aliquando audit & respondet, sed exauditionem differt, vt ad instantiam orationis prouocet. *Iacob. vlt.* Multum valet deprecatio iusti assidua. Aliquando statim orantem exaudit. *Ierem.*33. Clama ad me, & ego exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia & firma quæ nescis. Aliquando exaudit desiderium ante clamorem. *Psal.*9. Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. *Exod.* 14. Quid clamas ad me? Hoc enim ad Moysem dixit Dominus, cum non ore sed corde clamaret. Sic igitur clamanti & pulsanti amico deintus respondens, dixit

Noli mihi molestus esse] Ecce petitionis dispensatoria contrarietas, vt audiuus & instantius petat. *Iob* 30. Clamo ad te & non exaudis me, sto & non respicis me: Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. *Habac.*1. Vsque quo Domine clamabo, & non exaudies; vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Sic enim se habet aliquando Dominus, ac si sibi molestus sit orans & pulsans: & hoc dispensatoriè facit, vt instantius requiratur.

Iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.

Ecce multimoda excusatio ex audiendi. Præmittit autem hic duas causas difficultatis exaudiendi: & secundo subiungit surgendi impotentiam. Vna quidem causa est quod intempestiua est petitio, quia ostium est clausum: secunda autem est quies familiæ, quam non est conueniens inquietare. De prima dicit[iam enim] tempore quietis [ostium meum clausum est] est enim tempus laboris dum viuimus, & sani & fortes sumus: & tunc patet nobis ostium diuinæ misericordiæ & largitatis. *Galat. vltim.* Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. *Isa* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est. Et *Isa.* 49. Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis auxiliatus sum tui. Tunc enim ostium patet, aditus diuinæ misericordiæ. Quando autem iam defessa est virtus, vel vita functus est homo, ostium est clausum: & tunc magis difficulter impetratur quod petitur. *Psal.*117. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabūt in eam.

Attendendum autem quod molestum dicitur, quasi mole est lassum: & hoc est idem quod supergrauans: & ideo molesta est petitio tripliciter. Aliquando enim molesta est petitio propter ingratitudinem petentis, quia molestus est Domino. 2. *Machab.*9. Orabat autem scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. Aliquando molesta est propter petitionem, quia mala, & malè petuntur. *Iacob.*4. Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis. Aliquando molesta est propter proportionem petentis ad rem petitam, quia non expedit petenti neque decet: & cum oratio sit petitio decentium à Deo, vt dicit *Dam.* 2. *Cor.* 12. Ter Dominum rogaui vt discederet à me. Et dixit mihi Dominus: Sufficit tibi gratia mea. Et hoc est quando homo petit pro seipso. Vno autem modo est molesta quando petitur pro alio, scilicet, propter finalem abiectionem ipsius. 1. *Reg.*16. Vsquequo tu luges Saul, cum ego abiecerim eum? Hic autem ista petitio dispensatoriè dicitur esse molesta, vt instantius petatur, vt assiduus requiratur. *Psalm.*104. Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem eius semper. Ostium etiam misericordiæ aliquando est clausum. Aliquando etiam est repagulis perpetuis obfirmatum. Modo enim dum viuitur ex aliqua causa dissimulationis misericordiæ diuinæ & dilationis est clausum. Post mortem autem erit obfirmatum. De primo dicitur *Genes.* 7. Clausit de foris ostium dominus. Quod tamen postea ad misericordiam conuersis aperuit. De firmatura perpetua dicitur *Matth.* 25. Clausa est ianua. Et ideo ibi pulsantibus respondetur: Nescio vos. Hoc est ergo quod dicit primo modo loquens.

Ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili] Secunda causa est excusationis. Dicuntur autem pueri à puritate, qui sunt cum Domino. *Isa.*8. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. 1. *Reg.*21. Sunt vasa puerorum sancta, hoc est, corda pura suor puerorum. Hi sunc cum Domino vel præsentialiter in beatitudine. *Deut.*33. Omnes Sancti in manu illius sunt. Vel sunt cum ipso per intentionem piæ conuersationis. *Phil.*3. Nostra conuersatio in cælis est. Et est ac si dicat: Si purus esses, & de pueris, & tu mecum esses. Et quia purus non es, non dignus es vt statim tibi detur, sed stude puritati & insta petitioni. Oportet enim instanter orare, & non deficere. Dicit autem [in cubili] cubile vocans vel secretum beatitudinis, vel secretum contēplationis. *Matth.* 6. Intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum. *Isa.* 26. Vade populus meus, intra in cubicula tua, & claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea

Non possum surgere] Quasi conclusio est ex præmissis.

præmissis. Et dicit se non posse, quod non commodè potest vel congruit fieri propter tempus neglectum, in quo facilius poterat inueniri misericordia. Sicut quando aliquis vsque ad vltimam ætatem, vel vsque ad vltimam ægritudinem differt conuersionem. Illius enim amicus, animus scilicet, vel spiritus, semper est in via de qua dicitur *Sapient.5.* Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus per vias difficiles. Tardè igitur iste reuertitur ad eor. Contra quod dicitur *Eccli.5.* Ne tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te. Dicit enim *Gregor.* quod qui non vult conuerti ad Dominum cum potest: iustum est vt infligatur ei non posse cum voluerit. Et quantum ad hoc hic dicit [Non possum] quia quoad hoc non congruit, quòd horam in qua ostium apertum fuit neglexit [surgere] Hoc dicit per effectum: quia sicut dicit *Psalm.120.* Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël. Sed quia exterius operatur circa nos, & nos donis suis & deuotione surgere facit: ideo surgere dicitur. Et dicitur non surgere, quando hoc non facit. *Cantic.5.* Surrexi vt aperirem dilecto meo: at ille iam declinauerat atque transierat [& dare tibi] Attende quod amicus petit accommodari panes. Deus autem amicus tacet de accommodatione, & dicit de datione: quia gratis sunt dona, & vocatio Dei: sicut dicit *Apostolus Rom.11.* Et sensus est [Non possum] de congruentia ex culpa negligentiæ tuæ, statim [surgere] [& dare tibi] Sed in pœnam negligentiæ tuæ donum differtur: vt instantia deuotionis recuperes, quod negligentia temporis neglexisti. *Ierem.48.* Maledictus qui facit opus Domini negligēter. *Mat.20.* Quid hic statis tota die otiosi? Ideo dicitur *Eccli.9.* Quodcunque valet manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.

Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

Tangit alteram partem similitudinis, & dicit tria: perseuerantiam pulsationis, causam donationis, & sufficientiam collatorum. De primo dicit [Et ille] scilicet pulsans, & indigens [si perseuerauerit] cum instantia & deuotione & humilitate [pulsans] ad ostium misericordiæ. *Matth.10.* Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Ideo dicitur *Hebr.12.* In disciplina perseuerate. Sic nobis tanquam filiis offert Deus. Ideo etiam docet *Cantic.5.* cum perseuerantia pulsare misericordiam, dicens: Aperi mihi soror mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Si enim contingat nos rigari rore tribulationum, & infundi guttis aduersitatis in seculo tenebroso: tamen non remittere debemus de instantia orationum.

Dico vobis] Confirmatio est, humana vtens similitudine. *Matth.24.* *Luc.21.* Verba mea non transibunt [etsi non dabit ei] Non quia liberalis non sit, sed quia differt ex causa donationem. *Psalm.77.* Audiuit Deus, & distulit. Ideo dicit *Psalm.39.* Expectans expectaui Dominum. Et iterum *Psalm.26.* Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum [surgens] circa nos in exterioribus agens, & non vlterius pulsationem dissimulans. *Psalm.43.* Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis [eo quod amicus eius sit] quia pulsans tempus negligendo amicitias non meruit. *Prouerb.17.* Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos. Celare delictum, est post reconciliationem ad Deum factam delictum non repetere. Altero autem sermone repetere, est post reconciliationem factam per ingratitudinis vitium iterum peccatum innouare. Et iste separat amicitias, & non meretur quod Deus ei aliquid faciat [eo quod amicus eius sit] nisi eliciat per instantiam deuotionis. *Psalm.54.* Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu vero homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Et ideo non merentur cito exaudiri. Et hoc est quod sequitur [propter improbitatem tamen eius] hoc est, propter importunam instantiam ipsius. *2.Timoth.4.* Insta opportunè, importunè. *Psalm.78.* Non discedimus à te: viuificabis nos. *4.Reg.2.* Viuit Dominus, & viuit anima mea, quia non derelinquam te. *Isa.38.* Sicut pullus hirundinis sic clamabo: meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso [surget] in exterioribus circa nos operando. *Psalm.67.* Surrexit tanquam dormiens Dominus. *Matth.8.* Tunc surgens imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna [Et dabit illi] quia etiam in se liberalis est, & libenter dandi accipit occasionem. *Iacob.1.* Dat omnibus abundanter, & non improperat.

Quotquot habet necessarios] Ecce sufficientia dati, quod ille ad numerum panum petierat. *Esth.1.* Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. Et quomodo non daret, qui abiens ad secretum cœli, seruis commisit vt darent omnia necessaria, etiam antequam peterentur? *Matth.24.* & *Luc.12.* Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. *Psalm.144.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Ideo *Luc.22.* dicit. Quando misi vos sine pera & sine sacculo, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. *Tob.12.* Bonis omnibus per eum repleti sumus.

Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

Explanatio est similitudinis: & tangit hic duo. Primo enim concludit à similitudine inducta similitudinis. Secundo vlteriorem rationem inducit à minori, in qua probat vtilitatem rei petitæ. Dicit ergo [Et ego] qui veritas sum. *Ioan.14.* Ego sum via, veritas, & vita [dico vobis] *Matth.5.* Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec

omnia

omnia fiant [Petite & dabitur vobis] Duo dicit: exhortationem ad petendum, & fiduciam dat ad impetrandum. Et de expositione huius loci & sequentium, plurima secundum expositiones Sanctorum à nobis notata sunt capitulo 6. quæ hic repetere non oportet. Et est ac si dicat. Ex quo per instantiam vincitur Deus vt det petita [Petite & dabitur vobis] Petitur autem donum per quod vita bona inchoatur: & hoc est gratia præueniens hominem: & ideo petitio est ante quæsitionem: quia nec quærere quisquam potest nisi prius accepta gratia, quæ dat vires ad quærendum. Petitur igitur donum gratiæ & virtutis ad merendum [Et dabitur vobis] illud: & adiicietur bonum æternitatis ad beatè viuendum, & feliciter regnandum. *Matth.*6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.

Attendendum autem qualiter sit petendum bonum virtutis, & quid petendum, & pro quo. Petendum enim est piè, hoc est, quod ipse petens pietate fidei per dilectionem operantis sit informatus. Et hæc fides debet mouere ad petendum. *Iacob.*1. Postulet in fide nihil hæsitans Qui enim hæsitauerit similis est spumæ maris, quæ à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod aliquid accepturus sit à Deo. *Ioan.*16. Siquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc est, in pietate & fide nominis mei, dabit vobis. *Iacob.*4. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis: vt in concupiscentiis vestris insumatis. Est autem petendum donum virtutis ad meritum, quia hoc est ad salutem, *Ioan.*16. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite vt gaudium vestrum sit plenum. Nullius enim boni perfectum habet gaudium nisi virtus meritoria: quæ sicut dicit *Ambros.* sincera & sancta delectatione suos delectat possessores. *Psalm.*26. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Hoc autem non fit nisi per meritum virtutis. Hoc considerans Eliseus 4. *Reg.*2. cum diceretur sibi ab Elia, quod peteret ab eo quod vellet antequam tolleretur ab eo, dixit: Oro vt spiritus tuus duplex fiat in me. Spiritus enim meriti duplex est, dum per virtutem operatur ad meritum, & per eandem virtutem operatur ad veniam delictorum & satisfactionem. Hoc igitur est petendum. Pro se autem est petendum: quia non semper pro alio exauditur petens: sicut patet 1. *Reg.*15. vbi Samuel non est exauditus pro Saul petens. Sed qui piè ad salutem petit pro seipso, semper accipit quod petit. *Psalm.*18. Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus introiuit in aures eius. 2. *Corinth.*12. Cum Paulus peteret à se remoueri stimulum, non est exauditus: quia amotio stimuli non fuit ad salutem: sed potius exercitium stimuli operabatur ad virtutem meriti. Aliquando tamen aliquis exauditur pro alio petens: sicut Stephanus pro Paulo. Sed hoc non fit semper, vt prius dictum est. Pro se autem semper exaudiuntur Sancti. *Hebr.*5. In omnibus exauditus est pro sua reuerentia. *Ioan.*11. Ego sciebam quia tu semper me audis. Hæc enim non tantum de Christo vera sunt secundum se, sed etiam vera sunt de membris. Addunt etiam quidam quod perseueranter petat qui petit. *Luc.*11. Si perseuerauerit pulsans, dico vobis etsi non dabit ei surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen illius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios. Sic ergo petite donum virtutis.

Et dabitur vobis] quia liberalis Pater bene sibi reputat fieri, si inueniat locum dandi & opportunitatem. Et hoc habetur, si aliquis ad ipsum manus ad accipiendum petens extendat. *Psalm.*144. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur; & mirabilia tua narrabunt. Magnificentia autem, vt dicit *Philosophus*, est magnorum & in magnis liberalitas. *Exod.*15. Date magnificentiam Deo nostro. Hic enim dat omnibus, & abunde iuxta magnificentiam principalem *Esther* 2. *Exod.*15. Magnificus in sanctitate, hoc est, in donis ad sanctitatem pertinentibus. Sic ergo à magnifico principe Deo, magnificè dabitur vobis. *Ephes.*4. Dedit dona hominibus. *Roman.*10. Diues in omnes qui inuocant illum. Ideo dicitur 1. *Corinth.*1. In omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia: ita vt nihil desit vobis in vlla gratia.

Quærite & inuenietis] lumen veritatis. Non enim quæritur (dicit *Augustinus*) nisi quod iam secundum aliquid noscitur, quia aliter inuentum non cognosceretur. Est enim principium veritatis in nobis concreatum, vt dicit *Damascen.* ad cuius lumen cognoscitur inuenta in conclusionibus veritas. Sic enim dicit *Philosophus*, quod omnis scientia intellectiua ex præexistenti fit cognitione. Nemo enim quærit hoc, quod si inueniat nesciat se inuenisse: quia sic semper quæreret post inuentionem, sicut antequam inueniat. Sic ergo & hac de causa lumen quæritur veritatis, cuius principia sunt in nobis. Et attende ordinem: quia per donum virtutis quod petitur datur virtus quærendi: & tunc imperatur vt quæramus. *Psalm.*104. Quærite Dominum & confirmamini; quærite faciem eius semper, hoc est, præsentiam veritatis eius.

Quærite autem diligenter, & sapienter, & cum humili intellectu, & cum pietate. Diligenter, sicut docet Dominus *Luc.*15. Accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat. Accendere lucernam est deuotione & confessione cor purificare, & flamma scientiæ Scripturarum illuminare. Euertere domum est euoluere sacramenta Ecclesiæ triumphantis & militantis, & considerare effectus diuinos in rebus mundi huius, & in his inuestigare veritatem. Quærere diligenter, est meditatione & contemplatione per rationem continuò in admiratione esse suspensum donec inueniat. Quærere, est vsque ad illuminationem veritatis perseuerare: & tunc de inuenta veritate maximum gaudium concipere. *Psalm.*118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Sapienter quærere, est Deum vbi est quærere, & quando potest inueniri. *Iob* 28. Non inuenitur in terra suauiter viuentium. Oportet ergo studere difficilibus, circa quæ est omnis disciplina & virtus. *Hebr.*12. Omnis disciplina in præsenti non est gaudij, sed mœroris. Adhuc 1. *Corinth.*2. Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Ergo inter potentes seculi & Philosophos mundi non inuenitur. *Iob* 28. Trahitur sapientia de occultis humilibus, absconditis à secularibus. *Matth.*11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita

Pater quoniam sic placitum fuit ante te. 1. *Cor.* 2. Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, hoc est, in occultis diuinis susurris, & deuota contemplatione in secreto acceptum. *Iob* 4. Ad me dictum est verbum absconditum: & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius. Cum humilitate autem intellectus quærendum est, vt in captiuitatem fidei intellectus redigatur. 2. *Cor.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum extollentem se aduersus scientiam Christi. *Psal.* 118. Intellectum dat paruulis. *Prouerb.* 1. Vt detur paruulis astutia: adolescenti autem scientia & intellectus. *Ptolomæus Philosophus.* Qui inter sapientes est humilior, inter sapientes est sapientior. Sicut profundiores lacunæ plures capiunt aquas. Sic humilis Salomon accepit sapientiam. *Sap.* 9. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ. Quærendum est etiam piè cum deuotione, quæ totum cor afflicte faciat ad veritatis admirationem. *Isa.* 60. Videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Sicut dicitur *Dan.* 10. In visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. Hoc significatum est *Exod.* 3. vbi dicit Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam. Non enim magna veritas videtur, nisi per pietatem & deuotionem ad eam accedatur. Sic ergo quærenda est veritas & præsentia diuina diligenter, sapienter, humiliter, & piè. Et hoc est quod dicit

Quærite & inuenietis] hoc est, intus venietis qui foris fuistis. *Cant.* 3. Cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, hoc est, pertransissem vigiles qui custodiunt ciuitatem. Vigiles autem dicuntur Angeli propter suam insomnem naturam, vt dicit *Chrysost.* Inter quos conuersandum, & cum quibus confabulandum est, & à quibus quærenda est veritas diuina: quæ tamen vltra eos inuenitur in seipsa, quamuis in eis resplendeat permulta decoris & gloriæ argumenta. *Baruch* 3. Deus noster adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Via disciplinæ dicitur veritas diuina, quam inuenit Deus quando nos inuenire facit. Tradit autem eam inueniendam Iacob luctanti in oratione cum sapientia. Et Israel rectissimo in mandatis Dei tradit percipiendam. Quoniam sicut dicitur *Sap.* 1. In maleuolam animam non introibit sapientia: neque habitabit in corpore subdito peccatis. Sic autem inuenta veritate, & data virtute

Pulsate & aperietur vobis] Pulsat enim qui iam peruenit. Pulsat autem ad ostium beatitudinis & perfectionis, de quo dicitur *Ioan.* 10. Ego sum ostium: per me siquis introierit saluabitur, & pascua inueniet. Hæc autem beatitudo perfectionis non est tantùm patriæ, ad quam pulsans continuò dicit illud *Philip.* 1. Cupio dissolui & esse cum Christo. Sed etiam est beatitudo perfectionis viæ, vt homo iam virtute proficiens, & veritate intus resplendens, totus diuinus in Deo delectatus inueniatur. *Psalm.* 36. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Ita quod iam desipiat quicquid Deus non est. Hic enim iam ad secreta Dei pulsat, alibi permanere non valens: dicens cum *Psalm.* 15. Dixi Domino Deus meus es tu: quoniam mihi bene non est sine te. Sic enim habet veritas hebraica in loco vbi nos habemus: Quoniam bonorum meorum non eges. Ad hoc ergo ostium instanter manu boni operis, & clamore orationis & deuotionis pulsandum est [& aperietur vobis] Aperitur autem cum introitus panditur ad diuinas pulchritudines & delectationes. *Psalm.* 99. Introite in conspectu eius in exultatione: introite portas eius in confessione: atria eius in hymnis confitemini illi. Hymnizantes enim ingrediuntur, qui diuinas in se sentiunt delectationes. Hi sunt qui claues accipiunt habitationis diuinæ, & intrant cum voluerint. *Isa.* 22. Dabo clauem domus Dauid (qui aspectu desiderabilis interpretatur) super humerum eius & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. Hi sunt illi felices de quibus dicitur in *Psalm.* 41. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Propter hæc tria dicit Christus: Ego sum via, veritas, & vita *Ioan.* 14. Via enim est proficientibus in meritis virtutis. Veritas autem splendentibus in scientia veritatis. Vita autem peruenientibus ad delectationem diuinæ dulcedinis. Sic (secundum *Augustinum*) Petitur fide operante per dilectionem, quæ est forma omnis meritoriæ virtutis. Quæritur spe semper illuminantis veritatis. Pulsatur charitate perfectæ beatitudinis. Sed de his super *Matth.* dictum est. Dat autem fiduciam impetrandi cum subiungit

Omnis enim qui petit accipit] Tantæ enim magnificentiæ congruit, vt omnis qui petit accipiat, & nullus a tanta magnificentia repellatur. 2. *Machab.* 2. Cogitate per generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmantur. *Psalm.* 144 Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illis. *Ioel.* 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit [& qui quærit inuenit] quia lumen veritatis seipsum ostendit. Sol enim dum quæritur, statim luce propria manifestatus inuenitur. *Sap.* 1. Inuenitur ab his qui quærunt illum. Apparet autem his qui fidem habent in illum. Et quid dicam de quærentibus: quia etiam non quærentibus se vltro ingerit se veritas. *Isa.* 65. Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his qui me non interrogabant. Et ideo sicut dicit *Apostolus Rom.* 1. nullus est excusabilis: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Sicut iam etiam superius dictum est. Nihil quæritur nisi id quod secundum aliquid sui iam intus manifestum habetur. Et ideo culpabiles sunt qui non quærunt: & per naturam suam propriam quam negligunt condemnabuntur: quia omnes homines Dei veritatem natura scite desiderant. Et ideo qui dissimulat naturæ lumen vt sequatur illud quærens Deum, iustè condemnatur. *Psal.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine dedisti lætitiá in corde meo. *Act.* 17. Definiens statuta tempora & terminos habitationis hominum, quærere Deum si forté attrectent eum, aut inueniant: quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Viuimus per gratiam virtutis, mouemur per inquisitionem veritatis, sumus per adeptionem & introitum beatitudinis

Et pulsanti aperietur] Tantum enim desiderium habet vt intremus ad beatitudinem ipsius, quod nō sicut homo amicus quærit dilatationem:

sed

sed statim irruptis repagulis, & dissilientibus valuis aperit nobis, dicens illud *Genes.* 24. Ingredere benedicte Domini: cur foris stas? Sic enim ad ingrediendum inuitat *Isa.* 26. Aperite portas: ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Nec sustinet quin ruptis repagulis volentem intrare & pulsantem introducat. *Psalm.* 116. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos contriuit. suscepit eos de via iniquitatis suæ. Nihil enim diuidit inter nos & Deum nisi iniquitas. *Isa.* 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Sic ergo pulsanti ad ianuam beatitudinis & misericordiæ libenter aperietur.

Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?

Hic determinat vtilitatem doni Patris cælestis cum fiducia impetrandi quod petitur. Et in hac parte facit duo: quorum primum est, quod præmittit similitudinem: Secundo autem ex proposita similitudine doni arguit vtilitatem, & Patris ad nos benignitatem. In primo horum tria facit, secundum tria petita quæ à Patre carnali petuntur. Petitur enim aliquando quod necessarium est communiter ad vitæ sustentamentum. Petitur etiam aliquando quod est delectationis dulcoramentum. Petitur item aliquando quod promittit vtilitatis futuræ fructum. Et in his tribus omne genus petibilium intelligitur. De primo igitur duo dicit: petiti necessitatem à Patre naturali, & arguit ex impossibili dati nociui collationem. In primo dicit tria: dispositionem petentis, affectum eius à quo petitur, & petiti necessitatem. Dicit ergo.

Quis ex vobis] qui Patris affectum non demeruistis, sed mandata Patris custodistis vt boni discipuli & obedientiæ filij *Luc.* 15. Ecce tot annis seruiui tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui. Non enim estis filij contumaces, qui lapidandi sunt *Deut.* 25. Sed ex vobis nullus est talis, qui estis dilectissimi filij, quos Pater semper audit. *Ephes.* 5. Estote imitatores Dei sicut filij charissimi [quis ergo ex vobis] qui Patrem sic vobis obligastis [Patrem] qui tantum ad vos habet affectum. *Ierem.* 31. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo sum locutus de eo, adhuc recordabor eius. *Isa.* 49. Si potest obliuisci mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui [petierit panem] hoc est, cordia confirmationem, quæ fit per virtutem: & præcipuè per charitatem, quæ est forma & mater & virtus virtutum. Quia sicut cætera fercula sine pane: sic cæteræ virtutes nihil nutrimenti & confirmationis habent sine charitate *Psal.* 103. Panis cor hominis confirmat. Hic est panis supremorum Seraphin, qui ab incendio amoris denominantur. Hoc ealore calidi panes in conspectu Domini proponuntur per singula sabbata, hoc est, cordis quietes & delectationes. I. *Reg.* 21. Vt ponerentur panes calidi in conspectu Domini, hoc est, panis sanctus: vt *ibidem* dicitur: Non habeo panes laicos nisi tantum panem sanctum [nunquid lapidem] Arguit ab impossibili apud affectum paternum, Lapis autem significat cordis duritiam ab charitatis & virtutis donum. Dicit ergo [nunquid] Pater tam pius & bonus [lapidem] hoc est, cordis duritiam [dabit illi] q. d. Non est possibile. Quin potius Pater pius dicat lapidi, hoc est, cordi duro, vt panis fiat *Matth.* 4. *Ezech.* 36. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. *Sap.* 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas

Aut piscem] Secundum petitum est, quod est necessitatis præsentis dulcoramentum: quia aliter præsens necessitas esset importabilis. Et attende, quod boni filij non petunt libidinis fomentum, sed potius castum præsentis necessitatis dulcoramentum: quia pisces & dulces sunt, & frigidum & castum faciunt humoris nutrimentum. Et huius signum est, quod Dominus cum suis pisces sæpe in vsum nutrimenti legitur habuisse. Piscis autem qui in aquis nutritur, fidem formatam, & operantem per dilectionem significat quæ à Patre petitur inquisitione veritatis, quæ est secundum pietatem. *Tit.* 1. in agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est. Hæc enim veritas limpida nutrit fidem, sicut aqua limpida bonum piscem. *Luc.* 24. Obtulerunt Domino partem piscis assi, & fauum mellis, hoc est, dulcedinem spiritus. *Ezechiel.* 47. Erant pisces multi satis. *Ioann.* 21. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc [nunquid] arguit ab impossibili [pro pisce] tam dulci [serpentem dabit illi?] hoc est, infidelitatem, quam serpens primo homini inspirauit. q. d. Non faciet. 2. *Corinth.* 11. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Fides enim simplex est, quia rationi astutiarum naturalium vel secularium scientiarum non innititur: & est vera, quæ super auctoritatem diuinam & non super humanam opinionem fundatur. *Isa.* 54. Fundabo te in saphiris, qui sunt omnes cælestis coloris, & significant diuinas reuelationes & auctoritates [aut si petierit] aliquis ex vobis bonis filiis [ouum] in quo est spes pulli volatilis: & per consequens significat spem æternæ beatitudinis, ad quam est pulsandum, sicut in antehabitis diximus. Hoc est ouum columbæ, in qua apparet Spiritus sanctus, quæ nidificat in foraminibus petræ, hoc est, in vulneribus Christi: & in cauerna maceriæ, hoc est, in latere Iesu Christi, & ibi ponit oua sua. *Psalm.* 83. Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos suos? Altaria tua Domine virtutum [nunquid porriget illi] pro ouo tantæ spei [scorpionem] sine pungentem per beatitudinis desperationem. Q. d. Non faciet. *Deut.* 8. Ductor tuus fuit in solitudine horribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, & Dipsas. Serpens flatu adurens in concupiscentiæ tentatione. Scorpio in futuræ beatitudinis finali desperatione. Dipsas, in mundanarum rerum insatiabili cupiditate: quia Dipsas, Situla alio nomine vocatur: quia quem percutit, sitire non desinit.

Si ergo

Si ergo vos eum sitis mali] Hic arguit à minori ex proposita similitudine. Præmittendo ergo in argumentatione dicit [Si ergo vos] boni filij [cum sitis]tamen[mali]hoc est, malitiæ huius vitæ & corruptæ naturæ permisti:& ideo ad malum inclinati,& per peccatum mali. *Psalm.* 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt : non est intelligens aut requirens Deum. *Rom.* 3. Non est iustus quisquam. 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est [nostis] ex aliqua rationis scintilla, & naturali pietate[bona]hoc est, vtilia temporalia[data dare filiis vestris]hoc est amicis in filiali dilectione dilectis. *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Et post pauca. Et illi quidem in tempore paucorum dierum erudiebant nos secundum suam voluntatem. Et hoc quidem minus videtur.

Quanto magis] ergo[Pater cælestis]ex affectu paterno diligens. *Matth.* 6. Pater noster. *Matt.* 21. Vnus est Pater noster qui in cælis est [de cælo] qui naturaliter bonus est, nihil habens terrenæ admistum malitiæ. *Marc.* 10. Nemo bonus nisi solus Deus. *Psalm.* 118. Bonus es tu,& in bonitate tua doce me iustificationes tuas. *Ioan.* 8. Vnum Patrem habemus Deum [dabit] naturali pietate & liberalitate, quam in filios habet[spiritum bonum] omnis boni auctorem & inspiratorem. *Psalm.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Psalm.* 50. Spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Nehem.* 9. Spiritum tuum bonum dedisti eis qui doceret eos. *Sapient.* 12. O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in nobis [petentibus se]illo modo petitionis qui dictus est, dummodo petant in spiritu adoptionis. *Roman.* 8. Quia estis filij Dei : misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater.

Spiritus enim monet ad petendum clamando, Abba pater. Spiritus docet postulare. In spiritu petendum est,& Spiritus datur petentibus. Et de primo horum iam dictum est. De secundo autem dicitur *Roman.* 8. Quid oremus secundum quod oportet, nescimus. Ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, docet postulare. De tertio dicitur *Daniel.* 3. In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur, sicut in millibus agnorum pinguium. De quarto *Act.* 1. Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos. *Ioan.* 20. Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hoc ergo est donum Patris qui in cælo est, qui per Spiritum viuificat filios,& in spiritu diligit eos, & de spiritu remunerat & ditat eosdem. De primo horum *Ioan.* 6. Spiritus est qui viuificat. De secundo *Prouerb.* 1. En proferam spiritum meum vobis. De tertio *Ezech.* 36 Dabo vobis spiritum nouum. Sic ergo est petendum & orandum apud Patrem de cælo. Multa autem de his dicta sunt *Matth.* 6. quæ si fuerint coniuncta his, quæ dicta sunt, magis sufficiunt.

Et erat eiiciens dæmonium,& illud erat mutum.

Exposita parte de oratione, in qua virtus impetratur operationis Discipulorum, tangit hic de ipsa virtute operante in Discipulis regnum cælorum prædicantibus. Diuiditur autem in partes duas, in quarum prima hanc virtutem demonstrat per rationes & effectum proprium : in secunda autem ostendit quod hæc virtus non est in exteriori obseruantia legalium, sed in interiori spiritus sanctificatione. Prima harum diuiditur in duas partes : in quarum prima, vt dictum est, demonstrat virtutem : in secunda ostendit qualiter demonstrata virtus ad mundi vtilitatem est propalanda per similitudinem lucernæ, quæ in abscondito non ponitur. Prior autem harum adhuc diuiditur in duas, in quarum prima per effectum & rationem probat hanc virtutem: in secunda autem ostendit quantitatem reatus eorum qui huic virtuti contradicunt, per hoc quod immundus spiritus cum septem nequioribus ad illos reuertitur. Prior autem istarum in tres particulas subdiuiditur, in quarum prima hanc virtutem ostendit per effectum : in secunda malitiam exaggerat contradicentium,& deuotionem fidelium. In tertia vero per rationes multas de mendacio conuincit contradicentes : & veritatem ostendit virtutis. In prima harum quatuor dicuntur : virtutis emanatio, modus operationis, defectus & malitia virtutis contrariæ, & effectus virtutis.

Primum horum intelligitur in verbi suppositio, cum dicit[Et erat] Subintelligitur enim IESVS CHRISTVS: de quo dicitur 1. *Corinth.* 1. Christum Dei virtutē & sapientiam. Dicitur autem *Mat.* 12. quod oblatus est ei. Et in hoc notatur fides & deuotio offerentium, quæ expostulant & impetrant miraculum. Per ista enim virtus Altissimi obumbrat fidelibus, sicut obumbrauit beatæ Virgini *Luc.* 1. Quantacunque virtus enim sit in Saluatore, non operabitur in nobis, nisi coniungatur nobis per fidem & deuotionem. Sicut medicina in pyxide (quæ non operatur nisi suscipiatur) in corpus & naturam ægrotantis nihil penitus operatur[eiiciens] Ecce modus operationis : quia non per claues exorcismorum vel supplicationum. Sed in potestate eiecit. *Deuter.* 33. Eiiciet à facie tua inimicum tuum dicetque, contere. *Luc.* 4. Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat dæmonibus, & exeunt [dæmonium] Ecce contrariæ virtutis malitia, contra quam operatur virtus diuina. Dæmonium enim sufficiens iniquitas interpretatur. Dæmonium autem quamuis singulariter hic ponatur, tamen in nocumento malitiæ multiplex fuit. Sicut *Luc.* 7. de Maria Magdalena septem dæmonia exiuisse perhibentur [& illud erat mutum] Hic tangitur effectus malitiæ dæmonis. Dicitur autem *Matth* 12. quod erat cæcus & mutus : nec poterat esse mutus nisi esset & surdus. Et sic quatuor ad minus intulit nocumenta : interius enim præsidens, ordinem & regimen rationis impediuit. Extra in sensibus abstulit lumen visus,& auditum aurium. Et in virtute motiua impedimentum faciens, linguam immobilem reddidit ad interpretationem sermonis. Et pro tanta quantitate multiplicis malitiæ exclamat *Isai.* 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. *Habac.* 1. Semper interficere Gentes non parcet. *Isa.* 10. Ad conterendum erit cor eius,& ad internecionem gentium non paucarum. Quia enim semper grassatur in malitia : ideo non sufficit ei quod vnum inferat nocumentum; sed infert multa, impetrata licentia nocendi à Domino: sicut pater

ex *Iob* 1. & 2. Et hoc facit ad commendationem miraculi. Et ideo de hoc miraculo præcipuè fuerunt ædificati fideles deuoti; & scandalizati indeuoti & infideles.

Impedimentum autem rationis spiritualiter est in exagitatione inordinata de peccato in peccatum. 1. *Reg.* 16. Spiritus Domini recessit à Saul: & exagitauit eum spiritus nequam à Domino. Cæcitas autem est obtenebratio luminis veritatis: quamuis sinistro oculo lumen cœnulentum videatur mundi vanitatis & cupiditatis. 1. *Reg.* 11. In hoc vobiscum feriam fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros. De surditate ab auditu interiori verbi Dei & cæcitate simul dicitur *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis, & auribus suis audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. De mutitate (quæ est taciturnitas à laude Dei) *Psalm.* 37. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum. *Marc.* 7. Adducunt ei surdum & mutum: & deprecabantur eum vt illi manum imponat. Ecce tot dæmon intulit nocumenta. In ratione quidem, ne veritatem perciperet: in visu, ne lumen claritatis Dei in miraculis videret: in auditu, ne ex auditu verbi ad fidem veniret: in loquela, ne de salute ab aliquo inquirere posset. De olfactu autem & gustu & tactu non curauit: quia illi sunt sensus nutrimenti, per quos homo magis ad concupiscentias carnis inclinatur, quam iuuetur ad veritatis cognitionem.

Et cum eiecisset Dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ.

Hic tangitur diuinæ virtutis effectus. Tangitur autem in causa, & in effectu. In causa per essentiam malitiæ. Dicit enim *Aristot.* quod aliquid per præsentiam causa est alicuius, & per absentiam est causa oppositi: sicut gubernator nauis causa est salutis nauis per præsentiam, & causa periclitationis nauis per absentiam. Ita Dæmon per præsentiam causa est periculi, & per absentiam causa est salutis: quia non abest nisi per gratiam Saluatoris. Et hoc est quod dicit [Et cum eiecisset Dæmonium] hoc est, per gratiam suam expulisset: sicut dicitur *Genes.* 21. Eiice ancillam, hoc est, petulantiam: & filium eius, hoc est, Diabolum, & opus eius, peccatum. Non enim hæres erit filius ancillæ Diabolus cum filio meo Isaac, hoc est, cum Christo. Idem continetur *Galat.* 4. Hoc promisit Dominus *Isa.* 22. Expellam te de statione tua: & de ministerio tuo deponam te. 1. *Ioan.* 3. In hoc apparuit Filius Dei vt dissoluat & destruat opera Diaboli [Locutus est mutus] *Matth.* 12. Curauit eum: ita vt loqueretur & videret. Sicut enim dicitur *Ezech.* 23. Amatores nostri, Diaboli, qui nasum præciderant & oculos effodierant & aures præciderant, expulsi per Filium Dei verum amicum animæ: cum per præsentiam omnia nobis mala fecerint: per absentiam ipsorum Filius Dei omnium nobis bonorum causa est effectus. Ideo cæcus videt lumen diuinum in veritate splendente. *Ioan.* 9. Cum essem cæcus, modo video. Surdus audit, & mutus loquitur. Audit quidem Dei verbum: loquitur autem laudem Dei & veritatis confessionem. *Isa.* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus: & aperta erit lingua mutorum. *Marc.* 7. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui [Et admiratæ sunt turbæ] Ecce deuotio simplicium fidelium. Sicut enim dicit *Chrysost.* Admiratio via est ad fidem: quia dum videns miraculum ex Dei potentia suspenditur, tunc inuestigans virtutem diuinam ad fidem ædificatur. Vnde *Marc.* 7. Bene omnia fecit (& omnipotens est, subaudi) & surdos fecit audire, & mutos loqui. *Matth.* 12. Stupebant omnes turbæ & dicebant: Nunquid iste est filius Dauid? supple, in lege promissus. *Ioan.* 6. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Quidam autem ex eis dixerunt] indeuoti scilicet & excæcati per inuidiam, sicut Pharisæi. *Sap.* 2. Hæc dixerunt, & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia eorum. Tangit autem hic duo genera indeuotorum, & in idem pari malitia consentientium. Quidam enim factum calumniari non valentes, causam facti calumniati sunt: sicut Pharisæi. Alij autem in idem consentientes, argumentum & signum cælestis virtutis quæsiuerunt: quasi ista virtus quam viderant cælestis non esset, sed infernalis; latenter quasi vtentes testimonio. *Isa.* 7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. De primis ergo dicit.

In Beelzebub principe dæmoniorum] Attende, quod sicut dicit *gloss.* Ninus rex Niniue & conditor, Belo patri suo statuam consecrauit, eique diuinos honores instituit: cuius similitudinem Chaldæi recipientes, Bel dicebant. Inde Palæstini suscipientes, Baal dicebant. Moabitæ appellabant Beelphegor. Iudæi autem vnius Dei cultores, propter derisionem Gentilium Beelzebub appellabant, quasi vir muscarum: eo quod in sordibus cruoris sacrificiorum suorum multitudo insidebat muscarum. Quod idolum quia primum fuit, dicebant in se habere principem dæmonum. *Sapient.* 14. Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc quasi Deum colere cœpit: & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, & conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est. Hunc ergo dæmonem dicebant in potestate habere Christum: sicut Necromantici in potestate dæmonum cogunt dæmones. Et *Lucas* quidem ponit affirmatiuam, quæ minus dicit [In Beelzebub principe dæmoniorum] *Ioan.* 14. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam [eiicit dæmonia] sicut Necromantici. Et hanc affirmatiuam dixerunt illi, qui erant minus mali. *Matth.* autem 12. ponit negatiuam, quæ nihil de diuina relinquit virtute, sic: Hic non eiicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Plus autem dicitur *Mar.* 3. Quoniam in furorem versus est, & Beelzebub habet, & in principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Et

Et in hoc notator triplex genus malitiæ istorum. Sed non intellexerunt illi, quòd Necromantici eiicientes dæmonia non conpescunt ea nisi ab exterioribus nocumẽtis, & non ab interiori malitia. Christus autem interius primo, & postea in exterioribus curauit. *Ioan.* 7. Totum hominem sanum feci in sabbato. Et ideò de blasphemia conuincuntur: sicut patebit in sequentibus.

Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.

Secundum genus est indeuototum, qui fuerunt Scribæ, sibimetipsis in sapientia sua placentes. Dicit ergo [alij] sicut Scribæ [tentantes] experimentum istius virtutis quærẽtes. *Matth.* 22. Quid me tentatis hypocritæ [signum de cælo quærebant] Ac si dicerent: Quæ circa inferiora operaris, à virtute possunt esse inferiori. Sed in cælestibus non potest operari virtus inferior. Et ideo si de cælo signum facis, cognoscemus quod non in principe dæmoniorum, sed virtute diuina facis quod facis. Sic enim præcipui inter Prophetas in se esse probabant virtutes diuinas. Sicut primus Moyses in columna ignis & nubis signum de cælo dedit *Exod.* 13. Samuel secundus mugire fecit tonitrua tempore messis 1. *Reg.* 7. quod contra naturam & consuetudinem fuit terræ illius. Elias ignem de cælo descendere fecit super sacrificia 3. *Reg.* 18. Elias etiam ignem deiecit de cælo bis, qui combussit duos quinquagenarios principes cum quinquaginta suis qui erant cum eo 4. *Reg.* 1. Similiter autem oratione Sacerdotum Ionatha inchoante, cæteris autem respondentibus, descendit ignis super sacrificia 2. *Mach.* 1. Ita igitur tentantes [signum de cælo quærebant ab eo] tanquam non & illa calumniari possent, dicentes ex variis aeris passionibus ea accidisse. Calumniator enim veritatis non cogitat quid dicat, dummodo contradicens veritati calumniam imponat. *Ioan.* 6. Quod tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto. Manna autem etiam de cælo descendit.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis.

Hic incipit calumniantium confutatio & virtutis diuinæ demonstratio. Facit autem duo. Primo enim Euangelista ostendit Christo virtutem diuinam inesse, per quam est omnisciens. Deinde inducit rationes mendacium confutantes, & veritatem demonstrantes. Primum horum dicit [Ipse autẽ] IESVS. *Col.* 2. In quo sũt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi [Ipse] ergo qui est in sinu Patris *Ioan.* 1. Qui omnia secreta Patris scrutatus est & nouit *Luc.* 10. *Matth.* 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius ipse. Ergo vnigenitus Dei cui nihil est absconditum [vt vidit cogitationes eorum] quas solus nouit Deus. *Ierem.* 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Nemo nisi solus Deus. *Psalm.* 7. Scrutans corda & renes Deus. 1. *Reg.* 16. Homo videt quæ patent, Deus autem intuetur cor. 1. *Paral.* 28. Omnia corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. *Psal.* 93. Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. *Isa.* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis [dixit eis] Ex hoc patet quod in cordibus suis ista dixerunt. *Psal.* 52. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Dixit autem ipsis respondendo.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij vestri in quo eiiciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt, Porro si in digito Dei eiicio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei.

Hic ponit rationes mendacium & blasphemiam confutantes, & veritatem demonstrantes. Ponit autem primo rationes deducentes ad impossibile, eo quod contra aduersarios veritatis disputat, procedens ex falsis datis ab ipsis. In tali enim disputatione ratio ad impossibile prior est, quam ratio veritatis ostensiua. Secundo autem ponit rationes ostensiuas. Disputando autem ad impossibile, procedit super quadam diuisione secundũ expositionem *Gloss.* sic. Aut eiicio dæmonia in Beelzebub: aut in demonstratione diuini spiritus & virtutis. Siquidem eiicio in Beelzebub: sequitur inconueniens, quod regnum eius desolabitur, & quod filij vestri in eodem eiiciunt dæmonia: Ergo non eiicio in Beelzebub. Igitur altera pars diuisionis est vera, quod eiicio in demonstratione virtutis Dei & Spiritus sancti. Et tunc sequitur, quod non regnum Beelzebub quod destruo, sed regnum Dei quod construo [peruenit in vos] Et hoc est quod arguere intendit. Duas autem rationes inducit, quibus ad inconueniens primam partem diuisionis deducit. In prima ratione vniuersaliter proponit causam destructionis omnis regni: & est propositio ciuilis. Secundo assumit causam desolationis regni satanæ. Tertio conclusionem propositi innuit temperans conclusionem, in hoc quod per modum interrogationis eam inducit, & non per modum illationis, cum tamen aduersarius obligatus sit ex contextione syllogistica præmissa.

Proponens autem vniuersaliter in omnis regni corruptione dicit [Omne regnum in seipsum] hoc est, contra seipsum [diuisum desolabitur] Regnum enim, vt sæpius diximus, est ordinata & completa potestas ad vnum in essentialibus, & potestatiuis, & operationibus perfecta. Cuius corruptio diuisio est ordinatorum ad vnum: quòd contra se inuicem, & contra eum ad quem ordinantur diuiduntur. Corruptione autem facta in partibus ordinatis ad vnum, necesse est quod desoletur totum. Vnde *Isa.* 3. cum diceretur: Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. In quo notatur illius regni in seipsum diuisio. Post pauca subiungitur: Ruit Ierusalem, & Iudas concidit: quia linguæ & adinuentiones eorum contra Dominum. Finem etiam mundi & casum declarans Dominus per signa præcedentia *Matth.* 24. & *Luc.* 21. dicit: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Et per diuisionem vult ostendere regni ruinam & casum. 2. *Paralip.* 20.

Filij versi in seditionem in seipsos diuisi, mutuis concidere vulneribus. *Matth.* 12. Omne regnum diuisum, & omnis ciuitas diuisa contra se non stabit [Et domus supra domum cadet] Signum est desolationis. Domus autem dicitur familia. Sicut domus Iacob, & domus Leui, & domus Aaron, familiæ tales & parentelæ ruunt:& tunc regni est desolatio. *Isa.*24. Defluxit orbis, infirmata est altitudo virorum terræ. Et terra infecta est ab habitatoribus suis. Altitudo virorum dicitur hic, alterum sanguine progenies. Et quando illæ in se diuiduntur, tunc cadit domus supra domum. *Isa.*22. Scissuras ciuitatis Dauid videbitis, quia multiplicatæ sunt.

Si autem & satanas] Assumptio in segno satanæ, qui aduersarius interpretatur: quia omni bono & omni bonæ ordinationi aduersatur, & maximè ordinationi factæ per Christum. *Matth.* 4. Vade satana: Non tentabis Dominum Deum tuum [in seipsum] hoc est, contra seipsum [diuisus est] in multitudine potestatum & ministrorum regni sui, sicut vos dicitis. Quamuis enim mali semper diuisi sint, & nihil habeant veræ vnionis: sicut *Iudic.*15. dicitur, quod vulpes Samsonis capita habebant diuisa, & caudas colligatas: tamen in intentione nocendi conueniunt: & nisi ad illam ordinent actus suos, ad perfectionem nocumenti non proficiunt. Quando autem concordant in vnum, tunc ad perfectionem mali intenti proficiunt. 2.*Timot.* 3. Mali homines, proficiont in peius errantes, & in errorem mittentes. Propter quod dicit *Philos.* quod bonum & finis cuiuslibet regni est sicut in duce exercitus, in quo sibi quilibet secundum suum officium ad victoriam cooperatur: & quando ad multa tendunt in seipsos diuisi, tunc destruitur victoria. *Prouerb.* 28. Propter peccata terræ multi principes eius, hoc est, ad multa tendentes. Et cum destruendum esset regnum Alexandri Macedonis, diuisio fuit causa destructionis. 1. *Machab.* 1. Diuisit Alexander regnum pueris suis nobilibus dum adhuc viueret: & imposuerunt sibi omnes diademata, singuli in loco suo: & multiplicata sunt mala super terram. *Osea* 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.

Si ergo regnum satanæ in seipsum diuisum est] cum diuisio, sicut probatum est, sit tota & sola causa desolationis [quomodo stabit] hoc est, stare poterit [regnum ipsius] Temperat conclusionem in modum quæstionis: ne apertè concludens, nimis videantur confusi aduersarij veritatis. 1. *Cor.* 4. Non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios charissimos moneo. Vnde per quæstionem excitat vt ipsi in sensum redeant veritatis. Ac si dicat illud *Isa.*46. Redite, redite præuaricatores ad cor [quia dicitis] Confirmatio est assumptæ propositionis, assertiuè pronuntiando [in Beelzebub] hoc est, in virtute & potestate Beelzebub [eiicere me dæmonia] Ex quo dicto sequitur satanam in seipsum diuisum esse.

Attende autem, quod regnum diaboli non propriè regnum vocatur: quia regnum est in ordine boni regiminis ad vtilitatem populi qui regitur ordinatum. Quod non est regnum dæmonum, quod potius ordinatum est ad nocumentum. Et hoc est corruptio regni, quæ propriè vocatur tyrannis: & rex sic principans vocatur tyrannus. Sed propter similitudinem obediendi ad vnum, & sub vno, vocatur regnum. *Isa.* 19. Tradam Egyptum in manu dominorum crudelium: & rex fortis dominabitur eorum. Hoc regnum est Chaldæorum (qui feroces interpretantur) quod venit dissipare optimus Rex noster Christus. *Isa* 47. Non est solium vltra filiæ Chaldæorum. Et *infra Ibidem.* Sede, tace, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis vltra domina regnorum. Et quod sic virtute regni summi cælestis (quod construit Christus) destruamr regnum diaboli, intendit hic probate. *Luc.* 1. Regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.

Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia] Secunda ratio est deducens ad inconueniens, & fundatur super hoc, quod est ecclesiasticum & sacramentale principium, quo vtuntur & Necromantici, & Ecclesiastici. Quod vnius inuocationis vna est operatio. Filij autem eorum vel fuerunt Apostoli, qui (sicut supra. 10. legitur) missi expellebant dæmones: vel alij Discipuli, qui reuersi ad Christum *Luc.* 10. dixerunt: Domine, etiam dæmonia in nomine tuo subiiciuntur nobis vel fuerunt etiam illi, qui Christum non sequentes tamen in nomine Christi etiam dæmones eiiciebant *Luc.* 9. Vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequebatur nos. Et respondit Christus quod non prohiberetur. *Act.* 19. Adiuro vos in nomine Iesu quem Paulus prædicat. Vel sicut dicit quædam *Gloss.* fuerunt Exorcistæ, qui videntes infirmos iam esse exorcismos Salomonis, adiurare cœperunt in nomine Christi. Isti ergo sunt filij Pharisæorum instructi ab eis, & nati, & noti, & approbati. Si ergo illi non in Beelzebub, sed in virtute diuina eiiciunt: & eum vnius inuocationis eadem sit operatio: ego in præsentia imperans dæmonibus, ex eadem virtute eiicio. Et hoc est

Si autem ego] cuius nomen ab aliis inuocatur [in Beelzebub eiicio dæmonia] Non nomen meum, sed Beelzebub nomen ab aliis esset inuocandum [filij vestri] de quibus dictum est [in quo eiiciunt?] Iterum temperat illationem conclusionis in quæstionem: vt ad rationem redeant, & considerent rationis veritatem. *Iob* 6. Loquentes, quod iustum est iudicate, & non inuenietis in lingua mea iniquitatem. 2.*Corinth.*6. Quæ conuentio Christi ad Belial? & quæ communicatio templo Dei cum idolis? [Ideo ipsi] Exaggeratio est Q. d. quia [ipsi] nomen meum inuocant dæmones eiiciendo [ideo] comparatiuè loquendo [iudices vestri erunt] *Rom.* 2. Iudicabit quod per naturam est præputium, te, qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es. *Isa.*44. Verè vos testes mei dicit Dominus. Si autem de Apostolis & Discipulis intelligitur, tunc est concordia. *Matth.* 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. *Psal.*149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis eius. *Glossa* quædam arguit ex hac contextione, dicens: Si omne regnum diuisum desolatur, ergo regnum Patris & Filij & Spiritus Sancti, quod nulla contradictione, nullo impulsu desolatum est, non est diuisum: & ideo est æternum. *Daniel.* 2. Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Daniel.*7. Potestas eius æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur.

Porro si in digito Dei] Acceptio est alterius partis diuisionis: quia iam destructa est prima. Ec hoc

hoc eſt [porro] hoc eſt, ſed aduerſando prædictis quæ ad inconueniens deducta ſunt [ſi in digito Dei] hoc eſt, in demonſtratione virtutis Dei & diuini ſpiritus [eiicio dæmonia] diuino ſpiritui & virtuti contraria. *Luc.* 8. Ego cognoui virtutem diuinam à me exiſſe. *Exod.* 8. Digitus Dei eſt hic, hoc eſt, Spiritus & virtutis Dei demonſtratio. *Matth.* 12. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei [profecto] hoc eſt, certè. Et eſt aduerbium in virtute coniunctionis illatiuæ, ſiue rationalis [peruenit in vos] in ſenſus & corda [regnum Dei] quod deſtruit regnum diaboli. Dicitur autem regnum Dei, poteſtas regni Dei vincens contrariam tyrannidem diaboli. *Luc.* 17. Regnum Dei intra vos eſt. *Matth.* 6. Adueniat regnum tuum. *Ioan.* 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Vnde *Gloſſ.* dicit, quod ideo quia in Chriſto ſpem non gerunt, ſed in principe dæmoniorum eiici dæmones opinantur, eos regni negat eſſe perpetui.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

Hic adducit ad propoſitum rationes oſtenſiuas, quæ omnes à ciuilibus ſumuntur: & ſunt tres quæ per ordines inducuntur: quarum prima ſumitur à præſidio fortis, ea quæ in ditione ſua ſunt cuſtodientis. Habet autem partes duas: vnam quidem à poſſeſſione quieta, qua ſua poſſidet fortis, non eiectus de poſſeſſione ab alio ſe fortiori. Dicit ergo [Cum fortis] quilibet in ciuilibus [armatus] armis præſidia ſua munientibus: ſicut ſunt amici, miniſtri, & loricæ, & clypei, & caſtra, & huiuſmodi [cuſtodit] per fortitudinem ſuam [atrium ſuum] hoc eſt, ea quæ ſunt in ditione ſua [in pace] hoc eſt, pacifica poſſeſſione [ſunt omnia ea quæ poſſidet] ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè poſſideat. Sic diabolus [fortis] de quo dicitur *Iob* 41. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ poſſit ei comparari, qui factus eſt vt nullum timeret. *Habac.* 1. In iudicium poſuiſti eum: & fortem, vt corriperes, fundaſti eum [armatus] ſententiis & maledictionibus Dei & peccatis hominum, & multitudinibus dæmonū. 1. *Reg.* 17. Lorica hamata induebatur. *Rom.* 6. & membra veſtra arma iniquitatis peccato [cuſtodit atrium ſuum] hoc eſt mundum, quem habet in ditione ſua. 1. *Ioan.* 5. Mundus totus in maligno poſitus eſt. Vnde *Matth.* 12. dicitur domus ſua. *Iob* 9. Terra tradita eſt in manus impij, vultū iudicum eius operit [in pace] Nunc interiori ſecuritate cōſcientiæ: quia *Iſa.* 48. Non eſt pax impiis dicit Dominus. Sed quia exterius non impulſabatur ab aliquo. *Iſa.* 38. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. *Iſa.* 10. Vniuerſam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os & ganniret [ſunt omnia quæ poſſidet] *Habac.* 1. Totum in hamo ſubleuabit, traxit illud ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum

Si autē fortior illo ſuperuenerit] Secunda pars eſt rationis eiuſdem. Chriſtus autē dicitur fortior in iure, & fortior in robore & armis. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Et *Exod.* 15. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate? Hic ſuperuenit forti, quia ſuperior eo extitit. *Ierem.* 46. Fortis impegit in fortem, & ambo corruerunt: Chriſtus per mortem corporis in ſepulcrum, et diabolus à poteſtate deiectus in infernum. *Iſa.* 49. Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit? Equidem, & captiuitas à forti tolletur: & quod ablatū eſt à robuſto, ſaluabitur. Et hoc eſt quod dicit [vicerit fortem] *Apocal.* 6. Data eſt illi corona, & exiuit vincens vt vinceret. *Apoc.* 20. Vidi Angelum fortem de cælo deſcendentem, & habuit clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit ſerpentem antiquum draconem, & alligauit per annos mille [illum] ſcilicet fortem diabolum. *Ierem.* 6. Fortis eſt & crudelis, & non miſerebitur [arma eius auferet] Hæ dicuntur vaſa *Matth.* 12. quia continent iram Dei. Et ſunt arma impugnationis diaboli, quibus expugnat alios. Hoc ſignificatum eſt. 1. *Reg.* 17. Vbi dauid tulit arma Goliath Gethæi, & in gladio ſuo amputauit caput eius. Et 2. *Macha.* 8. Tulit Iudas arma Liſiæ & gladium eius: & erat pugnans in eo omni tempore. Vnde Chriſtus dicitur *prædator armorum* *Iſa.* 8. Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari: quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci. *Eph.* 4. Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus [in quibus confidebat] Sicut confidebat in Saulo & literatura ſua diabolus: quem abſtulit Chriſtus *Act.* 9. dicens. Vas electionis erit mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël. Sic *Exod* 12. Filij Iſraël ſpoliauerunt Ægyptum. Et hoc eſt quod ſequitur [& ſpolia eius] hoc eſt ablata ab eo [diſtribuet] diuerſis dabit pro vtilitate Eccleſiæ. *Iſa.* 9. Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. *Prouerb. vltim.* De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. 1. *Ioann.* 3. In hoc apparuit Filius Dei vt diſſoluat opera diaboli. Hæc eſt ergo ratio prima: quia quicumque diripuerit vaſa diaboli fortior illo eſt, & contrarius illi: Ego autem ſic diripio: ergo fortior illo ſum & contrarius illi: ergo propria virtute ex me emanante eiicio illum

Qui non eſt mecum] Secunda ratio. Quia immediata ſunt vel eſſe cum Deo, vel eſſe contra Deum. Et ideo cum diabolus & membra eius non ſunt mecum facientes & operantes: ſequitur quod contra me ſint. Et ſic virtute potentiori diuina & contraria ſibi eiicio eum. Quod autem non ſit mecum, patet: quia præſentiam meam non ſuſtinet, ſed eſt ſibi tormentum. *Luc.* 4. *&* *Mat.* 8. Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos? [contra me eſt] *Pſalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper. *Iob* 15. Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus? *Numer.* 22. Peruerſa eſt via tua, mihique contraria.

Et qui non colligit mecum] Tertia ratio eſt ſumpta à proprietate operum: quia Chriſti eſt col-

ligere:

ligere: dæmonis autem dispergere: & sic regnum Dei cum dæmonum regno nullam habet communicationem. Colligit enim Christus, & Sancti colligunt secum. Colligit autem Christus primo passiones in formam virtutis: actiones ad normam rectitudinis: electiones ad prudentiam rationis: animales vires & motus ad mensuram bene constitutæ mentis: diuersas, & discurrentes, & vagas cogitationes ad contemplationem intellectus diuini simplicis: multitudinem totam operum in vnum simplicis intentionis: multitudinem credentium in vnanimitatem cordis: multitudinem ouium in omnibus nationibus ad vnitatem vnius ouilis, curæ pastoralis. Et sic semper Christus colligendo est & congregando. Vnde *Aug. in lib. 10. confess.* In omnibus quæ meme percurro, non inuenio locum tutum animæ meæ præter te, in quo colliguntur sparsa mea. De his collectionibus dicit *Psalm.* 49. Congregate illi Sanctos eius. *Gen.* 49. Congregamini filij Israël, & audite Israël Patrem vestrum. *Ezechiel.* 36. Congregabo vos de terris in quibus dispersi estis. *Ps.* 105. Saluos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini tuo sancto. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna *Matth.* 23. Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti? *Ioan.* 10. Fiet vnum ouile, & vnus pastor. *Ioan.* 11. Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente: sed vt filios Dei qui dispersi erant congregaret in vnum [dispergit] Omni contrario modo collecta dispergit diabolus, qui diuisionis est pater & origo. Dispergit enim in varietatem passionum desideria peccantium. Dispergit in corruptionem actionum multitudinem iniustorum operum. Dispergit voluntatem in diuersitatem eligibilium. Dispergit mentis mensuram per diuersitatem animalium motuum. Dispergit intellectum in euagationes cogitationum inutilium. Dispergit intentionem per diuersitatem finium intentorum. Dispergit credentes in contrarietatem discordiarum: vnitatem Ecclesiarum in diuersitates errorum. *Ioan.* 10. Lupus rapit & dispergit oues. *Exod.* 5. Dispersus est populus ad congregandas paleas. Sic *Genes.* 11. Diuisum est labium loquelæ cordium in turri Babel, hoc est, confusionis. *Psalm.* 58. Disperge eos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine, hoc est, permitte vt dispergantur.

Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui.

Hic exaggerat peccatum istius blasphemiæ in Spiritū sanctum. Dicit autem quatuor, quorum primum est emundatio Synagogæ à spiritus immunditia: secundum autem perambulatio spiritus immundi, quærentis locum habitationis quietæ: tertium est reuersio ad Synagogam: quartum est profectus malitiæ post reuersionem. Intendit autem quod ante legem datam & circuncisionem patrum, immundus spiritus fuit in populo Pharisæorum, qui per legem & circumcisionem, per deuotionem cultus diuini & fidem patrum exiuit ab eis. Quo recedente, otio vacantes, & scopis exteriorum traditionum se ornantes, sectam inuenerunt Pharisæorum. In qua secta vacantes in iustitia simulata hypocritarum, spiritus immundus reuersus inuenit eos: & ideo ingressus in eos conuertit vel potius peruertit in spiritum blasphemiæ & hypocrisis. Et ideo facta sunt nouissima eorum peiora prioribus. Et hoc est quod intendit. Sed generaliter loquitur, temperans sermonem gratia disciplinæ: & ne nimis prouocet eos. Dicit ergo

Cum immundus spiritus] Non per naturam, sed per effectum. *Matth.* 10. Dedit eis potestatem spirituum immundorum [exierit ab homine] quolibet, vel à Synagoga, vel Pharisæis. *Luc.* 4. Exierant autem dæmonia à multis. *Luc.* 7. De Maria Magdalena septem dæmonia exierant. Ecce exitus immundi spiritus

Ambulat] Ecce discursus. Ambulat enim componitur ab ambo, quod est circum & bulo, quod in simplici non est in vsu sed in composito, & est idem quod vado. *Iob* 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. 1. *Pet.* 5. Aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. *Psalm.* 11. In circuitu impij ambulant. Immundorum enim spirituum est ambulare in circuitu: quis semper declinatur ab itinere recto. Longissimè enim distat à recto circuitus. Curuum enim non circumductum in aliqua parte distat, & in aliqua parte appropinquat. Sed circunductum vndique maximè distat: ita quod rectum non tangit nisi in puncto, & statim recedit. *Psal.* 35. Astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odiuit [per loca] fundata: quia iuxta proprietates, tres sunt quæ magis competunt loco: scilicet immobile esse motu, locati continentem esse, & quod ad ipsum sit motus. Ista sunt eadem quæ quærit diabolus, quæ immobilia sint à malitia, quæ intra se circundando contineant diabolū & detineant etiam recedentem, & ad quæ sicut ad locum sibi conuenientem moueatur. De primo dicitur *Apoc.* 2. Habitas vbi sedes est satanæ. De secundo *Thren.* 3. Circumædificauit aduersum me lapidibus quadris, vt non egrediar. De tertio *Iob* 20. Vadent & venient super eum horribiles. Sic locus in malo accipitur. Et similiter dicitur cor immobile à bono virtutis. *Gen.* 28. Verè Dominus est in loco isto. *Exod.* 3. Locus iste sanctus est, hoc est, firmus, circundans est. *Psal.* 77. Deus in loco sancto suo. Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Ad istum etiam locum conuersio Dei est. *Cantic.* 7. Dilectus meus mihi, & ad me conuersio eius. Ideo dicitur *Eccl.* 10. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locū tuum ne dimiseris: quia spiritus malignus super corda Sanctorum explorat [inaquosa] hoc est, à vitiis & humore concupiscentiæ arida. *Psalm.* 95. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Sicca enim loca, alta, & bene perstabilia, & plana, sana sunt secundum naturā. Sicca à concupiscentiæ humore: alta contemplationis suspensione: plana virtutis æqualitate & iustitiæ æquitate, & bene perstabilia Spiritus sancti inspiratione & consolatione. Primum significatur *Exod.* 14. Vbi Dominus filios Israël sicco vestigio eduxit per mare rubrum, Ægyptios autem demersit in mare. Secundum autem est quod dicitur *Isa.* 58. Sustollam te super altitudinem terræ & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. De tertio *Isa.* 49. In omnibus planis erunt pascua

pascua eorum. De quarto *Cantic.*4. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Talia igitur loca explorans perambulat.

Quærens] per tentationem. 1. *Petr.* 5. Quærens quem devoret [requiem] mansionem per peccati consensum, & obstinationem: sicut *Gen.* 8. Coruus requieuit in cadauere. *Apoc.* 18. Facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi [& non inueniens] in sanctis talem requiem [dicit] Et tangitur hic reuersio immundi spiritus ad Synagogam, & ad quemlibet exterioribus & non interioribus studentem. Non enim ille qui in vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus *Iob* 40. inuenit requiem in Sanctis, intus & extra ex humore concupiscentiæ siccis, in luce & non in vmbra ambulantibus, & solidum veritatis & non vacuum arundinis ad auras sibilantis prosequentibus, qui dicunt Domino: In terra deserta, inuia, & inaquosa sic in sancto apparui tibi; vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam. Vnde cum in mentibus fidelium omnia sua tentamenta cessare perpendit, dicit [Reuertar] reuersione nequitię iniquitatis. 2. *Petr.* 2. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. *Isa.* 37. Per viam qua venit reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur [in domum] habitationis meæ, quam iniquis construxi actibus *Iob* 18. Habitent in tabernaculo eius focij eius qui non est. *Isa.* 33. Erit habitatio dæmoniorum. *Apoc.* 18. Facta est habitatio dæmoniorum [meam] quam sibi quieta possessione acquisiuit. Hæc est domus impij de qua dicitur *Habac.* 3. Percussisti caput de domo impij [vnde exiui] compulsus per iustificationem. *Deuter.* 33. Eiiciet à facie tua inimicum, dicetque, contere. *Luc.* 11. Erat IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. *Luc.* 4. Exibant dæmonia à multis.

Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se: & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Hic tangit qualem inuenit domum, quæ non interiori sed exteriori studet iustitiæ. Dicit ergo [Cum venerit] per immunditiæ persuasionem. Venit autem cum accedit. *Matth.* 4. Accedens tentator, dixit. Sic *Gen.* 3. Serpens accessit ad Euam [inuenit] quia locum tentandi dedit. *Ierem.* 2. Omnes qui quærunt eam ingrediuntur ad eam, in menstruis suis inuenient eam. Contra quod dicitur *Ephes.* 5. Nolite locum dare diabolo [scopis mundatam] Scopa non purgat nisi exterius in superficie, & significat Pharisæos & hypocritas exteriori studentes pulchritudini. Vnde *Matth.* 23. assimilantur sepulcris dealbatis, quæ exterius apparent hominibus speciosa, & intus sunt plena omni spurcitia & fœtore. Et *ibidem* dicuntur mundare quod exterius est calicis & catini, & interiora spurca & immunda relinquentes. *Isa.* 14. Scopabo eam in scopa terens (hanc exteriorem malitiam neglecta interiori) dicit *Apostolus Rom.* 10. Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Et tunc vadit] Hic tangit qualis reuertitur. Tangitur autem hic profectus malitiæ in tribus: in profectu, in habitatione, in comparatione ad statum præcedentem. Profectus autem tangitur in tribus: in profectu processu, in quantitate, in malitiæ intensione. De primo dicit [Tunc vadit] per incrementa malitiæ. 2. *Timoth.* 3. Mali homines proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes. *Matth.* 24. Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sic ergo [vadit] passibus iniquitatis [& assumit] quia vera iniquitas falsam & simulatam sumit virtutem, vt veniat in vestimentis ouium, & intrinsecus sit lupus rapax. Istæ sunt adhortationes de quibus dicitur *Iob* 39. Adhortationes ducum exercitus [septem alios spiritus] septem simulationibus capitalium vitiorum prælatos. Sicut vera superbia sumit secum falsam humilitatem: vera inuidia falsam fraternam charitatem, & fraternam correptionem: vera ira falsam mansuetudinem sub pallio zeli latentem: vera acidia mundanorum gaudiorum placentiam mentientem sub integumento debilitatis: vera auaritia simulatam prouidentiam: vera gula apparentem necessitatis indigentiam: vera libidinis immunditia simulatam in exterioribus muliercularum consolationem. 3. *Reg. vltim.* Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. 2. *Corinth.* 11. Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo mirum si ministri eius transfigurantur sicut ministri iustitiæ [nequiores se] quia simulatio magis est efficax ad decipiendum. 3. *Reg. vltim.* Decipies & præualebis. Dicit enim *Augustinus*, quod simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas [& ingressi] *Matth.* 14. Intrauerant enim multa dæmonia in eum. Ingreditur autem diabolus per consensum. *Ioan.* 13. Post buccellam introiuit in eum satanas [habitant ibi] morando per consuetudinem. Contra dicit *Psalm.* 5. Neque habitabit iuxta te malignus. Et sic in Pharisæis habitabant spiritus immundi, mouentes eos ad blasphemiam Spiritus sancti [& fiunt nouissima hominis illius] in spiritu blasphemiæ & impugnatione veritatis agnitæ (quæ Dei digito demonstratur) [peiora] quantum ad aggrauationem peccati [prioribus] quando in ignorantia Dei vixerunt. Quia tunc ignorantia excusabat eos, etsi non à toto, tamen à tanto. 2. *Petr.* 2. Melius erat illis viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est illis sancto mandato. *Matth.* 27. Erit nouissimus error peior priore. *Ierem.* 7. Peius operati sunt quam patres eorum.

Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi.

Hic tangit condemnationem istorum ex iudicio comparationis. Tangitur autem duplex condemnatio comparationis: vna quidem mulierculæ benedicentis, ad blasphemantes Pharisæos & Scribas: alia autem antiquorum minoribus credentium, ad Pharisæos maiori non credentes. In prima harum duo dicuntur: scilicet, descriptio benedicentis mulierculæ, & ipsa benedictio. Descriptio autem benedicentis est à quinque, scilicet, à temporis opportunitate, ab excellentia quam habuit in sermone, à singulari dignitate, à sexus fragilitate,

fragilitate, à plebeia & turbarum (quibus impediri non potuit) strepitu & tumultuositate. Opportuno enim tempore fuit contra blasphemantes auxiliata, scilicet, quando contra tumultum etiam obstrepentium vox clamoris sui fuit eleuata. Inter mulieres etiam ad benedicendum Christum singulariter fuit dignificata. Et cum esset fragilis sexus, terrore blasphemantium non est exterrita. Et cum esset in medio plebis & turbarum humilis, constanter veritatem est confessa. De primo ergo dicit Euangelista [Factum est autem] Domino excitante spiritum mulieris debilis, cum vndique perstreperent blasphemantes. *Eccli.* 51. Circumdederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. *Psalm.* 117. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia vltus sum in eos [Cum hæc] disputans, & blasphemantes confutans. *Iob* 13. Prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum [diceret] ad turbam in qua fuerunt veritatem rationum suarum intelligentes, & malitiam Pharisæorum aduertentes. *Isa.* 55. Audite audientes me, & comedite bonum, hoc est, qui exauditis, veritatem elicite, & vobis eam incorporate. Ad turbas autem loquitur, quia parui & populares audierunt. Alij autem excæcati sunt. *Ioan.* 8. Sermo meus non capit in vobis. De aliis autem dicitur *Matth.* 23. Et *infra eodem.* Vobis Legisperitis væ, qui tulistis clauem scientiæ, & vos non intraris, & alios intrare non permittitis. *Matth.* 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. In hoc ergo tempore cum turbarum Pharisæi blasphemarent, ista muliercula benedixit. *Ps.* 108. Laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & dolosi super me apertum est. *Psalm. eodem.* Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me confundentur: seruus autem tuus lætabitur.

Extollens] extra clamores omnium sonum vincentem tollens. *Isa.* 40. Exalta in fortitudine vocem, & exalta, noli timere. Hæc autem extollentia vocis, magnificæ laudis est indicium. *Eccli.* 43. Magnificantes Dominum, exaltate quantum potestis. Maior est enim omni laude. *Psalm.* 29 Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Per disputationem enim Domini obstructum est os loquentium iniqua. Per magnificam laudem mulierculæ condemnata est & repressa aduersariorum blasphemia [quædam] dignitate singularis, quamuis conditione humilis. Hæc est vna de ancillis (de quibus dicitur *Iob* 40. Ligabis eum ancillis tuis, hoc est, Leuiathan) quæ sic ligauit linguas blasphemorum. Ancilla profecto fortissimæ mulieris sapientiæ diuinæ, quam ipsa sapientia cibauit pane vitæ & intellectus ad cognoscendam veritatem: sicut dicitur *Prouerb. vltim.* De nocte surrexit: deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

Ad literam enim fertur ab antiquis hæc fuisse ancilla beatæ Marthæ, Stella nomine, quæ post Passionem & Ascensionem Domini cum beata Maria Magdalena, & Lazaro, & Martha, & beato Maximino mare transiens in Massiliam peruenit. Cuius nomen (quod est Stella) signat illuminationē radiosam cognitionis ipsius. Hæc enim vna de stellis, quæ (sicut dicitur *Iud.* 5) contra Sisaram pugnauerunt, qui Pharisæos commouit in blasphemiam, hoc est, contra diabolum. Hæc, inquam, est Stella, quæ illuxit in medio nebulæ *Eccli.* 50. quæ Christum circumdederat. Hæc, inquam, est Stella, de qua dicitur *Baruch* 3. Stellæ lætatæ sunt in custodiis suis, & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit eas. *Daniel.* 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti. Et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Mulier] Et sicut dicit *Ambros.* Quanto infirmior sexus, quanto infirmius vasculum quod reportat ex hoste triumphum: tanto maiori opprobrio diabolus induitur, tanto dux militiæ nostræ Christus iucundius in pugnantibus suis delectatur. *Iudith* 14. Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis. Hæc est fortis mulier, cuius procul & de vltimis finibus pretium eius *Prouerb. vltim.* Quæ ausa est contra Scribas & Pharisæos vocem laudis extollere. *Ioan.* 9. Iam enim conspirauerant, vt siquis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret. Hæc est mulier, quæ (sicut dicitur 2. *Machab.* 7.) fœmineæ cogitationi masculinum animum ingessit. *Ruth* 3. Scit omnis populus mulierem te esse virtutis. *Prouerb. vltim.* Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Sic ergo dignitate singularis, illuminationis nomine præsignita, fortitudine & fide fulta, aduersariorum virtute ornata, & Christi laude plenissima [de turba] turbata clamoribus blasphemorum, quam clamore deuotionis transcendit. Sicut enim Christus ex ore infantium & lactentium perfecit laudem, vt destrueret inimicum blasphemantem cum ascenderet Ierusalem *Matth.* 21. & *Ioan.* 12. Et sicut suscitauit spiritum pueri iunioris, vt confunderet & damnaret senes iudices iniquitatis *Daniel.* 13. Sic spiritum puellæ humilis conditionis hic suscitauit de turba laudem suam clamantis, vt confunderet altitudinem superbia præsumentem. 1. *Corinth.* 1. Quæ infirma sunt elegit Deus vt confunderet fortia [dixit illi] hoc est, ad laudem ipsius. Cor enim ipsius intentum erat ad ipsum, & blasphemantes prophanos reputabat, & qui indigni essent allocutione ipsius. Et ideo non eis sed Christo dixit: audientibus tamen illis vt confunderentur. *Psal.* 34. Induantur confusione & reuerentia, qui maligna loquuntur super me. *Mich.* 7. Aspicier inimica mea, & operietur confusione, quæ dixit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus?

Beatus venter qui te portauit.

Hic huius mulieris laus, quam de Christo dixit, describitur. Dicuntur autem hic duo: laus enim præmittitur originis Christi secundum carnem, & per Christum respondetur laus originis eiusdem secundum spiritum in audientibus & custodientibus verbum ipsius, qui sunt matres Christi spirituales. Et primum horum est figura secundi. Secundum autem est causa primi: quia Christum beata Virgo corporaliter non genuisset, nisi prius verbum aure cordis concepisset & custodiuisset quasi gestans ipsum in cordis vtero. In primo autem horum duo notantur, scilicet, laus ventris portantis, in quo Christus carnem induit: & laus vberum quæ suxit, quorum lac Christum ad incrementum aluit & perduxit. In priori horum

adhuc sunt duo : laus ventris , & causa , scilicet, quia portauit. A fructu enim est laus arboris fructificantis. Laus autem ventris adhuc duo continet : laudem beatitudinis,& maretiam laudis quæ est venter. Laus ipsa,sicut diximus, laus est beatitudinis , quæ maior est omni laude. Felix námque es sacra Virgo Maria , & omni laude dignissima. Dicit enim *Philosophus*,quod felicitas,& beatitudo aliquid melius est omni bono, & laude laudabilior:quia qui laudatur,secundum aliquem virtutis habitum laudatur : beatitudo autem actum dicit perfectissimæ & in nullo deficientis virtutis: sicut alibi diximus. Consideremus ergo quæ beatitudo sit ventris , quæ hic prædicatur. Constat autem quod actus primus fœminei ventris fœcunditas est. Qui actus,secundum naturam primo institutam,concupiscẽtiæ & corruptionis non est: quia concupiscentia & corruptio per peccatum intrauerunt. In miseria ergo est venter in concupiscentia & corruptione concipiens. *Psalm.* 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea In naturæ autem statu est venter ex virili semine concipiens. *Genes.* 2. Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adiutorium simile sibi. Quod dicit,Non est bonum , hoc est , non est secundum naturam vtile. Quod autem dicit , faciamus ei adiutorium , hoc est, adiutorium ad generationem : quia generatio secundum naturam est ex commistione feminum. Sed beatitudo ventris in virtute diuina,est in ventris actu perfectissimo : vt nihil miseriæ patiens, naturalem etiam fœcunditatem transcendens , ex Deo accipiat fœcunditatem.Vt & florem vernantem habeat virginitatem,& fœcunditatem diuinę fœcunditati similem habeat in gaudio matris. Et sic nec primam similem visa sit,nec habere sequẽtem. Iste est enim ventris proprius & perfectissimus actus , beatitudinem colligens ex septem : quorum primum est fœcunditatem afferens : secundum autem fœcunditatis miseriam abstergẽs: tertium flores pulchritudinis conseruans : quartum mirabilem fœcunditatem exornans:quintum puritas fœcunditatis munditiam nutriens:sextum virtutem fœcunditatis augmentans:septimum & vltimum gloriosissimum exemplum æternam fœcunditatem ostendens , & omnem diuinam fœcunditatem & in futurum præsignans. Quorum primum quidem est magnum, magnifica perficiens : secundum autem gratia plenum , maledictum omne abstergens : tertium omni flore virtutis fœcunditatem istam pulchrificans:quartum vero omni miraculo fidei obsequens:quintum autem per omnem genitricis munditiam totum natum alens : sextum,ne aliquid desit matri per virginitatem , & ne aliquid desit virgini per maternitatem , diuina quadam potestatis plenitudine perficiens : septimum in doctrinam & exemplum nobis traditum , ad veritatis contemplationem & exemplum imitationis est propositum.

Primum autem quod est fœcunditatem istam afferens, & per consequens actum proprium ventris beatificans , est : Quia venter ille fuit fabrica, triclinium virtutis summæ , quæ attribuitur Patri , quæ in ipsa Virgine se obumbrauit : & sapientiæ, quæ attribuitur Filio, quæ in ipso ventre tantum opus & tam mirificum perficere studuit:& bonitatis altissimæ , quæ Spiritui sancto datur, quæ tot bona in hoc opus congessit. Sic enim dicitur *Luc.* 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi, hoc est, sui quandam in te producet imaginem ex se resultantem : per quam poteris in tantam fœcunditatẽ diuinæ & cælesti generationi similem, vt incorrupta producas prolem , sicut Pater Filium, & sicut sidus radium, & sicut gemma splendorem , & sicut virga florem. *Isa.* 11. Flos de radice eius ascendet. *Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas:sic amica mea inter filias. Lilium virtute cælesti crescens, fœcunditas est Virginis in candore castitatis : quod sola virtus Altissimi perficere potuit. Et ideo Christus fabri dicitur esse filius. Quod licet linguis blasphemantium dicatur : tamen (sicut per Caipham) Spiritu sancto dictum est alio intellectu , quia summi fabri est filius. De quo *Psal.* 73. dicit : Tu fabricatus es auroram & solem Hoc ergo est magnum virtute. In hoc etiam ventre Sapientia ædificauit sibi domum, & totum studium suæ artis adhibuit, vnde columnas septem excidit. *Prouerb.* 9. Quæ septem columnæ fulcientes eam : fuerunt fides ab Angelo dictorum , spes promissorum , charitas exhibitorum, fortitudo in aduersis deterrentibus, castitas in carnis illecebris, iustitia in operibus,& prudẽtia in eligibilibus. Hic etiã in eodẽ Spiritus sanctus. omnem suæ bonitatis expleuit sanctitatem. Vnde *Luc.* 1. dicitur : Spiritus sanctus superueniet in te. In hoc etiam quod dicitur superueniet , ostenditur quod omni sanctitate superueniente repleuit eam : vt virtus magna , sapientia mira , & Spiritus sancti bonitas perficiat optima. Et hoc in arca Dei, sicut dicitur *Genes.* 6. tristega fiant, siue tricamerata. Sic ergo magnitudine diuinorum sacramentorum venter iste beatus est.

Secundo etiam beatus est gratia miseriam aliarum fœcundatarum mulierum abstergente Et vt de aliis taceamus, tres habent miserias in fœcunditate cæteræ mulieres, quæ à Patribus sunt notatæ. Concipiunt enim in concupiscẽtia,portant in grauitate , & pariunt in dolore. Primum est miseria libidinis, vnde nascitur peccatum in concepto: secundum miseria infirmitatis, ex qua nascitur miseria corruptionis : tertium miseria sensibilis doloris , quam sequitur in partu vagitus præsentis calamitatis. Propter quæ tria, quæ ex tribus innascuntur, dicit *Psalm.* 55. Cor meum conturbatum est in me,propter dolorem incolatus præsentis:dereliquit me virtus mea , propter pondus infirmitatis : & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum , propter caliginem originalis. Propter libidinem autem conceptus, dicitur *Iob.* 40. Virtus Leuiathan in lumbis eius , & fortitudo eius in vmbilico ventris illius. Quia viris libido est in lumbis : fœminis vero in vmbilico. Propter secundum, dicitur *Tob.* 4. Memor esse debes, quæ & quanta sit passa propter te in vtero suo. Propter tertium, dicitur *Ioan.* 16. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius. Contra hæc tria, illa quæ inuenit gratiam coram Deo , & gratia fuit plena , sincero concipiens vtero Verbum incarnatum : nihil libidinis est experta, quæ Spiritu sancto concepit verbum, quod spiritus est & veritas : nihil grauitatis in portatione, quæ gestabat omnia gestantem Dei virtutem : nihil doloris in partu , quæ peperit exeuntem intacto pudoris signaculo. Propter primum dicitur *Cant.* 7. Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam indigens

indigens poculis. Crater, inquam, Dei Sapientiam concipiens: tornatilis, in omnem sancti Spiritus operationem volubilis: nunquam & nusquam per libidinem impeditus: nunquam poculis indigens ad fœcunditatem. Poculis, inquam, humani seminis, aut alicuius libidinosi amoris. Propter secundum dicitur de Verbo concepto *Hebr.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. Et de matre *Cant.* 7. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Aceruus enim tritici cõceptus ex granis purissimi sanguinis collectus erat: vallatus liliis diuinorũ florũ & castitatis: vt vndique sustentatus, nihil sentiret grauitatis in onere. De tertio dicitur *Isa. vltim.* Antequam parturiret peperit: antequam partus tempus veniret peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Peperit enim ante omnem sensum doloris in parturitione: & ante tempus doloris edidit masculum, quæ nulla libidine maculata fuit in conceptione. Ecce qualiter gratia plena, abstersa est impediens beatitudinem miseria.

Tertium autem est floribus quibusdam beatitudinem depingens. Et sunt in ea diuini flores: fidei quidem in intellectu, humilitatis in sensu, feruentissimæ charitatis in affectu, deuotionis in cordis desiderio, virginalis candoris illibati in corpore, sapientissimæ discretionis in ratione, fortitudinis in hostis tentatione, iustitiæ in omni opere, & sedulitatis in omnis obsequij exhibitione: præter omnem aliam virtutem, qua vestita est regina cælorum secundum *Psalm.* dicentem: Astitit regina in vestitu deaurato, circumamicta varietate. De fide quidem eius dicitur *Luc.* 1. Beata quæ credidit, quoniam perficientur quæ dicta sunt ei à Domino. De humilitate autem *Luc.* 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ. De charitatis feruore *Cant.* 5. Nuntiate dilecto quia amore langueo. De deuotionis suæ incendio dicitur *Cant.* 8. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. His enim lampadibus concaluit cor eius intra eam: & in meditatione eius exardescebat ignis deuotionis. De sapientissima discretione eius procedebant sapientiæ responsa ad Angelum, & cogitationes qualis esset illa salutatio. *Prouerb. vltim.* Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. De fortitudine eius contra insultus hostis, dicitur *Genes.* 3. Ipsa conteret caput tuum. *Prouerb. vltim.* Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. De iustitia eius in omni opere *Isa.* 11. Egredietur virga de radice Iesse: quæ rectitudine sua iustitiam vniuersalem præfigurauit in Virgine. Hæc est virga Aaron *Num.* 17. quæ floruit virtute iustitiæ, frondnit iustitiæ sermone, fructificauit in omni virtutis opere. Vt vere dicatur de ipsa: Iusta florebit vt palma in domo Domini: & florebit in æternum ante Dominum. De sedulitate obsequij eius dicitur *Luc.* 1. In diebus illis exurgens Maria abiit in montana, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, & iuuencula obsecuta est vetulæ, manens apud eam vsque post partum. Porro de castitatis eius candore in corpore præsignatum est 3. *Reg.* 10. vbi thronum sibi fecit Rex Salomon de ebore grandem. Ebur enim significat candorem castitatis: in quo verus noster resedit pacificus, nullis libidinum stimulis inquietatus. *Tob.* 3. Nunquam cum ludentibus me miscui: & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Propter hæc & his similia dicitur *Cant.* 1. Lectulus noster floridus, hoc est, thalamus vteri, in quo quieuit Dei Filius.

Quartum est in hac beatitudine, quod omni miraculo in ea fidei est obsequens. Et vt alia taceantur, tria sunt quæ omnibus miris sunt mirabiliora. Parit virgo, creatur æternus, & ima summis per vnionem indissolubilem sociantur. De primo miramur matrem: de secundo obstupescimus ad natum: de tertio agoniam patimur ad modum nascentis. Primum est quod *Isa.* 7. omnibus piis pro signo prædixit. Ecce Virgo concipiet & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel. *Ierem.* 31. Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum. Fœmina, inquam, non mulier viro subacta, quia hoc nouum non esset. *Ezech.* 44. Porta hæc clausa est & non aperietur: quia Dominus Deus Israël ingressus est per eam. De secundo dicitur *Baruch* 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Isa.* 10. Verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram. Verbum dico æternum, per quod facta sunt omnia, abbreuiatum in creatione carnis, & temporalis natiuitatis. Et hæc consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, qua omnis homo iustificatur. De tertio dicitur *Ioan.* 1. quod non est dignus soluere corrigiam calceamenti, quo venit ad nos calceata diuinitas. In qua corrigia colligantur vltima primis, quia humana diuinis, noua antiquis, quia anima corpori: temporalia æternis, quia creatura Creatori. *Ierem.* 13. Agglutinaui mihi domũ Israël. In matre diuinũ cernimus miraculum: in nato ad nos contractum immensum Deum: in modo charitatis indissolubile vinculum. Funiculus enim triplex difficile rumpitur, in quo nouum antiquo, & nouum æterno, & antiquum æterno colligatum est. Anima enim corpori, & anima Deo, & corpus Deo sociatum est triplici vnionis funiculo. Verè igitur beatus venter, in quo hæc perfecta sunt. Sic enim completa sunt omnia quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria.

Eccli. 24. Ante secula creata sum. Eccli. 17. Ad imaginem creauit illum.

Quintum huius beatitudinis est puritas mirabilis & singularis, fœcunditatem virgineam nutriens. Et hoc est in sanguine, vnde natus concipitur, formatur, & alitur. Sanguis enim in quo fit conceptio, à Spiritu sancto purificatur. Sanguis in quo figura membrorum Filij Dei figuratur à sapientia Dei, ipsi puritati filij assimilatur. Sanguis autem (vnde formatus intra vterum alitur) ab ipsa anima deitati vnita Filio Dei incorporatur. Et sic omnia necessario primæ puritati assimilantur. Non enim Spiritus Filium, à quo ipse procedit, sanguini per conceptum imprimeret; nisi ad puritatem diuinam purificaret. Nec verbum sapientia Dei & virtus membra sua formaret; nisi in æquè puro ei in quo conceptum erat. Nec sibi incorporaret aliquid, nisi ad eundem munditiæ modum purificatum esset. Hoc autem significatum est *Exod.* 25. vbi & arca testamenti, & vrna continens manna fieri præcipiuntur ex auro purissimo. Ideo etiam dicitur agnus sine macula *Exod.* 12. Arca enim vterus est Virginis: vrna autem corporis Saluatoris: mãna vero dulcedo diuinitatis. Et hæc est puritas in qua concipitur, organizatur, & alitur filius Dei in beatissimo ventre. Et ideo flores eius sunt fructus honoris & honestatis.

Sextum huius beatitudinis est priuilegium, huius fœcunditatis dignitatem adaugens. Sunt autem quatuor huius fœcunditatis priuilegia. Primum in natura, secundum inter fœminarum gaudia, tertium inter hominum consortia, quartum vltra Angelorum agmina. Nam natura in ipsa supra morem testatur, præ mulieribus benedictionem omnium fœminarum acquisiuit, supra homines gratiam inuenit, vltra vertices angelicos gloria & honore coronata refulsit. De primo dicitur *Cantic.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Nulla enim natura floruit nisi concupiscentiæ spinis compuncta: sed sola Virginis natura floruit castitatis flore, spinarum concupiscentiæ & peccati nescia. Sic enim vinea nostra floruit. *Cantic.* 2. quod vulpes paruulæ, hoc est, peccati motus, captæ per restrænationem, nihil penitus in ea demolitæ sunt. Inter mulieres etiam florem habens virginei pudoris, gaudium adepta est matris: optimam partem eligens, quæ non auferetur ab ea. Vnde *Cantic.* 4 dicitur. Hortus conclusus: fons signatus. Ortus enim est in quo oritur: & sic est mater. Conclusus autem qui non foditur neque seminatur: & sic est Virgo. Fons etiam à fundendo dictus est, in quantum est mater filium profundens. Signatus autem est fons, qui à nullo haustus est: & sic est Virgo intacta & illibata. Præ hominibus autem omnibus accepit gratiam, quæ omnibus inuenit reparationis viam. Per ipsam enim accessum habemus ad Filium, per Filium autem ad Patrem. Vnde sicut Rebecca Iacob filium introduxit ad Patrem *Genes.* 27. Sic ista quæ multum accepit, Filio Iacob nostro luctatori pelliculas hœdorum, hoc est, similitudinem carnis peccati circumponens, nos ad Patris reduxit benedictionem. In hoc priuilegiata, quod nobis hanc viam hæreditandæ benedictionis inuenit per Filium. Hæc etiam præ Angelis coronata refulsit in patria. *Psalm.* 8. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos Deus. Hæc igitur huius beatæ sunt priuilegia. Super huius dignitatem castitatis exclamat *Sapient.* 4. O quam pulchra es casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quia & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur eam: & desiderant, cum se reduxerit: & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

Septimum huius beatitudinis: quia est exemplum generationis æternæ, & figura generationis spiritualis futuræ. Æternæ quidem est quoddam signum & doctrina: futuræ autem speculum & disciplina. In æterna enim vnicus nascitur de vnico Patre cum omni integritate substantiæ in similitudinem Patris & imaginem. In ista autem vnicus ex vnica matre cum substantiæ integritate, in similitudinem & imaginem matris. Et sicut dicit *Gregor.* Per incarnati Verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit: vt dum visibiliter Deum agnoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. Sic enim, vt dicitur *Sapient.* 7 Candor quidem est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Sic etiam figura generationis spiritualis, in qua castis visceribus concipit Ecclesia: & castis affectibus format & alit Verbum Christum in nouo partu. *Galat.* 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Sic *Apoc.* 12. Sole amicta, coronata stellis, luna sub pedibus eius prona: in cælo parturit & parit continuò filium vnicum, quem in omnibus format ad thronum Dei rapiendum. Sic ergo beatus venter est, qui te Christe portauit. Et hæ præter innumerabiles sunt partes beatitudinis ipsius.

Est autem beatus [venter] qui huius beatitudinis est materia. Venter (inquam) locus, quo Verbum concipitur: pagina, in qua secundum carnis susceptionem inscribitur: mensura, cui Verbum breuiandum commensuratur: forma, ad quam summi Patris imago figuratur: vrna, in quam manna cæleste colligitur: theca, in quam thesaurus desiderabilis reconditur: thalamus, in quo Dei & hominis connubium dignissimè celebratur: aula regia, in qua Regi summo discubitus præparatur: vestibulum, in quo cæli Dominus nostris induuiis induitur: hortus conclusus, ex quo aromata diuinum spirantia odorem exoriuntur: terra, quæ ad germinandum Saluatorem aperitur: locus, quo purpura summi Regis principis tota contingitur & rubricatur.

Et de loco quidem conceptionis dicitur *Luc.* 1. Ecce concipies in vtero & paries filium. Concipies, inquam, in te simul claudes Verbum diuinum, tam sanctum diuinum conceptum operans: & sanguinem tuum à te manu Spiritus sancti separatum, in conceptum formandum. Vt verè conceptus sit duorum captus: vnius formantis, & alterius ab illo ad se formati. Sic enim operata est salutem nostram in medio terræ, hoc est, vteri virginalis summa Sapientia. *Cantic.* 7. Iunctura feminum tuorum sicut monilia. Monilia inquam à muniendo dicuntur: eo quod munita sint illa femina, quæ locus conceptus sunt Filij Dei, & perpetuæ addicta virginitati. Iste enim est rubus igne Dei plenus, & per libidinem incombustus *Exod.* 3. Propter quod omnis fidelis dicit cum Moyse: Vadam & videbo hanc visionem magnam; quomodo rubus ardeat, & non comburatur. Vadam, inquam, passibus deuotionis appropinquando. Videbo fidei & admirationis oculis, magnam ingenti dignitate visionem istam: quare rubus virens virginitatis virore ardeat, diuino plenus in loco conceptionis igne: & non comburatur aliqua castitatis consumptione. *Genes.* 28. Verè Dominus est in loco isto: & ego nesciebam. *Exod.* 3. Solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Calceamento enim pecorinæ pellis soluto de pedibus intellectus & affectus, nudo spiritu potest accedere vir spiritualis. Quia sicut dicitur 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Sed spiritualis homo iudicat omnia. Et sic accedit ad locum in quo stat homo qui per peccatum cecidetat: in quo terra sancta est, quæ stat in æternum. *Eccle.* 1. Generatio præterit, & generatio aduenit. Terra autem in æternum stat. Hæc (inquam) terra quæ fundat generationem prætereuntium motientium: & mundat generationem aduenientium nascentium. Locus enim iste, vt dicit *Translatio LXX. Genes.* 28. A Deo factus est inæstimabile sacramentum, irreprehensibilis est. *Psalm.* 67. Deus in loco sancto suo. Locus enim, vt dicit *Philosophus*, generationis est principium, quemadmodum & pater. Et ideo vterus, locus dicitur conceptionis Verbi diuini. Verbo enim concepit Verbum Virgo,

go, virile ignorans consortium. *Isai.*55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Isa.*9. Verbum misit Dominus in Iacob. Per Angelum quidem ad aurem: ad cor autem per Verbi diuinam intentionem: & in vterum per carnis susceptionem. Sed heu cecidit in Israël per Iudæorum excæcationem. Sic ergo venter beatus, locus est conceptionis Verbi Dei.

Pagina est etiam in qua verbum Dei scribitur secundum carnis susceptionem. Sic enim verbum bonum quod cor summi Patris eructauit, calamo linguæ scribæ qui Spiritus sanctus est, paginæ nostræ susceptionis est inscriptum. *Isa.*8. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis. Verbum summi Patris est ad Spiritum sanctum. Liber autem dicitur pagina, candore castitatis dealbata, disciplina honestatis rasa, æqualitate & conuenientia morum adæquata, omni virtute præparata. Grandis autem dicitur à sacramentorum captu & continentia. Talem ergo paginam sume per fidei consensum: & scribe, hoc est, inscribe in eo stilo hominis, hoc est, natiuam hominis per incarnationem. *Ioan.*1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Isti sunt articuli scribentis in pariete ad dissipationem regni Babylonis, hoc est, diaboli: quod est regnum confusionis. *Daniel.*5. Paries enim est vterus Virginis, in quo scribitur: Mane, techel, phares, hoc est, numeratum, appensum, diuisum: numeratum numero plenitudinis temporum: appensum pondere Christi meritorum: diuisum potestate redemptionis, in solutione pretij facta pro nobis: quia sic diuisum est à diabolo regnum istud. Sic ergo vterus est pagina, cui verbum istud inscribitur.

Est etiam mensura, cui Verbum breuiandum commensuratur. Cum enim sicut dicitur *Isa.*10. Verbum abbreuiatum Dominus facturus esset supra terram, prius inuenit vterum Virginis, ad cuius breuitatem Verbum breuiaret. Breuitas autem ista non tam molis est attendenda breuitate, quam sensu humilitatis, qua parua in oculis suis fuit Virgo beata. Vnde *Cantic.*8. Soror nostra paruula est, & vbera non habet, hoc est, se habere non reputat vbera doctrinæ & exhortationis, quibus fundat lac scientiæ per doctrinam, & lac consolationis per exhortationem: quibus Christum alat formatum in cordibus fidelium. Et ideo paruulam se reputat ad concipiendum. Sed ad hanc paruitatem commensuratur humilitate Verbum: de quo dicitur *Isa.*9. Paruulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis. 1.*Reg.*15. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. Sic enim breuiatum verbum dicit de se *Matth.*11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Sic etiam iam prædicans & salutem hominum procurans, intrauit ad eum qui decurtata fastus altitudine statura pusillus erat *Luc.*19. Sic dicitur *Eccl.*11. Breuis in volatilibus est apis: & initium dulcoris habet fructus eius. Apis enim nostra beata Virgo in omnibus volatilibus cæli limpidæ contemplationis oculo cælum peruolantibus, breuissima fuit mensura suæ humilitatis. Et ideo principium & causam omnis dulcedinis Christum sine commistione viri fructificauit. Ad hanc enim mensuram se contraxit Verbi immensitas. Et hoc significauit Virgo quando dixit *Luc.*1. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Sic ergo mensura fuit Verbi breuiandi.

Fuit etiam forma, ad quam æterni Patris imago formatur. Est enim Filius imago Dei inuisibilis. Vnde *Sapient.*7. dicitur: quod est speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Hæc igitur imago figuranda in formam hominis, formaculum accepit vterum Virginis. Sicut sigillum mundissimum in cera imprimitur mundissima. *Eccli.*17. Ad imaginem creauit illum, & secundum se vestiuit illum virtute. Quod licet de omnibus dicatur hominibus: tamen maximè intelligitur de Saluatore. Figura autem & forma in qua hæc imago formata est, vterus Virginis est. Et sic factus est speciosus forma præ filiis hominum. *Cantic.*1. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus. Lectulus noster floridus. Pulchritudine enim florum lectuli vteri virginis figuratus est natus pulcher & decorus secundum hominem: sed retinet pulchritudinem Patris secundum Deum. Sic enim imago Patris facta est ad imaginem matris, & figura substantiæ Patris *Hebr.*1. configurata est imagini matris. Et nos quidem (sicut dicit *Apostolus*) prius portauimus imaginem terreni, & deinde imaginem cælestis. Christus autem Redemptor noster ab æterno habuit imaginem cælestis: & posteriùs accepit imaginem terreni in vtero Virginis, parentibus terrenis configuratus, vt sic educeret à terrena imagine ad cælestem ipsius configurationem. Et hoc est quod dicitur *Rom.*8. Quos præsciuit conformes fieri imaginis filij eius: hos & vocauit. Sic ipse Dei Filius quasi vnus ex nobis factus est. *Philip.*2. Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus est vt homo. Sic *Sapient.*7. dicitur. In ventre matris figuratus sum caro. In forma vteri formam accipiens humanæ figurationis.

Hæc est vrna, in quam manna cæleste colligitur. Vrna, inquam, aurea splendore gratiæ, capax cælestis panis: in quam grana sanguinis, & sata puræ similaginis sunt collecta, ad diuini Sacramenti confectionem. Sic enim præcipitur in vrna seruari manna *Exod.*16. Sic *Hebr.*9. dicitur, quod in arca est vrna aurea habens manna, hoc est, in corpore Virginis est vterus continens dulcedinem cælestis panis: vt exinde promptè proferatur esurientibus. *Psalm.*143. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc illud. *Prouerb.*3. Implebuntur horrea tua saturitate: & vino torcularia tua redundabunt. Hæc enim sunt nostræ sufficientiæ horrea, omnem nostrum supplentia defectum. Torcularia vinum refundentia diuinæ iucunditatis. Diuersis enim proprietatibus vterus Virginis & vrna est, horreum, & torcular, omnibus ministrans esculentum & poculentum diuinum.

Hæc est theca thesauri pretiosissimi, qui absconditus est in Filio Dei. *Coloss.*2. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Super quo admiratur *Baruch* 3. Et dicit: Quis inuenit locum eius? & quis introiuit in thesauros illius? *Prouerb.*21. Thesaurus desiderabilis requiescit in corde sapientis. Hic autem non in corde tantum requieuit: sed etiam in theca vteri virginalis. Et ideo *Prouerb. vltim.* Multæ filiæ congregauerunt

gregauerunt diuitias: tu sola supergressa es vniuersas. *Isa.*45. Dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum: vt scias quia ego Dominus. Si enim secundum dictum Domini. *Matth.*12. & *Luc.*6. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: potest aduerti quantum thesaurum bonum in se habuerit, quæ tantum bonum protulit toti mundo. Si enim regnum cælorum simile est homini patrifamilias *Matth.*13. qui profert de thesauro suo noua & vetera: quare non esset simile multo magis matrifamilias, quæ de thesauro suo protulit tam noua quam vetera: & æterna & humana & diuina: pretium vniuersitatis & Angelis & hominibus thesaurum tam pretiosum.

Hic vterus est thalamus, in quo connubium diuinæ & humanæ naturæ dignissime celebratur: de quo cantat virgo Ecclesia *Cantic.*8. Dilecte mi apprehendam te: & ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Apprehensus est filius per vnionem carnis introductus in domum matris per introitum conceptus virginalis. Quia virgo figura est matris Ecclesiæ, in qua concipimur. In cubile autem genitricis introductus est, quæ nos vt genitrix gratiæ & misericordiæ genuit: quando etiam nostram pœnalitatem in vtero Virginis sibi coniungere est dignatus. Hoc cubiculum est thalamus, in quem Isaac Rebeccam introduxit. Et in tantum dilexit eam: vt dolorem qui ex morte matris acciderat temperaret *Genes.*24. Isaac enim noster, filius Dei est. Rebecca de Gentibus nata, natura est nostra. Thalamus vterus virginalis.

Hic est lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi *Cantic.*3. Decem videlicet illuminationes, decem speciales virtutes, decem præcepta, decem priuilegia, decem gratiæ singulares, & decem fulgores gloriam cælestem exprimentes. Decem quidem illuminationes sunt illuminatio ex creaturis accepta: illuminatio per lectionem Scripturæ collecta: illuminatio studio rationis inuenta: illuminatio contemplationis oculo percepta: illuminatio familiaribus apparitionibus Angelorum cordi virginis inuecta: illuminatio crebris Dei reuelationibus clara: illuminatio per haustum diuinæ dulcedinis, & gustum & experimentum certissimum infusa: quando gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius *Prouerb. vlt. Psalm.*33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Illuminatio per salutationem & doctrinam Gabrielis infusa: illuminatio specialiter super aduentu Spiritus sancti & virtutis Altissimi super splendide donata: & tandem illuminatio per inhabitationem totius diuinitatis in eam corporaliter superimpleta, vt vere amicta sit sole & luna sub pedibus eius, & iuxta nomen suum illuminatrix appelletur.

Decem autem virtutes sunt fides, spes, charitas: & quatuor quæ cardinales vocantur: prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia: & his adiunctæ speciales: humilitas, & pudicitia virginalis: & ea quam habuit sapientiam in diuinis, vt merito dicatur de ea illud *Ruth.*3. Scit omnis populus mulierem te esse virtutis

Decem autem præcepta sunt, quod sibi non est nisi vnus Deus cui intendit: nec nomen in vanum habuit, quod semper inuocauit: & quod quietem sabbati cordis nunquam interrupit, sed continuo festo Deo celebrauit, sanctificauit: quod parenti suo omnino semper honorem exhibuit: quod nullum verbo vel exemplo occidit, quæ omnes viuificauit: quod super verum animæ sponsum adulterinam dilectionem non admisit: quod nulli nocuit aliquid quæ larga misericordiæ manu sua omnibus indigentibus porrexit; quæ veritate sic linguam dicauit, quod omnibus dolis relegatis, diffusam gratiam in labiis protulit: quod nullius bona concupiuit, quæ charitate perfecta quod suum erat non quæsiuit. Iuxta *Apostolum.* 1. *Corinth.*10. Non quærens quod sibi vtile erat: sed quod multis vt salui fierent. *Philip.*3. Quæ sibi erant lucra: hæc arbitrata est vt stercora, vt Christum lucrificeret. Quod luxum carnis non concupiuit: quæ secundum *Tob.*3. nunquam cum ludentibus se miscuit: & mundam se seruauit ab omni concupiscentia.

Decem autem priuilegia Virginis sunt virginitatis fœcunditas: Matris illibata virginitas: conceptus sine concupiscentia: grauidatio sine grauitate: parturitio sine dolore: nascentis noui æternitas: generationis ad diuinam æternitatem assimilata proprietas. Eiusdem Filij cum Deo Patre communitas: qui sicut ex Deo Patre secundum deitatem, sic ex ipsa procedit secundum humanitatem. Inter mulieres hæreditata benedictio, & vitæ suæ sine macula sanctitas. Hæc enim sola habuit: ita quod neque in terris nec in cælo primam similem visa est, nec habere sequentem. Decem autem gratiæ singulares quibus Deo & homini & Angelo grata facta est: sunt gratia pudoris, gratia puritatis, gratia solitudinis qua mundi fugit consortia, gratia orationis, gratia quietis cordis. Et his quidem Deo & Angelo grata fuit. Homini autem gratia misericordiæ qua miseris compatitur: gratia benignitatis, qua miser ab ea benigne suscipitur: gratia auxiliationis, qua misero in necessitate subuenitur: gratia consolationis, qua desolatos consolatur: gratia reconciliationis, qua miseri & desperati sæpe per eam Filio reconciliantur.

Decem autem fulgores gloriæ sunt, quibus super omnem gloriam cæli præfulget: fulgor quidem decoris, fulgor virtutis siue potestatis, & fulgor operationis. Fulgor quidem decoris in quatuor: fulget enim diuino sole amicta super omnium Angelorum claritatem: fulget ardore affectus cum Seraphin ardens in Deum lata: Fulget lumine intellectus super Cherubin ex veritate illustrata: Fulget super thronos cordis quiete, diuino aduentu, sibi insidente Deo repleta. Potestatis autem fulgor & gloria est in tribus: in hoc videlicet quod dominatus eius super cælestes dominationes altis intendens, nonquam scabellatibus & conculcandis inferioribus per desiderium appropinquat: virtus eius super cælestes Virtutes, nullius legibus coarctata superat omnia: potestas eius super cæli Potestates, non tyrannide premens, sed rationibus æquissimis legum omne iniquum premit & superat. Operatio etiam fulget super Principes quidem: quia non nisi iusta & æqua & honesta facienda deliberat & decernit. Super Archangelos autem: quia omnia per consilium diuinum perficit. Super Angelos vero: quia omnia operanda in Deum rediens, Dei gloriam semper intendit. Vt vere *Cantic.*6. diceretur, quia

procedit ſicut aurora conſurgens in opere: pulchra vt luna in virtutis ſuæ poteſtate: electa vt ſol in ſuæ claritatis decore.

Hæc eſt aula regia, in qua Regi ſummo diſcubitus præparatur. Aula, inquam, in qua Princeps totius Iſraël ſedit cum principibus populi ſui, & Regem ſe exhibuit. *Ezech.*44. Princeps ſedebit in ea, vt comedat panem coram Domino: refectione gratiæ, qua gratificauit hominem ſaturatus. *Ioan.*4. Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei: vt perficiam opus ipſius. Iſte eſt Ioſeph ſedens in hac aula & comedens cum fratribus ſuis. *Gen.*45. Auditum eſt & celebri ſermone vulgatum in aula regis, venerunt fratres Ioſeph. Fratres enim veri Ioſeph hic primo per naturæ coniunctionem ad Ioſeph Dei Filium venerunt. Hæc eſt aula in qua 4. *Reg.*7. Nuntiatum eſt illud bonum nuntium, quod inimicus populi Dei, oppreſſor antiquus potentia Dei fugatus ſit: & liberatus Dei populus ab obſidione ipſius.

Hoc eſt veſtibulum in quo cæli Dominus noſtris induitur induuiis. *Ezech.*44. Per viam veſtibuli portæ ingredietur, & per eandem egredietur. Quia noſtris indutus ingreditur, & in eis ad nos egreditur ex vtero virginali. Hoc eſt veſtibolum quod *Ezech.*40. iuxta portam templi præcipitur præparari. Beata enim Virgo porta templi eccleſiaſtici eſt ſpecioſa, iuxta quam veſtibulum eſt vteri, in quo ſummus Rex & Sacerdos ſacris eſt indutus: in quibus pro nobis immolatus ad Deum accedat. Hoc eſt veſtibulum, inter quod & altare plorant Sacerdotes & Leuitæ *Ioel.*2. ad clementiam Dominum inclinantes. Quia inter inſignia pietatis vteri virginalis, & crucis (in qua Dominus immolatus fuit) ſupplicantes: gratiam inueniunt diuinæ miſerationis.

Hic vterus eſt ortus concluſus, ex quo aromata diuinum ſpirantia odorem exoriuntur. *Cant.*4. Emiſſiones tuæ paradiſus. Quem enim odorem paradiſi hic paradiſus non emittit? Vas enim odorem contentum ſpirat. Hæc autem & habitaculum eſt virtutis Altiſſimi, in qua ſe expreſſit vmbra ipſius, & operatorium Spiritus ſancti. Vas continens corporaliter plenitudinem deitatis in Filio Dei. Miraculum Angelorum. Hortus omnium aromatum virtutis. Vt merito dicatur *Cantic.*4. Hortus concluſus. Et *Cant.*8. Qui habitant in Hortis amici auſcultant te. Sic enim vidimus eam plenam charitate & dilectione in cubilibus & in hortis aromatum: vt merito dicatur paradiſus diuinarum deliciarum. Hic eſt hortus quem plantauit Dominus in Eden, hoc eſt, in deliciis *Geneſ.*2. Hic eſt hortus arboribus virtutum conſitus, in quem ingreſſus eſt Rex Aſſuerus, hoc eſt, beatus *Eſther* 7.

Hæc eſt terra quæ ad germinandum Saluatorem Spiritu ſancto irroratur. *Iſa.*45. Rorate cæli deſuper & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra & germinet Saluatorem. *Pſalm.*84. Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum. Fructum, inquam, quo Angeli & homines perfruuntur. Hæc eſt terra in qua agricola Spiritus ſanctus expectat fructum pretioſum: patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. *Iacob.*5. Temporaneum in conceptu, ſerotinum in crucis redemptione. *Pſalm.*23. Domini eſt terra & plenitudo eius. Terra, inquam, cui benedixit Dominus. Terra quæ iuxta *Apoſtolum ad Hebr.*6. accepit benedictionem à Domino.

Hic vterus eſt coccus, quo purpura ſummi Regis tota contingitur, in tantum quod etiam Angeli rubricatam iſtam purpuram mirantur *Iſa.*63. dicentes: Quare rubrum eſt indumentum tuum? & veſtimentum tuum ſicut calcantium in torculari? Hæc eſt purpura tincta in canalibus venarum mundiſſimi ſanguinis beatæ Virginis: quæ coccus eſt mundiſſimus, in ſe gerens ruborem purificatum Spiritu ſancto, & concipiens margaritam pretioſam Filium Dei. Vnde *Exod.*25. præcipitur in veſtibus ſummi Pontificis color eſſe de cocco bis tincto. Quia ſicut in ſerico vel lana vnus color fundatur in alio: ita eſt in diuinis purpureus color ſanguinis: primum fundatur in perfecta munditia carnis, & conſequenter in Sancti ſpiritus purificatione. *Cantic.*7. Comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus. Coma eſt Apoſtolicus cœtus & totius Eccleſiæ rubricatus ſanguine Chriſti: dependens à capite rubricato, quod eſt Chriſtus. Et iden clamat ſponſa in *Cantic.*5. Dilectus meus candidus & rubicundus: electus ex millibus. Eſt enim vt dicitur *Sapient.*7. æternæ candor lucis. Rubricatus purpureo ſanguine Virginis, quo verbum æternum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Sic ergo eſt beatus venter.

Qui te] Chriſte [portauit] Portauit autem Virgo mater infantem. Portauit & Simeon ſenex, quando eum ſuſcepit in vlnas Portauit & crux morientem. Et (ſicut dicunt aliqui) portauit & diabolus ſupra pinnaculum templi. Portauit & Ioſeph ab Arimathia de cruce in ſepulchrum. Portauerunt multi vtriuſque ſexus paruulum IESVM, qui nutricum & gerulatum fungebantur officio. Sed Virgo mater portauit conceptum, de ſuo ſanguine formatum & vegetandum, nutriendum & augendum in vtero. Simeon iuſtus & ſenex præſentandum & offerendum in templo & ſiſtendum Domino. Crux cruciandum & ſacrificandum pro populo. Diabolus & membra eius tentandum pro virtutis exercitio. Ioſeph ab Arimathia pro ſepulturæ officio. Alij autem vice nutricum & gerulatum ad obſequendum infirmo paruulo. In omnibus autem his portationum diuerſitatibus ſola Virgo portatum ſuo infudit ſanguine: & ſola crux infuſa eſt ſanguine Cruciſixi, ſicut dicit *Ambroſ.*

Quam ſacer cruor perunxit
Fuſus agni corpore.

Propter quod & ſola Virgo portans, & ſola crux pro ſanctitate communicati ſanguinis Chriſti venerantur: Virgo ſcilicet, ſanguine Filium Dei infundens, & crux infuſa Chriſti ſanguine. Alij autem portantes vel vituperantur pro malitia voluntatis, vel laudantur pro obſequio pietatis. Portauit ergo Virgo Chriſtum ſicut arbor fructum, ſuccum miniſtrans ad fructus formationem, gemmata in fructus conceptionem, florens in fructus promiſſionem, frondens in fructus defenſionem, ramos extendens in fructus portationem, ſoli de cælo ſe exhibens in fructus formationem & maturationem. Sic enim vnaquæque arbor de fructu ſuo cognoſcitur.

Virgo enim beata arbor eſt virens virtute: plantata ſecus decurſus aquarum, hoc eſt, riuos vbertimos donorum Spiritus ſancti, conſolationum, &

& gratiarum. *Ierem.* 17. Erit quasi lignum vitide quod ad humorem mittit radices suas, quod in tempore siccitatis non erit solicitum,nec aliquando desinet facere fructum. Portat autem fructum dependentem à sanctis visceribus Virginis. Vnde cantat Ecclesia, quod beata est mater, cuius viscera meruerunt portare Christum Dominum. Et pendenti à visceribus,sacrosancti sanguinis sui (ad formationem & nutrimentū & augmentum) subministrauit succum. *Psalm.*1. Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum:quod fructum suum dabit in tempore suo. Hæc fuit gemmata conceptione, stans onerata nobili onere, vtero tumente, & pomis mamillarum modico tumore protumpentibus,& iam per modum gemmarum conceptum demonstrantibus pietatis humorem. In cuius figura *Numer.*17. dicitur. Turgentibus quippe gemmis flores eruperant,qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Flores enim sunt facti fructus, promissiones in quibusdam diuinorum florum argumentis : in angelica salutatione, sancti Spiritus superuentione,virtutis Altissimi obumbratione ; in quibus salus nostra floruit,quando prope fuit salus nostra. *Ezech.*36. Vos montes Israëlis ramos vestros expandite, & florete,& fructum facite populo meo Israël.Frondüit autem Virgo beata in salutarium verborum emissione : de modi inquisitione, cum dixit : Quomodò fiet istud ?De sui consensus expressione, cum adiunxit : Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. De pacis eulogio , cum Elisabeth salutauit. De gratiarum actione,cum intulit. Magnificat anima mea Dominum. Vt verè dicatur de ea. Illud *Oseæ* 10. Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei. Hæc enim omnia folia fructum cooperiunt & defendunt ne tranescat. Quia omnia aut sunt ad instructionem prudentiæ: vel ad humilitatis & fidei expressionem:vel ad proximi beneuolentiam : vel ad gratiarum actionem & laudem. Vnde merito dicitur in *Psalm.* 1. Folium eius non decidet:& omnia quæcunque faciet prosperabuntur.Et *Ezech.*47. Folia eius proficiūt in medicinam. Hæc ramos expandit ad omnes, dilatata latitudine charitatis,fructum suum porrigens omnibus. *Eccli.* 24. Rami mei honoris & gratiæ. *Dan.*4. Volucres cæli requieuerunt in ramis eius, hoc est, animæ Sanctorum pennatæ virtutibus in ramis beatæ Virginis quibus fructum porrigit requiescunt. Sic ergo [beatus venter qui te] sic Christe[portauit]Et hanc quidem singulariter habuit beatitudinem.

In cruce autem portatus, de Virgine cruorem acceptum refudit.Vt omnes cruci se exhibentes,& stigmata Crucifixi in corpore suo portantes, eodem cruore sanctificentur. Propter quod dicitur *Gal.*6. in persona redemptorum : Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi ; per quam mihi mundus crucifixus est , & ego mūdo. Totum enim de mundo triumphauit , quod cruci est affixum. Mundus ergo per hoc quod de mundo est in nobis(quod vt dicitur *1.Canon.Ioan.* 2. est concupiscentia oculorum,& concupiscentia carnis, & superbia vitæ) cruci affixum est vt spiritus:& mortuum,viuens in cruce, Deo viuat : dicente *Apost Gal.*2. Vt Deo viuam, Christo con fixus sum cruci. Ibi ergo cruore Christi infusi sanctificati. *Apoc.*7. Lauerunt stolas suas in sanguine agni.Sic ergo in visceribus portātes Christū humore pietatis infundunt. Portantes autem in cruce, cruore Christi infunduntur & sanctificantur.Portantes autem Christum in debilibus membris ipsius Christi , Christo misericordiam impendunt. *Matth.*25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere & portare , & non nobis placere. Portantes autem Iesum crucifixum ad sepulchrum , sunt qui Christum ad occultum diuinæ quietis abscondunt. *Coloss.* 3. Mortui estis:& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Psalm.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. *Isa.*11.Erit sepulchrum eius gloriosum.Portantes autem Christum ad illecebras tentationum cum satana, merentur in barathrum præcipitationem. *Matth.* 4. Vade satana : non tentabis Dominum Deum tuum. *Psal.*94. Quibus iurauit in ira mea si introibunt in requiem meam. Hic enim iurauit tentantibus eum, & portantibus ad delectabilia tentationum. Non sic autem portauit Virgo beata. Et ideo beatus [venter qui te portauit]

Et vbera quæ suxisti.

Ecce secunda pars laudis huius mulieris. Laudat in matre membra quæ nutrimentum ministrauerunt. Vbera autem ab vbertate dicta sunt eo quod vbertim fundunt lac dulcedinis conceptæ. Vbera autem de cælo plena laudat : & ideo indeficientem ministrantia vbertatem.*Cantic.*8. Soror nostra paruula est, & vbera non habet fracta libidine : sed habet vbera de cælo , rorem pietatis & dulcedinis concipientia , & vbera profundentia liquorem ad Christi nutrimentum ministratum. Et quis crederet vbertatem esse in Virginis vbere nisi de cælo ministratam ? *Genes.*21.Quis auditurus crederet,quod Sara lactauit filiū quem peperit ei iam seni. Sata, inquam, princeps Virgo Maria lactat filium magno Patriarchæ patri multarum Gentium , quem peperit ei ad virtutem eius demonstrandam iam seni in fine mundi. Non enim datur hoc naturæ quod vber arens , non infusum semine viri, lac ministret vbertim filio nascenti. *Cant.*7.Statura tua assimilata est palmæ.Vbera tua botris. Palma enim dulcedinem habet in summo, de cælo concipiēs eam:& botrus ex solis respectu concipit , & fundit gaudii vbertatem. Tamen sicut dicitur *Cant.*1. Meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.Nihil enim austeritate pungens, nihil per libidinem inebrians est in vberibus illis:sed vnguentum fragrans,ex humore nutriens Christum vnctum, & omnes sanans nostras infirmitates.

Hæc enim tria secundum naturam sunt in vbere,scilicet,conuersio sanguinis in nutrimentū candens,nutrimenti abundantia, & medicamentū infirmitatis.De primo dicitur *Exod.*3.quod promittitur nobis terra lacte manans& melle. Quæ terra (sicut iam diximus)præcipue beata Virgo est,habēs in vbere suæ pietatis vnde nutriat Christū in gremio & in cordibus fidelium mellito lacte cordis sui:à quo vbera sua dependent.De secundo dicitur *Iudic.* 5. In phiala principum butyrum. Phiala enim ista vber Virginis est : quod propinauit pinguedinem lactis,quæ est butyrum, in Christi nutrimentum. Et Sisaræ, hoc est,diaboli in soporationem & interfectionem. De tertio autem

Medi

Medicorum est scientia, quod papula vberis in os infantis immissa, contra omnem valet infirmitatem infantis: & ideo dicuntur fragrantia vnguētis optimis, sicut iam ante est expositum. Ideo dicitur *Cant.* 7. Ibi dabo tibi vbera mea. Et *Ibid. ante.* Duo vbera tua sicut duo gemelli capreæ hinnuli. Gemelli enim ex eodem conceptu sunt: sicut vbera Virginis sunt geminum habentia conceptum cælestem. Sunt autem hinnuli absconditi capreæ, quæ acutum habet visum propter absconditum sacramentum Virginis: quod non nisi capreæ cæli, hoc est, videntes limpide diuina videre poterunt. Hæc igitur sunt vbera Virginis beatæ ô Christe [quæ suxisti] ad vegetationem & nutrimentum. Non enim lactis edulium perficitur masticatione, sed suctione. Hæc est enim huius causa beatitudinis: quia suxisti. Quasi enim modo genitus infans rationabilis sine dolo lac cōcupiuit virgineum: vt in eo crescerer secundum corpus & proficeret, qui secundum animæ perfectiones ab instanti conceptionis psemper fuit perfectus.

Attendendum autem est, quod mulier hæc dixit [suxisti] & non, comedisti. Quod enim comeditur, durum est, & solidum, dentibus diuisum, & molaribus tritum, & humiditate saliuali infusum, & liquore potus ad liquidum conuersum: vt per membra & ad membra currere possit: & venis epatis quæ meseraicæ vocantur suctum & tractum: vt postea per venas ad membra deducatur. Lac autem, sicut dicit *Philosophus*, solum est quod sufficienter naturam præparat ad nutrimentum. Et præcipue lac virgineum de virtute cælesti vberibus infusum, Spiritu sancto purificatum: quod totum erat nutrimentū conueniens Dei Filio. Et ideo non comedendo, sed sugendo statim ad membra dirigitur ex Virgine suctum. Et ideo incorporandum ad nutrimentum corporis, quod diuinitati est vnitum. Vnde *Isa.* 7. Butyrum & mel comedet: vt sciat reprobare malum & eligere bonum. Butyrum enim adeps lactis lac est virgineum. Mel autem ros cælestis est, linguis apum collectus: & signat nutrimenti huius dulcedinem. Cum enim nihil nutriat nisi dulce secundum Medicorum expertam rationem: pensandum est quantæ dulcedinis fuit lac virgineum, quod Dei membris conueniens exhibuit nutrimentum. Hoc lac ros conuenienter vocatur: quia de cælo sicut ros ministratur. *Isa.* 26. Ros lucis ros tuus. *Deut.* 33. Cæli caligabunt rore. De cælo ergo sic ministrata dulcedo lactis mellea, ros vocatur.

Hæc est dulcedo, quæ nos omnes infundit, ex Christo capite in nos distillans. Et hoc est quod dicitur *Isa.* 66. Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Adhuc enim mater Virgo in multorum cordibus formatum, sua lactat dulcedine, & nisi lactaret periret recenter formatus. Vnde *Isa.* 66. Ecce ego declinabo in vos sicut flumen pacem: & tanquam torrentem inundantem gloriam Gentium quam sugetis. Gloria enim omnium Gentium, dulcedo est consolationis beatæ Virginis, vbertim ex vberibus gratiæ eius in nos infusa, quamdiu sumus paruuli ab vberibus eius dependentes. Et hoc est quod in consolationem Ecclesiæ dicitur *Isa.* 66. Gaudete in ea omnes qui lugebatis super eam: vt sugatis & repleamini ab vberibus consolationis eius: vt mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.

Sic igitur beata sunt vbera quæ suxisti Domine Iesu.

At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

At ille dixit] Inter tot opprimentes os eius aduersarios, non omittens respondere mulieri vicaria prædicatione beatitudinis, quæ auditu conceperat verbum Dei & quasi in vtero gestans custodiuit illud. Et tangit hic maternitatem, cuius ipsa mater Virgo est figura, dicens [Quinimo] Duo tangens: assertionem dictorum mulieris, & confirmationem: & addens beatitudinis maternitatis spiritualis prædicationem. Dicit ergo [Quinimo] Q. d. Hoc verum dixisti. Sed non tantum ea quæ carnaliter portauit & lactauit beata est: sed etiam illi qui auditu me Verbum Dei concipiunt: & custodiendo fouent, & pariunt in opere: sunt beatitudinis illius participes qua ipsa mater carnalis beata est. Et hoc est quod dicit [Quinimo] Quia & ipsa mater prius verbum auditum corde concepit & portauit, quam in vtero corporaliter conciperet, & ex beatitudine conceptionis spiritualis causata est per modum congrui beatitudo maternitatis specialis. *Matt.* 12. Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est: ipse meus frater, soror, & mater est. Vnde *Luc.* 1. Elisabeth dixit: Beata quæ credidisti: quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi à Domino. Et *Ibidem ante.* Ipsa beata Virgo dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum. Q. d. Sicut verbum à te auditum cordis deuotione conceptum iam credo: ita concipiatur in vtero [Beati qui audiunt verbum Dei.] Duo dicit respondentia duobus quæ dixit mulier. Auditus enim est conceptio spiritualis, respondens portationi in vtero: & custoditio est per modum lactationis, respondens suctioni vberum; sicut patebit in sequentibus. Circa primum duo notantur: beatitudo audientium, & auditus.

Beatitudo autem (sicut in præhabitis diximus) est in proprio actu membri quod beatum prædicatur: quando ille actus est secundum naturam membri illius, secundum optimum & perfectum statum virtutis eius in nullo impeditum. Beatitudo ergo auris est secundum perfectam auris virtutem non impeditam. Hæc autem virtus colligitur ex tribus. Vno quidem quod habet auris inquantum est organum sensus. Secundum autem quod habet auditus inquantum est sensus disciplinalis. Tertium autem quod habet auditus inquantum est discretiuus sonorum. Primum est quod quærit non interruptos, & non confusos recipiat sonos: & sic est auræ lenis secundum naturam. Secundum autem quod causatur ex hoc: quod ad memoriam bene diriguntur audita. Et ideo versus posterius capitis natura disposuit aures in homine: quia in posteriori capitis disponitur cella memorialis. Tertium est quod habet auditus inquantum accipit sensibile per accidens, in comparatione ad virtutes conferentes de auditis: quarum vna in homine est ratio, & hæc vocatur auditus discretio. De primo dicitur *Iob* 4. Vocem quasi auræ lenis audiui. 3. *Reg.* 19. Ante Dominum sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. De secundo dicitur. *Iacob.* 1. Si quis permanserit in lege perfa

perfectæ libertatis, non auditor obliuiosus factus est, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. De tertio dicitur *Matth.* 13. Qui habet aures audiendi audiat, hoc est, qui habet aures audita discernendi, audiat verba Dei. Sic discreuit qui dixit: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua *Psalm.* 118. Sic beatas dixit aures & oculos Dominus *Luc.* 10. Vestri autem beati oculi. Et subintellexit etiam de auribus: quia subinfert, quod multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. *Prouerb.* 20. Oculum videntem, & aurem audientem: vtrunque fecit Dominus. Fecit enim Dominus aurem (sicut dictum est) audientem. Et ideo beatus & perfectus est talis auditus: membrum, quo sicut in matrem ingreditur Dei Filius. Auditum ergo beatæ auris, est Verbum Dei.

Verbum autem (Angelus intelligentiæ Patris, vt dicit *Damascenus*) est notitia amata, sicut dicit *Augustinus*: est faciendorum ars & ratio, sicut dicit *Hieronymus*. Per primum manifestat Patrem, per secundum clarificat, & per tertium docet omne quod est faciendum ad Patris beneplacitum. De primo dicitur *Ioan.* 17. Pater manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. De secundo dicitur *ibidem*. Ego te clarificaui super terram. De tertio *ibidem*. Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. Per primum Verbum Dei candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius *Sap.* 7. Per secundum doctrinam & secretum Dei consilium manifestat. *Ioan.* 1. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. *Matth.* 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus: & reuelasti ea paruulis. Per tertium leges condit operum Dei, quæ beneplacita sunt illi. *Eccli.* 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Per primum purgat nos Verbum ab ingenito nobis dissimilitudinis habitu, informans nos luce diuina. *Rom.* 13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sic vt in die honeste ambulemus. Per secundum apud intellectum docet omnem pietatis veritatem. *Eccli.* 24. Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque in longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Per tertium forma est virtutis & vitæ. *Sapient.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet: & iustitiam & virtutem, quibus in vita nihil est vtilius hominibus. Per primum horum facit nos Dei filios, formam Patris ingenerans nobis. *Iacob.* 1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. 1. *Ioan.* 3. Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Per secundum illuminat ad veritatem credendorum. *Ioan.* 17. Verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt & cognouerunt vere quia à te exiui. Per tertium perficit affectum ad veram operandorum perfectionem. *Deuter.* 32. Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera. *Ierem.* 48. Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Sic ergo per verbum Dei Christus formatur in nobis secundum Patris imaginem quoad Deum, secundum veritatis informationem quoad fidei Sacramentum, secundum virtutis perfectionem quoad meritum. Et sic dicitur *Ioan.* 1. quod dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Sic ergo beati sunt qui audiunt verbum Dei.

Et custodiunt illud] Custodire verbum perficitur ex tribus, scilicet, amotione contrariorum, adimpletione per verbum dictorum, tenaci memoria auditorum. Contraria verbo, sunt facientia verbum à corde euanescere, & facientia verbum in corde non fructificare: de quibus dictum est quod sunt petra, via, spinæ, & cæli volucres, verbum ex corde auferentes: de quibus supra satis dictum est. Conueniens autem verbo, terra optima, verbum in vigore retinens, & ad fructum multiplicem fouens, & hæc est terra verbum custodiens. Huic enim terræ secundum *Psalm.* 74. Dominus dabit benignitatem gratiæ: & terra nostra dat fructum suum in virtutis meritorio opere. *Isa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Ioan.* 15. Posui vos vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. De secundo dicitur *Ioan.* 14. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, hoc est, opere implebit. *Matth.* 7. Qui audit sermones meos, & facit eos: similis est homini ædificanti domum suam supra petram. De tertio dicitur in *Psalm.* 118. Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi valde. *Thren.* 3. Memoria memor ero: & tabescet in me anima mea. Sic ergo beati sunt qui verbum Dei custodiunt. *Psalm.* 18. In custodiendis illis retributio multa.

De aliis autem quibus verbum euanescit, miseria est & væ æternæ damnationis: in quibus verbum Dei per tentationem contrariis exponitur: à quibus verbum in opere non ponitur: à quibus Dei verbum obliuioni datur. Primi signantur in viris Ceilæ, qui David liberantem se, tradere voluerunt in manus Saul inimici sui. Sic enim faciunt qui Filium & Verbum Dei redemptorem suum, quantum in se est tradunt in manus diaboli inimici sui. 1. *Reg.* 23. Secundi sunt (vt dicit *Philosophus*) similes curiosis, qui medicos quidem audiunt studiose: faciunt autem operandorum nihil. Et quemadmodum illi nunquam bene habebunt corpus sic curati: sic nec illi bene habebunt animam sic philosophantes. *Matth.* 7 Qui audit sermones meos, & non facit eos: similis est homini stulto qui ædificat domum suam super arenam. Flauerunt venti, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & irruerunt in domum illam; & cecidit, & facta est ruina magna. De tertiis dicitur *Agg.* 1. Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum.

Sic ergo [Beati sunt qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud] Sicut enim lactatur homo in malo per blandimentum peccatorum: sic Christus natus in corde, lactatur in bono per consolationes spiritualium profectuum, & per exhortationes ad bonum. Et hoc significatum est *Genes.* 21. secundum Hebraicam veritatem; vbi dicitur, quod Sara lactaret filios quos peperit Abrahæ iam seni. Vno enim edito filio, multos spiritualiter lactauit per consolationem ad meliorem profectum. 1. *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi non escam.

Turbis autem concurrentibus cœpit dicere.

Hic agitur de iudicio condemnationis & Pharisæorum

risæorum : quod est comparatione aliorum prædicantium sumptum, & eorum quibus prædicatum est, qui minus illuminati ad fidem existentes, crediderunt tamen his qui minoris fuerunt virtutis in opere & sermone & virtute signorum quam Christus. Habet autem hæc pars particulas duas, in quarum prima iudicium istarum comparationum proponit. In secunda ostendit quod merito ingratitudinis & infidelitatis istorum, lux suæ prædicationis ad gentilitatem est conuertenda. In prima harum partium duo facit. Primo enim ostendit istis peruersis viam pœnitentiæ, quæ sola restat. Secundo demonstrat iustam condemnationem his qui finaliter impœnitentes inuenti fuerint. In primo horum ponit tria. Primo enim dicendorum præmittit occasionem: secundo subiungit malitiæ & præsumptionis eorum detestationem : in tertio bonitatis etiam ad malos ostensionem. Dicit ergo [Turbis] quia confutatis Scribis & Pharisæis per sapientiam, putabat turba quod aliis qui signum de cælo petebant, dare vellet signum ad suæ potestatis declarationem : & sic magis confunderentur Scribæ & Pharisæi. Et ideo concurrebant turbæ : quia consuetum erat eis ad omnem sermonem signum quærere. *1.Corinth.1.* Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. *Eccli.36.* Innoua signa & immuta mirabilia. Sed iste sermo in tantum fuit fultus & confirmatus ratione, quod signis non indiguit. Et ideo præsumptio eorum signum non meruit accipere. Ex hac tamen causa [turbis] deceptis [concurrentibus] ad signa videnda. Ex hac enim causa maxime sequebatur eum turba. *Ioan.6.* Sequebatur eum multitudo maxima : quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Ex hoc igitur sumens occasionē cœpit dicere, causam dicti de ipsis turbis accipiens. Quoniam autem ante multa dixit, mirabile videtur qualiter hic dicitur quod cœpit dicere. Sed sciendum quod disputatione completa, cœpit modo noua dicere de condemnatione confutatorum.

Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit.

Hic incipit peccati eorum & infidelitatis obiurgatio. Dicit autem tria: malitiam hæreditariam à parentibus conceptam, culpam nequitiæ in eis non diminutam sed auctam, & tertio præsumptionem quod in tali culpa præsumere audent signa accipiendo. De primo dicit [Generatio hæc] Hæc, inquam, quæ ex progenitoribus in se traductam habet malitiam. *Luc.3.* Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? *Matth.23.* Testimonio estis vobisimetipsis quia estis filij eorum qui Prophetas occiderunt. *Act.7.* Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri. *Chrysostom.* Venenati venenatorum filij. *Sapient.12.* Semen erat maledictum ab initio : & immutari non poterat naturalis malitia eorum [generatio nequam est] adinuentæ malitiæ ad paternam malitiam additione. *Psalm.80.* Ibunt in adinuentionibus suis. *Matth.12.* Generatio mala & adultera. *Isa.1.* Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis. *Ezech.16.* Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa: & in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus. Quia scilicet omnem imitatis paternam malitiam, & adinue-

nisti nouam. *Rom.1.* Inuentores malorum. *Deut.32.* Generatio enim peruersa est : & infideles filij. Et *ibidem.* Generatio praua atque peruersa ! hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? *Iob 30.* Filij stultorum & ignobilium.

Signum quærit] Ecce præsumptio. Signum enim non quærit generatio bona, mala vero quærere debet. Sed boni & deuoti tempore necessitatis fidei petere & quærere possunt signa. *Psalm.85.* Fac mecum signum in bonum, vt videant qui me oderunt, & confundantur. Sic etiam ad confortationem fidei apud infidelem tegem à Propheta deuoto dictum est *Isa.7.* Pete tibi signa à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Sed isti ex præsumptione petiuerunt, & gratia curiositaris. Vnde supra dictum est. Alij autem tentantes de cælo signum quærebant. Et ideo Dominus improperat eis *Ioan.4.* Nisi signa & prodigia videritis: non creditis. Hi ergo indigni signo, signum quærebant : quod magnæ fuit præsumptionis. Quia licet *1.Corinth.14.* dicatur, quod signa data sunt non fidelibus sed infidelibus. Tamen nunquam signa expostulant infideles sed fideles. A Deo enim petuntur & expostulantur signa. Et hoc oportet facere fideles. Sed infidelibus exhibentur signa ad videndum, vt per signa credant omnipotentiæ Dei, & ædificentur ad fidem. Hoc ergo est quod cum despectu & contemptu dicit Dominus. Generatio nequam signum quærit.

Et signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ Prophetæ.

Hic ostendit etiam ad malos suam bonitatem, & dicit tria: scilicet, signi petiti negationem, signi non quæsiti exhibitionem, & signi exhibiti explanationem. Signi petiti negationem tangit, cum dicit [Et signum non dabitur ei] Signum, inquam, potentiæ & maiestatis ostensiuum ; quod causa curiositatis & tentationis expetebant : & ideo signum de cælo tentantes petebant. *Ioan.6.* Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? Quid operatis? Non enim humilitatis petebant signum, quod ædificat ad mores: nec munditiæ quærebant signum, quod ædificat ad fidem: nec infirmitatis quærebant, quod ædificat ad virtutes. *1.Corinth.12.* Virtus in infirmitate perficitur. Primum datur humilibus Christum quærentibus. *Luc.2.* Hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio. Secundum datur deuote Christum expectantibus. *Isa.7.* Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium : & vocabitur nomen eius Emanuel. Tertium exhibetur cum Christo in passione certantibus. *Luc.2.* Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël: & in signum cui contradicetur. Isti ergo talia signa non petebant : sed curiositate tentantes. An vere esset Deus, de cælo quærebat generatio hæc : non quærentium Dominum, sed generatio nequam [signum] Et ideo tale signum [non dabitur ei] *Marc.8.* Si dabitur generationi isti signum. Q. d. Non dabitur.

Nisi signum Ionæ Prophetæ] Ecce exhibitio signi conuenientis ad luctum & pœnitentiam. Ionas enim postquam fuerat in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus, ad luctum & pœ-

nitentiam inuitauit Niniuitas: de loco mortis & putrefactionis, & profundo amaritudinis euadens. Et hoc signo Niniuitas ad pœnitentiam vocans. Ita etiam Christus de loco mortis & putrefactionis, & profundo inferni illæsus & incorruptus euadens, per Resurrectionem ad pœnitentiam vocauit Iudæos. Et hoc est signum Ionæ quod præcessit in figura, & secutum est in veritate gratiæ exhibitæ per Passionem & Resurrectionem Christi. Vnde *Hieronym. in proœmio galeato.* Ionas pulcherrima columba, passionem Christi præfigurans, mundum ad pœnitentiam reuocat, & sub nomine Niniue salutem gentibus nuntiat. *Matth.*12. Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et ibi plurima de hac materia sunt notata. Ideo omnino sub alia similitudine dicitur *Ioan.*2. vbi dixerunt Iudæi: Quod signum ostendis nobis quia hoc facis? Respondit IESVS, & dixit eis: Soluite templum hoc, & post triduum reædificabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui.

Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti.

Explanatio est signi exhibiti. In explanatione autem ista duo facit: præmittit enim similitudinem in figura, & prosequitur adaptationem in gratia. Dicit ergo [Nam sicut Ionas] exiens de loco corruptionis voraginis incorruptus & non detentus, sed liber [fuit signum] pœnitentiæ [Niniuitis] Stomachus enim piscis per hoc quod est locus digestionis, est locus putrefactionis & alterationis cibi. Ionas autem nec alteratus nec putrefactus est. Item stomachus per hoc quod separat subtile à grosso, & dirigit subtile ad membra, & grossum trahens per inferiora & abiicit: sic est locus solutionis continuitatis & compaginationis. Ionas autem solutionem continuitatis, & compaginationis membrorum suorum non est passus. Per hoc autem quod cetus locum habet abyssum, est locus captiuitatis: ne deuotatus tedeat ad liberos actus vitæ. Euadens ergo Ionas de omnibus his, & liber in actibus vitæ existens: signum fuit virtutis diuinæ, & veritatis sermonum Ionæ. Et ideo talibus inducti pœnitentiam egerunt Niniuitæ ad prædicationem Ionæ.

Ita erit] Adaptatio est figuræ ad veritatem [ita ergo erit] post Passionem & Resurrectionem. Et hoc est etiam vt Scriptura impleatur [Filius hominis] in carne vera hominis quam de vno homine matre accepit, existens signum pœnitentiæ [generationi isti] quando videbunt quod de loco corruptionis surgens, incorruptus erit: & de loco solutionis continuitatis surgens, nullam patitur membrorum discontinuitatem. *Psalm.*15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ. Et de inferno rediens secundum animam, abysso inferni non detentus, surget inter mortuos liber. *Act.*2. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile fuit ipsum detineri ab illo. Dicitur autem *Matth.*12. quod sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ita erit Filius hominis in corde terræ. Quod qualiter intelligitur super *Matthæum* est explanatum. Et ibi qui voluerit requirere potest. Ea enim quæ diximus ad intellectum eorum quæ hic dicuntur sufficiunt. Vnde ad signum istud multi post Passionem & Resurrectionem pœnitentiam egerunt, Et maximè post Resurrectionem & Ascensionem. *Psalm.*92. Mirabilis in altis Dominus: testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Hoc est signum sanguinis quod filii Israel in postibus cordium linientes, liberantur ab exterminatore *Exod.*12. Hoc etiam est signum quod signatur super frontes gementium & dolentium, liberat ab interfectore *Ezech.*9. Hoc est item signum quod signat innumerum saluandorum. *Apoc.*7. Nolite nocere terræ neque arboribus: quoadusque signemus seruos Dei in frontibus eorum.

Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic.

Hic exequitur iudicium cōparationis ad exaggerationem condemnationis istorum in speciali: & habet duos paragraphos. Dicit ergo [Regina austri] de qua legitur 3. *Reg.*10. & 2. *Paral.*9. Dicitur autem [Regina] propter eminentiam sapientiæ & scientiæ, quibus suo tempore etiam viris sapientibus præfulgebat. *Psal.* 44. Astitit regina in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Hæc est consors Regni Assueri, hoc est, Regis beati: quod Assuerus interpretatur *Esther* 1. [Austri] in qua plaga sunt sapientes: quia calore, & lumine subtiliores habent humores. *Habac.*3. Deus ab Austro veniet: & Sanctus de monte Pharan. Quia diuinæ sapiētiæ & virtutis indicia in Austro præfulgent. Et ideo *Ezech.* 40. Ciuitas Dei dicitur vergere ad Austrum. & per oppositum tenebræ & obstinatio diaboli dicuntur venire ab Aquilone: quia congelatis humoribus, homines illius plagæ hebetes sunt, & grossi, & pigri. Et quia frigus exterius ambiens, interius feruere facit inordinate: sunt etiam feroces, & crudeles, & audaces. *Eccli.*43. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallum ab aqua. *Ierem.* 1. Ab Aquilone pandetur omne malum super vniuersos habitatores terræ. Vnde Chaldæi qui in Aquilone sunt, feroces interpretantur. Hæc ergo [Regina Austri] habitu mentis benè constitutæ, & naturali callens ingenio, & ideo doctrina sapiētiæ minus indiget.

Surget] ostensione suæ deuotionis & studiosæ solicitudinis ad quærendam doctrinam sapientiæ [in iudicio] particulari post mortem vniuscuiusque hominis: vel vniuersali in fine mundi: vel etiā modo in iudicio comparationis vniuscuiusque sapientis hominis. *Isa.*3. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. *Mich.*6. Surge & contende iudicio aduersus montes, hoc est, superbos: & audient colles vocem tuam. *Isa.*5. Iudicate inter me, & vineam meam [cum viris] quia deuotiores, & sapientiores, & studiosiores esse debebant quàm fœmina, *Iob* 34. Viri intelligentes loquantur mihi; & vir sapiens audiat me. Sed hoc est verum quod dicitur *Eccli.*36. Est filia melior filio. Et ideo subiungit [cum viris generationis huius] quæ pessima est. *Matth.* 12. Generatio praua & adultera. *Prouerb.*30. Generatio quæ patri suo non benedicit, & matri suæ maledicit. Quia Patrem Deum blasphemat, & matri Ecclesiæ ma

fiæ maledicit[&]ideo [condemnabit eam]hoc est, comparatione sui condemnandã ostendet *Ezech.* 16.Non fecit Sodoma soror tua ipsa & filiæ eius, sicut fecisti tu & filiæ tuæ. *Isa.* 23.Erubesce Sidon ait mare, fortitudo maris, dicens. *Rom.* 2. Iudicabit quòd per naturam præputium est,te,qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es. Et subiungit causam huius cõdemnationis,dicens

Quia venit] zelo & studio sapientiæ ex fama Salomonis inuitata. 3. *Reg.* 10. Regina Saba audita Salomonis fama, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. 2. *Paral.* 9. Regina quoque Saba cum audisset famam de sapientia Salomonis, venit,[à finibus terræ]habitabilis nostræ. Sunt autem duo fines huius terræ nostræ habitabilis. Vnus quidem finis secundum latitudinem : & ille à Meridie in primo climate, quod est sub æquinoctiali. Alter autem finis est secundum longitudinem in Oriente à mari oceano. Veritas autem literæ est, quod ab vtroque fine venit:quia venit ab Oriente primi climatis. Et ideo dicitur hic : Regina Austri:quia venit ab æquinoctiali à meridionali plaga. Et aliquando dicitur venisse ab Oriente : quia venit à primo puncto Orientis eiusdem climatis. Vnde *Matth.* 2.dicitur etiam de Magis, quod venerunt ab Oriente. Hæc autem terra secundum *Aristotelem & Auicennam & Ptolomæum Philosophos*,omni alia terra melior est,& conuenientior ad bonam habitudinem hominis. *Isa.* 53. Omnes de Saba venient:aurum sapientiæ & thus deuotionis deferentes, & laudem Domini annunciantes. Talis igitur, & tam callens ingenio, & naturalibus prædita virtutibus [venit à finibus terræ] tantum viæ laborem suscipiens, cum fœmina esset [audire sapientiam Salomonis] 2. *Paralip.* 9. Non erat præ stupore in ea spiritus. Cum tamen Salomon minor in sapientia esset Christo & Discipulis eius. Et hoc est quod sequitur [& ecce plus Salomone hic] Plus, inquam, scilicet sapientia Salomone est in me apparens in isto loco. Et ideo non oporteret fatigationem longi itineris assumere, quibus summa offertur sapientia sine labore.*Coloss.* 2. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. *Prou.* 1. Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam, & ideo non longe oportet eam quærere. *Act.* 18. Non longè est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ : & ecce plus quam Ionas hic.

Secundum iudicium comparationis secundum imitationem ad pœnitentiam sumptum [Viri Niniuitæ] qui viriliter fecerunt in assumendo pœnitentiam ad prædicationem Prophetæ. *Iona* 3. Adhuc 40. dies & Niniue subuertetur [surgent] comparatione melioris facti, & sanioris consilij ostendendo. *Iob* 21. Interrogate quelibet de viatoribus, & hæc eadem intelligere. eum cognoscetis [in iudicio] comparationis. *Psalm.* 149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum [cum generatione hac] cuius professionis sunt Discipuli & Christus, cuius linguæ, cuius legis : cum Ionas nec eiusdem professionis, nec eiusdem dignitatis fuerit cum Christo. *Ezech.* 3. Non mitto te ad gentem ignotæ linguæ cuius non possis intelligere sermonem : & si ad illos mitteretis ipsi audirent te. Domus autem Israël nolunt audire te: quia nolunt audire me [quia pœnitentiam egerunt] sicut boni pueri de quibus suprà dictum est: Qui planxerunt prælamentante eis Iona. Iudæi autem neque saltauerunt ad præcentum Salomonis,nec planxerunt ad lamentum Ionæ. Pœnitentia autem Niniuitarum scribitur *Ionæ* 3. Reuertatur à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus : & reuertatur à furore iræ suæ,& non peribimus [& ideo condemnabunt eam] facti melioris comparatione : cum tamen essent gentiles, notitiam Dei per legem non habentes. *Iob* 12. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te : & volatilia cæli, & indicabunt tibi [Hi ergo pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ] qui ignotæ linguæ, & ignotæ fuit professionis, & signa non ostendit. *Ioan.* 15. Si non fecissem opera in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

Et ecce] demonstratus per testimonium Prophetarum, vocis patris, & operum [plus] in efficacia facti, & sapientia verbi [quam Ionas hic] in hoc loco inter vos existens. *Ioan.* 1. Ipse est qui post me venit, & ante me factus est : cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius. *Psalm.* 44 Speciosus præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis. *Philip.* 2. Dedit illi nomen quod est super omne nomen : vt in nomine Iesv omne genu flectatur. *Hebr.* 1. Tanto melior Angelis effectus,quanto differentius nomen præ illis hæreditauit.

Nemo lucernam accendit,& in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

Ostendit hic Dominus quod merito malo blasphemiæ Iudæorum, lumen doctrinæ suæ ad Gentes est deriuandum : & in hac doctrina tangit duo ; quorum vnum est, quod lux notitiæ suæ sub vnius gentis terminis non est cohibenda : sed ad fines orbis terræ in Gentes extendenda.Secundum autem est, quod docet cum quanta sinceritate verbum Dei à Presbyteris est prædicandum. In primo horum tria facit.Dicit enim vbi lucerna non est ponenda:secundo tangit vbi ponenda est: & in tertio determinat ad quem vsum ponitur in loco candelabri.

In primo præmittit generale exemplum, sumptum ab vsibus & consuetudine hominum, dicens [Nemo] hoc est, nullus rationabilis homo [accendit]hoc est,accendere consueuit[lucernam] ecclesiasticæ dignitatis in officio dignitatis Episcopalis vel Presbyteralis : quæ, inquam, lucerna peruia est,concaua est, flamma lucente & ardente perfecta est. Peruia per castitatem, concaua per humilitatem, ardens per charitatem, lucens per veritatem. De primo dicitur *Matth.* 25. Ornauerunt lampades suas. *Iob* 28. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Quia pretio debet esse castitas super aurum, & puritate debet excedere vitrum.

De secundo *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. De his duobus simul dici tur *Eccli.* 26. Lucerna splendens super candelabrum sanctum: species faciei super ætatem stabilem. Splendens enim lucerna, est lucerna perula castitatis honestate: est speciosæ faciei, ex gratia pudicitiæ. *Sap.* 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Est super ætatem stabilem, motû maturitate: quia incontinentia instabilis est. Et hoc sanctum candelabrum, perfecta munditia mentis & corporis. Ardens autem est eum charitate & luminosa veritate: sicut dicitur *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Sic mulier sapiens *Luc.* 15. accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat drachmam perditam. Quia multi per tales Prælatos inueniuntur ad vitam. Sic *Sopho.* 1. dicit Dominus: Scrutabor Ierusalem in lucernis. Nihil enim remanet tenebrosum vbi tales lucernæ accenduntur. *Isa.* 62. Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam: donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius velut lampas accendatur. Talem ergo lucernam nemo sapiens accendit ardore charitatis, & lumine scientiæ diuinæ veritatis, & perspicuam facit claritate castitatis, & concauam sensu humilitatis [Et] sic præparatam

In abscondito ponit] Est enim sicut dicitur *Iob* 12. parata in tempus statutum: quamuis derideatur & contemnatur apud cogitationes diuitum. Est autem absconditum tenebrosum, vita opaca & intellectu nubiloso non videntium. Sic officium prædicationis non est committendum opacam vitam habentibus, quorum sunt tenebrosa opera, vt malis. *Thren.* 4. Me minauit & adduxit in tenebras & non in lucem. Debet enim Prælatus confidenter dicere illud *Ioan.* 8. Qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Similiter non est committendum his, qui carnalem & tenebrosum habent intellectum, sicut Iudæis: de quibus dicit *Apostolus*, quod tenebris habent obscuratum intellectum: vt non fulgeat in eis claritas Euangelij Christi *Ephes.* 4. Hæc enim duo sunt abscondita. *Genes.* 3. Audiui Domine vocem tuam & timui: & abscondi me eo quod nudus essem.

Neque sub modio] Modius est aridorum mensura. Modius etiam secundum vsum est, quo soluitur census terrarum locatarum ad cultum Et primo quidem modo secundum *Hieronymum* vult dicere, quod sub mensura legis vnius gentis non est lux cohibenda sacræ prædicationis. *Isa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. Et præmittit dicens: Parum est mihi vt suscites mihi tribus Iacob & fæces Israel conuertendas. Quod enim intra fæces Israël cohibeatur gratia prædicationis parum est Deo: sed oportet vt lux vsque ad vltimum terræ perueniat. *Rom.* 3. An Iudæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Quoniam quidem vnus Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Modius etiam est, quo soluitur census: & secundum hoc sensus est, quod prædicatio non est ponenda sub pretio. 1. *Corinth.* 9 Euangelium prædicans sine sumptu ponam illud: vt non abutar potestate mea in Euangelio. *Act.* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Quia cogitasti donum Dei pecunia possidere. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Sic ergo neque in abscondito neque sub modio est ponenda lucerna.

Sed super candelabrum] hoc est, proprium eius retinaculum. Candelabrum autem aureum cum lucernis septem, est homo ecclesiasticæ vitæ cum fulgore intellectus, in quo est virtutis conuersatio charitate informata, auri fulgor & pretium. Pes, ecclesiastica dignitas. Lucernæ septem, fulgores intellectus: quos requirit potestas ecclesiastica ex quatuor sacræ Scripturæ intellectibus: Historiali, Allegorico, Morali, & Anagogico, & intellectu aliarum scientiarum: quæ vt dicit *Hier.* sunt Physica, Ethica, & Scientia loquendi congruè & ornate. Vel melius dicatur, quod septem lucernæ sunt dona Spiritus sancti. Septem autem hastilia sunt septem virtutes: tres quæ dicuntur theologicæ, & quatuor quæ vocantur Cardinales. Et tales Prælati septem, hoc est, Vicarius Christi, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, inferiorum dignitatum Prælati, & Presbyteri simplices: sunt septem candelabra, in quorum medio ambulat Dominus. *Apoc.* 1. habens septem stellas, quibus quodlibet illuminat candelabrum ad executionem officij propriæ dignitatis. Et hoc significatum est *Exod.* 25. vbi tale candelabrum ex auro mundissimo fieri præcipitur. Et similiter *Zachar.* 4. vbi de simili loquitur candelabro

Vt qui ingrediuntur] Tangit hic lucernæ proprium vsum. *Matth.* 5. dicitur: Vt luceat omnibus qui in domo sunt. Secus ergo est: vt qui ingrediuntur in domo, vel in domum videant lumen. Lumen autē videtur dupliciter: in se, & diffusū in rebus quas demonstrat, quando cadit super illas. Et sic dicitur se demōstrare Doctor Ecclesiasticus ingredientibus in domum Ecclesiæ, quod in ipso non appareat nisi lumen: & quod ab ipso omnia alia quæ sunt in domo illustrentur & ostendantur. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. *Ioan.* 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. *Ioan.* 11. Qui ambulat in die non offendit Quia lucem huius mundi videt. *Prouerb.* 4. Semita iusti quasi lux splendens & crescens vsque in perfectum diem. *Prouerb. vltim.* Non extinguetur in nocte lucerna eius.

Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

Hic tangit lucernæ de qua dixit, dispositionem & proprietatē. Et ista est initio istius partis, quod ostendat Doctorem de quo dixit, debere esse simplicem secundum intentionem. Tangit autem tria: lucernæ determinationem, diuisionem, & cautelæ doctrinam. Determinationem tangit per hoc [lucerna corporis tui &c.] Q. d. Quamuis dixerit Doctorem & Sacerdotem lucernam: tamen ratione cuiusdam quod est in ipso, lucerna vocatur: & hoc est oculus. Et est hoc quod dicit [Lucerna corporis tui, est oculus tuus] Quamuis autem secundum *Arist.* & secundum rei veritatem oculus componatur ex aqua & tunicis perspicuis: tamen secundum formam eliciendi actum videndi, componitur ex lumine: & ideo dicit *Plato*, quod componitur ex igne claro. Et sic oculus hominis est intellectus eius & ratio. Et sunt duo oculi: vnus agnitio

agnitio veri, & alter agnitio boni operabilis: qui præcedere debent omnes vias hominis. Et intentio est quæ finē præfigit. quo per opera perueniatur. *Psal.* 12. Illumina oculos meos ne vnquam obdormia in morte *Psal.* 31. In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. De talibus ergo dicens [Lucerna corporis] Corpus dupliciter sumitur. Est enim corpus dictum à corporeitate communi: & hoc modo non sumitur hic corpus: Alio modo dicitur corpus organicum, quod est per membra instrumentum animæ ad opera exercenda. Sic congeries membrorum operantium dicitur corpus. Et sic duces totius corporis & omnium operum animæ & corporis sunt oculi. Et sic sumitur hic corpus. 1. *Thes. vltim.* Vt integer vester spiritus, & corpus, & anima seruetur. Sic [Lucerna corporis tui est oculus tuus] *Psalm.* 17. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas Lumen autem in hac lucerna fides est, & scientia Scripturarum. De fide *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. De scientia Scripturarum 2. *Corinth.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere illuxit in cordibus nostris ad illuminationē scientiæ Euangelij Christi. Sic enim illuminatus intellectus, & intentio rationis scit quo pergere debeat. Et est lucerna lumen spargens per illuminationem verbi Dei in ipso. *Psalm.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis

Si oculus] Dat oculi diuisionem penes bonum & malum oculum. Et primo dicit dispositionem boni oculi, dicens [Si oculus tuus fuerit simplex] hoc est, adunatus ad vnum verum finem omnium operum tuorum. Si enim vis oculi non sit adunata, nunquam secundum naturam recte & bene videt oculus: sed dirigit in diuersa, & confundit opera quod homo nescit quo pergat. *Cantic.* 4. Vulnerasti cor meum soror mea in vno oculorum tuorum. Hoc est, in adunatione & simplicitate oculorum tuorū, vt supra 10. *Mat.* 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Cant.* 1. Oculi tui columbarum. Simplex autem est, quando non respicit ad modum temporalis retributioni.: sed sine omni plica respicit ad æterna. Conuersa enim in lapidem vxor Loth respiciens retrorsum *Gen.* 19. *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro: aptus est regno cælorum. *Prouerb.* 6. de homine apostata quod annuit oculis: & ideo vir est inutilis.

Totum corpus tuum] in omni congerie operum suorum [lucidum erit] quia tunc opera à luce eliciuntur, & luce vestiuntur, & luce diriguntur, & ad lucem terminantur. Eliciuntur quidem à luce: quia lumē quod intellectus est veritatis & virtutis elicit ea. Vestiuntur autem a luce: quia formam induunt veritatis & virtutis. Diriguntur à luce: quia lumine intellectus & rationis ordinantur. Terminantur ad lucem: quia æternæ luci per intentionem coniunguntur. De primo horum dicitur *Iob* 38 Indica mihi per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram. Per viam enim lucis eliciuntur. De secundo dicitur *Apoc.* 13. quod mulier, quæ signum est Ecclesiasticorum bonorum, amicta est sole propter splendores operum suorum. *Rom* 13. Induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. De tertio dicitur *Sap.* 18. Sanctis tuis erat lux maxima, qua dirigebantur omnia opera eorum. De quarto dicitur in apocriphis *Esdr.* Lux perpetua luceat eis. Sic ergo totum corpus cum vniuersitate operum suorum lucidum erit. Vt verum sit quod dicitur *Prouerb.* 4. Semita iusti quasi lux splendens & crescens in perfectum diem. *Daniel.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates.

Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

Tangit dispositionem oculi mali. Nequam enim vocatur qui nequit in malo plus, & plus vult mali quam potest: sicut oculus liuidi semper respicit ad nocumentum. *Eccli.* 31. Memento quia malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est? *Matth.* 20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Nequitia oculi istius est duplicitas: quod rectè quidem docet, malè autem appetendo agit. Et hæc nequitia dicitur oculi: quia mala nuntiat cordi. *Gen.* 3. Vidit igitur mulier lignum quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile. Ideo dicit *Psal.* 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. *Sap.* 4. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. Fascinatio autem maximè fit per oculum. 2. *Pet.* 2. Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Adulter enim oculus contempto vero animæ sponso, sponsum respicit, strabonizando adulterum. Si ergo sic nequam fuerit oculus [etiam corpus tuum] instrumentum operationum, cum congerie suorum operum [tenebrosum erit] quia illicitur opus tenebris, vestitur tenebris, & stat in tenebrosis, & dirigitur ad tenebras æternas. De primo *Iob* 3. Viro cuius abscondita est via: & circundedit eum Deus tenebris. De secundo *Ibidem.* Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine. Ita ab *Apostolo Rom.* 13. vocantur opera tenebrarum. De tertio dicitur *Sap.* 17. Solis Ægyptiis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum quæ erat eos comprehensura. De quarto dicitur *Thren.* 3. Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem. Ideo dicitur *Matth.* 22. Proijcite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. *Prou.* 4. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant.

Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Ecce instructio ad cautelam ex præmissis assumpta. Dicit autem duo: instructionem cauentem à malo, & conclusionem de vtilitate oculi boni. Dicit ergo [Vide ergo] hoc est, caue ergo [ne lumen] intellectus & rationis [quod in te est] hoc est, quod in te debet esse. *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, hoc est, ne industriam & sagacitatem & scientiam intellectus & rationis ad malum conuertas: sicut diabolus qui tanto peior est, quanto est, ad agendum malum sagacior. *Ierem.* 4. Sapientes sunt vt faciant malum; bene autem facere nescierunt. *Isa.* 5. Væ

qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras Quia sit eliciens, & formans, & dirigens opera tenebrosum est: non egredierut nisi opus tenebrarum.

Si ergo corpus tuum lucidum] Ecce conclusio de vtilitate oculi boni: quia si beneficio oculi clari totum corpus tuum cum omni congerie suorum operum [lucidum fuerit] eritis vos sicut filij lucis. *Ephes.* 5. Vt filij lucis ambulate. *Psalm.* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt : & in nomine tuo exultabunt tota die, hoc est, in plena luce [non habens aliquam partem tenebrarum] neque in eliciente, neque in informante, neque in dirigente, neque in terminante : tunc nihil habet commune cum tenebris. *Iudic.* 5. Qui diligunt te: sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. *Cant.* 6. Processit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol [erit lucidum totum] Non sicut luna menstruos capiens defectus lucis, sed totus coruscans lumine. *Eccli.* 27. Sapiens in sapientia permanet sicut sol. Stultus vt luna mutatur [& sicut lucerna fulgoris] hoc est, quæ vndique fulgorem emittit. *Ioan.* 5. Erat lucerna ardens & lucens. *Isa.* 58. Implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit [illuminabit te] & hic, & in futuro. *Psalm.* 75. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. *Eccli.* 43. Mundum illuminans in excelsis Dominus. Ista sunt vasa lucis: luminare maius, quod est verbi irradiatio : luminare minus, quod est serena conscientiæ ratio : quæ ab initio mundi fecit Dominus. *Luc.* 1. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Et cum loqueretur rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

Hic incipit ostendere quod omnis virtus potestatis ecclesiasticæ ab interiori procedit. Et illa etiam quæ videtur esse in exteriori honestate, sic fundatur in interiori spiritus virtute. Diuiditur enim pars ista in duas, in quarum prima per quandam historiam, veniendi ad hanc doctrinam accipit occasionem: in secunda autem ipsam ponit (alias pœnitentiæ) doctrinam. In prima harum tria dicuntur: vocatio ad prandium, & recubitus: secundo autem in recubitu, Discipulorum illotis manibus ad mensam accessus : tertio Pharisæi murmur de omissione traditionis seniorum. Et hæc plana sunt in littera. Dicit ergo [Et cum loqueretur] adhuc de materia inductæ disputationis contra Pharisæos : & confutasset eos [rogauit illum] deuotionem simulans [quidam Pharisæus] vt per hoc confusionem aliorum declinaret, sicut qui specialem deuotionem haberet ad Christum. Simile aliquid fecerunt *Matth.* 22. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. *Eccli.* 1. Accessisti maligne ad Deum : & interiora tua plena sunt dolo. Rogauit autem [vt pranderet apud se. Et ingressus] in domum Pharisæi [recubuit] Volebat enim exteriori familiaritate hunc Pharisæum de pœnitentia conuincere, qui iam exterius per verba se vidit confutatum. *Apoc.* 3. Ecce ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum eo & ipse mecum. Est enim conuiuatio causa familiaritatis, & mutuæ charitatis & confidentiæ. *Psalm* 54. Tu homo vnanimis, dux meus, & notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos.

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere quare non baptizatus esset ante prandium.

Hic ostenditur dolus & obseruatio & insidiæ Pharisæi. Dicit ergo [Pharisæus] de exteriori munditia carnali inflammatus & insidians. *Psalm.* 9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis vt interficiat innocentem. *Psalm. eodem.* Insidiatur vt rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum [cœpit] cogitando [intra se reputans] Exterius ostendere non audebat : eo quod videtat qualiter alij fuerunt confutati. *Matth.* 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. 1. *Reg.* 16. Deus intuetur cor. *Eccli.* 24. Oculi Domini circumspiciunt omnes vias hominum [dicere] in corde. *Psalm.* 11. Labia dolosa in corde & corde locuti sunt. *Psal.* 13. Dixit insipiens in corde suo : non est Deus [quare non baptizatus esset] hoc est, lotus [ante prandium] *Matth.* 15. Quare Discipuli tui transgrediuntur mandata seniorum. Non enim lauant manus cum panem manducant. *Marc.* 7. Pharisæi nisi crebro lauent manus suas non manducant : & à foro venientes nisi baptizentur non manducant. Traditionibus insidiabantur Christo: qui in mandatis Dei nullam reprehendendi inuenit occasionem. Plus enim curabant de suis traditionibus quam de mandatis Dei. *Matth.* 15. Irritum fecistis mandatum Dei propter vestras traditiones. *Rom.* 10. Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. *Matth.* 15. Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.

Et ait Dominus ad illum : Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis : quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit?

Hic incipit secunda pars, in qua accepta occasione docet omnem virtutem de interiori munditia procedere, & nihil esse curandum de exteriori, nisi in quantum in interiori radicatur. *Psalm.* 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. *Isa.* 52. Mundamini qui fertis vasa Domini [Nunc vos Pharisæi] Hæc pars diuiditur in duas, in quarum prima ostendit quid munditiam faciat interiorem: in secunda occasione accepta ostendit quantæ maledictionis sit exterior munditia absque interiori. In prima harum tria facit, in quorum primo ostendit quantum Pharisæi exteriori studebant munditiæ: in secundo ostendit quod hoc stultum est, deserta interiori munditia : in tertio ostendit quid potissimum munditiam faciat interiorem. In prima harum duo facit. Primo enim munditiæ exterioris ostendit studium : secundo ostendit interioris munditiæ negligentiam & conceptum. Dicit ergo.

Nunc vos] in hoc tempore. Quia apud Patriarchas & Prophetas hoc non fuit : sed est adinuentio

tio eorum. Sumebant autem Leuit. 9. occasionem: vbi dicitur, quod qui tetigerit aliquid immundum, lauetur aqua. Et Leuit. 15. Vas quod non haber operculum, immundum erit [Pharisæi] ab aliis per obseruantiam exterioris munditiæ diuisi [quod de foris est calicis] hoc est, exteriora calicis, hoc est, vasis in quo bibitur [& catini] Magnum vas rotundum in quo cibi reponuntur catinus vocatur, quod aliquando dicitur paropsis à patibus absidibus dictum. Et est sensus quod curant multum de exteriori munditia, neglecta interiori. Et ideo Matth. 12. dicuntur domus ad quam reuertitur diabolus cum septem spiritibus nequioribus se: quam inuenit scopis mundatam, & ornatam: vacantem, hoc est, ab interiori studio torpentem. Isti sunt de quibus dicitur Matth. 7. quod extrinsecus sunt in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et hoc est quod dicit.

Quod autem intus est vestrum] hoc est, cor & studium cordis [plenum est rapina] Isa. 3. Rapina pauperis in domo vestra. Isti enim studebant quod sub specie pietatis præripetent pauperibus eleemosynas, & patentibus subuentiones debitas & præceptas à Domino. Et ideo semper rapere conabantur. Isa. 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt. Dicentes cum filiis Heli 1. Reg. 2. Nunc enim dabis: alioquin tollam vi & iniquitate. Quia ad iniquitatem inclinabant animas subditorum. Isa. 5. Iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferebant ab eo. Oseæ 4. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem subleuabunt animas eorum.

Stulti] Ostendit stultum esse studere exteriori munditiæ, neglecta interiori. Et hoc est quod dicit [Stulti] Non considerantes quid primum & principale: & quid secundarium. Rom. 1. Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Isa. 19. Sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens [Nonne qui fecit quod de foris est] hoc est, corpus quoad exteriorem hominem [fecit & quod intus est] hoc est, animam secundum hominem interiorem. Et quia vnus vtriusque naturæ author mundissimus est, vtramque naturam mundari voluit: & illam magis quæ sibi similior est, hoc est, interiorem. Leuit. 19. Sancti estote: quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester, qui sanctifico vos. Ierem. 4. Laua à malitia cor tuum Ierusalem vt munderis. Isa. 1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.

Hic tangit qualiter exteriorum secundum veritatem fit emundatio. Non enim fit per baptismata & loturas aquarum: sed per immundantis abdicationem. Duo autem sunt immundantia: iniuste scilicet acquisitum, & superfluum. Iniuste acceptum vel acquisitum oportet restitui. Tob. 2. Videte ne forte furtiuus sit: sed reddite eum Dominis suis. Non enim licet nobis aliquid edere de furto aut contingere. Furtum autem hic dicitur omne quod fraude, vel dolo, vel mendacio est acquisitum, vel ablatum alicui, vel quocunque modo alicui illicite abstractum. Exod. 20. Non furaberis. Luc. 19. Siquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Superfluum est dupliciter dictum: est enim superfluum naturæ, & superfluum personæ. Superfluum naturæ est quod est vltra sufficiens naturæ, & bonæ habitudini, & operi si est operarius: & quod est vltra continentiam naturæ in tali esse, & bona habitudine, & opere. Potest enim homo prouidere sibi facultates, quod se sic contineat continuo sine defectu: & ideo quod superfluum est dici, non superest vitæ sic continuandæ & continendæ. Superfluum autem personæ est, præter quod persona secundum suum gradum & familiam conseruari potest. Et ideo plura necessaria sunt Episcopo quam clerico, & pluta Regi quam militi, & pluta Patrifamilias quam priuato homini. Superfluum igitur vtroque istorum modorum dandum est in pios vsus: & tunc exteriora munda sunt. Luc. 19. Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Tob. 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, id ipsum impertiri stude. Prouerb. 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. Isa. 58. Frange esurienti panem tuum; & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Ille enim panem frangit qui superfluum à necessario diuidit, & pauperi porrigit. Nehem. 8. Comedite pinguia, & bibite mulsum. Et mittite partes eis qui non præparauerunt sibi [eleemosynam]. Quæ dicitur ab eleo, quod est misereor: quia miseris est distribuenda. Iob 31. Foris non mansit peregrinus, ostium viatori patuit. Ex ante. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit alienus ex ea.

Et ecce residua [omnia] ad vsum [munda sunt vobis] Tit. 1. Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & incredulis nihil est mundum. Quando enim homo mundus mundat exteriora ad vsum necessitatis concessa, omnia fiunt sibi munda. Et hæc munditia exterior ab interiori procedit munditia. Act. 10. Quod Deus sanctificauit tu ne commune dixeris. Pharisæi autem præsumentes de sua iustitia potabant interiorem munditiam ab exteriori causari & dependere: & ideo redarguuntur Isa. 64. Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Sic enim à peccato fit omnis immunditia.

Sed væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham, & rutam, & omne olus: & præteritis iudicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

Dixerat qualiter omnia munda efficiuntur. Et per contrarium etiam illa quæ munda esse videbantur, immunda efficiuntur per malam auaritiam & ingluuiem. Habac. 1. Væ ei qui multiplicat non sua: vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? Isa. 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid vos soli habitabitis in medio terræ? Circa autem hoc tangit hic tria: maledictionem auaritiæ, & maledictionem superbiæ, & hypocrisis per quam & superbiam & auaritiam venabantur. Circa auaritiam autem duo dicit: auaritiam,

auaritiam, & mandatorum Dei omissionem quæ ex auaritia causatur. Et hoc est secundum *Hieron.* & *glossarum* expositionem. Secundum *Chrysost.* autem in prima maledictione non condemnat auaritiam, sed superstitionem: & in secunda superbiam: & in tertia hypocrisim. Et hæc est expositio literalis. Et tunc aliter continuatur litera sic. Ita dixi, quod mundantur exteriora non per ablutionem aquæ: sed per superfluorum in eleemosynas erogationem. Sed hoc quidem vos Pharisæi non facitis, qui iustificari quæritis coram hominibus. Et ideo vobis ô Pharisæi væ æternæ immineat maledictionis. *Matth.*23. Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus [quia decimatis] hoc est, decimas datis, vt dicit *Chrysost.* [mentham, & rutam] & huiusmodi minuta, quæ non in magno erant damno [& omne olus] paruulum olusculum. Vt per hoc etiam alia videretur decimasse: cum tamen maiorum frugum decimas vbi poterant retinerent. *Luc.*18. Decimas do omnium quæ possideo. *Malach.* 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum vt sit cibus in domo mea. *Num.* enim 18. præcepit Dominus vt Leuitis decimæ darentur. Et in hoc iusti volentes esse Pharisæi decimas minutorum soluebant: & in hoc non male faciebant. *Hieronym.* autem dicit, quod Pharisæi præcipue erant Clerici & Sacerdotes Iudæorum. Et ideo aliter exponit [decimatis] hoc est, decimas exigitis de mentha, & ruta, & quolibet paruo olusculo quod aliquod lucrum potest inferre. *Sapient.*c.6. Æstimabant lusum esse vitam hominis, & conuersationem nostram compositam esse ad lucrum: & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere. Et reliquitis quæ grauiora sunt legis, dicit *Matthæus*. *Lucas* autem,

Et præteritis omne iudicium & charitatem] Dei. Iudicium quidem in reddenda iustitia: de qua dicitur *Deuter.*1. Ita paruum audietis vt magnum, quia Dei est iudicium. *Isa.*16. Præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud iudicans in æquitate, & velociter reddens. Hæc enim grauiora sunt: quia negligentibus ea grauius impurabuntur. Inter mandata enim quædam sunt ponderis grauioris, & quædam leuioris. Vnde *Luc.*10. quærebat tentans, quod esset magnum mandatum in lege? Charitatem autem negligit qui misericordiam in pauperibus non facit. 1 *Ioan.*3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo est charitas Patris in eo? *Michææ* 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te. Vtique diligere iudicium & facere misericordiam. Et solicitum te ambulare cum Deo. Deinde facit horum comparationem, dicens.

Hæc autem oportuit facere] scilicet iudicium & charitatem in causis quidem iudicium: ad omnes autem charitatem, quia charitas Dei malum non operatur. Qui enim proximum diligit legem impleuit *Rom.*14. [& illa] decimarum dationem vel exactionem [non omittere] Et ideo illa sunt grauiora præcepta legis, quæ oportet facere. *Matth.*5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Hæc autem minima legis non omissa, sunt fimbriæ in veste sponsæ adhibitæ. *Psalm* 54. Fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Has fimbrias tetigit mulier emorroissa, & sanata est *Matth.*9. quia istæ bonæ sunt dummodo de maioribus maior cura adhibeatur. 1.*Corinth.*14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis. Qui autem curam istam peruertunt, derisibiles & condemnandi sunt. Mali enim sunt rerum æstimatores qui magnam de minimis, & nullam vel paruam de maximis curam gerunt. *Matth.*23. Liquantes culicem: camelum autem glutientes. Tales fuerunt Pharisæi *Luc.*13. Qui in die sabbati adaquabant pecora redimentes ea in necessitate sitis, & infirmos dicebant non debere solui in die sabbati à necessitate infirmitatis. Magna ergo principaliter oportet facere, & minora non omittere. Quia sicut dicit *Augustinus*, Qui minima negligit, paulatim defluit.

Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ vobis, quia estis vt monumenta quæ non parent, & homines ambulantes supra, nesciunt.

Condemnatio est superbiæ, & ambitionis, & fastus. Tangit autem hic duplicem ambitionem: scilicet, Magistratus, & fauoris popularis. Et pro vtraque istarum dicit iam eos esse condemnatos: quia iam causam suæ condemnationis apud se perfecerunt: sicut dicitur *Ioan.*3. Qui non credit, iam iudicatus est. 1.*Timoth.*5. Quorundam hominum peccata manifesta sunt ad iudicium. Hoc est igitur quod dicitur [Væ vobis Pharisæi] 2.*Timoth.*3. Habentes quidem speciem pietatis: virtutem autem eius penitus abnegantes. *Apoc.*3. Nomen habes quod viuas & mortuus es [quia diligitis] Non enim amor docendæ veritatis, & necessitas vos ad docendum inuitat: sed amor dignitatis magistralis. *Iacob.*3. Nolite plures magistri fieri, scientes quia maius iudiciũ sumitis. *Roman.*2. Confidis te ipsum esse eruditorem insipientium, magistrum infantium. Qui enim diligit cathedram, hunc necessitas ad cathedram non vocat [primas] dignitate [cathedras] quæ dicuntur catechizantium, hoc est, docentium ædes. Et est cathedra ædes, hoc est, solennis sedes docentis, qui auctoritatem & officium docendi accepit. Et hanc sedem suscipere in doctrinam veritatis non debet nisi idoneus ex vita, & potens in opere & sermone. Tales enim sunt sedes Episcoporum & Magistrorum Theologiæ. Vnde inidonei vita & scientia & eloquentia, idola quædam sunt Doctorum & erroris Magistri. *Isa.*22. Ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum: Quid tu hic? aut quasi quis hic? *Zach.*11. O pastor & idolum, derelinquens gregem: gladium super brachium eius, & super oculum dexterum eius. Isti sunt qui docent errores. *Ierem.*5. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia. *Psalm.*1. de sancto viro dicit quod in cathedra pestilentiæ non sedit. Simile aliud faciunt seculares, nihil religionis prætendentes, & bonos persequentes Christi Discipulos: & tamen cathedras ascendere præsumentes. *Psalm.*49. Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum

meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum [in synagogis] hoc est, quò conueniunt hi qui verbum Dei discere & audire intendunt, vbi non debent incathedrari nisi digni. *Psalm.* 116. Exaltent eum in Ecclesia Sanctorum, & in cathedra seniorum laudent eum. *Eccli.* 15. In Ecclesiis Altissimi aperiet os suum. In locis ergo sanctorum Pontificum & Doctorum isti hostes omnis boni sedere cupiebant. *Daniel.* 11. Sedebit in loco eius vilissimus, indignus honore regio.

Et salutationes in foro] Ecce fauor popularis. Quærebant enim applausum & acclamationem populi. Tunc enim consuetum fuit, sicut adhuc est in quibusdam terris, salutari præpotentes ab inferioribus. Contra quod dicit *Psalm.* 52. Qui hominibus placent, confusi sunt: quoniam Deus spreuit eos. *Gal.* 1. Si adhuc hominibus placerem, hoc est, placere quærerem: Christi seruus non essem. De talibus salutationibus dicitur 4. *Reg.* 4. Si occurrit tibi quisquam, non salutes eum. *Matth.* 10. Neminem per viam salutaueritis. Isti non attendunt quod dicitur *Act.* 12. quod cum populus acclamaret Herodi voces Dei & non hominum: statim percussit eum Angelus Domini, & consumptus vermibus expirauit [in foro] autem dicit: quia in foris & theatris voces populorum extolluntur cum tumultu: & talis turba forensis magis ducitur tumultu errorіs, quam attentione veritatis. *Isa.* 3. Popule meus qui te beatum dicunt: ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Dicit etiam [in foro] quia ibi sunt venales laudes. *Matt.* 25. Ite potius ad vendentes oleum laudis vanæ: & emite vobis. *Psalm.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum.

Væ vobis] Pharisæis scilicet. *Isa.* 3. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. *Eccli.* 2. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Causam autem subiungit maledictionis esse hypocrisim, dicens [quia estis vt monumenta] *Matth.* 23. Similes estis sepulchris dealbatis. Monumentum autem vocatur quasi monimentum: quia monet transeuntes de eo qui ibi sepultus est: ne à memoria pereat. Et ideo sepulchra ædificata & picta memoriis defunctorum, monumenta vocantur. Et illa, sicut dicitur *Matth.* 23. apparent extra hominibus speciosa. In qua parte pulchræ imagines & magna facta defunctorum, & qualiter in cælum recipiantur ab Angelis: in eo autem quod occultum est, fœtor est, & corruptio, & horror ossium defunctorum. Et hoc est quod dicit [quia estis vt monumenta] *Act.* 23. Percutiet te Deus paries dealbate [quæ non apparent] extra secundum spurcitiam quam intus continent. Quia exteriora videntur: quæ picta sunt. 1. *Reg.* 16. Homines vident quæ patent [& homines] adhuc viui [ambulantes supra] prætereuntes sepulchra nesciunt quid fœtoris intus concludatur. Sic est hypocrita extra pictus simulata, & falsata, & falsa pietate: & intus plenus fœtore peccatorum, quæ in occultis facit, vel facere concupiscit. *Psalm.* 5. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. *Isa.* 14. Tu proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis: sicut sanies pollutus & obuolutus. Ideo dicitur *Ezech.* 12. de sepultis, quod iniquitates eorum sunt in ossibus eorum. *Matth.* 24. Intus estis pleni hypocrisi & iniquitate.

Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis. At ille ait.

Hic incipit reprehensio Legisperitorum qui præsumebant de falsi nominis scientia, & cæteros simplices aspernabantur. Dicuntur autem in ista parte duo, in quorum primo ponitur qualiter fastum cordis in zelo laudis prodidit Legisperitus: in secundo autem qualiter occasione accepta Dominus Legisperitis maledicit, & iustam ostendit eorum maledictionem. In prima dicit sic.

Respondens autem] ad ea quæ ad alios dicebantur propter conscientiam similis delicti. *Prou.* 17. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum [quidam] qui exceptos reputabat præ aliis promptulus ad loquendum. *Prouerb.* 12. Fatuus autem statim indicat iram suam Qui autem dissimulat iniuriam suam callidus est [ex Legisperitis] qui verum intellectum legis non habuit. Sed apud Iudæos, narratores mendaciorum impossibilium Legisperiti vocantur. *Matth.* 22. Erratis nescientes Scripturam, neque virtutem Dei. 2. *Corinth.* 3. Vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum supra cor eorum [ait illi] manifestans cordis sui stultitiam. *Iob* 4. Conceptum sermonem tenere quis poterit? *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.

Magister] Magistrum vocat vt dicit *Chrysost.* cuius non vult esse discipulus. *Matth.* 22. Magister, scimus quia verax es [hæc dicens] tu qui videris authenticus: eo quod verba tua sunt sicut potestatem habentis: & ideo attendit tibi populus. *Ioan.* 7. Nunquam homo sic locutus est vt iste loquitur [etiam nobis] Q. d. Laude sumus dignissimi, & principes populi. *Exod.* 22. Principem populi tui non maledices. Q. d. Tolerabile esset de aliis: sed cum etiam nobis facis contumeliam, amplius non est tolerandum [contumeliam facis] talis enim est fastus magnorum, quod mala licenter facere volunt, & argui de malis dedignantur: dicentes ea quibus arguuntur in contumeliam honoris sui dici, & non ad emendationem delicti. Vnde *Ioan.* 18. Quidam de astantibus dabat Christo alapam, dicens: Sic respondes Pontifici? *Act.* 23. Princeps Sacerdotum Ananias præcepit astantibus percutere os Pauli. Q. d. Magnam meruisti pœnam: ex quo & nobis facis contumeliam. Tales enim valde parati sunt contumeliam bonis facere, sed increpationes nolunt sustinere: non attendentes quod in laudem Eliæ dicit *Ecclesiasticus* 48. In diebus eius non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum. Nec superauit illum verbum aliquod. Et ideo sequitur.

At ille] imperterritus [ait] *Ezech.* 3. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.

Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt: & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.

Hic

Hic incipit interminatio maledictionis:& diuiditur in tres paragraphos, quorum primus continet maledictionem de duritia, quam habebant in commilitos: secundus autem maledictionem quam meruerunt, verbo quidem colentes Sanctos, & actu imitatores eorum qui Sanctos interfecerunt: tertius autem continet maledictionem, eo quod legis intellectum verum peruerterunt. In primo horum duo continentur, quorum primum, quod aliis dura imponebant: secundum autem, quod sibi etiam parua non imponenda dixerunt. Dicit igitur.

Et vobis Legisperitis væ]Causa dicitur *Matth.* 23. Dicunt enim, & non faciunt. *Rom.* 2. Qui alium doces, teipsum non doces [quia oneratis homines] graues pœnitentias & importabiles imponentes, & præcipue pœnas pecuniarias imponentes. Dicunt enim quod illa pœna infligenda est quæ magis timetur: & hanc dicunt esse pœnam pecuniariam: non corrigentes peccatum, sed implentes crumenas: dicentes cum Roboam 3. *Reg.* 12. Pater meus imposuit super vos iugum graue: ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis: Ego autem cædam vos scorpionibus. Tales sunt, qui omnia dura Scripturarum interpretantur de Laicis, & de se nihil: dicentes Laicos pecora esse: nec iudicant parcendum esse pecoribus. Contra quod dicitur *Prouerb.* 12. Nouit iustus animas pecorum suorum. Viscera autem impiorum crudelia. *Matth.* 23. alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt ea humeris hominum. Contra quod dicitur *Isa.* 58. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sont liberos, & omne onus dirumpe. Isti autem omne onus legis imponebant humeris subditorum. *Act.* 15. Hoc est onus quod neque nos neque patres nostri portare potuimus. Et hoc est quod sequitur[oneribus quæ portare non possunt]parum enim portare possunt infirmi. Vnde Dominus compatiens infirmis, & super afflictos pia gestans viscera, dicit *Ioan.* 16. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.

Et ipsi vno digito] hoc est, adiutorio minimæ compassionis: vel demonstratiue minimi adiutorij. *Matth.* 23. Digito autem suo nolunt ea mouere. Contra quod dicitur *Isa.* 40 Qui appendit tribus digitis molem terræ, hoc est, tribus adiutoriis sableuat onera infirmorum adhuc terrenorum, hoc est, compassione cordis, consolatione oris, & supportatione operis. Isti autem aggrauant quotidie & deprimunt[& ipsi]per vos ipsos [vno digito vestro] hoc est, vnius adiutorij demonstratione[non tangitis] nedum dicam quod subleuatis[sarcinas]contra quod dicit *Apostolus Galat. vl.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. De istis dicitur *Amos* 6. Optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.

Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam quidem ipsi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.

Secunda maledictio est de hoc quod ore laudabant Sanctos, & opere cum interfectoribus Sanctorum conueniebant. Et ideo iterum reprehenduntur de crudelitate simul & auaritia. Sanctos enim laudabant propter oblationes & vota Sanctorum quæ accipiebant: cum tamen in persecutione Sanctorum viuorum conuenirent cum occisoribus Sanctorum Dicit autem in hac maledictione duo. Primo enim ponit maledictionis interminationem, & secundo ponit causam. De primo dicit sic[væ vobis] *Mich.* 3. Audite hæc principes domus Iacob, & iudices domus Israël: qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis: qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate[qui ædificatis] solenni structura [monumenta Prophetarum] populus enim videns solennitatem ædificationis, facilius inclinatur ad supplicationes, & ad vota, & oblationes. Accipiebant tamen auctoritatem huius ædificationis *Isa.* 11. vbi dicitur: erit sepulchrum eius gloriosum. Et 1. *Machab.* 13. vbi Simon supra sepulchra parentum & fratrum suorum structuram fecit solennem. Et posuit in eis pyramides & naues, quæ longe à nauigantibus mare videri possent. Nec reprehendit Dominus honestatem sepulturæ exhibitam Sanctis, sed intentionem: quia hoc causa auaritiæ fecerunt: & in vita occisoribus consenserunt. *Genes.* 23. Domine mi, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum [Patres autem vestri] vnde non tantum hæreditatem terræ ad vos mittentes, sed etiam malitiæ. *Exod.* 20. Vindicans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem in his qui oderunt me. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chethæa: & in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus [occiderunt illos] *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis. Sed

Profecto testificamini] per hoc quod adhuc quæritis me interficere, & Apostolos, & eos qui testimonium de me perhibuerunt: sicut Ioannes, & Zacharias pater eius. *Sap.* 4. Ex iniquis omnes filij qui nascuntur, testes erunt malitiæ in parentes eorum. Testificantur enim per imitationem operum quod sunt filij homicidarum. Et hoc est quod sequitur[quod consentitis operibus patrum vestrorum] *Ioan.* 8. Vos facitis opera patris vestri. Et *Infra.* Vos ex patre diabolo estis, & opera illius vultis perficere. Explanat autem quod dixerat [Quoniam quidem ipsi] patres vestri [eos occiderunt] Et ideo dicuntur *Matth.* 23. serpentes, genimina viperarum: quia sunt venenati venenatorum filij, vt dicit *Chrys.* [vos autem ædificatis eorum] Prophetarum [sepulchra] dissimili quidem causa, sed pari malitia: quia auaritia est causa ædificationis: sed crudelitas causa interfectionis. Et ideo nec illi neque isti poterunt effugere à ventura ira. *Isa.* 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Et ita corde longe isti distabant à Prophetis. *Isa.* 63. Abraham nesciuit vos, & Israël ignorauit vos. *Iob* 5. Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere. Q. d. Nullus te exaudit Sanctorum,

rum, quem non imitatis per effectum operum.

Propterea & Sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident & persequentur: vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutiône mundi à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab haç generatione. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis çlauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.

Hic confirmat quod diait per auctoritatem Scripturarum. Dicit ergo [Propterea] & sciatis vos maledictos, & condemnandos [&] hoc etiam [Sapientia Dei diait] Sapientiam Dei dicere dicit, quod non in vno loco scriptum promulgat auctoritas. Quod enim dicit [Mittam ad illos Prophetas] dicitur *Ierem.* 7. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas per diem consurgens diluculo, & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt ceruicem, & peius operati sunt quam patres eorum [& Apostolos] hoc est, nuntios. *Ierem.* 7. Locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & nun respondistis. Hæc enim locutio facta est per Apostolos, hoc est, per nuntios [& ea illis occident] hoc dicitur 3. *Reg.* 19. Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. *Psal.* 78. Effuderunt sanguinem tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret. In 2. *Paral. vltim.* dicitur quod Manasses repleuit Ierusalem cruore innocentium vsque ad os [& persequentur] sicut Eliam sunt persecuti. 2. *Tim.* 3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patientur. *Matth.* 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.

Vide 4. Reg. 24. de Rege Ioachim

Vt inquiratur] Ecce tangit pro tanto reatu condemnationem. Quod autem dicit [vt] Non est causatiuum sed consecutiuum: quia talis inquisitio sequitur tale peccatum; licet non faciant propter illud [inquiratur] hoc est, requiratur. *Gen.* 9. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris eius. Bestias vocat quasi vastias dictas: viros autem ab animositate: & homines ad humo. Et ideo quocunque modo siue ira bestiali, siue pro humo, siue pro animositate sanguis Sanctorum effundatur: requiretur à Domino sanguis omnium Prophetarum. *Apoc.* 6. Vsquequo Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum ab his qui sunt in terra [qui effusus est] tanquam prophanus fuerit & immundus [à constitutione mundi] in quibus omnibus ipse agnus Dei occisus est. *Apoc.* 13. Agnus qui occisus est à constitutione mundi *Zach.* 2. Qui tãgit vos, tangit pupillã oculi mei [à generatione ista] homicidarum, qui nequitias paternas hæreditate possederunt. *Deuter.* 32. Generatio praua atque peruersa. Hæccine reddis Domino, populé stulte & insipiens: Et post. Generatio enim peruersa est, & infideles filij. *Ps.* 77. Generatio quæ non direxit cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus eius. Hæc est generatio viperarum. *Luc.* 3. Genimina viperarum [à sanguine Abel] quem primo huius generationis pessimæ & viperæ occidit Cain, à quo generatio homicidarum incepit *Gen.* 4. [vsque ad sanguinem Zachariæ] qui fuit filius Ioiadæ Sacerdotis: quem Ioas rex præcepit lapidari 2. *Paralip.* 14. vbi sic dicitur: Spiritus Domini induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dicit: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum vt derelinqueret vos? Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Domini. Et hoc est quod sequitur [qui periit] lapidatus [inter altare] holocaustorum [& ædem] hoc est, templum: quòd inter ostium templi iuxta vestibulum & altare lapidauerunt eum. Hic *Matth.* 23. dicitur fuisse filius Barachiæ: licet Ioiada vocaretur pater eius vero nomine, propter excellentem iustitiam eius vocatur Barachias, hoc est, benedictus Domini. Hos autem duos nominat: quia vterque causam sui martyrij non habuit nisi gratiam Domini. Abel quidem in signo quia respexit Deus ad Abel & munera eius. Zacharias autem in verbo prophetiæ & prædicationis.

Ita dico vobis] Assertio est. Q.d. Verè dico vobis: cuius verba non excident. *Marc.* 13. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt [requirentur] hæc omnia [ab hac] pessimorum homicidarum [generatione] *Ezech.* 16. Generatio tua & radix tua de terra Chanaan. *Isa.* 14. Non consurgat in æternum semen pessimorum. *Sap.* 12. Semen erat maledictum ab initio, & naturalis malitia eorum nec immutari potuit

Væ vobis Legisperitis] *Isa.* 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corã vobismetipsis prudẽtes. *Isa.* 29. Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis nos videt? Causam autem huius maledictionis subiungit, dicens [quia tulistis] hoc est, de Scriptura abstulistis [clauem scientiæ] quæ est spiritualis intellectus: de qua dicitur *Isa.* 22. Dabo claues domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. *Matth.* 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Ibi *Gloss.* Clauis vna est, scientia iudicandi. Hanc clauem spiritualis intellectus abstulerunt Scribæ, dicentes Scripturam non nisi carnaliter esse intelligendam. 2. *Cor.* 3. Litera occidit: spiritus autem viuificat, hoc est, spiritualis intellectus.

Ipsi non introistis] in mysteria spiritualis intelligentiæ. *Baruch* 3. Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus. Et post pauca. Quis inuenit locum eius? & quis introiuit in thesauros illius? Hac claue vsus est *Paulus* 1. *Cor.* 2. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Et paulo post. Nos enim non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Et de hac eadem claue dicit *Ibidem.* Spiritualis homo iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur, hoc est, intelligitur [ipsi non introistis] per spiritualem intellectum. *Ioan.* 5. Si Moysi verbis crederetis, forsitan & crederetis mihi: de me enim ille scripsit. *Rom.* 10.

Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et ad hunc finem isti non veniunt: quia per spiritum non intrant. Ostium enim est Christi veritas. Clauis autem, spiritualis intellectus. *Ezech.* 1. Quocunque ibat spiritus impetus, illuc gradiebantur animalia sequentia spiritum. Et similiter rotæ duorum testamentorum; quia spiritus vitæ erat in rotis. *Ioan.* 6. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *Gloss.* Hoc est, spiritualiter intellecta, vita sunt. Quod autem isti non intrant, significatum est *Genes.* 22. Vbi serui Abrahæ cum asino expectabant, donec Patriarcha cum filio reuerteretur ad eos. Serui enim sunt seruiliter in lege seruientes: Et asinus, sensus carnalis asininus. Sed filius, filialiter legem implens per spiritum: & hîc non nisi in fine mundi reuertetur ad istos [& eos qui introibant] hoc est, introire cœperant, per fidem spiritualis intellectus ad me venientes [prohibuistis] Hoc autem fecerunt *Ioan.* 9. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt quisquis confiteretur ipsum esse Christum, extra Synagogam fieret. Ista tria væ Dominus Scribis interminauit iuxta tria, quæ sunt de officio Doctorum. Doctor enim aut consideratur ad hominem se habens: vel ad Deum cuius docet doctrinam. Si ad subditum quem docet: hoc est aut secundum facienda quæ docet, aut secundum intelligenda. Et secundum peruersitatem primi actus accipitur primum væ: quia alligant onera grauia super humeros aliorum. Secundum autem peruersitatem secundi actus accipitur væ tertium: quia docent & tollunt clauem veræ intelligentiæ: & sic destruunt ea quæ docere videbantur. *Galat.* 2. Si ea quæ destruxi iterum reædifico, præuaricatorem me constituo. In comparatione autem ad Deum, in docendo peruersè accipitur væ secundum, quia pro pietate reuerentiam debebant facere exhibere diuinis, & ipsi fecerunt pro auaritia: nihil pietatis in se Deo, vel Sanctis exhibentes.

Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, vt accusarent eum.

Vltima est clausula huius doctrinæ, in qua ostenditur obstinatio Scribarum & Pharisæorum, qui neque rationibus instruebantur, neque instructionibus illuminabantur, neque promissionibus trahebantur, neque comminationibus terrebantur. Et hoc est quod dicit [Cum hoc ad illos diceret] conuertendos. 2. *Timoth* 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina [cœperunt] manifestè. Ante enim fecerunt illud idem occultè [Pharisæi] de iustitia suæ religionis præsumentes [& Scribæ] de falsi nominis scientia superbientes [grauiter] cum clamore & tumultu [insistere] conclamando. *Act.* 7. Impetum fecerunt vnanimiter in eum [& os eius opprimere] Non manibus, sed interrumpentes verba ipsius, & non peraudientes eum. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos [de multis] quæ dicere solebat [insidiantes ei] vt peruerterent verum verborum eius intellectum. *Psalm.* 9. Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est. *Psal. m.* 5. Linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum. Venenum aspidum est, qui sicut surdus verba respondentis non audit, & tamen grauiter insistit impugnando [& quærentes capere aliquid] ad reprehendendum [ex ore eius] *Iob* 6. Respondete obsecro absque contentione: & loquentes, quod iustum est iudicate [vt accusarent eum] Ecce mala intentio. *Matth.* 22. Consilium inierunt Pharisæi vt caperent IESVM in sermone. *Matth.* 12. Interrogauerunt eum dicentes: Si licet sabbato curare? vt accusarent eum. Vnde etiam in Passione *Luc.* 23. Stabant autem Principes Sacerdotum constanter accusantes eum. Sic ergo terminatur pars in qua docet facienda.

CAPVT XII.

Multis autem turbis circunstantibus ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad Discipulos suos: Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.



Ic determinat à quibus cauendum est Discipulis, qui sunt ordinis inferioris. Tangit autem duo in capitulo isto, in quorum primo dicit à quibus vitiis præcipuè est cauendum: in secundo autem ostendit qualiter quilibet solicitè parare se debeant ad Domini occursum. In prima harum ostendit qualiter cauendum est à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis eorum cum auaritia: in secunda autem ostendit qualiter cauendum est ab omni auaritia. Adhuc in prima harum duo facit, in quorum primo docet cauere fermentum Pharisæorum: in secundo autem nihil esse timendum, quamuis Pharisæi multa contra eos attentent minis & consiliis eos ad mortem quærentes. Adhuc in prima harum facit duo, in quorum prima occasionem accipit veniendi ad hanc doctrinam: in secunda autem ipsam ponit doctrinam cauendi à fermento Pharisæorum. In prima harum facit duo: primo enim ostendit qualiter causa curiositatis, audiendæ disputationis, & videndi signa circunquaque turba affluxit: secundo autem qualiter curiosis neglectis solos Discipulos docuit. Dicit igitur.

Multis autem turbis] quæ turbatæ fuerunt multitudines [circunstantibus] quia inquieta curiositas sedere nescit quiescendo, sed strepitum facit circunstando. *Isa.* 59. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest [ita vt se inuicem conculcarent] eo quod quilibet volebat esse propinquior ad audiendum & videndum curiosa. Isti sunt de quibus dicitur 2. *Timoth.* 4. Ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent. Et hoc est quod sequitur [cœpit dicere] Dicit autem

[cœpit]

[cœpit] quia ante hoc talia non dixit: quia & ipsi malitiam suam non detexerant. Sed postquam dona gratiarum & virtutum Beelzebub attribuerant, tunc cauendum fuit Discipulis. Et ideo dicit: cœpit dicere [ad Discipulos suos] qui Doctores veritatis & pietatis esse debebant. *Matth.5.* & *Luc.6.* Ipse eleuatis oculis ad Discipulos docebat eos. Illi enim meruerunt qui vestigia eius secuti sunt. *Deuter.33.* Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. *Eccli.51.* Appropinquate ad me indocti: & congregate vos in domum disciplinæ. *Isa.8.* Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.

Attendite] Hic cautelas docet Discipulos, dicens [Attendite] diligenter & cauete. *Prouerb.1.* Vt detur paruulis astutia: adolescenti autem scientia & intellectus. *Matth.6.* Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. *Matth.10.* Cauete autem ab hominibus. Dicit autem duo: excitat enim attentionem Discipulorum, & ostendit doctrinam. Per hoc quod dicit [Attendite] excitat attentionem: quod non ideo facit, quod multum difficile sit quod docet: sed ideo quia est valde vtile Doctoribus veritatis, qui verbo & exemplo fundare debebant Ecclesiam: quia illi debebant esse lucidæ veritatis & eminentis sanctitatis. *Psalm.86.* Fundamenta eius in montibus sanctis. Doctrinam autem ponens, dicit.

A fermento] & dicit duo: à quo in doctrina cauendum, & secundo dicit qualiter sincerè est proponendum. De primo dicit [à fermento Pharisæorum] Fermentum est quidem simile conspersioni, siue pastæ: & tamen est pastæ corruptio. Adhuc autem fermentum, vt dicit *Philosophus*, spiritualiter se diffundit per totum sibi coniunctum, & in suam corruptionem conuertit. Et his duabus proprietatibus hæresis vocatur fermentum. Verba hæreticorum similia sunt verbis fidei, & sunt corruptio fidei. *1.Corinth.5.* Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. De secunda proprietate dicitur *1.Corinth.5.* & *Galat.5.* Modicum fermentum totam massam corrumpit. Fermentum autem Pharisæorum est hæresis, eorum hypocrisi ad decipiendum conformata. *1.Timoth.4.* In hypocrisi loquentium mendacium. Fuit autem ista hæresis, legem esse secundum literam & non secundum spiritum intelligendam, traditiones antiquorum plusquam Dei esse venerandas, manum eorum hominibus & non eorum Deo esse cohibendam, beatificare Prophetas, & Dominū Prophetarum cum Discipulis esse persequendum: & huiusmodi. Super *Matt.16.* notauimus etiam de fermento Sadducæorum, & de fermento Herodis quod ponitur *Marc.8.* Sed hic non facit mentionem nisi de fermento Pharisæorum, quod est hoc quod dictum est. Hoc enim est in se corruptum, & alia corrumpens. *1.Timoth.6.* Homines corrupta mente circa fidem exciderunt. De secundo *Ose.7.* Quieuit paululum ciuitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum. *2.Timoth.2.* Sermo eorum vt cancer serpit. Et ideo dicit *Apostolus*, *1.Corinth.5.* Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Et post pauca. Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis. Et hæc est causa, quod tales omnes ab Ecclesia præcisi per anathema conciliorum. *Tit.3.* Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita: sciens quod subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Explanat autem fermentum, dicens.

Quod est hypocrisis] quia omnis hæresis hypocrisi confirmatur. Est autem hypocrisis dupliciter: per simulationem veritatis in sermone, & per simulationem virtutis in opere. Vnde simulat veritatem in sermone, cum dicat mendacium. *Isa.9.* Propheta docens mendacium, ipse est cauda. *Ierem.5.* Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia. De simulatione virtutis dicitur *Iob 39.* Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris. Struthio est hypocrita, cuius simulata virtus extra est similis pennis virtutum herodij, hoc est, contemplatiui viri qui incircumscripti lumen aspicit: & pennis virtutum accipitris, hoc est, boni actiui, qui volantes aues vanitatum Domino capit. Et quamuis pennæ eius similes sint pennis nobilium auium; tamen per eas nec in altum volat contemplandæ veritatis, sicut herodius: nec animas capit verbo prædicationis, sicut accipiter.

Nihil enim opertum est, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

Hic determinat qualiter sincerè verbum Dei est proponendum. De hoc autem dicit tres rationes, quarum prima sumitur ab ipsa verbi veritate & communitate: secunda autem est antipophora contra id quod posset obiici, ex timore retrahente à manifesta prædicatione: tertia autem antipophora per hoc quod possit à simplicibus obiici de ignorantia. De primo dicit quatuor, quæ per ordinem in litera continentur: quorum primum est, quod Euangelium prædicandum non est opertum: secundum, quod non est absconditum: tertium autem, quod in lumine est prædicandum: quartum vero, quod est exaltandum & publicandum. De primo dicit [Nihil autem est] de sacramentis [opertum] hoc est, de sacramentis meis, & fide, & verbo prædicationis [nihil est] de natura sua [opertum] sub mensura aliqua cooperiendum: sicut turpia, vel quæ propter lucrum docentur. *2.Corinth.4.* Euangelium nostrum non est opertum. Quod si opertum est Euangelium meum, in his qui pereunt est opertum. Dicit autem duo circa Euangelium prædicandum: opertum, & absconditum. Quibus duo respondent per contrarium: reuelatio videlicet, & scientia. Et vtriusque subiungit causam. Quia quæ dicta in tenebris, erunt in lumine: & audita in aure, prædicabuntur publicè.

Est autem Euangelium opertum ex nobis, & absconditum ex causa suipsius ad nos comparata. Ex nobis autem est opertum tribus operimentis: operimento carnalis intellectus, operimento humani vel mundani timoris, & operimento excæcationis infidelitatis. De primo operimento dicitur. *2.Corinth.3.* Velamen est positum supra cor eorum. Et hoc est velamen Moysi, quod posuit supra

supra faciem suam, quando descendit ad filios Israël. Hoc autem velamen & operimentum aufertur per spiritualem intellectum. 2.*Corinth*.3. Cum conuersus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Deus enim spiritus est. Et secundum hoc est sensus. Habete fiduciam prædicandæ veritatis. Non enim semper erit opertum Euangelium à vobis: sed cognoscetis per Spiritum veritatem manifestam, & tunc prædicabitis. 2.*Corinth*.3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.

De operimento humani timoris dicitur *Gen*.7. Omnes montes operti sunt diluuio, hoc est, timore persecutionis, sub vniuerso cælo. Hoc operimentum ita operuit Petrum, quod negauit cognitionem veritatis. Reuelatur autem hoc operimentum per duo: per indutionem Spiritus ad robur, & per veritatis victoriam. De primo dicitur *Act*.1. Sedete in ciuitate, quoadvsque induamini virtute ex alto. De secundo dicitur 3. *Esdr*.4. Super omnia vincit veritas. Veritas vincit & inualescit. *Ioan*.8. Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Et secundum hoc est sensus. Confidite prædicando: quia quamuis timor operiat in vobis Euangelium, dabitur vobis Spiritus ad robur. Et tunc 1.*Ioan*.4. perfecta charitas foras mittit timorem. Vt dicatis id *Act*.4. Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Et sic prædicatione vestra reuelabitur omnibus Euangelium. 2.*Corinth*.4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Euangelij Christi, qui est imago Dei inuisibilis. Et iste erit fructus vestræ prædicationis.

De tertio operimento dicitur in *Psalm*.108. Operiantur sicut diploide confusione sua, hoc est, sicut dupla veste confusione cæcitatis suæ: quia infideles sunt contra fidem, & mali contra virtutem. Hoc operimentum reuelabitur, quando in die iudicij, vel per signa ante iudicium, conuincetur infidelitatis peccatum. *Ioan*.16. Ille arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. De reuelatione autem iudicij dicitur 1.*Corinth*.4. Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Vnde tunc dicent infideles, vel conuicti per signa, vel conuicti luce iudicij, illud *Sapient*.5. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Et tunc est sensus. Nihil est modo opertum de Euangelio per infidelitatem Iudæorum vel Gentium, quod non reueletur per attestationem signorum, & ostensionem veritatis in iudicio. Et ideo confidenter prædicate: quia licet modo vobis fiat confusio ab infidelibus, tamen postea ista confusio conuertetur in honorem. *Psalm*.8. Gloria & honore coronasti eum Domine: & constituisti eum super opera manuum tuarum. *Isa*.54. Non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris. Sic ergo dictum est, quod nihil opertum quod non reueletur.

Neque absconditum quod non sciatur] Est autem absconditum, quod sua luce nostrum excellit intellectum. *Iob* 37. Indica nobis quid dicamus. Nos quippe inuoluimur tenebris. Istæ autem tenebræ, in quibus inuoluitur oculus nostri intellectus in conuictione diuini luminis, sicut inuoluitur oculus materialis in intuitu solis in tota. Et quia sic clara sunt diuina: ideo necesse est, quod nobis sint metaphoris & allegoriis velata. Et hæc vocantur mystica, siue occulta & abscondita. *Matth*.13. Eructabo abscondita à constitutione mundi. 1.*Corinth*.2. Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam: quam nemo principum huius seculi cognouit. Est autem ista absconsio tribus modis, scilicet, excellentia suæ lucis, allegoria absconditæ veritatis, mysterio occultationis. De primo dicitur *Eccli*.43. In meridiano sol exurit terram: & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Sol liquidæ veritatis in meridiano suæ altitudinis & manifestationis, exurit calore suæ charitatis terram, hoc est, affectum terrenorum: refulgens claro lumine Trinitatis & vnitatis obcæcat oculos mortalium, quia tenebris inuoluuntur ad luminis excussum. *Psalm*.138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. De occulto allegoriarum dicitur 1.*Corinth*.13. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. In præsenti enim nostro intellectui quia accipit cum continuo & tempore, vt dicit *Dionys*. impossibile est lucere diuinum radium nisi velaminibus sacris circumuelatum. Tertium autem mysterium siue occultum est in his quæ dicuntur propriè: sed de Deo non nisi secundum ablationem & eminentiam intelliguntur: vt vita, intellectus, substantia, & scientia, & huiusmodi: quæ de Deo magis propriè quam de inferioribus dicuntur. Cum enim Deus dicitur substantia, intelligitur quod non est substantia secundum quod apud nos substantia vocatur: sed super omnem substantiam. Est hoc est quod dicitur: Qui sedes super Cherubin, hoc est, omnem scientiæ plenitudinem.

Sic igitur tripliciter absconditum scitur. Primum enim absconditum scitur per confortationem, & illuminationem intellectus. *Psalm*.138. Nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius ita & lumen eius. *Mich*.7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Sic Moyses noster ingressus est in caliginem *Exod*.19. intellectus illuminationem. Et secundum hoc sensus est. Non timeatis de prædicatione veritatis: quia quamuis excedat vires vestræ intelligentiæ: tamen confortabitur vobis intellectus, & tunc scientur à vobis quæ modo vos excedunt. *Ioan*.1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Secundo autem modo quod absconditum est scietur, quando tolletur dispensatio similitudinum, & prouerbiorum, & nuda se manifestabit veritas. Et est sensus literæ. Confidenter prædicate: quia aliquando sine metaphoris & similitudinibus veritas se vobis manifestabit. *Ioan*.16. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. *Ioan*.16. Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. Tertium absconditum scietur, quando id quod nunc mysticum est in luce clara videbitur. Et hoc maximè in patria. Per raptum etiam aliquando, & quibusdam paucis in via. *Psalm*.35. In lumine tuo videbimus lumen. *Psalm*.88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt.

bunt. Et tunc sensus est. Non vos terreat occultum veritatis quam iam dico prædicandam: quia quamuis modo abscondita sit, tamen aliquando in lumine apparebit vobis: & tunc scietis omnia quæ vobis modo occulta esse videntur. *Iob* 28. Abscondita produxit in lucem, profundaque fluuiorum scrutata est. 1. *Corinth.* 2. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Hoc est ergo quod dicit [nec absconditum quod non sciatur.

Huius autem manifestationis subiungit causam, & tangit duo: vnum quod est ex parte nostra, & alterum quod est ex parte Euangelij. Ex parte nostra, siue Discipulorum est quod dicit [quoniam quæ in tenebris] hoc est, in tenebroso intellectu [dixistis] discendo [in lumine] hoc est, in illuminato [dicentur] intellectu prædicando & docendo. *Eccli.* 24. Adhuc doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque in longinquum, & ibi illuminabo omnes sperantes in Domino. *Mich.* 7. Si sedero in tenebris, Dominus lux mea est. *Psal.* 138. Nox sicut dies illuminabitur: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Alterum autem ponit ex parte reuelationis Euangelij. Hoc enim est in aure, hoc est, in susurro occultæ contemplationis & reuelationis auditi. Et hoc est.

Quod in aure] hoc est, in susurro auris [locuti estis] mecum tractando. *Iob* 4. Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. 3. *Reg.* 19 Sibilus auræ tenuis, ibi Dominus [in cubiculis] hoc est, in conscientiarum secretis. *Matth.* 6. Tu cum oraueris intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum. *Isa.* 26. Vade populus meus, intra in cubicula tua & claude ostia tua super te [prædicabitur] publicè coram omnibus [in tectis] loquitur ad modum Palæstinæ, in qua tecta plana sunt: & ibi propter aërem confluere homines consueuerunt. In terris enim calidis propter radiorum reflexionem circa terram est combustio, & loca combusta & calefacta ad sedendum: & aër combustus & fœtore combustionis respersus, & ideo homines in eo manere non possunt. Sed in locis altioribus sincerior & temperatior est aër, sicut in tectis: & ideo tecta plana faciunt. *Isa.* 49. Dedi te in lucem Gentium vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. *Matth.* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Isa.* 22. Quidnam tibi est quia ascendisti & tu omnis in tecta clamoris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans. Hoc enim admiratiuè dictum est, quando Isaias in spiritu vidit concursum omnium in publico ad prædicationem Apostolorum. In tecta enim Ecclesiæ ascendere, est ad publicum altæ prædicationis concurrere, ad serenum lumen scientiæ diuinæ. *Isa.* 45. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso.

Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.

Antipophora est tacitæ obiectionis. Quia possent dicere: quid est quod dicis? Si publicè prædicauerimus, hostes tui occident nos. Et ideo ad hanc obiectionem respondens excludit timorem, & ponit de hoc quatuor rationes, quarum prima sumitur penes hoc, quod timor pœnæ hominum dimittendus est, propter timorem pœnarum quas infligit Deus. Secunda sumitur penes considerationem prouidentiæ: apud quam homo persecutor, etiam minimas partes tollere non potest quæ non restituantur. Tertia sumitur in comparatione honoris futuri, qui exhibebitur confitentibus. Quarta autem inducitur penes irremissibilitatem peccati & reatus, in quæ incidunt scienter blasphemantes. In prima dicit duo: ponit enim persuasionem contra timorem humanum & mondanum: secundo ostendit qualiter magnipendendus est timor diuinus. In primo autem adhuc duo dicit: persuadet enim homines non esse timendos: & secundo adiungit rationem, quia parum nocere possunt. In prima notantur tria, scilicet, quam fideliter persuadet quod dicit, & quid suadet, & nocumentum quod homo persecutor inferre poterit. De primo dicit.

Dico autem vobis] fiducialiter ego qui sum veritas. 1. *Corinth.* 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. *Deut.* 32. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus, & rectus [amicis meis] à quibus nihil abscondo. *Ioan.* 15. Vos autem dixi amicos: quia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. Vnde si scitem vobis imminere periculum, ego vos præmunirem [ne terreamini] *Isa.* 51. Quis tu vt timeas ab homine mortali. *Machab.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, cuius gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit [ab his qui occidunt] hoc est, occidere possunt [corpus] vita naturæ priuantes.

Sed contra. Mortis periculum est, quod cadere potest in quemlibet constantem virum. Sed ad hoc dicendum est, quod hoc verum est ciuiliter & respectu boni ciuilis. Sed in comparatione ad veritatem vitæ dimittendam, vel veritatem doctrinæ negandam: non est aliquod periculum quod cadat in constantem virum: quia [sicut dicit *Philosophus*] mors talis, est bono viro tali salute eligentior. Tales enim sunt de quibus dicitur *Iob* 3. Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum. Habent enim tales mortem in desiderio, & vitam in patientia. *Philipp.* 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo multo magis melius. Isti enim Dei testes per quorum morte magnificatur Christus, sunt qui insultant morti. 1. *Cor.* 15. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? *Phil.* 1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum [& hoc est, quia.

Post hæc non habent amplius quid faciant] & est ratio eius quod inductum est de morte non timenda: quia animæ nihil facere possunt: quia *Sap.* 3. dicitur: Iustorum animæ in manu Dei sunt & non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace. Et *Ibidem.* In paucis vexati, in multis bene disponentur. Vnde cantantes dicunt martyres in *Psal.* 123. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. 2. *Machab.* 7. Tu quidem scelestissime in præsenti nos perdis: sed Rex mundi Domi-

nus defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit *in epistola Ieremiæ*. Ne ergo timueritis eos.

Baruch 6. Ostendam autem vobis] per comparationem persuadet Deum esse timendum. Et hoc est quod dicit[ostendam] per rationem & per signa [quem timeatis] cuius manum nec viui nec mortui potestis effugere. *Psalm.*138. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? *Sapient.*16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes imperium [timete eum]Deum scilicet. *Psalm.*33. Timete Dominum omnes Sancti eius [qui postquam occiderit] supple, corpus[habet potestatem]etiam animam[mittere in gehennam] *Hieronym.* dicit quod hoc nomen gehenna non legitur in veteribus libris, sed à Domino est inuentum & positum. Erat autem quædam vallis iuxta Ierusalem, quæ dicebatur Tophet à suo possessore, qui Topher appellabatur. Et hic fuit filius cuiusdam, qui dicebatur Ennon. *Ierem.* 19. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus iste Topher, neque vallis filij Ennon, sed vocabitur vallis concisionis. Quia enim in valle illa sacrificabant filios suos & filias in igne:ideo per similitudinem ignis qui iugiter ibi erat, à nomine primi possessoris qui talem ignem ibi incendit, nomen inferni gehennam Dominus appellauit. *Isa* 30. denominatur à filio, qui patrem in igne idololatriæ imitatus est: vbi sic dicitur: Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. *Ezech.* autem. 39. vocatur puliandrum, hoc est, sepulchrum multitudinis: quia propter peccatum idololatriæ, multi ibi occisi sunt, quos ignis inferni sicut carbones quosdam attraxit in voraginem inferni. *Deut.*32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo. Hæc est igitur causa nominis.

Ita dico vobis] assertio est adhibita rationi. *Rom.*3. Nunquid iniustus est Deus si infert iram? Et *ante.* Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax [hunc timete] tribus de causis: vna quia habet potestatem, quæ semper est per iustitiam ordinata. *Rom.*13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Qui enim iustæ potestati resistit, non timendo eam, eo ipso damnationem acquirit, faciendo contra iustitiam. Secunda ratio est: quia cum potestatem habeat, indissimulatum statim exequitur iudicium. *Isa.* 16. Velociter reddens quod iustum est. *Sapient.*18. Insimulatum imperium portans tuom. *Psalm.*2. Reges eos in virga ferrea: tanquam vas figuli confringes eos. Tertia ratio est: quia implacabilis est & inflexibilis prece vel pretio. *Psalm.*74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. *Prouerb.*6. Zelus & furor viri non parcet, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Hunc ergo timete. *Psalm.*1. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.

Secunda ratio est sumpta ab ordine prouidentiæ, quæ talis est, quod etiam minima sine rationis ordine perire non sinit. Dicit autem tria: primum à minori præmittit, quod minima, & non sancta, non rationabilia non pereunt nisi per ordinem prouidentiæ. Secundo, quasi inferendo ostendit, quod apud prouidentiam eandem, etiam minimæ partes corporum Sanctorum sunt multo magis ad consecutionem salutis numeratæ, & perire non sinuntur. Tertio autem rationem huius consecutionis subiungit, quæ est hæc, quod minima pars corporis cuiuslibet Sancti, multis talibus pretiosior est apud Deum. Et hoc est quod dicit [nonne quinque passeres] passer, & quælibet auis paruula, parui valoris passer vocatur. Dipondius autem est pondus duorum assium. As autem primum est in ponderibus, quo nullum est minus: sicut pondus grani tritici, vel hordei. Dicitur autem *Matth.*10. Nonne duo passeres asse væneunt. Et sic dipondio deberēt vendi quatuor passeres, & non quinque. Sed ad hoc dicendum, quod as plus valebat quam duo passeres. Sed quia vnus passer propter paruitatem diuidi non poterat: ideo quando singulariter emebantur, duo asse venundabantur. Quando autem plures emebantur simul, tunc quinque vendebantur duobus assibus. Et hoc est dipondius, sicut hic dicit, ex duobus primis ponderibus compositus. Vēdebantur autem in cibum huiusmodi aues minutæ, & in sacrificium. Erat enim sacrificium pro leproso mundato passer *Leuit.* 14. Et hoc est quod dicit[Nonne quinque passeres væneunt] hoc est, venduntur [dipondio] quod est valde paruo pretio [&] tamen [vnus ex illis]parui pretij volucribus[non est in obliuione apud Deum] Dicit autem in obliuione: quia constat, quod sui recordabatur quando fecit: & cuius tunc recordationem habuit vt faceret, non est oblitus adhibendo prouidentiæ curam, vt maneret, & saluaretur in esse.

Sed contra hoc videmr esse hoc quod dicitur. 1. *Cor.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo? Sed ad hoc dicit *Augustinus*, quod duplex est cura, scilicet, salutis in esse: & cura ordinis vitæ per legum positionem ad fructum vitæ æternæ. Et primam curam habet Deus de omnibus suis creaturis. *Gen.* 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, hoc est, vt dicit *Glossa* quod oculo beneplaciti vidit vt faceret; oculo eiusdem beneplaciti vidit, & prouidit vt manerent. Secundam autem curam non habet nisi de homine, cui leges posuit ad capescendum fructum vitæ æternæ. *Sap.*6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. *Ierem.*31. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in visceribus eorum superscribam eas

Sed & capilli] Illatio est: quia si de minimis curam habet: quod minus videtur: ergo de magnis. Igitur non tantum caput, & manus, & nobilia membra vestra, sed etiam [capilli capitis vestri] quæ minimæ partes sunt, & minus vitam animæ participantes[omnes] per singula[numerati sunt] ne subtrahi possint ab ordine prouidentiæ. *Psal.* 146. Sapientiæ eius non est numerus.

Attende autem, quod capilli capitis, (sicut dicit *Auicenna*) sunt ad decorem dati à natura, & ad cerebri saluationem. Alij autem capilli sub ascellis & inguinibus, sunt solum ad euaporationem superfluitatis: & ideo illi qui sunt in capite, quantum

quantùm sufficit decori humano, sunt de humanæ naturæ veritate. Et illi tantum conseruantur de istis à cura prouidentiæ, quantum decori sufficit, ad demonstrationem sapientiæ ornantis opus suum. Immensitas abrasorum capillorum non conseruatur. Et quia capilli capitis (vt diximus) sunt ad decorem & non alij: ideo dicit: capilli capitis sunt numerati. Quidquid enim pertinet ad ad decorem & incorruptionem, erit in corporibus gloriosis. 1. *Cor.* 15. Canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti, hoc est, quod Spiritus dedit Sanctis quod membra corruptibilia contemnerent, vt incorruptibilia possiderent. 2. *Mach.* 7. Postulatus linguam cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cælo ista possideo, & propter Dei leges hæc ipsa despicio: quia me iterum recepturum spero.

Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.

Tertium est in quo dicit rationem consecutionis: & ideo repetit [Nolite ergo timere] coniunctionem rationalem siue illatiuam interponens. Tales enim timeri non possunt, nisi timore mundano vel humano. Quis etiam tales quando mortem inferunt, transitoria mors est, & hæc lucratur vitam æternam: & est ostium vitæ. 2. *Corinth.* 4. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur [Multis passeribus pluris] pretij [estis vos] & ideo non est dubitandum, neque timendum de huiusmodi. Rationes multas similes ponit *Matth.* 6. Si fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei? *Matth.* 12. quanto magis homo melior est oue.

Dico autem vobis: Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

Tertia ratio est sumpta per comparationem honoris quem habebit confitens, & habet duo: comparationem ad honorem confitentis, & comparationem ad confusionem quam habebit is qui negauerit. De primo dicit [Dico autem vobis] certitudinaliter asserendo. *Numer.* 23. Non est Deus vt homo, vt mentiatur: neque vt filius hominis vt mutetur [Omnis quicunque] *Rom.* 3. Non enim est distinctio. *Iob* 3. Paruus & magnus ibi sunt: & seruus & liber à Domino suo [confitetur me] confessione fidei & veritatis in iudicio & prædicatione. *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem [coram hominibus] indifferenter coram hominibus. *Tob.* 12. Coram omnibus viuentibus confitemini illi. *Psalm.* 108. Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum. *Eccli.* 51. Confitebor nomini tuo assiduè: & collaudabo illud in confessione [confitebor & ego eum] confessione laudis [coram Patre meo] coram quo non laudatur nisi laude dignus [qui in cælis est] vbi laus tuta est, & non marcescit. 1. *Corinth.* 4. Tunc laus erit vnicuique à Deo. *Psalm.* 95. Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. *Ioan.* 12. Honorificabit eum Pater meus, qui in cælis est.

Qui autem negauerit me coram hominibus] Per oppositum est comparatio ad oppositum. Negatur autem aliquando Christus timore: sicut Petrus eum negauit *Matth.* 26. Aliquando autem negatur facto suo, siue opere ab eo qui illectus est concupiscentia. *Isa.* 29. Appropinquat populus iste labiis suis: cor autem eorum longe est à me. *Ierem.* 12. Prope es tu ori eorum: & longe à renibus eorum. *Tit.* 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem abnegant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne bonum opus reprobi [denegabitur coram Angelis Dei] vbi denegatio, duplex est confusio: quia & à conscientia confundetur, & exterius ab Angelis confusio testificabitur. *Psalm.* 108. Induantur sicut diploide confusione sua. *Matth.* 7. Confitebor eis, Quia nunquam noui vos. *Timoth.* 2. Si negauerimus, & ille negabit nos. *Luc.* 9. Qui me erubuerit & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.

Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.

Hic incipit quarta ratio contra linguas blasphemantium: quia Christus sine blasphemia negari non poterit. Dicit autem duo: Primum quidem ostendit remissibile esse peccatum, dictum ex ignorantia contra Christum, ab his qui ex infirmitate carnis tegente deitatem, aliquid contra Christum dixerint. Secundo autem ostendit hoc irremissibile, quod dicitur ex certa malitia contra Spiritum deitatis eius ab his, quibus ipse Spiritus per signa iam innotuit. De primo ergo dicit [Omnis] igitur ignorans [qui dicit verbum] blasphemiæ [in Filium hominis] quem propter nubem carnis Deum esse non credit. Vnde etiam *Ioan.* 1. secundum *Chrysost.* laudatur Nathanael quia non cito credidit, dicens: A Nazareth potest aliquid boni esse? Qui enim non videt nisi Filium hominis, non potest statim scire esse Deum. Et ideo illi quibus nó innotuit Christi diuinitas per signa vel scripturam (sicut simplicibus) fortè ex ignorantia vel infirmitate in Christo apparente, dixerunt aliquid, & fecerunt contra Filium hominis. Et hoc peccatum pallium habuit excusationem. Et quo ad hoc habuit causam facilioris veniæ: quæ dicitur remissibilitas in peccante, & circunstantia inclinans ad remissionem. *Act.* 3. Auctorem vitæ interfecistis. Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis. Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur vobis peccata. Causa autem huius est quod dicitur *Isa.* 53. Quasi absconditus est vultus eius & despectus: vnde nec reputauimus eum. 1. *Cor.* 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 1. *Tim.* 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Isti ergo dicunt aliquid contra Filium hominis: & ideo peccatum eorum habet aliquid excusationis

nis à tanto, quamuis non à toto. *Luc.* 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Act.* 7. Ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt

Ei autem] malitiosi [qui in Spiritum sanctum] hoc est, contra Spiritum sanctum [blasphemauerit] Blasphemia enim est impositio falsi criminis in Deum. Blasphemat autem aliquis dupliciter: aut quando Deo aufert quod suum est, & attribuit alteri: aut quando imponit ei quod suum non est. Sicut agnoscens veritatem & potentiam (qui fieri nõ potest nisi à iudicio Spiritus sancti) & attribuit illam diabolo: vel dicit eam Dei non esse, cum conscientia conuincatur, quod non nisi Dei est. Dicit autem non cogente aliquo, sed ex certa malitia, illa Dei non esse: non tantum impugnat hominem, cuius hæc esse non possunt inquantum homo est: sed impugnat Spiritum sanctum, cuius illa esse cognoscit. Sicut Iudæi Pharisæi, & Scribæ, quando expulsionem dæmonum attribuerunt principi dæmoniorum Beelzebub. Et hoc modo dicit hic: Qui in Spiritum sanctum blasphemauerit [non remittetur] ei. Causam quare Deus inclinetur ad remissionem non habet. 1. *Ioan.* 5. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis: quia non est dignus vt aliquis roget pro eo. 1. *Reg.* 16. Quousque tu luges Saul, cum ego abiecerim eum? *Ierem.* 8. Noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam te in tempore clamoris eorum ad me. 2. *Mach.* 9. Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecututus.

Dicitur enim peccatum veniale siue remissibile tribus modis: ex genere scilicet, & ex causa, & ex euentu. Ex genere quidem, quando secundum totum genus suum veniale est, siue remissibile: sicut otiosum verbum, vel factum: quod caret quidem ratione iustæ necessitatis, aut piæ vtilitatis: & tamen fit sine nocumento, & contemptu, & libidine improba. Ex causa autem: sicut quando quidem in se est mortale: & tamen habet causam excusantem, & diminuentem reatum ipsius: sicut est id quod per ignorantiam fit, vel magnæ tentationis infirmitate. Ex euentu autem remissibile siue veniale est: quod fuit quidem mortale quando factum est: sed per euentũ pœnitentiæ & confessionis sequentem factum est venia dignum & remissibile. Et hoc modo omne peccatum est venia dignum, si sequatur ipsum confessio & pœnitentia. Secundo autem modo peccatum in Spiritum sanctum, quod ex certa malitia fit, dicitur non remitti, hoc est, indignum remissione. Et hoc est quod hic dicitur [non remittetur]

Quid autem sit peccare in Patrem, & quid peccare in Filium, & quot sint genere peccata in Spiritum sanctum, non est præsentis intentionis: sed hoc diximus quantum satis ad propositum videbatur super *Matth.* 12. Et qui voluerit ibi requirat.

Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

Istud est quintum quod dat fiduciam non timendi. Dicit autem hic duo: interdicit enim confidere in humanis, quæ vana sunt: & docet confidere in Deo, qui non derelinquit de se præsumentes. In primo dicit duo: causam quidem humani & naturalis timoris in idiotis, illiteratis, & simplicibus: & interdictum solicitudinis. De primo dicit [Cum autem inducent vos] captos, vel citatos [in synagogas] in quibus est multitudo conuocata infidelium persequentium. *Apoc.* 2. Dicunt se Iudæos esse & non sunt: sed sunt synagoga satanæ. *Psal.* 15. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea: [& ad magistratus] principũ, in quibus est cõsilium & regimen populi. 1. *Esdr.* 9. Manus magistratuum prima fuit in præuaricatione hac. *Ier.* 5. Optimates magis simul confregerunt iugum, ruperunt vincula. *Daniel.* 13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum [& potestates] qui in sublimibus sunt constituti. Synagoga enim vim facit & fortitudinem ex multitudine: Magistratus ex consilio sapientiæ: Potestates autem ex assumpta auctoritate potestatis. *Sap.* 6. Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra. Hoc impletum est *Act.* 5. vbi, Ibant *Apostoli* gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.

Nolite soliciti esse] De duobus prohibet solicitudinem, scilicet, de modo propositionis, & de materia dicendorum. Modus notatur cum dicitur [qualiter] hoc est, quam ornatè, aut quibus persuasionibus. 1. *Cor* 2. Non veni ad vos in sublimitate sermonis aut scientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Et sermo meus & prædicatio mea non in doctis humanæ sapientiæ verbis: sed in doctrina Spiritus. *Isa.* 33. Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis: ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia [Aut quid dicatis] hoc est, de materia dicendorum. *Psalm.* 93. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. *Prou.* 22. Qui confidunt in cogitationibus suis, corruent. 2. *Cor.* 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. *Eccli.* 43. Multa dicimus & deficimus in verbis. Consummatio autem sermonum ipse est. Humanus enim animus in diuinis nescit quid dicat [Spiritus enim sanctus] Causam dicit interdictæ solicitudinis: quia Spiritus sanctus loquetur pro eis. Hic enim est de quo dicit *Ioan.* 9. Ætatem habet, pro se loquatur. Et ideo dicitur doctor paracletus, hoc est, aduocatus, quia & intus docet. *Ioan.* 14. Ille vos docebit omnia: & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Paracletus autem, quia & de simplicitate consolatur, & aduocati fungitur officio pro eis apud alios. *Ioan.* 14. Rogabo Patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Hic autem accipitur dupliciter, scilicet, ad sanctificationem. *Ioan.* 20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Et accipitur ad robur, & ad doctrinam, & eloquentiam. *Act.* 2. Seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Sic ergo Spiritum sanctum accepisse, didicisse est. Et hoc est quod dicitur.

Spiritus

Spiritus enim sanctus docebit vos] per inspirationem internam. *Ezech.*36. Dabo vobis spiritum nouum. *Iob* 32. Vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Sicut enim spiritum literati viri accipiens, scit quicquid scit ille vir literatus: ita spiritum Dei in quo est omnis sapientia Dei accipiens, didicit quicquid est diuinorum ad doctrinam quam docere vult pertinentium. 1.*Corinth.*2. Sicut ea quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis qui est in ipso: ita quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus: sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. *Ioan* 3. Spiritus vbi vult spirat [in ipsa hora] quia sicut dicit *Ambrosius lib.*1.*in Lucam*: Nescit tarda remolimina Spiritus sancti gratia. Et ideo etiam cadens venit super eos quos imbuit. *Act.*10. Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. *Act* 2. Subito factus est sonus de cælo tanquam spiritus torrens repleuit totam domum vbi erant sedentes [quemadmodum] Non enim tantum dat notitiam, sed etiam modum propositionis: quia constanter, & spiritualiter, & in spiritus virtute ostendendo quod dicunt. De primo horum *Act.*4. Videntes Petri constantiam & Ioannis, comperto quod homines essent sine literis & idiotæ, magis miratabantur. 2.*Paralip.*20. Tantummodo confidenter state. Ibi dicit *Translatio LXX.* Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos. De secundo 1.*Cor.*2. In doctrina spiritus spiritualia spiritualibus comparantes. De tertio dicitur *Luc.*21. Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Vnde *Act.*6. Non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur [oportear] hoc est, opem porter & profectum. Sic enim incitat Spiritus ad dicendum. *Act.*17. Incitabatur spiritus Pauli intra semetipsum, videns idololatriæ deditam esse ciuitatem. Et ideo locutus est Atheniensibus. *Iob* 32. Plenus sum sermonibus & coarctat me spiritus vteri mei: loquar & respirabo paululum [vos dicere] *Matth.*10. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. 1 *Corinth.*14. Spiritus loquitur mysteria. Ideo in figura linguarum ignearum apparuit super Apostolos *Act.*2. Verbis vt essent proflui, & charitate feruidi.

Ait autem illi quidam de turba.

Hic docet cauendum esse ab omni auaritia. In hac autem parte facit tria, in quorum primo per similitudinem ab auaritia docet cauendum, rationem accipiens ab inutilitate diuitiarum: in secundo monet ad cauendam solicitudinem rerum temporalium, accipiendo rationem à benignitate prouidentis: in tertio ostendit iterum non debere solicitum esse, eo quod præsentia contemnenda sint ex magnitudine præmij promissi in futurum. In primo horum duo facit, in quorum primo dicit factum, qualiter venit ad hanc doctrinam: in secundo autem ponit similitudinem pertinentem ad hanc admonitionem. De primo horum dicit tria, in quorum primo dicit interpellationem cuiusdam, ex auaritia interpellantis Christum pro diuisione hæreditatis: secundo dicit Christi responsionem auaritiam detestantis: tertio autem sumit doctrinæ huius parabolam. De primo dicit.

Ait illi quidam de turba] Turbatæ enim multitudinis iste fuit, qui pro rebus temporalibus fecit Christo quæstionem (qui nunquam nisi spiritualibus intendit, qui in omnibus spiritum intendere præcepit *Ioan.*6. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *Rom.*8. Qui Spiritu aguntur, hi filij Dei sunt. *Galat.*5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis) post hanc quæstionem & non congruo tempore, cum de spiritualibus & contemptu temporalium ageretur, interserit. *Eccli.*20. In ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo. Sed causa est, quam dicit Dominus *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. Iste enim quia in corde nihil habuit nisi diuitias, ideo non putabat aliud esse quærendum: putans quod summum bonum essent diuitiæ. *Eccli.*21. In ore fatuorum cor eorum, & in corde sapientium os eorum.

Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.

Ecce hic ponitur interpellatio facta ad Christum pro hæreditate diuidenda. Dicit autem tria: professionem auctoritatis, scissionem fraternæ charitatis, & separationem communitatis. De primo dicit [Magister] Non dicit, Domine, vel Rex: quia non volebat eum esse Dominum terrenorum, vel iudicem: sed tantum Magistrum, hoc est, Iurisconsultum, qui ex consilio iuris decerneret iustum esse, quod hæreditas inter fratres esset diuidenda. Et voluit quod sibi prodesset dictum Christi, si pro eo diceret. Non autem obesse posset, si contra eum aliquid pronuntiaret. *Sapient.*15. Existimabant conuersationem hominis compositam esse ad lucrum: & oportere vndecunque etiam ex malo conquirere. Lucrari enim voluit iste in dicto Christi, & non perdere [Dic fratri meo] cui me natura coniunxit, ab illo separari debeo. Sicut autem ab vno fuerunt patre, & de vna natura patris participauerunt vt essent; ita in communi ius hæreditatis possidere debuerunt. *Prouerb.*18. Frater qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. *Eccle* 4. Melius est esse duos quam vnum: habent enim solatium suæ societatis. Vnde quos ex vno & in vno natura vniuit, non debebant petere diuisionem. Frater enim communitatis & indiuisionis nomen est. Et scissuræ & diuisionis (& maxime apud Christum) hanc interpellationem facere non debuit, qui venit vt faceret vtraque vnum *Ephes.*2. *Ioan.*10. Fiet vnum ouile & vnus pastor. 1.*Corinth.*10. Multi enim vnum corpus sumus in Christo. Potius debebat dicere cum Ioseph *Genes.*50. Os meum & caro mea, frater meus est: ego pascam eum. 1.*Corinth.*14. Non est Deus dissensionis, sed pacis.

Vt diuidat] Qui autem diuidit, ab vno recedit, & alteritati & contrarietati appropinquat. Diuisio enim ab vno semper est causa scissuræ. *Ioan.*19. Non scindamus eam, sed sortiamur de ipsa cuius sit. 1.*Reg.*15. Cum scidisset Saul oram pallij Samuelis, dixit Samuel: Scidit Dominus à te regnum

tuum,

tuum, & dedit illud proximo tuo meliori te[me-cum hæreditatem] Hæreditas ab hærendo dicitur: quia ex vno hæret posteritati. Hanc communionem omnibus dedit Deus indiuisam. *Psalm.* 113. Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. Hanc etiam Sancti in fraternitate spirituali communionem habuerunt *Actuum* 4. Nec quisquam quod possidebat, suum aliquid esse dicebat: sed erant illis omnia communia: & distribuebatur vnicuique prout cuique opus erat. Et ideo hæreditas non erat diuidenda. *Luc.* 15. Ille qui petebat portionem substantiæ quæ eum contingebat, & separari voluit à patre & fratre, non attendens naturalis communitatis & dilectionis vinculum, abiit in regionem longinquam, & consumpsit bona sua viuendo luxuriosè cum meretricibus. Et ideo apud Dominum incongrua nimis erat ista interpellatio.

At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?

Hæc est Christi, diuisionem & temporalium dispositionem & auaritiam detestantis responsio. Dicit autem duo: primo notat hanc quæstionem ab humo & homi amore procedere: secundo inducit se hoc per detestationem damnare. De primo dicit[Homo] 1. *Corinth.* 3. Cum enim sit inter vos zelus & contentio: nonne homines estis & secundum hominem ambulatis? Humum enim sapit, qui de terrenis solicitatur. *Psalm.* 4. Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? *Seneca ad Lucilium.* Quis diuitiarum modus sit, quæritur? Responsio. Primo habere quod necesse est: secundo quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de prouidentia regiminis cogitat. Nullum bonum adiuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus. Hic igitur qui ab vnitate & communione recedere voluit, apud vnitatis & communitatis auctorem hoc irrationabiliter proposuit: & ideo confutari meruit. Et hoc est quod dicitur: Homo

Quis me constituit] Videtur, Christus à Patre iudex omnium esse constitutus. *Ierem.* 1. Ecce constitui te hodie super gentes & regna. Sed quia gratiæ intendit: ideo de temporalibus se non intromisit. 1. *Corinth.* 6. Secularia iudicia si habeatis: inter vos contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum[iudicem] temporalium[& diuisorem] quid quemque contingat temporalis hæreditatis [super vos] qui spiritualibus intendo. 2. *Corinth.* 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. 2. *Timoth.* 2. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis. *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Vnde etiam *Ioan.* 6. Cum quæreretur ad regnum, fugit & abscondit se. Et coram Pilato cum se regem profiteretur: statim intulit regnum suum de hoc mundo non esse *Ioan.* 18. Hoc est ergo quod dicit. Pertinet tamen ad iudicem spiritualem temporalium distributio: sed non in tempore quo spiritualibus est intendendum. Et non nisi annexa sint spiritualibus, vel ad spiritualia sint ordinata. Sicut patet *Exod.* 18. in consilio Ietro. Et *Act.* 6. in decreto Petri. Ibi dicit: Eligite viros plenos Spiritu sancto: quos constituamus super hoc negotium. Nos vero ministerio verbi & orationi instantes erimus.

Dixitque ad illos: Videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.

Hoc est tertium, vbi ex dictis sumit doctrinæ occasionem de verbo, quo docet cauere ab omni auaritia: quia sicut dicitur *Eccli.* 10. Auaro nihil est scelestius. Et hoc est quod dicit [Videte] Et tangit duo: admonitionem, & similitudinem, per quam probat admonitionem esse conuenientem. Dicit autem circa primum duo, quorum primum est ipsa admonitio: secundum autem admonitionis causa. Circa autem admonitionem duo dicit: ingeminat enim cautelam, & dicit de quo sit cauendum. De cautela[Videte & cauete] Dicit autem videndum & cauendum: & dicit videndum per experimentum, & cauendum per rationem. *Matth.* 24. Videte nequis seducat vos vllo modo. De secundo dicitur *Matth.* 16. Attendite à fermento Pharisæorum. Cautela enim est per prouidentiam rationis euitatio & declinatio periculorum. *Matth.* 10. Cauete autem ab hominibus. *Prouerb.* 1. Vt detur paruulis astutia: adolescenti autem scientia & intellectus.

Ab omni auaritia] Quamuis enim auaritia sit in male acquirendo, & in malè retinendo in genere: tamen multi sunt modi male acquirendi, & multi modi malè retinendi. Acquirendi autem malè sunt modi, iniustè acquisitum, & turpe lucrum. Turpe autem lucrum est quando actio illicita est: & id quod acquiritur licitum: sicut lucrum ex meretricio, ex ludo, ex opere turpi sicut lenocinio, vel quando locant domos meretricibus. Et in talibus quidem transfertur dominium: sed non potest inde fieri publicè sacrificium, vel eleemosyna. In occulto tamen, vbi non est scandalum, opinor quod fieri potest. *Genes.* 38. Dixit Iudas de scorto, quæ tulerat armillam & baculum pro arrhabone, & pretio coitus: Habeat sibi, certè mendacij nos arguere non potest. In ludo autem acquisitum retineri non potest: sed nec reddi est necessarium; sed in pios vsus est erogandum. Iniustè autem acquisitum est fraudatum, furatum, raptum, mendacio vel deceptione acceptum. Nec dico vltra dimidium iusti pretij. Quia etiamsi centesimam vel millesimam fraudet, coram Deo restituere tenetur. *Ezech.* 18. Ad vsuram non accommodauerit, & amplius non acceperit. *Psalm.* 14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: & munera super innocentes non accepit. Qui enim furatur vel rapit inuito Domino, contrectat rem alienam. Qui autem mutuat & præter sortem aliquid accipit ex pacto, vsurarius est, & iniusta lucra sectatur. Qui autem non ex pacto accipit munera: propter mutuum amplius accipit & munera, & hic etiam accipit lucrum illicitum. *Eccli.* 10. Hic enim, scilicet, auarus, & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua. *Isa.* 33. Qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. In retinendo autem est auaritia, quando superfluum sibi retinet tempore necessitatis. *Luc.* 11. Quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda

munda sunt vobis.1.*Ioan*.3. Qui habuerit substantiam huius mundi,& viderit fratrem suum necessitatem patientem,& clauserit viscera sua:quomodo charitas Dei manet in eo? Hæc ergo & talis est omnis auaritia.

Quia non in abundantia [causam dicit quare non prodest auaritia:quia[vita] hominis perpetua [non] est[in abundantia]diuitiarum[cuiusquam] sed potius vitæ æternæ impedimentum. Per diuitias enim se redimere non potest. *Prouerb*.6. Non recipiet pro redemptione dona plurima. Et si obiicitur contra hoc quod dicitur *Prouerb*. 13. Redemptio animæ viri diuitiæ suæ. Dicendum,quod diuitiæ non redimunt animam nisi temporaliter, hoc est,animalem vitam. Vel si redimunt animam, illæ non sunt malè acquisitæ. Et ideo dicit, diuitiæ suæ,siue propriæ,quæ expenduntur in eleemosynas. *Daniel*. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Sic ergo dicitur quod [non est in abundantia cuiusquam] qui confidit in abundantia [vita eius est] *Iob* 27. Diues cum dormierit nihil secum aufert: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Tempore necessitatis diuitiæ deficient. *Psalm*. 33. Diuites eguerunt & esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. *Psalm*.75. Dormierunt somnum suum , & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Sic ergo inutiles sunt ad redimendum , non durabiles ad permanendum,incertæ ad possidendum, mentientes ad sufficientiam promittendum [ex his quæ possidet]quæ tamen sunt certiora : quia possessio est pedum positio. Et si illa sunt incerta,nulla alia certa possunt esse. 1. *Timot*. 6. Præcipe diuitibus non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.Quinimo sunt nociuæ. 1.*Timot*.6.Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli : & in desideria multa quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Et ideo dicit *Ambr*.quod rerum terrenarum facultates impediuerunt antiquos patres, quod non ex toto conuerterant se ad Deum. *Habac*. 2. Væ qui congregat non sua , vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?

Sicut autem abundantia diuitiarum impedit: ita multos etiam impedit nimia paupertas. *Prou*. 30. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi : ne forte satiatus illiciat ad negandum,& dicam:Quis est Dominus?aut egestate compulsus furer,& periurem nomen Dei mei. Et ideo medium elegit Apostolus 1.*Tim*.6.Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes igitur alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Et ideo etiam Dominus temperat locutionem, dicens : quod non in abundantia est vita hominis. Abundantia enim impedit : sed facultates personæ congruentes & sufficientes conseruant bonam vitam:& nimia egestas contribulat eam, sicut dicit *Philosophus*. Et nemo semper tribulatus potest bonam vitam ducere. Propter quod vt dicit beatus *Augustin*. Dominus loculos secum habuit, & secum prouisores expensarum ire fecit : ne semper solicitudine in crastinum tribularentur Discipuli. Huius autem doctrinæ inducit parabolam.Et hoc est quod dicit.

Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit : & cogitabat intra se , dicens: Quid faciam , quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit : hoc faciam, destruam horrea mea , & maiora faciam : & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi , & bona mea , & dicam animæ meæ:anima,habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce , comede, bibe,epulare.

In hac autem similitudine exemplari ponit duo : similitudinem,& iuxta similitudinem sumptam admonitionem. In similitudine duo facit: abundantiam inutilem diuitiarum exprimit, & ad vitam inutilitatem diuitiarum ostendit. In ostensione abundantiæ facit quatuor:ponit enim diuitiarum abundantiam , secundo ex hoc ostendit in diuite multiplicatam angustiam, tertio ponit consilium iniquitatis , & quarto fructum voracitatis. In primo horum duo sunt : primo enim præmittit Euangelista doctrinam istam esse exemplarem & similitudinariam,& secundo ponit doctrinam. De primo dicit [dixit autem similitudinem] vtrum autem ita facta sit in re sicut dicitur,quærunt quidam. Et dicendum, quod in veritate sic factum est sicut dicitur: & puto quod tunc hoc famosum & notum fuit apud Iudæos , & ideo in exemplum propositum. *Prouerb*.1. Animaduerte parabolam & interpretationem : verba sapientium, & ænigmata eorum. *Psalm*. 77. Aperiam in parabolis os meum,loquar propositiones ab initio. *Prouerb*.21. Mulctato pestilente sapiens efficitur paruulus [ad illos]hoc est,ad vtilitatem illorum. *Ptolomæus Philosophus*. Qui ad alium non corrigitur , alij corrigentur ad ipsum. Et ideo ponitur hic in eorum exemplum.

Hominis]humum sapientis,qui verè de humo terræ factus fuit , nihil se esse cogitans nisi humum. 1.*Corinth*.15. Qualis terrenus, tales & terreni. *Ioan*.3. Qui de terra est , de terra loquitur. *Iob* 4. Qui terrenum habent fundamentum , consumentur velut à tinea. Et quia nullus intelligit, omnes similiter peribunt [cuiusdam] qui nominatione dignus non erat : quia in terra nominari voluit, etiam in terra scribi. *Ierem*.17. Recedentes à te in terra scribentur. *Psalm*.48. Vocauerunt nomina sua in terris suis.Et ideo dicit Deus:non ero memor nominum eorum per labia mea. Ecce natura terrenus & actu,innominabilis erat [diuitis] fortuna. 4. *Reg*.5. Erat vir diues & fortis, sed leprosus. *Psalm*.61. Diuitiæ si affluant,nolite cor apponere. *Sapient*.5. Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis?[vberes fructus]vberes, quia exuberabant. *Psalm*.143. Promptuaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud. Vberes autem dicuntur : quia successiuis & rediuiuis fructibus vltra sufficientiam omnem, reditus perpetuos exhibebant. Et hoc quidem terra non sibi facit,sed vsibus colentium eam. Homo autem terrenus contra terræ intentionem, ista sibi soli vendicat. *Psalm*. 84. Terra dedit fructus suos. *Psalm*.106. Seminauerunt agros, & plantauerunt vineas , & fecerunt fructum natiuitatis[fructus[autem dicitur à fruor,eris. Quia iste sicut pecus totam animam effudit vt his frueretur: & non adhibuit

adhibuit ea ad vſum virtutis & meritorum, vt referret ex his vitam æternam. *Pſalm.* 4. A fructo frumenti vini & olei ſui multiplicati ſunt [ager] ab agendo dicitur : quia actione in ipſum facta, ſemper redituuos producit fructus. Et ideo ſolicitudinē à Domino ager tollit, quia ſemper ſufficit: & liberalitatem docet , quia ſemper reddit beneficia. Sed homo irrationabilior inſenſibili elemento , hoc non recogitat quod terra liberalitate ſua docet eum. *Iob* 12. Interroga iumenta & docebunt te : & volatilia & dicent tibi [attulit] hoc eſt, ad vſum vitæ obtulit. *Geneſ.* 1. Replete terram & & ſubiicite eam. Hic autem repleri à terra voluit, & ſubiici terræ quæſiuit. *Deuter.* 33. de carnali populo dicitur : tantummodo oculus Iacob in terra frumenti vini & olei [& cogitabat] ecce anguſtia ſuborta de diuitiis, vt veræ ſpinæ dicantur *Matth.* 13. Dicit autem duo : anguſtiam interiorem, & ſolicitudinem. Anguſtiam exprimit per ſignum , dicens.

Et cogitabat intra ſe] cogitare enim eſt coagitare , quando mens ex anguſtia fluctuat ignorans quid agat *Iob* 20. Cum ſatiatus fuerit arctabitur & æſtuabit : & omnis dolor irruet ſuper eum. *Daniel.* 13. Anguſtiæ mihi ſunt vndique, & quid eligam ignoro [dicens quid faciam?] ecce ſolicitudo. Vox enim miſeri & in ſumma egeſtate & ſolicitudine poſiti eſt, quid faciam ? *Luc.* 16. Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem? *Iob* 17. Quid faciam tibi ô cuſtos hominum? [quia non habeo] ſufficientia receptacula [quo congregem fructus meos] non cogitauit iſte terram dare fructus niſi ſibi : & ideo de pauperum ventribus non cogitauit : de quibus ſi cogitaſſet, ſufficientia inueniſſet receptacula. *Iſa.* 23. Qui ſteterunt coram Domino, erunt mercedes eius : non condentur neque reponentur : vt comedant vſque ad ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem. Hoc autem non cogitabat iſte. Et ideo eſt de illis de quibus dicitur *Iacob.* 5. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt , & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginauit : & ærugo erit vobis in teſtimonium , & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.

Et dixit] ecce conſilium iniquitatis ab auaritia inuentum [hoc faciam] quod ab iniquitate docente inueni. *Iob* 15. Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium. *Ierem.* 9. Vt inique agerent laborauerunt [deſtruam horrea mea] *Gloſſ.* Hæc eſt ex ſolicitudine iſtius deliberatio. Horrea parua vel magna proportionatorum receptaculorum ad diuitias ducunt capacitatem : & ideo ſufficientia fuerunt. *Tob.* 5. Sufficiebat nobis paupertas noſtra, vt diuitiæ computaretur. Iſte autem qui non poſuit finem diuitiarum , non quanto maiora horrea ſufficiant dicit : ſed maiora & maiora vſque in infinitum facere intendit. *Prou.* 30 Ignis nunquam dicit , ſufficit. Iſte eſt infernus qui omnes abſorbet , & nunquam repletur. *Iſa.* 5. Dilatauit infernus animam ſuam abſque vllo termino. Et hoc eſt quod addit [& maiora horum faciam] & non dicit quanto maiora. *Eccli.* 14. Inſatiabilis oculus cupidi. *Iſa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid vos ſoli habitabitis in medio terræ ? *Eccle.* 5. Auarus non implebitur pecunia [& illuc congregabo] vt ſimul congeſta potius putreſciant quam pauperibus erogentur [quæ nata ſunt mihi] Stultus eſt: quia ſi nata ſunt iterum renaſcentur , & ideo congregare non oportuit ei. *Eccle.* 5. Eſt & alia infirmitas peſſima quam vidi ſub ſole : diuitiæ congregatæ in malum Domini ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima [& bona mea] & hoc verum dixiſti : quia hæc ſola bona ſunt quæ à Domino recipies. *Luc.* 16 Recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc vero hic conſolatur, tu vero cruciatis. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies ſuus , & in puncto ad inferna deſcendunt. Bona ergo tua congrega: quoniam vera bona nulla prorſus habebis. Congrega autem in malum tuum. *Gen.* 25. Filiis concubinarum largitus eſt munera.

Et dicam animæ meæ] Ecce ingluuies voracitatis gaſtrimargiæ, hoc eſt , ventris inſaniæ. Notantur autem hic tria : brutalitas eius qui dixit, ſufficientia abundantiæ in omne futurum, & reſolutio carnalitatis. Brutalitas notatur in hoc quod dicit [dicam animæ meæ] putabat enim iſte animam corporalibus indigere : quia in brutum conuerſus erat: cum potius anima gratiis, virtutibus, & ſcientiis eſſet nutrienda. *Daniel.* 4. Cor eius ab humano mutetur, & cor feræ detur ei. *Pſalm.* 48. Homo cum in honore eſſet non intellexit , comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. *Matth.* 6. Anima eſt plus eſt quàm eſca. Non enim animæ , ſed ventri eſca debetur. 1. *Corinth.* 6. Eſca ventri , & venter eſcis. Deus autem hunc & has deſtruet [anima habes multa bona] Ecce abondantia ſufficiens in omne futurum. Et hoc eſt quod dicit [repoſita in annos] *Ambroſ. in Gloſſ.* Non ſunt hominum bona , quæ ſecum auferre non poſſunt. Sola miſericordia comes eſt defunctorum. *Apoc.* 14. Opera illorum ſequuntur eos. Hic autem credebat omne bonum eſſe in abundantia temporalium. Non credidit iſte quod dicitur in *Pſalm.* 33. Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Sed hoc eſt quod dicitur 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim eſt illi: quia ſpiritualiter examinatur [quieſce] Ecce reſolutio: cum ſicut dicitur *Iob* 5. Homo natus ad laborem. Quieſcere reſolutus cogitauit. Contra quod dicitur *Prouerb.* 6. Diſcurre, feſtina, non des ſomnum oculis tuis. *Pſalm.* 131. Si dedero ſomnum oculis meis , & palpebris meis dormitationem : donec inueniam locum Domino [comede & bibe] deliciis carnalibus indulge. *Philipp.* 3. Quorum Deus venter eſt , & gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt. *Sapient.* 2. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus : & non pertranſeat nos flos temporis [epulare] hoc ſonat in delicias & abundantiam. *Luc.* 16. Epulabatur quotidie ſplendidè. Magnus enim apparatus eſt in epulis. 2. *Petr.* 2. Exiſtimantes diei delicias , coinquinationis , & maculæ deliciis affluentes in conuiuiis ſuis.

Dixit autem illi Deus : Stulte , hac nocte animam tuam repetunt à te : quæ autem paraſti, cuius erunt ?

Ecce exitus miſerabilis incerti diuitiarum & deliciarum. Et hoc eſt quod dicit [Deus dicit illi] de quo dicit *Iob* 14. Statuiſti terminos eius , qui

cerni

cerni non poterant [Stulte] Stultus est superbus, qui de contingentibus futuris nihil prouidet. Sicut & insipiens est, qui sui ipsius nescit quantitatem: vel qui ignorat seipsum. Et ideo nisi stultus esset, de incerto futuro statu suo consideraret & ordinaret: & certum præponeret incerto. Certum enim est nos morituros, sed incerta est hora mortis, & locus, & modus. Et ideo sapiens hæc omnia præordinat, & semper eum mors paratum inuenier. Stultus autem, qui nihil horum facit. Stultus enim à stolido dictus est, qui nihil sentit nisi præsens. Contra quod dicitur 2. *Cor.* 4. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. *Iob.* 5. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. *Deut.* 32. Gens absque consilio & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Sicut enim dicit *Gloss.* Iste gratias agere Deo debebat: quia non citcuibat per ostia: & stultus putabat esse securus in omne futurum. *Deut.* 32. Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens[hac nocte]hoc est, hora tenebrosa & improuisa. *Matth.* 25. Media nocte clamor factus est. *Matth.* 24. Qua hora non putatis Filius hominis veniet. 1. *Thes.* 5. Cum dixerint pax & securitas: tuoc repentinus superueniet eis interitus [animam tuam]quam putabas à bruto non differre: quia est immortalis anima. *Psalm.* 38. Veruntamen in imagine pertransit homo [repetent à te] tortores ministri iustitiæ diuinæ siue exactores, vt dicit *Gloss.* Quia exigunt quæcunque donata sunt ad rationem reddendã, & quæcunque fecit homo ad pœnam luendam. *Iob* 20. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: secundum multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit

Quæ autem parasti] in longum futurum[cuius erunt?] q.d. Ad te de cætero non pertinebunt: neque scis ad cuius manus deuoluentur. *Psalm.* 39. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui, & non est inuentus locus eius. *Iob* 20. Si caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. *Eccli.* 5. Noli anxius esse in diuitiis iniustis: non enim prodetunt in die obductionis & vindictæ. *Eccle.* 5. Quid prodest ei quod laborauit in ventum. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & ærumna, atque tristitia. *Iob* 27. Quæ est spes hypocritæ si auarè rapiat, & non liberet Deus animam suam? Et post modicum. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: & argentum innocens diuidet. Quia ille dum viueret, nec iustum voluit vestire, nec cum innocentibus argentum diuidere.

Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

Hic incipit doctrina iuxta similitudinem istam introducta. Dicitur autem sibi thesaurizans, qui ad præsens hoc vitæ istius, thesauros suos & lucra congregat, & per eleemosynam in cælo non reponit. *Baruch* 3. Qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum. Qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum suorum. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.

Luc. 16. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno[& non est in Deum diues] Quia si diuitias in pios vsus erogaret, in Deum diues esset. 2. *Tim.* 1. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Tunc enim aliæ diuitiæ non proderunt. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Si autem non est in Deum diues: tunc fiet hoc quod dicitur *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Ad tantam enim egestatem in inferno deuenit diues epulo, quod guttam paruam aquæ petiit, & non obtinuit *Luc.* 16.

Dixitque ad Discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

Hæc est doctrina iuxta similitudinem inductam accepta, de mundano timore & solicitudine dimittendis. Dicit autem duo, in quorum primo solicitudinem remouet: in secundo autem ostendit quid solicite est requirendum, quia regnum Dei. In primo horum sunt quinque paragraphi, in quorum primo dicit pro temporalibus non esse sollicitandum: quia ea ad quæ ista referuntur, hoc est, corpus & anima, maiora sunt his: & ideo pro eis non sunt periculo committenda. In secundo autem dicit hoc idem à consideratione prouidentiæ diuinæ, quæ prouidet coruis, & vilibus animalibus: eum maior sit ei cura de Sanctis. In tertio suadet hoc idem ab inutilitate solicitudinis: quia nihil potest adiicere ad vitam super id quod Deus disposuit. In quarto hoc idem suadet à consideratione pulchrorum florum agri, quos Deus vestit: cum minor sit ei cura de talibus quam de Sanctis. In quinto suadet hoc idem: quia talis solicitudo infidelium est, spem æternæ vitæ non habentium, à quibus debemus esse distincti: cum Pater noster cælestis de talibus sit solicitus pro nobis. In primo horum tria dicit: præmittit enim quorum propriè est hæc doctrina, quia Discipulorum: secundo exprimit modum & speciem interdictæ solicitudinis: & tertio dicit rationem inhibitionis. Dicit ergo.

Dixitque] ex similitudine inducta[ad Discipulos suos] qui præcipue in sermonibus suis & exemplis manere debebant. *Ioan.* 8. Si vos manseritis in sermone meo: vere Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem. Hi sunt quibus tanta cura debuit esse verbi Dei, vt temporalium obliuiscerentur. *Philip.* 3. Quæ mihi fuerunt lucra: hæc arbitratus sum vt stercora vt Christum lucrifaciam. Et *Ibidem.* Prætetitorum oblitus, ad anteriora me extendo: ad destinatum prosequor brauium. His ergo talibus quibus tanta cura & instantia incumbebat prædicationis, quod solicitudine temporalium reuocari non debuerunt, dicit [Ideo dico vobis] quos in officio prædicationis constituo. *Ioan.* 15. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat [nolite solicitì esse]ne propter solicitudinem ab executione officij vobis iniuncti retrahamini.

Sciendum quod est multiplex solicitudo. Quædam enim est improba cura prouidentiæ acquirendi vel conseruandi bona temporalia siue in corpore,

corpore, siue in his quæ pertinent ad corpus. Et hæc vocatur à Sanctis folicitudo suffocans: quia stringit vel extinguit vitalem spiritum Dei, ne spiret ad Deum in cognitione & amore,& ne moueatur obediendo vt peragatur iniunctū officium sicut spiritus suffocatus. Et de hoc dicitur *Matth.* 13. quod à curis & solicitudinibus suffocatur Dei verbum, & non refert fructum. Et hæc Discipulis interdicitur:quia impedit verbi prædicandi officium. Est enim mala talis solicitudo. Et quamuis sit multiplex sicut omne peccatum in multitudine consistit: tamen in quinque modis frequentius inuenitur. Retrahit enim a bono, & retinet in malo solicitudo peccandi:maximè in veneteis,quæ ligant & suffocant mentem. *Daniel.*13. Volentes concumbere cum Susanna, obseruabant sollicitius videre eam.Secundus modus est angustia improba occupationis circa amicos seculares. *Sap.* 14. Imaginem regis, quem honorare volebant,fecerunt;vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua solicitudine. Per modum enim idololatriæ colit amicos qui eos Deo & diuinis præponit. Tertius modus est improba & inquieta cura diuitias conseruandi: sicut dicitur *Matth.* 13. Solicitudo huius seculi & fallacia diuitiarum suffocant verbum:& sine fructu efficitur. Quartus modus est improba cura & labor diuitias acquirendi. *Eccle.* 2. Peccatori autem dedit Deus afflictionem & curam superfluam, vt addat & congreget & tradat ei qui placuit Deo. Sed & hoc vanitas est & cassa folicitudo mentis. Quintus modus est improba cura curiositatum: impedientia officium vel præceptum verbi iniunctum. *Eccle.*2.Est alius qui laborat in sapientia & doctrina & solicitudine,& hominiotioso quæsita dimittit. Et hoc quoque vanitas & magnum malum. Istæ solicitudines malæ sunt & interdictæ: quia istæ sunt improbæ curæ suffocantes vitalem verbi Dei spiritum.

Est autem alia solicitudo non improba: sed ordinata cura necessariorum ad vitam. Et hæc est tolerabilis & indulta: quia sine ista non subsistit præsens vita, quæ solatiis indiget necessariorum. Et hæc etiam habet vt in pluribus quinque modos. Est enim aliquando cura necessariæ dispensationis secundum ministerium donorum. *Luc.* 10. Marta, Martha solicita es, & turbaris erga plurima:porro vnum est necessarium.Secundus modus est cura moderata, ordinata, de salute coniunctorum sanguine vel amicitia. *Tob.* 10. Cum moras faceret Tobias causa nuptiarum, sollicitus erat pater eius, dicens: Putas quare moratur filius meus? Tertius modus est cura moderata cantelæ ab hominibus ignotis. *Tob.* 5. Ne te solicitum reddam de filio tuo,ego sum Ananias Azariæ magni filius. Quartus modus est cura moderata exigentiæ vinculi matrimonialis. 1. *Corinth.*7. Qui habet vxorem, solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori suæ. Quintus modus est cura rationabilis rei familiaris ad vsum vitæ concessæ. 1. *Reg.* 9. De asinis quas nudiustertius perdidisti ne solicitus sis & turberis:quia inuētæ sunt. Ista quintuplex folicitudo indulta est Sed non sic quod per eam impediri debeat officium verbi iniunctum; quinimo si iniuncto præponuntur officio,improbe efficiuntur.

Est autem adbuc miserabilis (sine qua hæc ærumnis plena vita esse non potest)Et hæc quamuis infinitos habeat modos:tamē tres modos frequentius habet. Primus modus est cura nimia laboris instantis. *Eccle.* 2. Detestatus sum industriam meam, qua sub sole laboraui habiturus hæredem post me quem ignoro vtrum sapiens an stultus sit:& dominabitur in laboribus meis quibus desudaui & solicitus sui. Et estne quicquam tam vanum? Secundus modus est passionis vltra vires affligentis. 1. *Mach.* 6. Recessit somnus ab oculis meis, & corrui corde præ solicitudine, & dixi in corde meo:In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus miseriæ. Tertius modus est cura multa diffidentiæ de malis insidiantibus nobis. *Ierem.*38. Solicitus sum propter Iudæos qui transfugerunt ad Chaldæos:ne forte tradat in manus eorum & illudant mihi. Isti modi solicitudinum sunt huic vitæ annexi. Sed non propter eos est dimittendum aliquid quod sit de obedientia vel veritate vitæ. Quia hic esset timor mundanus vel humanus, quem Dominus præcipit deponere.

Alia quædam optima solicitudo spiritum vitalem nec stringens, nec suffocans: sed dilatans & auras sancti Spiritus ingerens. Et hæc est quæ est in præcepto. Et hæc etiam est multiplex:tamen vt frequentius est quatuor modis. Est enim solicitudo prouidendi subditis,quæ incumbit Prælatis. *Rom.* 12. Qui præest in solicitudine 2.*Cor.*11.Mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum. Secundus modus est solicitudo obediendi. Et hæc incumbit subditis. *Iof.*23. Estote soliciti vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi. Tertius modus solicitudinis est solicitudo retinendi pacem cum omnibus quantum in nobis est. *Ephes.*4. Soliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis. *Rom.* 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus habentes pacē. Quartus modus est solicitudo siue cura & feruor proficiendi continuis incrementis ad meliora. Et hoc est dupliciter:per declinationem scilicet à malo, & per inclinantia ad bonum.De primo dicitur *Deut.* 4. Custodite animas vestras sollicite: non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis in Horeb de medio ignis:ne forte decepti faciatis vobis sculptā similitudinem. Solicitudo autem quæ est profectus ad bonum, illa est duplex secundum ordinem ad verum in intellectu, & secundum ordinem ad bonum in affectu. De primo dicitur *Deut.*4. Custodi teipsum solicite & animam tuam:ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui:& ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. De secundo modo dicitur *Rom.*12. Solicitudine non pigri,spiritu feruentes, Domino seruientes.De vtroque modo simul dicitur *Mich.*6.Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Deus à te requirat. Vtique facere iustitiam, & diligere misericordiam, & solicitum te ambulare cum Deo tuo.Ex hoc patet quæ,& qualiter, & propter quæ solicitudo præcipiatur, quæ humanæ infirmitati indulgeatur, quæ dispensationi familiæ concedatur, & quæ interdicatur. Et hoc est quod dicit[Nolite soliciti esse]Et determinat partes solicitudinis dicens

Animæ vestræ quid manducetis]Anima autem hic dicitur animalis vita quæ cibis est sustentanda.Et dicitur anima ab animalitate:quia hæc animalis vita talibus indiget solatiis.Et propter illam nutriendam aut sustentandam non debet homo

retrahi ab officio prædicationis iniuncto, maximè cum tanta est necessitas sicut fuit cum primum incepit Ecclesia. Taliter enim soliciti sunt de quibus dicitur *Rom.16.* Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. *Philipp.3.* Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est, & gloria in confusionem eorum qui terrena sapiunt. Et hoc est quod dixit supra, non esse portandam peram in via. Dicit autem [quid manducetis] nihil tangens de poculento. Quia potus non desideratur nisi propter cibum: eo quod potus est cibi vehiculum. Et ideo in esca intelligitur potus.

Neque corpori vestro] Secunda pars est illius solicitudinis: quia indumentum debetur corpori ad fouendum calorem naturalem ab impugnantibus extrinsecus. Et de his duobus dicitur *1.Timoth.6.* Habentes alimenta & quibus tegamur: his contenti simus. Et hoc est quod dicit [quid induamini] de his duobus, piger volens fugere obedientiam prædicationis, solicitus est. *Isa.3.* In domo mea non est panis nec vestimentum: nolite me constituere iudicem. Et præmisit quod non est medicus. Q. d. Non sum medicus animarum, nec volo subire iugum obedientiæ prædicandi: sed volo esse solicitus qualiter abundet panis in domo, & vestimentum ad tegumentum & ornatum corporis.

Anima plus est quàm esca, & corpus plusquàm vestimentum.

Hic elicit rationem. Quia enim anima plus est quam esca, patet quod esca quæritur propter animam: & eadem ratione corpus plus est quam vestimentum. Corpus autem & anima sunt ad Deo obediendum. Indignius autem propter dignius est semper postponendum. Ergo si solicitudo cibi & vestimenti retrahant ab obedientia Dei, solicitudo talis est abiicienda. *Eccle.vltim.* Deum time & mandata eius obserua. Hoc est omnis homo. Et hoc est quod dicit in tali casu *Psalm.54.* Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet. Et hoc est quod dicit [& corpus] quod ad obediendum Deo ordinatur [plus] est [quam vestimentum] *1.Petr.5.* Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quia ipsi cura est de vobis. *Psalm.39.* Ego autem egenus sum & pauper: Dominus solicitus est mei.

Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis. Quis autem vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis: quid de cæteris soliciti estis?

Ecce secunda consideratio persuadens non esse solicitandum. Ponit autem primo similitudinis considerationem, & secundo elicit persuasionis rationem. In primo inducit duo: auem scilicet considerandam, & quid in ea considerandum sit, De aue dicit [Considerate coruos] Coruus quidem nitentis nigredinis, & magnæ voracitatis, & (sicut dicunt fabulæ) magnæ gloriositatis: & cum ad omnia hæc solicitudo exigatur, sua voce omnia differt in crastinum, & omnia sua procrastinat, & omnia quibus indiget Deo committit, & à Deo expostulat: & tamen cum hoc de sibi necessario aliis communicat, in torrentibus residet, damnatos lacerat.

Per nigredinem quidem significat Prædicatorum humiliationem exteriorem. *Cantic.1.* Nigra sum sed formosa. Nigra quidem tribulationis humiliatione: formosa autem virtutis decore. *Cantic.5.* Comæ capitis tui sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Comæ capitis, Apostoli & Discipuli Christo adhærentes. Sicut elatæ palmarum, late & fructuose & victoriose prædicantes tamum. Nigræ persecutionis humiliatione. Quasi coruus crocitatione sermonis. Et hæc est conuenientia prima Prædicatoris ad coruum. In secundo autem (quod est quia magnæ est voracitatis) conuenit in proposito: quia cum multis indigeat, pauca vel nulla solicitudine prouidet in futurum. Dei ergo ministri non multis indigentes solicitudinem deponant. De hac voracitate dicitur *Genes.8.* quod coruus emissus de arca requieuit in cadauere. Magnæ autem est gloriæ. Propter quod dicit *Æsopus* quod cum in multis gloriati posset: quod scilicet Apollini erat consecratus, quod vnguibus fortis, quod alis extensus: ne in gloria vocis deficere videretur, os ingens ad cantandum aperuit & offam carnis amisit. Huius signum est quod dicit Virgilius, quod serena diligit: ita quod etiam in tempestate ad proprium nidum & pullos non reuertitur: quia gloriæ pulchritudinis suæ est nimis curiosus. Et hoc significat in Prædicatore quod pulchritudinem famæ & virtutis custodiat studiose. *Eccli.44.* Homines diuites in virtute prædicationis studium habentes. Quod autem sua voce omnia differt in crastinum, significat quod hoc præsens omne despicit & non attendit: sicut & Prædicator facere debet, respiciens ad crastinum vitæ futuræ. *Soph.2.* Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari. Quod autem à Deo postulat & Deo committat, Prædicatori præcipue conuenit per deuotionem & respectum quem debet habere ad Deum & fiduciam. *Iob 38.* Quis præparat coruo escam suam; quando pulli eius clamant ad Deum vagientes eo quod non habeant cibum? *Psalm.146.* Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. In hoc autem quod de sibi necessario aliis communicat, significat ministrorum Dei largitatem: quibus dicitur *Tob.4.* Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum impertiri stude. Et huius signum est quod corui licet fortes sint: alias aues à cibis non prohibent. *3.Reg.17.* Præcepi coruis vt pascant te. Et ideo dicitur ibidem, quod corui pauerunt Eliam: ferentes ei carnes & panes mane, & carnes & panes vespere. Quod autem in torrentibus residet, ideo est: quia torrens frequenter trahit animalium cadauera. Et ita Prædicator in torrente tribulationis residere debet: quia ibi inuenit escam spiritualem. Homo enim in tribulatione positus, sæpius cogitat de conuersione. *Psalm.109.* De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Hic etiam coruus lacerat cadauera damnatorum: &

hoc significat, quod Prædicator lacerat comminationibus & terroribus eos qui sunt damnandi. *Prouerb.* 30. Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Pater enim Deus subsannatur, quando Pater cælestis per peccatum prouocatur. Partus autem matris Ecclesiæ prouocatur, quando proximo malum datur exemplum. Corui autem sunt Prædicatores suffodientes per incussionem timoris. Et filij aquilæ sunt filij Christi qui tales verbo Prædicationis sibi incorporant. Et quia sic lacerat cadauera cornus, ideo dicitur fœtidi esse anhelitus: quia autem Prædicatoris horridæ sunt fecularibus & carnalibus hominibus. *Iob.* 19. Halitum meum exhorruit vxor mea.

Dicitur etiam de coruo, quod osculando coeat, quod semen per os emittat & oua, quod si oua sua coquantur, quod lapidem inueniat quem inter oua ponat & oua in pristinum statum reducat. Sed experimento didici hæc esse falsa: & ideo de talibus non curo. Istæ ergo sunt causæ quare inter aues accipit à coruis similitudinem. Ab auibus autem & non à natatilibus, vel gressibilibus, vel reptilibus sumit similitudinem: quia auium cibus longe lateque dispersus est: propter quod etiam natura dedit eis pennas ad volandum vt cito pergant ad omnem locum cibi sui. Et in pennis illis conueniunt cum Sanctis, qui pennati pennis virtutum volant late ad cibum diuinæ consolationis colligendum. *Psal.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? *Isa.* 60. Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Alia autem animalia de prope colligunt cibum: & tamen alia animalia magis solicita sunt quam volatilia. Quia gressibilia congregant & reptilia: natatilia autem frigida sunt & diu abstinentia, & ideo congregatione non indigent. Volatilia autem respectu sui corporis & multi cibi sunt, & nullius solicitudinis: & ideo sumit exemplum ab illis. Vnde *Matth.* 6. dicitur: Considerate volucres cæli.

Tangit autem partes solicitudinis dupliciter: in laborando, & in reseruando. In laborando quidem dupliciter: seminando, & metendo. Seminatio enim labor est ad natiuitatis fructum excolendum: messio autem est ad eundem fructum colligendum. Dicit ergo [Qui non seminant] ad multiplicandum natiuitatis fructum qui sæpe fallit. *Agg.* 1. Seminastis multum & intulistis parum. *Habac.* 3. Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum. De seminatione spirituali dicitur 2. *Corinth.* 9. Qui seminat in benedictione, de benedictione metet vitam æternam. Et ideo de seminatione carnali non est multum curandum [neque metunt] ad colligendum. *Matth* 6. Respicite volatilia cæli quia non laborant neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit ea [quibus non est cellarium] Tangit partem solicitudinis quæ ad reseruandum est. Esculentum & poculentum præparatum vsibus hominum reseruatur in cellariis, hoc est, in cellis à celando dictis. Granum autem in aristis non paratum: sed tantum messum reseruatur in horreis. Neutram autem solicitudinum istarum habent aues [& tamen Deus] Pater [pascit illos] prouidens eis escas. *Psalm.* 144. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Item *Psalm. eodem.* Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. *Iob* 36. Per hoc iudicat populos & dat escas cunctis mortalibus. Videte autem

Quanto magis vos] qui præfertis imaginem Patris cælestis, & eius perficitis vt filij obedientiæ voluntatem & beneplacitum Patris [pluris] pretij apud Patrem cælestem [estis illis] coruis & volatilibus. *Psalm.* 77. Male locuti sunt de Deo: dixerunt, Nunquid Deus poterit populum pascere suum? Nunquid & panem poterit dare aut parare mensam populo suo? Huius signum est quod manna cibus cælestis securus est populum in deserto, & aquæ dulcissimæ ad potandum, & vestimentum non est inueteratum, & calceamenta non sunt attrita. Et non est minoris potentiæ vel minoris scientiæ in prouidendo, vel minoris voluntatis ad ministros noui testamenti quam ad veteris testamenti populum semper rebellem & incredulum. *Isa.* 59. Ecce non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat: neque aggrauata auris eius vt non exaudiat.

Videtur autem non esse completum quod dicit in Discipulis 1. *Corinth.* 4. Esurimus & sitimus & nudi sumus vsque in hanc horam. *Hebr.* c. 11. Circuierunt in meloris, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. Ad hoc dicendum, quod in veritate solicitudo suffocans, sicut dictum est, inhibita est: sed labor prouidentiæ exercendus. Laborem autem vocò opus militiæ Christianæ deseruiens: sicut *Augustinus in libro de operibus Monachorum.* Opus autem militiæ Christianæ aut est spirituale, aut corporale. Spirituale quidem, sicut prædicatio fidei & fundatio Ecclesiæ & huiusmodi. Corporale autem, sicut arare, vineas plantare, & huiusmodi. Si autem est spirituale, est eorum qui missi sunt ad Euangelium prædicandum: & istis debetur sustentatio. Tamen tempore fundationis Ecclesiæ non dabatur aliquando, & tunc operabantur manibus suis ne impedimentum darent Euangelio. Si autem omnino deficiat in procurando omne consilium humanum, quod vix fieri potest: tunc pro certo habeo quod quocunque modo prouidebit Deus. Et si non faceret, esset hoc dandum dispositioni diuinæ. Quia tunc aut fame tali purgaret peccata, aut exerceret virtutem ad patientiam, aut forte iuste condemnaret eos qui ministris Dei alimenta subtraherent: quod tamen non legimus accidisse. Quia & Eliam pauerunt corui. 3. *Reg.* 18. & centum Prophetas pauit Abdias in speluncis 3. *Reg.* 18. Et Angeli pauerunt Magdalenam, & patres in Ægypto. Et cum esuriret Saluator accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Et quod fecerunt in capite, parati sunt facere in membris, si sit necesse. Et per quadraginta annos pauit Deus Angelorum esca populum suum in deserto. *Sapient.* 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, habente in se omne delectamentum & omnis saporis suauitatem. *Psalm.* 36. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum neque semen eius quærens panem. Et si obiicitur de illo *Thren.* 2. Matribus suis dixerunt: Vbi est triticum & vinum cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum à facie tempestatum famis? Dicendum, quod hic fuit pœna infidelis populi & non seruorum Dei. De hoc tamen multa dicta sunt *Matth.* 6. Et quando illa coniungitur his

his quæ hic dicuntur, melius intelligitur locus iste.

Quis autem vestrum cogitando] Ecce tertia consideratio. Quia talis etiam solicitudo qua propter temporalia dimittuntur spiritualia, non prodest. Deest enim quod temporalia tali procurentur solicitudine, tunc consequens est quod ad profectum corporis & incrementum procurantur. Sed profectus corporis & incrementum non proueniunt nisi virtute Patris cælestis: sicut dicitur 1. *Cor.* 3. Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Et hoc est quod dicit [Quis autem vestrum cogitans] per solicitudinem suæ cogitationis [potest] naturali vel animali potestate [adiicere] augendo [ad statutam suam] quam terminis suis limitauit Deus [cubitum vnum] in latum, vel in longum, vel in profundum per quæcunque adminicula temporalium, ex solicitudine acquisitorum propter corporis sui profectum. Q. d. Nullus. Quia hoc non est in nobis: sed in virtute Patris cælestis. 2. *Machab.* 7. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis. Non enim ego spiritum donaui & vitam, nec singulorum membra ego ipsa compegi, sed mundi Creator: qui inuenit hominis natiuitatem, quique omnium adinuenit originem [Si ergo neque quod minimum est] in poreutia [non potestis] quia vnumquodque debetet plus nosse in naturalitet sibi vnitis quam in extrinsecis [quid de cæteris] extrinsecis [solieiti estis] Quia etiam habitis eis, non proficiunt ad corporis incrementum sine cura & prouidentia & virtute Patris cælestis. Et ideo dieit Iacob *Genes.* 22. Domine qui pascis me à iuuentute mea. *Psalm.* 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ, ibi me collocauit.

Considerate lilia quomodo crescunt: Non laborant, neque nent. Dico autem vobis quia nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.

Quarta est consideratio ad vestimentum pertinens: quia præcedens pertinebat ad nutrimentum. Dicit autem tria: quid considerandum, & quid in considetatis aduertendum, & tertio ex his inducit suæ persuasionis argumentum. De primo dicit [Considerate] per rationem, quia dicit *Apostolus Rom.* 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Ita vt sint inexcusabiles talia considerare non volentes [lilia agri] hoc est, non hortensia quæ coluntur, sed agrestia quibus nullus labor adhibetur. Quia etiam hæc Sanctis appropriantur. *Cantic.* 2. Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. A me. s. vestita & redimita. *Psalm* 49. Pulchritudo agri mecum est [quomodo crescunt] pulcherrima sine solicitudine hominum [Non laborant [solicitudine prouidentiæ femina vel cultum [neque nent] quia iam elaborauerunt per cultum lanam & linum.

Dico autem vobis] sine dolo. 1. *Petr.* 2. Neque inuentus est dolus in lingua eius [quia nec Salomon] qui tam gloriosus fuit in vestitu quod etiam gloriosissima Regina Austri 3. *Reg.* 10. mirabatur vestitum seruorum suorum. Et formositati pellium suarum sponsæ formositas comparatur *Cantic.* 1. Et hic talis [in omni gloria sua] cui vltra modum studebat. 2. *Paralip.* 9. Magnificatus est rex Salomon diuitiis & gloria super omnes reges vniuersæ terræ: & omnes desiderabant videre vultum Salomonis [vestiebatur] ita vernante colore & pulchritudine [sicut vnum ex istis] liliis. Qualiter ergo posset omnibus comparari. *Gen.* 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus.

Si autem fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei?

Hic elicit rationem: & vocat [fœnum] quamlibet herbam florentem: sicut & lilium vocat quemlibet florem [quod hodie est in agro] florens. *Psalm.* 95. Gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt [&] tam paruæ curæ est apud Deum & homines quod [cras] hoc est, statim post modicum [mittitur in clibanum] comburendum tanquam ad nihilum vile [Deus sic vestit] tam multis coloribus & vernantibus [quanto magis vos] de quibus maior cura est apud Patrem. Quia & pro vobis Filium misit, & leges vobis posuit, & omnia propter vos quæ in mundo sunt fecit. 1. *Corinth.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo: an propter vos vtique hæc dicit? *Isa.* 48. Propter vos misi in Babylonem & detraxi Chaldæos in nauibus suis gloriantes. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabuntur [pusillæ fidei] Hæc est reprehensio. Signum enim paruæ fiduciæ apud Patrem: qui non confidit à Patre dona accipere, quæ accipit insensibilis & vilis creatura. *Matth.* 14. Modicæ fidei quare dubitasti? *Rom.* 5. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia: sed confortatus est fide, plenissime sciens quia quæcunque promisit ei Deus, potens est & facere.

Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: hæc enim omnia Gentes mundi quærunt.

Quinta est hæc consideratio sumpta penes hoc quod in confidentia de Patre cælesti aliqua debet esse distantia, filij cognoscentis curam & dilectionem quam Pater habet de filiis, ad eos qui ignorant curam & dilectionem Patris. Sicut enim dicitur *Sapient.* 16. Pater cælestis semper substantiam, & dulcedinem quam in filios habet ostendit. Et hoc est quod dicit [& vos] dilectissimi filij Patris [nolite quærere] per solicitudinem rettahentem vos à prædicatione, dicentes [quid manducetis] hoc est, quis prouideat cibum si dederitis vos Euangelio prædicando [aut quid bibatis] cum prouidere non possitis potius si estis in verbi ministerio occupati. Quia verificatur in vobis quod dicitur *Ioan.* 16. Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis [& nolite] per solicitudinem vestram [in sublime tolli] superbiæ. Quia sicut dicitur *Iacob.* 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. *Iudith* 9. Neque enim superbi tibi placuerunt ab initio: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Pusillo enim gregi non est timendum: quia complacuit Patri cælesti illi dare regnum *Luc.* 12.

Hæc enim omnia] præstat & ad delicias & gloriam pertinentia [Gentes mundi] hoc est, gentilitet & mundane viuentes [inquirunt] & totam ad hoc solicitudinem conuertunt. Et ad Christi ministros hæc non pertinent. *Psalm.* 52. Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit illos. Serui autem Christi non quærunt nisi Christum. *Psalm.* 72. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? *Psalm. eodem.* Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Thren.* 3. Pars mea Dominus dixit anima mea: propterea expectabo illum.

Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

Hic arguit à cura Patris: quoniam sua benignitas mouet eum ad prouidendum de talibus. Et hoc est quod dicit [Pater autem vester] cælestis qui non errat, vel negligens est in prouidendo. *Matth.* 6. Pater noster qui es in cælis [scit] scientia curæ & prouidentiæ. *Psalm.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. *Psalm.* 102. Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum [quoniam his] sine quibus præsens vita non agitur [indigetis] & sine his seruire sibi non potestis. *Osea* 2. Exaudiam dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrahel, hoc est, Dei semen.

Veruntamen quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.

Ostenso quod non est solicitandum pro temporalibus: ne omnino intelligantur postponi, dicit pro quo solicitandum est primo & principaliter: & sic hæc præsentia adiicientur. In hac autem parte tangit duo. Primo enim hoc dicit, secundo hoc idem persuadet per rationem. Dicit ergo circa primum sic [veruntamen] Q.d. Dixi non esse solicitandum pro temporalibus [veruntamen] ne in dubio de talium prouisione relinquamini [primum quærite] orando & operando [regnum Dei] hoc est, quòd vestro ministerio regnare Deus incipiat. *Matth.* 6. *Luc.* 11 Adueniat regnum tuum. *Matth.* autem 6. additur [& iustitiam eius] vt scilicet iustitia illa in mundo conualescat quæ ad regnum Dei conducit. Et de hac dicitur *Rom.* 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Hæc est enim sapientia & solicitudo Christianorum, quod & iustitiam Deo placentem faciant, & per illam regnum Dei confortetur & conualescat. *Sapient.* 6. Concupiscentia sapientiæ conducit ad regnum perpetuum. Si autem hoc regnum quæritur [omnia hæc] necessaria vitæ etiam non petentibus [adiicientur vobis] tanquam accidentia & accedentia ad illud. *Ecclesiastici* 33. Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo. Dummodo enim portet onus & iugum asinus, Dominus & non asinus cogitabit de cibo. Et dum modo verè sit seruus seruiens secundum actum serui, Dominus & non seruus cogitabit de cibo. *Tob.* 12. Bonis omnibus per eum repleti sumus. *Sapient.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Luc.* 15. Omnes mercenarij qui sunt in domo patris abundant panibus: solus ille qui extra domum patris exulabat, ad nullum officium Patris deputatus, in exilio fame laborabat.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

Hic ponit huius persuasionis rationem. Dicit autem duo: rationem, & subiungit persuasionem per rationem confirmatam. Dicit igitur [nolite] ergo [timere] de temporalium prouisione [pusillus grex] numero, & humilitate. Numero quidem *Matth.* 20. Multi sunt vocati: pauci vero electi, *Eccle.* 1. Stultorum infinitus est numerus. Grex autem dicitur quia ad modum gregis cognoscit vocem pastoris. *Ezech.* 34. Vos autem oues meæ homines estis, dicit Dominus. *Psalm.* 88. Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. *Ioan.* 10. Oues meæ vocem meam audiunt. Pusillus autem etiam est iste grex humilitate. 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti Dei manu, vt vos exaltet in die visitationis [quia complacuit Patri vestro] qui semper solicitus est pro vobis cura paterna [dare vobis regnum] & ideo illi & non temporalibus est intendendum. *Rom.* 8. Quomodo non etiam omnia nobis cum illo donauit? *Luc.* 15. Omnia mea tua sunt. Ex quo enim regnum dat, omnia cum illo nobis dabit, & adiiciet hæc quæ sunt vitæ necessaria. De Regno autem isto dicitur *Matth.* 21. Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. *Luc.* 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Hoc autem regnum est potestas perfecta ecclesiasticæ iustitiæ, sicut dictum sæpius est.

Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Reiteratio est persuasionis. Quia enim primi Prædicatores ad infideles mittebantur, oportebat esse stabiles & nihil possidere: quia aliter retracti fuissent à prædicationis officio. Et hoc est quod dicit [vendite quæ possidetis] vt nudi nudam possitis sequi veritatem. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Matth.* 19. Si vis perfectus esse: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *Hieron. ad Paulinum.* Si habes in potestate tua rem tuam, vende: si non habes, proiice. Credenti totus mundus diuitiarum est: infidelis autem etiam obolo indiget. Hoc enim primis expediebat Ecclesię fũdatoribus quibus dictũ *Mat.* 5. quod tollenti tunicam, etiam pallium dimittendum est [& date eleemosynam] pretium, quod venditis possessionibus accipitis. *Act.* 4. Quotquot erant possessores agrorum offerebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum: & diuidebatur singulis prout cuique opus erat. *Luc.* 19. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. *Daniel.* 4. Consilium meum placeat tibi: & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum

Facite vobis sacculos] hoc est, reseruatoria. *Eccli.* 29. Eleemosyna viri quasi sacculus cum eo, & gratiam hominis quasi pupillam seruabit. Hic est sacculus qui quando conciditur maxima exit lætitia in centupla mercede. *Psal.*29. Concidisti saccum, & circumdedisti me lætitia[qui non veterascent] quia sicut dicitur *Hebr.*8. Quod antiquatur & senescit:propè interitum est.Eleemosyna autem nunquam veterascet, sed omnia innouat in æternum [thesaurum] *Matth.* 6. Thesaurizate vobis thesaurum in cælo vbi nec ærugo, nec tinea demolitur : & vbi fures non effodiunt, neque furantur. *Deut.*33. Inundationes maris quasi lac sugent thesauros occultissimos arenarum. *Tob.* 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna , plusquam thesauros auri condere : quia eleemosyna à morte liberat. *Gen.*43.Deus patris vestri dedit vobis thesauros in sacculis vestris[indeficiētem]quia neque deficit vnquam.*Psal.*111.Dispersit dedit pauperibus : iustitia eius manet in seculum seculi [in cælis] in domo æternitatis. *Iob* 3. Qui possident aurum, & replent domos suas argento. Et *Isa.* 45. Dabo tibi thesauros absconditos. Isti sunt autem thesauri splendoris & diuitiarum Dei.*Matth.*24.Super omnia bona sua constituet eum. Hoc est quod dicitur 1. *Pet.*1. In hæreditatem incorruptibilem , immarcescibilem, & incontaminatam , conseruatam in cælis.

Quò fur non appropiat] fur à furuo dictus (quod significat nigrum) est diabolus occultè insidians. *Abdiæ.* Si fures introissent ad te, si latrones : quomodo conticuisses? *Ioan.* 10. Qui ascendit aliunde quam per ostium : ille fur est & latro. *Gen.* 31. Quicquid furti peribat , à me exigebas. Ibi autem in tuto est:quia fur illuc non appropiat [neque tinea corrumpit] Tinea quæ de vestimento nascitur, significat concupiscentiæ peccatum quod de carne oritur. Et illud in cælis, corpore glorificato non erit. E contra de malis dicitur *Isa.* 14. Subter te sternetur tinea,& operimentum tuum vermes. *Iacob.* 5. Aurum vestrum æruginauit, vestimenta vestra à tineis comesta sunt, & ærugo erit vobis in testimonium & manducabit carnes vestras sicut ignis.Sed non sic in regno cælorum vbi omnia sunt in tuto. 2.*Timot.*1.Scio cui credidi , & certus sum quia potens est depositum meum seruare vsque in illum diem

Vbi enim est thesaurus] q.d. Ideo dico ista reponenda esse in cælis : quia si ea quæ diligitis in cælo sunt, consequens est vt etiam cor sit in cælis. Et hoc est [Vbi est thesaurus tuus] hoc est, diuitiæ meritorum vestrorum 2.*Cor.*4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas non sit ex nobis,sed ex virtute Dei. Idem continetur *Matth.*6.[ibi est cor tuum]quia vbicunque homo longos & multos reposuit labores : ibi etiā est cor eius. Cælum autem est locus diuitiarum & deliciarum *Isa.*60. Omnes de Saba venient , aurum & thus deferentes , & laudem Domino annuntiantes. Vnde *Tob.* 13. dicitur , quod omnes plateæ Ierusalem ex auro erunt mundissimo , & per omnes vicos eius Alleluia cantabitur.Hinc est quod *Apoc.* 21. dicitur : Ex lapidibus pretiosis sunt portæ,& muri eius. Tot enim diuitias illuc congerunt Sancti, quod omnia sunt aurum fulgotis diuini, & lapides pretiosi virtutum.

Sint lumbi vestri præcincti.

Ista est secunda pars huius doctrinæ in qua præmonet ministros esse cautos de aduentu Domini, qui venit ad audiendam rationem obsequij iniuncti & doni commissi. Diuiditur autem in partes duas,in quarum prima monet nos de aduentu siue reditu suo esse solicitos : in secunda arguit eos qui signa reditus eius non cognoscunt, & aduertunt. Adhuc in prima duæ sunt partes,in quarum prima dicit nos debere ad reditum esse solicitos & suspensos. Quia autem aliquis posset quærere , quid interim donec veniat sit agendum: ideo in secunda ostendit quid suæ sit intentionis quod fiat ; quod scilicet ignis accendatur, baptisma perficiatur, & bellum inter domesticos concitetur. Adhuc in priori harum partium duo sunt. Vult enim esse suspēsos nos ad reditū.Et hoc persuadet. Quia hoc vero facit sub similitudine quadam : ideo in secunda inducitur quæstio Petri de similitudine illa,& responsio Domini ad quæstionem Petri. In prima harum duo facit, in quorum primo docet qualiter soliciti simus de aduentu iudicis : in secundo per rationes probat hoc idem. Adhuc in priori horum sunt duo, in quorum primo dicit modum solicitorum , & in secundo determinat circa quid maximè sit solicitandum. Primum horum consistit in tribus,scilicet , in vitiorum carnalium cohibitione & restrictione, in bonorum meritorum perfectione,& in solicitudinis de aduentu expectato attentione. Dicit igitur de primo [Sint lumbi vestri præcincti]Quatuor autem in hoc ipso notantur : præceptum auctoritatis , radix & principium concupiscentiæ carnalis, subiectio eiusdem sub facultate nostræ potestatis, & modus restrictionis. Primum notatur cum dicit.

Sint]hoc enim est imperium auctoritatis , cui debetur obedientia promptæ deuotionis. *Exod.*24. Omnia quæcunque locutus est Dominus faciemus , & erimus obedientes. Sunt autem quinque causæ quibus Dominus restringi præcipit carnales illecebras , quarum prima est , quia in se sunt immundæ : secunda, quia spiritui sunt contrariæ: tertia , quia proueniunt ab humanæ naturæ peruersitate : quarta , quia sapientiæ bonorum studiorum voluptates sunt impeditiuæ : quinta autem, quia in seipsis sunt malæ, Deo & regno eius contrariæ. De immunditia illecebrarum carnalium dicitur *Eccli* 9. Omnis mulier fornicaria est quasi stercus in via , ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Stercus autem valde est immundum.Ideirco *Ezech.*23. Oola & Ooliba dicuntur mulieres nefariæ. Oola enim tabernaculum interpretatur.Ooliba vero interpretatur tabernaculum meum : quia in concupiscentia carnali tabernaculum est eorum qui contubernia diligunt carnalium libidinum. De contrarietate autem carnalis concupiscentiæ ad spiritum dicitur *Galat.*5. Spiritus concupiscit aduersus carnem , & caro aduersus spiritum, vt non quæcūque vultis illa faciatis. Ideo *Genes.*16. Agar quæ significat carnem , & Sara spiritum. *Galat.*4. Is qui secundum carnem, persequebatur eum qui secundum spiritum. Sicut tunc ita & nunc. Hæc etiam proueniunt à naturæ peruersitate. In ordinata enim natura ratio imperat, & caro obedit.In peruersa natura caro imperat,& ratio obedit. Et tunc fiunt omnia,quæ sunt

concupiscentiæ carnalis. *Habac.* 1. Præualente impio aduersus iustum, egreditur iudicium peruersum. Hoc est, sensualitate carnis præualente aduersus rationem spiritus, omnia fiunt peruersa. *Num.* 22. Peruersa est via tua mihique contraria. Quod autem bonis sapientiæ & virtutis studiis contrarietur, dicitur *Sapient.* 1. In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo dicit *Aristot. in* 3. *Ethic.* quod hoc quod sapientes plebis passi sunt ad Helenam, hoc oportet nos pati ad delectationem libidinis. Vt scilicet studentes virtuti dicamus: fuge, fuge. Sicut sapientes plebis dixerunt fugiendam Helenam, ne sua pulchritudine caperentur. Ideo Propheta dicit *Psalm.* 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. *Iob* 28. Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentiũ, hoc est, in delectabilibus carnis conuersantium. Quod autem in seipsis sint malæ, & Deo & regno eius contrariæ, dicitur 1. *Cor.* 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptela incorruptionem possidebit. *Ioan.* 1. Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. His ergo de causis fit præceptum de voluptate carnis abdicanda. Hoc est ergo quod dicit.

Sint lumbi] Lumbi sunt instrumenta & loca carnalium passionum & concupiscentiarum, infernus respectu luminum cælestium, receptacula venereorum, iunctura superiorum & inferiorum, vasa illusionum, loca corruptionum & infectionum serpentinarum. Quod autem sint instrumenta & loca passionum & concupiscentiarum patet *Iob* 40. vbi de diabolo in membris eius Dominus ad beatum Iob loquitur, dicens: Virtus eius, hoc est, diaboli in lumbis eius: & fortitudo eius in vmbilico ventris eius. Ostendit enim per hoc quod virtus concupiscentiarum per quas diabolus decipit homines, in viris quidem sit in lumbis, in fœminis autem in vmbilico: in quibus membris concupiscentia principaliter dominatur.

Quod autem infernus sint respectu luminum cælestium, dicit expresse *Plato*, qui dicit in lumbis quasi inferno concupiscentiam esse demersam: & ideo tantæ esse peruersitatis, quod corrigi non potest: quia procul à lumine rationis & mentis relegata. Et ideo significatur *Prouerb.* 7 per mulierem vagam, garrulam, quietis impatientem, quæ non valet in domo consistere pedibus suis: nunc foris, nũc in plateis. Quia tot humoribus diffluit, tot caloribus exagitatur, tot fumis excæcatur, tot incitationibus impellitur, tot stimulis libidinum vrgetur: quod nihil constantiæ, nihil modestiæ nihil serenitatis, nihil castitatis in se præualet exhibere. Hæc est mulier stulta quæ Iob alloquitur, stultum reputans quicquid ille de Deo sentit sapienter. *Iob* 2. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Hic est infernus de quo dicitur *Prou.* 30. Tria sunt insatiabilia, & quartum vero quod nunquam dicit, Sufficit. Infernus, & Os vuluæ, & Terra quæ non satiatur aqua: Ignis vero nunquam dicit Sufficit. Infernus quidem propter concupiscentiæ profunditatem. Os autem vuluæ quod à voluendo dicitur propter insatiabilem libidinem. Terra autem propter terrenæ concupiscentiæ tenebrositatem. Ignis autem propter æstum libidinum. Quia sicut dicit *Hieron.* Non ætnæi montes, non vulcanei ignes ita æstuant vt iuueniles medullæ vino & dapibus inflammatæ. *Prouerb.* 22. Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. Os alienæ dicitur os concupiscentiæ siue vuluæ. Et est profundum quia in inferno sepultum. Ideo *Plato* dicit rationem esse extra omnia, concupiscentiis non immersam: irascentiam autem in media regione: concupiscentiam autem in infimo sepultam.

Lumbi etiam sunt receptacula venereorum, quoniam ibi totum est regnum veneris. Vnde *Eccli.* 47. improperatur Salomoni: Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, posuisti maculam in gloria tua, prophanasti semen tuum. Femur enim & lumbus idem est: nisi quod vnum dicitur ad latus, alterum autem ad dorsum: & vnum ad extra, & alterum ad intus. Hæc igitur inclinare mulieribus, est ista venereis exhibere. Potestatem autem in corpore habere cum eneruatione mentis, est veneris sequi concupiscentias. Quia sicut *Homerus* in versu græco dicit, Veneris corrigia stringens in concupiscentia, furatur mentem valde sapientum. Hæc sunt vnguenta meretricia in quibus mortuus est Ezechias 4. *Reg.* 20.

Lumbi etiam sunt iuncturæ inferiorum & superiorum in ansis. Et ideo superioribus, in quibus vigent spiritualia, cauendum est ne ad infima per delectationes deprimantur, & in imis ligata & inuiscata permaneant. Sicut corde conqueritur Manasses 2. *Paral. vltimo.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi. Sicut enim ferro domante omnia ligatus est, quem ligat grauitas voluptatis lumborum. Erectio enim tota superiorum consistit in lumbis, & his ligatis totum corpus deprimitur. Iste spiritus infirmitatis qui incuruauit mulierem annis decem & octo *Luc.* 13. quam à vinculo illo soluit Dominus. Ideo dicitur *Coloss.* 3. Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite vbi Christus in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Hæc sunt vasa illusionum diabolicarum. *Ps.* 37. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. In lumbis enim congregata materia delectationis, statim illudit diabolus: in vigilia per cogitationes & concupiscentias, & in somnis per multas phantasias. Vnde etiam lasciuiens vxor Phutifaris eunuchi Pharaonis dixit: Introduxisti virum Hebræum vt illuderet mihi *Genes.* 39. *Eccli.* 34. Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur. Parturiens dicitur hic, prægnans: quia mulier prægnans (eo quod semen conceptum in intimis tangit neruos in lumbis) plus alio tempore somniat coitum & delectatur in illusionibus. Et ita facit qui illusionis materiam in lumbis concipit: quia ille dat causam illusionibus.

Lumbi etiam sunt loca corruptionum & infectionum serpentinarum. Venenum enim primi serpentis nusquam ita profunde corrupit & infecit corpus hominis sicut in lumbis. Et ideo ibi locus veneni est suæ infectionis. Et exinde fumat in totum corpus. Et hoc significatum est *Num.* 5. vbi dicitur quod aquæ in quas maledicta congesta sunt, putrescere fecerunt femur mulieris adulteræ. Hac putredine corrupti erant de quibus dicitur *Daniel.* 13. Semen Chanaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.

tuum. Concupiscentia enim lumborum tanta est quod etiam cor ad se corrumpit & trahit. Et hoc est quod dicitur *Osee* 4. Ligauit eum spiritus in alis suis. Quod *glossa ibidem* de spiritu fornicationis exponit. Qui alis, inuolantis in cor concupiscentiæ infectæ & corruptæ multos ligat & inficit.

Sunt autē secundùm dicta Patrum lumbi mentis, & lumbi corporis. Lumbi quidem corporis sunt de quibus dictum est. Lumbi autem mentis sunt duo: vis scilicet concipiendi delectationem per cogitationem illicitam, & vis delectandi in eadem per voluntatem, siue effectum illecebrosum. Et de his lumbis dicitur 1. *Petr.* 1. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ sobrij & perfecti sperate in eam quæ offertur vobis gratiam. Vnde etiam *Ioan. Apoc.* 1. vidit præcinctum ad mammillas zona aurea vt lumbos mentis restringeret, vt esset mundus in spiritu & in corpore. Sicut dicitur 1. *Corinth.* 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu. Isti ergo sunt lumbi.

Vestri] Nostri dicuntur hi lumbi: non quia partes sunt corporis, sed quia passio lumborum in nostra est potestate: sicut dicitur *Genes.* 4. Subter te erit appetitus tuus, hoc est, peccati. Peccati enim appetitus sub nobis est, quando facultas eius est in nostra potestate. Et hoc significatum est *Genes.* 16. vbi dictum est Agar (quæ carnis petulantiam significat) Reuertere ad dominam tuam, & humiliate sub ipsa, hoc est, ad dominium rationis. In cuius dominio petulantia est carnis. Sic ergo nostri sunt lumbi. Si autem sic nostri dicantur, Obiicitur id quod *Aristoteles* disputat *in Eth. c. lib.* 7. vbi determinat Philosophus, quod tales operationes tractæ passionibus concupiscentiæ, non omnino sunt in nostra potestate, sed sunt mixtæ: partim tractæ per concupiscentias, & partim voluntariæ. Sic videtur quod non bene dicitur: Lumbi vestri. Sed ad hoc dicendum, quod *Aristoteles* ibi loquitur de proprietate incontinentis inquantum incontinens est. Incontinens autem est qui rationem quidem in faciendis & eligendis habet sanam, sed concupiscentiam habet passionibus attractam. Et inquantum est in tali statu ille incontinens, non habet actiones & electiones suæ rationis liberas omnino: quia immersus est concupiscentiæ passionibus. Non tamen habet coactas, sed potius coactione habet liberas: quamuis non habeat eas liberas ab infectione. Et hoc est quod dicit [lumbi vestri] quia in nostra sunt potestate quantum ad coactionem.

Possumus igitur dicere, quod lumbi nostri sunt quadrupliciter. Nostri enim sunt secundum statum hominis damnati per libertatem à coactione. Nostri sunt secundum statū hominis incipientis per restrictionem à mala actione. Nostri sunt secundum statum hominis in virtute proficientis, per libertatem à vitij infectione. Nostri sunt secundum statum virtutis perfectæ per libertatem à tentatione. Et ideo talibus vt discipulis specialiter dicit [Sint lumbi vestri præcincti].

Status enim hominis damnati est: quia passione carnali sine gratia mens trahitur & vincitur, sed non cogitur: de quo dicitur *Rom.* 7. Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Istud significatum est *Iudic.* 16. vbi Dalila (quæ fomitem lumborum significat) raso capite Samsonis, ligauit eum restibus & tradidit in manus Philisthinorum. Caput enim hominis mens est. Septem crines huius capitis sunt septem mentis illuminationes ad bonum: quæ sunt sapientia quæ est cognitio diuinorum, intellectus qui est acceptio verorum; consilium quod est directio dubiorum, scientia quæ est lumen conuersationum humanarum, prudentia quæ est habitus perfectus eligendorum ad vitam pertinentium, fides quæ est cognitio cum assensu credendorum, & reuelatio Spiritus quæ est acceptio secretorum. His enim rasis à mente per illecebram concupiscentiæ, Samson (sol fortis) est in manibus Philistinorum: in quorum manus se sponte tradidit, quando Dalidæ gremio se immersit. Ideo dicit *Apostolus* 1. *Corinth.* 6. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus suum est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Quia vulnus concupiscentiæ inflictum corpori, sauciam facit animæ rationem.

Status autem hominis incipientis secundum concupiscentiam lumborum exprimitur *Eccli.* 30. Mercedes iniquitatis videns & ingemiscens, sicut spado complectens virginem & suspirans. Spado enim qui seipsum castrauit ab actu concupiscentiæ, adhuc in voluntatis concupiscentia secum portat mercedes iniquitatis in delectabilibus concupitis: & ideo complectitur virginem vt materiam libidinis in concupiscentia & ingemiscit in eam, sed non eam cognoscit. Iste est spado de quo dicitur *Sapient.* 3. Spado qui non est operatus per manus suas iniquitatem. Quamuis enim in concupiscentia sit: tamen iste talis ab actu continet. Et in hoc ostendit lumbos se habere in potestate.

Status proficientium est secundum libertatem à vitio inficiente, in quo virtus iam conualescit & proficit ad vitij expurgationem. Sed remanent adhuc fumi quidam euapotantium concupiscentiarum. Et hic est status hominis qui loquitur in *Psalm.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui: veruntamen in libro tuo omnes scribentur (supple) qui faciunt id quod possunt. Iste est de quo dicitur in *Sapien.* 8. Vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum, & dixi ex totis præcordiis meis.

Status autem quartus est perfectorum, qui liberi sunt à tentatione, & adepti sunt libertatem gratiæ, qui lumbos carnis penitus habēt in potestate: de quibus dicit *Ps.* 83. Cor meū & caro mea exultauerūt in Deū meū. *Ps.* 62. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sic ergo lūbi sunt nostri plus & minus in nostra existentes potestate. Et hoc est quod dicit: Sint lumbi vestri.

Præcincti] & tangitur hic quartum quod est modus restrictionis. Restrictionis autem modus est sex modis. Fortitudine enim præcinguntur contra emollitionem, iustitiæ disciplina contra luxum, meditatione diuina contra motum surgentem, castigatione carnis contra mali radicem, continentia contra passionem vim mentis eneruantem, virilitate animi contra oblectamentorum tentationem.

De restrictione fortitudinis contra emollitionem

nem dicitur *Prouerb. ultim.* Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Fortitudine restrinxit emollitionem delectationis ne diffueret, fortiter se in virtute tenens, & confortata roborauit brachium ad opera meritorum. Sic dicitur *Exod.* 12. comedentibus carnes agni, quod renes accingant. Renes autem & lumbi idem sunt, sicut ante diximus, hoc est, locus delectationis: nisi quod renes ad intra dicuntur posterius, & lumbi in eodem situ dicuntur respectu exterioris partis, femur autem ad latus. Omnia enim hæc eandem nominant partem corporis. E contra de non accinctis fortitudine dicitur *Psalm.* 72. Renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.

De præcinctione per iustitiæ disciplinam contra luxum carnalem dicitur *Isa.* 11. Erit iustitia cingulũ lumborum eius, & fides cinctorium renũ eius, hoc est, iustitiæ disciplina. Non enim restringitur luxus seculi nisi disciplinæ seueritas carni adhibeatur. Hoc præcepit Angelus Petro *Act.* 12. dicens: præcingere & calcea te caligas tuas. Præcingitur enim quis ne luxus defluat vestimentorum. Et calceatur caligis qui mortem cogitando à deliciis restringit affectum. *Isa.* 20. Accingite lumbos vestros super vbera vestra. In vberibus enim titillatio est libidinis ad lumbos colliminata: & ideo lumbi accingendi sunt iustitiæ disciplina, ne libido lumborum ad vbera pertingens lactetur fomento malarum cogitationum.

De præcinctione meditationis contra motum surgentem dicitur *Apoc.* 1. Præcinctum ad mamillas zona aurea. Zona enim aurea, restrictorium meditationis Scripturarum ad mamillas cordium. Vnde *Petrus ad Clementem in itinerario Clementis.* Incessanter debet quisque quæ Dei sunt cogitare & loqui. Quia si in his bonis mens occupata fuerit, diabolus non inuenit locum ad mentem. *Hieronymus.* Ama studia literarum, & carnis vitia non amabis.

Castigatione autem carnis fit restrictio contra mali radicem & fomitem. *Iudith* 8. Habens cilicium super lumbos suos ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel. Cilicium enim est castigatio lumborum. 1. *Corinth.* 9. Castigo corpus, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauero reprobus efficiar. *Ierem.* 31. Percussi femur meum: confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

De continentia contra passionem vim mentis eneruantem dicit *Gregorius.* Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Continentia enim est tenentia infra metas mentis, ne vis mentis per passionem & violentiam passionis eneruetur, & homo extra metas mentis extrudatur. *Eccli.* 15. Qui continens est iustitiæ apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata. *Iob* 12. Baltheum regum dissoluit & præcingit fune renes eorum. Soluta enim lasciuia vanitatis, fune renes præcingit: quando continentia motus restringit illicitos, & frænat passiones.

De virilitate contra oblectamentorum tentationem dicitur *Iob* 38. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te responde mihi. Non enim Deo respondere poterit qui oblectamenta tentationum & vanitatum non restringit. *Ierem.* 1. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Oportet enim viriliter oblectamenta mundi restringere, & surgere per erectionem intentionis, & tunc loqui de diuinis.

Est autẽ notandum, quod idem est præcingi, & accingi, & succingi secundũ rationes diuersas. Omnia enim hæc virtutis significant actũ, & vitiorum restrictionem. Sed quia virtus est ad ambulandum, & proficiendum: ideo ea præcingimur. Et hoc est ministrare Deo & proximo. Et quia armat contra diabolum, ideo accingimur. Et quia amputat defluentiam fluxus concupiscentiæ: ideo succingimur virtute. Cum tamen in substantia idem sit. Vnde Dominus præcinget se, & transiens ministrabit illis. Et Petrus succinxit se, & misit se in mare. Et Paulus præcipit: Accingamur armis virtutum contra diabolum. Sequitur.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris.

Hic secundo determinat de bonorum operum perfectione ad quæ præcipue Prælati tenentur. Dicit autem tria per metaphoram: quorum primum est illuminationis, secundum quod est incensionis, tertium autem quod est perfectæ operationis: & hæc tria sumuntur penes tria quæ sunt de officio Hierarcharum (vt dicit *Dionysius*) Hierarchæ autem sunt potestatem sacram per actiones & officia administrantes, sicut Episcopi & Prælati. Horum enim est lucere ad ignorantes, & errantes, & ad eos qui in tenebris conuersantur: per doctrinam quidem ad ignorantes, per correctiones autem & consilium & disputationem ad errantes, & per lumen virtutis & gratiæ ad eos qui in peccatorum tenebris conuersantur. De primo horum *Ephes.* 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc prædicare in Gentibus inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti à seculis in Deo absconditi. De secundo dicitur *Rom.* 2. Confidis teipsum ducem esse cæcorum, eruditorem insipientium, magistrum infantium. *Tit.* 1. Obtinentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt reuincere. De tertio dicitur *Luc.* 1. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Ioan.* 8. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Primum notatur per hoc quod dicit [lucernæ] secundum per ardorem, cum dicit [ardentes] tertium autem per hoc quod dicit lucernas debere esse in manibus cum dicit [in manibus vestris] per hoc enim significat operis perfectionem.

Est autem lucerna prædicationis, lucerna directæ intentionis, & lucerna honestæ conuersationis. De lucerna prædicationis *Psalm.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. In hac lucerna vitrum, est claritas vocis in eloquentia quæ nulla infamia sit obscurata: sicut Ioannes fuit vox. *Ioan.* 1. Ego vox clamantis in deserto. Lumen autem est verbum. Lychinus cui lumen adhæret, est intellectus sapientia verbi inflãmatus. Et de vitro quidem dicitur *Iob* 28. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. Vitrum enim

peruium

pertium est,& lumen non abſcondit, ſed tradocit ad illuminationem ambulantium. *Iob* 29.Splendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumeń eius ambulabam in tenebris. De lumine autem verbi dicitur *Pſalm.* 118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. De intellectu cui quaſi lychino adhæret lumen dicitur *Prouerb. vltim.* Non extinguetur in nocte lucerna eius. Quia intellectus talis ſpargens lumen in nocte aduerſitatis & dubiorum non extinguitur:ſed ſemper ſibi adhærens ſpargit lumen. Oleum autem quod eſt huius luminis fomentum, eſt oleum pietatis & liqueſcentis ad Deum, & ad proximum benignitas affectus. *Eccle.* 9. Oleum de capite tuo non deficiat. *Prouerb.* 21. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in babitaculo iuſti.Sic lucerna Doctoris in verbo prædicationis eſt parata. *Pſalm.* 131.Paraui lucernam Chriſto meo,hoc eſt, à me vnctn in officium Prælationis & prædicationis. Sic impletur quod *Iſa.*62. dicitur. Egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Iſte enim vere iuſtus eſt congruens officio, & vere Saluator, à perditione ſaluans ſibi commiſſos.

De lucerna autem bonæ & directæ intentionis dicitur *Luc.*11. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Idem dicitur *Matth.* 6. Et ibi dicit *Gloſſ.*quod oculus eſt intentio diligens operationem. *Sopho.* 1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis. Quia ſecundum intentiones operibus coniunctas,ſinguli iudicabuntur. Et de hac lucerna iam in antehabitis dictum eſt. Hæc autem lucerna neceſſaria eſt Prædicatori & Prælato: vt non intentione poteſtatis, vel laudis,vel honoris,vel lucri, vel commodi alicuius, candelabrum Eccleſiaſticæ poteſtatis accendat. Sed potius purum lumen in intentione exhibeat. Sic enim lucernæ ardentes ſunt in conſpectu Domini:ſicut dicitur *Exod.* 25. Per contrarium huius Heli malus Sacerdos non poterat videre affectu carnali obumbratus lucernam Dei antequam extingueretur.1.*Reg.*3. Extinguitur enim intentio ad Deum, quando affectus totus dirigitur ad carnalem affectum.

De lucerna autem honeſtæ conuerſationis dicit *Matth.* 25. Surrexerunt virgines ſapientes, & ornauerunt lampades ſuas. Lampas enim eſt lucerna. Ornatus autem eius eſt ornatus honeſtæ conuerſationis.

Ardentes]hoc eſt incenſionis. Et hæc incenſio eſt per triplicem ignem. Et primus eſt incendens ad Deum:& hic eſt ignis charitatis.*Luc.*12.Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?*Cant.vltim.*Lampades charitatis lampade ignis atque flammarum. Secundus eſt ignis zeli animatum. *Eccli* 48. Surrexit Elias quaſi ignis: verba eius ardebant quaſi facula. Elias etiam zelator. Vnde dixit 3. *Reg.*19. Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël. Tertius ignis eſt compaſſionis ad conſolationem proximorum. *Thren.* 1. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.Sic ignitus fuit qui dixit 2.*Corinth.*11.Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non vror?Vritur enim interius in compaſſione proximi, qui ad proximum habet ignem dilectionis. Primus ignis eſt diuinus. Secundus amore virtutis, & odio vitij excitatur. *Pſalm.*38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. Tertius autem ex farmentis proximi eſt collectus:& hoc ſignificatur *Iſa.*6.per ignem calculi, quo ignita & purgata fuerunt labia Prophetæ. Calculi enim in ſactificio ſunt tribulationes, & afflictiones, & deſolationes proximorum. *Sapient.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit eos,& inuenit eos dignos ſe. Iſto triplici igne incenſa debet eſſe lucerna. Tunc verificatur de eo *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Sic enim dicit *Pſalm.* 118. Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. In hoc enim igne à ſummo cælo fuit egreſſio Filij Dei:nec fuit qui ſe abſconderet à calore eius. Sic dicitur *Deuter.* 4. Deus noſter ignis conſumens eſt.Sic etiam *Iudic.*13.Angelus Domini(qui Prælatum &Prædicatorem ſignificat)in flamma ignis aſcendit in cælum. Sic ergo lucernæ ſunt ardentes. Sequitur

In manibus veſtris]per quod ſignificatur perfectio bonæ operationis. Lucere enim tantum in ſcientia & verbo vanum eſt: lucere & ardere per zelum inordinatum,furioſo aliquid ſimile:ſed lucere,& ardere, & perficere quod oſtendit lumen, & ad quod incitat ardor,perfectiſſimum eſt. Et in his tribus perficitur omnis ſacræ poteſtatis adminiſtratio. Vt videlicet igne malitiam in aliis conſumat. *Pſalm.*49. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et per lumen verbi illuminationem infundat. *Luc.*2. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. Per tertium autem ad virtutis perfectionem informet.*Philipp.*3. Ambulate ſicut habetis formam noſtram.*Ioan.*13. Exemplum dedi vobis,vt quemadmodum ego feci vobis,ita vos faciatis. *Exod.* 25. Vide omnia facito ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Et hoc etiam dicitur *Hebr.* 8. Sic enim ſacer Hierarcha & Sacerdos purgat,illuminat, & perficit omnes ſibi commiſſos: quemadmodum per Angelos Deus facit in cælis. In manibus ergo, hoc eſt, in operibus lucernæ ſunt,quando omnia quæ oſtendit lucerna, per manus perficiuntur Sacerdotum & Clericorum.*Rom.*15. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus. Sic viri Gedeonis manibus ſiniſtris,hoc eſt, in aduerſitate tenuerunt lampades: & dextris, hoc eſt,intentione æternorum,tubas,& confregerunt lagunculas corporum per carnis mortificationem, & fugauerunt caſtra Madian *Iudic.*7.Sic Dominus Ieſus cœpit facere & docere *Act.*1. Sic impletur quod præcipitur *Matth* 5. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.

Attende autem, quod manus eſt intellectus organum,& ſignificat opus rationabile:& eſt diſtinctum digitis organum,& ſic ſignificat diligentiam in opere: & eſt organum organorum, & ſic in operibus vult eſſe vniuerſalis. De primo dicitur *Rom.*12. Rationabile ſit obſequium veſtrum. De ſecundo dicitur *Cantic.*5.Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. Tornatiles enim ſunt in diligentia digitorum,aureæ in ſapientia diſcretionis,plenę autem hyacinthis in intentione cæleſtis puritatis,quia hyacinthus cæleſtis eſt coloris. De vniuerſitate autem operis notandum, quod manus parat pedem ad ambulandum per calceationem, purgat oculum ad videndum, aperit aurem ad audiendum per auricularem remouens obſtaculum,

culum, emungit nasum ad olfaciendum, scalpit linguam ad gustandum, armat hominem ad pugnandum: & sic omnia parat organa ad agendum, & omnia exhibet arma ad impugnandum & defendendum:& ideo vniuersale est instrumentum ad operandum. Et hoc est quod dicitur *Cantic.5.* Manus meæ distillauerunt myrrham,& digiti mei pleni myrrha probatissima. Myrrha enim est quæ mortuis adhibetur corporibus contra putredinem: & significat vniuersalem virtutem ordinatam contra putredinem omnium vitiorum, quæ myrrha per manus & digitos significatur. Sic ergo lucernæ ardentes sunt in manibus.

Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.

Ecce modus solicitudinis. Dicit autem hic quatuor: qui videlicet, quibus, qualiter, & in quo debeant esse similes. Qui scilicet, quia [Vos] quibus spiritualis solicitudo indicta est propter tria. Quia scilicet aliorum vigiles, quia speculatores, quia pastores & custodes sunt aliorum: & ideo magis debent esse soliciti. Vigiles enim sunt qui vigilias huius temporis quasi cuiusdam noctis in custodia aliorum obseruant. *Psalm.101.* Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Ludos enim hominum, & occupationes terrenorum, & societates vanorum fugiens: factus est sicut passer solitarius. In tecto autem, hoc est, in tectis ruinarum & casis huius mundi ruinæ & desolationis, per considerationem mentis inhabitans. Vigilans autem per solicitudinem commissorum. *Genes.31.* Nocte ac die æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. De die prædicans, & nocte orans pro animabus commissorum. Et fugiebat somnus ab oculis per solicitudinem. Vos ergo vigiles similes estis, &c. Vos & speculatores quia præcauere debetis hostium insidias. *Ezech.3.* Fili hominis speculatorem domus Israël dedi te, hoc est, omnium insidiarum hostis prænuntiatorem. Talis fuit speculator qui *1.Corinth.2.* dixit: Ne forte circumueniamur à satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. *Isa.21.* Pone speculatorem, & quodcunque viderit annuntiet. Talem igitur qui tam occulta, tam multiformia de insidiis hostium prænuntiare multum debet, oportet esse solicitum. Vos ergo similes hominibus, &c. Vos etiam qui pastores estis Ecclesiarum, qui & pascua debetis discernere, & quæ quibus vtilia prouidere, & pestilentias ouium præcauere. *Act.20.* Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiā Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ideo etiam vocatur pastoralis cura: quia hoc officium curam quærit, & vigilantiæ solicitudinem. *Luc.2.* Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias super gregem suum. Vos ergo quos pono pastores, similes sitis hominibus, &c. Similes autem sitis.

Hominibus] Non irrationalibus, quæ nullam habent prouidentiam futurorum. In hoc enim homo factus est in honore, quod signatum est lumen prouidentiæ vultus Domini super eum. Et qui non habet prouidentiam, similis factus est iumentis insipientibus & comparatus est illis. Hominibus ergo similes sitis qui cognouerunt per prouidentiam iudicium futurum: ne improperando dicatur vobis: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, populus meus non intellexit *Isa.1.* Estote ergo similes hominibus.

Expectantibus Dominum suum] Ecce qualiter hominibus similes esse debeant. Et dicit duo: vnum ex parte expectantium, alterum autem ex parte eius qui expectatur. Ex parte expectantium est, quod expectans immobilis est secundum locum conditum in quo expectat: secundum, quod sperat ad eum quem expectat: tertium autem, quod continuo protenditur desiderio & animo ad aduentum eius quem sperat. De immobilitate loci est, quod in fide & vita & proposito cœpto permaneat is qui expectat. *Eccle.10.* Locum tuum ne dimiseris. Sic etiam intelligitur quod dicit *Ps.67.* Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. De spe autem dicitur *Hebr.6.* Firmissimum habeamus solatium qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut animæ anchoram habemus tutam ac firmam. *Roman.5.* Spes non confundit. Ideo consolatur quosdam expectantes Apostolus *Hebr.10.* Adhuc modicum aliquantulum & qui venturus est veniet, & non tardabit. De tertio autem, hoc est, de desiderij protensione dicit *Cantic vltim.* Quis mihi det te fratrem meum vbera sugentem matris meæ, vt inueniam te solum foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Et illud *Cantic.5.* Nuntiate dilecto meo quia amore langueo. Et illud *Philip.1.* Cupio dissolui & esse cum Christo, multo magis melius. De omnibus his tribus conficitur expectatio, de qua dicitur *Psalm.39.* Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Et illud *Psalm.26.* Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et illud *Habac.2.* Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet & non tardabit. De hac expectatione gloriatur Paulus *Philip.3.* Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Id autem quod est ex parte honoris eius qui expectatur, est notatum per hoc quod dicit [Dominum suum] Dominus enim expectatur cum timore, & reuerentia. De timore enim dicitur *Malach.1.* Si ego Dominus, vbi timor meus? De reuerentia autem dicitur & honore quem debemus Domino *1.Timoth.1.* Soli Deo honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Quando reuertatur à nuptiis.

Ecce in quo proponitur similitudo expectantium Dominum: & duo notantur in verbo proposito. Vnum est, quæ sint nuptiæ à quibus ad nos reuersurus expectatur Dominus: secundum autem, in quo similitudo ista attenditur. Nuptiæ quidem sunt triplices: in natura, in gratia, in gloria. In natura quidem quando sibi Filius Dei naturam nostram in indiuiduam vitæ consuetudinem in vnitate personæ in vtero virginis copulauit, habens tria bona coniugij: prolem quidem, filios Dei quos redemit: fidem, quia nunquam naturam assumptam deseruit: sacramentum, quia eam deitati indissolubiliter coniunxit, vnam vni copulando. Hæ nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater IESV ibi. Vocatus est autem &

IESVS

IESVS cum Discipulis suis ad nuptias *Ioan.* 2. Cana enim zelus interpretatur: quia sicut dicitur *Isa* 9. Zelus Domini exercituum fecit hoc. In Galilæa autem factæ sunt: quia in transmigratione Filij Dei ad nos: quando sicut dicitur *Bar.* 3. In terris visus est,& cum hominibus conuersatus est. Ibi autem mater IESV fuit, per fidem & consensum in corde, per administrationem materiæ in corpore, per obsequium in opere. Ipse autem IESVS per præsentiam in carne se ibi exhibuit,& quotquot erant Discipuli eius, Prophetæ & Patriarchæ ab initio, per exultationem visionis in Spiritu. *Ioan.* 8. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est. Omnes enim quotquot spirituales erant, suspirantes in Spiritu dixerunt illud *Eccli.* 36. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur.

Secundæ nuptiæ sunt in gratia, quæ sunt copulatio Filij Dei cum fideli anima, vnius consormis voluntatis in præceptis & consiliis, quasi indiuiduæ vitæ consuetudinem retinens. Hoc matrimonium tria bona habet coniugij: bonum quidem prolis,in bonis propositis: conceptum,& in bono consensu patrum, & in bono opere habet prolem. Fidem autem habet in hoc,quod fideliter in Dei perseuerat dilectione: & bonum sacramenti, in animæ & Filij Dei in dilectionis amplexu & vnione. Hæ sunt nuptiæ quas homo rex fecit filio suo,hoc est,ille humanus & humana(hoc est benigna de bonis cogitans Deus. In istis nuptiis præcessit figura in Isaac & Rebecca, hoc est, in Filio Dei & Ecclesia, mortua matre Synagoga quam Filius Dei verus Isaac in tabernaculum suæ matris induxit, hoc est, in diuitias & secretum Scripturarum. Et in tantum amauit eam, vt dolorem qui ex morte matris Synagogæ accidetat temperaret. Et hoc maxime in deuotione primitiuæ Ecclesiæ. Sed heu nunc tanta lasciuia fidem violat & Ecclesiam de gentibus, quod & ipsam fastidire incipit sponsus Ecclesiæ Christus.

Tertiæ nuptiæ sunt Filij Dei in gloria cum anima beata & cum Angelis: in quibus indiuiduæ vitæ consensus, perfectus voluntatum consensus. Quia omnimodam facit vitæ indiuiduitatem & consuetudinem, quando nihil à beatis diuisum habet Deus. Quia suos super omnia bona sua constituit, sicut dicitur *Matth.* 24. quando reginam animam in thalamum absconditi suæ deitatis introducit. *Psalm.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ,à conturbatione hominum. Hoc matrimonium habet bonum prolis, in partu multorum gaudiorum continuò notorum: bonum fidei, quod nunquam violabitur impossibilitate admissionis contrariorum: bonum autem sacramenti, indissolubilem vnionem spirituum creati & increati in lumine. Et hoc est matrimonium Assueti & Esther absconditæ in consortium regni. Esther enim abscondita, & Assuerus interpretatur beatus.

Ad primas autem nuptias Filius Dei semel venit, neque vnquam recessit, neque vnquam redibit. Ad secundas multoties venit, quoties per gratiam fideli coniungitur animæ. Recedit autem per peccatum, & redit per pœnitentiam quando reconciliatur,dicens illud *Ierem.* 3. Vulgo dicitur, Si dimiserit quis vxorem suam, & illa recedens duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego recipiam te,dicit Dominus. Ad tertias autem nuptias secundum corporalem præsentiam iuit Dominus in die Ascensionis, qui tamen semper præsens fuit secundum exhibitionem suæ diuinitatis. Et redit continuo reditu reuelationis, & apparitionis,& consolationis quam facit Sanctis. Ostendens hoc quod dixit *Matth. vltim* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Redit tamen præcipue in die mortis,quando traducere venit sponsam. Et redibit in die iudicij, traducens vniuersalem Ecclesiam. Et tunc verificabitur illud *Matth.* 25. Venit sponsus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Istæ sunt ergo nuptiæ, & talis expectatur reditus sponsi.

Similitudo autem expectantium sic reuertentem sponsum est in sex. Expectantes enim sponsum ex deliciis venientem vestitu nouo fulgent, cantibus nouis sonant,musicis instrumentis concrepant, luminibus solemnibus illuminantur, donis & muneribus effluunt, dapibus & epulis delicatissimis epulantur: & in talibus se sponsi deliciis consormant. Et vestitus quidem, est varietas honestæ conuersationis, omni colore virtutis adornata: de qua dicitur *Isa.* 61. Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundedit me, tanquam sponsam decorauit me. Indecorum enim est sponsum & sponsam regio fulgere habitu, & sodales & amicos vtriusque vilibus esse pannosos. Vnde *Matth.* 22. Eiectus est qui intrauit ad nuptias, non habens vestem nuptialem. Cantus autem est vt dicit *Cassiodorus*, exultatio mentis in vocem modulationis prorumpens. *Ephes.* 5. In psalmis & hymnis exultantes, & cantantes in cordibus vestris Domino. *Iudic.* 5. Ego sum, ego sum qui Domino canam: psallam Domino Deo Israël. Musica autem instrumenta siue organa, sunt tympanum quidem in corporis castigatione & maceratione. Chorus autem, consonantia dilectionis proximorum. Chordæ autem in iubilo cordis ad Deum. Organum autem in modulatione laudis diuinæ, & Psalterium in operis perfectione. *Psalm* 150. Laudate eum in tympano,& choro: Laudate eum in chordis & organo. Lumina autem solemnia quæ triplicibus composita sunt:lumen verbi in prædicatione, lumen exempli in exempli ostensione,& claritatis famæ in omnium ore. *Matth* 5. Luceat lux vestra coram hominibus. *Philip.* 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Dona autem quibus effluunt,sunt dona eleemosynarum & omnium bonorum quæ ad communicationem veniunt. *Esther* 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. *Nehem* 8. Mittite partes eis qui non præparauerunt sibi. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit,abundanter tribue:si parum,hoc ipsum impertiri stude. Dapes autem & epulæ, sunt interiores in sancto Spiritu refectiones. 1. *Cor.* 5. Epulemur in azymis sinceritatis,& veritatis. *Psal.* 41. In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. *Luc.* 15. Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit,perierat & inuentus est. Sic ergo similes sitis hominibus expectantibus Dominũ suũ,quãdo reuertatur à nuptiis. Sequitur,

Vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

Tria hic dicit propter quæ paratos oportet nos esse: vnum est aduentus, qui est ex parte Dei: secundum est pulsatio, quæ etiam ex parte sua est: tertium est ex parte nostra, quod est apertio. Aduentus enim debet esse gratus, pulsatio desiderata, apertio autem festinata. Venit autem Dominus dupliciter: visitando per bonum propositum in gratia, & vocando per infirmitates in fine vitæ. Similiter pulsat dupliciter: pulsat enim incitando ad perfectionem boni concepti per impulsationem Spiritus, & pulsat per symptomata mortis in finem exitus.

De primo aduentu 1. *Cor.* 4. Veniet Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Cum enim Dominus per gratiæ deuotionem mentem intrauit, statim cor illuminatur ad bonum concipiendum propositum, & manifestat consilia perfectionis ad salutem. *Psalm.* 95. Exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, quoniam venit. Omnia enim in anima quasi virentia tunc exultant. Viret enim mens virtute, floret boni propositi conceptione, frondet verbis salutis in Dei confessione. De pulsatione autem, illi aduētui respondente dicitur *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Sic enim dicit pulsans, per incitationem Spiritus ad boni propositi perfectionem. Sororem autem vocat, propter castitatem amoris: amicam, propter teneritudinem dilectionis: columbam, propter innocentiam simplicitatis: immaculatam, propter immunitatem peccati in honestate conuersationis: promittens quod caput diuinitatis eius plenum est rore gratiæ ad fœcunditatem spiritualis germinis. Et cincinni (per quos euaporantia à capite diuinitatis in humanitem significantur) sunt pleni guttis noctium, hoc est, humore consolationis, æstum tribulationis refrigerantibus in noctibus aduersitatum huius seculi. *Apocal.* 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: siquis aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Quia interiores in gratia præparabo refectiones.

De aduentu autem secundo, qui est per immissionem infirmitatis, dicit *Isa.* 5. Ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit, neque dormiet. Quia per infirmitatem mors appropinquare non cessat: & non deficit, quia continuo plus & plus aggrauatur. De pulsatione illi aduentui respondente dicitur *Prouerb.* 16. Nuntij mortis indignatio regis. *Isa.* 27. Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem. Hoc enim fit, quando mors pulsat ad intrandum.

Confestim aperiant ei] Diligens enim aduenientē Dominum siue ad gratiæ augmentum, siue ad remunerandum venientem, statim aperit venienti. Aperit autem primo aduentui per deuotionem: secundo autem per exitus ad eum congratulationem. De primo dicit cum sponsa *Cant.* 5. Surrexi vt aperirem dilecto meo. Quia nisi cito aperiatur ei per occursum deuotionis, timendum est quod transeat: sicut *Ibidem* sequitur. At ille iam declinauerat atque transierat. De apertione respondente secundo aduentui & pulsationi: quando per desiderium moriendi desiderat anima transire cum iudice desiderato ad requiem, dicitur in *Psalm.* 117. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Qui enim scit se ad requiem transiturum, quod mors sua introitus est vitæ: iste statim dicit cum *Paulo Philip.* 1. Cupio dissolui & esse cum Christo, multo magis melius.

Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.

Hic post admonitionem tangit huius solicitudinis rationem. Tangit autem duas rationes. Vnam quidem sumptam à ratione mercedis: aliam autem à ratione periculi futuri, quod imminet ei qui non vigilat solicite. Illa autem quæ sumitur à ratione mercedis tres habet paragraphos. Vnus quidem sumitur à ratione beatitudinis in genere: alius autem sumitur à quadam illius beatitudinis in specie: tertius autem est quasi conclusio istorum duorum. Et explicat vigilandi modum, secundum distinctiones vigiliarum. De primo autem exprimit tria: rationem mercedis & laudis, conditionem & debitum vigilantis, & vigilantis meritum laboris. De primo dicit, Beati] Iam dudum dictum est quod beatitudo sonat aliquid perfectum: vnde beatus in vigilando est, perfectionem attingens vigiliæ. Vigiliæ autem beatitudo est, sobrietatem sensuum ab ineunte ætate ad Dominum & sapientiam extēdere, & omnem modum obseruantiæ ostendere ad studium sapientiæ. *Eccli.* 39. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Vigilia enim, sicut dicit *Philosophus*, est expansio caloris & spiritus ad exteriora organa sensuum. Et summum eius est, quod ad Deum & sapientiam extendatur. Iste enim semper vigilat, qui spiritum totum ad Domini aduentum extēndit. Et ille talis est beatus qui semper corde ad Deum vigilat. *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Si enim semper homo sit vigil, & quando dormit pro necessitate corporis, quod etiam somniat Domini aduentum: ille vigilia sua beatus est. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. *Psalm.* 62. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Somnus enim pigri est. Piger autem omnia negligit. *Prou.* 7. Vsquequo piger dormis? paululum dormies, paululum dormitabis: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Est ergo beatitudo ista in hoc quod homo corde vigilet, & solicitudine continua, sensus & spiritum extendat ad ea quæ Dei sunt, quæ sunt sibi commissa de cura proximorum. Conditionem autem tangit, quando dicit [serui] in domo nati, pretio sanguinis comparati, & in bello acquisiti & reseruati. *Psalm.* 115. O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Seruus, inquam, in bello acquisitus & reseruatus, & iterum seruus pretio sanguinis emptus, & filius ancillæ, hoc est, Ecclesiæ in domo natus, eius à sacramentis nutritus. Causam autem beatitudinis istorum enumerat, quando dicit.

Quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes] venit enim Dominus sicut fur. 1. *Thess.* 5.

Dies

Dies Domini ficut fur ita in nocte veniet. *Apoc.* 3. Veniam ad te ficut fur,in hora quam ignoras. Hoc enim in bonis magis eſt laudabile, quod fit ex habitu pluſquam ex præmeditatione: ſicut dicit *Philoſophus*. Et ideo ſi non præuiſos, inuenire paratos, ſignum eſt quod ex habitu vigilent. Et illi non vigilant niſi propter bonum, & ideo præ omnibus ſunt laudabiles. *Matth.26.* Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. 1. *Pet.5.* Sobrij eſtote, & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui reſiſtite fortes in fide. Summa enim ſollicitudine vigilandum eſt, Tum propter aduentus Domini incertitudinem, Tum propter ſtudium adipiſcendæ ſapientiæ & laborem, Tum propter commiſſorum prouiſionem, Tum propter ipſius vigiliæ vtilitatem. De aduentus quidem incertitudine dicitur *Marc.* 13. Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. De ſtudio autẽ ſapientiæ, cui ſemper attendendũ *Cant.5.* Ego dormio & cor meum vigilat. De vigilia commiſſorum *Luc.2.* Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias ſuper gregem ſuum. *Pſalm.* 120. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. De vtilitate vigiliæ & ſobrietate *Eccli.* 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes, hoc eſt, carnalem concupiſcentiam, & cogitatus illius auferet ſomnum, hoc eſt, pigritiam dormitantem. Vigil enim præparat ſeipſum: ſomnulentus autem præoccupatur à periculo. 2. *Reg.* 4. Baana & Rechab interfecerunt Isboſeth (vir confuſionis) dormientem in feruenti die, dormientem ſuper lectum, cum oſtiaria purgans triticum obdormiuiſſet. Baana reſpondens ſignificat pœnam peccato reſpondentem. Rechab autem mollis pater ſignat carnis mollitiem. Hi intrant in domum viri confuſionis interne dormientis in feruore diei, hoc eſt, in domum concupiſcentiæ carnali ferueatis & laſciuientis in ſtrato ſuo oſtiaria ancilla, hoc eſt, ratione (quæ purgare deberet triticum, hoc eſt, animi in verbo Dei refectionem) dormiente. Et percuſſerunt eum in inguine per appetitum fornicationis. Et mortuus eſt, & regnum & honor regni ablata ſunt ab ipſo. Hæc omnia effugit qui ſobrietatem & vigilias diligit. Et ideo dicit etiam Cato. Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto. Ideo etiam dixit *Marc.* 16. Dominus Petro. Simon, dormis, non potuiſti vna hora vigilare: Et hoc eſt quod dicit [quos eum venerit Dominus inuenerit vigilantes]

Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.

Hic ponit retributionis promiſſionem, præmittens promiſſionis confirmationem, cum dicit [Amen dico vobis] hoc eſt, vere dico vobis. Quamuis immobile ſit Dei verbum ſimplicis promiſſionis: tamen humano modo nobis & infirmitati noſtræ condeſcendens ad promiſſionem ponit aſſertionis & iuramenti confirmationem. *Hebr.6.* Volens Deus oſtendere pollicitationis ſuæ hæredibus immobilitatem, interpoſuit conſilij ſui iuſiurandum: vt per duas immobiles res quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum habeamus ſolatium: qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut animæ anchoram habemus tutam & firmam.

Quod præcinget ſe] Ecce promiſſio retributionis, & tangit tria: glorioſam ſcilicet retribuentis præparationem, noſtri ad ſuſcipiendum retributionem, commodam diſpoſitionem, & honorificam nimis in retribuente remunerationem. De primo dicit quod [præcinget ſe] hoc eſt, glorioſe ſe ad retribuendum per ſeipſum præparabit. Præcinxit enim ſe humiliter in obſequio. *Ioan.*13. Quando adhuc mortalis, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & linteo præcinctus miſit aquã in peluim: cœpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Et quod tunc fecit ad humilitatis obſequium, in gloria immortalis exhibet ad decoris premium. Sicut autem dicit *Auguſtinus ſuper illud Pſal.91.* Dominus regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt fortitudinem & præcinxit ſe virtute. Nos enim accingimur ad operandum, ſuccingimur ad ambulandum, accingimur ad pugnandum, præcingimur autem ad miniſtrandum: Et de cinctione quidem dicitur *Iſa.* 9. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Quia non bene operatur cuius lumbi per fluxum defluunt. Nec bene accepta eſt Deo operatio in qua delectamenta carnalia fides non reſtringit. De accinctione autem dicit *Pſalm.* 44. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Gladius enim verbi Dei peccatores tranſuerberans, femur premit: quando in nobis illecebras occidit. Et dicere poſſumus 1. *Corinth.9.* Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. De ſuccinctione autem dicitur 1. *Pet.1.* Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſobrij perfecti ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam. *Epheſ.* 6. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in caſtitate, præparati ad iter cœptum in profectu meritorum. De præcinctione autem dicitur *Iob* 12. Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum, hoc eſt, in miniſtris ſuis, ſeculari pompa depoſita, in aſperitate & humilitate facit eos ſibi miniſtrare Sicut & ipſe Dominus ſecularibus pompis dimiſſis, aſperitate & humilitate præcinctus, Diſcipulis miniſtrauit. In gloria autem iam indutus decore gloriæ corporis, præcinget ſe quando decorem omnium Angelorum & beatorum anterius ſibi adhibebit: Hoc enim eſt præcingi, anterius ſibi aliquid adhibere. Adhibebit igitur ſibi anterius illum pretioſum decorem beatorum, quos omnes in gloriam Sanctorum conuertet, & ſic ſe ad obſequendum præparabit. Sic enim etiam verum eſt quod dicitur *Hebr.*1. Nunne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. *Iob* 40. Circumda tibi decorem, & eſto glorioſus, & in ſublime erigere.

Et faciet illos diſcumbere] ecce commoda multum noſtra diſpoſitio. Sicut enim dicit *gloſſ.* Noſtrum diſcumbere eſt in regno quieſcere. Diſcubitus enim eſt commoda corporis poſitio, compoſita ex iacendo & ſedendo, quando dorſum molli recipitur reclinatorio & inferiora molli recipiuntur. *Matth.* 8. Recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Recubitus autem iſte ſiue diſcubitus eſt ſecundum ſedes, & loca, & manſiones paratas in gloria: de quibus dicitur *Ioan.*14. Vado parare vobis locum. Et ſi parauero

oero vobis locom, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum. Et *ante*. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. In his gloriæ sempiternæ receptaculis faciet illos discumbere: sicut *Genes.* 44. Fratres Ioseph sederunt, & discubuerunt coram eo in gloria sua, remoto omni incommodo corporis & animæ. *Apocal.* 21. Iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor: quæ prima abierunt.

Et transiens ministrabit illis] transibit qui nunquam transibit, qui stabilis manens dat cuncta moueri. *Psalm.* 101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Transibit tamen triplici transitu in gloria ministrando: corporali videlicet, mentali, & corporali simul & mentali. Corporali quidem transibit in seipso, quando post iudicium de aëre in quo occurrunt et Sancti cum eis mouebitur. 1. *Thes.* 4. Rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra, & sic semper erimus cum Domino erimus. Mentali autem transitu non transibit io se, sed in Sanctis: quando nouis illuminationibus & consolationibus reficiet Sanctos. *Eccl.* 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: Simul autem corporali & mentali transibit in Sanctis, quando sensibus corporis exhibebit gloriam corporis, & menti exhibebit gloriam deitatis. *Ioan.* 10. Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & pascua inueniet. *Glossa Augustini*. Foris egrediens pascetur in Saluatoris humanitate. Intus egrediens pascetur in Saluatoris diuinitate. Et sic vtrobique pascua inueniet. *Ezech.* 34. Ego ipse pascam oues meas, & accubare eas faciam. Sit igitur transiens ministrabit illis.

Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.

Hic ponit sub distinctione vigiliarum, beatitudines vigilantium. Tangit autem duas vigilias, in quibus magis laudabile, vigilare. Ad hoc autem intelligendum notandum est, quod quatuor sunt vigiliæ noctis, quæ distinctæ sunt à Sanctis, & in quibus nox nihil de lumine diei habet admixtum. Quarum prima vocatur intempestum, quæ est quasi primus somnus in primis tribus horis noctis, & tunc somnus est valde profundus, & obscurus: & ideo paucissima somnia sunt illius horæ siue vigiliæ: quia spissus fumus resolutus à loco digestionis obscurat organa sensuum & oppilat organa, quod phantasmata & motus à sensibilibus facti in eis apparere non possunt. De hac vigilia mentio fit 3. *Reg.* 3. Surgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in sino meo. Q.d. quando grauissimus sopor erat, non potui percipere ablationem filij mei viui, & repositionem filij sui mortui in sinum meum. Secunda autem vocatur conticinium, quæ est quasi secundus somnus: quando iam spissitudo fumorum & cibi aliquantulum sunt attenuati, & membra corporis conquiescunt iam suauiori somno, membra reficiente & nutrimentum separante tam in stomacho quam in epate: ita quod humor cibalis iam infundi incipit & trahi versus venas, & grauat eas. Et quia tunc motus inordinati caloris residere incipiunt: ideo conticinium vocatur. Et de hac vigilia mentio fit *Sapient.* 18. Dum enim quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus venit. Hæc enim vigilia extenditur vsque ad medium noctis, & habet etiam tres horas particulares. Tertia autem vigilia vocatur gallicinium, quando iam ab angulo mediæ noctis sub terra sol incipit ascendere. Et de hac vigilia mentionem facit Dominus *Matth.* 26. Hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Tunc enim propter solis ascensum moueri incipit nutrimentum ad exteriora organa sensuum. Et ideo somniare incipiunt paulatim animalia, & moueri. Et ideo quædam garriunt, & galli cantant. Quarta autem vigilia vocatur antelucanum, quando sol versus horizontem appropinquare incipit: & ideo tunc nutrimentum ab interiori motu in tertia vigilia incipit superfundi organis sensuum, & somnus incipit attenuari & dulcescere, & somnia incipiunt multiplicari ex suaui motu organorum à nutrimento. Et ideo animalia tunc sunt multi garritus, & gallorum cantus crebrescunt. Et de hac vigilia mentio fit *Exod.* 14. Factum est in vigilia matutina, respexit Dominus super castra Ægyptiorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. *Matth.* 14. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans supra mare. De omnibus his quatuor vigiliis simul dicitur *Marc.* 13. Nescitis quando Dominus vester veniet: sero, an media nocte, an gallicantu, an mane.

Quælibet autem istarum vigiliarum secundum Astronomos in tres horas distribuitur: & sic nox habet duodecim horas, sicut & dies. *Ioan.* 11. Nonne duodecim horæ sunt diei? Sed tunc prima hora noctis vocatur crepusculum, & vltima vocatur diluculum: quia prima hora noctis lucem solis habet vergentem in tenebras, & vltima habet eandem emersam de tenebris ad lucem diei. Sed illæ duæ partes horarum non vocantur vigiliæ: quia in illis excubiæ non solent poni, eo quod in illis communiter homines vigilant.

Hæ quatuor vigiliæ solent à Sanctis attribui quatuor ætatibus hominum: ita quod prima sit pueritia & iuuentus, habens ante se quasi vnam partem horæ infantiam. Secunda autem sit virilis ætas, quando vita naturæ stat in robore. Tertia autem sit senectus, quando iam declinante virtute, stat adhuc substantia, & corporum & membrorum habitudo. Quarta autem sit senium, quando defecta iam virtute etiam corpus incipit rugari, & incuruari, & deformari. Et secundum hoc de prima vigilia non facit Dominus mentionem: quia illa mersa est in ætate humida, & nullam habet experientiam: & ideo in illa dormitare habet per ignorantiam & misericordiam. De vltima etiam non facit mentionem: quia illa & virtute & corpore deficit & defecta est, & ideo à labore solicitudinis excusata, quia quasi eneruata est. Sed de secunda quæ est in robore, & virtutis, & corporis. Et de tertia quæ licet iam virtute declinet, non tamen est notabilis defectus, & habet iam experientiam faciendorum. Et ideo illis duabus maior indicitur solicitudo, & fures & latrones illis magis insidiantur: quia in illis horis magis quietus est somnus. Hoc est ergo quod dicit.

Si venerit in secunda vigilia, & in tertia vigilia venerit] quando fures solent insidiari, 1. *Thes.* 5. Ipsi diligenter scitis quia dies Domini sicut fur ita

ita in nocte veniet. *Apocal.* 3. Si autem non vigilaueris, veniam ad te sicut fur & mouebo candelabrum tuum de loco suo. Fur enim, vt Labeo dicit, à furuo dicitur, quod est nigrum: quia in nigro, hoc est, in obscuro venit. Voluit enim Dominus incertam & ignoratam nobis esse horam mortis, vt semper simus parati. *Matth.* 24. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. Et ideo dicitur *Amos* 4. Praeparate in occursum Dei tui Israel. *Exod.* 19. Estote parati in diem crastinum, hoc est, in quodlibet futurum. *Genes.* 30. Respondebit mihi cras iustitia mea, cum placiti tempus venerit. Et hoc est quod sequitur [& ita inuenerit] vigilantes scilicet & sollicitos: quia tales nunquam praeueniuntur à morte, & à veniente Domino: sed semper praeueniunt, & mortem, & Dominum. Vnde *Sapient.* 4. Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit: quia licet tempore praeoccupetur, tamen praeparatione semper praeuenit mortem. *Iob* 14. Dixit Iob praeparatus, Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram [Beati sunt serui illi] beatitudine actus perfecti secundum vigiliarum sollicitudinem. *Prouerb.* 8. Beatus homo qui audit me, & obseruat ad fores meas quotidie. Qui inuenit me, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Et sic ideo vigilantes sunt beati.

Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam.

Ecce secunda ratio à praecautela periculi. Duo autem facit in hac ratione, quorum primum est similitudo praemissa humana in cautela periculi: secundum autē admonitio cautelae sumpta à dicta similitudine. De primo dicit duo. Praemittit enim assertionem, & secundo supponit similitudinem. De assertione dicit sic]hoc autem scitote] Q. d ex verbis meis, & humana ratione[scitote]quia quicquid scitur est verum, & fallere non potest. *Prou.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis prauum quid atque peruersum [quoniam si sciret paterfamilias]qui habet curam gubernandae domus & familiae. Et huic debet esse similis Doctor & gubernator Ecclesiarum. *Matth.* 13. Ideo omnis Scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera [qua hora fur veniret] qui in nigro, hoc est, in obscuro aufert: quia ille est diabolus qui aufert. *Ioan.* 10. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Qui autem impruuisus venit, non vt perdat, sed vt secundum merita retribuat, nec est fur, sed in aduentu habet furis similitudinem: ille est index Filius hominis: quia ille sicut fur venit improuisus. *Matth.* 25. Media nocte clamor factus est ecce sponsus venit. *Eccle.* 9. Nescit homo finem suum: sed sicut capiuntur pisces hamo & aues laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo. 1. *Thes.* 5. Cum dixerint pax, & securitas: tunc repentinus superueniet interitus.

Vigilaret vtique] hoc est, oculos & sensus ad lumen aperiret. Et ita vigilat homo de salute sua sollicitus, oculos & sensus ad aeternum lumen aperiendo, & cauendo ne domus corporis sui improuisa morte suffodiatur, & thesaurus animae perdatur. Domus enim corporis, domus lutea est, & de facili suffoditur. *Iob* 4. Qui habitant domus luteas, & terrenum habent fundamentum: velut à tinea consumentur. 2. *Corinth.* 5. Scimus quoniam si terrestris domus huius habitationis nostrae dissoluatur, aeternam habemus in caelis. Et hoc est quod sequitur [& non fineret perfodi domum suam]supple, improuise: quia fundaret eam supra petram, vbi suffodi non potest. *Matth.* 7. Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra petram. Thesaurum etiam reponeret in caelo, & tunc insidias à furibus non pateretur. *Mat.* 6. Thesaurizate vobis thesauros in caelo, vbi neque aerugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt neque furantur. Ideo 1. *Petr.* 1. dicitur. In haereditatem incorruptibilem, & immarcescibilem, & incontaminatam, conseruatam in caelis.

Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Conclusio est à simili. Et, coniunctio quae videtur copulatiua, illatiua est: & est sensus: ergo[& vos estote parati] quia ad similitudinem furis continuo perfoditur domus inhabitationis vestrae. *Psalm.* 118. Paratus sum, & non sum turbatus 2. *Corinth.* 9. Achaia parata est ab anno priore, & vestra aemulatio prouocauit plurimos. Aemulando parati esse debemus vt alios ad similem praeparationem prouocemus [quia qua hora non putatis]eo quod eam praeuidere non potestis *Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate. Sicut enim nihil certius est morte: ita nihil incertius est hora mortis [Filius hominis veniet]hoc dicit: quia in humana natura in qua iudicatus est, alios iudicabit. *Apocal.* 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Primo in iudicio particulari vniuscuiusque, & deinde in iudicio vniuersali omnium. *Ioan.* 19. Videbunt in quem transfixerunt. *Ioan.* 5. Pater non iudicat quenquam, iudicium omne dedit Filio. Et *ibidem.* Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc Sic ergo per tationes ad vigilandum inducit.

Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

Hic incipit pars illa de quaestione & responsione Petri. Multa enim dixerat Dominus: quaedam communiter pertinentia ad omnes: quaedam autem specialiter ad Discipulos: quaedam figuratiue dicta: quaedam aperte. Et ideo quaerit Petrus dicens: Domine, ad nos dicis. Et diuiditur in partes duas, in quarum prima ponitur quaestio Petri: & in secunda responsio Domini. Dicit ergo [Domine, ad nos]ne Discipulos & Apostolos tantum [dicis] praemonendo nos [hanc parabolam] hoc est, similitudinarium sermonem [An ad omnes]Praelatos & subditos, Apostolos, siue Discipulos: an & ad alios omnes indifferentes homines?

Parabolam autem vocat similitudinarium sermonem : sicut de lumborum præcinctione, & aduentu furis,& huiusmodi.Sublimia enim instituta sunt,quæ oportet obseruare expectantes Dominum.Et ideo quærit Petrus.Si hæc tantum pertineant ad Apostolos, & successores eorum : an etiam ad alios omnes expectantes Domini iudicium? *Tit.* 2.Sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. *Malach.* 3. Ecce venit, & quis poterit cogitare diem aduentus eius ? Et quis stabit ad videndum eum ? Et ideo non est mirum, si dubitat Petrus de his, quæ pertinent ad tanti aduentus præparationem. Ex quibusdam enim verbis,aduentus ad iudicium videtur pertinere ad Apostolos solum, & eorum successores : sicut ex illo *Matth.* 19. Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ : sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Ex quibusdam autem videtur pertinere ad omnes electos. *Matth.* 24. Vbicunque fuerit corpus,illuc congregabuntur & aquilæ.Sed quoad iudiciariam potestatem pertinet ad Apostolos & successores Apostolorum, qui iudicabunt cum Christo. Quoad benedictionem autem & possessionem beatitudinis, pertinet ad omnes electos hoc quod in ante habitis dictum est. Et ideo licet principaliter huiusmodi solicitudo indicatur Prælatis, qui sunt successores Apostolorum : tamen secundum modum vniuscuiusque pertinet ad omnes. Vnde hæc fuit causa dubitationis Petri.

Dixit autem Dominus : Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens.

Hic incipit responsio Domini de solutione quæstiunis inductæ. In hac autem responsione tria continentur : in quorum primo beatitudine magna extollitur vigilans, & se ad aduentum Domini præparans, & ostenditur esse tutus : in secundo mali serui ostenduntur stipendia malorum meritorum : in tertio per modum supradictum dissoluitur Petri quæstio. Dicitur, quod ad vnum plus pertinet cui plus commissum est, & ad alterum minus cui minus committitur. In primo horum tria continentur : eius scilicet, qui dicta obseruat raritas,& obseruantis beatitudo,& eiusdem Beati remuneratio. Horum autem primum rursus sex continet, quorum primum est hæc obseruantis raritas, secundum in dispensando vtilitas, tertium in commisso fidelitas, quartum prudentiæ & circunspectionis eius sagacitas, quintum vocationis eiusdem puritas, sextum est finis vocationis eius ostensa sinceritas. De primo horum dicit.

Quis putas] enim [est] Q. d. Tu quæris Petre, an ad omnes dicam præparationis inductæ & solicitudinis parabolam. Sed [quis putas est] qui teneat ea quæ dicta sunt ? Heu enim rara auis est in terris rantæ perfectionis homo, qui solicitudinem illam exhibeat, & illam fidem ad me ostendat. *Luc.* 18. Cum venerit Filius hominis, putas inueniet fidem supra terram ? *Eccle.* 7. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. 1.*Corinth.* 4. Iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. *Psalm.* 13.Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt ; non est qui faciat bonum,non est vsque ad vnum. *Philip.* 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. 3.*Reg.* 19. Ego relictus sum solus,& quærunt animam meam.

Quis ergo putas est]talis ? & tantus [fidelis] in commisso sibi grege ? vel talento donorum Domini sui ? Fides enim, vt dicit *Augustinus*, componitur à fiant, & dicta. Et dicitur fides quando dictis facta compensantur. In commisso enim grege, & commisso talento donorum magna promittuntur : & si compensantur factis, tunc est fidelis in commisso qui hæc facit. Si autem non fit vel minus fit, ille non est fidelis. *Prouerb.* 20. Multi misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inueniet ? Sic fidelis in commisso fuit de quo dicitur 1.*Reg.* 3. Cognouerunt autem omnes à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini. Et ideo ipse summus sacerdos, bona pro tam fideli dispensatore imprecatus est,dicens:Reddat tibi Dominus pro fœnore quod commodasti Domino 1.*Reg.* 2. Ille enim fidelis fuit, quia omnia quæ promisit, exhibuit in facto. Est autem & alter fidelis in commisso præcepto,qui omnia sibi imposita & imperata ad honorem Domini sui fideliter peragit. 1.*Reg.* 22. Quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis in regno tuo : ingrediens,& egrediens,& pergens ad imperium regis ? Est tertio modo fidelis in obsequio, non seruiens ad oculum vel pro mercede, sed ex fide quam habet ad Dominum. *Eccli.* 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. Quarto modo adhuc fidelis est,qui omnes diuitias & gloriam Domini in potestatem accipiens, nihil de omnibus sibi attribuit. *Bernard.* Fidelis profecto minister eris : si de vniuersa gloria Domini tui,etsi transeunte per te,nihil manibus tuis adhærere contingat. Et sic fidelis fuit Ioseph *Gen.* 39. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua præter te, quæ vxor eius es:quomodo ergo malum possum hoc facere, infidelitatis scilicet, & peccare in Dominum meum ? Est quinto modo fidelis, qui omnia ad Deum refert,fidei Domini omnia committens, & propter solam spem quam in Deum habet seruiens. *Eccli.* 45. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit ipsum ex omni carne. Et sic fidelis fuit Abraham *Rom.* 4. In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia,sed confortatus est fide, plenissimè sciens quia quæcunque promisit ei Deus, potens est & facere. Sexto modo fidelis est, qui omnia quæ credit operibus ostendit, sola dilectione omnia complens, ad quæ fides illuminat. *Galat.* 5. Fides quæ per dilectionem operatur. *Iacob.* 2. Fides sine operibus mortua est. Et *ibidem*. Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Omnibus ergo his modis [Quis putas est fidelis] Si enim aliquis istorum modorum deficiat, non potest dici fidelis : aut enim promissa non complet, aut præcepta non implet, aut fraudat obsequium, aut bona subtrahit, aut ea quæ facit infideliter ad Dominum non refert, aut fide mortua, sicut dæmones credunt, & in tem creditam apud Deum non habens spem,non tendit : & ideo fidelis non reputatur.

Dispensator] Hic notatur in dispensando vtilitas. Dicitur enim dispensator, qui pro diuersitate personarum, & temporum, & locorum,& bonorum sibi commissorum vtiliter distribuit distribuenda,

buenda,& vtiliter reseruat reseruanda. Talis ergo propriè est dispensator. Talis fuit dispensator domus Ioseph *Genes*.43. Oportet autem dispensatorem tria habere: primum quidem vt sit idoneus sine crimine existens: secundum autem vt gratiam, quam accepit in bonis interioribus vel exterioribus, libenter administret ex dilectione quam habet ad familiam, supra quam constituitur: tertium vt ex timore Dei, postposito timore hominum, familiæ Dei nihil subtrahat bonorum Domini sui. Et de primo quidem horum dicitur 1.ad *Timoth*.3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse sicut Dei dispensatorem. De secundo autem dicitur 1.*Petr*.4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes: sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. De tertio autem dicitur 3.*Reg*.18. Achab vocauit Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum Deum Israël valde. Nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos per speluncas, & pauit eos pane & aqua. Iste ergo bonus fuit dispensator, qui licet mali hominis fuerit dispensator & malæ mulieris, non veritus est malitiam Regis & Reginæ, quominus pabula seruis Dei etiam de propriis sumptibus dispensaret. Hæc igitur tria ad bonum exiguntur dispensatorem. Quidam autem quartum his apponunt, quod est bona opinio siue fama. 1.*Corinth*.4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Sed hæc necessaria est propter alios, & non propter seipsum. His igitur tribus vel quatuor habitis, bonus erit dispensator eorum quæ sibi committuntur. Hoc ergo est quod dicit: Quis putas fidelis dispensator.

Et prudens] Prudentia est (vt dicit *Philosophus*) cum ratione actiuus habitus. Est autem prudens in dispensando, qui pecuniam Domini & alia bona prudenter multiplicat, & cautè damna Domini sui excludit: sicut sapientiam per doctrinam multiplicans, & per cautelam serpentinam excludit nequitiam, ne virus in subditos effundat. De primo horum dicitur *Prouerb*.14. In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet. *Daniel*.12. Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. De secundo autem dicitur *Matth*.10. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Quia excludunt astutia boni serpentis, venenum serpentis mali. Bonus enim serpens curat à mali serpentis morsu. *Num*.21. Fac serpentem æneum, & erige eum in palo, & qui eum aspexerit viuet. *Ioan*.3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic ergo prudens bonum benè dispensat. Et taliter prudens debet esse dispensator Ecclesiæ Dei. E contra autem insipiens in dispensando, & fraudulentus in retinendo, non debet Ecclesiæ Dei præponi. *Isa*.32. Non vocabitur is qui insipiens est princeps, neque fraudulentus maior vocabitur. Fraudulenti enim vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes cogitabit ad perdendos mites, cum loqueretur pauper iudicium.

Quem constituit Dominus super familiam suam.

Ecce puritas vocationis, & notantur hîc duo: stabilitas, & auctoritas. Stabilitas notatur in hoc quod dicit [Quem constituit] hoc est, stabiliter & immobiliter posuit: vt nec terrore, nec pretio moueatur. Sed potius principibus exhibeat se Eliam, populis Ioannem. De Elia enim dicitur *Eccli*.48. In diebus suis non extimuit principem. Et hoc impleuit 3.*Reg*.18. vbi Achab & Iezabel non extimuit. Ioannes autem nec ad fauorem populi, nec ad terrorem mouebatur. *Matth*.11. Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam? Q. d. Non. Ergo constitutus est à Deo immobiliter. *Isa*.22. Figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domus patris sui. *Psalm*.44. Constitues eos principes super omnem terram. *Psalm*.2. Ego autem constitutus sum rex ab eo in monte sancto eius. Auctoritas autem notatur per hoc quod dicit [Dominus] Non enim debet intrudi per potentiam secularem, sicut Alchimus: nec pretio secularis potentiæ, sicut Iason: nec emere debet, sicut Simon: nec amore pecuniæ sacramenta dispensare, sicut Giezi: nec sine signis euidentis sanctitatis & idoneitatis constitui, sicut idiotæ: sed cum signis diuinis sicut Aaron, cuius virga vitæ rectitudinis gemmata est, conceptione virtutis floruit, pulchritudine bonæ opinionis frondruit, eloquentia sacræ prædicationis protulit diuini fructus amygdalum, dulcissimum fructum virtutis & honestatis. *Hebr*.5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Vnde & Dominus *Num*.17. præcepit vt virga Aaron referretur in tabernaculum testimonij fœderis, vt esset ibi in signum contra rebelles Domino ex ambitione potestatis ministrorum. *Ierem*.1. Ecce constitui te hodie super gentes & regna.

Super familiam suam] Et ideo solicitè dispensandum. Quia & bona Domini sunt quæ committuntur ad dispensandum, & familia Domini cui eroganda sunt commissa. *Act*.20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. *Exod*.18. Constitue ex eis centuriones, & decanos, & quinquagenarios, & tribunos. Non enim parui æstimanda est familia, quam tam caro pretio sui sanguinis emit Dei Filius. 1.*Petr*.1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine agni tanquam immaculati Christi. 1.*Corinth*.6. Empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Qui ergo super tales ponitur, multum debet esse solicitus: & vt commissa talenta vtiliter impendat, & familiam prudenter conseruet, & fideliter custodiat.

Vt det illis in tempore tritici mensuram.

Ecce finis sinceritas in prælatione, qui non præest nisi vt prosit, & nihil in potestate delectetur. Tangit autem quinque: gratiam videlicet (quæ gratis impenditur) donorum Domini sui donationem: eorum quibus talis debetur donatio discretionem: temporis opportuni considerationem:

tationem : eorum quæ donanda, & distribuenda sunt nobilitatem: & distributionis ad vnumquenque congruentem proportionem. De primo dicit [vt det] non vendat, nec ingratis ingerat, nec coactam & exactam violentiam expectet vel timeat: sed gratis [det] *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Sacramenta enim Dei non vendenda, sed gratis sunt exhibenda. Vnde etiam Petrus princeps Apostolorum dixit Simoni *Act.* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem: non erit tibi sors in sermone isto.

Sed heu hodie sapientes facti sunt Archimandritæ. Vnde qui dicunt omnia esse sua : & ideo licere sibi non pro sacramentis, sed de suo accipere. Sed attendant quod vniuersorum Dominus *Mat.* 21. numulariorum effudit æs: & his qui columbas vendebant dixit (qui etiam Principes erant Sacerdotum) Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis: cum tamen omnia sua essent, nec sibi offerri poterat nisi suum pro suo. Si autem forte dicant, quod Christo non offerebatur, sed Sacerdotibus. Responsio, quod illi Sacerdotes tunc erant, quibus à tempore Machabæorum summa rerum commissa fuit. Et habebant regnum & sacerdotium sicut illi, vel plus quam isti : & ideo illis non potuit offerri quod suum non esset, secundum quod nostri temporis Sacerdotes interpretantur : & tamen Christus dicit, quod hæc commercio domus Patris sui, domus sit negotiationis : ergo nec isti ea facere possunt quæ faciunt. Adhuc autem, Quid dicent de Petro, qui fundamentum est Ecclesiæ, & vertex & Cephas, hoc est, caput interpretatur? Hic enim tantæ vt isti (si Deo placet) fuit auctoritatis, etsi non tantæ fuerit possessionis : & tamen dixit Simoni: pecunia tua tecum sit in perditionem : ergo vel isti contemnant pecuniam, & saluentur : vel accipiant perditionis præmium, & condemnentur. Sacramenta enim Christi vendere, est Christum vendere, & cum Iuda iniquitatis mercedem possidere. Omnia ergo hæc excludens dicit [vt det] non vendat, vel extortam exhibeat. Sic fecit Christus *Ephes.* 4. Dedit dona hominibus. *Iacob.* 1. Dat omnibus abundanter, & non improperat. *Esther* 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. Hoc ergo est quod dicit, vt det.

Illis] non extraneis. Suis enim, hoc est, sibi commissis principaliter quilibet debet intendere. 1. *Timot.* 5. Siquis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Hinc est quod dicit Dominus *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit, & oues illum sequuntur. Hinc est etiam quod *Paulus* dicit *Act.* 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus rectores & Episcopos. Quasi dicat, illis specialiter tenemini, qui regimini vestro sunt commissi.

In tempore] ecce temporis opportuni consideratio : quia non vilificanda sunt sacramenta, nec iterum tempore necessitatis retinenda : sed pro congruitate temporis exhibenda, maximè in confessione, & communione Eucharistiæ. Quidam stulti omni tempore confiteri, & communicare volunt. Quidam autem pro libitu suo in tempus longum differre. Ideo præcipitur, vt pro temporis congruitate sacramenta exhibeant. Non quidem pro stultitia cuiuslibet petentis, ne vilescant : nec etiam pro malitia & indeuotione cuiuslibet differatur, ne populus dilabatur : sed pro congruitate temporis & exhibeantur, & subtrahantur. *Eccle.* 3. Omnia tempus habent, & suis spatiis cuncta voluuntur. *Eccli.* 20 Ab ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit illam in tempore suo. *Psal.* 103. Omnia à te expectant, vt des illis escam eorum in tempore opportuno.

Tritici] adeps gratiæ sacramentalis vocatur hic triticum. Est tamen triplex triticum : sacramenti, spiritualis edulij, & temporalis subsidij. De tritico sacramenti dicitur in *Psalm.* 147. Adipe frumenti satiat te. *Psalm.* 80. Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Adeps frumenti, gratia est Eucharistialis: & mel de petra, est dulcedo sanguinis de corpore Christi : frumentum autem edulij spiritualis, est refectio verbi Dei : quia sicut dicitur *Deuter.* 8. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Hoc conqueritur subtractum *Ierem. in Thren.* 2. dicens: Matribus suis dixerunt : vbi est triticum & vinum, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, à facie tempestatum famis. Sic heu est hodie : quia Pastores litigantes in causarum cauillationibus, nec vnum iota sciunt de eo quod est verè triticum animarum, quod est scientia verbi Dei. Sed non dicitur : vt det illis in tempore, litis materiam : sed, vt det illis in tempore [tritici mensuram] triticum subsidij temporalis est: de quo dicitur *Nehem.* 5. Ego, & fratres mei, & pueri mei plurimis accommodabamus pecuniam, & frumentum, & non repetebamus. Ideo Petro dictum est ter, pasce, pasce, pasce. Pasce pane sacramenti, pane verbi & exempli, & pane temporalis subsidii *Ioan.* 21.

Sic ergo [quis putas] vitæ idoneitate [est fidelis] in intentione [dispensator] officij officiosa humilitate [& prudens] in officij executione [quem constituit Dominus] in officij susceptione [super familiam suam] in gubernationis mansuetudine. *Esther* 1. Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed in mansuetudine gubernare subiectos [vt det illis in tempore tritici mensuram] vnicuique pro modulo suæ capacitatis, triticum sacramenti, spiritualis alimenti, & temporalis subsidij. Dicit autem [mensuram] quia quod competit vni, non competit alij : præcipuè in subsidio spirituali. Paruulorum enim est lac, & non solida doctrina. Perfectorum autem doctrina est solida. 1. *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis potum, & non escam. *Hebræor.* 5. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Ideo est quod præcipit Dominus *Exod.* 16. quod manna colligerent ad mensuram gomor per singulos dies, secundum quod sufficere poterat vnicuique.

Beatus ille seruus, quem, cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem.

Hic incipit pars illa, in qua talis serui ponit beatitudinem & remunerationem : & habet duas partes, in quarum prima ponit beatitudinis laudem : in secunda autem ponit remunerationem. Tangit autem tria, in quorum primo tangit talis serui beatitudinem: in secundo tangit illius beatitudinis

tudinis ex tempore designationem, in tertio autem ex opere eiusdem beatitudinis tangit causalitatem. In primo horum tangit tria: beatitudinem, significantiæ discretionem, & tam humilis dispensatoris conditionem. Beatitudinem tangit, cum dicit [beatus] significantiæ discretionem tangit, cum dicit [ille] conditionem autem tangit, cum dicit [seruus] sicut enim sæpe diximus: beatitudo semper aliquid vult sonare perfectum. Vnde beatus, & in bono diuinissimo, quod non ad se solum sed ad totam deriuatur Christi familiam, est quod in gubernatione familiæ sit perfectus. Propter quod *Matth.* 16. cum Petrum super Ecclesiam vellet constituere, dixit: Beatus es Simon Bariona. Beatitudo enim semper est in abundanti bono, quod profunditur ad alios Sicut in *Actibus Apostolorum* Dominus dixisse perhibetur: quoniam beatius est magis dare quam accipere: quia accipere, videtur esse indigentis & imperfecti: dare autem, superabundantis & beati est [ille] signanter dicens, & discretionem notat, quia designabilis est, & rarus qui hæc quæ dicta sunt perficiat [seruus] conditione. Cum enim seruus sit, qui impeditis in se viribus animæ, ad suum regimen non sufficiens, alienum quærit rectorem. Ille seruus Dei specialiter vocatur, qui in humano sensu non confidens, nec de viribus suis præsumens, ad Dei omnia refert gubernationem & adiutorium, dicens illud *Psalm.* 126. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Sic enim sensus & vires ad Deum referre, & nihil de se præsumere, Deo regnare est. Beatus ergo ille seruus.

Quem cum] improuisus [venerit Dominus] sicut superius dictum est: quia improuisum paratum inuenire, signum est, quod semper & ex habitu virtutis paratus sit; & non ex studio deliberationis, vel necessitate timoris coactus. *Psalm.* 118. Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua [inuenerit] improuisum. Sic enim seruum suum fidelem inuenit esse Dauid. *Psalm.* 88. Inueni Dauid seruum meum, hoc est, inueni quod Dauid ex habitu virtutis est seruus meus, & non ex coactione necessitatis: & ideo oleo sancto meo vnxi eum, & ideo etiam manus mea auxiliabitur ei.

Sic facientem] ecce causalitas beatitudinis ex opere. Sic autem facientem, refertur ad omnia quæ de perfectione fidelis dispensatoris dicta sunt. Vnde etiam *Apocal.* 3. Dominus monet quendam dicens: tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. *Matth* 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Gal. vltim.* Bonum facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus vitam æternam.

Verè dico vobis quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

Tangit hic istius beati remunerationem, & dicit duo: confirmationem eum dicit [vere dico vobis] non enim dicit, nisi verè dicat is, qui dicit *Matth.* 24. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. *Ioan.* 16. Ego veritatem dico vobis, quam audiui à Patre meo [quia super omnia quæ possidet, &c.] Remuneratio est: & tanguntur duo: remunerationis magnitudo, & altitudo. In primo tanguntur duo: perfectio potestatis, & sufficientia remunerationis. Perfectio potestatis tangitur in hoc eum dicit, super omnia constituendus Sufficientia autem remunerationis intelligitur in collatione vniuersalis possessionis. De primo est quod dicit Petro *Matth.* 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. In tali enim potestate serui fideles constituti, sunt principes super omnem terram, & super omne cælum. Est sic dicitur 1. *Corinth.* 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Sic dicitur *Roman.* 8. Quomodo non etiam cum illo omnia donauit: *Psalm.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi, &c. Sic dictum est Adæ *Genes.* 1. Implete terram, & subiicite eam. Sic enim fidelis seruus, potestatem accipit in omnibus bonis Domini: dummodo idoneitate vitæ, & humilitatis habitu, & dispensationis prudentia & fidelitate Dominum imitetur: quia sic verè Apostolus, & Apostolicus vocatur. Si autem potestate abutitur: tunc certe potestatem non rectè habet, dicente *Apostol.* 2. *Corinth.* 13. Secundum potestatem meam quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram.

Sufficientia vero remunerationis est in omnibus quæ possidet Dominus. Omnibus enim his potest vti: spiritualibus quidem ad indulgentiam, & communicandum, & excommunicandum: temporalibus autem ad vsus vitæ & ministerij explectionem accipiendum: dummodo omnia illa fiet quæ dicta, & non aliter. Si enim Domino infidelis est etiam in obolo, non habet potestatem. Sed fideli dispensatori omnia dispensanda traduntur ad honorem, & ad vtilitatem Domini. Sicut enim expressè dicitur *Num.* 12. Seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus. De tali seruo & dispensatore dicitur in *Psalm.* 8. Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius. Qui autem aliis de causis & non à Deo, sed ab errore hominum dispensatores constituuntur: secundum rei veritatem non habent potestatem in bonis Domini tam spiritualibus quam temporalibus: sed potius tyrannorum more lupi rapaces sunt, ab aliis lupis super oues Domini ad deuorandum constituti. Etiam de his intelligitur id quod sequitur.

Quod si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire.

Hic enim tanguntur mali serui dispendia, & tanguntur duo: quorum primum est corruptio mali serui: secundum autem damnatio respondens corruptioni. Corruptio autem attenditur secundum tria, in quibus perfecta & ad fidem deuoluta est corruptio. Tangit enim primò corruptionem secundum rationem, in qua est vitæ regimen: secundo corruptionem secundum irascibilem: tertio corruptionem secundum concupiscibilem. Sicut dicit *Dionysius*, quod malum dæmo-

ois

nis est phantasia proterua contra veritatem: furor irascibilis contra bonitatem virtutis: & demens concupiscentia circa delectabile brutalitatis contra sobrietatem temperantiæ & castitatis, *Psal.* 30. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiia suis. De corruptione rationis dicit [Quod si] vanis spebus deceptus. *Sap.* 5. Spes impij quasi lanugo, quæ à ventu tollitur *Iob* 40. Ecce spes eius frustrabitur eum [dixerit] in corde decepto. *Psalm.* 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. *Psalm.* 38. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit [seruus ille] Bene seruus, qui nihil liberum, nihil haber dominij super seipsum. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. *Galat.* 4. Qui de ancilla secundum carnem natus est [in corde suo] corrupta ratione. *Psalm.* 35. Dixit iniustus vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius. Hæc enim in corde suo non diceret, nisi absorptam vitiis rationem haberet. *Ose.* 7. Ephraim quasi colomba seducta non habens cor [moram facit Dominus meus venire] & ideo non erit iudicium. Q. d. Casu, vel fato, & naturæ necessitate mouetur mundus, & non regitur prouidentia. Et ideo Dominus non veniet ad iudicium. 2. *Petr.* 3. Ex quo dormierunt patres, omnia sic perseuerant. *Sapient.* 2. Non est refrigerium in fine hominis & non est agnitus qui reuersus sit ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus quasi nihil fuerimus. Hoc enim dixerunt impij, & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia ipsorum, & ignorauerunt sacramenta Dei: neque mercedem sperauerunt iustitiæ, & non iudicauerunt honorem animarum sanctarum *Sap.* 2. Contra quod dicitur. a. *Math.* 7. Noli frustra extolli vanis spebus, quia tu effugias iudicium Dei.

Dicit etiam aliquando malus seruus quod [moram facit Dominus meus venire] non quidem discredens iudicium, sed sibi longam vitam promittens. *Matth.* 25. Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes & dormierunt. Hic enim putat iudicium esse differendum, dicens illud *Isa.* 28. Expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Hoc enim dicunt viri illusores, quorum vincula constringentur: vt *ibidem* dicitur. Et sicut dicit *Augustinus in Confessionibus* de se, cum Dominus inuitaret eum ad conuersionem, sic dicens: Non erat quod responderem tibi dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis: nisi verba lenta & somnolenta: Sine paululum, & ecce paululum: sine modo, & ecce modo, sineque modo, & modo non habebat modum, & paululum ibat in longum. Hic enim seruus recognoscit Dominum suum esse suum Dominum, & videtur credere aduentum ad iudicium: sed tantum fiduciam ponit in mora. *Eccli* 18. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, & cognouit subuersionem cordis eorum quoniam nequam est. Hæc enim magna præsumptio, & magna subuersio rationis & cordis humani, quod in incerto & fallaci confidens, negligit seruitium Domini sui, infideliter agit in bonis Domini. *Iacob.* 4. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.

Et cœpit percutere seruos & ancillas.

Alias pueros.

Ecce corruptio secundum irascibilem. Tangit autem corruptionem & percussorum infirmitatem, quibus potius erat miserendum & ignoscendum, quam quod percuterentur. De primo dicit [cœpit percutere]tripliciter, verbo, verbere, & malo exemplo. De percussione verbi dicitur *Ezech.* 34. Cum austeritate imperabaris eis, & dispersæ sunt oues meæ. De verbere in corpore & in rebus *Isa.* 3. Quare facies pauperum commolitis, & rapina pauperum est in domo vestra? De verbere mali exempli 1. *Corinth.* 8. Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis [pueros] Qui propter puritatem innocentiæ honorandi erant, & propter teneritatem ætatis erant miserandi vt parceretur eis. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque proximo suo placeat ad ædificationem. Et ideo *Paulus* bonus dispensator dixit 2. *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Ideo etiam *Matth.* 23. gallinæ comparatur, quæ insinuatur ad affectum & misericordiam pullorum. Quoties volui congregare *filios tuos*, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? Hos ergo percutit malus seruus [& ancillas] quibus parcendum est, & propter fragilem sexum: & fouendæ sunt propter obsequium, quod in nomine ancillæ importatur. Vnde *Eccli.* 4. Noli esse quasi leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. E contra sicut fortis mulier tales deberet honorare & pascere. *Prouerb. vltim.* Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

Et edere, & bibere, & inebriari.

Tangit hic corruptionem concupiscibilis secundum duo, scilicet, secundum qualitatem, & secundum quantitatem. Secundum qualitatem quidem in duobus desideriis, quæ sunt appetitus calidi & sicci, & appetitus frigidi & humidi. De priori dicit [edere] Intelligitur profusio in delectabilibus gulæ. *Isa.* 22. Vocauit Dominus ad fletum & planctum: & ecce, gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes: Comedamus & bibamus. *Sapient.* 1. Hæc est pars nostra, & hæc est sors. *Eccle.* 2. Quis ita deuorauit vt ego [& bibere] Ecce secundum desiderium: & intelligitur de delectantibus in potu. *Sapient.* 2. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus. *Isa.* 5. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum. De vtroque istorum simul dicitur *Amos* 6. Væ qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. Hi gastrimargi dicuntur, pro ventre insanientes. Gastris enim venter est: & margeno, margenas, est idem quod insanio, insanis. *Daniel.* 13. Non poteris dicere, quod iste non sit viuens Deus. An non vides quanta comedat, & bibat quotidie [& inebriari] Ecce de quantitate. Brias enim vt dicit *Augustinus*, est mensura sufficiens naturæ. Ebrius

ergo

ergo est, hanc mensuram excedens. *Isa.*28. Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque: ita vt non esset locus vltra. *Eccle.*10. Væ terræ cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt ad ebrietatem. *Eccli.*37. Propter crapulam multi perierunt. *Prouerb.*20. Luxuriosa res est vinum, tumultuosa ebrietas. Quicunque bis delectatur non erit sapiens.

Veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit.

Hic tangit talis serui condemnationem. Tangit autem tria, scilicet, aduentum potentis iudicis, improuisionem aduentus, & pœnam condemnationis. In primo horum tria dicuntur: iudicij certitudo, potentia iudicis, & iustitia iudicij. Primum notatur in hoc quod dicit [Veniet] Certissimum enim. *Iob* 19. Scitote esse iudicium. Et ideo dicitur *Habac.*2. Si moram fecerit expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Et si consideratur tempus breuitatis vitæ hominis, dicit *Iacob.*5. Ecce iudex ante ianuam assistit. *Soph.*1. Silete à facie Domini Dei: quia iuxta est dies Domini. *Apoc.*2. Ecce venio cito. Certum est igitur iudicium iam aduenientis Domini [Dominus] Ecce potentia: quia dicit *Ambrosius*, quod Dominus est nomen potestatis. Sic etiam *Exod* 6. dicitur, quod nomen suum Adonai, quod non ostendit patribus, ostendit duritiæ Pharaonis: quia Dominus est nomen timoris, & potestatis prementis. *Ierem.*23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster [serui illius] Ecce iustitiam habet iudicare de ipso, quia seruus meus est. *Roman.*14. Seruus suo Domino stat, aut cadit. Seruus enim habet iudicari à Domino suo: nec iudicium Domini debet, vel potest effugere seruus. Vnde *Matth.*25. dicitur, quod post multum temporis venit Dominus rationem ponere cum eis.

In die qua non sperat] quia adhuc sperat diutius: & ideo præoccupatur. Supra *eodem*. Stulte hac nocte repetunt animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? *Daniel.*4. Improuisè vigil & sanctus descendit de cælo, & clamauit fortiter dicens: Succidite arborem. Dicitur autem [in die] quia adhuc in luce prosperitatis huius mundi sperat se victurum, quando vocatur ad tenebras. *Psalm.*55. Ab altitudine diei timebo. *Iob* 3. Maledicta dies in qua natus sum. Dum enim est in die prosperitatis, non sperat Dominum esse venturum [& hora qua nescit] quia incerta est hora mortis, sicut in antehabitis dictum est. Quod valde est periculosum: quia tunc & imparatus rapitur ad iudicium, & rationes excusationum ordinare non potest, nec emendare potest delictum. *Apoc.*18. In vna hora venit iudicium eius. *Iob* 21. In puncto ad inferni nouissima descendunt. *Eccle.*9. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo: sic capiuntur homines in tempore malo. *Habac.*1. Facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptile non habens ducem.

Et diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

Ecce pœna. Tangit tria: pœnam separationis, pœnam sortis, & pœnam societatis. De pœna separationis dicit [Diuidet eum] Diuisio autem ista tripliciter intelligitur. Vna est diuisio separationis à consortio Beatorum. *Matth.*25. Statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris. *Num.*16. Separamini à tabernaculis hominum impiorum. *Apoc.*18. Exite ab ea populus meus. Secunda diuisio est separata ponderatio & numeratio culpæ cuiuslibet, vt sit mensura pœnæ contra mensuram culpæ: & separetur omnis concupiscentia eorum à suis delectabilibus, & pœnæ coniungatur. *Daniel.*5. Scripserunt articuli scribentis in pariete: Mane, Thecel, Phares, hoc est, numeratum, appensum, diuisum. Numeratum, vt tot sint pœnæ quot sunt culpæ: appensum, vt secundum pondus circunstantiarum sit etiam pondus pœnarum: diuisum autem, vt in hoc etiam habeat tristitiam, quia ab omnibus peccati delectabilibus separatur. *Isa.*27. In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabit eam. *Deuter.*25. Secundum mensuram culpæ sit & plagarum modus. *Apoc.*18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum, & luctum. Tertia diuisio est corporis, & animæ, & facultatum. Corpus enim vermibus, anima dæmonibus, & facultates mundi amicis dabuntur. *Eccli.*10. Cum morietur homo hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Serpentes sunt carnales amici qui modo serpentum serpunt, occultè mordentes, vt bona temporalia diripiant. Bestiæ dictæ quasi vastiæ, sunt dæmones qui crudeliter inuadunt animam. Vermes sunt, qui cadauer corporis inuadunt. Ecce qualiter diuisus est iste. *Oseæ* 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.

Partemque] eius sortis, scilicet suæ damnationis. *Iob* 24. Maledicta pars eius in terra. *Ier.*13. Disseminabo eam quasi stipulam, quæ à vento rapitur in deserto. Hæc est sors tua, parsque mensuræ tuæ. *Isa.*17. Rapietur sicut puluis montium à facie venti, & sicut turbo coram tempestate. Hæc est pars eorum qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos. *Iob* 20. Deuorabit eos ignis qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo, detrahetur in ira furoris Domini. Hæc est pars hominis impij. *Psalm.*10. Ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum [cum infidelibus ponet] Ecce societas malorum. Dicit autem quod ponet cum infidelibus, quia constat de illorum damnatione. *Marc. vltim.* Qui vero non crediderit, condemnabitur. *Ioan.*3. Qui non credit, iam iudicatus est. Est autem iustitiæ ratio, quod pars mali dispensatoris sit cum infidelibus: quia infideliter egit contra Dominum suum & proditiosè. Et similiter infideliter egit contra familiam: & ideo iustum est, vt partem infidelium sortiatur: & peior est, in eo quod videtur fidelis extra, & infidelis est intra. Vnde *Matth.*24. Diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. *Luc.*16. Qui infidelis est in modico, etiam in magno infidelis est. *Isa.*32. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites. Et ille directè est malus dispensator.

Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit,

parauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

Loco hoc Petri quæstio tota soluitur. Ostenditur enim ad vnum plus & ad alterum minus pertinere quod inductum est. Diuiditur autem hæc pars in duas partes, in quarum prima soluit quæstionem: & in secunda rationem inducit solutionis. In prima autem harum sunt duo paragraphi, in quorum primo ostendit quod scientia aggrauat peccatum: in secundo autem ostendit quia ignorantia simplex, non crassa, nec affectata peccatum diminuit. Dicit ergo de primo [ille autem seruus] qui debitor est Domini sui ex ipsa seruitute. *Psalm.* 122. Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominę suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum [qui cognouit voluntatem Domini sui] hic cognoscere dicitur, vel qui cognouit, vel qui ex officio cognoscere debuit: sicut Clerici, & Prælati. *Baruch* 4. Animæquior esto populus Dei, hoc est, Clerici: quia quæ Deo placent manifesta sunt vobis. *Psalm.* 147. Non taliter fecit omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. *Sapient.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sapient.* 15. Nosse te, est consummata iustitia: & scire iustitiam, radix est immortalitatis. Præcepta enim, & iudicia, & cōsilia sunt signa voluntatis Domini: & literati sunt in lege, qui hæc sciunt [& non se præparauit] vigilando, & dispensando, vt dictum est. Quia licet homo sine gratia gratum faciente non possit illa perficere: tamen ad talia potest se præparare, & tunc Dominus apponet gratiam. *Prou.* 16. Hominis est animam præparare, Domini vero gubernare linguam. Ideo dixit Samuel 1. *Reg.* 7. Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli, & liberabit vos. Quidam autem sunt qui nec Domino adhærent, nec mundo. Et de illis dicitur 3. *Reg.* 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum. Tales enim non se præparant. Subiungit autem in quo se ad aduentum Domini non præparauit [& non fecit secundum voluntatem Domini sui] hoc est, non fecit quæ præcepit, & voluit Dominus suus. Quinimo, quæ noluit Dominus, fecit: & contra voluntatem Domini, secundum propriam vixit voluntatem. *Psalm.* 51. Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, & præualuit in vanitate sua, hoc est, in vanitate propriæ voluntatis. *Isa.* 3. Linguæ, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Illi enim qui vel sciunt Scripturam, vel ex officio suscepto debent scire, & non faciunt, duas deformitates habent in peccando: quia scilicet in actu vitij deformiter agunt, & quia contra id quod docent, vel docere debent, faciunt: & turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum. *Psalm.* 110 Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Si autem non facit secundum intellectum quem habet, vel debet habere, dicitur ei illud *Iacob.* 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. 2. *Petr.* 2. Melius erat illi viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retroire ab eo, quod traditum est illis à sancto mandato. Ideo *Sapient.* 6. dicitur: quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet [vapulabit multis] *Eccle.* 1. eo quod in multa scientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem. Ideo profundior fuit casus Luciferi: quia sicut præ aliis eminebat scientia: ita grauior fuit eius contemptus, & profundior casus. 1. *Corinth.* 8. Scientia inflat, charitas vero ædificat. Nec tamen propter hoc, vt dicit *glos. August.* fugiendum est ad latebras ignorantiæ: quia ignorantia eorum qui scire debuerunt & potuerunt, neminem excusat. Ex officio autem dispensator Domini scire tenetur voluntatem Domini sui dispensando. 1. *Corinth.* 14. Qui ignorat, ignorabitur. *Ambrosius super Epistolam ad Roman.* 2. Grauissimè peccas, si ignoras, hoc est, periculosissimè, quia non redit ad pœnitentiam qui ignorat. *Osea.* 4. Quia tu scientiam repulisti: repellam te & ego, ne sacerdotio fungaris mihi. *Isa.* 5. Ideo captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. 1. *Reg.* 2. Filij Heli filij Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum. Q.d. Ideo filij Belial fuerunt: quia nec scientiam Dei, nec scientiam officij sacerdotalis habuerunt. De his autem qui simpliciter ignorant, nec ex officio tenentur scire: subiungit.

Qui autem non cognouit] nec cognoscere tenebatur, sicut simplex idiota [& fecit digna plagis] peccata aliqua ex ignorantia [vapulabit] quidem, sed [paucis] respectu eius qui scienter peccauit. *Osea* 4. Populus non intelligens vapulabit. *Ierem.* 5. Pauperes sunt & stulti, ignorantes iustitiam Domini, & iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimatés, & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui: & ecce hi magis simul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Et ideo dicit Dominus *Matth.* 23. & *Luc.* 11. Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non intratis, & alios intrare non permittitis, quia malo exemplo prohibetis.

Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

Hic ponitur ratio solutionis inductæ. Vterque enim vapulabit, & sciens, & non sciens qui se non præparauit: sed sciens multis, & non sciens paucis. Huius autem ratio est & causa: quia ei cui multum donatum est, multum tenetur. Et cui parum donatum est, parum tenetur. Dicit ergo duo, scilicet, exigentiam rationis de donato, & exigentiam rationis de commisso. De donato quidem dicit [Omni autem] hoc est, quia. Intellectus enim coniunctionis (sicut dicit *Priscianus*) accipitur ex coniunctis. Quia [cui multum] in donis gratiarum interiorum & exteriorum [datum est] vt scientia, sapientia, & gubernationis consilium & prudentia, & huiusmodi. 1. *Corinth.* 1. In omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, in omni sapientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita vt nihil desit vobis in nulla gratia. *Matth.* 25. Tradidit illis bona sua, vnicuique secundum propriam virtutem. *Luc.* 6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatā, & supereffluentem

tem dabunt in finum vestrum [multum quæretur ab eo] in ratione visus gratiæ donatæ. 2. *Corinth.6.* Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 1. *Corinth.15.* Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboraui. *Matth.25.* Venit Dominus & posuit rationem cum seruis suis. *Luc.16* Redde rationem villicationis tuæ [& cui commendauerunt multum] in commissione subiectorum, sicut Papæ & Episcopis [plus petent ab eo] quia de omnibus reddent rationem. Et ideo dicitur *Sapient.6.* Exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. 3. *Reg.* 20. Custodi virum istum : qui si elapsus fuerit de manu tua, erit anima tua pro anima illius.

Ignem veni mittere in terram : & quid volo nisi vt accendatur?

Hic dicit ea, quibus homo se præparat ad aduentum Domini, quod est aliquid de solutione quæstionis Petri, sicut dicit *Beda*. Ad omnes enim pertinet, quod totam terram succendere habet: quamuis specialiter pertineat ad succendentes. Dicit autem tria: ad omnes generaliter, & specialiter ad quosdam pertinere charitatis accensionem, baptismatis purificationem, & bonorum contra malos in gladio verbi concertationem. De primo dicit duo: ignis charitatis immissionem, & eiusdem accensionem. De immissione istius ignis dicit tria: quorum primum est, quod hoc est aduentus sui finis: secundum, quod charitas est, per eum immissus ignis: tertium est, quod terra est istius ignis proprium cremabile. De primo dicit [veni] quia ad hoc venit, vt ignem istum succenderet. Et huius signum: quia & ipse in igne isto venisse dicitur, & ignem istū iniecit in sui aduentus perfectione. quod enim in igne isto venerit dicitur *Mal.* 3. Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. *Hebræor.*12. *Deut.*4. Deus noster ignis consumens est. Huius signum est quod mons in quo descendit (qui dignitatem humanæ naturæ significat, quam sibi vniuit) totus fumabat inflammatus ex igne *Exod.* 19. ostendens quod ex tunc egrediebatur de sinu Patris vt splendor, lustus noster, & Saluator noster vt lampas accensus est. Quod autem seipso ignem istum iniecit in Apostolos, dicitur *Act.*2. Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum Spiritus sanctus. In igne igitur ignis Deus venit, & ad hoc quod ignem iniiceret in omnes.

Ignis autem quem iniecit est charitas, sex de causis ignis appellata. Quarum prima est, quod ignis præ omnibus purificat: secunda, quod inflammat: tertia, quod illuminat: quarta, quod eleuat: quinta, quod liquefacit: sexta, quod lique factum dulcissimè afficit, subtilissime penetrando & vniendo cum ignito per amorem. Hæc enim facit charitas, quæ tantæ est violentiæ in amatum, quod omne contrarium amato consumit, & sic puritatem affectionis inducit. *Psalm* 49. Ignis in conspectu eius ardescet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Isa.* 33. Spinæ congregatæ igni comburentur, hoc est, compunctiones peccatorum, vel tentationum. Quod autem inflammet ad accensionem, dicitur *Cantic.*8. Lampades eius, lampades, ignis atque flammarum. *Chrysost.* Magnum amor, & igne vehementius, & non aliquid quod eius proprium impetum valeat sustinere. Quod autem illuminet sicut ignis, dicitur *Isa.*50. Succendentes ignem, succincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, quem succendistis vobis. Hinc est quod 2. *Machab.*9. dicitur, quod ignis quem succendit Iudas Machabæus, lumine suo resplenduit vsque Ierusalem. Charitas enim intus, in cælestem naturam conuertendo, lumen infundit, vt totum cor quasi luminare quoddam ardens & lucens afficiatur: & sic Sancti sol vocantur *Eccli.*43. Sol fornacem custodiens in operibus ardotis. Quod autem id quod inflammat & illuminat sursum eleuet, & emoueat de infimis ad superna transponendo, & sic quandam extasim faciat, dicitur *Iob* 36. In manibus abscondit lucem. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & quod ad eam possit ascendere. Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo. Lucem enim charitatis veritatis manibus amicis charitate dilectis exhibet, dans per charitatem ad eam ascendendi vires. Et ideo cor ad magnitudinem admiratione pauens de loco suo emouetur: & totum extasim passum, in dilectum transponitur. Et hic est langor quo charitas destituit diligentem, & reducit in extasim: quia cor in aliud transpositum languet; se & suis viribus destitutum. Vnde *Dionysius in libro de diui. no.* Est autem & extasim patiens diuinus amor, non sinens vt amantes seipsos ament, sed transponens in eos quos amant. *Cantic.* 5. Nuntiate dilecto quia amore langueo. Huius etiam signum: quia tacto pulsu amantis, velocius mouetur pulsus, quando nominatur is quis amatur. Et hoc totum facit charitas per hoc, quod eleuat & emouet cor quasi ignis ascendens de infimis in dilectum Deum. Quinto etiam liquefacit vt ignis. Cor enim diligens, pingue est, adipe deuotionis impinguatum: & charitas intrans in illud, resoluit ipsum & liquefacit, & liquefaciendo replet præcordia: ita quod quasi angustias patitur in præcordiis. *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Tali affectu dictum est *Cantic.*5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est. Non sustinens enim vocem dilecti de dilectione loquentis, resoluta à seipsa præ teneritudine loquentis quasi concidit ad amorem. *Psalm.* 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Et ideo interius non liquefieri non potuit. Sexto dulcissime afficit viuendo cum amato. Cum enim quasi spiritualis ignis omnibus quæ in amico inuenit superfertur, cuilibet quod in ipso est vnita, suauiter superfetuens ardet. Et ideo est, quod in *Canticis*, omnia membra eius singulariter desferibendo suauiter afficitur dum de singulis meditando, dulcedines amici imaginatur. Sic enim dicitur 1. *Corinth.* 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. *Psalm.*62. Adhæsit anima eam post te: quam multipliciter tibi caro mea. Sic enim amor in quantum est ignis operatur.

Hunc ergo ignem venit mittere in terram, ad omnem terram succendendam, & ad omnem terrenitatem comburendam. *Soph.*1. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra: quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Omnis enim terrenitas consumpta est

per ignem sancti Spiritus. Et hoc fit cum festinatione, quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Desiderio enim Spiritus sancti nihil satis festinum est. Sic igitur Dominus ignem venit mittere in terram.

Et quid volo nisi vt accendatur] Hic ostendit quod semper hunc ignem magis ac magis in cordibus hominum accendi vult, & plus & plus exardescere. In cælo enim viciniores sibi spiritus, nomine ardoris Seraphin vocauit, qui super thronos superexaltati viciniores sibi existunt. *Isa.6.* Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Sex enim alæ vni significant perfectè altiuolum in veritate: & sex alæ alteri significant perfectè altiuolum in charitate. Sex enim in veritate sunt intuitus: ala vna & summa, perceptio theophaniæ: ala secunda sub illa, reuelatio: ala tertia, cognitio sacramentorum Ecclesiæ: ala quarta (quia, sicut dicit *Hieronymus*, multa per Ecclesiam Angeli didicerunt) acceptio per tempora: ala quinta, secundum quod ex tempore consilia Dei manifestantur: acceptio per subtilitatem intelligentiæ, ala fixta. Sic etiam alæ charitatis sunt: adhæsio per spiritus vnionem, ala summa & optima: mutua permistio consensuum amicitiæ, ala secunda. *Ioan.15.* Vos dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. Experta notitia per receptionem impressionis consolationis, ala tertia: reuelatio secretorum quæ fit amicis, ala quarta: coniectura cordis amici per signa dilectionis, ala quinta: odor dulcedinis amici per quædam quæ sunt circa dilectum, ala sexta. *Cantic.4.* Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. In his ergo spiritibus quasi in igne est in cælo. Per hos succendit ignem in terra. *Psalm.103.* Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Hic est Deus, qui semper exaudit in succensione huius ignis. *3.Reg.18.* Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Hinc est quod viri illi qui *Ezech.10.* de templo egressi sunt, carbones acceperunt de medio quatuor animalium, & proiecerunt super ciuitatem ad accendendam ciuitatem. Hinc est quod tota visio Domini est in igne. *Ezech.1.* Hæc visio gloriæ Domini est in igne, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Ignis enim est feruor charitatis in corde. Splendor autem ignis ardens vt facula, est opus in virtutis exemplo. Fulgur autem cum tonitruo egrediens, est ignitum eloquium in prædicationis sono. Sic ergo vult vt fortiter ille ignis charitatis accendatur.

Ex modo autem significandi videtur innuere, quod nihil aliud vult nisi vt accendatur: quia accenso isto igne nullum malum poterit fieri, & omne bonum fieri potest: quia charitas, vt dicitur *1.Corinth.13.* malum non operatur. Et charitas omne bonum operatur, quia dicitur *Rom.13.* Plenitudo legis est dilectio. Sicut enim in naturis dicit *Philosophus* quia omnia alia materia sunt & erunt igni: ita etiam in diuinis: quod quicquid est in bonis motibus, igne charitatis inflammatur & informatur, & omne malum consumitur. Vnde super omne sacrificium respicit Dominus per ignem *Leuit. 1.& 3.Reg.18.* Quod autem omne malum igne isto consumitur, dicitur *1.Corinth.3.* Vniuscuiusque quale sit opus, ignis probabit. Quod vna *glossa* de igne sancti Spiritus exponit. Et ideo taliter loquitur [Et quid volo nisi vt accendatur] Ac si dicat. Nihil aliud volo: quia illo habito, & omne bonum perficitur, & omne malum flamma istius ignis absorbetur. Sicut enim dicitur *Isa. vltimo.* Dominus in igne veniet, & sic succendet omnem terram. Hoc est quod petit *Isa 64.* Vtinam dirumpetes cælos & descenderes. A facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis contabescerent. *Psalm.67.* Sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores à facie Dei. Hoc est ergo quod dicit. Ignis enim charitatis intrans in hominem, non cessat, sed semper consumit ardore: vt dictum est. Semper erudit illuminatione. *Thren.1.* De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Semper ad bonum vrget sui zeli incitatione. *2.Corinth.5.* Charitas Christi vrget nos. Semper feruet deuotione. *1.Thess.5.* Spiritum nolite extinguere. Semper ebullit noua opera, sua perfectione. *Gregorius.* Charitas magna operatur si est: si autem cessat operari, charitas non est. *1.Corinth.13.* Omnia credit, omnia suffert, omnia sperat. Semper cum Christo dilecto animæ esse desiderat sua perfectione. *Philip.1.* Cupio dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius. In hoc enim verum est quod dicitur *Prouerb.30.* quod ignis nunquam dicit Sufficit: quia ignis charitatis nunquam stat, sed semper in bonis ebullit. Sic etiam Dominus vult, vt iste ignis semper plus & plus accendatur.

Baptisma autem habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?

Tangit hic de purificatione: dicit autem tria, debitum purificationis ordinem, angustiatam voluntatem ad hoc, & purificationis perfectionem. De primo dicit [Baptismo] hoc est, purificatione [habeo] ego in membris meis, vt totus sim mundatus & purificatus [baptizari] hoc est, purificari: quatenus sicut purum est caput; ita consona purificatione membra purificentur. Hæc autem purificatio, vt dicit *Chrysostomus*, ex quinque perficitur: verbo scilicet prædicationis. *Ioan.15.* Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. *Ioan.17.* Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Et de hoc purificante forma baptismi accipitur. Baptismus enim vt dicit *Hugo de sancto Victore*, ex verbo Domini habet sanctificationis purificationem, & sanat à culpa impuritatis. *Sapient.16.* Non herba, neque malagma sanabit eos: sed sermo tuus qui sanat omnia. Secundum ex quo conficitur est aqua, quæ est baptismi materia. *Ezech.36.* Effundam super vos aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Hoc significatum est *4 Reg.5.* vbi cum Naaman Syrus lotus esset in Iordane, mundatus est à lepra, & restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli, & mundata est. Tertium est Spiritus, qui in sacramento operatur per modum ignis purificantis. *Act.1.* Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto & igni. Hoc significatum est *Gen 1.* vbi Spiritus Domini ferebatur super aquas, & foucbat eas, vt dicit *Ambros. 1. Hexameron*, ad nouos fructus producendos. *Psalm.103.* Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Quartum autem quod operatur, est sanguis Christi. *Apoc.7.* Lauerunt stolas suas in sanguine

sanguine agoi.Hoc significatum est *Exod.*14. vbi in mari rubro submersi sunt Ægyptij, hoc est, in aqua sanguine Christi rubricata, extinguuntur peccata. *Mich.*7. Depoņet omnes iniquitates nostras,& proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Quintum est quod operatur in baptismo contra obicem ad gratiam baptismalem consequendam,deuotio pœnitentiæ,quæ vim habet ex passione Christi. *Act.*3. Pœnitemini igitur, vt deleantur vobis peccata. Hæc autem omnia, præter aquam solam,semper suas virtutes retinent operandi contra malum:& ideo in talibus semper remanet vis purificatiua.

Quod igitur dicit Dominus [Baptismo habeo baptizari]de se dicit cum membris, *Isa.*4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicij,& spiritu ardoris. Istæ sunt aquæ Saluatoris, de quibus dicitur *Isa.*12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Fons enim verbi, os est. Fons sanguinis, latus & vulnera sunt. Fons spiritus, diuinitas est. Fons deuotionis, anima Christi. *Daniel.*3. Benedicite fontes aquarum Domino. Et quamuis tinctio in aqua facta non iteretur: tamen tinctio in verbo veritatis, & spiritu sanctificationis, & in sanguine redemptionis, & in deuotione pœnitentiæ, semper iteranda est & frequentanda. Videns igitur Dominus se, in se capite esse purum & clarum: & in membris nondum esse purificatum, dicit [Baptismo habeo baptizari] Sicut etiam *Ioan.*17. dicit loquens ad Patrem: Clarifica me tu Pater apud temetipsum: qui tamen in seipso semper clarus fuit,sicut & Pater testimonium perhibuit. *Ioan.*12 Et clarificaui, & clarificabo. Q.d. Quem in seipso clarificaui, dum clarum nasci feci de Virgine, iterum clarificabo membrorum claritate.

Et quo modo coarctor] Ecce angustia spiritus ex charitate, quam secundum humanitatem sustinuit,vt purificatio ista dilataretur. *Iob* 32. Coarctat me spiritus vteri mei. Hæc coarctatio ingentem significabat charitatem nostræ salutis, & ingentem deuotionem ad nostram purificationem, quibus nihil antepofuit: ita quod etiam lucta crucis & confusio, gaudiosa esset propter hominum amorem. *Hebr.*12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Et ideo hac charitate coarctatus clamat ad nos: & amoris intensione inclamat,dicens illud *Cantic.*8. Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Hoc est ergo quod dicit[quo modo coarctor.

Loquens autem per infinitum nomen [quo] significat coarctationem esse inexplicabilem, nec aliquo modo esse explicabilem. Hæc enim coarctatio est quam oculus non vidit antea,neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit ante ipsum. *Isa.*5 Quid est quod vltra debui facere tibi, & non feci? Hoc igitur est quod dicit:quo modo coarctor [vsque dum perficiatur] De sacramentorum quidem perfectione, perfecta est purificatio in Passione & Resurrectione. Quia sicut dicitur *Rom.*4. Mortuus est propter nostra delicta, & resurrexit propter nostram iustificationem. Effectus autem huius purificationis quotidie plus & plus proficit, & perficietur in die iudicij: cum, sicut dicitur 1.*Corinth.*15. totum regnum simul tradiderit Deo & Patri Et quia secundum perfectionem sacramentorum in Christo perfecta fuit in Passione & Resurrectione: ideo dixit in cruce *Ioan.*19. Consummatum est. De perfectione autem quæ quotidie fit in membris dicitur *Ephes.*4. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum,in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sic ergo dupliciter perficitur ista purificatio.

Putatis quia pacem veni mittere in terram? Non, dico vobis, sed separationem.

Tangit expugnationem & eiectionem regni diaboli,futuram per se & suos,& dicit tria: primo enim corrigit suorum intellectum per sermonum suorum veram intelligentiam: secundo suam explanat intentionem: tertio autem ponit modi,per quem impleri habet,explicationem. De primo autem dicit [putatis] hoc est, putatisne[quia pacem veni dare in terra] hoc est, quod regnum diaboli in pace sine disturbatione remaneat. Et corrigendo hunc errorem dicit [Non] Deinde aperit circa hoc suam intentionem,dicens[sed separationem] Separatio autem est effectus pugnæ & litis: sicut dicit *Empedocles*. Et hoc est quod hic intendit. Et hoc est quod dicit [Putatis] ne propter hoc quod dicitur *Isa.*9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. *Isa.*26. Dabis pacem nobis, pacem quia in te sperauimus. Et quia hoc ego dico: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis *Ioan.*14 Et quia Angeli dixerunt: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis: & huiusmodi[Putatis] inquam [quia pacem veni mittere in terram] hoc est omnimodam concordiam [Non] quia *Isa.*38. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.Pax enim,quæ est concordia peccatorum in malo,amata est mihi. *Psalm.*72. Zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. *Sapient.*14. In magno insciențiæ bello viuentes, tot & tam magna mala pacem esse arbitrati sunt. Hanc igitur pacem, quæ est quies impietatis,detestor: quia in illa *Luc.*11. fortis armatus diabolus custodit atrium suum: & in pace sunt omnia quæ possidet. Cum quo ego fortior in hunc mundum veniens congredi veni: seruos meos,hoc est, vos mitto, qui pugnetis cum eo,& suscitetis eum ad bellum. *Iob* 3. Maledicant ei qui maledicunt diei,qui parati suscitare Leuiathan[in terra]enim, hoc est,in terrenis affectibus nolo pacem. Quinimo volo complere quod dicitur *Iudic.*5. Noua bella elegit Dominus. *Isa.*30. In bellis præcipuis expugnabit eos [Non] Quia licet, sicut dicitur *Ephes.*2. Et pax hominum faciens vtraque vnum, & medium parietem inimicitiarum soluens in carne mea: tamen non sum pax impiorum, sed piorum: vt mecum & cum Patre, & secum securitatem conscientiæ,& tranquillitatem sine omni disturbatione habeant. Sed impiis non est pax, sicut dicitur *Isa.*57. quia & in se diffident, & inter se discordant. Et omnes mei dissentient ab eis, & continuò eos gladio spiritus impugnant. Non ergo veni mittere pacem [sed separationem] Non locorum, sed affectuum: vt mei nunquam concordent cum ipsis: sed vt illi expugnentur & tranhantur ad concordandum cum seruis meis. *Ezec.*4. Ipsi conuertentur ad te: & tu non conuerteris ad eos. Malum enim,vt dicit *Philosophus*, si omni-

fatiam malum sit, etiam seipsum destrui. Et dicit *Dionys.* quod malum bono innititur, vt stare possit. Et *Augustinus*, quod malum non coalescit nisi in bono. Veni ergo [separationem] facere boni & mali: vt malum à bono separatum, cadat: & bonum non fœdetur & deturpetur à malo. Farina enim non deturpat lutum: sed è conuerso lutum deturpat farinam. Neque mel amaricat fel: sed conuerso modo amaricatur à felle. Separetur ergo pulchrum à fœdo, vt turpitudo fœdi appareat. Separetur dulce ab amato, vt fellitum displiceat. Separetur lumen à tenebris, vt tenebræ odiosæ fiant. *Genes.* 1. Diuisit Deus lucem à tenebris. *Genes.* 11. Diuisit malos in vniuersam terram, vt non posset quilibet intelligere labium proximi sui. Et sic adhuc: sicut Pater meus, veni facere separationem. Sic etiam *Matth.* 25. In iudicio separabo oues ab hœdis. Et *Mat.* 13. zizania à tritico. Et explanat modum dicens.

Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

Dicit autem duo: primo enim hanc separationem ostendit in communi, & secundo eandem exponit in speciali. In communi quidem dicens, subdit [erunt enim ex hoc] hoc est ex tempore prædicatæ fidei, quo bellum istud incipit. *Apocal.* 6. Datum est illi vt sumeret pacem de terra: & vt homines se inuicem interficerent. *Ierem.* 48. Maledictus qui facit opus Domini negligenter: & qui prohibet gladium suum à sanguine. Sic Moyses eos qui erant Domini, iunctos sibi transire fecit de porta ad portam, & interficere parentes, & fratres, & omnes inimicos Domini *Exod.* 32. [quinque] secundum numerum personarum [in vna domo] hoc est, in vna familia [diuisi] quia familiæ inter se inuicem diuidentur. Vt impleatur illud *Matth.* 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Inter illos autem quinque [tres] personæ [in duos] hoc est, contra duas personas diuidentur [& duæ] personæ [diuidentur in tres] hoc est, contra tres. *Cant.* 1. Fili matris meæ pugnauerunt contra me. *Psalm.* 54 Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus. *Mich.* 7. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. *Ierem.* 9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & mendacium loquetur. *Daniel.* 11. Ad vnam mensam sedebunt, & mendacium loquentur [pater in filium] hic dicit specialiter quod dixerat in communi [pater in filium, hoc est, pater fidelis contra filium infidelem: vel è conuerso, volens non nisi in contumeliam Creatoris commouere [& mater in filiam] hoc est, mater fidelis vel infidelis, contra filiam fidelem vel infidelem [& socrus] fidelis vel infidelis [contra nurum] fidelem vel infidelem. *Mich.* 7. Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Quamuis enim honorandi sunt parentes, sicut præcipitur *Exod.* 20. tamen non sunt honorandi in contumeliam Creatoris.

Sed cum Dominus dicat tres in duos, & duos in tres diuidendos, sex videtur enumerare, scilicet, patrem, filium, matrem, filiam, socrum, & nurum. Sed ad hoc dicit *Glossa*, quod quando isti sunt in vna domo, hoc est, in vna familia: tunc eadem quæ mater est filij & filiæ, est socrus nurus, hoc est, vxoris filij. Aliter enim si esset alia socrus & mater, non erunt in vna domo siue familia, sed duas familias efficerent. Et sic quinque quidem sunt numero personarum: sed sex conditionibus respectuum ad se inuicem distantibus. Sed duæ conditiones, seu respectus conueniunt vni personæ, quæ est mater filij & filiæ: & socrus nurus, quæ est vxor filij. Hoc ergo est quod dicit. Si enim tres sunt fideles per fidem Trinitatis, & per fidem, spem, & charitatem separantur à duobus, vitia spiritualia & carnalia persequentur. Sic enim tres viri, Noë, Daniel, & Iob suas saluabunt animas: & alij perdentur. Si autem duo sunt fideles, gemina dilectione saluantur: & tres, qui concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ diligunt, perduntur. *Eccli.* 33. Intuere in omnia opera Altissimi. Duo contra duo, & vnum contra vnum. Hoc enim bellum insedabile, quo veritas contra errorem vnum pugnat: dum se (sicut dicit Augustinus) & veritas tenet, & iniquitatis error obnititur. Hinc est quod Dominus præcepit filijs Israel, quod non inirent fœdus cum Amorrhæis, sed semper pugnarent aduersus eos.

Dicebat autem & ad turbas: cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit, & ita fit. Et cum Austrum flantem, dicitis: quia æstus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?

Hic incipit arguere eos, qui signa aduentus sui non considerant, & ideo non se præparant: & ostendit eos esse inexcusabiles. Diuiditur autem in duas partes, in quarum prima, non cognoscentium aduentus sui tempus ostendit inexcusabilitatem, sicut iam dictum est: in secunda autem, documenta dat euadendi iudicium aduenientis, scilicet, quod quis consentiat cum aduersario, qui habet accusare eum in iudicio. Tunc enim tacente aduersario non condemnabitur in aduentu iudicis. Prima harum partium duos habet paragraphos, in quorum primo quasi præmittens, ostendit facultatem præcognoscendi aduentus ad iudicium, esse apud rationem hominum. In secundo quasi concludens, ostendit inexcusabiles esse, qui neglecta consideratione temporis, non se præparant vt euadant futurum iudicium. In primo horum duo dicit, in quorum primo per eos quibus loquitur, ostendit hoc esse commune omni homini habenti iudicium rationis, quod à signis potest coniecturare de futuro iudicio: & secundo ostendit in ratione

tione esse facultatem futura percipiendi. Dicit ergo de primo hotum sic.

Dicebat autem & ad turbas] communiter sapientes & insipientes: quia omnibus inest ista iudicandi facultas. *Exod.* 10. Cunctus populus audiebat voces. Quando enim Deus per naturalia signa docens loquitur, omnibus in communi loquitur. Et istæ sunt voces creaturarum, de quibus dicit *Psalm.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc enim de creaturarum verbis literaliter dicit *Psal.* Vnde & *Apostolus Rom.* 10. ostendens inexcusabiles eos, qui se iudicio parare nolunt, dicit: sed nunquid non audierunt? Equidem, supple, audierunt: quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Sic ergo ista communia, quæ naturalis dictat ratio, dicit turbis.

Cum videritis] tangit hic signa naturalia, ex quibus circa quædam futura, naturali ratione pronosticantur: & tangit duo signa, scilicet, signum nimbi tempestuosi, & signum æstus. De primo dicit [Cum videritis nubem] nigram spissam cum vento occidentali [ab occasu] eleuatam [statim] hoc signo naturali edocti, sine magna deliberatione [statim dicitis] per rationem pronosticando [Nimbus venit] hoc est, vehemens & tempestuosa pluuia [Et ita fit] sicut dicitis: quia frequenter fiunt, quæ naturalibus signis pronosticantur. Et hæc signa naturalia vocat *Ptolomeus in Centilogio suo*, stellas secundas. Vnde dicit ibidem, quod pronosticator, qui pronosticatur à stellis secundis, verius pronosticatur.

Attendendum autem, quod nubes eleuata ab occasu semper est tempestuosa, & cum impetu descendit, & cum vento vehementi: quia ventus ille fortioris est exsufflationis. Et huius causa est: quia in occasu per præsentiam sol non est nisi cadens, & ille sol est debilis, & obliquè terram respiciens, & radiis suis super hemisphærium non facit angulos nisi hebetes valde, & anguli illi continuò distrahuntur per easdem solis, in lineas horizontem non nisi contingentes. Tales autem radij eleuant quidem multum, & nihil consumunt: & ideo vapor inspissans continuò generat nimbos tempestuosos. In oriente autem sol ascendens continuò super vaporem ascendit, & angulos radiorum continuò acuit, & ideo plus consumit quam acuit: & ideo signum est serenitatis. *Matth.* autem. 16. alia signa ponit. Et ibi aliæ causæ sunt notatæ. *Iob* 36. Qui affert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt. Et *ibidem*. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper: cardines quoque maris operiet. Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus. *Glossa*, tamen allegoricè loquens dicit, quod nubes est caro Christi ascendens ad gloriam Resurrectionis, ab occasu Passionis. *Isa.* 19. Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum. *Psalm.* 67. Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Hic ascensus causauit effusionem imbrium euangelicæ prædicationis. 3. *Reg.* 18. Nubecula parua tanquam vestigium hominis ascendit de mari. Et dixit Elias: Sonus multæ pluuiæ est. A mari enim Passionis cum Christi ad gloriam beatitudinis ascendens, pluuiam effudit prædicationis. *Isa.* 45. Nubes pluant iustum. *Psal.* 67. Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. *Oseæ* 6. Veniet nobis tanquam imber temporaneus & serotinus terræ.

Et cum Austrum flantem] Secundum est signum, quo naturali ratione futura pronosticantur. Et hoc est [cum] videritis [Austrum] ventum calidum & humidum terras euocantem [flantem, dicitis quia æstus venit] quia cum calore suo terram aperit, & humiditate sua resoluit, educit de terra vapores ignitos, & illi respersi in hemisphærio æstum faciunt, & corpora resoluunt & destituunt: & ideo periculosus est ventus ille. *Iob* 37. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflauerit terra Austro. Et ideo dicit *Gloss. allegorica*, quod Auster significat æstum tribulationis ante iudicium. *Apocal.* 16. Datum est illi æstu affligere homines & igni: & æstuauerunt homines æstu vehementi [& ita fit] sicut dicitis. Quia sicut diximus, signa naturalia raro fallunt. *Psalm.* 134. Qui producit ventos de thesauris suis. Et ideo in talibus vera pronosticantur: & maximè rustici & pastores sub dio & in aere libero agentes, talia signa sæpius considerant. Et sunt eis signa naturalia quasi quidam liber.

Hypocritæ faciem cæli] Hypocrita hîc vocatur, qui rationem naturalem dissimulat, & bestiæ laruam sibi circumponit. *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hic ergo hypocrita est extra bestia, cuius vultum sequitur: & intus homo, cuius vultum in se non agnoscit. 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi: quia spiritualiter examinatur [faciem cæli & terræ] Ratio est sumpta à minori: quia minus videtur quod futura incerta à signis naturalibus coniecturare possunt quam futura certa. Et si incerta coniecturant: ergo etiam certa possent coniecturare. *Sap.* 13. A magnitudine enim speciei & creaturæ Creator eorum cognoscibiliter poterat videri. Et hoc est quod dicit [faciem cæli & terræ nostis probare] quantum ad futurorum coniecturas [hoc autem tempus] iudicij futuri [quomodo non probatis] multo magis futurum? Quia sicut dicit *Gloss.* & accipitur de *Boetio de Consol. Philosophiæ*: Per rationem naturalem probatur, quod prouidentia regitur mundus. Et si hoc est verū, oportet quod apud iustum iudicem recipiat vnusquisque, quæ gessit in corpore siue bonum siue malum 2. *Corinth.* 5. Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum. *Act.* 17. Definiens statuta tempora, & terminos habitationis hominum, quærere Deum si forte attrectent aut inueniant eum, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. *Roman.* 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Facilius igitur probare est tempus iudicij, quam pluuiam vel ardorem futuri.

Et ponit rationem secundam, sumptam ab ipsa naturali ratione, sine signis exterioribus iuuantibus hominem. Quia etiam per rationem naturalem probatur, quod intellectus hominis incorruptibilis est, & ad virtutis perfectionē ordinatus: quam si peruersis moribus amittit, instū iudicium non effugiet. Et hoc est quod dicit [quid autem] hoc est, quare [etiam à vobisipsis] hoc est, à propria ratione vestra [non iudicatis] per rationem [quod iustum

iustum est] *Iob* 6. Loquentes, quod iostum est iudicate *Ioan* 4. Voca virum tuum, hoc est, rationem: *gloss.* dicit *Isa.* 46. Redite, redite præuaricatores ad cor. Idcirco de quibusdam ex naturali lege hoc præcognoscentibus & sibi à iudicio præcauentibus dicit Apostolus *Rom.* 2. Iudicabit quod per naturam est præputium, custodiens legem, te, qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es.

Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

Positis rationibus contra eos qui dicere possent, se nescire de iudicio futuro: ponit persuasiones, qualiter scientes futurum esse iudicium, cauebunt iudicium. Et hæc est vna sola persuasio: vt scilicet caueant, quod nemo eos in iudicio accuset. Quidam enim accusabuntur à conscientia, & illi componant cum conscientia. Et quidam accusabuntur à proximo, & illi componant cum proximo. Quidam autem à sermone diuino, & illi componant & concordent cum sermone diuino. Et à quocunque generaliter loquendo aliquis accusari poterit iustè, cum illo componat satisfaciendo, & erit securus in iudicio. Et hoc est quod dicit [Cum autem vadis] quotidiè continuatis diebus & passibus [cum aduersario tuo] quocunque, qui aliquid iustè quærere habet aduersum te: præcipuè tamen cum sermone diuino [ad principem] omnium Dominum. *Daniel.* 7. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. *Apoc.* 20. Iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libro, hoc est, in sermone diuino. De hoc principe dicitur *Isa.* 32. Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit, & ipse super duces stabit [in via] hoc est, dum adhuc es in via: quia confessio vel conuictio in iudicio præiudicat [da operam] efficacem [liberari ab illo] vel satisfaciendo, vel aliter concordando cum illo. *Matth.* 5. Esto consentiens aduersario tuo dum adhuc cum eo es in via. Tunc enim eris ante principem sine querela. *Luc.* 1. Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela [ne tradat te apud iudicem] per iustam querelam tradat te in potestatem iudicis: de quo dicitur *Rom.* 13. Vindex in iram est ei, qui malum agit. Hoc enim modo iudex de te dabit sententiam [& iudex] omnium Deus [tradet te] in potestatem [exactori] pœnarum. *Apoc.* 18. Reddite illi sicut illa reddidit vobis. Exactor ille est diabolus. *Iob* 39. Clamorem exactoris non audit Deus, qui scilicet cum aduersario composuit [& exactor] diabolus [mittat te in carcerem [inferni foueam *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis, & mittentur in carcerem, in purgatorium.

Dico tibi] in veritate, quia ego sum veritas, cuius verba non præteribunt [non exies inde] hoc est, de carcere [donec etiam nouissimum minutum reddas] Si in inferno est carcer, tunc, Donec, est inclusiuum: & est idem, quod nunquam exibis inde. Si autem in purgatorio, tunc est exclusiuum: ita quod cum reddideris, tunc exibis. *Iob* 20. Luet quæ fecit omnia. Minutum autem nouissimum est veniale, vel originale peccatum. Quod si cum aliis mortalibus in inferno erit, ratione adiuncti punietur in æternum: quia in inferno nulla est redemptio venialis vel mortalis. *Matth.* 18. Misit eum in carcerem, donec redderet vniuersum debitum. De hac autem materia multa notata sunt à nobis super *Matth. cap.* 5. secundum ea quæ exigit illa materia. Et hæc istis coniuncta meliora erunt: quia ibi loquitur in materia iræ: ibi etiam est expositio multiplex *glossarum*, quarum nulla competit secundum hoc quod hic inducitur. Sed hic exposita sunt ista secundum materiam, quam modo habemus præ manibus. Hoc est quod dicitur in litera.

CAPVT XIII.

Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Et respondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

Hic incipit capitulum tredecimum, in quo diuersis exemplis construit quod ante docuit. Diuiditur autem in duo. Primo enim exemplis docet, quantum est periculum se non præparantium ad iudicium, & quantus profectus & vtilitas se præparantium. In secundo autem sui exemplo ostendit, quod non est à tali præparatione abstinendum: sicut ipse propter metum Herodis, non abstinuit à nostra salute operanda. Quinimo cum sciret sibi in Ierusalem mortem esse præparatam, illuc venit intrepidus: vt nos aduentui suo ad iudicium præpararet. Anterior autem harum partium diuiditur in duas, in quarum prima non præparantium se ostendit periculum: in secunda autem præparantium se ostendit profectum per similitudines seminis & fermenti, quas inducit. Adhuc autem prior harum habet duas partes, in quarum prima est periculum se non præparantium: in secunda vero ostendit longanimitatem & patientiam iudicis, ad præparationem hominis expectantis, per arborem fici, & per mulierem curuam. Primum autem horum ostendit per duo exempla: quorum vnum factum est per malitiam hominis, quam Dominus ordinauit ad suum iudicium exequendum: secundum autem iudicio Dei factum intelligitur esse contra eos, de quorum pœnitentia spes nulla fuit. In prima horum tanguntur duo: opportunitas temporis quo exemplum inducitur, & ex exemplo accepta instru-

ctio,

ctio, quo veritas dictorum comprobatur. Dicit igitur [Aderant autem quidam] Notat circunstantia literæ, quòd præhabitam de aduentu iudicis instructionem fecit Dominus in Iudæa, ad quam de Galilæa veniens transierat: & quòd secuti sunt eum de Galilæa in Iudæam, doctrina eius instrui cupientes, & illi tunc aderant. Et hoc est quod dicit [Aderant autem quidam] *Luc.* 23. Stabant autem omnes noti eius, & mulieres quæ secutæ erant eum à Galilæa hæc videntes. Apostoli enim & Discipuli præcipuè Galilæi fuerunt. Et ad illos diuersis temporibus, de Galilæa tanquam ad contribules & compatriotas multi venerunt [ipso tempore] istius prædicationis: vt sermo per effectum probaretur. *Psalm.* 140. Audient verba mea quoniam potuerunt, hoc est, ad efficaciam voluerunt. *Rom.* 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus [nunciantes illi] I e s v [de Galilæis] Narrat Iosephus, & historia Ecclesiastica, & Egesippus, quod eo tempore in Galilæa quidam surrexerat, qui se Filium Dei prædicaret, & multos euertit post se, ducens eos in montem Garisim in desertum, in quo monte se in cælum ascensurum prædixerat. In quo monte, cum sibi Galilæi in eum credentes sacrificarent, superuenit Pilatus, & eum interfecit, & omnes sibi sacrificantes, & sic [miscuit sanguinem] sacrificantium cum sanguine sacrificiorum, & cum sanguine eius cui sacrificabant. Et hanc esse causam dicunt, quod Herodes inimicus erat Pilati. De quibus inimicitiis in Passione Christi reconciliati sunt. Herodes enim tetrarchiam habuit Galilææ, & dicebat quod Pilatus in homines suæ tetrarchiæ non haberet aliquam potestatem. Vnde *Act.* 5. dixit Gamaliel: Ante hos dies exiuit Theodas quidam, dicens se aliquem esse, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, & occisus est: & omnes qui credebant ei dissipati sunt. Item *ibidem.* Post hunc exiuit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se: & omnes quicunque consenserunt ei dispersi sunt, & ipse periit. Tales quidam erant isti Galilæi hæretici, à quodam pseudopropheta subuersi. Vel forte iidem erant [quorum sanguinem] in monte Garisim [miscuit Pilatus] procurator Iudææ. Miscuit autem sanguinem eorum [cum sacrificiis eorum] ne sibi regnum vsurparent si multiplicarentur. Deus autem fieri voluit propter meritum infidelitatis eorum. *Matth.* 21. Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis. *Psalm.* 67. Dissipa gentes quæ bella volunt. *Genes.* 6 Omnis caro corrupit viam suam. Et sequitur: Ego disperdam eos cum terra [Et respondens dixit illis] Accepta opportunitate per exemplum nuntiatum [putatis] ne [quod hi Galilæi] attendentes mendacio & blasphemiis sui seductores [præ omnibus] aliis [Galilæis] qui doctrinam veritatis abiiciunt, & mendaciis credunt, 2. *Timoth.* 4. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur [peccatores] soli [fuerunt quia talia] iudicia Dei [passi sunt] vt peccatis suis in finem deuolutis, ita in eos Dominus vindicasset per manus Pilati. 1 *Reg.* 15. Recensui quæcunque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade & percute peccatores Amalech, & demolire vniuersa eius. Vnde hic supponit Dominus, quod isti peccatores fuerunt, & merito suæ iniquitatis interempti. Sed non fuerunt soli peccatores, nec præ omnibus aliis. Et hoc est quod subdit [Non] hoc est, non fuerunt peccatores præ omnibus aliis. Aliquando enim quosdam Deus punit peccatores ad exemplum & terrorem aliorum: sicut dicit *glossa Prouerb.* 19. Flagellato pestilente, sapientior efficitur paruulus. Et hoc est quod subdit [dico vobis] qui sum veritas [sed nisi pœnitentiam egeritis] Non solum de pœnitentia cogitetis, vel dicatis, sed agatis in opere pœnitentiam. *Matth.* 3. Agite pœnitentiam. *Act.* 3. Pœnitemini igitur, vt deleantur vestra peccata. *Iob vlt.* Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere [omnes similiter] hoc est, ex simili causa [peribitis] *Isa.* 30. Expectat vos Deus vt misereatur vestri. *Rom.* 2. An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et est ac si dicat: Si pœnitentiam egeritis, iram Dei auertetis: ita quod parcet vobis. Si autem tempus pœnitentiæ neglexeritis, iusta est ira, quæ in vos iudicabit. *Rom.* 2. Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. *Iob* 24. Dedit illi Deus tempus pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. Est autem hic quæstio, Cum de similibus sit simile iudicium, vt dicit *Boetius*, Quare Deus punit quosdam peccatores, & quosdam ad pœnitentiam reseruat? Si dicas quod præuidet istos pœnitentiam acturos, illos autem non, hoc nihil est: quia præuidit antequam nascerentur, & sic debuit non permisisse quod nascerentur, cum ipse dicat *Matth.* 26. Melius illi erat, si natus non fuisset homo ille.

Ideo dicendum, quod quamuis iudicia Dei sint abyssus multa, super quæ in tali casu exclamat Apostolus *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, Tamen possumus dicere, quod nullum sic damnat, nisi peccatis suis in finem deuolutis: & tunc condemnat eos, quos sic finaliter damnat, ad terrorem & exemplum aliorum: sicut dicit *gloss.* Peccata autem in finem deuoluuntur dupliciter, scilicet, ad summum malitiæ, & ad summum finem. Ad summum malitiæ non deuoluuntur aliqua peccata in finem: quia nemo ita malus efficitur, quod non possit fieri peior. Ad summum autem finem deuoluitur, quando etiam secundum inferiores causas sic sententiam meretur, quod non est probabile quod reuertatur ad pœnitentiam: sicut patet in his qui perierunt in diluuio, quorum tota intentio fuit ad malum toto tempore: & in his qui perierunt in Pentapoli, qui etiam Angelis quærebant abuti. Et reuocans ad pœnitentiam, videbatur quasi ludens loqui, & deridebant Prophetas. Et tales puniuntur à Deo meritis suis, quando magis valet punitio eorum ad exemplum correctionis. Et hanc puto esse veram huius quæstionis determinationem. Et ideo minus peccans, aliquando punitur: & magis peccans, aliquando differtur: vt in exemplo proposito. Tamen consueuit dici quod multis de causis aliquis punitur. Vnde versus.

Vt probet, aut purget, aut puniat, aut tueatur,
Aut Christi pareat gloria, pœna datur,
Vt sit in exemplum, terror, vel pœna parentum,
Vt sit sobria mens, cauta, memorque Dei.

Vt probet quidem, sicut *Iob primo.* & *Iob secundo.* Nunquid nosti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in vniuersa terra? *Tob.* 12. Quia placuisti

Deo: neceſſe fuit vt tentatio probaret te. *Iacob.* 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſſit Deus diligentibus ſe. Vt purget: ſicut lepra percuſſit Mariam ſororem Moyſi, pro peccato murmuris purgando *Num.* 12. *Malach.* 3. Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Vt puniat, & punitionem continuet: ita vt æterna pœna continuetur præſenti. Et ſic hic incipiat, vt in æternum pœna continuetur. *Deuter.* 32. Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Et ſic puniuit Herodem, qui ſicut dicitur *Act.* 12. percuſſus ab Angelo Domini, conſumptus vermibus expirauit. Vt tueatur hominem à peccatis: & maximè à peccato ſuperbiæ aliquando puniri permittit. Et hoc idem eſt, quod punit ad humilitatis conſeruationem: ſicut Paulum puniuit ſtimulo carnis 2 *Cor.* 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus ſatanæ qui me colaphizet. Vt ex miraculo liberationis manifeſtetur gloria Domini, aliquando permittit hominem puniri: ſicut dicitur *Ioan.* 9. in cæco nato, de quo dicitur: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, quod cæcus naſceretur? Reſpondit Ieſus, & dixit: Neque hic peccauit, neque parentes: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Et ſic videtur mortuus fuiſſe Lazarus *Ioan.* 11. de quo dixit Dominus. Nonne dixi tibi: quia ſi credideris, videbis gloriam Dei. Aliquando etiam Deus punit hominem, vt dicit *Ioan. Damaſc.* vt aliis exemplum patientiæ proponatur. *Iacob.* 5. Exemplum accipite fratres mei ſufferentiæ & longanimitatis Prophetas. Sufferentiam Iob audiſtis, finem Domini vidiſtis. *Luc.* 23. Si hæc in viridi, in arido quid fiet? *Tobiæ* 2. Hanc tẽtationem permiſit ei Dominus accidere, vt darentur poſteris exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.

Punit etiam Dominus aliquando vnum ad terrorem alterius. *Prouerb.* 19. Flagellato peſtilẽte, ſapientior efficitur paruulus. *Iſa.* 1. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem. Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Adhuc autem aliquis punitur, vt oſtendatur pœna peccati parentum in pœna filiorum, qui parentes in peccatis ſunt imitati. *Exod.* 20. Ego ſum Deus zelotes, vindicans peccata parentum in filios, in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me. Adhuc autem aliquando punit: vt hominem, poſt ebrietatem carnalis concupiſcentiæ, ſobrium reddat. *Eccli.* 31. Infirmitas grauis ſobriam facit animam. Sic punitus fuit Antiochus, qui proſperitate terrena inebriatus, exiſtimabat terram ad nauigandam, & pelagus ad iter agendum ſe habiturum. Et cum rediret per pœnam in ſenſum, dixit: Iuſtum eſt hominem mortalem non paria Deo ſentire 2. *Machab.* 9. Sic dicit *Gregorius*. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Sic *Dan* 4. Nabuchodonoſor ab humano mutatus eſt, & cor feræ datum eſt ei: donec ſobrius effectus, rediuit in ſenſum. Et tunc ad cor hominis, & ad honorem regni decoremque peruenit. Adhuc autem quidam puniuntur innocenter, vt eiſdem à maiori pœna caueatur: ſicut *Geneſ.* 7. pueri ſubmerſi in diluuio. Et *Geneſ.* 19. pueri concremati in Sodomis. Et *Reg.* 30. pueri occiſi ab Amalechitis, qui ſi vixiſſent, maiores peccatores fuiſſent, & ideo magis puniti. *Sapient.* 4. Ex iniquis omnes filij qui naſcentur, teſtes erunt nequitiæ in parentes ſuos. *Iſa.* 14. Non conſurget in æternum ſemen peſſimorum. Præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent. Adhuc autem fit ad memoriam fidei verborum Dei habendam. *Luc.* 1. Pro eo quod non credidiſti verbis meis, eris tacens vſque in diem quo hæc fient, quæ ſuo tempore complebuntur. His igitur de cauſis iudicio Dei punitur aliquis.

Gloſſa etiam *moralis* dicit: quod iſti quorum ſanguis mixtus eſt ſacrificiis eorum, ſignificat eos, qui quidem Deo ſacrificant: ſed cum hoc peccata, à corruptione ſanguinis procedentia, non euitant: quorum iuſta eſt condemnatio. Iſti enim ſunt ſocij Cain: de quo dicitur *Geneſ.* 4. Nonne ſi benè offeras, malè autem diuidas, peccaſti. Benè enim obtulit, qui obtulit Creatori creaturam, quam ſibi donauit. Malè autem diuiſit, qui ſeipſum diabolo, ſubſtantiam autem obtulit Deo. Illi ſanguinem miſcent ſacrificio, de quo dicitur *Oſee* 4. Sanguis ſanguinem tetigit: & ideo merito condemnantur & puniuntur per Pilatum, qui os malleatoris interpretatur, hoc eſt, per diabolum, qui *omnium* talium eſt malleator. Parata ſunt enim *deriſoribus* tormenta, & mallei percutientes ſtultorum corporibus Sic igitur iſti ſunt puniti ad exemplum peccantium vt pœniteant.

Sicut illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Syloa, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis.

Iſtud eſt ſecundum exemplum ſuperborum, vt ceſſent à præſumptione ſuperbiæ. Qualiter autem iſtud acciderit, neſcitur, niſi quod probabile eſt, quod turrim ædificauerint, & propter operis debilitatem turris ſuper eos ceciderit. Poteſt autem eſſe, quod turris ante ædificata, ſuper tranſeuntes decem & octo diſpoſitione diuina ceciderit. Quia ſicut dictum eſt ſuperius 12. Paſſeres quinque qui væneunt dipondio, ſine diſpoſitione diuina non cadunt in terra. Per quod intelligitur quod multo minus homines puniuntur ſine Dei iudicio. Et hoc eſt quod dicit [ſicut illi decem & octo] qui ambitione faſtus humani [turrim] ædificabant [in Syloa] Vbi fuit habitatio humilis Regis, ſigna faſtus humani non erant ædificanda. *Iſa.* 8. Eo quod abiecit populus iſte aquas Syloæ, quæ vadunt cum ſilentio, & elegit magis Raſin filium Romeliæ ſuperbum: propter hoc adducet Dominus aquas fluminis ſuper eos, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, hoc eſt, quia abiecit humilitatem, & elegit ſuperbiæ faſtum: ſicut illi qui *Geneſ.* 11. turrim ædificauerunt. Et hoc eſt quod dicit [ſuper quos cecidit turris in Syloa] propter reatum ſuperbiæ. *Iſa.* 30. Erunt ſuper omnem collem riui currentium aquarum, hoc eſt, ſuper omnem ſuperbum inundationes tribulationum, in die interfectionis multorum: cum ceciderint turres, hoc eſt, altitudines ſuperborum. *Eccli.* 10. Sedes ducum ſuperborum euertit Dominus. 2. *Corinth.* 10. Arma

noſtræ

nostræ militiæ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Christi. Hæc enim altitudo est turris contra Deum ædificata, & cadit super ædificantem. *Matth.* 21. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. Super quem autem ceciderit, conteret eum. Et hoc est quod sequitur [& occidit eos] conteritur enim cum delinquente delictum [putatis] ne? [quia & ipsi debitores fuerint] peccatum enim debitorem facit pœnæ. *Matth.* 6. Dimitte nobis debita nostra [præter omnes homines] magnos, & forte maiores ipsis peccatores [habitantes in Ierusalem] quæ multos continet peccatores. Vnde *Matth.* 23. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.

Non] responsio supponens quidem hos fuisse peccatores, sed non solos [dico vobis] qui non mentior [sed si pœnitentiam non habueritis] horum exemplo correcti, hoc est, pœnitentiam [habueritis] in pœna tenenda pro peccatis [omnes similiter] hoc est, ex simili causa peribitis] *Heb.* 2. Si omnis præuaricatio & inobedientia iustam percepit mercedem retributionis: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? 2. *Petr.* 2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Item *ibidem.* Si originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. Item *ibidem.* Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. Item *ibidem.* Nouit igitur omnes pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos. Dies autem iudicij iniquorum est, quando datur sententia de eis. *Iob* 21. In diem perditionis seruatur malus. Sic igitur per duo exempla probatur, quod & illi qui bonis suis mala miscent, & illi qui fastu cordis simpliciter mali sunt, altitudinem mundi quærentes, iudicio Dei condemnantur: vt exemplo suo omnes ostendat condeonandos. Angelus propter fastum superbiæ, homo propter elationem cupiditatis scientiæ, mundus propter luxum concupiscentiæ, Pentapolis propter incendium infandi vitij contra naturam, sacrificantes Galilæi propter errorem oppressi in Syloa, propter fastum pœnas etiam temporales sustinuerunt. Et semper innocentes liberati sunt: vt ostendat quod nullus peccator euadet pœnas: sed innocentes & recti à Deo liberabuntur. *Iob* 4. Recordare obsecro quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui seminant dolores & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos. *Prouerb.* 11. Iustus de angustia liberatus est, tradetur impius pro eo. Finaliter Deus nunquam condemnat iustos: neque saluat, sed condemnat peccatores.

Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.

In hac parte determinat longanimitatem iudicis, per patientiam eos, qui se præparare debent, expectantis. Est autem huiusmodi longanimitas duplex: & secundum hæc duo, inducuntur hic duæ historiæ: in quarum prima per similitudinem ostenditur longanimitas circa subditos, per intercessionem sanctorum ministrorum Prælatorum Ecclesiæ impetrata: in secunda autem per sanationem mulieris incuruatæ ostenditur longanimitas, quæ in iudice causatur ex bonitate propria. Hæc autem prior historia diuiditur in quatuor paragraphos, in quorum primo diligentiam dicit plantationis in loco conuenienti: in secundo autem infructuositatem arboris: in tertio cum allegatione causæ secundum causam demeritoriam, sententiam succisionis: in quarto ab agricolis patientiam impetratam de succisione, longanimitatem expectationis. Præmittit autem modum inductionis huius historiæ, dicens [dicebat autem hanc similitudinem] volens cautos & solicitos esse de præparando se ante iudicis sententiam. *Roman.* 12. Solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes Hoc autem astruit per similitudinem: quia intellectus hominis imaginationi coniunctus, connaturales habet exemplares & similitudinarias instructiones. *Psalm.* 77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. *Osea* 12. In manibus Prophetarum assimilatus sum. *Matth.* 13. Aperiam in parabolis os meum, & eructabo absondita à constitutione mundi. Et *ibidem* reddit rationem dicti: quia quamuis Apostolis & viris perfectis datum sit nosse mysterium regni Dei sine similitudinibus: tamen cæteris de turba non est datum aliquid intelligere de hoc, nisi in parabolicis similitudinibus. Dicit igitur.

Arborem fici] genus dicit arboris inter plantas, quæ inter plantas vtilior, in fructu multiplicior est, quam herba, vel olus, vel frutex, vel fungus. Hæc enim sunt genera plantarum. Est enim arbor statura procerior, stipitis robore fortior, ramositate latior, viriditate foliorum vmbrosior, flore pulchrior, fructu suauior, & vtilior plantis aliis. *Dan.* 4. Arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, & magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, esca vniuersorum erat in ea. Et ideo homo inter cæteras creaturas dignior, huic arbori comparatur, qui in medio terræ est sicut Dominus positus. *Psalm.* 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus. Statura procera est attingens cælum: quia imagine supercælesti Dei similitudinis insignitus. Stipite fortis: quia in robore naturalium est creatus. Ramositate latus: quia sensuum & imaginationis & rationis considerationes per totam extendit triplicem mundi machinam, cælestium, terrestrium, & infernorum. Foliis viridantibus vmbrosus: quia vmbra sapientiæ cunctis præstare potest refrigerium. Flore pulcherrimus: quia naturaliter insunt ei per creationem principia quædam virtutum & honestatis, quasi quædam promissiones futurorum profectuum. Fructu suauior & vtilior: quia meritis omnium bonorum operum, omnibus vtilis ad exemplum & refectionem virtutum. Et ideo vir sanctus in. 1. *Psalm.* arbori tali comparatur. Hæc arbor est arbor

Fici] secundum species, quæ præ cæteris dulcior inuenitur, quando est vtilis. Fatua autem, quando est inutilis. Sicut enim ficus cæteris est vtilior arbori

arboribus, quando est fructifera: ita præ multis est inutilis, quando est infructuosa & infatuata: quia lignum est nodosum, curuum, & frangibile: & ideo non ad ædificia sed ad ignem aptum, sicut & vitis. *Ierem.* 24. Ficus, ficus bonas, bonas valde: & ficus, ficus malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. Quia homo iustus dulcissimus in fructu virtutis, bonus est in verbo, & bonus valde est in opere. Homo autem iniustus, & præcipuè clericus vel religiosus si malus sit: malus est in ore, & malus valde in opere: ita quod nullum reficit, sed omnibus generat abominationem.

Ficus etiam cum bona, bona est, dulcedine sua purgat vulnera, de profundo educens virus & putredinem. Cum autem fatua est, & dulcedine destituta: in apostematibus, quibus supponitur, generat exasperationem & contractionem. Ita gratia viri sancti in verborum & operum lenitate sanat, & lenit, & mundat peccatorum apostemata: & peruersitas fatui exasperat, & contrahit, & dolorem inducit, & non emundat. *Isa.* 38. Iussit Isaias vt acciperent massam ficuum, & cataplasmarent super vlcus. Ficus etiam propria dulcedine delectata, eam nullius spe promotionis in secularibus dignitatibus deserit. Et huius secundum naturam causa est: quia tantum decoquit humorem in dulcedinem, & tantum desiderat dulcissimi fructus multiplicationem, quod parum de nutrimento ponit in altitudinem. Et quando ponit succum sibi ministratum in altitudinem, tunc statim efficitur fatua, & supergreditur cæteras arbores in altitudine. Propter quod etiam latinè celsa vocatur. Et sic facit vir sanctus: delectatur in dulcedine spiritus, & multitudine spiritus, & multitudine consolationis diuinæ. Non curat altitudinem seculi. Et si curare per ambitionem incipit, infatuatur. Et exaltatur aliquando super alios in dignitate aliqua, quæ ad nihil vtilis est, nisi quod statura pusilli, hoc est humiles & simplices, pro fectu meriti, scandunt super eum ad videndum Dominum. *Luc.* 19. Ascendit in arborem sicomorum: quia statura pusillus erat. Quia vnde infatuatus & eleuatus est prælatus impius, inde proficit iustus, simplex, & pius. Bona autem ficus dulcedinem non deserit propter altitudinem seculi. *Iudic.* 9. dixit ficus: Non possum deserere dulcedinem meam, & ire vt inter ligna promouear.

Habet etiam ficus florem fructum, qui etiam maior est cæteris fructibus suis & pretiosior, quamuis non sit adeo dulcis. Et sic vir sanctus statim à principio florem ætatis & mundi in fructum spiritus conuertit: qui quamuis non sit adeo dulcis, sicut procedente tempore cum profecerit, fructum producit: tamen propter innocentiam in conspectu Dei gratus est & pretiosus. *Mich.* 7. Præcoquas ficus desiderauit anima mea. Habet etiam ficus, quod suis grossis indicium est æstatis, caloris, & luminis Et ita vir sanctus, & præcipuè prælatus, clericus, & religiosus, suo exemplo iam quasi gemmatus coceptæ dulcedinis exprimens & ostendens expectationē, itæ tempestatis diuinæ punit finem, & gratiorem & clementiorem an tam significat futuræ in cordibus serenitatis & tranquillitatis. *Cantic.* 2. Ficus protulit grossos suos, flores apparuerunt in terra nostra, imber abiit, & recessit, hyems transiit.

Habet item ficus proprium, quod cum emergunt ficus ex ficulnea, linitæ omni die oleo oliuæ ad porum anteriorem, citius maturescunt, & esibiles fiunt, & saporem olei aliquantulum prætendunt. Et hoc competit viro iusto, prælato, clerico, & religioso, qui quantumlibet dulcem habeat spiritum: tamen si omni die vngatur & liniatur consideratione misericordiæ & bonitatis diuinæ, citius maturescit ad perfectum, & odorem accipit diuinæ bonitatis & misericordiæ apud proximum. Et ideo dicitur *Cantic.* 1. Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Quia vbera concepta talis dulcedinis nihil habent mordax & asperum, sed dulce fragrans Dei misericordiam & bonitatem. Sic dicitur 1. *Machab.* 7. quod quilibet de populo sedebat subter ficum suam, & de bonis terræ tractabant. Quia in vmbra talis prælati quilibet subditus quiescit, tractans de bonis quæ fiunt per eum.

Habet etiam ficus ex spissitudine & latitudine foliorum, & humili dilatatione ramorum, vmbram valde dulcem & desiderabilem, si non est infatuata. Si autem fatua est & celsa, habet vmbram siccam & nocentem ex vapore foliorum. Et sic vir sanctus, prælatus, clericus, religiosus, in vmbra protectionis subditorum est dulcis & desideratus. Et fatuus est arefaciens etiam id quod viride videtur, & opprimens per tyrannidem. Vnde *Matth.* 21. maledixit ficulneæ, ad quam venit causa fructus, cum non haberet nisi folia. *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.

Habet etiam ficus quod non potest inseri in aliud lignum, quia nihil est in ea nisi dulce: & ideo alteri arbori, quæ est alicuius amaritudinis, inseri non potest. Et sic vir sanctus, prælatus, clericus, vel religiosus radicem suam dulcedinis diuinæ deserendo, nunquam amaritudini secularium rerum sociatur, vel inseritur. *Matth.* 7. Nunquid de spinis colligunt vuas, aut de tribulis ficus? Habet etiam ficus, quod decorticata arescit, & fructum non facit. Ita vir sanctus, prælatus, clericus, vel religiosus bono exemplo spoliatus, intus dulcis esse non potest in spiritu. *Ioel.* 1. Ficum meam decorticauit nudam, spoliauit eam, & proiecit eam, albi facti sunt rami eius. Habet etiam gratiam ficus amabilitatis in quiete fructus eius, propter quam frequentatur ab hominibus. Et hoc est in viro sancto, prælato, clerico, & religioso, qui dulcis est quòd amatur & visitatur à Deo, & sanctis Angelis. *Ioan.* 1. Cum esses sub ficu vidi te. *Augustinus.* Quamuis vtrunque sit necessarium: tamen à vobis magis appetat amari quam timeri, semper cogitans se pro vobis redditurum esse rationem. Sic ergo arborem fici.

Ficus communiter secundum Grammaticum est fœminini generis, & quartæ declinationis. Tamen ab hac communitate Grammaticorum se excepit quidam Cecilianus antiquus Grammaticus, qui dixit quod ficus esset masculini generis, & secundæ declinationis. Sed de Grammaticorum rationibus alibi dictum est. Hic autem antiquam auctor sequitur Grammaticam, & dicit [arborem fici] & non arborem ficus.

Habebat quidam] singularis diligentiæ in cultura, qui nihil pertinens culturæ suæ moribus suis denegauit. *Cantic.* 7. Egrediamur in agrum, & commoremur in villis. Sic Isaac *Genes.* 24. egressus cum fuerat ad meditandum in agrum: vt videret

deret si aliquid culturæ deesset. Sic *Genes.3.* Dominus deambulauit in paradiso ad auram post meridiem, culturam paradisi considerans. Sic *Genes.2.* posuit Dominus Adam in paradisum, vt operaretur & custodiret illum.

Plantatam] Non syluestrem, sed per plantationem factam hortensem. Sicut plantantur fideles in Ecclesia, clerici in conuentibus, & præbendis Ecclesiarum, & religiosi in religionibus. *Exod.15.* Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, hoc est, in altitudine dignitatis & vitæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: quia contra diaboli impugnationem Ecclesiæ firmamentum Dominus ædificauit. Sic posuit *Ierem.1.* vt ædificaret & plantaret. *1.Corinth.3.* Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem dedit incrementum.

In vinea sua] Vinea enim in loco pingui esse solet, & in loco vbi altitudine montis contra Boream protegitur, & in loco ad meridiem vbi tota die soli est exposita. Et sic omnis bona Ecclesia est plantata in loco pingui per deuotionem: in deuexo montis contra Boream, per eminentem vitæ sanctitatem: contra flatum diaboli obumbrantem lucem veritatis, & infrigidantem scintillam charitatis. Quia sicut dicitur *Ierem.1.* Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. *Eccli.43.* Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. De hoc monte dicitur *Ierem.31.* Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Isa.5.* Vinea fuit dilecto vberi in cornu filio olei. Eundem enim locum plantationis vult habere ficus & vinea: quia sicut vitis propter multum humorem indiget calore fortiter digerente: ita ficulnea propter spissitudinem & grossitiem humoris, indiget feruore solis eodem quo vinea. Spiritualiter hæc ficus plantatur in vinea, quando dulcedo spiritus in cælestibus plantatur gaudiis. *Eccli.24.* Spiritus meus super mel dulcis. Ecce ficus. *Ierem.2.* Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum. Ecce gaudia cælestia. Sic igitur diligentia notatur culturæ.

Et venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio.

Tangitur hic infructuositas ficulneæ, & dicit tria: spem fructus inanem, diligentiam inquirentis, & frustrationem laboris. De primo dicit [Venit] visitando sæpe per verbum admonitionis, per beneficia visitationis, per flagella eruditionis. De primo dicit *Psalm.106.* Misit verbum suum, & sanauit eos, hoc est sanandos prædixit. *Isa 9.* Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël. Quia ad fructum faciendum venire noluerunt. *Matth.23.* Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. De beneficiorum visitatione dicitur *Isa.5.* Sepiuit eam, circumfodit, & maceriam circundedit, & turrim ædificauit in medio eius. Sepiuit enim custodia Angelorum, circumfodit timore comminationis, maceriam circundedit multitudine mandatorum, turrim erexit altitudine ministeriorum & præsidiorum, & multa alia adhibuit beneficia. De eruditione per flagella *Isa.26.* In tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sic ergo venit [quærens fructum] virtutis [in illa] speratum. *Isa.5.* Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. *Matth.21.* Non inueni in ficulnea nisi folia tantum, hoc est, verborum latitudinem. *Ierem.12.* Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. *Isa.29.* Appropinquat populus iste labiis suis, cor autem longe est à me [& non inuenit] *Iudas in epistola sua.* Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ. Mortuæ autem sunt in se, & in proximo fructum impediunt per mortis exemplum.

Dixit autem ad cultorem] Ecce comminatio sententiæ: quia dixit per inspirationem [ad cultorem vineæ] Christum, vel Prælatum vineæ, Christi Vicarium: sicut fuerunt Apostoli & Apostolici viri. *1.Corinth.3.* Dei agricultura estis. Vineæ autem cultor, non solum vinum colit: sed in cælestibus gaudiis colit virtutis & spiritus dulcedinem in Ecclesiis & in hominibus. Ante sententiam autem comminatam, dicit sententiæ iustæ rationem [Ecce anni tres sunt] Hi anni tres sunt legis naturalis tempus, & legis Moysi tempus, & tempus gratiæ legis in prædicatione Christi. Vel tempus cultus circumcisionis in Patribus: tempus datæ legis in transitu de Ægypto: & tempus Prophetiæ in terra promissionis. In quibus nullum fructum fecerunt. Vel moraliter: anni tres sunt, iuuentutis, virilis ætatis, & senectutis. *Isa.20.* Trium annorum signum & portentum erit super Ægyptum & super Æthiopiam. *Isa.37.* Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis vescere: in tertio anno seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum. Et mittet id quod saluatum fuerit, radicem deorsum, & faciet fructum sursum. Naturale enim est in plantis arborum, quod in prima plantatione conualescunt in radice: & postea in ramis dispositè disponunt se: tertiò ad fructum paruum vel magnum. Et hoc est quod dicit.

Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea] Laborem & expensas ad cultum adhibens, quærebat pretium laboris fructum. *Iacob.vltim.* Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, donec accipiat temporaneum & serotinum [in ficulnea hac] quæ infausta & infœcunda non generat dulcedinem, sed pruriginem in omnibus quibus apponitur. *Genes.3.* Consuerunt folia fici, & fecerunt sibi perizomata. Quod enim pruriginem excitat, perizoma facit protectionis: quia dum homo infœcundus intus prurit prurigine libidinis peccatorum, extra quærit excusationes & velationes in peccatis: sicut dixit Adam *Genes.3.* Timui quod nudus essem, & abscondi me [& non inuenio] Ecce rota allegatio comminationis sententiæ: quia adhibuit cultum, non subtraxit laborem, & non respondet ficulnea per fructus vtilitatem. *Ierem.22.* Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. *Ierem.17.* Erit quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in terra salsuginis & inhabitabili. Non enim tales dant fructum vtilem. Et si figura fructus aliquando in bonis quibusdam exterioribus appareat, non habet maturitatem charitatis, sed abominabiles & acerbi *Sapient.4.* Fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum. Nisi forte faciant fructum

aptum

aptum porcis, hoc est, in concupiscentia carnali conuersantibus: quia talibus competunt opera eorum. *Luc.* 15. Cupiens implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant. Ecce causa comminatæ sententiæ. Et hoc est quod sequitur.

Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?

Duo dicit: comminationem succisionis, & (quod miserabile est) impedimentum occupationis quod præstat, ne alia planta in loco illo fructificet. De primo dicit [succide eam] hoc est, de vita & Ecclesia amputa talem virum, qui & in se inutilis est, & aliis præstat impedimentum. *Dan.* 4. Vigil & sanctus descendit de cælo, & clamabat fortiter, dicens: Succidite arborem. *Iob* 24. Obliuiscatur eius misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum. *Matth.* 3. Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, succidetur, & in ignem mittetur. Securis autem est sententia mortis, quæ quotidie datur de inutilibus. Et hoc est quod dicit: Succide ergo illam.

Vt quid etiam terram occupat?] In cuius fundo, per succum loci ministratum radici, planta fructifera plantetur. Et sic in bonis à Deo datis alicui homini, vel in præbenda mali clerici staret alius vtiliter isto decedente. Sicut & Ecclesia vtiliter radicata est in sacramentis & doctrina Prophetarum, in quibus Synagoga inutiliter ante stetit. *Baruch* 3. Ad inferos descenderunt, & alij in locum eorum surrexerunt. Vnde *Ambrosius*. Terram occupat, qui locum quem tenet, bonis operibus non exercet, qui exemplo suæ prauitatis impedimentum cæteris præstat. Vnde etiam terra, talibus ministrans bonum nutrimentum, clamat aduersus tales plantas. *Iob* 31. Si aduersum me terra clamat. Q.d. Malè mihi accidat. Item *ibidem*. Si fructus eius comedi absque pecunia, hoc est, si dona Dei sumpsi, & nihil in merito, vel in doctrina Deo rependi pro commutatione. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Frumentum est pastus hominum in verbo Dei. Hordeum autem pabulum iumentorum in doctrina prædicationis, hoc est, laicorum: pro quo tribulus oritur, quando in peccatum dona Dei conuertuntur, quo conscientia compungitur. Spina autem ad ignem apta est, quando dona à Deo accepta, sine fructu in materiam ignis æterni conuertuntur. Sic enim dicitur *Hebr.* 6. Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam, opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio erit in combustionem ignis. Terra enim non comburitur, nisi quia plantæ & stirpes in ea inutiles comburuntur. Hoc est igitur quod iudex, se non præparantibus ad aduentum eius comminatur.

At ille respondens, dixit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

Hic ponitur dilatio sententiæ ex patientia iudicis, & intercessione sanctorum cultorum, & spe futuræ fructificationis. Et hoc est quod dicit [at ille] cultor, scilicet, bonus prælatus, vel quilibet sanctus in Ecclesia militante vel triumphante pro alio intercedens. *Iob* 5. Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere. *Genes.* 25. Deprecabatur Isaac pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Et hoc est [Domine, dimitte illam & hoc anno] quarto scilicet: quia aliquis vsque in senium reseruatur, iam inutiliter iuuentute, & ętate virili, & senectute expensis: & expectatur in putrido senio, an fructum aliquem facere velit. Allegoricè autem etiam sententia Synagogæ precibus Apostolorum suspensa est per totum tempus gratiæ, in annum futuræ persecutionis Antichristi, vt tunc saltem fructum dulcedinis afferat. *Roman.* 11. Cæcitas contingit ex parte in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. *Isa.* 30. Expectat vos Deus vt misereatur vestri. *Ose.* 3. diebus multis expectabis me: non fornicaberis & non eris cum viro: sed & ego expectabo te. Ac si dicat: Non fornicaberis ad inutilem fructum, & non eris cum viro alieno ad spuria vitulamina, quæ sunt adulterinæ plantationes: sed expectabis me, donec ex me fructus tuus inueniatur, & ego ad pœnitentiam expectabo te.

Vsque dum fodiam circa illam] ecce promissio adhibendi cultus ad fructum producendum. Et duplicem dat promissionem adhibendi cultus. Primum dicit [vsque dum fodiam circa illam] foditur ad radices, vt duritia terræ distillationem humoris ad radicem non impediat. Et hoc est primum beneficium fossuræ. Secundum autem est, quod noua terra adiuta humore non exucto radicem tangat. Tertium autem est aliquando antiquata arbore (cuius radicis cortex induratus & inspissatus est) vt cultor radicem findat, vt inter fissuras per poros non occlusos sugat. Et ita facit agricola spiritualis. Fodit comminationibus timoris vt mollificetur, quòd stillicidium gratiæ in cor possit descendere. *Osea* 3. Fodi eam mihi. Sic enim fodit sarculo disciplinæ. *Isa.* 5. secundum *translationem LXX.* Maceriam circundedit & circunfodit. Vbi nos. Et sepiuit eam, & elegit lapides ex ea. Hoc autem fit disciplinæ sarculo, quando cultor bonus suadet fieri corporales disciplinas. *Hebr.* 12. Omnis enim disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris. Postea autem exercitatis per eam, pacatissimum fructum reddit iustitiæ. Per hoc etiam noua & non exucta terra radici apponitur: quando noua, & salutaris, & humore gratiæ plena instructio perhibetur, per terrenas similitudines comprobata: vt ex similitudine terrena spiritualia intelligantur. Sic enim intelligitur istud *Isa.* 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Sic intelligitur quod dicit *Psalm.* 140. Audient verba mea, quoniam potuerunt, hoc est, potentiam & valorem ad fructificandum in se habent. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, quæ sua pinguedine nouam administrat fœcunditatem. Tertium autem est quando durioribus duriores fiunt

fiunt comminationes, & ictus sententiarum per excommunicationes: vt scindantur qui molliri non possunt. *Ierem.* 23. Verba mea sunt quasi malleus conterens petras. *Ioel.* 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum. Sic ergo fodit circa ficulneam bonus agricola.

Et mittam stercora] Stercora mittere, est præterita peccata ad memoriam reuocare, & ex hoc ad deuotionem pœnitentiæ inclinare. *Amos* 4. Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum ad nares vestras, & non redistis ad me. *Ioel.* 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Quod sic homo suam aduertit putredinem iumentinam, & ex hoc disponitur ad fructum. *Isaiæ* 5. Facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum, hoc est, morticina, quibus homo moritur in peccato, facta sunt in stercora ad fructificandum in medio platearum, hoc est, in vitæ latitudine. *Iob* 2. Iob dolens testa saniem radebat, sic sedens in sterquilinio.

Et siquidem fecerit fructum] Aposiopesis est: tacet responsionem ad hoc pertinentem: quia verè & probabiliter constat, quod non faciet: aut quia constat Dominum per se ipsum libenter parcere, quando fructum facit. Et ideo hanc partem eclypticam dimittit: quia per se ex patientia Domini intelligitur, quia tunc non succidet. *Sapient.* 1. Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis accersierunt illam. *Ezech.* 33. Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. [Sin autem] hoc est, si non autem faciet fructum expectata & culta [in futuro] quando iustior est tua condemnatio [succides eam] per sententiam condemnationis: sicut succidisti Angelos & alios peccantes, qui finaliter voluerunt perdurare in peccatis. *In Epistola Iudæ.* Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum suum de terra Ægypti saluans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.

Sic ergo demonstratum est, qualiter sententia misericordis iudicis, aliquando per intercessionem bonorum suspenditur, quamuis non auferatur. Aliquando autem ex sola misericordia Dei, diu ad pœnitentiam expectatus peccator liberatur. Et hoc est quod consequenter inducitur.

Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.

Diuiditur autem hæc historia in duas partes: in factum videlicet, & conuictionē eorum qui factum calumniabantur: factum autem habet duos paragraphos, in quorum primo continetur tempus & locus, qualiter ad factum est deuentum: in secundo autem continetur factum ipsum. In primo ergo dicit, quod prædicta & alia de præparatione hominum ad iudicium [erat docens] sicut ipse doctorus & illuminaturus omnes in mundum venerat. *Isa.* 48. Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans in via, qua ambulas. *Psalm.* 118. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas [in synagoga] propter loci solemnitatē: vt pluribus in synagoga conuenientibus prodesset. *Ioan.* 18. Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Ideo etiam dixit *Luca* 8. & *Matth.* 10. Nihil occultum quod non reueletur. Hæreticorum enim mendacia angulos quærunt, sed non plana veritas [sabbatis] ecce tempus in quo plures ad auditum verbi Dei vacabant. *Hebr.* 4. Relinquitur sabbatismus populo Dei, quando opera seruilia fieri non licebat, sed tantum vacabant verbo Dei & obsequio diuino. *Isa.* 58. Si auerteris pedem tuum à sabbato, facere voluntatem in die sancto meo, vocaberis sabbatum delicatum, & semen Domini gloriosum.

Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

Hic tangitur factum: habet autem partes duas, in quarum prima magnitudo infirmitatis exaggeratur: in secunda vero miraculum perficitur. Adhuc autem in prima tanguntur quinque: demonstratio scilicet sexus fragilis: causa infirmitatis: longitudo ægritudinis: & magnitudo deiectionis & defectionis: & damnum deiectionis. De primo dicit [& ecce mulier] in qua fragilitas erat sexus: ideo magis miserabilis] *Iona* 4. Sciebam, quod tu Deus clemens & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & præstabilis super malitia. Hæc autem mulier carnem humanæ naturæ corruptam significat, *allegoricè* autem Synagogam. *Roman.* 7. Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum [quæ habebat spiritum infirmitatis] ecce quod causa huius erat à spiritu & à peccato. Spiritus enim malus sibi fuit causa infirmitatis. Isti sunt spiritus immundi, de quibus dicitur *Zachar.* 13. Etiam spiritus immundos auferam de terra. *Apocal.* 16. Sunt spiritus dæmoniorum. 1. *Timot.* 4. Attendentes spiritibus erroris. Hic spiritus facit infirmitatem ad omne bonum: quia peccatum debilitat ad bonum. Vnde clamat Propheta *Psal.* 6. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum [decem & octo annis] quia etiam in decem mandatis decalogi, & in octo beatitudinum perfectionibus, quæ *Matth.* 5. describuntur, infirmabatur. Vel quia ter sex sunt decem & octo: infirmabatur in fide Trinitatis, & in perfectione operum, quæ in senario significatur. Vel significat illos qui tribus temporibus ante legem scriptam, in lege naturali, & sub lege scripta, & sub gratia, longa detenti sunt infirmitate peccati. *Eccli.* 10. Langor prolixior grauat medicum [nec omnino poterat sursum respicere] ecce damnum: quia sicut iumentum erectionem ad cælum amiserat. *Psal.* 16 Statuerunt oculos suos declinare in terram. 2. *Paralip. vltim.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, non est respiratio mihi. *Isa.* 29. Humiliaberis, de terra loqueris: & erit quasi pythonis vox tua, & eloquium tuum de humo mussitabit. *Psalm.* 37. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar. *Isa.* 51. Dixerunt animæ tuæ: incuruare, vt transeamus: & posuisti corpus tuum quasi terram, & quasi viam transeuntibus.

Quam cum vidisset IESVS, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi

manus,& confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.

Hîc rangitur perfectio miraculi, & tanguntur tria: cauſa,effectus,& finis. Cauſa miraculi eſt in quatuor: in viſione, vocatione, allocutione, & manus impoſitione. Primum eſt reſpectus miſericordiæ:ſecundum vocatio gratiæ:tertium inſtructio eautelæ: quartum adiutorium diuinæ potentiæ. De primo dicit [Quam cum vidiſſet IESVS] Saluator in reſpectu ſalutis. *Sapient.*4. Gratia & miſericordia eſt in Sanctos eius: & reſpectus in electoa illius. *Exod.*3. Videns vidi afflictionem populi mei,qui *Luc.*10. videns eum,miſericordia motus eſt.

Vocauit ad ſe] vt iam prope fieret quæ longe abierat. *Rom.*8. Quos præſciuit conformes fieri imagini Filij ſui,hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Vocatio enim hæc fit per gratiam electionis:& eſt ſegregatio à maſſa perditionis. *Baruch* 3. Vocatæ ſunt,& dixerunt: Adſumus: & luxerunt ei eum iucunditate, qui fecit illas. Per hoc enim ſtellæ lucentes factæ ſunt: quia ab inclinatione ad terram vocatæ ſunt ad cælum, hoc eſt,ad ſe, ad cæleſtia vocare.

Et ait illi] Ecce allocutiu de inſtructione ſanitatis. Et facit hic primo mentionem mollitiei, quæ ſibi infirmitatis cauſa fuerat, quando dicit [Mulier] mollita & ſubacta:ſicut ea quæ quinque viros (hoc eſt delectamenta quinque ſenſuum) paſſa eſt. *Ioan* 4. Quinque viros habuiſti,hoc eſt, à quinque ſubacta & mollis effecta es. *Ierem.*2. Quam vilis effecta es nimis, iterans vias tuas [dimiſſa es] per peccati remiſſionem ab infirmitate tua. *Pſalm.*102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates. *Oſee* 14 Sanabo contritiones eorum,diligam eos ſpontaneè, quia auerſus eſt furor meus ab eis. Dicit autem [dimiſſa] vt notaret eam debitricem infirmitatis per peccatum. *Matth.*6. Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Et impoſuit illi manum] vt per contactum corporis in corpore, noſceretur eſſe diuinitas operans pro libitu voluntatis. Simile *Matth.*8. Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Impoſitio tamen manus notat iniunctionem pœnitentiæ in ſatisfactione operum. *Pſal.* 128. Poſuiſti ſuper me manum tuam. *Pſ.*89. Opera manuum tuarum dirige ſuper nos,& opus manuum tuarum dirige. Sicut dicitur *Iob* 1. Operibus manũ eius benedixiſti. Sic Patriarcha Iacob manus filiis ſuis impoſuit, & benedixit *Geneſ.*48.

Et confeſtim erecta eſt] perfectio miraculi quoad effectum, hoc eſt, erectio ad ſtaturam rectam,ad cælum porrectam. *Cantic.*1. Recti diligunt te. *Iob* 40. Eſto glorioſus, & in ſublime erigere. *Pſalm.*144. Dominus erigit eliſos ad iuſtitiæ rectitudinem, & cæleſtium intentionem. Vnde ſequitur: Dominus diligit (aliàs dirigit) iuſtos [& glorificabat Deum] quem in effectu tanti cognouit miraculi. Et hic eſt finis iſtius miraculi. *Luc.*7. Magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis. Et quia Deus viſitauit plebem ſuam. Glorificabat autem maxime in hoc, quod in finem in bonis operibus perſeuerauerit. *1.Corinth.*6. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

Reſpondens autem Archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet IESVS, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari. In his ergo venite & curamini, & non in die ſabbati.

Hîc incipit confutatio calumniantis, & habet partes tres, quarum vna eſt calumnia malitioſe factum reprehendentis: ſecunda confutatio falſitatis, facta per irrefragabilem rationem veritatis: tertia eſt ex parte deuotorum, congratulatio turbæ fidelis. In primo horum duo ſunt, in quorum primo deſcribitur perſona calumniantis: in ſecundo ponitur dictum calumniatoris. Deſcribitur autem perſona calumniantis à tribus: à facilitate reſponſionis, à dignitate prælationis, à paſſione mentis. A facilitate reſponſionis deſcribitur, cum dicitur [Reſpondens autem] quia continere ſermonem ſicut ſtultus non potuit. *Iob* 4. Conceptum ſermonem quis tenere poterit? *Iob* 32. Loquar,& reſpirabo paulųlum [Archiſynagogus] princeps Synagogæ, vnus de illis, de quibus dicitur *Amos* 6. Væ vobis qui opulenti eſtis in *Sion*: optimates capita populorum, *ingredientes pom*paticè domum Iſraël. Iſte enim fuit vnus de illis, qui faſtu dignitatis inflati, bonis inuidebant, iuſtitia apparenti gloriantes. *Rom.*10. Ignorantes Dei iuſtitiam,& ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Deſcribit autem hunc à paſſione animi,quæ eum exagitabat. Dicit [indignans] Falſa enim iuſtitia (alias vt dicit *Hieronymus*) indignationem habet,non religionem. Indignabatur autem [quia ſabbato curaſſet] Quod eſt de bono opere indignari. *Ioan.*7. Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato.

Dicebat ergo turbæ] Domino enim noſtro IESV CHRISTO dicere non audebat, quia audiuerat qualiter alios confutauerat: ſed ſimplici turbæ dicebat, quæ diſcretionem non habebat. *Ierem.*5. Pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini,& iudicium Dei ſui [ſex dies ſunt in quibus oportet operari] Sicut præcipitur *Exod.*20. Memento vt diem ſabbati ſanctifices. *Geneſ.*2. Requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat. *Leuit.*23. Sex diebus facietis opus. Dies ſeptimus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur ſanctus: omne opus non facietis in eo. Et ideo dicit [Sex dies ſunt in quibus oportet operari] ſecundum exemplum Domini, qui ſex diebus ſine interuallo eſt operatus. Et ſecundum legem quæ hoc concedit. Non enim neceſſe eſt operari in illis, ſed [oportet] hoc eſt, licitum eſt vnicuique operari in illis: dummodo opus verè ſit opus, hoc eſt, quod opem ferat ſecundum aliquam vtilitatem: ſicut in antehabitis dictum eſt. Peccatum enim non eſt opus, ſed potius deformitas operis. Sic ergo in ſex diebus oportet operari. Et ideo dicit.

In his ergo venite,& curamini] hoc eſt, in his ſex diebus in quibus oportet operari [venite] cum deuotione [& curamini] ab infirmitatibus mentis & corporis. *Eccli* 50. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione. *Ierem.*17. Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es [& non in die ſabbati]

bati] Intellexit iste magister erroris, quod nihil operis esset ad faciendum in die sabbati: cum tamen sentire, videre, & audire, & in exterioribus orare, hymnizare, laudare Deum, hostias offerre sint opera, quæ omnia fiebant in die sabbati. Similiter autem comedere, bibere, circumcidere, & huiusmodi. Similiter parere, nasci, mori. Omnia enim talia fiebant in die sabbati. Adhuc autem infirmari, conualescere, & huiusmodi, quotum nullum est quin sæpe factum sit in die sabbati. Nec Deus ista inhibuit, quæ vel per se, vel cum gratia, vel per naturam operatur. *Ioan.5.* Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Nec inhibuit, sed potius præcepit ea quæ ad laudem, vel ad cultum suum ipse ab homine instituit fieri. *Leuit.25.* Adhuc sine quibus vita non agitur, & sine quibus necessitas non ducitur, omnia hæc fiunt in die sabbati. Et ideo iste magister est erroris, qui legem non intellexit, quando voluit, quod homo ab infirmitate corporali sine omni opere medicinæ exterioris non curaretur in die sabbati. Et ideo confutatur à Domino.

Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo.

Habet autem hæc responsio tria: confutationem, confutatorum confusionem, & deuotorum glorificationem. De primo dicit [Respondens autem] potius malitiæ cordis eius quam verbis: quia verba parui erant momenti [ad illum Dominus] quem nihil latebat de intentione cordis. *Hebr.4.* Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo [dixit] *Psalm.51.* Sicut nouacula acuta fecisti dolum [Hypocrita] Hic confutatio ponitur, & habet duas partes: conuitium, & rationem confutationis. Conuitium est, cum dicit [Hypocrita] quia exteriorem quærit iustitiam, neglecta interiori. *Matth.6.* Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis [vnusquisque vestrum] Ecce ratio confutationis, & sumpta à minori. Minus enim videtur, quod bos à necessitate curandus sit quam homo: & bos vestro iudicio curandus est: ergo multo magis homo. Et hoc est quod dicit [vnusquisque vestrum] Bos, quod est duplicem vtilitatem animal ordinatum: quia ad esum, & ad laborem. Sed vtrumque horum est propter homines. *Psal.8.* Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, vniuersas [bouem suum] animal mundum, quod diuidit vngulam & ruminat [aut asinum] quod est immundum animal, nec vngulam diuidit aut ruminat [non soluit] hoc est, nonne soluit [à præsepio] quando comesto pabulo potu indiget [& ducit adaquare] Et sic necessitatem bruti attendentes, dicitis soluendum sabbatum: & necessitatem hominis considerantes, dicitis non esse soluendum, cum tamen homo sit dignior omnibus brutis animalibus. Ducere enim ad aquas brutum, est opus seruile. *1.Corinth.9.* Nunquid de bobus cura est Deo.

Hanc autem] fœminam ad imaginem Dei factam, & secundum religionem [filiam Abrahæ] eum cuius semine est etiam propagatio religionis Abrahæ ad ipsam [quam alligauit satanas] vinculo infirmitatis. Ex quo etiam patet, quod infirmitas eius à peccato causabatur [Ecce decem & octo anni sunt] Quod est miserabile) ita diu fœminam in infirmitate detentam esse [Non] hoc est, nonne multo magis [oportuit solui] solo verbo sine omni opere seruili [à vinculo isto] hoc est, infirmitatis istius [die sabbati] *Ioan.7.* Si circumcisionem accipit homo die sabbati, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum in sabbato feci? Per bouem autem significantur literati & clerici: per asinum, simplices & idiotæ. Vel Iudæi & Gentiles à vinculis peccatorum absoluendi. *Isa.1.* Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. *Isa.32.* Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini. Filia autem Abrahæ significat quamlibet miserabilem personam, gratia Dei adiuuandam à Prælatis Ecclesiæ. *Psalm.115.* Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Isa.52.* Solue vincula colli tui captiua filia Sion.

Et cum hæc diceret] confutando malos erroris magistros: *Psalm.62.* Obstructum est os loquentium iniqua. *Psalm.14.* Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus [erubescebant omnes aduersarij eius] *Luc.21.* Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. *Mich.7.* Videbit me inimica mea, & induetur confusione. *Psalm.34* Induantur confusione & reuerentia, qui maligna loquuntur super me.

Et omnis populus] simplices fideles & deuoti. *Luc.19.* Si hi tacuerint, lapides clamabunt [gaudebat] concepto bono quod fiebat per eum [in vniuersis] signis, & factis, & confutationibus malignorum in verbis. *Marc.7.* Bene omnia fecit. *Luc.24.* Fuit vir Propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo [quæ gloriosè] *Tullius.* Gloria est late patens præconium: vel, ore multorum prædicata laudatio [fiebant ab eo] *Psalm.32.* Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. *Psalm.113.* Omnia quæcunque voluit Dominus fecit. *Exod.15.* Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est. Sic enim perficit laudem ex ore populi simplicis, sicut ex ore infantium, hoc est, ex literatura loqui nescientium, propter inimicos suos calumniatores: vt destruat inimicum & vltorem.

Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?

In parte ista ostendit profectum se præparantium ad iudicium: & diuiditur in partes duas, in quarum prima sub similitudine præparantium se ostendit profectum. Quia autem profectus est difficilis, eo quod omne bonum virtutis est circa difficile:

difficile: ideo in secunda parte sub quæstione, si pauci sunt qui saluantur, inducitur, quod præparantium est paucus numerus in circumcisione: sed loco eorum intrat plenitudo Gentium. In prima harum duæ inducuntur similitudines, in quarum prima sub similitudine grani sinapis, ostenditur profectus humilitatis fidei in verbo Dei: in secunda ostenditur profectus charitatis fidei sub similitudine fermenti. Prima similitudo habet duos paragraphos. Vt enim nos reddat attentos circa mysterium, primo facit quæstionem. Et deinde volens nos instruere, inducit similitudinem. Tria inducit circa primum, in quorum primo ostenditur, quod obstructo ore loquentium iniqua, adhuc ad docendum patet os eius. Et hoc est quod dicit Euangelista [Dicebat ergo] 2. *Corinth.* 6. Os nostrum patet ad vos ô Corinthij. Nullus enim valet oppilare os veritatis. Sicut enim dicitur in apocripho *Esdræ*, veritas fortior est & inualescit. Secundum autem excitatio attentionis in vniuersali, cum dicit: Cui simile est regnum Dei] Regnum autem Dei dicitur potestas perfectæ iustitiæ, per quam Deus regnat in nobis. *Matth.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* 6. Adueniat regnum tuum. Hoc regnum ab humilitate maxima incipit, & in altum proficit. Et quoad hanc proprietatem dicit quærens.

Cui simile est] quia sicut in antehabitis patet, proprietas nostri intellectus est, vt per similitudines terrenas facilius capiat cælestia & spiritualia. Et ideo quærit propter nos, vt facilius instruamur quasi manuducti [Cui simile est] hoc est, quæ inuenitur huius rei congrua ad terrena, quæ nota sunt homini, comparatio? *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cæli, & rationem eius pones in terra? hoc est, in similitudine terrena. *Apoc.* 21. Ciuitas sancta Ierusalem cælestis de cælo descendit in terrenas similitudines. Sic in scala Iacob *Gen.* 28. Angeli de cælo ad terram descendunt. Sic *Luc.* 1. Angeli descendunt in terram super Filium hominis. Et quando resoluuntur similitudines terrenæ ad intellectum spiritualium, tunc transcendunt à Filio hominis in cælum. Hoc est ergo quod dicit vt attentos reddat ad similitudines diligenter aduertendas. *Prou.* 1. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.

Et cui simile æstimabo illud] Æstimabo dicit: quia comparationes terrenorum ad spiritualia, sunt magis in æstimatione quam in rei veritate. Et hoc est tertium, in quo modum aperit talium similitudinum. *Oseæ* 12. Ego visiones multiplicaui in eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum. Est enim hic mundus doctrinæ rudibus facilior, vt per similitudines manuducantur, sicut & Apostolis factum est. Quando autem perfectus est aliquis intellectu diuinorum, tunc non indiget dispensatione similitudinum. Vnde *Ioan.* 16. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est tibi opus vt quis te interroget.

Simile est grano sinapis.

Ecce similitudo inducta de profectu humilitatis fidei, in qua tria notantur, scilicet, quid, cui, & in quo, & in quem effectum assimiletur. Quid, cui assimiletur attenditur in hoc quod dicit [Simile est] scilicet regnum Dei ab humilitate maxima incipiens [grano sinapis] minuto valde inter semina: quia nec à sapientia, nec à potentia incepit, nec à diuitijs huius mundi. Sed potius, sicut dicitur 1. *Cor.* 1. Quæ stulta sunt huius mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Et quæ infirma sunt huius mundi elegit Deus, vt confundat fortia, hoc est, potestates mundi. Et ea quæ non sunt elegit Deus hoc est, paupertima, & in abiecta & mendica paupertate degentia, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro coram illo. Ecce qualiter minutum est semen fidei. De hoc semine dicitur *Isa.* 1. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & quasi Gomorra similes essemus. Super hoc exclamans *Isa.* 27. dicit: Qui egrediuntur impetu à Iacob. q. d. Humiles sunt natalibus scientia: & tamen faciunt magna. Vnde sequitur: florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine, hoc est, verbo Dei. Sic ergo semini simile est, quod nudum granum omnibus his destitutum, quæ postea apparent in eo. Nec enim nobile magnificentia natalium, nec coruscum flore sapientiæ & scientiarum, nec vestitum diuitijs foliorum & herbarum. 1. *Cor.* 15. Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum. Granum autem in specie determinat, quando dicit.

Sinapis] propter quod ipse Dominus *Matth.* 17. fidem grano sinapis comparat, dicens: Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Sinapis enim in grano calidum est granum, vaporosum, subtilis substantiæ valde, & dissolutiuum, & acutum, & penetratiuum: & hoc habet quando teritur. Sic fides calida est per veritatis dilectionem, vaporatiua sursum per cordis intentionem & deuotionem, subtilis valde substantiæ per creditorum ab ipsa rationem, dissolutiua per veritatis reuelationem, acuta per veritatis ad intima penetrationem, penetratiua autem est intimorum per veritatis diuinæ ostensionem. Et secundum ista, verbum fidei sinapis grano comparatur. De primo quidem horum dicitur *Gal.* 5. fides quæ per dilectionem operatur. De secundo, *Luc.* 22. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de IESV, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? Tardum enim cor ad credendum, iam tunc in deuotione fidei vapotare inceperat ad Iesum, quando verbum fidei audiebat. De tertio autem, hoc est, de subtilitate, dicitur *Sap.* 7. quod Spiritus sapientiæ est multiplex, vnicus, subtilis, modestus, disertus, mobilis. Omne quod est subtilis substantiæ, multiplicabile est valde. Et quicquid est multiplicabile multum, est subtilis substantiæ secundum naturam. Et ideo dicitur multiplex in effectibus, & vnicum in subiecti simplicitate: quia in omnibus creditis fidei, vnicum subiectum est primæ veritatis. Et ista subtilitate fides est subtilis in articulis creditis, & est modesta in Religione, & diserta in fidei defensionibus, & mobilis ad omnium corda. Quia sicut dicitur *Deut.* 25. & *Rom.* 10. Prope est verbum fidei ad corda hominum. De quarto autem, quod est esse dissolutiuum per reuelationem, dicitur *Daniel.* 10. Domine in visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. Resoluit enim veritas fidei nos à nobisipsis: vt non nobis, vel rationibus

tionibus nostris, sed veritati fidei innitamur. 2. *Cor.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. De quinto, hoc est, quod acuta est per veritatis ad intima penetratione, dicitur *Hebr.* 11. quod fides est argumentum non apparentium, hoc est, arguit & conuincit mentem de his, quæ non apparent. Et hoc modo (sicut ibidem dicitur) est substantia, hoc est, fundamentum fundans in nobis omnes res sperandas. Ad illas enim non pertingimus, nisi acumine fidei. Et sic etiam fides compungit corda, sicut clani quidam, & stimulat sicut stimuli. *Eccle. vlt.* Verba sapientum sunt sicut stimuli, & quasi claui in altum, hoc est, in profundum defixi. De sexto, quod est esse penetratiuum per veritatis ostensionem & probationem, dicitur *Hebr.* 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum &, intentionum cordis. Hoc enim dictum est de verbo fidei, quod ad omnia ista penetrat sicut gladius anceps, & homini ista in seipso ostendit. Qualiter scilicet corpus ab anima diuiditur, & quid corpori & quid animæ debeatur, & quæ compages sint membra corporis & vires animæ colligantes, & quid vnicuique debeatur: & quæ sint medullæ in gratia Dei, ossa animæ (hoc est virtutes eius) irrigantes: & qualiter cogitationes à cogitationibus, & qualiter intentiones ab intentionibus discernantur. Hæc enim omnia sinapis facit in corpore, & verbum fidei in corde: & ideo verbum fidei grano sinapis comparatur. Ostendit autem consequenter, in quo potissimè ista attenditur comparatio.

Quod acceptum homo misit in hortum suum.

Et dicit quatuor, grani videlicet electionem, eligentis prudentiam & rationem, cultus adhibitionem, & loci cui committitur custodiam & feracitatem. De primo dicit [Quod acceptum] hoc est, acceptabile granum. Non vanum: quia granum vanum non fructificat, nec effectum ostendit suæ virtutis. Et ideo vt acceptum sit, oportet quod eligatur, & sit electum, & pretiosum in naturæ suæ vigore, de quo dictum est. Ideo verbum fidei, inuentæ pretiosæ margaritæ sub alia similitudine *Matth.* 13. comparatur: pro qua homo dat omnia sua, & comparat eam. Ideo *Cant.* 5. Dilectus meus electus ex millibus dicitur: quia nisi sit valde in cordis deuotione acceptum, sine fructu permanet, quia in terrâ bonam non cadit. Vnde *Gloss Amb.* [Quod acceptum] hoc est, acceptabile habens [homo] rationabilis & prudens: & non quod fatuus eligit. Et hoc est secundum [homo] qui scit quod eligit. Alij enim homines in similitudinem bestiarum sunt computati, *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis [misit] Ecce cultus adhibitus. Non enim homo rationabilis misit semen in hortum, nisi prius hortum & simaret, & foderet, & adæquaret. Foderet sarculo disciplinæ, simaret pinguedine deuotionis in remissionem peccatorum, adæquaret in satisfactione per iustitiæ exercitium. De primo horum dicitur *Isa.* 2. Abscondere in fossa humo. De primo & secundo dicitur *Luc.* 13. Vsquedum fodiam circa illam, & mittam stercora. De tertio *Isa.* 28. Cum adæquauerit faciem terræ, seret. Sic ergo misit [in hortum suum] hoc est, cor vel Ecclesiam suam. Et hoc est quartum. Qui hortus clausus est custodia mandatorum, ne pateat accessus diabolo. *Cant.* 4. Hortus cõclusus. Ortus etiam ab oriendo dictus: eo quod ferax est ad omnium stirpium bonarum plantationem. *Eccli.* 24. Dixi rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. In talem ergo hortum mittit, & in hoc horto notabilem valde & mirabilem habet granum sinapis proprietatem. Missum enim in hortum, & conualescens in eo, per seipsum suffocat omnes malas stirpes vrticarum & veptium, & aliarum stirpium inutilium. Et hoc facit fides in corde, & in Ecclesia. Destruit enim hæreses, & schismata, & concupiscentias vitiorum spiritualium & carnalium, quando conualescit. Semen enim diuinum potentius efficitur, & omnia destruit diaboli plantata adulterina. *Sap.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.

Et creuit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.

Facit hic comparationem ad effectum. Dicit autem tria, scilicet, quod creuit in profectu: perfectum autem magnum fuit: & in vmbra & fructu factum est vtile. De primo dicit quod [creuit] proficiens ex paruo. *Genes.* 1. & *Genes.* 9. Crescite & multiplicamini, & replete terram. Crescere enim est continuò in quantitate virtutis proficere. Sic enim crescit semen. Sic crescit IESVS, hoc est, fides Domini IESV in corde. *Luc.* 2. Puer IESVS proficiebat ætate, & gratia, & sapientia coram Deo & hominibus. Sic dicitur 1. *Cor.* 3. quod neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid: sed qui incrementum dat Deus. Perfectum autem autem [factum est in arborem magnam] Ex sinapi quidem arbor ligneo stipite non fit, sed arboris similitudo. Stipite enim orto ex radice, emittit ramos multos ex stipite, & his indutatis exprimit arboris similitudinem: cum tamen in veritate sit olus Fidei autem verbum eleuatur vt arbor in stipite, hoc est, in fide Christi: & dilatatur in ramis, hoc est, in membris Domini nostri IESV Christi, & in Ecclesiis eius quæ sibi adhærent. *Psalm.* 79. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Ideo *Ioan.* 15. sub alia similitudine loquens, dixit: Ego sum vitis, & vos palmites. *Ezech.* 36. Vos autem montes Israël ramos vestros expandite, & florete, & fructum facite populo meo Israël. *Osea* 14. Erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius. Magna ergo virtute, & proceritate sanctitatis, & vmbra defensionis suæ est ista arbor.

Et volucres cæli] ecce vtilitas. Volucres autem cæli, sunt Sancti pennati plumis virtutum. *Psal.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Volantes altitudine contemplationis. *Isa.* 60. Qui sunt hi qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? *Isa.* 40. Ambulabunt, & non deficient. Hæ volucres sunt [cæli] quia semper desiderio & intentione petunt cælestia. *Philipp.* 3. Nostra conuersatio in cælis est. Sic in *Apocal.* 8. vidit Ioannes aquilam volantem per medium cælum, Sic

Sic *Ezech.* 1. Vidit Propheta pennatis & altiuolis animalibus cælum tangere capita. Hæ igitur volucres [requieuerunt] omnes vias difficiles huius mundi dimittentes [in ramis eius] hoc est, io Ecclesiis, vel in modis viuendi, quibus alius sic, alius sic viuit in Ecclesia: sicut dicit *Augustin.* *Iob* 3. Ibi requieuerunt fessi robore. *Genes.* 18. Requiescite sub arbore. *Cantic.* 2. Sub vmbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Et iterum dixit: cui simile æstimabo regnum Dei.

Et iterum dixit] sicut profectum humilitatis ita profectum charitatis fidei volens demonstrare, Et hæc est similitudu secunda [cui simile æstimabo regnum Dei] per quod Deus in nobis regnat profectu charitatis. *Isa.* 45. Assimilaui te, & non cognouisti me. Hoc satis in antehabitis est expositum.

Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

Hic tria dicit sicut in præcedenti similitudine, quid scilicet, cui, & in quo, & secundum quem effectum assimiletur. Quid, quia regnum Dei. Coi quia fermento. Et hoc est quod dicit: regnum Dei [simile est fermento]

Attende, quod fermentum bonas proprietates habet quatuor, secundum quas hoc regno Dei comparatur. Est enim calidum, spiritualis virtutis, impletiuum, & eleuatiuum. Et sic est de charitate veritatis, quæ in verbo Dei est ignitæ caliditatis. *Psalm.* 118. Ignitum eloquium tuum vehementer; & seruus tuus dilexit illud. *Ierem.* 20. Factus est sermo Dei in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: laboraui, ferre oon sustinens. Sic ergo per caliditatem fermento (quod à feruore sic vocatur) comparatur. Est etiam fermentum virtutis spiritualis: quia nisi spiritualiter diffunderetur, per totam massam diffundi non posset. Et ideo dicit *Philosophus*, quod sicut se habet semen masculi ad guttam fœminæ: ita se habet fermentum ad pastam, & coagulum ad lac. Sic autem se habet charitas ad cor hominis, & ad Ecclesiam, & ad cæteras virtutes: quod sicut spiritus diffunditur in eis, & capit omnes, & tenet eas, & format. *Roman.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Psalm.* 50. Spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Sapient.* 7. Per nationes io animas sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit. Sic ergo diffunditur, & comprehendit, & capit corda fidelium Spiritus charitatis. Impletiuum etiam est fermentum: quia totam pastam impletita quod nihil sui inuenitur, quod pastam non impleuerit. Et ideo nihil fermenti in aliqua parte panis inuenitur. Et sic charitas spiritu suo replet, & extrudit receptibilitatem aliorum. Quia sicut dicit *beatus Bernard.* Noo est quo se ingerat vanitas, vbi totum repleuit charitas. *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. *Psalm.* 89. Repleti sumos mane misericordia tua exultauimus, & delectati sumus. Sic etiam leuat. Fermento enim leuatur & alleuatur pasta & panis: & sic facit charitas, quæ leuat cor, & eleuat in cælum. *Threnit.* 3. Leuemus corda nostra cum manibus in cælum. *Ezech.* 8. Eleuauit me Spiritus. *Ezech.* 1. Cum eleuaretur Spiritus de terra, eleuabantur simul & rotæ sequentes eum. Sic ergo proprietatibus istis, regnum Dei in profectu charitatis, fermento assimilatur.

Quod acceptum] quatuor dicit sicut supra, electionem, eligentis dispositionem, eligentis opus, & electi effectum. De electione dicit [quod acceptum] hoc est, acceptatum & acceptabile, ne sit euanidum. Noo enim est acceptum, quod per Spiritum charitatis non efficitur acceptabile. Vnde Dominus io lege *Exod.* 37. fecit fieri acetabula, quibus probabatur, si sacrificium esset acceptum. Et hæc acetabula, spiritum charitatis significant [mulier] dicit dispositionem eligentis. Mulier enim est (quæ focaria & panifica est) sapientia, quæ huiusmodi fermentum scit eligere, quod sine corruptione inducat calorem & spiritum, & impleat, & eleuet. Hæc enim mulier, huius artis summa est magistra. Hæc significatur per Saram *Gen.* 18. Cui dixit Patriarcha: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. *Eccli.* 26. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.

Abscondit] ne vana laude euanescat. *Psalm.* 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus [in farinæ satis tribus] grana hæc sunt grana tritici, quæ sunt membra corporis mystici. *Psalm.* 147. Adipe frumenti satiat te. Mola autem qua teritur, est spes, & timor. Timor, mola inferior de pœnis. Spes autem, mola superior de præmiis. Vnde præcepit Dominus *Deuter.* 24. Non accipies pro pignore inferiorem & superiorem molam: quia sine timore, spes degenerat in præsumptionem: & sine spe, timor decidit in desperationem. *Psalm.* 104. Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Farina autem comminuta, est conscientia pura in omnibus hominibus: ex quibus conscientiis multi sumus vnus panis in Christo: sicut dicitur 1. *Corinth.* 10. *Leuit.* 7. Præcepit Dominus, quod pro pacificis offerantur panes fermentati, qui suot de farina similæ [sata] Satum est mensura capiens modiom & dimidium: vt modius referatur ad spiritum, & dimidius referatur ad animalitatem, quæ secundum dimidium sui, in singulis viribus aliquid capit mensuræ diuinæ, hoc est, secundum hoc quod persuasibilis est ratione, & obedibilis. Hæc autem sunt tria sata, hoc est, tres vires animæ humanæ: vt in ratione possideamus prudentiam, in irascibili odium vitiorum, & in concupiscibili desiderium virtutum. Vel mulier est Ecclesia. Tria sata, sunt omnes homines à tribus filiis Noë Sem, Cham, & Iaphet, io tribus plagis mundi distributi, hoc est, Asia, Africa, & Europa. Vel etiam charitas est fermentum in tribus satis (hoc est, mensuris) charitatis absconditum. *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Vel tria sata, sunt tres personæ, ex quibus accepta sunt subiecta omnium articulorum fidei. Vel etiam tria sata, sunt tres status hominum, qui liberant animas suas, Noë, Daniel, & Iob, hoc est, prælati, continentes siue contemplatiui, & pœnitentes qui per dolorem Iob intelliguntur. *Ezech.* 14. Quædam etiam *gloss.* volt, quod per tria sata intelligantur tria merita bonorum: quorum quidam trigesimum fructum, quidam sexagesimum, quidam autem habent centesimum *Matth.* 13. *Hilarius* autem

tem dicit, quod fermentum est fides cum dilectione, quod absconditur à sapientia Dei in Scripturis Legis, & Prophetarum, & Euangelij. Ad quæ tria, omnis alia reducitur Scriptura: quia historiæ Patrum sunt quædam prophetia futurorum, & dicta Apostolorum sunt expositiones Euangeliorum. Et aliæ tales multæ diuersitates fieri possunt: quia nihil habet grauitatis, tria tribus adaptare. Vel tria sata, sunt capacitates corporis, & animæ, & spiritus: vt corpus obediat, anima passiones ordinet, & spiritus cælestibus intendat. 1. *Thes.* 5. Vt integer vester spiritus, & corpus, & anima seruetur. Vel tria sata, sunt tria quæ sunt de imagine similitudinis, in quibus Trinitatem increatam imitamur: vt veritas (quæ est fermentum) in intellectu sit claritas lucis, in voluntate plenitudo dilectionis, & in memoria notitia, nihil habens obliuionis. Sic ergo mulier, Sapientia, vel Ecclesia fermentum abscondit sub farina sata tria.

Donec fermentaretur totum] ecce effectus. Totum enim quod est in massa pastæ, conuertit ad se fermentum: sicut coagulum conuertit lac. Et sic semen conuertit conceptum, trahendo & formando. Et sic spiritus charitatis ad se conuertere debet cor & Ecclesiam. *Osee* 7. Quieuit ciuitas paululum à commixtione fermenti: donec fermentaretur totum. In his ergo proprietatibus, fermentum in bono accipitur. Est autem fermentum Pharisæorum & Sadducæorum, quod est corruptio fidei per hæresim. Et est fermentum Herodis, quod est corruptio vnitatis Ecclesiæ per dolum. De quibus dicitur *Matth.* 16. Et est fermentum corruptio bonorum morum. 1. *Corinth.* 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Et sic de fermento non loquitur hic Dominus. Et ideo istæ proprietates fermenti dimittantur. Diximus autem quædam de hac materia super *Mat.* 13.

Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illo.

Hic ostensa difficultate præparationis ad iudicium, surgit ex hoc quæstio de paucitate saluandorum, & habet hæc particula tres partes: in quarum prima ponitur instantia nostræ salutis, procuratæ per salutis auctorem: in secunda autem quæstio de numero saluandorum: in tertia autem ponitur responsio. Dicit ergo [Et ibat] proficiendo in salute nostra. *Prouerb.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. *Act.* 10. Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo [per ciuitates] vbi habitabant ciuiliter, ad virtutes ciuiles dispositi. *Cantic.* 3. Surgam & circuibo ciuitatem, quærens quem diligit anima mea [& castella] vbi erat diabolici erroris præsidium. *Hebr.* 11. Castra verterunt exteriorum [docens] ea quæ ratione probari poterant. Sicut quando similitudines induxit congruas rationi. *Matth.* 7. Erat docens, sicut potestatem habens. *Iob* 4. Docuisti plurimos: vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua debilia roborasti [& iter faciens in Ierusalem] vbi complere voluit omnia, quæ ad salutem nostram spectabant. *Luc.* 9. Sermocinabantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Ierusalem. *Luc.* 18. Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ dicta sunt de Filio hominis. Et videtur secundum literæ circunstantias, quod de Galilæa ascenderit, in quam descenderat postea quam nuntiatum fuerat ei de illis, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum. Sic enim in mari amaritudinis propter nos fuit via eius, & vestigia eius in aquis multis, & vestigia non cognoscebantur ab ingratis.

Ait autem illi quidam] Qui non nominatur: sed tamen solicitus de sua salute fuisse præsumitur, qui quæsiuit de numero saluandorum. Quærit autem iste secundum considerationem inferiorum causarum, quæ sumuntur ex consideratione difficultatis meritorum, quæ in præmissis est expressa. Sic ergo dum circuiuit IESVS, vndique quærens saluandos per ciuitates & castella, sicut dicit *Chrysostomus*, non personas discernens, sed salutem hominum inquirens. Et sic *Rabanus*. Vt doceat se doctorem, non personarum acceptorem: tunc vnus saltem inuenitur, qui de salute propria curam agit, & viam salutis quærit.

Ipse autem dixit ad eos] Quia vnus pro omnibus quæsierat. Et hoc Dominus, qui cordis inspector est, considerabat. Ideo dicit Euangelista, quod omnibus in vno respondebat. Et ideo dicit [Ipse autem dixit ad eos] Simile est *Matth.* 22. vbi vnus pro omnibus interrogabat: Magister, quod est mandatum magnum in lege?

Contendite intrare per angustam portam.

Hæc responsio diuiditur in duas partes, in quarum prima ponit admonitionem: in secunda vero admonitionis ponit rationem. Admonitio quam dicit [Contendite intrare per angustam portam] Est porta Ecclesiæ, & est porta gratiæ, & est porta gloriæ. Porta Ecclesiæ est per quam intratur in Ecclesiam: & hæc est duplex, Christus scilicet, ex quo sacramenta Ecclesiæ fluxerunt: & ipsa sacramenta, per quæ aliquis inducitur in Ecclesiam. De ostio, quod est Christus, dicitur *Ioan.* 10. Ego sum ostium: per me siquis introierit, saluabitur, & pascua inueniet. *Psalm.* 117. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Sic enim ostium est apertura lateris, ex quo fluxerunt ea, ex quibus Ecclesiæ sacramenta virtutem contraxerunt. Et ideo ista est porta angusta. Quia videmus, quod pauperrimus fuit, & abiectissimus, & in asperitate maxima Christus fuit in cruce: cum tamen non nisi per crucem pateat ingressus in Ecclesiam. De paupertate quidem dicitur *Matth.* 8. Filius hominis non habet vbi caput reclinet. De abiectione dicitur *Isa.* 53. In humilitate iudicium eius sublatum est. De asperitate dicitur *Thren.* 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Hæc est ergo porta ex parte Christi intrandi in Ecclesiam. Et qui sic venit (sicut dicitur *Ioan.* 10.) huic ostiarius aperit. Talibus vidit *Ioannes Apocalyp.* 4. ostium apertum in cælo, hoc est, in cælesti vita Ecclesiæ. Ex parte autem Ecclesiæ, ostium est apertura sacramentorum. *Psalm.* 107. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Portæ enim iustitiæ sunt sacramenta ad iustificationem introducentia. Et sic

accipiens sacramenta, intrat per portas in Ecclesiam. *Isa.* 26. Aperite portas, ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. *Psalm.* 99. Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis confitemini illi. Hæc porta etiam angusta est; Quia licet in sacramentis conferatur gratis remissio peccatorum; tamen oportet quod homo paret se, ne fictus veniat ad sacramentorum perceptionem: sicut dicitur *Baruch* 4. Delicati mei ambulauerunt per vias asperas.

Est autem porta ad viam gratiæ. Et hæc est porta virtutis angusta valde: eo quod omnis virtus est circa difficile & bonum, vt dicit *Tullius*. Sed tamen hoc habet, quod quanto plus homo ambulat in ea, tanto magis dilatatur per consuetudinem, & virtutis delectationem. *Psalm.* 17. Præuenerunt me in die afflictionis meæ. Ecce arcta & angusta porta. Et factus est Dominus protector meus, & eduxit me in latitudinem. Ecce quod ingredienti via est dilatata. *Prouerb.* 4. Adducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. *Psalm.* 17. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.

Est item porta gloriæ cælestis, quæ strictissima est in angustia perseuerantiæ. *Genes.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. *Psalm.* 77. Ianuas cæli aperuit. Hæc est porta, cuius clauem Dominus commisit Petro, aduersus quam portæ inferi non præualebunt. Et de hac porta dicitur in *Psalm.* 126. Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Per omnes illas portas contendendum est intrare. Contendere enim intrare, sonat violentiam. Quia sicut dicitur *Matt.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vnde *Act.* 14. dicitur, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. *Matth.* 7. Angusta est porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. In *Apocrypho Esdræ*, Est ciuitas posita in sublimi, omnibus affluens bonis. Sed accessus difficilis, à dextris ignis, & à sinistris aqua submergens. Et ideo Sancti peruenientes, dicunt *Psalm.* 65. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem intrauerit Paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ad ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis.

Hic incipit ponere rationes suæ admonitionis, & ponit quinque rationes per ordinem, quarum vna: quia multi excludentur, & pauci intrabunt: & ideo timendum est, ne nos simus de multis. Secunda est, quia à Patrefamilias ostium claudetur, & illi qui foris stabunt non cognoscentur, notitia beneplaciti ad intromissionem. Tertia est, quod non prodest tunc allegatio notitiæ, quam prius aliquis demeruit. Quarta autem est segregatio à parentibus bonis, quorum intercessio tunc nihil proderit. Quinta autem, quod tunc extranei boni, malis notis & propinquis præferuntur: & ideo difficile est negligere: sed propriis meritis contendendum intrare. De prima ratione dicit [quia multi] fide quidem confitentes, factis autem abnegantes. *Eccle.* 1. Stultorum infinitus est numerus. *Matth.* 7. Lata est via quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui inueniunt eam [quærunt intrare] vel errore decepti, sicut ignorantes, & hæretici: vel præsumptione misericordiæ Dei seducti, dum in mala via perducant [quærunt] autem putantes se inuenire refrigerium, & non inueniunt [& non poterunt] *Matth.* 19. Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam diuitem, &c. Pauci enim inueniunt hanc viam, pauciores proficiunt in ea, paucissimi perficiunt eam perseuerando. De inuenientibus quidem dicitur *Matth.* 7. Pauci sunt qui inueniunt eam. De proficientibus dicit *Ioan.* 6. Multi discipulorum eius abierunt retrorsum, & iam non ambulabant cum eo. De perficientibus dicitur *Matth.* 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Cum autem intrauerit] Secunda ratio [Cum intrauerit] ad occultum beatitudinis [Paterfamilias] Christus, successiuè colligens suos, & intrans cum eis in morte cuiuslibet. *Luc.* 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ [& clauserit ostium] Sicut supra diximus, ostium non clauditur simpliciter quoad omnes, nisi post diem iudicij. Quoad illum autem qui propter demerita finalia excluditur, clauditur in morte cuiuslibet. *Luc.* 11. Noli mihi molestus esse, iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili. *Matth.* 25. Quæ paratæ erant intrauerunt cum eo, & clausa est ianua. Dicunt etiam quidam, quod est ostium doctrinæ, quod est apertura ad corda hominum. 2. *Corinth.* 2. Cum venissem Troadem, & ostium mihi apertum esset, nullam requiem habui spiritui meo, eo quod non inuenerim Titum fratrem meum. Et hoc claudetur in die iudicij: quia dicitur *Ierem.* 31. Non docebit vltra vir proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quia omnes scient me, à maiore eorum vsque ad minorem eorum. Sed de hoc non videtur hic loqui Scriptura. Redeuntes ergo ad primam expositionem, dicemus.

Incipietis foris stare] inceptio dicit exclusionis nouitatem, quæ ideo quod noua est & inconsueta, impatientius portatur. Stare autem dicit permanentiam illius exclusionis, quæ inducit introductionis desperationem: & ideo maiorem tristitiam. *Apocal.* 21. Foris canes, & impudici, & venefici. Sic dicitur *Ioan.* 12. Iam princeps huius mundi eiicietur foras. Princeps enim mundi diabolus cum omnibus suis membris sic excluditur. *Matth.* 13. Colligent de regno suo omnia scandala. *Matth.* 22. Ligatis manibus & pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. Tunc enim ad ianuam Dei exclusus amplius non admittetur [& pulsare ostium] misericordiæ & remissionis: sicut diues in inferno *Luc.* 16. Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam. Sicut enim dicit *Chrysostomus*, nihil proderit pulsationis diligentia, quam prodit timor & non fides [dicentes: Domine, aperi nobis] quia non perfectè dicunt. Si enim dicerent corde, ore, & opere, pro certo aperiretur. Sed quia ore tantum dicunt, & corde & opere contrarium clamant: ideo non aperitur.

Marc.

Marc. 13. *Matth.* 25. Domine, Domine, aperi nobis. Dicunt enim fide informi quidam: & quidam fide informi, & ore: & isti non exaudiuntur. Sed qui diceret cordis deuotione, & oris confessione, & operis intentione, Domine, illi aperietur. 1. *Corinth.* 12. Nemo potest dicere Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto. *Matth.* 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, intrabit in regnum cælorum.

Et respondens, dicet vobis] potius conscientiæ, quam operi exteriori [nescio vos] Notitia quidem simplicis visionis, vel notitiæ noscit omnes. Sed notitia beneplaciti, non nouit nisi bonos, ad quos respicit oculo amoris. *Sapient.* 4. Respectus eius in electos illius. De notitia autem beneplaciti, dicitur *Exod.* 33. Teipsum noui ex nomine: inuenisti enim gratiam coram me. 2. *Timoth.* 2. Nouit Dominus qui sunt eius. Quod autem alios ignoret, dicitur 1. *Corinth.* 14. Qui ignorat, ignorabitur. *Ioan.* 10. Ego cognosco meas: & cognoscunt me meæ [vnde sitis] hoc est, de qua secta, vel errore sitis: quia sicut non nosco vos, ita ignoro errores vestros. *Matth.* 7. secundum veritatem literæ: Ego iurabo eis, quia ego nunquam noui vos. Omnes enim impij & impietates eorum ab ore gloriosi vultus sui sunt absconditi, de quo gaudent omnes Beati. *Isa.* 26. secundum translationem LXX Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Nostra autem translatio habet: Non videbit gloriam Dei.

Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vnde vos sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Tertia ratio est allegatio notitiæ Dei & Sanctorum, quæ nihil proderit. Et hoc est quod dicit [Tunc incipietis dicere] incipietis quod nunquam perficietis: quia inceptiu notitiæ Sanctorum fuit secundum exteriorem hominem apud eos, & nunquam fuit vera amicitia familiaritatis perfecta. Et ideo dicit [incipietis dicere] Non enim habent aliquid perfecti operis [manducauimus coram te, & bibimus] Videtur in hoc tangere Iudæos, qui tribus vicibus per annum coram Domino in pastophoriis templi manducauerunt, coram Domino & biberunt: sicut præcipitur *Leuit.* 24. Manducant tamen etiam & bibunt coram Domino, qui de bonis eius satiantur. *Ps.* 77. Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati à desiderio suo. Manducant etiam qui difficiles Scripturarum partes studio frangunt, & intellectu incorporant. *Hebr.* 5. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Bibunt autem qui faciliora suauiter sine difficultate glutiunt. 1. *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis. Omnes enim isti sunt coram Domino in mensa sua, refectionem vel corporalem, vel spiritualem, vel vtramque sumentes [& in plateis nostris docuisti] Hic iterum tangit Iudæos, in quorum plateis publicè Christus docuit. *Matth.* 9. Circuibat IESVS per ciuitates & castella, docens & prædicans Euangelium regni. Spiritualiter etiam, græcè Platon, latinè latum sonat: quia doctrina Christi per Discipulos suos latè sonat. *Prouerb.* 1. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. Tangit autem duo quæ consocia sunt: quia in magnis festis epulantur homines, gaudentes de festo: sicut dicitur *Nehem.* 8. Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi. Sanctus dies Domini est, nolite contristari. Et tunc etiam intersunt laudibus & prædicationibus diuinis. Sicut etiam præcipitur Esther vltimo. *Psalm.* 41. In voce confessionis & exultationis sonus epulantis. Et hæc iactant, & allegant se fecisse coram Domino. Sed sicut dicit *Beda*: Non festiuitatum epulatio ornat, quem fidei pietas non commendat. Et ideo sequitur.

Et dicet vobis] respondendo conscientiis vestris [Nescio vos] notitia amoris [vnde sitis] quia vos non ex me, sed ex patre diabolo estis. *Ioan.* 8. *Rom.* 16. Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri. Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. *Ioan.* 6. Amen amen dico vobis, quæritis me: non quia vidistis signa, sed quia comedistis ex panibus. *Philip.* 3. Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (& nunc flens dico) inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Hi agunt dies solennes vt comedant, & non in cordis deuotione.

Discedite à me] In quibus nihil de suo cognoscit, à se iubet discedere: ostendens quid inueniant recedentes in pœnis inferni. Discessus enim à summo bono, non solum patitur damnum boni amissi, sed etiam inuenit præsentiam omnis mali. Et hoc est quod dicit: Discedite [à me] Discessus à summo bono ponit malum desperatum: quia non est medicina alicuius mali peccatoris, nisi per summum bonum. *Ierem.* 30. Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui iudicet iudicium tuum. Q. d. Omnia bona ad quæ creati estis, de cætero abindicata sunt vobis. Sic ergo discedite à me. *Genes.* 4. Ecce eiicis me à facie tua hodie. Omnis ergo qui inuenerit me, occidet me. Omnia enim mala possunt in eum, quem Dominus eiicit à facie sua. *Ierem.* 17. Recedentes à te, in terra ad conculcandum scribentur: quia dereliquerunt venam aquarum Dominum. Sic ergo discedite à me.

Sed videtur, quod ab eo qui vbique præsens est, nullus discedere possit. *Psalm.* 138. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Ad hoc dicit *Augustinus in Confess.* Qui à te recedit, quò it, nisi à te placido ad te iratum? Non effugiunt ergo Deum: sed manum benefici euadentes, manum irati iudicis non euadunt. *Ier.* 30. Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi. Oportet enim durari iudicem, contra duritiam & obstinationem peccatorum. Et hoc est quod sequitur.

Operarij iniquitatis] hoc est, qui adhuc in corde operantur iniquitatem. *Psalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. *Psalm.* 6. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

tem. *Ezech.* 32. Iniquitates eorum in ossibus eorum. Ita quod iniqua voluntas eorum conuerti non poterit. *Psalm.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, maliciam autem non odiuit. *Psal.* 51. Propterea Deus destruet te in finem, & euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium Sic enim iuxta dictum sapientis *Eccls.* 27. Conteretur cum delinquente delictum.

Ibi erit fletus, & stridor dentium] ecce præsentia mali, quod inueniunt à summo bono recedentes. Dicitur autem fletus, propter fumum ignis. Stridor autem dentium, propter algorem frigoris congelantis. Et (quod miserabile est) nunquam erunt in medio temperamenti frigoris & caloris. Sed de extremo caloris vrentis, transeunt ad extremum frigoris congelantis. *Iob* 24. Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium. Et secundum quandam *Glossam*, fletus pœna erit oculorum, propter euagationem in concupiscentia seculi, ad diuitiarum iactantiam & ad vanitates pertinentem. Stridor autem dentium pœna erit dentium, propter voracitatem, & eam, quæ voracitati coniuncta, venereorum delectationem. *Matth.* 22 Ligatis pedibus & manibus, proiicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Vel quia fletus est ex causa interiori, stridor autem dentium ex causa exteriori: vt notetur dolor esse intus in anima, & afflictio extra in corpore. Ideo dicit[fletus & stridor dentium] quia & in libidine & cupiditate illicito igne arserunt, & in charitate algidi ad omne bonum fuerunt: & ideo flebunt, quia hoc non pœnituerunt. Et stridebunt sibi indignantes: quia talia sustinere meruerunt. *Sapient.* 5. Gementes præ angustia spiritus: dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Bis dicit gementes, propter duo quæ dicta sunt *Isa. vltim.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Sic ergo & his de causis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Per quæ duo, etiam in malis, vera corporum resurrectio probatur. *Amos* 4. Leuabũt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus. Et per apertutas exibitis, altera contra alteram, & proiiciemini in Armon. Contus est instrumentum, quo carnifices leuant in tersectorum & exeoriatorum animalium corpora. Sic enim damnati leuantur à dæmonibus. Reliquiæ autem sunt animæ in parte vna, & corpus in parte altera in ollis adurenda, hoc est, in inferni mansionibus, & pœnarum receptaculis. Per apertutas autem exire alteram contra alteram, est animam in iudicio de inferno exire contra corpus, & corpus de sepulchro exire contra animam, & vnitas per sententiam Domini in Armon proiici, quod interpretatur anathema mœroris, quod est infernus. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

Ratio est quarta: quia tunc videbunt successionem carnalium (carnalem à Sanctis habitam nobilitatem) nihil prodesse penitus. Dicit ergo [cum videritis] & in effectu, & in causa [Abraham] Patrem potius fidei, quam carnis [& Isaac] castitatis amatorem. Et (sicut dicitur *Sapient.* 4.) Multigenam impiorum multitudinem in carnis successione reputare inutilem [& Iacob] Patriarcham iustitiæ luctatorem, filios autem impios detestantem. *Isa.* 63. Abraham nesciuit vos, & Israel ignorauit vos [& omnes Prophetas] bonos qui pro vobis intercedere consueuerunt, qui tunc testes erunt contra vos. *Isa.* 64. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te. *Ierem.* 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Eiice illos à facie mea: & egrediantur qui ad gladium, ad gladium: & qui ad mortem, ad mortem. Sic ergo pro se non intercedentes videbunt omnes Prophetas [in regno Dei] quod est consummata potestas in iustitia gratiæ, & secundum iustitiam gloriæ: vbi Patriarchæ & Prophetæ sicut senatores erunt. *Psalm.* 149 Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius [vos autem] qui carnalem originem traxistis ab eis, sed electionis & promissionum non estis hæredes. *Rom.* 9. Non qui filij sunt carnis, sed qui filij sunt promissionis æstimantur [expelli foras] violentia incredulitatis & iniquitatis vestrarum. *Psalm.* 5. Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. *Isa.* 64. Cecidimus quasi folium vniuersi: iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. *Psalm.* 33. Erit tanquam puluis ante faciem venti. Sic ergo expellentur [foras] ab intima Dei contemplatione, quæ est omnis felicitas & beatitudo Sanctorum: vbi oculus non satiatur visu, neque auris auditu impletur: sicut dicitur *Eccle.* 1.

Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant nouissimi.

Quinta est ratio, quod verecundum est valde, quod vocati per legem & Prophetas, & vocatione Christi & Apostolorum, excludentur. Et non vocati in regno optimè disponentur. Dicit autem in hac ratione duo: vnum quidem quo confunditur cæcitas perfidiæ Iudæorum: secundum autem quo aliquantulum consolatur pœnitentia in fine conuertendorum. De primo autem circa vocationem Gentium dicit duo: latitudinem videlicet venientium, & dispositionem optimam recumbentium. De primo dicit [& venient] deuotione fidei appropinquantes. *Isa.* 65. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. *Osea* 2. *Roman.* 9 Vocabo non populum meum, populum meum: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam: & non dilectam, dilectam. Et erit in loco vbi dictum est eis. Non populus meus vos: ibi vocabuntur filij Dei viuentis. Sic ergo venient ad me inuitati. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. *Psalm.* 33. Accedite ad eum & illuminamini, qui in tenebris ignorantiæ sedistis: & facies vestræ non confundentur.

Ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Austro] hoc est, quatuor plagis cæli à toto mundo. *Isa.* 43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da: & Austro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo

ginquo, & filias meas ab extremis terræ. *Malach.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco nomini meo offertur oblatio munda. *Ps.* 112. A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. Et ideo Pater dicit ad Filium, quod parum esset fructus in Iudæis futurus: quia ipsi sunt fæx mundi facti per infidelitatem. Sed magnus est fructus in multitudine Gentium ad fidem conuersorum. *Isa.* 49. Parum est mihi vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ.

Tamen ab Oriente ingrediuntur qui ab ipsa natiuitate Domino seruiunt, qui iugum Domini ab adolescentia portant. *Thren.* 3. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. *Zach.* 6. Ecce vir Oriens nomen eius, & subter ipsum orietur. *Iob* 1. Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. Potest etiam dici, quod ab Oriente veniunt nobiles, quos ipsa nobilitas ad bonum inducit, nec vituperium per peccatum suis natalibus inferunt. *Prouerb. vltim.* Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. *Luc.* 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto. Ab Occidente autem veniunt in ægritudine, vel senio finali conuersi. Sic enim Dominus per effectum dicitur ascendere super Occasum. *Psalm.* 67. Psallite Domino, qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi. Ascendere enim fecit multos ab Occasu, quos in finali ægritudine, vel senio conuertit vltimo, hoc est, quod terræ sanctæ finalis terminus ad occidentem, est ad mare magnum: quia ibi non subueniunt, nisi magna amaritudo pœnitentiæ & compunctionis. *Psalm.* 67. Dixit Dominus ex Basan conuertam: conuertam in profundum maris. Ab Aquilone autem veniunt, qui veniunt à frigore, & à tenebris peccatorum. *Ierem.* 1. Ab Aquilone pandetur omne malum super vniuersos habitatores terræ. *Eccli.* 43. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Multi enim sunt frigidi, & gelidi, & tenebrosi, qui ad Dominum conuertuntur: sicut Manasses 2. *Paralip. vltim.* & Maria Magdalena *Luc.* 7. Quidam autem veniunt ab Austro, calore Spiritus sancti calefacti, & inspirati, & illuminati: sicut dicitur *Cant.* 4. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Sic ergo ab omnibus occasionibus peccatorum veniunt ad conuersionem, Spiritu sancto perflati & conuersi. *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. *Isa.* 11. A quatuor ventis cæli congregabo dispersos Iuda, hoc est, Deo confitentes, & Dominum glorificantes [& accumbent in regno Dei] ecce qualiter bene disponentur. Accubitus enim fit, quando quidem commodum quoddam ex duobus situbus componitur, sessione scilicet, & iacere. *Sapient.* 3. In multis bene disponentur. Sicut enim dicitur *Isa.* 31. Populus Domini sedebit in multitudine pacis, quoad securitatem: in tabernaculis fiduciæ, quoad societatis iucunditatem: & in requie opulenta, quoad voluptatis abundantiam indeficientem. Sic ergo accumbent in regno Dei. *Luc.* 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

Et ecce, sunt nouissimi] hoc est, Iudæi nouissimi sunt in introitu [qui erant primi] in vocatione [& sunt primi] in introitu Gentiles [qui erant nouissimi] in vocatione. *Matth.* 20. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. *Luc.* 13. Idem. Et hoc est, in gratia, & in gloria. *Matth.* 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno cælorum. *Deut.* 28. Aduena qui tecum moratur, ascendet super te, ille erit in caput, & tu eris in caudam. Sic etiam multi sunt, qui in principio suæ conuersionis sunt feruentes, & in fine remittuntur: & alij statim venientes, feruore illos transcendunt: & tunc iterum nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. *Matth.* 20. Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti. Adhuc autem nouissimi in mundo, primi erunt in iudicio: & primi in mundo, nouissimi erunt in iudicio. *Iaco.* 2. Pauperes elegit Deus, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se. *Matth.* 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Et *ibidem.* Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israël.

In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

Hæc est vltima pars capituli, in qua ostendit, quod propter metum corporis ab opere diuino non est abstinendum: & diuiditur in partes duas, in quarum prima ostendit hoc quod dictum est suo exemplo: in secunda autem plangit eos sub typo Ierusalem, qui veritatem odientes Prophetas occidunt. In prima harum duo sunt: præmuntiatio eorum qui Christum præmuniunt, & responsio Christi, ostendens, quoniam propter metum corporis non oportet relinquere veritatem doctrinæ & viæ. In prima harum duo dicit: vnum quidem, quia describit illos qui hæc Christo nunciant, & secundo ponit nuntium illorum. Dicit ergo [in ipsa die] quando in Galilæa hæc prædicauit Dominus [accesserunt] quasi compatientes, & ex amicitia sibi appropinquantes [quidam Pharisæorum] vel ex veritate compassionis: vel forte tentantes, vtrum ex timore veritatem doctrinæ postponeret. *Iob* 4. Nunc autem venit super te timor, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es. Hoc enim explorare intendebant in eo. Vnde etiam *Matth.* 22. dicit. Quid me tentaris hypocritæ [dicentes illi] quasi ex compassione eum præmunientes [exi, & & vade hinc] in Galilæa tunc prædicauit Dominus, vbi fuit Tetrarcha Herodis, qui à progenitoribus suis habuit, quod Christum persequeretur: quia pater suus pueros Christum quærendo occiderat, & ipse Ioannem Christo testimonium perhibentem decollauerat, & Christum ad perdendum quærebat: sicut adhuc faciunt quidam, omne quod Christum confitetur quærentes occidere: & in hoc sunt Herodianæ participes maliriæ *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Vel si ex deuotione Christum præmuniunt, tunc simile est 2. *Corinth.* 11. A fratribus dimissus per murum in sporta, & sic euasi manus eius. Dicunt autem [vade hinc] hoc est, exeas de Herodis potestate. *Apocal* 18. Exite ab ea populus meus. *Zachar.* 2. O, ô, fugite de terra Aquilonis [quia Herodes vult te occidere] Q.d.

Iam

Iam in hoc habet malitiam confirmatam. Quia (sicut Athalia) confirmatam habet malitiam, vt occidat omne semen regium 4. *Reg.* 11.

Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.

Hæc est responsio Christi ad illos: diuiditur autem in duas partes, in quarum prima ponit Herodis increpationem: & in secunda ponit tentationis responsionem. De primo dicit [Ite & dicite vulpi illi] & dicit duo: quorum vnum est, quod tales à se discedere præcipit, cum dicit [Ite] hoc est, quia tentatores, vel timidi estis, à me discedite, & illi appropinquate. *Psalm.* 118. Discedite à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei [dicite vulpi] ecce increpatio. Dicitur autem vulpes Herodes propter dolum, propter nomen, propter occultas insidias, propter latebras, & propter nocumenta quæ infert. De dolis dicitur *Nehem.* 4. Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum Dolosus enim semper machinationibus suis omnia transgreditur, quæ alij ad muniendum se parauerunt. *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites, cum loqueretur pauper iudicium. De nomine, quia interpretatur versipellis, hoc est, astutus dictus *Cant.* 2. Capite nobis vulpes paruolas, quæ demoliuntur vineas. Astutiis suis Herodiana malitia in hæreticis & tyrannis semper demolitur Ecclesias. De tertio, hoc est, de latebris insidiarum dicit *Psalm.* 62 Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. *Psalm.* 9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. De nocumentis autem, quæ quando potest infert, dicitur *Thren.* 5. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo, plurima nocumenta inferentes. Est enim animal sua calliditate partes corporis incendens, & lepram inducens. Et ita faciunt dolosi, astuti, hypocritæ, tyranni, & hæretici: quia licet capita habeant diuersa: tamen caudis nocumentorum sunt colligati, sicut dicitur *Iudic.* 15. de vulpibus Samsonis, quæ incenderunt segetes arearum.

Ecce eiicio dæmonia, &c.] In hac responsione Dominus dicit duo: in quorum primo determinat opus quod intendit, quod Herodes non intellexit: in secundo respondet quæstioni. Dicit ergo primo [Dicite illi] opus propter quod veni, quod impedire non potest [Ecce] Q. d. In euidenti est, quod [ego eiicio dæmonia] ab anima, & à corpore. *Luc.* 4. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei. *Luc.* 7. Inter quas erat Maria Magdalena, de qua septem dæmonia exierant *Matth.* 8. *Marc.* 5. Legio mihi nomen est: quia multi sumus [& sanitates perficio] perfectæ sanitates fiunt in corpore & anima. *Ioan.* 7. Totum hominem sanum feci in sabbato *Psalm.* 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Hæc est enim perfecta sanitas [hodie, & cras] hoc est, modo & postea Hodie enim cognominatur tempus præsens: cras autem vocatur tempus futurum. *Psalm.* 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. De futuro autem dicitur *Genes.* 30. Respondebit mihi cras iustitia mea, cum placiti tempus aduenerit coram te. Hoc est ergo quod dicit. Ac si diceret. Tempus mortis meæ non est in potestate Herodis. Quia, sicut dicitur *Ioan.* 10. Nemo tollet à me animam meam: sed ego pono eam, & iterum sumo eam. *Ioan.* 7. Tempus meum nondum aduenit.

Et tertia die consummor] hoc est, consummabor. Hæc autem tertia dies, est dies glorificationis, quando consummatus est Dominus. Prima enim dies fuit lux suæ præsentiæ in carne & prædicationis: quando sicut dicitur *Malac.* 4. Timentibus nomen Dei ortus est sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Quia tunc ortus est sol oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Isa.* 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Secunda autem dies, fuit dies Passionis & mortis: quando sol ad occasum tendens, illuminauit inferiores partes terræ. *Eccli.* 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes sperantes in Domino. Et sicut in prima die luxit lux veritatis in prædicatione: ita secunda die luxit lux gratiæ in sacramentorum perfectione. *Ioan.* 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Mich.* 7. Si sedero in tenebris, Dominus mea lux est. Tertia autem dies, est lux surgentis auroræ in luce Resurrectionis ad lucem gloriæ *Ps.* 117. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Omnes enim quos Christus luce veritatis per fidem illuminat, hos sacramentis ad iustitiam regenerat, & regeneratos in gloria Resurrectionis beatificat. *Osee* 6. Viuificabit nos post duos dies. In die tertia suscitabit nos, sequemurque, vt cognoscamus Dominum. Sic dictum est de Christo *Sap.* 4. Consummatus in breui expleuit tempora multa.

Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.

Hic respondet eis quod illi dixerunt. Et nota quod ad litteram, de Galilæa tres dictæ sunt in Ierusalem. Et hoc est quod secundum literam dicit [Veruntamen] sciat Herodes quod [oportet me] hoc est, opportunum est me [hodie, & cras, & sequenti] etas, hoc est, per tres dies [ambulare] vsque ad locum Passionis. Et non dicit hoc, ideo quod triduum fuerit numerus temporis ad patiendum: sed quia triduo distabat locus Passionis. Et hoc est quod sequitur [quia non capit] Absolutè ponitur verbum, hoc est, quia non est conueniens secundum rationem Prophetiæ, & præfinitionis Patris [prophetam] hoc est, Dominum Prophetarum: de quo *Deut.* 18. dicitur. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tâquam me audietis eum. *Luc.* 24. Fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo [perire extra Ierusalem] in quo loco passurus est, à Patre præfinitus, & à Prophetis prænuntiatus: vt in omnibus Scriptura impleatur.

Ambulat autem adhuc Dominus hodie, & cras, & sequenti cras, moraliter: quia die pœnitentiæ,

dæmonia

dæmonia eiicit, die autem iustitiæ opera dirigit, & die glorificationis ad coronam vocat. Vel tres dies, sunt compunctio, confessio, satisfactio. In compunctione enim dæmones elicit, confessionis die sanitates perficit, & in satisfactione consummatio fit perfectionis. *Exod.* 3. Ibimus viam trium dierum in solitudine, ad sacrificandum Deo nostro. Adhuc autem, Dies vna, qua venit Dominus ad cor, est boni cogitatio & conceptio: dies secunda, qua vadit ad os, est verbi Dei & laudis diuinæ locutio: & tertia, est operationis ad virtutem illustratio. Quia sicut dicitur *Prou.* 4. Semita iustitiæ quasi lux splendens, & crescens vsque in perfectum diem. *Ionæ* 3. Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur: Quando subuersa est ciuitas mundi, & constructa ciuitas Dei. Adhuc autem, Prima dies est cogitatio veri: Secunda, detestatio mali: & tertia, amor boni. *Gen.* 40. Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum. Adhuc autem, Prima dies, bona conuersatio: secunda, quieta contemplatio: & tertia, veritatis prædicatio. *Matth.* 15. & *Marc.* 8. Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, neque habent quod manducent.

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti?

Hic incipit ex compassione plangere reatum, & pœnã Ierusalem: & habet duas partes, planctum peccati, & planctum pœnæ. Reatum autem tangit, duplicem: transgressionis, & ingratitudinis. Transgressionis adhuc, duplicis homicidij, ponit reatum. In communi enim dicit [Ierusalem, Ierusalem] Geminat nomen propter affectum: vel vt notet confirmationem eorum quæ dicit: vel propter duplicem reatum eorum quæ ponit. *Gen.* 41. Quod autem secundo vidisti ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis est indicium, eo quòd sermo Dei velocius impleatur [quæ occidis Prophetas] *Matth.* 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas: & ex illis occideris, & flagellabitis in synagogis vestris. *Act.* 7. Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri [& lapidas eos qui ad te mittuntur] *Act.* 7. Lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem: Domine ne statuas illis hoc peccatum. *Hebr.* 11. Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Vel etiam, moraliter, vsque hodie lapidant: quando duro corde verbis increpationis seruos Dei repellunt. *Act.* 7. & *Ezech.* 1. Dura ceruice, & indomabili corde, vos semper Spiritui sancto restitistis. Aliquando etiam veritatem prædicantes, stercoribus temporalium lapidantur: ita quod conticescunt. *Eccli.* 22. In lapide luteo lapidabitur piger. Quia piger est, qui propter hoc obmutescit.

Quoties volui] Ecce vitium ingratitudinis: & est sensus [Quoties] hoc est, quotiescunque ego [volui congregare filios tuos] quos semine meo in lege & Prophetis genuisti: quos ego in vnam fidem, & vnum cor, & vnum ouile congregare volui. *Psalm.* 146. Dispersiones Israëlis congregabit. *Ezech.* 36. Congregabo vos de cunctis locis, in quibus dispersi estis [quemadmodum auis nidum suum] Metonymia est, hoc est, oua vel pullos nidi sui congregat [sub pennis suis] hoc est, sub alis, & vitali calore [& noluisti] hoc est, quotiescunque volui, tu noluisti: & quoscunque congregaui, te nolente congregaui. *Matth.* tamen 23. vbi eadem series ponitur, specificatur auis ad gallinam, quæ magno affectu sibi connaturales, & alienos fouet pullos. Et ibi etiam plura de proprietatibus gallinæ dicta sunt. Hic autem tangit auem propter volatum in alta conuersatione, & contemplatione, & intentione. *Psalm.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Vnde *Psal.* 10. veritas hebraica habet. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut auis. Non enim vni aui assimilat se Dominus, sed multis. *Psalm.* 101. Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax in domicilio, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. *Deuter.* 32. Sicut aquila prouocans pullos suos ad volandum. Est enim turtur, pro nobis gemendo: columba, nobis viam ad fenestram cæli indicando: aquila, alta nos petere docendo: gallina, pro nobis infirmando, & nostras infirmitates portando: pelicanus, solitudinem pro nobis petendo, & regna mundi, & omnia quæ mundi sunt nos fugere docendo, dicens cum Propheta *Psalm.* 54. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Nicticorax, in oratione pro nobis solus pernoctando: passer solitarius, pro nobis solus habitando in parietinis, hoc est, in ruinis cum pauperibus habitando, & suos deserendo, propterea quod in malo sunt obstinati.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis quia non videbitis me donec veniat cum diceris: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Hic tangit pœnam, futurum excidium per Romanos, & futuram damnationem prædicens. Domus ergo est ciuitas, vel Synagoga, quæ derelinquetur deserta, quando incenderetur, & diripietur. *Luc.* 19. Venient dies in te, & inimici tui circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. *Isa.* 1. Derelinquetur filia Sion sicut tugurium in cucumerario, & consumetur sicut in vastitate hostili. Huius autem causa dicitur *Ierem.* 12. Dimisi hæreditatem meam. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem.

Dico autem vobis] Confirmatio est pœnæ. Ac si dicat: Vos derelinquemini à me [quia non videbitis] me in præsentia carnis vestræ studentem ædificationi, & cauentem abiectioni [donec veniat] hora in secundo aduentu [tunc diceris] quia ante aduentum illum reliquiæ conuertentur, & tunc videbunt eum. *Matth.* 16. Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli. *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. *Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et tunc [dicetis, Benedictus] in quo omnes Gentes benedicentur *Genes.* 17. *Isa.* 65. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen [qui venit] & in primo, & in secundo

Iam in hoc habet malitiam confirmatam. Quia (sicut Athalia) confirmatam habet malitiam, vt occidat omne semen regium 4. *Reg.* 11.

Et ait illis : Ite, & dicite vulpi illi : Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.

Hæc est responsio Christi ad illos : diuiditur autem in duas partes, in quarum prima ponit Herodis increpationem : & in secunda ponit tentationis responsionem. De primo dicit [Ite & dicite vulpi illi] & dicit duo : quorum vnum est, quod tales à se discedere præcipit, cum dicit [Ite] hoc est, quia tentatores, vel timidi estis, à me discedite, & illi appropinquate. *Psalm.* 118. Discedite à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei [dicite vulpi] ecce increpatio. Dicitur autem vulpes Herodes propter dolum, propter nomen, propter occultas insidias, propter latebras, & propter nocumenta quæ infert. De dolis dicitur *Nehem.* 4. Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum Dolosus enim semper machinationibus suis omnia transgreditur, quæ alij ad muniendum se parantur. *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites, cum loqueretur pauper iudicium. De nomine, quia interpretatur versipellis, hoc est, astutus dictus *Cant.* 1. Capite nobis vulpes paruolas, quæ demoliuntur vineas. Astutiis suis Herodiana malitia in hæreticis & tyrannis semper demolitur Ecclesias. De tertio, hoc est, de latebris insidiarum dicit *Psalm.* 62. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. *Psalm.* 9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. De nocumentis autem, quæ quando potest infert, dicitur *Thren.* 5. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo, plurima nocumenta inferentes. Est enim animal sua calliditate partes corporis incendens, & lepram inducens. Et ita faciunt dolosi, astuti, hypocritæ, tyranni, & hæretici: quia licet capita habeant diuersa : tamen caudis nocimentorum sunt colligati, sicut dicitur *Iudic.* 15. de vulpibus Samsonis, quæ incenderunt segetes arearum.

Ecce eiicio dæmonia, &c.] In hac responsione Dominus dicit duo: in quorum primo determinat opus quod intendit, quod Herodes non intellexit : in secundo respondet quæstioni. Dicit ergo primo [Dicite illi] opus propter quod veni, quod impedire non potest [Ecce] Q. d. In euidenti est, quod [ego eiicio dæmonia] ab anima, & à corpore. *Luc.* 4. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei. *Luc.* 7. Inter quas erat Maria Magdalena, de qua septem dæmonia exierant *Matth* 8. *Marc.* 5. Legio mihi nomen est: quia multi sumus [& sanitates perficio] perfectæ sanitates fiunt in corpore & anima. *Ioan.* 7. Totum hominem sanum feci in sabbato *Psalm.* 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Hæc est enim perfecta sanitas [hodie, & cras] hoc est, modo & postea Hodie enim cognominatur tempus præsens: cras autem vocatur tempus futurum. *Psalm.* 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. De futuro autem dicitur *Genes.* 30. Respondebit mihi cras iustitia mea, cum placiti tempus aduenerit coram te. Hoc est ergo quod dicit. Ac si diceret. Tempus mortis meæ non est in potestate Herodis. Quia, sicut dicitur *Ioan.* 10. Nemo tollet à me animam meam : sed ego pono eam, & iterum sumo eam. *Ioan.* 7. Tempus meum nondum aduenit.

Et tertia die consummor] hoc est, consummabor. Hæc autem tertia dies, est dies glorificationis, quando consummatus est Dominus. Prima enim dies fuit lux suæ præsentiæ in carne & prædicationis: quando sicut dicitur *Malac.* 4. Timentibus nomen Dei ortus est sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Quia tunc ortus est sol oriens ex alto, illuminate his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Isa.* 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Secunda autem dies, fuit dies Passionis & mortis: quando sol ad occasum tendens, illuminauit inferiores partes terræ. *Eccli.* 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes sperantes in Domino. Et sicut in prima die luxit lux veritatis in prædicatione : ita secunda die luxit lux gratiæ in sacramentorum perfectione. *Ioan.* 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Mich.* 7. Si sedero in tenebris, Dominus mea lux est. Tertia autem dies, est lux surgentis autoris in luce Resurrectionis ad lucem gloriæ *Ps.* 117. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Omnes enim quos Christus luce veritatis per fidem illuminat, hos sacramentis ad iustitiam regenerat, & regeneratos in gloria Resurrectionis beatificat. *Osee* 6. Viuificabit nos post duos dies. In die tertia suscitabit nos, sequemurque, vt cognoscamus Dominum. Sic dictum est de Christo *Sap.* 4. Consummatus in breui expleuit tempora multa.

Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.

Hic respondet eis quod illi dixerunt. Et nota quod ad litteram, de Galilæa tres dietæ sunt in Ierusalem. Et hoc est quod secundum literam dicit [Veruntamen] sciat Herodes quod [oportet me] hoc est, opportunum est me [hodie, & cras, & sequenti] cras, hoc est, per tres dies [ambulare] vsque ad locum Passionis. Et non dicit hoc, ideo quod triduum fuerit numerus temporis ad patiendum: sed quia triduo distabat locus Passionis. Et hoc est quod sequitur [quia non capit] Absolutè ponitur verbum, hoc est, quia non est conueniens secundum rationem Prophetiæ, & præfinitionis Patris [prophetam] hoc est, Dominum Prophetarum : de quo *Deut.* 18. dicitur. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me audietis eum. *Luc.* 24. Fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo [perire extra Ierusalem] in quo loco passurus est, à Patre præfinitus, & à Prophetis prænontiatus: vt in omnibus Scriptura impleatur.

Ambulat autem adhuc Dominus hodie, & cras, & sequenti cras, moraliter : quia die pœnitentiæ, dæmonia

dæmonia eiicit, die autem iustitiæ opera dirigit, & die glorificationis ad coronam vocat. Vel tres dies, sunt compunctio, confessio, satisfactio. In compunctione enim dæmones eiicit, confessionis die sanitates perficit, & in satisfactione consummatio fit perfectionis. *Exod.* 3. Ibimus viam trium dierum in solitudine, ad sacrificandum Deo nostro. Adhuc autem, Dies vna, qua venit Dominus ad eos, est boni cogitatio & conceptio: dies secunda, qua vadit ad os, est verbi Dei & laudis diuinæ locutio: & tertia, est operationis ad virtutem illustratio. Quia sicut dicitur *Prou.* 4. Semita iustitiæ quasi lux splendens, & crescens vsque in perfectum diem. *Iona* 3. Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur: Quando subuersa est ciuitas mundi, & constructa ciuitas Dei. Adhuc autem, Prima dies est cogitatio veri: Secunda, detestatio mali: & tertia, amor boni. *Gen.* 40. Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum. Adhoc autem, Prima dies, bona conuersatio: secunda, quieta contemplatio: & tertia, veritatis prædicatio. *Matth.* 15. & *Marc.* 8. Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, neque habent quod manducent.

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti?

Hic incipit ex compassione plangere reatum, & pœnā Ierusalem: & habet duas partes, planctum peccati, & planctum pœnæ. Reatum autem tangit, duplicem: transgressionis, & ingratitudinis. Transgressionis adhuc, duplicis homicidij, ponit reatum. In communi enim dicit [Ierusalem, Ierusalem] Geminat nomen propter affectum: vel vt notet confirmationem eorum quæ dicit: vel propter duplicem reatum eorum quæ ponit. *Gen.* 41. Quod autem secundo vidisti ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis est indicium, eo quòd sermo Dei velocius impleatur [quæ occidis Prophetas] *Matth.* 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas: & ex illis occideris, & flagellabitis in synagogis vestris. *Act.* 7. Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri [& lapidas eos qui ad te mittuntur] *Act.* 7. Lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem: Domine ne statuas illis hoc peccatum. *Hebr.* 11. Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Vel etiam, moraliter, vsque hodie lapidant: quando duro corde verbis increpationis sanctos Dei repellunt. *Act.* 7. & *Ezech.* 2. Dura ceruice, & indomabili corde, vos semper Spiritui sancto restitistis. Aliquando etiam veritatem prædicantes, stercoribus temporalium lapidantur: ita quod conticescunt. *Eccli.* 22. In lapide luteo lapidabitur piger. Quia piger est, qui propter hoc obmutescit.

Quoties volui] Ecce vitium ingratitudinis: & est sensus [Quoties] hoc est, quotiescunque dies ego [volui congregare filios tuos] quos semine meo in lege & Prophetis genuisti: quos ego in vnam fidem, & vnum cor, & vnum ouile congregare volui. *Psalm.* 146. Dispersiones Israelis congregabit. *Ezech.* 36. Congregabo vos de cunctis locis, in quibus dispersi estis [quemadmodum auis nidum suum] Metonymia est, hoc est, oua vel pullos nidi sui congregat [sub pennis suis] hoc est, sub alis, & vitali calore [& noluisti] hoc est, quotiescunque volui, tu noluisti: & quoscunque congregaui, te nolente congregaui. *Matth.* tamen 23. vbi eadem series ponitur, specificatur auis ad gallinam, quæ magno affectu sibi connaturales, & alienos fouet pullos. Et ibi etiam plura de proprietatibus gallinæ dicta sunt. Hic autem tangit auem propter volatum in alta conuersatione, & contemplatione, & intentione. *Psalm.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Vnde *Ps.* 10. veritas hebraica habet. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut auis. Non enim vni aui assimilat se Dominus, sed multis. *Psalm.* 101. Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax in domicilio, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. *Deuter.* 32. Sicut aquila prouocans pullos suos ad volandum. Est enim turtur, pro nobis gemendo: columba, nobis viam ad fenestram cæli indicando: aquila, alta nos petere docendo: gallina, pro nobis infirmando, & nostras infirmitates portando: pelicanus, solitudinem pro nobis petendo, & regna mundi, & omnia quæ mundi sunt nos fugere docendo, dicens cum Propheta *Psalm.* 54. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Nicticorax, in oratione pro nobis solus pernoctando: passer solitarius, pro nobis solus habitando in parietinis, hoc est, in ruinis eum pauperibus habitando, & suos deserendo, propterea quod in malo sunt obstinati.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis quia non videbitis me donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Hic tangit pœnam, futurum excidium per Romanos, & futuram damnationem prædicens. Domus ergo est ciuitas, vel Synagoga, quæ derelinquetur deserta, quando incenderetur, & diripietur. *Luc.* 19. Venient dies in te, & inimici tui circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. *Isa.* 1. Derelinquetur filia Sion sicut tugurium in cucumeratio, & consumetur sicut in vastitate hostili. Huius autem causa dicitur *Ierem.* 12. Dimisi hæreditatem meam. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem.

Dico autem vobis] Confirmatio est pœnæ. Ac si dicat: Vos derelinquemini à me [quia non videbitis] me in præsentia carnis vestræ studentem ædificationi, & cauentem abiectioni [donec veniat] hora in secundo aduentu [tunc dicetis] quia ante aduentum illum reliquiæ conuertentur, & tunc videbunt eum. *Matth.* 26. Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli. *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. *Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et tunc [dicetis, Benedictus] in quo omnes Gentes benedicentur *Genes.* 17. *Isa.* 65. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen [qui venit] & in primo, & in secundo aduentu

aduentu [in nomine] hoc est, notamine. *Ioan.* 17. Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem [Domini] Patris. Hoc enim nomen ostendit, quod vnicus Filius fuit Patris. *Ioan.* 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me. Hæc est expositio *Chrysost.* Non enim verum est, quod dicunt quidam, quod hoc impletum sit, quando pueri clamabant: Benedictus qui venit in nomine Domini *Matth.* 21. & *Ioan.* 12. quia sic exponendo, non probaret Dominus desolationem futuram accidisse propter peccatum ingratitudinis eorum. Sed in die iudicij & ante: quando cognoscent se deceptos fuisse per Antichristum, tunc verè scient Dominum Iesum Christum fuisse Filium Dei, & tunc scient quod omnia quæ passi sunt, ideo passi sunt, quia ingrati fuerunt beneficiis & visitationi eius: & tunc reliquiæ conuertentur ad ipsum, clamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc autem etiam cum ad Passionem iret, clamabant pueri in signum futuri clamoris per omnes. Cum enim pueri clamabant, seniores contradicebant: sed in fine omnes in communi clamabunt, & ad ipsum conuertentur. Et hoc est quod dicit secundum *Chrysost.* expositionem.

CAPVT XIV.

Et factum est cum intraret IESVS in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.

Hic incipit pars illa, in qua docet qualiter conuersi & præparati ad iudicium debent venire ad ipsum, & post ipsum. Et diuiditur hæc pars in duas partes, secundum documenta quibus venitur ad Christum. Hæc enim documenta, aut sunt secundum fidem spiritualis intelligentiæ: aut sunt secundum mores, hoc est, secundum opera virtutum. Et ideo in prima parte per sanationem hydropici in sabbato, docet legis spiritualem intellectum, & carnaliter legem implentem non posse sequi ipsum. In secunda autem docet per exercitium virtutum verè homines conuerti ad ipsum, & sequi ipsum, & illos secundum rectam rationem ad regnum Dei esse præparatos. Prima harum habet tres particulas, in quarum prima tangitur insidiæ eorum, qui carnaliter legem obseruari dicebant: in secunda ponitur beneficium quod spiritualiter legem implebat: in tertia ratio Christi ab illorum operibus sumpta, ostendens, quod hoc contra legem secundum legis spiritualem intentionem non erat. Adhuc in prima harum sunt duo paragraphi, in quorum primo ponitur Domini eum insidiatoribus inuitatio: in secundo dictum & factum, ex quo sumebatur insidiantium machinatio. De primo dicit tria: istius facti diuinam ordinationem, Domini ad Principem Sacerdotum vocationem, & insidiantium machinationem. De primo dicit [Et factum est] diuina ordinatione, quæ in factis Christi ponit ordinem, & non successionem temporis. *Ioan.* 17. Opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem. Et ideo facta ista aliter ordinantur à *Luca*, & aliter à *Matthæo*, secundum quod ad diuersas intentiones eorum probandas inducuntur: sicut iam in ante habitis sæpius dictum est [Cum intraret in domum] inuitatus, vt salutem eorum qui in domo erant procuraturus. Sic enim & non alia de causa intrabat principaliter. *Luc.* 19. Hodie salus domui facta est. Hinc est quod *Matth.* 10. præcipit. Discipulis: In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui. Pax autem est salus Saluatoris, & reconciliatio peccatorum. Describit autem patremfamilias domus, non à nomine: quia nomine insidiator non erat dignus. *Psalm.* 15. Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Sed describit à dignitate, dicens [cuiusdam Principis Sacerdotum] qui *Ioan.* 11. collegerunt concilium vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Sicut dicitur *Matth.* 26. 1. *Esdræ* 9. Manus magistratuum fuit prima in transgressione hac [sabbato] Fit mentio de tempore, vt habeat locum calumnia: quia maximè calumniabantur facta Christi propter sabbatum, quod eum violare dicebant. *Ioan.* 9. Non est *hic* homo à Deo, qui sabbatum non custodit [manducare panem] Hic fuit quantum ad exterius causa inuitationis: interius autem erant calumniatores pessimi, sub pallio honestatis quærentes mordere Dominum. *Matth.* 7. Veniunt in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et hoc est quod sequitur [& ipsi obseruabant eum] vt accusarent. *Eccli.* 8. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. 1. *Reg.* 22. Coniurauit aduersus me seruus meus, insidiator vsque hodie permanens.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Hic incipit factum de quo insidiabantur, & dicit quinque, quorum primum est oblatio hydropici: secundum autem interrogatio de obseruatione sabbati: tertium autem curatio facta in die sabbati: quartum confutatio de carnali obseruantia sabbati: quintum autem est erubescentia eorum, qui insidiabantur de operatione facta in die sabbati. De primo dicit [Et ecce] Quatuor dicit. Primo enim ponit miseriæ demonstrabilitatem, cum dicit [Et ecce] Secundo ponit miseri rationabilitatem, cum dicit [homo quidam] Tertio explanat magnam miseri infirmitatem, cum dicit [hydropicus] Quarto ponit misericordis à præsentia infirmi inexcusabilitatem, quando dicit [erat ante illum] De primo horum dicit [Et ecce] *Isa.* 64. Ecce Domine respice, populus tuus omnes nos. *Psalm.* 24. Respice Domine in me, & miserere mei: quoniam vnicus & pauper sum ego [homo quidam] rationalis, cui miserendum est. *Mich.* 7. Quia misericordiam volo, & non sacrificium: & scientiam Dei plusquam holocausta. *Luc.* 13. Hanc filiam Abrahæ non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Quasi dicat. Sic oportuit [hydropicus] Ecce expositio infirmitatis & miseriæ. Dicit autem hic *glossa Beda*, quod hydropisis est morbus aquosus ab humore subcutaneo dictus, à vitio vesicæ natus, anhelitu fœtido, & corpore turgente.

Et

Et hic humor in principio quidem est subcutaneus, postea autem totam inflat carnem. Nec est à vitio vesicæ per vitium vesicæ: sed quia epar humorem aqueum à carne non separat, ideo vesica humorem aquosum ad se non directum non attrahit, & ideo pellis & corpus turgent. Anhelitus autem fœtet propter spiritualium oppressionem, & corruptionem. Hic etiam habet proprietatem, quod quanto plus bibit, tanto plus sitit: quia membra interius non nutriuntur, & ideo semper desiderant, & patiuntur magnam spiritualium oppressionem. Et hæc sunt morbi istius accidentia, & miseria Christo præsentialiter exhibita.

Significat hic morbus auaritiam rerum huius mundi, & accidentia. Auaritia enim humorem frigidarum consolationum huius mundi appetit, quæ per aquam significantur. Vnde *Prouerb.*30. Terra non satiatur aqua. Hæc anima auari aridam se replens, nunquam satiatur appetitu terrenæ acquisitionis, & consolationis mūdanorum. *Psalm.* 142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Hæ sunt aquæ Tantali, de quibus dicit Poëta.

Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

Hebr.6. Terra super se venientem sæpe bibens imbrem. Isti sunt qui dicunt illud *Iudic.*1. Terram arentem dedisti mihi. *Eccle.*5. Auarus non implebitur pecunia. Et quo plus habet, eo magis sitit. *Iob* 18. Exardescet contra eum sitis. Sed at tracto humore, pellis & corpus turgent: quia abundantia temporalium inflationem inducit superbiæ & ambitionis. *Exod.*9. Facta sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis. Nec poterant malefici stare coram Pharaone propter vulnera erumpentia in ipsis. Turgent enim homines & iomentini, & malefici ex iactantia diuitiarum. Fœtet etiam anhelitus hydropici propter spiritualium oppressionem: quia tales non nisi de fœtidis & corruptis rebus loquuntur. *Psalm.*5. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Sic ergo & humorem attrahit, & sitit, & fœtet. *Isa.*34. De cadaueribus eorum ascender fœtor. Iste morbus etiam spiritualia opprimit: & ideo spirant anhelitu graui. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi: quia spiritualiter examinatur. Tales enim sunt de quibus dicitur *Colos.* 2. Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexum & coniunctionem subministratum crescit in augmentum Dei. Sed sicut hydropico soluuntur iunčturæ: ita ipse solutus à iunctura Christi, nihil spiritualium intelligit. Hic morbus etiam semper interius inanis remanet, quia cupit ea quæ non nutriunt, sed opprimunt. *Hab.* 2. Væ ei qui multiplicat non sua: vt quid etiam aggrauat contra se densum lutum? Habet etiam hic morbus frequenter genitalium inflationem: quia frequenter abundantia temporalium luxuriam inducit. *Eccli.* 47. Inclinasti femora tua mulieribus, posuisti maculam in gloria tua. Pedes etiam hic morbus facit pigros, hoc est, affectus ad bonum pigrescentes. *Sap.* 15. Pedes eorum pigri sunt ad ambulandum. *Psalm.*113. Pedes habent, & non ambulabunt. Habet etiam hic morbus cutis infectionem per variolas, & vesicas, per morpheas. Quod significat exterioris conuersationis deformitatem. *Thren.*4. Filij Sion incliti amicti auro primo: quomodo computati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Tales enim esse, quandoque quærant pulchritudines vestium, hoc faciunt vt pallient incompositionem interiorem. Vnde *Beatus Bernard.* Hæc forma vestium, deformitatis mentium & morum indicium est. Hæ sunt igitur proprietates istius morbi, quem Sacerdotes & Pharisæi magis interius in anima, quam iste exterius in corpore patiebatur. Et ideo etiam hoc factum est quod erubescerent, se interius Saluatori non ostendentes, cum ille exterius salutem expeteret. Sic enim hydropicus erat ante illum salutem expetens, & miseriam ostendens medico Saluatori.

Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt.

Hic ponitur spiritualis intelligentiæ de lege inquisitio. Et dicit [Respondens] Non quod aliquid dixerint, sed quia cogitationibus obseruantium respondit. 1. *Reg.*16. Homo videt quæ patent: Deus autem intuetur cor [dixit ad Legisperitos] quorum erat intelligere legem. *Matth.*23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines. *Luc.*11. Et vobis Legisperitis væ, qui tulistis clauem scientiæ [& Pharisæos] qui de religione singulariter gloriabantur. *Rom.* 2. Qui gloriaris in lege, per præuaricationem legis Deum inhonoras? De sacerdotibus tacet, propter honorem hospitis qui Princeps Sacerdotum erat, ne eum videatur confundere [Si licet sabbatis curare?] Cum enim omnia ad curam hominis facta sint, & propter hominem: & eum curare non sit opus seruile, sed spirituale: & non possit nisi virtute diuina fieri, quando fit sine inuocatione & sine sacramento, per solum imperium. Vnde *Matth.*12. Si licet sabbatis bene facere: animam perdere, aut saluare? [At illi tacuerunt] Merito tacent, qui contra se esse vident quicquid dixerint. Oportuit enim alteram partem respondere contradictionis: & quancunque respondérint obligati sunt. Si enim dicant quod non licet, dicetur eis: Quare ipsi animalia curent? Si dixerint quod licet, dicetur eis: Quare Christum curantem obseruant? Et ideo tacuerunt. *Psalm.*52. Obstructum est os loquentium iniqua. Sic *Daniel.*14. Os draconis obstructum est, ne aliquid posset contra Danielem.

Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.

Hic ponitur miraculi & beneficij perfectio. Dicit ergo [Ipse vero] IESVS Saluator omnium miserorum, attendens quid Propheta dicit de eo *Psalm.*9. Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor [Apprehendens] autem charitate & misericordia. *Ierem.*31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. Apprehendit tamen etiam manu: vt ostenderet quod virtus deitatis exiret de carne propter nos assumpta. *Matth.* 8. Tetigit eum dicens: Volo, mundare [sanauit eum] hoc est,

ab hydropisi curauit. *Osee* 14. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè: quia auersus est furor meus ab eis. Iste est medicus, de quo dicitur *Eccli.* 38. Honora medicum, propter necessitatem illum creauit Altissimus. *Ierem.* 17. Sana me Domine, & sanabor[ac dimisit]sic eum corporaliter sanatum. Dimisit liberum, quem obsequiis retinere poterat pro mercede sanationis: vt ipse opere doceret quod dixerat *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Sic dimisit Eliseus Naaman sanatum 4. *Reg.* 5. Dimisit etiam liberum, vt libera mente confiteretur, & crederet, & gratias ageret Deo. *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es: iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Et respondens ad illos]insidiatores & obseruatores, potius attendens malitiam cordis quam verba: quia verbis nihil dixerant[dixit: cuius vestrum] possessus à vobis [asinus aut bos] hoc est, mundum vel immundum iumentum [in puteum] hoc est, in foueam aliquam [cadet, & non continuo] ne moram trahat periculum læsionis, vel mortis[extrahit eum]quod tamen est opus seruile, & pro seruili iumento[die sabbati]in quo à seruilibus præceptum est feriare. Hoc autem accipiebant ab illo quod dictum est *Exod.* 23. Si occurreris boui vel asino inimici tui erranti, reduc eum. Cum enim præcepta talia moralia ad vtilitatem proximi sunt data, oportet quod si aliquis in sabbato errans animal inueniat, quod statim reducat: quia aliter perderetur animal. Et cum charitas sit ordinata, in suo animali multo potius est hoc obseruandum. Quia *Luc.* 13. dictum est, quod multo magis melior est homo boue. 1. *Corinth.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo: An propter nos vtique hoc lex dicit. Multo magis in omni hora subueniendum est homini in necessitatis articulo constituto. Et quia hæc ratio incontradicibilis est, ideo sequitur.

Et non poterant ad hæc respondere illi] *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non respondebit ei vnum pro mille. *Act.* 6. Non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui qui loquebatur. Bos autem & asinus significant literatum & idiotam, siue sapientem & stultum. *Iob* 1. Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, qui de fouea peccati & perditionis continuò sunt extrahendi. *Prou.* 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Sic ergo terminata est pars illa, in qua docet, quod spirituali intelligentia legis redeundum est ad ipsum.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent.

Hic autem tria instruit secundum tres virtutes, quæ nos Christo conformant, & faciunt ad suam inuitationem deuenire: quarum prima est humilitas, nos sibi subiiciens: secunda autem voluntaria paupertas, nos sibi conformans: tertia autem perseuerantia, ab ipso coronam accipiens. Sic enim ad iudicium præparati, intrabimus cum Domino. Circa instructionem humilitatis duo dicuntur. Primo enim Euangelista ostendit occasionem, qualiter ad hanc instructionem venit Dominus: secundo ponit instructionem. In primo horum tria dicit: quibus videlicet dixit, modum dicendi, & causam. De primo sumitur dicti congruentia: quia sermones secundum materiam inquirendi sunt. Audientes autem sunt materia prædicantis, vt dicit *Greg.* Ex secundo sumitur intellectus dictorum. Et ex tertio necessitas. Dicit ergo.

Dicebat autem] Et hoc est etiam non solum confutans Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos: sed etiam docens deuotos, & reprehendens superbos. *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est[ad inuitatos] Honorem enim volens facere Domino in die festo, multos secum inuitauit. *Tob.* 2. Cum esset dies festus, & esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, introduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, vt epulentur nobiscum. Isti autem propter epulas, & propter hoc quod ibi in honore viderentur honorati à Principe, venerunt ad conuiuium. Ad hos ergo dixerat sermonem. *Esther* 5. Exposuit Aman amicis suis magnitudinem suam, & dixit: Regina quoque Esther nullum alium vocauit cum Rege ad conuiuium præter me: apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum[parabolam]istam, hoc est, sermonem similitudinis: quia parabola propriè vocatur, vbi negotium negotio comparatur. Quod non fit hic: quia hîc plana ponitur instructio humilitatis. Sed quia per similitudinem vocatorum ad nuptias docet: ideo largè sumpto vocabulo parabolam vocat. *Prou.* 1. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum. Ex hoc igitur modus accipitur istius doctrinæ[intendens]hoc est, intendere siue intelligere eos faciens. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam te contra faciem tuam. Isti enim non videbant seipsos [quomodo] hoc est, quam indecenter [primos accubitus] hoc est, sine merito virtutis acciperent cathedras honoris & dignitatis [eligerent] propria voluntate, non vocati ad eas auctoritate superioris. Et hæc est dicendi necessitas. *Eccli.* 7. Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris. *Eccli.* 10. Sedes Gentium superbarum euertit Dominus. *Luc.* 1. Deposuit potentes de sede. Est enim simile, vt simia in throno regni sedeat, quādo idolum & non veritas ponitur in cathedra honoris. *Eccle.* 10. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Hac ergo necessitate fuit.

Dicens ad eos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo.

Hic incipit instructio & habet duas partes, scilicet, instructionem per similitudinem, & instructionis conclusionem. Instructio ipsa habet partes duas, scilicet, cautelam contra humiliationis verecundiam: & instructionem ad humilitatis gloriam consequendam. De primo dicit tria: honorem scilicet vocationis, cautelam ne incurratur verecundia confusionis, & modum qualiter frequenter incurritur verecundia confusionis. De primo dicit [cum vocatus fueris ad nuptias] in quo duo notantur, honor vocationis, & participatio gaudij vocantis. Honor exprimitur cum dicit [cum vocatus fueris]est enim honor magnus, à magno ad festum vocari: & præcipuè à Deo. *Apocal.* 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.

Prou. 9.

Prouerb. 9. Propofuit menfam, vocauit ad arcem, & ad mœnia ciuitatis [ad nuptias] vt particeps gaudij te vocantis. Er præcipuè fi Deus Rex cæleftis ad hæc gaudia te vocat. Sicut enim dicitur *Matth.* 22. Simile eft regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio fuo, hoc eft, defponfationis humanæ naturæ cum diuina, & fidelis animæ cum Filio Dei, & intellectus hominis cum fapientia, & cordis humani cum iuftitia, & boni Prælati cum Ecclefia. De primis nuptiis dicitur *Apoc.* 19. Venerunt nuptiæ Agni & vxor eius, hoc eft, humana natura præparauit fe. Et datum eft ei vt operiat fe byffino. Quia humana natura candore innocentiæ & gratiæ, & fplendore diuinitatis eft perfufa, & operta in fanctitate iuftificationis. *Apoc.* 19. Byffinum eft iuftificationes Sanctorum. De fecundis nuptiis dicitur *Luc.* 12. Vos fimiles hominibus expectantibus Dominum fuum, quando reuertatur à nuptiis. Hæ funt nuptiæ Affueri Regis, qui interpretatur beatus, & Efther, quæ abfcondita propter humilitatem interpretatur. De tertiis dicitur *Sap.* 8. Hanc amaui, & exquifiui mihi eam fponfam accipere, & amator factus fum formæ & pulchritudinis eius. De quartis dicitur *Malach.* 2. Dominus conteftatus eft inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu defpexifti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. Leges enim iuftitiæ cum corde tuo fœdus habere debent: quamuis hæc vxor ab ifto viro frequenter defpiciatur, & detur ei libellus repudij. De quintis nuptiis dicitur *Tob.* 6. Eft hic Raguel vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram: fed neque mafculum, neque fœminam vllam aliam habet præter eam. Tibi debetur omnis fubftantia eius, & oportet te eam accipere coniugem. Raguel interpretatur paftor Dei, & fignificat Chriftum, quem Deus Pater in mundum pro paftore deftinauit. Huius filia eft Ecclefia vnica, præter quam non habet prolem. Et ideo hanc Tobiæ (qui interpretatur bonus Domini) hoc eft, fideli paftori coniungit, & illi omnis fubftantia eius debetur: quia quicquid redituum eft in Ecclefia, debetur tali paftori. Hæ funt igitur nuptiæ ad quas vocat nos Rex fummus. Eft autem & generaliter cautum & bonum omnibus vocatis ad quafcunque nuptias, hoc quod dicit Dominus. Et hoc eft quod dicit.

Non difcumbas in primo [hoc eft, honoratiori [loco] tua propria authoritate: innatum enim eft hominibus vilibus cõcupifcere alta loca: & ideo fi recumbas tua electione in magno locu, vilis es & vilis reputaberis: ficut Lucifer *Ifa.* 14. altũ locũ per feipfum concupiuit, & ad imum deiectus eft. Sedebo (inquit) in monte teftamenti in lateribus Aquilonis, Item. Super aftra cæli exaltabo folium meum. Et poft modicum dictum eft ei: verumtamen ad infernum detraheris, ad fundamenta laci. E contra dicitur de Filio Dei *Philipp.* 2. Exinaniuit femetipfum, formam ferui accipiens. *Galat.* 4. Nihil differt à feruo, cum fit Dominus omnium. *Eccli.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

Ne forte honoratior te fit inuitatus] ecce ratio cautelæ. Et hoc quilibet debet reputare in corde fuo, quod fcilicet quilibet inuitatorum fit eo honoratior. *Rom.* 13. Honore inuicem præuenientes. *Pfalm.* 138. Nimis honorati funt amici tui Deus, nimis confortatus eft principatus eorum. Omnes enim fuper fe reputat effe, qui verè humilis eft. *Ephef.* 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data eft gratia hæc. 1. *Corinth.* 15. Ego enim fum minimus Apoftolorum, qui non fum dignus vocari Apoftolus, quoniam perfecutus fum Ecclefiam Dei. Ecce nouiffimus locus in quo recumbit fummus Apoftolorum Paulus.

Et veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouiffimum locum tenere.

Tangit hic vrbanitatem inuitantis: quia inrrat vt videat difcumbentes, & ordinem ipforum. Et hoc eft quod dicit [& tunc veniens qui te & illum inuitauit] *Matth.* 22. Intrauit autem Rex vt videret difcumbentes. Hic eft ordo de quo dicitur 3. *Reg.* 10. quod Regina videns ordinem miniftrantium, non habebat vltra fpiritum. Nimis enim mirabile eft, vt in oculis omnium fuperior exiftens, in folis tuis oculis in inferiori fede recumbas. Aut quod in oculis omnium in inferiori fede recumbere debens, in folis tuis oculis fuperiorem fedem vfurpes. Et tunc is qui te inuitauit [dicat tibi [Da huic locum] fuperbiam enim pati non poteft, qui humilis corde eft. *Iob* 40. Difperge fuperbos in furore tuo, & refpiciens omnem arrogantem humilia. Defpice cunctus fuperbus, & confunde eos, contere impios in loco fuo [& tunc incipies cum rubore nouiffimum locum tenere] hæc enim maxima eft confufio, vt depofitus à fede maieftatis ad ima proiiciaris. *Ifa.* 22. Expellam te de ftatione tua, & de minifterio tuo deponam te. *Prouerb.* 29. Superbum fequitur egeftas, & humilem fpiritu gloria fufcipiet. *Eccli.* 10. Sedes ducum fuperborum deftruxit Deus, & federe fecit mites pro eis. Dicit autem[incipies] quia fic incipit, quod confufionem nunquam confummabit, fed in æternum in confufione erit. Et dicit [nouiffimum] quia ficut primum concupiuit, & fuperbia eius femper afcendit: ita femper defcendit vfque ad fundamenta laci. *Ifa.* 14. Verumtamen in infernum detraheris vfque ad fundamenta laci.

Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouiffimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: amice afcende fuperius. Tunc erit tibi gloria coram fimul difcumbentibus: Quia omnis qui fe exaltat, humiliabitur: & qui fe humiliat, exaltabitur.

Documentum eft humilitatis Omnes autem Deus vocat ad nuptias quinque fupra dictas, habentes veftem nuptialem, hoc eft, dignam fuis nuptiis conuerfationem. 1. *Timot.* 1. Qui vult omnem hominem faluum fieri, & ad agnitionem fui nominis venire. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. [Vade & recumbe in nouiffimo loco] tria dicit. Humilitatis profectum notat per hoc quod dicit [vade] *Pfalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem. Humilitatis affectum notat per hoc quod dicit [recumbe] ad commodum enim & ad affectum fedet, qui ex corde humiliari defiderat.

2. *Reg.* 6. Ludam, & vilior fiam coram Domino. 1. *Reg.* 15. Cum paruus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. *Psalm* 83. Elegi magis abiectus esse in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Tertio dicit humilitatis locum, cum dicit [in nouissimo loco] 1. *Reg.* 2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem. In stercore enim est locus nouissimus [vt cum venerit qui te inuitauit] non dicit, qui te & illum inuitauit: quia specialiter placet ei humilitas, & illum specialiter inuitauit. *Iacob.* 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. *Iudith* 9. Neque enim superbi tibi aliquando placuerunt: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio [dicat tibi: Amice] tangit humilitatis gratiam & præmium. Gratiam quidem cum dicit [Amice] superbus enim nullius amicus est: quia inter superbos semper iurgia sunt: sed humilis, amicus Dei est: quia amicitia similitudo quædam est: & Christus dicit *Math.* 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. *Isa.* 66. Ad quem respiciam nisi ad humilem & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Ideo etiam *Daniel.* 3. dicitur. In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur. Non autem aliquis suscipitur nisi tantum amicus [ascende superius] ecce humilitatis præmium. *Luc.* 1. Exaltauit humiles. *Psalm.* 112. Humilia respicit in cælo & in terra: suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus] simul discumbentes in omnibus nuptiis, fideles sunt boni, coram quibus est gloria humili in nouissimo loco discumbenti. Quia quanto se aliis inferiorem reputauit, tanto præfertur omnibus, exemplo eius qui dixit *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ego ergo laui vestros pedes Dominus & Magister: quanto magis & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Luc.* 22. Qui inter vos fuerit maior, fit sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur] ecce omnium inductorum conclusio. Quod enim exaltati humilientur, probatur per diuitem purpuratum *Luc.* 16. qui sepultus est in inferno. Per Luciferum, qui super astra cæli exaltare voluit solium suum, & ad infernum detractus est ad fundamenta laci *Isa.* 14. Per Regem Tyri, qui in medio lapidum ignitorum in paradiso posuit cor suum sicut cor Dei, & de monte Dei proiectus est in terram *Ezech.* 28. [& qui se humiliat, exaltabitur] per contrarium: & hoc probatur per Dauid, qui quoniam inter suos fratres minor fuit, in regno exaltatus est 1. *Reg.* 15. *Psalm.* 33. Humiles spiritu saluabit. Ideo dicitur de Christo *Philipp.* 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Et post modicum sequitur. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Hæc est humilitas quæ specialiter vt Euangelica virtus prædicatur in Euangelio à Domino. Hanc laudat, hanc suadet, hanc de toto thesauro sapientiæ & scientiæ Dei in se abscondito, specialiter docet imitandam. Et ideo etiam Euangelica virtus vocatur: quia per illam, vt dicit *Augustinus*, tumor sanatur nostræ miseriæ. Hanc eligit in matre: quia sine humilitate nec castitas eius placuisset. Hanc diligit in omnibus, nec aliquem suscipit sine humilitate. *Iudith* 8. Humiliemus illi animas nostras, & in spiritu contrito dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum: quia cum humiliatis nunquam faciet nisi misericordiam. Ideo dicit *Apostolus Ephes.* 4. Obsecro vos ego vinctus in Domino: vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis in omni humilitate.

Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat: cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites: ne forte te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Hic incipit docere de voluntaria paupertate, & dicit hic tria, quorum primum est quod docet, quibus, & qualiter temporalia quando relinquuntur sunt distribuenda. Secundum autem est, quod ostendit quale impedimentum præstant ad sequendum Christum si possideantur cum amore. Tertio autem ostendit incongruitatem, quæ est inter diligentem temporalia ad suum discipulatum. Quia qui aliquid istorum plus Deo diligit, non est dignus suo discipulatu. Circa primum autem dicit tria. Dicit enim primo qui in conuiuium eorum qui sua propter Deum distribuunt, non sunt vocandi. Secundo autem dicit qui sunt vocandi. Tertio horum dicit rationem. Circa primum horum dicit quatuor. Primo enim ostendit dictorum ad eum qui audit conuenientiam. Secundo ostendit eleemosynæ largitionem esse debere temporaneam, & temporis habere debere congruentiam. Tertio ostendit refectionis pauperum præparationem debitam. Quarto autem autem ostendit vocationem debere non esse carnali affectu maculatam. De primo igitur dicit [dicebat autem & ei qui se inuitauerat] nolens temporalia sua metere nisi spiritualia seminaret. 1. *Corinth.* 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus? *Galat. vlt.* Communicet is qui cathechizatur verbo, ei qui se cathechizat in omnibus bonis. Hinc est quod dicit *Apostolus* 2. *Thes.* 3. Neque gratis panem manducauimus ab aliquo [cum facis] Duo tangit: temporis congruentiam, & eleemosynam debere esse voluntariam. Primum tangit dicens [cum] hoc est, quando, innuens non semper posse fieri eleemosynam: quia non suppeterent facultates: quia non esset ordo charitatis, se depauperate & aliis ministrare. 2. *Corinth.* 8. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio. *Ioan.* 12. Pauperes semper habebitis vobiscum: & cum volueritis potestis

teſtis illis benefacere, hoc eſt, cum oppotrunitas temporis in facultatibus veſtris hoc requirit. *Luc.* 11. Quod ſupereſt date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis [facis] oſtendit eleemoſynam debere eſſe voluntariam & cum effectu. De primo dicit [facis] ita quod non ſit coactio vel triſtitia: ſed ſit factum meræ voluntatis. 2. *Corinth.* 9. Non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. *Roman.* 7. Si quod nolo, illud facio: non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, hoc eſt, auaritia. Notatur etiam quod cum effectu eſſe debet, & non ſolum io verbo aut corde. *Iacob.* 2. Si frater aut ſoror habuerit neceſſitatem, & dixeritis eis: ite in pace, calefacimini aut ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori: qoid proderitis? Vnde 2. *Corinth.* 8. Nunc vero & facto oſtendite. Nam ſi voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecondum id quod non habet [prandium aut cœnam] ecce præparatio. Dicitur enim prandium quaſi parandium: eo quod ſiot in ipſo multæ præparationes refectionum. 4. *Reg.* 6. Appoſita eſt eis eibotum magna præparatio, & comederunt, & biberunt. *Matth.* 22. Ecce prandium meum paraui: tauri, & altilia occiſa ſunt, & iam parata ſunt omnia [aut cœnam] quæ eſt nocturna comeſtio, confecta ex ſomniferis & digeſtiuis: ſicut ſuper *Matth.* notauimus. Prandium enim eſt eleemoſyoarum refectio vegetans ad gratiæ virtutes: cœna autem, refectio paupe rum vegetans ad glotiam. His eoim duabus refectionibus debent refici pauperes. *Pſalm.* 21. Edent pauperes, & ſaturabuntur: & laudabuot Dominum qui requirunt eum. Ecce ad gratiam laudis diuinæ. Viuent corda eorum in ſeculuio ſeculi. Ecce refectio ad gloriam vt in gloria perpetua viuaot. *Iſa.* 23. Non condentur neque repo nentur mercedes Tyri. Quia hia qui ſteterunt coram Domino, erunt mercedes eius vt comedant vſque ad ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem. *Gloſſ.* dicit. Hoc eſt, veris pauperibus qui coram Domino ſteterunt bic in rectitudine gratiæ, & in futuro io rectitudine gloriæ [noli inuitare] Ecce qui ſunt excludendi, omnes ſcilicet carnali affectu coniuncti. Et eſt intelligendum, quod non propter carnalem affectum ſunt vocandi: &, ſi vocantur, vocatio caret mercede æterna. Sed tamen non eſt peccatum vocare eos aliquando, dummodo per expenſas eorum vocaos nou efficiatur impotens ad dandum eleemoſynam. Hoc eſt ergo quod iotendit. Quinque autem coniunctiones ab eleemoſyna excludit, cum dicit [noli vocare] non indigentes [amicos] amicitia ſeculari tibi coniunctos ſi noo indigent. Vt ſit ſenſus [noli vocare amicos] vt cauſa vocationis ſit amicitia ſecularis. *Matth.* 5. Si dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? hoc enim & Ethnici faciunt. *Eccli.* 37. Omnis amicus dicet: Et ego amicitiam copulaui. Sed ſi vocas aoicos, ſit cauſa vocatioois Deus: & neceſſitas inuitationis, ſit paupertas & indigentia. Tali enim amico magis teneris quam alij propter ordinem charitatis. *Cantic.* 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi [neque cognatos] eos. ſ. qui, ex matrimonio veſtro vel amicorum vobis appropinquant: vt hæc ſcilicet ſit cauſa inuitationis, & ſi non ſint pauperes. Aliter enim ſi ſunt pauperes, magis ſunt vocandi. *Tob.* 2. Cum eſſet dies feſtus, & eſſet prandium bonum io domo Tobiæ, dixit filio ſuo: Voca aliquos de tribu noſtra timeotes Dominum. Ecce quod magis vir ſanctus præcepit vocari cognatos quam alios [neque vicinos] non indigentes. Suut autem vicini in conuictu quotidiano nobis communicantes: qui ſi indigentes ſunt, magis ſunt vocandi. *Luc.* 15. Conuocat aoicoa, & vicinos ſuos, dicens: Congratulamini mihi, &c. [Neque fraties] ex eiſdem parentibus vobis iunctos, ooo indigentes: ſed ſi indigent, nulli tantum ſunt vocandi. *Iſa.* 58. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris [Neque diuites] qui non indigent: ita quod hæc ſit cauſa inuitationis. Aliter autem poſſunt inuitari. Vnde Rex Aſſuerus qui io multis laudatur, fecit prandium talibua *Eſther* 2. Et largitus eſt eis monera ſecundum magnificentiam principalem. Cauſam autem quare tales non ſunt innitandi, ſubiungit dicens [ne forte ipſi te reinuitent] quia alia ſpe mercedis noo poſſunt tales inuitari: quia non habent vnde aliud retribuant. *Matth.* 6. Amen dico vobis, receperont mercedem ſuam. *Luc.* 16. Fili recepiſti bona io vita tua [& fiat tibi retributio] in vita iſta. Sed contra. Quia *Marc.* 10. dicitur qnod centuplum accipiet in vita iſta cum perſecutionibus, & io futuro vitam æternam. Ad hoc dicendum, quod centoplum accipiet, non in vicaria temporalium retributione: ſed potius in virtutis miſericordiæ & largitatis delectatione, quæ pro centoplo reputatur. *Geneſ.* 26. Seuit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anuo centuplum, hoc eſt, poſuit in eleemoſynas, & pro delectatione reputauit ſe centuplum inueniſſe. *Eccle.* 11. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, & poſt multa tempora inuenies eum [Sed cum facis conuiuium] volens vtiliter tua expendere. Conuiuium autem ſonat delicias: quod frequenter ſonat in malo. Sonat enim aliquando faſtum, & iactantiam. *Daniel.* 5. Balthaſar rex fecit conuiuium grande optimatibus ſois mille: & vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem. Aliquando ſonat honeſtatem ſeculi. *Eſther* 1. Rex Aſſuerus fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis. Aliquando ſonat gaſtrimargiam *Prouerb.* 23. Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt. Eſt iterum conuiuium laſciuiæ & luxuriæ. *Oſe.* 3. Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt. Tale fuit conuiuium Herodis, in quo propter ſaltus Herodiadis præciſum eſt caput Ioannis. Eſt autem conuiuium gratiæ, & virtutis; ſicut dicitur *Iob* 1. quod filij Iob, hoc eſt, virtutes, faciebant conuiuia per ſingulas domos: & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, hoc eſt, tres virtutes theologicas. Eſt etiam conuiuium miſericordiæ, ſicut hic. Et ab hoc loco confunduntur qui dicunt pauperibus noo eſſe danda delicata. Quamuis enim non ſint eis delicata porrigenda continuo, ne conſueſcant: tamen crudele eſt dicere, quod nihil vnquam delicati debeat porrigi pauperibus: quia ſine delicits omnimodis non poteſt viuere natura humana. *Nehemiæ* 8. Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes eis qui non præparaueruot ſibi. Pinguia autem, & mulſum ſunt delicata. *Luc.* 5.

Fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Cum ergo tale conuiuium misericordiæ feceris. Et hic dicit,qui sunt vocandi,& quando. Quando quidem [cum facis conuiuium] Qui autem, subdit [voca pauperes] Non expectes donec petant,sed[voca]eos, qui forte propter verecundiam vel metum non veniunt. Pauperes autem sunt qui non sufficiunt sibi: & ideo vocandi sunt vt ex abundantiis tuis recreentur. *Iob* 30. Compatiebatur anima mea pauperi Hoc est quod dicit Dominus *Matth.*25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Et isti sunt qui in exterioribus deficiunt, neminem in exterioribus habentes consolatorem [& debiles] interius viribus destitutos, nec laborare valentes. Deb lis autem est infirmus quacunque infirmitate. *Rom.*14. Infirmum autem in fide assumite, & non in disceptationibus cogitationum. *Rom.*15 Debemus nos firmiores. Imbecillitates infirmorum sustinere [& claudos] qui quærere non possunt victum suum. *Act.*3. Claudus quidam cum vidisset Petrum & Ioannem, cœpit rogare eos, vt eleemosynam acciperet [& cæcos] qui vestigia quærendi eleemosynam videre non possunt. *Luc.*18. Cæcus sedebat secus viam mendicans. Omnes enim isti nihil lucrorum possunt agere quo sibi subueniant. Rationem autem subiungit,dicens[Et beatus eris]*Tob.*4. Ne auertas faciem tuam ab vllo paupere Isti enim vere pauperes sunt,qui tam in bonis fortunæ quam in naturalibus deficiunt: non tantum parum habentes, sed etiam impossibiles ad acquirendum existentes. Et illis maxime est subueniendum: præcipue tamen illis qui boni sunt, & timentes Deum. *Eccli.*9. Viri iusti sint tibi conuiuæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio. *Eccli.*12. Da misericordi,& ne suscipias peccatorem. *Eccli.*10. Noli despicere hominem iustum pauperem [quia non habent retribuere tibi] quia in illius vocatione solus Deus est causa. *Eccli.*12. Benefac iusto,& inuenies retributionem magnam. Et si non ab ipso, certe a Deo [retribuetur enim tibi] 2.*Timoth.*1. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem [in resurrectione iustorum] Tunc enim retribuetur in corpore,& anima. *Isa.*3. Dicite iusto quoniam bene retributio manuum eius fiet ei. *Psalm.*111. Beatus homo qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. *Prouerb.*19. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis,& vicissitudinem suam reddet ei. Quamuis autem & iusti,& mali resurrecturi sint: tamen non facit mentionem nisi de resurrectione iustorum: quia illi soli resurgunt ad præmium,& gloriam. *Psalm.*1. Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.

Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

Tangit hic impedimenta quæ facit amor temporalium ad sequendum Dominum? & habet partes duas, in quarum prima excludit errorem cuiusdam male intelligentis præinducta: in secunda autem tangit multiplicia ad sequendum Dominum impedimenta, ex amore temporalium causata. Circa primum autem tangit tria: occasionem erroris,infamiam errantis,& speciem erroris. De primo dicit [Et cum hæc audisset] de remuneratione æterna à verbis Christi, putans esse remunerationem terrenam: sicut dicunt Iudæi de Regno mille annorum,& aurea Ierusalem: in quibus (sicut dicunt) futuri erunt Iudæi. simile aliquid passi cum illis,qui *Ioan.*6. dixerunt de Christo: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et abierunt retrorsum. Ita iste & similes sui, carnaliter intelligentes verba Christi dicunt per contrarium, quod beatitudo quædam sit corporalis, edere & bibere in regno Dei terreno: non aduertentes quod dicitur *Rom.*14. Non est regnum Dei esca,nec potus: sed iustitia, & pax,& gaudium in Spiritu sancto. Dicit autem [quidam] notans infamiam huius,qui non est dignus nomine. *Ps.*68. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur [de simul discumbentibus]quia diuersa genera simul ibi discumbebant: & iste fuit vnus de non vestitis veste nuptiali quoad fidem, & videtur de Sadducæis fuisse, qui dicunt resurrectionem non esse spiritualem vitam. Vel forte fuit vnus de Essæis, qui dixerunt nulla esse spiritualia, sed tantum pro temporalibus Deo esse seruiendum. *Deuter.*33. Tantummodo oculus Iacob, in terra frumenti, vini, & olei. *Psalm* 113: Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. Ex his enim & huiusmodi sui erroris sumebat occasionem. Fuit autem quidam nomine, Cerinthus, huius erroris defensor, vt dicit *Aug.* Dixit igitur [Beatus qui manducabit panem in regno Dei] Intelligens de regno terreno. Quia si de pane spirituali & de regno spirituali (quod in cælo futurum est) intellexisset, nihil errasset. *Luc.*22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Et quia carnalis intellectus,occasio est erroris: ideo dicitur *Ioan.*6. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita(*Gloss.ibidem.* Hoc est,spiritualiter intellecta) vita sunt. 2.*Corinth.*3. Litera occidit, spiritus autem viuificat.

At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

Hic & excludit errorem male intelligentis, & ostendit quod in temporalibus non est perfectio veniendi ad regnum, sed potius impedimentum. Dicit autem tria: multorum scilicet ad cœnam regni Dei vocatorum,impedimenta excusantium: & aliorum vocationem loco eorum, qui venire neglexerunt. Et hoc est quod dicit [At] E contra ipse IESVS spiritualiter dicta intelligens [dixit illi] redarguens carnalem intellectum ipsius. *Apoc.*2. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis [homo] Q. d. Tu dicis in temporalium abundantia beatitudinem esse regni Dei. E contra ego,spiritualiter intelligens regnum Dei, ostendendo non in temporalium abundantia regnum Dei consequendum. *Luc.*12. Non est in abundantia cuiusquam vita ipsius. Dicit igitur.

Homo quidam] Circa præparationem, istam dicit quatuor: præparantis scilicet magnificentiam,circa vocationem liberalitatem profusam,&

sui

fui cordis ad hoc vt venirent vocati, deuotionem feruentissimam. Circa primum horum dicit quatuor: præparantis scilicet dignitatem, humanitatem, præparationem, largitatem. Dignitas quidem notatur in hoc quod dicit [quidam] cuius dignitas, & dominatus, & honor, sunt ineffabilia. *Psalm.* 137. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat? *Exod.* 15. Quis similis tibi in fortibus Domine? Quis similis tui magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Iste ergo, quidam est ab omnibus aliis excelsus: Et ideo per speciem dominationis inexplicabilis. *Psalm.* 85. Non est secundum opera tua. Hic homo dicitur (cum tamen Pater & Rex sit omnium) non à natura humanitatis, sed à benignitate: sicut *Sapient.* 7. Spiritus sanctus dicitur humanus, stabilis, securus, omnem amans virtutem. *Sapient.* 1. Benignus est spiritus sapientiæ. Sicut etiam dicitur *Matth.* 22. Homo quidam: qui nihil facit inhumanè. Est enim humanitas, mansuetudo ipsius. Quia, sicut dicit *Philosophus*: homo est animal mansuetum natura. 2. *Reg.* 23. Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus. Sic ergo est [homo] omnes benigne suscipiens, & benignius pertractans, & benignissime in sua cœna disponens. *Sapient.* 8. Disponit omnia suauiter [fecit] Hic notatur præparatio, in qua studium præparationis intelligitur & diligentia. *Isa.* 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. 1. *Corinth.* 2. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. *Tobiæ* 8. vxori suæ dixit vt instrueret conuiuium, & præpararet omnia quæ in cibos iter agentibus sunt necessaria. Tobias bonitas Domini interpretatur. Vxor autem eius, est summa sapientia. Quæ bonitas Domini, facultates huius cœnæ, sed sapientia sua, studium apponit præparationis. *Ps.* 67. Præparasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Cœnam magnam] hic tangitur magnifica liberalitas in præparatione: & dicuntur duo: modus conuiuij, quia cœna: & quantitas, quia magna. Cœna autem est post quam non est aliud conuiuium: & ideo maxime signat finalem refectionem in gloria, à qua nullus qui intrauerit eiicitur. De quo dicitur *Matth.* 26. Non bibam à modo de hoc genimine vitis, vsque dum bibam illud nouum vobiscum in regno meo. Et ideo istud aliud est ab eo quod describitur *Matth.* 22. quia ab illo eiicitur is qui intrauit, non habens vestem nuptialem. Et ideo significat hic in Ecclesia refectionem in gratia, à cuius communione eiicitur qui non est honestæ conuersationis. In gloria igitur fecit cœnam magnam.

Si tamen communiter loquamur, tunc facit quadruplicem cœnam, scilicet, in refectione doctrinæ, in refectione virtutis, & gratiæ, in refectione Eucharistiæ, & in refectione gloriæ. Refectionem doctrinæ facit in contemplationis intellectu, refectionem virtutis & gratiæ facit in voluntatis affectu, refectionem Eucharistiæ in cordis deuotione & fidei gustu. Refectionem gloriæ facit in patria in suæ dulcedinis aspectu. Prima refectio est in virtute, secunda in forma & matre virtutum charitate, tertia in gratiæ vbertate, & quarta in perfecta beatitudine. Prima est inchoationis, secunda profectionis, tertia perfectionis, & quarta est dulcedinis superefluentis *Luc.* 6. Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.

De prima cœna dicitur *Apocal.* 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: siquis aperuerit mihi, intraibo & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Pulsat enim verbum Dei & sapientia Patris, per veritatem ad intellectum, vt aperiatur ei per fidei consensum. Intrat autem per illuminationem, & concœnant intellectus & sapientia per veritatis refectionem & delectationem. Dicit enim *Philosophus*, quod admirabiles habet sapientia delectationes, puritate & firmitate. Hoc conuiuium instruit sapientia *Prouerb.* 9. Sapientia immolauit victimas, proposuit mensam suam, miscuit vinum, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis. Siquis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Victimæ autem sapientiæ quæ à vincendo dicuntur, sunt diuinæ veritatis studia, & lectiones, & contemplationes. Istæ Immolantur quando & deuote Dei cultui administrantur, & delectationes earum prægustantur per intellectum. Victima enim immolata, partim Deo offerebatur, & partim à Sacerdote gustabatur. Mensam ergo pinguem in his sapientia proponit omnibus diuersarum veritatum diuinarum, vnicuique saporem proponens: dum proponit facta & apparitiones Patriatcharum, in virtutibus & apparitionibus diuinis, veritatem diuinæ notitiæ docentibus, & reuelationes Prophetarum sacramenta diuinæ dispositionis & voluntatis paulatim aperientibus, & sublimitatem Legislatoris, & legis mandata, morum, & iustitiarum exponentibus: & in mediatore Christo, per quem gratia & veritas facta est: siue etiam in Doctoribus Apostolicis, per quos sacramenta fidei sunt patefacta: siue in studiis Patrum, per quæ fides contra hæreses defensa est. Hoc vinum spiritualis intelligentiæ miscet, vt captiuetur intellectus in obsequium fidei, & in omnibus fiat præceptum Apostoli ad *Roman.* 12. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hæc mittit ancillas suas, hoc est, ad eam ancillantes sapientias, tam rationales, quam naturales, quam etiam morales philosophias, & scientias iuris tam monastici quam politici. Vocare ad arcem summi intellectus diuini, & ad mœnia ciuitatis, in qua sunt scholæ Doctorum omnium. Vocat autem paruulos, hoc est, humiles non de sua scientia, quæ inflat, præsumentes. Et insipientibus locuta est, hoc est, qui saporem veritatis diuinæ nondum gustauerunt: vt veniant ad gustum sapientiæ, & ad veritatis indagationem. *Eccli.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit eum. *Sapient.* 16. Non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus pascit eos qui in te confidunt. Hoc conuiuio refectus & delectatus fuit Moyses: ita quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non comedit, & illustrata est facies eius ex consortio sermonis Domini. Sic dicitur *Exod.* 34. Hæc est ergo cœna prima.

Secunda cœna in conuiuio virtutis & bonitatis in charitate. Hæc est cœna de qua dicitur *Iudith* 6. Ozias, expleto consilio suscepit Achior in domum suam, & fecit cœnam magnam. Et vocatis omnibus Presbyteris, simul refecerunt. Ozias fortitudo Dei interpretatur: & significat Christum

stum Dei virtutem, siue fortitudinem. 1. *Corinth.* 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Hic recipit Achior, qui fratris mei lumen interpretatur, hoc est, illuminatum iam in cœna prima ex veritate. In domum suam, quæ est domus virtutis & gratiæ, quæ est Ecclesia bonorum. *Psalm.* 100. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam. *Exod.* 1. Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos. *Gloss.* Domos virtutum. Et ibi fecit cœnam magnam in charitate (quæ mater est virtutum) filiis septem, & filiabus Iob, hoc est, septem donis, & tribus theologicis virtutibus (quæ sunt tres sorores) in charitate Dei & in deliciis charitatis epulantibus. Et vocatis omnibus Presbyteris, quorum exempla sunt exemplaria virtutum Sanctorum. Refecerunt & epulati sunt, magnas delicias habentes in dulcedine spiritus charitatis. *Eccli.* 24. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Et ideo sequitur: Qui edunt me, adhuc esurient: qui bibunt me, adhuc sitient. Quia tanta est delectatio honestatis virtutum & Spiritus sancti in charitate, quod fastidium tollit, & continuum auget desiderium, intantum quod *Isaias* dicit 4. quod sine expensis hominis, illæ virtutes suis expensis hanc faciunt refectionem. Apprehendent septem mulieres virum vnum, & dicent: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. Hanc refectionem dulcedinis ministrabimus ex spiritu dulcissimæ veritatis, & vestitum ministrabimus honestæ conuersationis: non petentes nisi quod diligendo nos, auferas opprobrium sterilitatis nostræ, & quod in te nominemur. Septem enim mulieres, septem sunt virtutes: fides, spes, charitas, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo. *Prouerb.* 15. Secura mens quasi iuge conuiuium. Securitas autem mentis non est nisi per charitatem, quæ informat virtutem, & nulla ei deest virtus.

Tertia cœna, est in Eucharistia recepta ab altari, & hæc est in gratiæ vbertate, ex qua Eucharistia nomen accepit, quæ bona gratia interpretatur. Hæc est cœna Paschæ quam Christus habuit cum Discipulis suis *Ioan.* 13. De quo dicitur *Luc.* 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Hæc cœna Christi perficitur Sacramento, in quo incorporatio fit Christo ad salutarem omnium bonorum communionem, per sumptionem sui corporis. Infusio fit ad omnium intimorum aspersionem, per sumptionem sui sanguinis. Perfecta fit reconciliatio ad Deum Patrem, per pretium redemptionis suæ sanctissimæ animæ. Viuificatio ad restaurationem omnis deperditionis spiritualis vitæ ex influxu sui sanctissimi Spiritus. Et grati perfecta gratificatione reddimur Deo ex gratitudine suæ diuinitatis. Et ex vase omnis gratiæ (quod hoc sacramentum Eucharistiæ est) gratiam pro gratia accipimus: vt Christo semper conformemur, & vniamur. *Ierem.* 31. Inebriabo animas Sacerdotum pinguedine, & populus meus abundabit bonis. Hoc est conuiuium cœnæ de quo dicitur *Isa.* 25. In die illa faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, & conuiuium vindemiæ: conuiuium medullatorum pinguium, & vindemiæ defæcatæ. Omnibus enim populis fit cœna conuiuij, quod totius mystici corporis facit & significat vnitatem. In monte autem fit, quod tanta fit excellentia charitatis, qua Christus seipsum nobis obtulit manducandum. Est autem conuiuium pinguium in corporis refectione, in deitatis dulcedine, & in spiritus delectatione, & animæ gratia. Vindemiæ autem conuiuium est in sanguinis infusione, & aspersione. Medullatorum autem pinguium est: quia nullum horum est sine diuinitatis penetrantis per totum, pinguissima deuotione. Et est vindemiæ defæcatæ, per hoc quod immune est ab omni corruptionis fæce. Iste est panis de quo dicitur *Gen.* 49 Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.

Quartum est conuiuium in gloria in omni beatitudinis perfectione. Et hæc est cœna de qua dicitur 2. *Esdræ* 3. Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus Magistratibus Mediæ & Persidis, & omnibus Purpuratis, & Prætoribus, & Consulibus, & Præfectis sub illo. Rex iste significat eum qui in vestimento & in femore habet scriptum. Rex regum & Dominus dominantium. Qui bene Darius, hoc est, augmentatus dicitur: quia de naturalibus bonis in gratiam, & de gratia auget in gloriam. Fecit autem vernaculis, hoc est, seruis in domo sua genitis: qui significant innocentes. Fecit & Magistratibus, hoc est, magisterium bonæ vitæ docentibus. Fecit, inquam, Magistratibus Mediæ, quæ mensura interpretatur: quia doctrinam vitæ cuiuslibet hominis mensurauerunt. Hi etiam sunt Magistratus Persarum, qui tentati interpretantur: quia doctrinam contra cuiuslibet tentationem adaptauerunt. Fecit Purpuratis, hoc est, omnis generis Martyribus, qui pro nomine suo purpureo sanguine sunt perfusi. Fecit etiam Prætoribus, hoc est, optimis Prælatis iura vnicuique reddentibus. Fecit etiam Consulibus omnibus qui erant sub illo, hoc est, omnibus sua consilia sequentibus, sicut virginibus, viduis, & bonis coniugatis. Fecit etiam Præfectis, hoc est, bonis confessoribus sub ipso populum regentibus, siue fuerint Episcopi, siue Præpositi, siue Archidiaconi, siue Presbyteri, siue alterius ordinis Clerici, & Religiosi fuerint. In hac cœna cœnaut fratres cum fratre suo Ioseph *Genes.* 43. & præ nimietate gaudiorum inebriatur coram eis: eo quod omnis doloris & gemitus in se, & in suis obliuiscitur. *Apocal.* 21. Iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quæ prima abierunt. Hæc est cœna de qua dicitur *Apocal.* 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Et de hac cœna quamuis non intelligeret quid diceret: tamen in desiderio magno dixit iste [Beatus qui manducabit panem in regno Dei] & ideo quia in deuotionis desiderio dixit: Christus errorem suum non reprehendit: sed sine reprehensione per similitudinem ad spiritualem intellectum instruxit. *Gal. vltim.* Quod si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis.

Qualibet istarum cœnarum est magna. Prima quidem admiratione veritatis & altitudine, secunda autem magnitudine charitatis & latitudine, tertia Sacramenti effectu & significatione, quarta mirabilitate iucunditatis & refectionis delectatione. De prima veritatis altitudine dicit *Psalm.* 63. Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur

bitur Deus. *Psalm.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. De secunda dicitur *Matth.* 22. Hoc est primum & maximum mandatum, quod omnium virtutum mandata comprehendit. *Psalm.* 118. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. De magnitudine tertiæ cœnæ dicitur *Eccli.* 31. Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia oportet te præparare. De magnitudine quartæ cœnæ dicitur *Baruch* 3. O Israël quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. *Luc.* 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum: vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.

Tamen potest dici quod qualibet istarum cœnarum dicitur magna ferculorum multiplicitate, & pretiositate, & abundantia. Multiplex enim doctrina, & intellectus refectio est in veritate: multiplex dulcedo in virtute: multiplex sapor in Eucharistia: multiplex gaudium in beatitudine. De multiplicitate veritatis significatur *Act.* 2. quod Apostoli erant loquentes variis linguis: prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. De pretiositate *Psalm.* 118. Dilexi mandata tua super aurum & topazion. *Prouerb.* 3. Pretiosior est sapientia cunctis opibus. De abundantia autem dicitur in *Psalm.* 143. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Ideo *Prouerb.* 8. Audite me: quoniam de rebus magnis locutura sum.

Cœna autem virtutis magna est etiam, multiplicitate ferculorum, & pretiositate, & abundantia. De multiplicitate dicitur *Prouerb.* 13. Multi cibi in noualibus patrum, hoc est, multa genera ciborum, noualia sunt de nouo exculta: quia patres semper noui sunt in colendo. Et ideo etiam delectationes virtutum dicuntur fructus: vt dicit *Ambrос. Galat.* 5. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax: &c. Ista sunt crocea, in quibus filij Dei nutriuntur, quos plangit *Ieremias* in Threnis quando per reuersionem ad vitia, stercora amplexantur. Crocea enim delicata sunt, & redolentia, & pulchritudinem indocentia venustatis. Hæc sunt pretiosa, sicut dicitur *Eccli.* 31. Splendidum in panibus benedicunt labia multorum. Non enim splendidus est in refectione, nisi qui splendida proponit & pretiosa. Abundanter autem & ista ministrantur. *Iacob.* 1. Dat omnibus abundanter, & non improperat. Hæc igitur est etiam cœna magna, maior quam prima: licet prima magna sit.

Tertia autem maxima est, quæ est in sacramento Eucharistiæ: quod ostendit, quia non nisi in cœnaculo grandi strato præparari potuit. *Marc.* 14. Ipse ostendet vobis cœnaculum grande, stratum: & ibi parate. Quamuis autem non sit magna multitudine ferculorum: est tamen magna & maxima (quod mirabilius est) multiplicitate saporum: quia non est gratia quæ in Eucharistia non sapiat. *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. *Sapient.* 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas: & voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Quis enim sapor deest, vbi sapit dulcedo sanguinis, confortat nutrimentum corporis, condit omnia condimentum gratiæ exuberantis? In eo quidem in sacramento, animæ virtus infunditur: & animæ quæ vnitur deitati, suauitatem immensam inducit spiritus, ab eo (qui in Sacramento est) secundum deitatem procedens. Beatitudinis delectationem cansat deitas in Sacramento contenta, compunctionis aperientis linguam & palatum operator lactuca agrestis in cordis compunctione. Petrus zelum ex cœna assumit vindictæ in traditorem, quærens diligenter qui sit vt vindicet in eum. Ioannes in suauitatem excessus amoris resoluitur, & in pectore reclinatur Christi. Cæteri autē Apostoli Christo tanquam membra incorporantur. Venenati autem proditores, ad diabolum expelluntur: tanquam venena à salutaribus cibis produntur & expelluntur. Sicut enim legitur *Ioan.* 13. Cum accepisset ille buccellam, exiuit continuo: erat autem nox. Est igitur multiplex in sapore, multiplex in effectu, & salutaris in gustu, non permittens venenum secum esse in percipientibus. Est autem cœna illa pretiosa super omnem thesaurum. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine tanquam agni immaculati Christi. Pretium enim vniuersitatis, agnus hic immolatur & sumitur: qui & à seruitute liberat, & exterminatorem nostrum inimicum excludit, & nos reconciliat ad Deum, & inducit in regnum. Abundanter autem administratur: quia totus vnicuique Christus in natura hominis & deitatis administratur. Itaque etiam mereenarij, tantum sacramentaliter sumentes, in domo istius hominis abundant panibus: sicut dicitur *Luc.* 15. Sic fit pax in virtute Ecclesiæ, & abundantia in turribus suis: dum sicut dicit *Psalm.* 147. Fines eius ponit pacem, & adipe frumenti satiat eam.

Cœna autem gloriæ, maxima quidem dici non potest: quia comparationem non admittit, sed superaffluentis magnitudinis est, super omnem comparationis proportionem: vbi sicut dicitur *Luc.* 12. Faciet Rex regum inuitatos discumbere, & transiens ministrabit illis. Cum ipse sit immobilis, tamen transit dum noua fercula continuo proponit, dicente eo qui sedet in throno *Apoc.* 21. Ecce noua facio omnia. Efficitur & hæc immensa mensa cœnæ, ferculorum immensa numerositate, pretiositate, & abundantia. Quis enim numeret delectationes in dextera Dei existentes? Hæ enim delectationes sunt vsque in finem, nihil habentes nisi delectabile: non sicut istæ in quibus risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat *Prouerb.* 14. Dicit *Dionysius* numerum & magnitudinem istarum deliciarum, etiam ipsos non ad plenum scire, qui eas percipiunt. Istæ sunt pretiosissimæ: quia gloriosæ & beatæ. *Isa.* 66. Ecce declinabo in vos sicut flumen pacem, & tanquam torrentem inundantem gloriam Gentium quam sugetis. Ibi sicut *Isa.* 65. dicitur, Serui Dei comedent, & mali esurient: ibi serui Dei bibent, & peccatores sitient, & non erit qui porrigat eis. Hoc est conuiuium magnum quod rex Assuerus beatus omnibus optimatibus suis præparauit. Abundantia enim magna est, dicente *Psalm.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Sic igitur fecit cœnam magnam.

Consilium igitur Sapientis dignum est vt teneatur

heatur *Prouerb*.23. Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ ponuntur ante faciem tuam. In omnibus enim his cœnis sedemus cum principe. In prima quidem, sicut veritatis Magistro: in secunda autem, sicut cum virtutis Domino. *Ioan*.13. Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis. Sum etenim. In tertia autem, sicut cum summo Sacerdote in suo sacrificio. *Hebr*.7. Talis decebat vt esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. In quarta sedemus cum Rege in decore suo fulgente. *Isa*.33. Regem in decore suo videbunt. Attendat ergo quilibet diligenter, quæ sibi apponuntur: quia talibus dignas gratiarum actiones, oportet eum præparare.

Et vocauit multos] Hoc est largitatis, & magnificentiæ. Duplex autem est vocatio: per Verbum, & per inspirationem: & vtroque istorum modorum vocauit multos, quia omnes ad quos peruenit sermo auditus, & quibus lumen infunditur inspirationis. Primam vocationem facit exterius. *Psalm*.18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. De interiori vocatione dicitur 1.*Timoth*.2. Qui vult omnem hominem saluum fieri, & ad agnitionem sui nominis peruenire. Quod exponens *Ioan. Damasc.* dicit quod voluntate signi omnem hominem vult saluum fieri, & voluntate antecedente: quia talem naturam dedit homini, cui impressa est notitia veri & boni, & quæ recipit illuminationes inspirationum deueniendo ad ipsum. *Ioan*.1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc autem vtramque vocationem promouet aliquando per flagella, erudiens hominem vt reuertatur: aliquando autem per beneficia trahit. De flagellis quidem dicitur *Isa*.26. In angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. De beneficiis autem dicitur *Rom* 2. An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Vnde etiam improperat negligentibus in vtroque modo vocationis. *Isa*.1. De flagellis quidem. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. *Isa*.9 Adhuc manus eius extenta, & populus non est reuersus ad percutientem se. De beneficiis autem *Isa*.1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. De vocatione autem quadam loquitur Apostolus *Rom*.8. dicens: Quos præsciuit conformes fieri imaginis Filij sui, hos & vocauit. Hæc autem vocatio est segregatio per gratiam electionis à massa perditionis. Et quia nullus vocatorum huic vocationi contradicit: ideo oportet dicere quod de tali vocatione non loquitur hic Dominus. Sic ergo vocauit [multos] *Matth* 20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Omnes enim vocat quantum in se est: sed tamen quia non omnes audiunt vocantem, ideo dicit [multos] & non omnes. Multi enim audiunt vocantem intus & extra: sed pauci exaudiunt. Quod contradicit *Psalm*.94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. In hoc ergo liberalitas istius hominis attenditur: quia largam manum extendit ad omnes, *Psalm*.144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia.

Hic ostendit deuotionem feruentissimam ad hoc quod inuitati veniant. Dicit autem tria: quod mittit seruum vt moneat ad veniendum, & conuenientiam temporis cogentis intrare ad cœnam, & ad quid vocat venientes. De primo dicit [Et misit seruum suum] & dicit duo: serui auctoritatem, & nuntij certitudinem. Auctoritas vocationis habetur à missione: ille enim vocare potest qui missus est. *Luc*.10. Ecce ego mitto vos. *Rom*.10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Missio enim confert auctoritatem [seruum suum] Hic facit nuntij certitudinem. Papa enim & omnes principes, quos certitudinaliter vocare intendit, vocat per seruum notum, & maxime per ianitorem. Seruus ergo ille significat ordinem Prædicatorum, qui primo processit in Patriarchis, secundo in Prophetis, tertio in Apostolis, quarto in Doctoribus vsque in finem mundi. Hic est seruus de quo dicitur *Isa*.52. Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. *Isa*.49. Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor. Iste ergo est seruus cuius habitus assumptus est à Domino. *Philip*.2. Formam serui accipiens. Sumpsit enim Dominus habitum huius serui, qui est iste ordo Prædicatorum. Sumpsit autem & actum, hoc est, prædicationis officium. *Ierem*.7. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, de nocte consurgens, & mittens. *Genes*.37. Veni mittam te ad eos. *Ierem*.1. Ad omnia quæ mittam te ibis, ne timeas: & quæ mandauero tibi, loqueris ad eos. Iste igitur seruus est totus ordo Prædicatorum, à Patriarchis, sicut dixi, inchoatus, & per Legislatorem & Prophetas in Ioannem Baptistam continuatus, & extensus per Saluatorem, per Apostolos in Doctores, & Prædicatores vsque in finem seculi verbum Dei denuntiantes. Iste igitur est certus & incontradicibilis nuntius.

Hunc autem misit [hora cœnæ] hoc est, hora qua se parare debent ad cœnandum. Et hæc hora finis mundi vocatur, vt dicit *Gloss*. Finis autem dupliciter dicitur, sicut dicit quædam *gloss*. super Epistolam ad *Rom*.10. Est enim finis consumptionis: sicut dicitur quod finis est panis, quando comestus & consumptus est panis: & hoc modo nullus scit quando finis erit mundi *Matth*.24. De die autem illa nemo scit nisi solus Pater. *Act*.1. Non est vestrum scire tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. Est autem finis consummationis, hoc est, vltimæ perfectionis: & sic dicitur 1.*Corinth*.10. quod nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt, hoc est, consummatio seculi: quia seculum incepit à creatione, & corruptum est per diluuium, restitutum per Patriarchas, directum per Legislatorem, illuminatum per Prophetas, perfectum vltima perfectione per Christum, post quam non sequitur alia; quia post Christum non fiet alia renouatio spiritualis, vel perfectio. Et ideo quia modo aperta ianua, hora est ad cœnam se præparandi. 1.*Ioan*.2. Filioli nouissima hora est, hoc est, hora vltima *Matth*.20.

Post

Post quam non ſequitur niſi hora noctis & [cœnæ] & ideo ſeruus modo plus inſtat ad veniendum. Sicut enim dicitur *Ioan.* 14. Chriſtus præceſſit parare nobis locum. Sed ſeruum poſt hoc dimiſit qui inuitet ad veniendum. Et hoc eſt quod ſequitur tertium.

Dicere inuitatis vt venirent] hoc eſt, alloqui eos de præparatione per pœnitentiam. *Ierem.* 51. Qui fugiſtis gladium venite, nolite ſtare. Recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum. Fugerunt enim gladium, qui vulnera diaboli effugerunt per contritionem & confeſſionem. Veniunt autem, qui ſe per virtutem expediunt. Non ſtant, qui ſemper in virtute proficiunt. Recordantur Domini, qui inuitationis factæ per Dominum non ſunt immemores. Ieruſalem autem aſcendit ſuper cor eorum, qui dulcedinem conuiuij parati nunquam à mente dimittunt. Dicunt autem vt venirent [quia parata ſunt omnia] ſignanter dicit [omnia] quia omnia in omnis rei bono ibi parata habentur. *Tobiæ* 12. Bonis omnibus per eum repleti ſumus. *Matth.* 22. Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paratum eſt: tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata ſunt, venite ad nuptias *Tob.* 10. Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis.

Et cœperunt ſimul omnes excuſare.

Hic agitur de vocatorum ingratitudine: & diuiditur in duas partes, in quarum prima oſtenditur hæc ingratitudo in communi: in ſecunda vero excuſatio in ſpeciali. Excuſatio autem in communi importatur per hoc quod dicit [& cœperunt ſimul omnes excuſare] dicit autem quatuor, ſcilicet, iſtorum ad excuſandum inſtantiam, excuſationum conſenſum, & excuſantium generalitatem, & excuſationis modum. Inſtantia importatur per hoc quod dicit [cœperunt] qui enim incipit nouus eſt in hoc quod facit, & feruens, & inſtans. Iſti autem adeo inſtanter excuſabant quod ſemper noui fuerunt in excuſando nouas excuſationes inuenientes. *Hebræor.* 12. Qui audiuerunt excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: & ideo excuſabant: quia difficilis videbatur eis præparatio. Ideo dicit *Pſalm.* 140. Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Excuſare autem, eſt diminutionem culpæ quærere per ſuffragia aliorum, & ſub alterius interceſſionis vmbra ſupportari: & hoc fit, quando nolens venire, ſeruos Dei rogat vt pro ipſo intercedant vt excuſatus habeatur: ſicut Ionathas excuſauit Dauid 1. *Reg.* 20. Hoc autem incipiunt: quia ſemper in hoc peccatores ſunt noui, volentes in peccato manere, & interceſſionibus bonorum excuſari. *Iacob. vltim.* Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. *Pſalm.* 76. Dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi. Sic ergo cœperunt [ſimul] per conſonam in peccato remanendi voluntatem. *Ierem.* 5. Simul hi confregerunt iugum, ruperunt vincula [omnes] generaliter. *Ierem.* 6. A minimo vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent. *Pſal.* 13. Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt [excuſare] *Num.* 16. Omnes vocati reſponderunt, non venimus.

Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum.

Ecce excuſatio in ſpeciali: & habet partes duas, in quarum prima ponitur in ſpeciali vocatorum excuſatio: & in ſecunda ſerui vocantis ad Dominum ſuum renuntiatio. Prior habet partes tres, ſecundum tres excuſationes in litera poſitas, de villa, bobus, & vxore. Prioris excuſatio habet tres particulas: villæ emptionem, videndi villam neceſſitatem, & excuſationem per ſeruum faciendam. Dicit ergo [Primus dixit] qui capite vitiorum ſuperbia ſe primum fecit. *Habac.* 3. Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Superbia enim ſemper ſe primam facit. *Eccli.* 10. Initium apoſtatandi à Deo, ſuperbia. *Tob.* 4. Superbiam in tuo animo nunquam dominari permitte: quia in ipſa initium ſumpſit omnis perditio. Hic ergo dixit [villam emi] ecce primum: & notantur in hoc tria, ſcilicet, emptoris in re empta dominatio, ſecundum *Auguſtinum*: ſecundum, redituum villæ acquiſitio, ſecundum *Hieronymum*: tertium, emptionis commutatio. De primo dicitur [villam emi] & qui emit, villæ & hominibus villæ dominari appetit, & exinde ſuperbit. *Eccle.* 8. Interdum dominatur homo homini in malum ſuum. *Luc.* 22. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem accipiunt ſuper eos benefici vocantur: ſic non erit inter vos. Omnibus enim vocatis ad cœnam ſuam Dominus interdicit dominatum. Secundum autem eſt rei lucrum & poſſeſſio. Et ſicut primum notat ambitionem ſuperbiæ: ita ſecundum notat cupiditatem auaritiæ ſecundum *Hieronymum. Epheſ.* 5. Auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus. Hæc enim ſic mentem occupat quod verba ſeruorum vocantium ſine fructu efficiuntur. Et ideo *ſupra* 8. ſpinis comparantur, quæ ſuffocant. *Eccli.* 10. Auaro nihil eſt ſceleſtius. Villa enim labores importat terrenorum, propter lucrum & curam vitæ huius. Vnde 4. *Reg.* 5. dixit Eliſeus Giezi puero ſuo, quia quæſiuiſſet ſibi argentum, vt emeret oliueta, & ficeta, & ſeruos, & ancillas: & ideo etiam lepra Naaman adhæreret ei. Lepra autem Naaman fuit potentiæ ſecularis, & auaritiæ diuitiarum. Sic enim legitur: Naaman princeps militiæ Syriæ erat, vir potens & diues. Tertium autem quod hic notatur eſt commutatio, quod ſtudium virtutis & anima pro terrenis commutatur: propter quod indignus reputatur vocatione. Et hoc eſt quod dicit [emi] *Eccli.* 10. Nihil eſt iniquius quam pecuniam amare. Hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Ideo ſuis dicit Dominus *Matth.* 16. Quam commutationem dabit homo pro anima ſua? [& neceſſe habeo] hic tangit occupationis neceſſitatem, & dicit tria: ambitionis & auaritiæ exactam neceſſitatem, exitum à ſtudio interiori ad ad exteriorum ſolicitudinem, experiendi noua lucra curioſitatem. De primo dicit [neceſſe habeo] inferente mihi ambitione & auaritia exactam neceſſitatem. Iſti ſunt Præpoſiti operum Ægypti, qui exacta neceſſitate inſtant quotidie ad implendum numerum laterum, hoc eſt, lucrorum terrenorum. *Exod.* 5. *Sapient.* 15. Exiſtimabant conuerſationem hominis compoſitam eſſe ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquire-

neatur *Prouerb.*23. Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ ponuntur ante faciem tuam. In omnibus enim his cœnis ſedemus cum principe. In prima quidem, ſicut veritatis Magiſtro: in ſecunda autem, ſicut cum virtutis Domino. *Ioan.*13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. In tertia autem, ſicut cum ſummo Sacerdote in ſuo ſacrificio. *Hebr.*7. Talis decebat vt eſſet nobis Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus. In quarta ſedemus cum Rege in decore ſuo fulgente. *Iſa.*33. Regem in decore ſuo videbunt. Attendat ergo quilibet diligenter, quæ ſibi apponuntur: quia talibus dignas gratiarum actiones, oportet eum præparare.

Et vocauit multos] Hoc eſt largitatis, & magnificentiæ. Duplex autem eſt vocatio: per Verbum, & per inſpirationem: & vtroque iſtorum modorum vocauit multos, quia omnes ad quos peruenit ſermo auditus, & quibus lumen infunditur inſpirationis. Primam vocationem facit exterius. *Pſalm.*18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. De interiori vocatione dicitur 1.*Timoth.*2. Qui vult omnem hominem ſaluum fieri, & ad agnitionem ſui nominis peruenire. Quod exponens *Ioan. Damaſc.* dicit quod voluntate ſigni omnem hominem vult ſaluum fieri, & voluntate antecedente: quia talem naturam dedit homini, cui impreſſa eſt notitia veri & boni, & quæ recipit illuminationes inſpirationum deueniendo ad ipſum. *Ioan.*1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc autem vtramque vocationem promouet aliquando per flagella, erudiens hominem vt reuertatur: aliquando autem per beneficia trahit. De flagellis quidem dicitur *Iſa.*26. In anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. De beneficiis autem dicitur *Rom* 2. An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Vnde etiam improperat negligentibus in vtroque modo vocationis. *Iſa.*1. De flagellis quidem. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. *Iſa.*9. Adhuc manus eius extenta, & populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. De beneficiis autem *Iſa.*1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. De vocatione autem quadam loquitur Apoſtolus *Rom.*8. dicens: Quos præſciuit conformes fieri imaginis Filij ſui, hos & vocauit. Hæc autem vocatio eſt ſegregatio per gratiam electionis à maſſa perditionis. Et quia nullus vocatorum huic vocationi contradicit: ideo oportet dicere quod de tali vocatione non loquitur hic Dominus. Sic ergo vocauit [multos] *Matth.*20. Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Omnes enim vocat quantum in ſe eſt: ſed tamen quia non omnes audiunt vocantem, ideo dicit [multos] & non omnes. Multi enim audiunt vocantem intus & extra: ſed pauci exaudiunt. Quod contradicit *Pſalm.*94. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. In hoc ergo liberalitas iſtius hominis attenditur: quia largam manum extendit ad omnes, *Pſalm.*144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata ſunt omnia.

Hic oſtendit deuotionem feruentiſſimam ad hoc quod inuitati veniant. Dicit autem tria: quod mittit ſeruum vt moneat ad veniendum, & conuenientiam temporis cogentis intrare ad cœnam, & ad quid vocat venientes. De primo dicit [Et miſit ſeruum ſuum] & dicit duo: ſerui auctoritatem, & nuntij certitudinem. Auctoritas vocationis habetur à miſſione: ille enim vocare poteſt qui miſſus eſt. *Luc.*10. Ecce ego mitto vos. *Rom.*10. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Miſſio enim confert auctoritatem [ſeruum ſuum] Hic facit nuntij certitudinem. Papa enim & omnes principes, quos certitudinaliter vocare intendit, vocat per ſeruum notum, & maxime per ianitorem. Seruus ergo ille ſignificat ordinem Prædicatorum, qui primo proceſſit in Patriarchis, ſecundo in Prophetis, tertio in Apoſtolis, quarto in Doctoribus vſque in finem mundi. Hic eſt ſeruus de quo dicitur *Iſa.*52. Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. *Iſa.*49. Seruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor. Iſte ergo eſt ſeruus cuius habitus aſſumptus eſt à Domino. *Philip.*2. Formam ſerui accipiens. Sumpſit enim Dominus habitum huius ſerui, qui eſt iſte ordo Prædicatorum. Sumpſit autem & actum, hoc eſt, prædicationis officium. *Ierem.*7. Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, de nocte conſurgens, & mittens. *Geneſ.*37. Veni mittam te ad eos. *Ierem.*1. Ad omnia quæ mittam te ibis, ne timeas: & quæ mandauero tibi, loquetis ad eos. Iſte igitur ſeruus eſt totus ordo Prædicatorum, à Patriarchis, ſicut dixi, inchoatus, & per Legiſlatorem & Prophetas in Ioannem Baptiſtam continuatus, & extenſus per Saluatorem, per Apoſtolos in Doctores, & Prædicatores vſque in finem ſeculi verbum Dei denuntiantes. Iſte igitur eſt certus & incontradicibilis nuntius.

Hunc autem miſit [hora cœnæ] hoc eſt, hora qua ſe parare debent ad cœnandum. Et hæc hora finis mundi vocatur, vt dicit *Gloſſ.* Finis autem dupliciter dicitur, ſicut dicit quædam *gloſſ.* ſuper Epiſtolam ad *Rom.*10. Eſt enim finis conſumptionis: ſicut dicitur quod finis eſt panis, quando comeſtus & conſumptus eſt panis: & hoc modo nullus ſcit quando finis erit mundi *Matth.*24. De die autem illa nemo ſcit niſi ſolus Pater. *Act.*1. Non eſt veſtrum ſcire tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Eſt item finis conſummationis, hoc eſt, vltimæ perfectionis: & ſic dicitur 1.*Corinth.*10. quod nos ſumus in quos fines ſeculorum deuenerunt, hoc eſt, conſummatio ſeculi: quia ſeculum incepit à creatione, & corruptum eſt per diluuium, reſtitutum per Patriarchas, directum per Legiſlatorem, illuminatum per Prophetas, perfectum vltima perfectione per Chriſtum, poſt quam non ſequitur alia: quia poſt Chriſtum non fiet alia renouatio ſpiritualis, vel perfectio. Et ideo quia modo aperta ianua, hora eſt ad cœnam ſe præparandi. 1.*Ioan.*2. Filioli nouiſſima hora eſt, hoc eſt, hora vltima *Matth.*20.

Poſt

Poſt quam non ſequitur niſi hora noctis & [cœnæ] & ideo ſeruus modo plus inſtat ad veniendum. Sicut enim dicitur *Ioan.* 14. Chriſtus præceſſit parare nobis locum. Sed ſeruum poſt hoc dimiſit qui inuitet ad veniendum. Et hoc eſt quod ſequitur tertium.

Dicere inuitatis vt venirent] hoc eſt, alloqui eos de præparatione per pœnitentiam. *Ierem.* 51. Qui fugiſtis gladium venite, nolite ſtare. Recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum. Fugerunt enim gladium, qui vulnera diaboli effugerunt per contritionem & confeſſionem. Veniunt autem, qui ſe per virtutem expediunt. Non ſtant, qui ſemper in virtute proficiunt. Recordantur Domini, qui inuitationis factæ per Dominum non ſunt immemores. Ieruſalem autem aſcendit ſuper cor eorum, qui dulcedinem conuiuij parati nunquam à mente dimittunt. Dicunt autem vt venirent [quia parata ſunt omnia] ſignanter dicit [omnia] quia omnia in omnis rei bono ibi parata habentur. *Tobiæ* 12. Bonis omnibus per eum repleti ſumus. *Matth.* 22. Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paratum eſt: tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata ſunt, venite ad nuptias *Tob.* 10. Omnia in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis.

Et cœperunt ſimul omnes excuſare.

Hic agitur de vocatorum ingratitudine: & diuiditur in duas partes, in quarum prima oſtenditur hæc ingratitudo in communi: in ſecunda vero excuſatio in ſpeciali. Excuſatio autem in communi importatur per hoc quod dicit [& cœperunt ſimul omnes excuſare] dicit autem quatuor, ſcilicet, iſtorum ad excuſandum inſtantiam, excuſationum conſenſum, & excuſantium generalitatem, & excuſationis modum. Inſtantia importatur per hoc quod dicit [cœperunt] qui enim incipit nouus eſt in hoc quod facit, & feruens, & inſtans. Iſti autem adeo inſtanter excuſabant quod ſemper noui fuerunt in excuſando nouas excuſationes inuenientes. *Hebræor.* 12. Qui audierunt excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: & ideo excuſabant: quia difficilis videbatur eis præparatio. Ideo dicit *Pſalm.* 140. Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Excuſare autem, eſt diminutionem culpæ quærere per ſuffragia aliorum, & ſub alterius interceſſionis vmbra ſupportari: & hoc fit, quando nolens venire, ſeruos Dei rogat vt pro ipſo intercedant vt excuſatus habeatur: ſicut Ionathas excuſauit Dauid 1. *Reg.* 20. Hoc autem incipiunt: quia ſemper in hoc peccatores ſunt noui, volentes in peccato manere, & interceſſionibus bonorum excuſari. *Iacob. vltim.* Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. *Pſalm.* 76. Dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi. Sic ergo cœperunt [ſimul] per conſonam in peccato remanendi voluntatem. *Ierem.* 5. Simul hi confregerunt iugum, ruperunt vincula [omnes] generaliter. *Ierem.* 6. A minimo vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent. *Pſal.* 13. Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt [excuſare] *Num.* 16. Omnes vocati reſponderunt, non venimus.

Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excuſatum.

Ecce excuſatio in ſpeciali: & habet partes duas, in quarum prima ponitur in ſpeciali vocatorum excuſatio: & in ſecunda ſerui vocantis ad Dominum ſuum renuntiatio. Prior habet partes tres, ſecūdum tres excuſationes in litera poſitas, de villa, bobus, & vxore. Prioris excuſatio habet tres particulas: villæ emptionem, videndi villam neceſſitatem, & excuſationem per ſeruum faciendam. Dicit ergo [Primus dixit] qui capite vitiorum ſuperbia ſe primum fecit. *Habac.* 3. Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Superbia enim ſemper ſe primam facit. *Eccli.* 10. Initium apoſtatandi à Deo, ſuperbia. *Tob.* 4. Superbiam in tuo animo nunquam dominari permitte: quia in ipſa initium ſumpſit omnis perditio. Hic ergo dixit [villam emi] ecce primum: & notantur in hoc tria, ſcilicet, emptoris in re empta dominatio, ſecundum *Auguſtinum*: ſecundum, redituum villæ acquiſitio, ſecundum *Hieronymum*: tertium, emptionis commutatio. De primo dicitur [villam emi] & qui emit, villæ & hominibus villæ dominari appetit, & exinde ſuperbit. *Eccle.* 8. Interdum dominatur homo homini in malum ſuum. *Luc.* 22. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem accipiunt ſuper eos benefici vocantur: ſic non erit inter vos. Omnibus enim vocatis ad cœnam ſuam Dominus interdicit dominatum. Secundum autem eſt rei lucrum & poſſeſſio. Et ſicut primum notat ambitionem ſuperbiæ: ita ſecundum notat cupiditatem auaritiæ ſecundum *Hieronymum*. *Epheſ.* 5. Auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus. Hæc enim ſic mentem occupat quod verba ſeruorum vocantium ſine fructu efficiuntur. Et ideo *ſupra* 8. ſpinis comparantur, quæ ſuffocant. *Eccli.* 10. Auaro nihil eſt ſceleſtius. Villa enim labores importat terrenorum, propter lucrum & curam vitæ huius. Vnde 4. *Reg.* 5. dixit Eliſeus Giezi puero ſuo, quia quæſiuiſſet ſibi argentum, vt emeret oliueta, & ficeta, & ſeruos, & ancillas: & ideo etiam lepra Naaman adhæreret ei. Lepra autem Naaman fuit potentiæ ſecularis, & auaritiæ diuitiarum. Sic enim legitur: Naaman princeps militiæ Syriæ erat, vir potens & diues. Tertium autem quod hic notatur eſt commutatio, quod ſtudium virtutis & anima pro terrenis commutatur: propter quod indignus reputatur vocatione. Et hoc eſt quod dicit [emi] *Eccli.* 10. Nihil eſt iniquius quam pecuniam amare. Hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Ideo ſuis dicit Dominus *Matth.* 16. Quam commutationem dabit homo pro anima ſua? [& neceſſe habeo] hic tangit occupationis neceſſitatem, & dicit tria: ambitionis & auaritiæ exactam neceſſitatem, exitum à ſtudio interiori ad ad exteriorum ſolicitudinem, experiendi noua lucra curioſitatem. De primo dicit [neceſſe habeo] inferente mihi ambitione & auaritia exactam neceſſitatem. Iſti ſunt Præpoſiti operum Ægypti, qui exacta neceſſitate inſtant quotidie ad implendum numerum laterum, hoc eſt, lucrorum terrenorum. *Exod.* 5. *Sapient.* 15. Exiſtimabant conuerſationem hominis compoſitam eſſe ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquire-

te. *Prouerb.* 30. Sanguisugæ duæ sunt filiæ ambitionis dicentes: Affer, affer. Ambitio enim quærit vt habeat vnde dominetur,& auaritia vt possideat quod lucratur [exire] à studio interiorum ad curam exteriorum. Quod proprium est depravatæ animæ,quæ fastidit spiritualia interiora,& quærit occupari circa exteriora: simile aliquid agens populo Iudæorum *Num.* 11. qui fastidiens manna flagrabat desiderio carnium,& ceparum,& allij,& peponum,hoc est,carnalium occupationum, quæ sua solicitudine lacrymas educunt, sicut cepe, & allia,& frigida sunt,sicut pepones, & pisces. *Osea* 10. Ephraim vitula docta diligere trituram:calcabo super pulchritudinem colli eius. Ephraim vir in spiritualibus debens fructum facere, vocatus ad cælestia efficitur vitula laborans in villa, diligens trituram qua excutiantur grana luctorum temporalium. Et ideo Dominus conculcat in terrenis pulchritudinem colli eius, hoc est, cordis, per quod capiti Christo deberet continuari. *Gregorius ibidem in Gloss.* Sunt quædam animæ per vitulam significatæ, quibus in hoc mundo nihil laboriosius est quam in huius mundi laboribus non laborare. Sic ergo exit *Cant.* 1. Si ignoras te ô pulcherrima mulierum,egredere,hoc est,si ignoras per gustum pulchritudinem interiorum tuorum, conuertere ad lucra exteriorum solicitudinum[videre illam]ecce curiositas. Dulce enim est auaro videre terrena lucra: quia nihil habet plus nisi quod dulcitet videt diuitias. *Eccle.* 5. Et quid enim prodest possessori nisi quod cernit diuitias oculis suis? Vltra enim hoc quod comedit & vescitur,nihil habet præter quod intuetur eas oculis suis.Et hoc est quod dicit[necesse habeo exire videre illam]& ideo talia 1. *Ioan.* 2. vocantur concupiscentia oculorum[Rogo te habe me excusatum] *Gregor.* Bene dicit [rogo te] in voce humilitatem prætendit: sed superbiam exhibet in opere, dum venite contemnit. Est autem simile illi quod faciunt nostri temporis homines, vt dicit *Glossa.* Dum enim inuitantur ad Dei cœnam, seruos Dei quidem rogant vt orent pro ipsis,quia peccatores sunt,sed in emendatione operis, & deuotione ad cœnam Dei non veniunt. Melius tamen faciunt isti quam illi de quibus dicitur *Matth.* 22. Quod alij seruos Patrisfamilias quosdam ceciderunt, alios autem occiderunt, alios autem contumeliis affectos eiecerunt. Excusatos autem isti petunt se habere quasi rei familiaris impedimento detentos. Quasi dicentes illud *Genes.* 30. Iustum est vt aliquando domui meæ prouideam. Quasi enim à prouidentia temporalium sub pallio vtilitatis & honorationis serui vocantis de non veniendo volunt excusari, ne eis imputetur in contemptum. Quibus è contra dicitur *Ierem.* 7. & 31. Vocaui & non audistis, nec inclinastis aurem vestram ad me. *Prou.* 1. Vocaui, & renuistis: extendi manum meam,& non fuit qui aspiceret.

Et alter dixit: Iuga boum emi quinque,& eo probare illa:rogo te habe me excusatum.

Tria dicit. Allegat enim impedimentum,adiicit illius impedimenti exercitium, & petit excusari prætextu vtilitatis propriæ, propter quam merito cœna sit negligenda. Dicit igitur [& alter dixit] alteritas autem ista in alio est impedimento: quia multiformes sunt occasiones concupiscentiæ, hominem detinentes. *Psalm.* 3. Multi insurgunt aduersum me [iuga boum]duo dicit: commutationem,& quid commutatione acquisiuit. Attendendum autem quod sicut Iudæi vtilitatem terrenam promissionibus spiritualibus Prophetarum anteponunt: ita etiam literalem sensum quinque librorum legis anteponunt impletioni legis spirituali: & decem præcepta legis (per quinque & quinque quasi in quinque iuga combinata sint) carnalibus, & non in gratia promissionis impleri dixerunt: & ipsi quidem more omnium carnalium delectabilibus quinque sensuum se subdiderunt,& alligauerunt.

Hæc enim significant [quinque iuga boum] vnde in hoc verbo tria notantur,scilicet, proprietas iugi, necessitas ligamenti ad iugum, & proprietas boum. Proprietas quidem iugi est quod collum premit, & vnum vni iungit:propter quod etiam iugum vocatur. Collum autem est continuatio corporis ad caput, & significat mentem hominis per quam homo Deo capiti suo subhæret. Hoc premitur sensibilium delectatione: sicut dicitur *Osee* 10. Ephraim vitula docta diligere trituram,calcabo super pulchritudinem colli eius. Sic enim premitur & conculcatur. Iugum etiam à iungendo dictum,duo iungit æqualia: quia sensus omnes in nobis geminauit Creator, vt dicit *Ioannes Damasc.* Vt si forte vni per occasionem aliquid acciderit, sensus saluetur in altero. Duo enim sunt oculi,duæ aures,duæ nares,duæ linguæ, sed in medio in vnum coniunctæ, ne comestionem impediant in homine: in quibusdam tamen animalibus sunt diuisæ, sicut in serpentum quodam genere. Tactus autem qui fundamentum est sensus, per totum corpus est diffusus, & in duo latera geminatus. Et sic sunt quinque iuga. *Gloss.* tamen dicit quod duo instrumenta gustus sunt lingua, & palatum. Sed non oportuit: quia pro certo duæ sunt linguæ in vnum coniunctæ secundum naturam. Hoc est iugum de quo dicitur *Isa.* 9. Iugum enim oneris eius & sceptrum exactoris eius superasti: sicut in die Madian. Quia Christus sua charitate superat hoc iugum. *Isa.* 10. Computrescet iugum à facie olei. Vinculum autem siue lorum ligans ad iugum, istud est concupiscentia delectabilium horum sensuum, quæ ligat ad istud iugum. *Isa.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Ab hoc iugo vocauit Elias Eliseum 3. *Reg.* 19. qui in duodecim arantibus vnus erat. Absoluit autem eum vocatione ad sequendum. Duodecim enim arantes, septem quidem vitia capitalia,superbia, inuidia,acidia,ira,auaritia, gula, luxuria. Ita quod superbia in sensu quærit altum:inuidia autem quæ non vult alium exaltari, quærit hoc altum habere sola: & ideo dicit *Augustin.* quod inuidia est pedissequa superbiæ. Acidia autem quærit in sensu iucundum, & ideo tristatur in spiritualibus: ita autem vindictam, auaritia lucrum,gula in gustu delectari, & luxuria in venereorum tactu. Cum his autem arant quatuor animæ passiones: spes vana, & vanius gaudium,timor malus, & peior tristitia. Præter hæc autem vndecim arat infidelitas, his promittens impunitatem. Ab his autem omnibus liberauit Elias Eliseum, in figura vocationis Christi & Discipulorum suorum secundum prophetiam

Patriar

Patriarchæ Isaac. *Genes.*17. Tempus veniet cum excutias & foluas iugum eius de ceruicibus tuis. Commutatio autem ista est pro delectatione sensuum, spiritualem & intellectualem virtutis & veritatis delectationem commutare: sicut Esau vendidit primogenita pro gustabilis vilis delectatione. *Genes.*25. *Hebr.*12. Nequis fornicator aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua. Ius enim primogenituræ est apud spiritum, primo à Patre cælesti in imagine sua genitum, & non apud Esau sanguineum, qui est in concupiscentia carnis & sanguinis. Hæc igitur commutatio Esau fuit vilis & prophana. Tangit autem horum iugorum exercitia, dicens.

Et eo] Bene dicit [eo] quia continuo iuit proficiendo in pœnis per delectationes. *Psal.*80. Ibunt in adinuentionibus suis. *Prouerb.*1. Pedes eorum in malum currunt [probare illa] Omnis enim delectatio sensuum in experimento semper & probatione est. Curiosius enim singula delectabilium in sensu probare, est iuga boum probare, qualiter arant in delectabilibus. Vnde *Iudic.*14. Nisi arasfetis in vitula mea, non soluissetis propositionem, hoc est, nisi per delicias sensuum attentassetis secreta cordis & spiritus, non inuestigassetis. Hæc est causa quod bos diligit trituram. Quia licet labor sit triturari: tamen propter delibationem qua experitur gustum trituræ, gaudet & currit in tritura. Hinc est quod suadet sapiens *Eccli.*18. Fili post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Concupiscentia enim trahit sensus & animam, sicut iugum bouem. *Prouerb.*7. Statim sequitur iuuenis meretricem, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorat quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius. Meretrix ista est sensus delectabile, quam sequitur iuuenis concupiscentia ductus, sicut bos tractus ad mortem: quia vult experiri delectationem, & sic sagitta concupiscentiæ transfigit iecur eius: in quo *Plato* dixit esse sedem cupidinis & concupiscentiæ.

Rogo te habe me excusatum] Sicut enim qui concupiscentia rerum dediti sunt, per seruos Dei se excusant: ita etiam illi qui delectabilibus decipiuntur, frequenter ad cor redeunt, & per seruos Dei se excusari cupiunt. Et hoc est quod dicitur [Rogo te] humilitatem prætendens [habe me excusatum] suffragium seruorum Dei petens. 1. *Regum* 15. Porta quæso peccatum meum, & reuertere mecum vt adorem Dominum Deum tuum.

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire.

Tertius dixit] Non quidem tertius in numero, sed tertius in causa excusationis: quia in qualibet causa excusationis multi sunt numero [vxorem duxi] In ductione vxoris, commodum intelligitur carnis. Et ille non dicit nisi duo: allegat enim impedimentum, & impotentiam veniendi: sed non petit excusari. Et huius causa est: quia ductus vxoris tam licitus est, & à lege excusatus: & tam naturæ necessarium est matrimonium, quod non credebat se excusatione indigere. Dixit ergo [Vxorem duxi] carnis commodum & voluptatem. *Prouerb.*19. Tecta perstillantia, litigiosa mulier. Caro enim litigiosa mulier, quæ semper contra spiritum reluctatur. *Galat.*5. Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Hæc est vxor Iob, quæ improperando dixit ei: Benedic Deo, & morere. Cui ipse respondit: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Stulta enim est caro, quæ omnia appetit stulta. Hæc est etiam vxor Tobiæ, quæ de spe dixit *Tob.*2. Manifeste vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ quas faciebas. Commoditas enim carnalis brutalis est, & stultitiam indicat prudentiam spiritus. 1. *Corinth.*2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi: quia spiritualiter examinatur. Tamen quia sub ratione necessitatis abducit spiritum: ideo quasi in licito iste occupatus, excusationem non quærit, solam prætendens infirmitatis impossibilitatem, dicens.

Non possum venire] *Genes.*19. Non possum ascendere in montem, ne forte apprehendat me malum. Est hic ciuitas ad quam possum confugere parua, & saluabor in ea. Ad montem enim sanctitatis vocationis Domini, iste carnis commodum quærens ascendere non potuit: sed in matrimonio se saluare cupit: quæ ciuitas est parua, hoc est, parua munitio contra diabolum: tamen multi se putant in ea saluari, qui tamen negligunt vocationem Dei. *Matth.*24. Duo erunt in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur. Tamen coniugium vt dicit *gloss.* in hoc non reprehenditur, sed integritas ad maiorem honorem vocatur. 1. *Corinth.*7. Mulier non peccat si nubat: beatior autem erit si sic permaneat secundum consilium meum.

Et reuersus seruus nuntiauit hæc Domino suo.

Hic agitur de renuntiatione serui, & dicit duo: serui reuersionem, & eiusdem de re gesta renuntiationem. De primo dicit [& reuersus seruus] Cum autem seruus, totus sit ordo Prædicatorum & eorum: seruus reuertitur, cum Prædicator de operatione exteriori quam habuit circa proximum, ad familiarem Dei collocutionem in conscientiæ secreto conuertitur: sicut fecerunt Apostoli & Prophetæ nuntiantes Synagogæ vt veniret, quando in intimis Dei ingratitudinem Iudæorum exposuerunt in amaritudine animæ suæ, Deo ingratos illos esse tanta vocatione nuntiauerunt: sicut fecit Elias 3. *Reg* 19. Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sicut fecit Moyses *Num.*16. cum Dathan & Abiron ad suam reuocationem redire nollent, dixit ad Dominum: Domine ne recipias sacrificium eorum. Iste ergo seruus cum amaritudine animi [nuntiauit hæc Domino suo] *Matth.*10. *Luc.*9. Puluerem pedum excutietis in ipsos: vt eassum quantum ad contemptores ostendat laborem suum. Sic enim, sicut dicitur *Iob* 38. Nunquid emittis fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus. Sicut secundum hoc quod dicit *Ecclesiastes* 1. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Quia in intimis exposita ratione suæ legationis iterum illumi-

nationem accipiunt, quid de Dei voluntate perficere debeant.

Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

Hîc incipit secunda vocatio post contemptum primo vocatorum. Diuiditur autem pars hæc in duas partes, in quarum prima vocare iubet alios in locum primorum: in secunda confirmat priores nunquam ad cœnam admittendos. In priori adhuc duo sunt, secundum duas vocationes quas inducit: vnam de plateis & vicis, & alteram de sepibus & viis. In prima harum duo dicit: prouocationem patrisfamilias aduersus vocatos, & iteratam vocationem aliorum de plateis & vicis. Dicit ergo [Tunc iratus] Anthropospatos quando in Deum refertur humana passio. Quia in hoc iratus Deus dicitur: quia ad modum irati & prouocati facit, repellendo vocatos à cœna. *Isa.* 64. Ecce, tu iratus es, & peccauimus: & in ipsis fuimus semper. *Isa* 28. Irascetur Dominus vt faciat opus suum. Irascitur autem de vocatorum ingratitudine, & de laboris seruorum suorum frustratione. De expensarum autem perditione non irascitur: quia expensæ conuertuntur in cœnam deuotorum. *Isa.* 49. Ego dixi, in vacuum laboraui, sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi. Et *infra parum.* Nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducat Iacob ad eum: & Israël non congregabitur [Dixit seruo suo] Ordini Prædicatorum, in omnibus verbum Dei annuntiantibus. Et hic notatur iniunctio officij prædicationis. *Luc.* 10. Ite, ecce ego mitto vos. Et hæc pars vocationis diuiditur in tres partes, scilicet, officij iniunctionem, vocandorum determinationem, & officij iniuncti relationem. De primo dicit.

Exi cito] ab intimo tuæ contemplationis, ad ea quæ sunt circa proximum exterioris actionis. *Isa.* 30. Egredere, dic eis. *Cantic.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. *Genes.* 37. Veni mittam te ad eos [in plateas] Determinat hic vocandos dupliciter, scilicet, secundum locum, & secundum fortunam. Dicit ergo [in plateas] Platea dicitur à græco Platon, quod est latum. Et de plateis vocantur qui de latitudine licentiosa gentium quos nulla lex constrinxit vocantur. De vicis autem vocantur qui de angustia vitæ vocantur: quia vicus, est via stricta inter domos. Et sunt qui in angustia sunt salutis, & expedientem se nullum habent: sicut quidam ex naturæ indagatione immortalem animam esse scientes, sed nescientes qua iustitia saluaretur anima: & ideo in arcto erant positi: sicut fuit Clemens antequam instrueretur à Petro. *Cantic.* 3. Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Tamen ambæ istæ conditiones hominum in ciuitate sont, ciuilitatem quandam ciuilium virtutum obtinentes.

Tangit autem fortunæ diuersitatem, dicens [pauperes ac debiles] Tangit autem quatuor genera defectuum. Defectum enim fortunæ tangit cum dicit [pauperes] Quem enim diuites in villis & bobus contemnunt oportet vt pauperes vocet. Sunt autem pauperes qui quantumlibet diuites sint: tamen se in præsentibus mendicos reputant nisi æterna bona adipiscantur spiritualia. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Iacob.* 2. Nonne Deus elegit pauperes diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se [ac debiles] Debiles sunt viribus destituti. Et isti sunt qui ad terrenos labores vires non habent: sed ad spiritualia vires exhibent & expendunt. *Psalm.* 58. Fortitudinem meam ad te custodiam. *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. *Psalm.* 6. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum. 2. *Corinth.* 12. Cum enim infirmor, tunc fortior sum & potens. Taliter debilis fuit puer Amalechites 1. *Reg.* 30. Quem infirmum & debilem dereliquit Dominus suus, & assumpsit eum Dauid in persona & figura Christi, & duxit eum in cuneum hostium comprehendendum. Tangit autem defectus in corpore secundum duas vires corporis: apprehensiuam scilicet, & motiuam. Secundum defectum quidem apprehensiuæ dicit [cæcos] quia visus est summus in apprehendendo. Secundum defectum autem motiuæ quæ prosequitur conueniens corpori, dicit [claudos] Cæci ergo sunt ea quæ fulgent in mundo non videntes, qui cum Propheta dicunt *Psalm.* 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. *Iob* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine. Sunt etiam cæci qui lumen veritatis non viderunt: sed illi non veniunt nisi prius illuminentur. *Matth.* 20. & *Luc.* 18. Quid vis vt faciam tibi? Rabboni, vt videam. Prior autem expositio magis secundum literam: quamuis *Gloss.* tangat secundam. Cæci enim, qui se videntes reputant, nolunt venire. *Ioan.* 9. Si cæci essetis, peccatum non haberetis: nunc autem quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet [& claudos] defectum in motiua siue progressiua virtute patientes. Et illi sunt qui iam mundi delectabilia prosequi nolunt, & sunt boni claudi ad familiam summi Patris pertinentes. *Isa.* 35. Saliet sicut seruus claudus. *Matth.* 11. Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, pauperes euangelizantur. *Gloss.* dicit: Claudi in via recta claudicantes. Sed illi non veniunt nisi prius sanentur. 3. *Reg.* 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus sequimini eum. *Hebr.* 12. Gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Psalm.* 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea [Introduc huc] Bene dicitur: Introduc, vt intrent in penetralia domus Domini: quia qui foris remanent, non saluantur. *Psalm.* 95. Introite in confessione atria eius. *Psalm.* 64. Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atriis tuis. *Psalm.* 83. Elegi abiectus esse in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est.

Ecce relatio serui, hoc est, Ordinis Prædicatorum [Domine factum est vt imperasti] Tanguntur hic duo, scilicet, iussionis & obedientiæ expletio, & magnæ domus patrisfamilias adhuc ad alios capiendos amplitudo. De primo dicit [Domine, &c.] Duo dicit: professionem dominij, eius qui

in

in omnes diues est vocatos. *Roman.* 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum [factum est vt imperasti] ecce expletio obsequij. *Hieronymus.* Fecimus quod iussisti. *Exod.* 24. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes [& adhuc locus est] quia per hoc numerus prædestinatorum non est impletus. *Baruch* 3. Magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius.

Attende enim quod primi Prophetæ vocauerunt omnes. Apostoli autem, vt dicit *Ambrosius*, secunda vocatione vocauerunt multos de circuncisione, de plateis, & vicis ciuitatis Domini, de quibus & ipsi Apostoli fuerunt. Sed adhuc locus restabat ad Gentium vocationem. Sic enim distinguit *Ambrosius*. Dicit enim quod prima vocatio facta est per Patriarchas & Prophetas: secunda autem per Christum de plateis & vicis: & tertia facta est, & fit quotidie per Apostolos & Apostolicos viros in Gentibus: quando sicut dicit *Psalm.* 67. Venient Legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius Deo. Quia de mærore peccatorum & tenebris ignorantiæ legati vocant ex Ægypto spirituali Æthiopiam. Etiam, hoc est, vbi nigredo peccatorum per consuetudinem inualuit, præueniunt ad vocandum manus Domino Deo, hoc est, ad Dei honorem. Et hoc est quod sequitur.

Et ait Dominus seruo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Dicit autem tria: exitum serui, compulsionem cœnaturi, & finem propter quem facit vocationes istas. Dicit ergo [exi] cito de intimo contemplationis, & de quiete studij & meditationis. Sic enim exiuit ille gloriosus seruus, qui dixit *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. Et iterum *Ioan.* 8. Ego enim à Deo processi, & veni, &c. Attende autem quod in hoc quod dixit [exi] notat seruum intus fuisse: sicut ipse paterfamilias dicit *Luc.* 11. Iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: & ideo seruus qui deintus non est, pro certo legationis vocationem fert incertam, quia nescit voluntatem mittentis. Tales sunt excommunicati & Schismatici. Tales etiam sunt mali nostri temporis prælati, qui de legationis & missionis officio gloriantur, & procurationes lautas accipiunt, cum nunquam in intimis fuerint. De veraciter autem missis dicitur *Abdiæ.* Auditum audiuimus à Domino, & legatus ad Gentes missus est. In auditu enim percipitur cuius sit legatus, & in operibus. *Isa.* 43. Propter vos misi in Babylonem, & detraxi Chaldæos in nauibus suis gloriantes. Propter salutem quippe electorum misit seruos nuntios in Babylonem conuertendam, & detraxit Chaldæos, feroces dæmones, qui in nauibus mundum piscabantur. Huic ergo seruo ait: Exi.

In vias & sepes] hoc est, in omnes vias, & omnes sepes. Viæ autem sunt hic vocatæ omnis modus viuendi, quo quilibet sine lege aliqua vixit pro libitu suæ voluntatis. *Matth.* 7. Spatiosa est via quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui vadunt per eam. *Prouerb.* 4. Via peccantium tenebrosa est, nesciunt vbi corruant. *Ierem.* 3. In viis sedebas, expectans eos sicut latro. Istæ sunt viæ modi vitæ, quo quisque vixit ad libitum sine omni lege. In has vias exiuit Doctor Gentium, quando dixit 1. *Corinth.* 9. His qui sine lege erant, factus sum sicut si sine lege essem, cum ipse sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, vt eos, qui sine lege erant, lucrifacerem. Ideo dicitur *Ephes.* 2. Eratis sine lege, & sine Deo in hoc mundo, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oues errauimus: vnusquisque in viam suam declinauit. Sepes autē sunt modi viuendi, legibus & statutis quasi quibusdam sepibus obfirmati: sicut antiquitus quidam viuebant in legibus Pythagoræ: quidam vtebantur legibus Zabadorum, qui omnia ad naturalem referebant rationem: quidam autem legibus Solonis: & quidam legibus aliis diuersis: tanquam sæpe suos viuendi modos obfirmantes, aliquando turpes, aliquando honestos. Sed absque fide Christi omnes fuerunt. *Eccli.* 36. Vbi non est sepes, diripietur possessio. *Osea* 2. Sepiam viam tuam spinis, & semitas suas non inueniet, hoc est, claudam modum viuendi legibus & pœnis sicut sepe spinosa: vt non de cætero viuat ad libitum. In sepes istas exiuit Prædicator Gentium 1. *Cor.* 9. quando dixit: Factus sum his qui in lege erant, tanquam in lege essem. Qui ergo in via erant & sunt, barbari sunt. Qui vero intra sepem, hoc est, legum munitiones, non barbari sed sapientes dicebantur. *Rom.* 1. Sapientibus, & insipientibus, Græcis & Barbaris debitor sum. Quid autem faciat seruus, iniungit, dicens.

Et compelle intrare] & nota differentiam. Primi enim tanquam rationabiles vocantur. *Num.* 16. Proceres synagogæ, & qui ex nomine vocabantur. Secundi autem tanquam iam intellectu legis excæcati introducuntur manu, docti doctrina eorum qui intellectum legis habebant. Tertij autem penitus idiotæ compelluntur ad intrandum. Compulsio autem ista fit virtute veritatis in ostensione probationis. *In apocriphis Esdr.* 7. Veritas vincit, & inualescit. Et *ibidem*. Super omnia vincit veritas. Ideo dicitur *Tit.* 1. de Episcopo (qui seruus est vocans) vt potens sit in doctrina sana exhortari, & contradicentes reuincere. Secundum autem compellens, est virtus miraculi, vel ad minus exempli. *Matth.* 7. Mirabantur super doctrina Christi. Loquebatur enim sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Sic ergo compelle intrare in domum Ecclesiæ, primum ad cœnam veritatis, & gratiæ virtutis, & communicationis sacramentorum: & postea ad domum gloriæ, ad cœnandum in beatitudine. Domus enim veritatis, & virtutis, & sacramenti sunt factæ sicut quædam portæ ad domum gloriæ. *Psalm.* 89. Populus eius, & oues pascuæ eius introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis confitemini illi. Sequitur.

Vt impleatur domus mea] hoc enim totum studium, tota cura est istius magnifici Patrisfamilias, vt bonis suis non solus perfruatur, sed multi perfruantur, & in omnibus communicent, inquantum est susceptibilis quilibet. *Psalm.* 64. Replebimur in bonis domus tuæ. Vnde *Luc.* 15. Epulari, & gaudere oportebat. *Isa. vltim.* Deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Tunc enim implebitur domus: quia paratæ mansiones ab ipso, secundum numerum prædestinatorum completæ demonstrantur, quando quilibet stat in sorte sibi præparata. *Daniel.* 12. Stabis in sorte tua.

Apocal. 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis, stantes ante thronum. Et hoc est quod dicitur *Rom.* 11. Cæcitas contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Confirmatio est obdurationis contra ingratos. Tangit hic duo confirmationem, & sententiam confirmatam. Confirmatio est cum dicit [dico autem vobis] hoc est, ego qui sum veritas hoc dico. Vnde alibi dicit, quod iurauit. *Psalm.* 94. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam: quod [nemo virorum illorum] in infidelitate obstinatorum. *Hebr.* 3. Quibus autem iurauit, vt non intrarent in requiem suam: nonne bis qui increduli fuerunt? & videmus quia non intrauerunt propter incredulitatem. Hoc significatum est *Num.* 14. vbi dicitur quod iratus Dominus iurauit quod nullus eorum qui vocati erant ex Ægypto, intraturus esset terram promissionis ad quam vocati fuerunt [qui vocati sunt] vocatione prima per Prophetas, vel per primam missionem Apostolorum *Matth.* 10. & *Luc.* 9. quando dictum fuit eis: in viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Ite potius ad oues, quæ perierunt domus Israël. Sicut & ipse Dominus dixit *Matth.* 15. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël [gustabit cœnam meam] paucissimi enim de Iudæis gustauerunt: ita quod numerum inter vocatos non fecerunt, sed pro seruis vocantibus sunt assumpti, & pro quodam semine messionis futuræ in die iudicij. *Isa.* 1. Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & quasi Gomorrha similes essemus. *Psalm.* 58. Circuibunt ciuitatem, & famem patientur vt canes: si enim non fuerint saturati, & murmurabunt. *Isa.* 65. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Serui mei bibent, & vos sitietis. In *Matth.* autem. 22. redditur ratio, vbi dicitur: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni: quia se indignos effecerunt per incredulitatem, sicut iam dictum est.

Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos: Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Hic ostendit quale impedimentum præstant temporalia carnaliter dilecta ad sequendum eum. Dicit autem duo circa partem istam; quorum vnum quidem est, quod Euangelista ostendit qualiter ventum est ad hanc doctrinam: secundum autem est doctrina ipsa. De primo dicit [Ibant autem turbæ multæ cum eo] & ideo habens occasionem vt multis prodesset, dixit ea quæ erant perfectionis. *Ioan.* 6. Sequebantur eum turbæ multæ, quia videbant signa super his qui infirmabantur. Ibant autem multi, quidam propter verba, multi autem propter signa. *Ioan.* 6. Verba vitæ æternæ habes. *Ioan.* 7. Nunquam sic locutus est homo vt iste loquitur. Multi autem etiam ibant propter temporalium amorem, quia aliquando reficiebantur ab ipso. Quidam etiam cum ipso inuitabantur: & ideo vt affectum omnium à temporalibus reuocaret, dixit ipse. Et istud significat modus loquendi, cum dicit [& conuersus ad eos dixit] quia directio docentis ad audientem, multum facit ad impressionem sermonis. Conuersione enim corporis docuit etiam illos conuerti ad ipsum. *Thren.* 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio. *Psal.* 89. Conuertere Domine aliquantulum, & deprecare super seruos tuos.

Siquis venit] duo dicit, intentionem veniendi, & impedimenta. De primo dicit [Siquis venit ad me] hoc est, venire intendit, sicut omnes saluandos venire oportet, quia aliter non intrabunt per ostium, quod est ipse Christus, quia ipse est forma intrandi. *Psalm.* 33. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. *Eccli.* 50. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Quicunque ergo sic per disciplinam Christi venit ad Christum [& non odit] Septem hic proponit odienda, propter quæ carnaliter diliguntur, quæcunque carnaliter diliguntur. Hæc autem sic accipiuntur. Aut enim carnalis dilectio est in homine, aut in sibi coniunctis. Si est in ipso, tunc est ille qui diligit animam suam. Si est in sibi coniunctis: aut est in sibi coniuncto ad naturæ in specie saluationem, & sic diligitur vxor: aut in sibi coniuncto secundum indiuidualis naturæ dilectionem, & hoc est tripliciter secundum relationem originis actiuæ aut passiuæ. Passiuæ quidem dupliciter, scilicet, secundū relationem ad eos, à quibus ducimus originem: aut lateraliter secundum eos, qui ab eisdem originem passiuam ducunt nobiscum. Et primo quidem modo sunt pater sicut agens, & mater materia ministrans: secundo autem modo sunt frater & soror. Secūdum generationem actiuam coniunguntur nobis filius & filia. Et propter hæc septem diligibilia diligitur quicquid carnaliter diligitur. Pecunia vero, vt dicit *Aristotel.* non diligitur propter se: sed quia fideiussor est futuræ necessitatis in nobis, vel in coniunctis accepta. Dicit ergo.

Et non odit patrem suum & matrem] non quidem naturam, sed vitium in quo est pater. Pater enim hic dicitur terrenus, portans imaginem terreni patris, in trahendo nos ad peccatum. 1. *Corinth.* 15. Qualis terrenus, tales & terreni. *Ezec.* 16. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus. Chanaan seruituti addictus, est, qui (sicut dicitur *Ioan* 8.) seruus est peccati, qui ex patre diabolo est, & opera illius vult facere. Amorrhæus autem amaricans interpretatur: & significat eum, qui ex contemptu & superbia, dulcem secundum naturam Patrem cælestem prouocat ad amaritudinem. Chetæa autem insaniens, concupiscentiam significat, quæ est ignominiosa mater. Et in talibus vitijs existentes, non honorare sed odire debemus patrem & matrem, dicentes cum Moyse *Deut.* 33. Qui dixerunt patri suo & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos.

suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. Sic igitur odiendus est pater & mater. Sic enim pater fouet peccatum in filio, quod filius à patre contraxit: & mater nutrit corruptionem, quam generando transfudit in natum. Nisi enim sic exponatur, tunc contrarium erit ei quod dicitur *Exod.* 20. Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram. *Tob.* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Semper enim meminisse debes, quanta passa sit propter te in vtero suo.

Et vxorem] hoc est, coniunctum secundum saluationem naturæ in specie, cum homine indiuiduam vitam retinens. Et quod plus est, indiuiduæ vitæ consuetudinem. Est autem vxor illa odienda, quæ non vult cohabitare nisi in contumeliam Creatoris, vel verbo, vel opere, vel vtroque. Hæc enim, sicut dicitur *Matth* 24. est vna de illis, quando duo sunt in lecto vno: & vnus assumetur, scilicet vir bonus, alter relinquetur, hoc est, vxor mala. *Eccle.* 7. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est. Sicut in vitio Iob odiuit vxorem suam, quando dixit *Iob* 2. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. *Eccl.* 26. Sicut bonum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Talis ergo mulier odienda est. Qui vellet illam diligere in vitiis (cum non possit esse dilectio nisi similium) oporteret quod sibi similis efficeretur [& filios] in quibus etiam filiæ intelliguntur: quia masculinum concipit fœmininum in grammaticis. Et iterum intelliguntur per hoc filij contumaces, monita boni patris non audientes: sicut dicitur *Deuter.* 21. quod tales filij à patribus ad iudicium producendi sunt vt lapidentur. *Prouerb.* 10. Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ.

Et fratres & sorores] qui contra Deum viuunt, neque redire volunt. Quia illi alienauerunt se à summo Patre cœlesti: & ideo quia negauerunt illum, fraternitatem nobiscum habere non possunt. *Psalm.* 17. Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à semitis suis. Isti sunt de quibus dicitur *Osee* 1. Fac filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Et ideo illi non sunt fratres, aut sorores: quia nulla fraternitas eius est, qui negat Patrem Deum, & vterum matris Ecclesiæ. *Ps.* 57. Alienati sunt à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.

Adhuc autem & animam suam] hoc est, animalem vitam suam: quia anima hic dicitur ab animalitate, quæ semper est in concupiscentiis sensibilium contra bonos mores, & in phantasticis rationibus contra fidem. De concupiscentiis dicitur *Eccli.* 18. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. De phantasiis contra fidem dicitur 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi: quia spiritualiter examinatur. *Ioan.* 12. Qui amat animam suam perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Hæc est animalitas siue brutalitas in homine continuo destruenda: quia quanto magis destruitur, tanto magis bonum rationis & intellectus construitur: & hoc est humanitas. Et quanto magis animalitas construitur, tanto magis destruitur bonum humanum. *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Dan.* 4. Cor hominis tollatur ab eo, & cor feræ detur ei. Sic ergo ista sunt odienda: & qui non sic odit

Non potest meus esse discipulus] Causæ autem sunt: quia discipulus est qui disciplinis magistri est imbutus: & cum tota disciplina Christi sit de fide & moribus: & amor carnalis ad seipsum, vel ad suos, ab his auertant: non potest esse discipulus Christi qui talem habet affectum. Ad disciplinam enim Christi quinque exiguntur, quibus affectus carnalis contrariatur: quorum primum est, congregatio totius animæ ad auditum percipiendum. *Eccli.* 51. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. *Genes.* 49. Congregamini filij Israël, congregamini, & audite Israël Patrem vestrum. Hæc autem quæ dicta sunt, carnaliter dilecta, dissoluunt mentem & dispergunt. Secundum autem est, totius intellectus humiliatio & inclinatio, ad accipiendum quicquid auditur sine omni contradictione. *Deuter.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipiunt de doctrina eius, hoc est, qui se ad pedes humiliant. *Psalm.* 44. Audi filia, & vide, & inclina autem tuam: quia concupiuit rex speciem tuam. Non autē humiliatur ille, quem affectus carnalis auertit. Vnde sequitur: Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Tertium autem est, veritatis verborum Christi perfecta retentio. *Ioan.* 8. Si vos permanseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Hæc autem omnia quæ dicta sunt, vanitatem & falsitatem fugerunt. Quartum est, dilectio tam disciplinæ quam magistri, quam etiam condiscipulorum. *Ioan.* 8. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Hæc enim dilectio vera est, vt dicit *Hieronym. in proœmio galeato*: vbi illa necessitudo est, & Christi glutino copulata: quam non præsentia tantum corporum, quam non subdola & palpans adulatio, sed Christi necessit amor, & diuinarum Scripturarum studia conciliant. Quintum est, mansuetum esse ad auditum. *Iacob.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. *Hebr. vltim.* Rogo vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Hæc autem quæ inducta sunt, & dilectionem veram euacuant, & mansuetudinem destruunt: quia seruo auditus penitus est aduersarius eorum. Istæ igitur sunt causæ, quare illo affectus impedit venire ad Christum: & ideo euacuant suum discipulatum: quia nullus venit ad ipsum nisi discipulus.

Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

Hic tangitur qualiter veniatur ad Christum, & tangit tria: vnum quidem quod est similitudinis, & conformationis: secundum autem quod imitationis & insecutionis: tertium autem quod est perfectionis & consummationis. Primum est quod dicit [Qui non baiulat crucem suam] In primo horum dicit quinque, quorum vnum est antecedens ad ea quæ dicuntur, & hoc est crucem

tollere: secundum quod dicitur, est crucem baiulare: tertium est crucis cruciatui communicare: quartum autem est, suam crucem ferre & non alterius: quintum autem est hoc consequens, cruci Christi & passionibus communicare. In primo autem horum adhuc duo sunt, scilicet, crucis acceptio, & crucis exaltatio. Crucis quidem acceptio Christo nos configurat: & hoc fit, quando cruciatus Christi in pœnis animalitatis & carnalitatis domandis & mortificandis nobis accipimus in voto vel pœnitentia. Sic configuratus fuit *Apostolus Philip.* 3. Configuratus morti eius, si quomodo perueniam ad resurrectionem quæ est ex mortuis. *Rom.* 6. Complantati sumus similitudini mortis eius. Quando enim vitia & animalem vitam in nobis extinguimus ieiuniis & abstinentiis delectabilium, spe gloriæ resurrectionis, tunc cruci Christi configuramur. *Galat. vltim.* De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini mei IESV in corpore meo porto. *Galat.* 2. Christo confixus sum cruci. *Galat.* 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Qui enim sic crucifixus est, nihil carnaliter diligit. 2. *Corinth.* 5. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. In his talibus totus carnis affectus extinctus est, & viuit spiritus in Deo, & spiritualis affectus.

Tollere autem crucem, est exaltare in se Christi Passionem ab omnibus terrenis, & omnia trahere ad spiritualem affectum. *Ioan.* 12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc enim non Christus fecit in se solum, sed quotidie facit in membris. *Psalm.* 20. Exaltare Domine in virtute tua, hoc est, in virtute crucis, in qua vicisti peccatum, & diabolum, & carnem, & mundum. Sic *Num.* 21. Moyses fecit serpentem æneum, & erexit eum in palo: & qui aspexit eum, saluabatur à morsibus venenatorum. Serpens enim æneus figuram habet serpentis, & non venenum. Et hæc est prudentia spiritus, erecta & exaltata in palo crucis, sanans à venenato morsu prudentiæ animalis, quæ est diabolica. Qui enim aspicit ad spiritum exaltatum, non cutat, & excludit venena reptilium, quæ ventre & pectore repunt ad delectabilia terrenorum. *Genes.* 3. secundum *Septuaginta*, pectore & ventre repet in cogitatione turpitudinis, & pollutione carnalis delectationis. *Ioan.* 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis in se, & in membris. Tertium autem est, crucem baiulare, hoc est, portare: non quidem in angaria, sicut Simon Cyrenæus *Luc.* 23. Neque in supplicium tantum, sicut fecit latro reprobatus: sed sicut in gaudio & profectu continuo fecit Christus. *Ioan.* 19. Exiuit in eum locum, qui vocatur Golgota, baiulans sibi crucem. In exitu enim profectus significatur continuus: in baiulatione autem gaudium. De effectu crucis, qui est redemptio & gloria consequens redemptionem *Hebr.* 12. Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Sic *Exod.* 12. Filii Israël sub signo sanguinis profecti sunt de Ægypto, ad terram tendentes promissionis. Sic dicit *Apostolus Hebr.* 13. IESVS vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum, improperium eius portantes.

Crucem autem debemus baiulare, vt toti in ea simus distenti, vt totæ extremitates sint expassæ, vt manibus & pedibus simus confossi, vt latere aperto simus lanceati, vt ab omnibus huius mundi rebus simus denudati, vt toto capite spinosi, vt toto gustu fellea simus amaritudine infusi, nihil gloriæ habentes nisi in solo titulo crucis.

Est autem crucis distensio, nostri ad Christum secundum virtutem extensio. *Psalm.* 21. Dinumerauerunt omnia ossa mea, hoc est, nimia distensione dinumerabilia fecerunt. Et hoc fit, quando nos sic ad Deum distendimus, vt omnia nostra in nobis dinumerentur, quasi vnum membrum solum à compage alterius præ altero festinet ad Christum. *Daniel.* 10. Domine in visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium: quia totum ad te est distensum & extentum.

Expassis autem extremitatibus sumus, in amplitudine charitatis omnes amplexantes. *Isa.* 65. Tota die expandi manus meas. *Psalm.* 140. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sacrificium autem in vltima vespera in fine mundi oblatum, est Christus in cruce. Sic expandit se Propheta, magnus in opere & sermone, super puerum mortuum, & resuscitauit, hoc est, super spiritum 4. *Reg.* 4.

Confossi autem manibus & pedibus sumus, per fossuram operum & affectuum, per verbum nos cruci affigens, & immobiliter in ea retinens. *Eccle. vltim.* Verba sapientum sunt quasi stimuli: & quasi claui in altum siue profundum defixi. *Isa.* 41. Confortauit eum clauis, vt non moueretur. *Habac.* 3. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius. Et vt dicit *Beda*, Figura grammaticæ est in constructione, quam Græci dicunt hypallage. Et est sensus. Manus eius Christi & membrorum sunt in cornibus crucis, videlicet affixæ. Et ibi absconditur omnis fortitudo hominis, vt Dei virtus appareat. Et ideo virtute diuina ante faciem sic in cruce confixi, vadit mors & stimulus mortis peccatum. Et ante pedes sic stantis, egreditur & conteritur diabolus.

Sic latere lanceati, & vulnerati per charitatem Dei, stamus exhibiti, dicentes illud *Cantic.* 6. Vulnerata charitate ego sum. Et illud *Cantic.* 5. Nuntiate dilecto quia amore langueo. Cupimus enim tunc dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius. *Philip.* 1. Eo quod transuerberauit nos gladius, quem in corpore sensit Christus in animæ intimis: sicut dicitur *Luc.* 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Et illud *Iob* 16. Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, & concidit me vulnere super vulnus.

Ab huius mundi etiam omni vestitu sumus denudati: ita quod de suo nihil inueniat in nobis mundus, dicentibus cum beato *Iob* 1 Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Cum nuda veritate nudi pendentes. Nihil palliationis vel dolositatis habentes (quæ sunt mundi vestimenta) vel etiam excusationis in peccatis, quæ sunt perizomata, quæ sibi primi peccantes adhibuerunt *Genes.* 3. *Isa.* 20. Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus & discalceatus (qui est figura

figura Christi) ita nudi cum Christo pendeamus cruce.

Toto autem capite spinis sumus hirsoti, quando à nostra mente, quæ caput est animæ, nunquam recedit asperitas passionum, & spinarum Christi, cuius nos causam dedimus per peccatum. *Thren.* 3. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis. Et sequitur. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Isti enim sunt aculei spinarum, in quos supernum per passionem cecidit Verbum, & quoad vitam naturalem in cruce suffocatum. Sic implemus quod dicitur *Cantic.* 3. Egredimini mente, & contemplationis recordatione filiæ Ierusalem, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua Synagoga. Sic *Genes.* 3. Terra quam operati sumus, spinas & tribulos germinauit Christo. Sic *Gal.* 3. Ante nostros oculos Christus proscriptus est, in nobis crucifixus, hoc est, in causa nostra.

Toto autem gustu felliti sumus in amaritudine animæ nostræ, recogitantes qualiter Christum sitientem salutem nostram aceto & felle potauimus nostrorum peccatorum. *Deut.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum. Nihil autem habemus gloriæ nisi in titulo crucis, si scilicet cum IESV participes sumus salutis, si cum Nazareno floreamus flore virtutis, in spe fructificandæ beatitudinis, & odore optimæ famæ laudabilis, & pulchritudine honestæ conuersationis. Si cum Rege tegum regnum adipiscamur iustitiæ decoris. Si cum spiritualibus Iudæis (qui in spiritu non in litera sunt) confessionem habemus veritatis, & diuinæ laudis. *Ioan.* 19. Scripsit autem Pilatus titulum: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. Ideo dicitur *Galat.* 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Hanc autem crucem quilibet debet facere [suam] vt ad mensuram vitium suarum: quia qui plus potest, debet portare grauius: & qui minus potest, debet portare minus. Ita tamen quod quilibet portet. *Matth.* 16. Siquis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Est etiam alio modo [sua] hoc est, sibi debita. Et tunc iterum crux est inæqualis: quia vnus plus debet quam alter, secundum quod plus & minus peccauit. *Cantic.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Fasciculus enim est inter vbera, quando ad proportionem debitam peccatis, amaritudo Christi portatur. Est tertio modo vnicuique tollenda crux sua, quando secundum congruitatem personæ commensuratur. Magis enim de cruce debet apparere in Vicario Christi quam in aliis: & magis in Patriarchis & Episcopis quã in aliis: & magis in Prælatis quam in subditis, secundum quod Christi locum tenent maiorẽ vel minorem. *Num.* 25. Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. Nisi enim in cruce sua sit princeps populi, non auertetur furor Domini. Sic ergo quilibet suspensus sit, vt dicat illud *Iob* 7. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Vt quidquid roboris est in homine ad peccatum, moriatur. Sic enim id quod consequens est habebimus, hoc est, communicationes Christi passionum. 1. *Pet.* 4. Communicantes Christi passionibus, gaudete: vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis, exultantes. Sic enim communicatione Passionum intramus cum Christo in regnum. *Luc.* 24. Sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Sic *Ezech* 9. signatur thau super frontes virorum gementium & dolentium, vt liberentur à percussore. Sic clamatur in *Apoc.* 7. Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei in frontibus eorum. Ideo dicit *Pet.* 1. *cap.* 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: vt iam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. *Coloss.* 3. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Et venit post me] hoc est imitationis, & consecutionis. Venite enim, est motus perfectionis ad Christum. Post Christum autem venire, est humiliari ab ipso, & eum imitari. Notantur igitur in hoc quinque. Venitur enim post Christum, sicut post exemplar. Venitur post ipsum, sicut post ducem. Venitur post ipsum, quia non possumus vsque ad ipsum: & ideo humiliati sequimur ipsum. Venitur post ipsum, imitando ipsum. Venitur post ipsum, consequendo ipsum, & gloriam ipsius. De primo quidem dicitur *Ioann.* 13. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Hebr.* 8. Vide, omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Hoc idem dicitur *Exod.* 25. Ita voluit imitari nos Christum qui dixit *Hebr.* 12. Respicite eum qui talem sustinuit à peccatoribus cōtradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes. De sequela ducis dicitur *Mich.* 2. Ipse ascendet, pandens iter ante eos. *Deut.* 32. Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo dux alienus. *Psal.* 82. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. *Isa.* 63. Sic eduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. De humilitate autem sequendi eum, quia non possumus vsque ad ipsum *Dan.* 3. Et nunc sequimur te in toto corde nostro, & timemus te, ne confundas faciem nostram. Hoc signatum est in Principe Apostolorum perfectissimo, de quo dicitur *Matth.* 26. Petrus vero sequebatur à longe: quia comitari nemo potest eum, qui omnes præcedit. *Psal.* 18. Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo celo egressio eius. Prope etiam sequi, non est qui possit. *Iob* 26. Omnes qui vident eum, intuentur procul. Sequuntur ergo à longè vtcumque vestigia eius. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui. De quarto autem quod est sequi ipsum imitando ipsum, dicitur *Ierem.* 2. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, quando secuta es me in deserto. Sic *Ioan.* 21. dixit Dominus Petro: Sequere me. *Matth.* 4. Venite post me. De quinto autem modo consecutionis præmij & gloriæ cum ipso *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Respondens IESVS dixit: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. *Osea* 6. Viuemus sequemurque, vt cognoscamus Dominum. Isti ergo

instant

intrant in gaudium cum Chriſto. Et hoc eſt quod dicit: Et venit poſt me.

Non poteſt meus eſſe diſcipulus] Quomodo efficeretur enim diſcipulus eius, quem in doctrina non imitaretur? In quatuor: in forma ſcilicet viuendi, dicit *Apoſtolus Phil.* 3. Ambulate ſicut habetis formam noſtram. 2. *Cor.* 7. Capite nos. Neminem læſimus, neminem circumuenimus, neminem corrupimus, hoc eſt, Habete formam vitæ noſtræ. In forma autem doctrinæ: vt eadem doceat, quæ magiſter docet. 1. *Corinth.* 1. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. 1. *Corinth.* 11. Ego enim tradidi vobis, quod & accepi. *Ezech.* 2. Verba mea loqueris ad eos. *Iob* 29. Verbis meis nihil addere audebant, ſed ſtillabat ſuper eos eloquium meum. De modo probationis, qui eſt per exemplum, *Rom.* 15. Non enim audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non efficit Chriſtus. Ideo dicitur teſtimonium: quia per facta teſtificatur. *Pſal.* 92. Teſtimonia tua facta ſunt credibilia nimis. *Hebr.* 2. Ab his qui audierunt, in nos confirmata eſt, teſtimonium perhibente Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. *Pſalm.* 98. Mirabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea. In forma etiam permiſſionum magiſtri, oportet diſcipulum conconformari magiſtro: quia aliter doctrina finem non haberet. Promittit enim omnis artifex finem doctrinæ ſuæ congruentem: ſicut magiſter morum promittit perfectionem felicitatis, & doctor fidei promittit beatitudinem patriæ: ſicut Chriſtus dicit *Ioan.* 12. Siquis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus qui eſt in cælis. Ideo dicit diſcipulis Chriſtus: Vt vbi ego ſum, ibi & vos ſitis, hoc eſt, in beatitudine Patris. Ibi enim eritis perfecti, & non ante: vbi omnia videbitis in facie Dei. Tunc enim experiemur quod dicit Chriſtus *Matth.* 21. Vnus eſt enim Magiſter veſter, qui eſt in cælis. Iſtum autem diſcipulatum non conſequitur, niſi qui in cruce ſequitur Chriſtũ. Et hoc eſt quod dicit: Non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum; ne poſtquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?

Hic oſtendit donum perſeuerantiæ, quod eſt vltimum iſtius doctrinæ. Dicit autem tria hic; qualiter ſcilicet, vires proportionandæ ſunt ad perſeuerantiam: ſecundò, qualiter aliquis ſe debet præparare ad perſeuerandum: & tertio, quam inutiles ſunt qui non perſeuerãt. Ad primum inducit duo exempla: quorum primum eſt de turris ædificatione in proportione ad ſumptus: ſecundum autem eſt de volente committere bellum cum Rege aliquo, & proportione virium ad occurrendum. Circa primum dicit quatuor: de propoſito ſcilicet volentis ædificare turrim, de computatione expenſarum, de prouiſione perfectionis ædificij, de timore illuſionis ſi non poſſet conſummare quod incepit. De primo igitur dicit tria: propoſitum ædificantis, magnitudinem ædificij, & diligentiam, & fortitudinem operis. De primo horum dicit [Quis enim ex vobis] Q. d. Rarus. *Gloſſa* autem illud legit remiſſiuè ſic: Quis ex vobis, hoc eſt, aliquis ex vobis: quia non omnis hominis eſt iſta perfectio. Cum enim duas ſimilitudines inducat hic Dominus: vnam inducit ſecundum altitudinem contemplationis: alteram autem inducit ſecundum perfectionem actionis. Et de turre quidem inducit ſecundum contemplationis perfectionem. De propoſito igitur talis ædificij dicit [Quis] hoc eſt, aliquis [volens] hoc eſt, proponens [ædificare] Hoc ipſum enim bonum eſt proponere erigere ædificium ſpirituale. 3. *Reg.* 8. Quia cogitaſti ædificare domum nomini meo, benè feciſti, hoc ipſum mente pertractans. Propoſitum enim boni conducit ad boni operis inceptionem. 2. *Reg.* 7. Omne quod eſt in corde tuo fac: quia Dominus tecum eſt. Sicut enim dictum eſt in *Pſalm.* 75. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Cogitatio enim Domini inchoat bonum: ſed propoſitum ordinat, & opus incipit, & perficit vſque in finem.

Turrim] Ecce ædificij ſublimitas. Eſt autem turris Domini multiplex: eſt enim turris Dauid, & turris eburnea, & turris Libani, & turris vberum ſponſæ, & turris gregis nebuloſa, & turris Hananeel, & turris fortiſſima nominis Domini. Turris quidem Dauid manu fortis & aſpectu deſiderabilis, eſt turris ſtudij ſacræ Scripturæ: in quam aſcendere debet vir ſanctus, ad videndum aſpectu deſiderabilem: de qua dicitur *Cantic.* 4. Turris Dauid ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Et hoc eſt ſtudium, vel meditatio ſacrarum Scripturarum: ex qua pendent clypei inſigniti ſignis Angelorum per reuelationes: & armatura fortium, hoc eſt, geſta & virtutes Patrum, qui fortia pro Deo fecerunt. Turris autem eburnea eſt, de qua dicitur *Cant.* 7. Collum tuũ ſicut turris eburnea. Collum enim, ſicut ſæpe diximus, continuatio eſt capitis cum corpore: & ſignificat mentem humanam, quæ nos capiti Chriſto continuat, quæ debet eſſe caſtitatis eburneæ, vt non adulteretur per phantaſias, vel rationes hæreticas, ſed caſtam concipiat fidem. Turris autem Libani eſt de qua dicitur *Cantic.* 7. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. Naſus enim per odorem habet vim diſcretiuam conuenientis ab inconuenienti; & ſignificat mentis vim, quæ conuenientem veritatem diuinam ab inconuenienti mundana veritate diſcernit, & illam recipit, hanc autem aſpernatur. *Cant.* 4. Odor tuus ſicut odor thuris, hoc eſt, diuini cultus & deuotionis. Hæc reſpicit contra Damaſcum, hoc eſt, contra peccatum ſanguinis: quia omne quod eſt ex carne & ſanguine fœtet in conſpectu ipſius. Vnde *Cant.* 4. Odor eius vt Libani. In quo monte ſemper eſt odor thuris. Turris autem vberum eſt turris lactationis, qua contemplans id quod haurit contemplando, profundit: vno quidem vbere, lac candidæ veritatis: alio autem vbere conſolationis, lac dulciſſimæ delectationis & iucunditatis ſpiritualis: & de hac dicitur *Cant.* 8. Vbera mea ſicut turris. In vbere enim doctrinæ aſcendit ignorans contra falſitatem & vanitatem. In vbere autem conſolationis

lationis ascendit deiectus & desperans contra tristitiam & desperationem. Turris autem gregis, est turris custodiæ pastoralis commissæ. De qua dicitur *Mich*. 4. Tu turris gregis nebulosa vsque ad te veniet. Nebulosa enim est hæc turris propter multas angustias custodiendi gregis. Tamen vsque ad hanc turrim veniet Dominus in potestate sua principali: quia ipse est pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis, & pro quo grege mori dignatus est. Turris autem Hananeel est turris familiaritatis diuinæ in deuotione, & secreto conscientiæ: quia Hananeel gratus Deo interpretatur. *Zach*. 14. A turre Hananeel vsque ad torcularia regis, & habitabunt in ea, & anathema non erit amplius. Habitatio enim boni viri & grati Deo pertingit ab eleuatione turris contemplationis & familiaritatis diuinæ vsque ad torcularia regis, hoc est, vsque ad expressionem regalium & diuinorum gaudiorum, quæ in secreto mentis præstat Deus. Vnde alia interpretatione Hananeel, cui dedit Deus, interpretatur. In his enim mens boni viri inhabitat, quatenus agendo in exterioribus, anathema non incurrat. Turris autem fortissima est turris spei nominis Domini, de qua dicitur *Prouerb*. 18. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam confugit iustus & saluabitur. *Psalm*. 60. Esto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimici.

De omnibus his turribus dicitur in *Psalm*. 121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Huiusmodi turrim præsidij ædificauit Dominus in vinea sua. *Isa*. 5. Turrim ædificauit Dominus in medio eius. Ista est ergo ædificij sublimitas, quam omnis bonus homo in virtute contemplationis vult & debet ædificare. Et de hac ædificatione dicitur *Ephes*. 2. Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificabimini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Ad hoc enim ædificium diligentia magna exigitur: vt super fundamentum forte (quod est fides Christi) excelsi parietes & fortes erigantur per spem, & tectum decentissimum (quod defendat totum ædificium) altissimæ charitatis erigatur. Et ideo subdit de huiusmodi structura, dicens.

Nonne prius sedens, &c.] Dicit autem tria: diligentiam scilicet supputantis expensas necessarias, & ipsam supputationem, & causam tam diligentis supputationis. Diligentiam autem supputantis describit per tria: per præmeditationem difficultatis operis, per quietem mentis ne à computatione impediatur, & per ipsam computationem rationis. De dispositione supputantis, dicit [Nonne prius] præueniens difficultatem, & magnitudinem, & ordinem, & materiam operis diligenti consideratione: sicut dicitur in *Psalm*. 118. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua, hoc est, Primo cogitaui qualiter conuerterem, & tunc rationabiliter conuerti. *Psalm*. 76. Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Omnem enim nostrum actum difficilem debet præuenire consideratio, iuxta consilium Sapientis qui dicit *Eccli*. 32. Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Vnde & Dauid ante opus ædificij præparauit expensas Salomoni, cum templum ædificare instituerer 2 *Reg. vltim*. & 1. *Paralip. vltimo*. Difficile est enim ædificium diuinum, quia est circa virtutem: & magnum, quia est circa honestum: & in materia pretiosissimum, quia est circa gratiarum optimum: & ordo sapientiam requirit, quia est ad ordinem cælestium, quæ occulta sunt homini nisi reuelentur. Vnde 1. *Paralip*. 2. Domus quam ædificare cupio, magna est. Magnus est enim Dominus Deus noster super omnes Deos. Quis ergo poterit præualere vt ædificet ei dignam domum? In hoc autem quod dicit magnam esse, notat ædificij magnitudinem. In hoc autem quod dicit: Quis poterit præualere, &c. notat operis difficultatem. Ordinem autem habet, descendentem de cælo. *Apoc*. 21. à Deo paratam sicut sponsam viro suo, quem etiam Regina Saba mirabatur 3. *Reg*. 10. Materiæ autem pretiositas describitur *Isa*. 54. Fundabo te in sapphiris, ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Fundatur enim in cælesti conuersatione & intentione. Propugnacula ponatum accipit in virtute fidei operantis per dilectionem in omnibus mandatis. Portarum introitus sculptos habet lapides, qui chamahu vulgariter dicuntur: in quibus, qualiter introiuit IESVS, & Sancti eius, est insculptum. Omnes autem termini, angulariter parietes continentes, habent lapides desiderabiles. Hinc quidem virtutes Patriarcharum, & inde Prophetarum, in alio latere Apostolorum, & in quarto Martyrum, & in medio aliorum beatorum soliditates disponuntur. Et sic turris erigitur. Igitur sic præmeditatur

Sedens] hoc est, quiescens magis à strepitu cordis quam corporis. Exagitatus enim passionibus iræ, ambitionis, acidiæ, siue tristitiæ, & inuidiis & cupiditatibus, & illecebris gulæ, & scatebris libidinum, nunquam præualet vacare ad huius ædificij consummationem: sed anima eius inquieta fertur vt meretrix, de qua dicitur *Prouerb*. 7. quod est vaga, garrula, quietis impatiens, non valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc in angulis. Contra quod dicitur *Act*. 1. Sedete in ciuitate, & orate, quousque induamini virtute ex alto. Et *Aristoteles in Septimo Physicorum*. In sedendo & quiescendo fit anima sciens & prudens. *Thren*. 3. Sedebit solitarius, & tacebit quia leuauit se supra se.

Computat] actu rationis [sumptus] virtutum [qui necessarij sunt] ad ædificium [si habeat] in facultatibus suis [ad perficiendum] tantum, & tam excellens ædificium. Et ex hoc accipitur, quod peccant qui pueros, & puellas, annos perfectæ discretionis non habentes, sed adhuc sub tutoribus degentes, inducunt ad promittendum & vouendum magna, quæ postea soluere non possunt. Propter quod etiam *Apostolus*, qui virgo fuit, votum virginitatis nulli imponere voluit, sed beatitudinem cælibatus prædicauit, relinquens vnicuique vt secundum proprium ageret consilium & deliberationem 1. *Corinth*. 7. 1. autem ad *Tim*. 5. plus dicit. Volo autem iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Turrim enim altitudinis ædificare, non est nisi sumptus virtutum habentium ad consummationem. Dicit autem quædam *Gloss*. Quod homo computat, quando merita vel virtutes de quibus sibi conscius est, ponderat. Sicut dicitur

dicitur *Marc.* 5. & *Luc.* 8. Ego cognoui virutem de me exisse. Si enim sic ad operandum virtus de aliquo egreditur, ille sumptus habet virtutum: sicut & *Paulus* 2. *Corinth.* 11. suas enumerat virtutes & experientias in tribulationibus, in quibus nunquam cessit. *Eccli.* 44. Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, & pacificantes in domibus suis.

Aliter enim (sicut dicit *Glossa*) ædificatur ædificium spirituale, & aliter corporale. Corporale enim ædificatur congregando diuitias corporales, & dispergendo spirituales. Spirituale autem ædificatur dispergendo corporales, & congregando spirituales. Et ideo in fine huius doctrinæ Dominus concludit, quod nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Quod non omnium est, sed perfectorum. Et ideo benè computandum est antè, si vires & virtutes suppetãt ad tantũ ædificiũ. 1. *Paral.* 29. Opus grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Ego totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei. Vbi autem tantus Rex, tam eximius Propheta, tantus Miles, tam strenuus Pugil, qui & leonem & vrsum & gigantem strauit, omnes vires suas expendit ad sumptus congregandos: non sine magna deliberatione est assumendum à minoribus, debilibus, & pauperibus hominibus. Dicit autem periculum, quod aliter facienti sæpe euenire solet, vt cautos nos reddat.

Ne postea] In hoc autem paragrapho tria innuit: inconsideratam scilicet operis inchoationem, generalem omnium irrisionem, & irridentium confusibilem improperationem. De primo dicit [Ne postea quam posuerit fundamentum] Fundamentum autem est inconsiderata magni operis inchoatio: sicut emissio voti, vel solemnizatio voti ad modum vitæ arduæ & difficilis, quæ fundatur supra vitam inexpertam, passionibus adhuc, & tentationibus periculosis subiacentem. Fundamentum enim, quod fundatur super inexpertam vitam, ponitur super arenam: de quo dicitur *Matth.* 7. Similis est viro stulto, qui ædificat domum suam, & ponit fundamentum super arenam. Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domũ illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna [& non potuerit perficere] Facile enim est incipere. Paruis enim expensis, & paruis laboribus incipitur opus. Sed perficere est difficile, & magnis expensis opus vix consummatur. Et ideo dicitur *Eccli.* 18. Ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Ab altera parte, si habet expensas, & non audet incipere, pusillanimis reputatur. *Prouerb* 14. Si dixeris: Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit.

Omnes qui vident, incipiant illudere ei] *Psalm.* 21. Omnes qui videbant me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Isti enim sunt inimici humani generis, qui quandoque ad hoc suadent vitæ excellentis propositum, vt profundius præcipitent in barathrum. *Psalm.* 37. Dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt. Et in figura huius, sermonem non intellectum, & secundum suam erroneam opinionem inceptum, & non perfectum deriserunt *Matth.* 27. dicentes: Vah qui destruit templum Dei, & in triduo illud reædificat. Christus rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: dixit enim, quia Filius Dei sum [dicentes quia hic homo] Hic incepit, ac si esset Deus, non cogitans se esse hominem, & infirmum, & imperfectum: & ideo dicere debuit Deo illud *Psalm.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Et illud *Sap.* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Et illud 2. *Corinth.* 3. Non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Et illud *Iob* 4. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? [cœpit ædificare] *Matth* 10. Non qui cœperit, sed qui perfecerit, & perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit [& non potuit consummare] Dicunt enim illud *Nehem.* 4. Nunquid poterunt ædificare lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt? Et *infra.* Ædificent: si ascenderint vulpes, transilient murum eorum lapideum. Ita dicunt irridentes, id est, quos habemus votorum stultorum persuasores: quia de aceruis puluetis combusti per ignem consuetæ concupiscentiæ, non poterimus ædificare. Et si aliquid ædificauerimus, *vulpes dæmoniacæ* astutiæ transilient *murum imperfectum*, quem in soliditate nouitia ædificauimus, & demolientur ædificium. *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum.

Aut quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.

Secunda est similitudo, quam inducit de perfectione actionis: in qua homo per exercitium virtutum acquisitarum ad bellum venit, regnum Dei violenter capere. Sicut dicit Dominus *Matth.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Dicit autem tria: primò quidem factum, in quo similitudo attenditur: secundò autem diligentiam præmeditationis, & computationis virium & expensarum: tertiò autem astutiam infirmioris, declinantis fortitudinem aduersarij per tractatum pacis. Circa primum dicit tria: dispositionem ad bellum procedentis, modum belli, & fortitudinem aduersarij. De primo dicit [Quis] hoc est, aliquis [Rex] Et non ideo interrogatiuè, sed remissiuè, legendum est [Rex] Dispositio est eius qui ad bellum procedit. Si enim non sit Rex, non debet ad bellum procedere, sed alium sequi in bello. Rex autem est qui se & alios regere præualet ex regimine rationis. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt. Non autem est omnis Regis ad bellum procedere: & ideo dicit [quis] hoc est, aliquis [Rex] quia tales pauci sunt, qui viribus & expensis sufficiant *Iob* 23. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. *Iob* 9 Non iustificatur homo compatatus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.

Iturus

Iturus ad bellum]Ecce modus belli. Cuius modus est, vt homo semper in bello proficiat. Et sic vadat in bello (quod est magnarum vitium) & semper in bello fit fortior,& non debilitetur. Sicut dicitur *Hebr.*11. Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Perpaucorum enim est, eos etiam qui in bello moriuntur, fortiores iteratò ad bellum resurgere: sicut quidam faciunt in bello Domini, qui aliquando cadentes vulnerati, iterum per pœnitentiam resurgunt fortiores. Tales sunt perpauci viri summi Salomonis, qui lectulum eius ambiunt,omnes tenentes gladios virtutum,& ad bella doctissimi. Talis fuit & Iosue, qui sic ad bella agenda paratus fuit in senectute vltima, sicut in robore suæ iuuentutis. Sed non omnium est hoc verbum. Multi enim debilitantur ex senectute: sicut Asa,qui in senectute doluit pedes, & mortuus in vnguentis meretriciis, qui in iuuentute multa bella Domini laudabiliter peregit 3.*Reg.*15. Multi etiam vulnetibus hostium debilitantur, sicut Ochozias filius Athaliæ, & multi alij. Confortantur autem in bello perpauci, sicut dictum est *Iof.*1. Confortare, & esto robustus.

Aduersus Regem alium]hoc est,aduersum Regem Regum Dominum. Quilibet enim, qui violentia suarum virtutum nititur capere regnum Dei(sicut diximus) vadit committere bellum aduersus Regem cælorum.*Iob* 7.Militia est vita hominis super terram. 2.*Timoth.*2. Omnis qui in agone contendit, non coronabitur nisi qui legitime certauerit. 1.*Corinth.*9. Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Tunc autem hoc bellum committere vadit, qui meritis suis se capere regnum Dei præsumit [aduersus Regem alium] Christum , de quo dicitur *Isa.*20. Dominus rex noster ipse veniet,& saluabit nos. Hoc modo bellum committere voluit,qui dixit *Ierem.*12. Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum : veruntamen iusta loquar ad te. Sic bellum iniuit cum Deo Iacob *Ose* 12. In fortitudine sua directus est cum Angelo. Præualuit ad Angelum & confortatus est : fleuit,& rogauit eum. *Genes.*32.Dimitte me, iam enim aurora est. Respondit ei : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco,& dixit ad eum:Si contra Deum fortis fuisti, quanto contra homines præualebis? Isti ergo sunt, qui ad piæ disputationis bellum cum Deo procedunt : contra diabolum cum duabus manibus, vtraque pro dextera vtentes, pugnant cum Aioth iudice, qui defendit Israël *Iudic.*3.

Nonne sedens prius cogitat]Hic describit,sicut prius,dispositionem sapienter committere bellum intendentis. Et describit,quid sapienter præmeditatur. Dispositionem autem sapientis describit, sicut superius, à tribus : à meditatione opus præueniente , & ab ipsa meditantis quiete ne à meditatione impediatur,& ab ipsa meditatione. A præueniente quidem meditatione : quia dicitur *Prouerb.*24. Vir sapiens,fortis est:& vir doctus,robustus & validus Quia cum dispositione itur in bellum : & erit salus vbi multa consilia [sedens] vt quiescens , à præmeditatione non impediatur. *Psalm.*142 In factis manuum tuarum meditabar. Et præmittit. Memor fui dierum antiquorum, & meditabar in omnibus mandatis tuis : quia magna in talibus opus est deliberatione de exemplis Dei & sanctorum. Bellum enim Dei magnum est:sicut dicitur *Iob* 40.Memento belli,& ne adiicias loqui.

Cogitat] Ecce computatio viribus proportionata[si possit cum decem millibus occurrere]Decem millia habet,qui perfectionem decalogi ducit in quadrangulum virtutum cardinalium:quia decem millia faciunt quadrangulum,& non quadratum. Si ergo præcepta in seducantur,vt cum gratia omnia impleantur , quæ natura & lex præcipiebat : & iterum in quatuor virtutes ducantur, vt omnia rectè,fortiter,modestè,& prudenter impleantur : tunc cum decem millibus supputatis in mente militibus,Deo occurrimus:quia opera quæ præcipit decem in perfectione naturæ , ad centenarium reducimus. Et hunc centenarium in perfectione gratiæ & sermonis Dei, in millenarium producimus.Et hunc millenarium,in quadrangulum virtutum cardinalium quadrisformiter extendimus. Decem enim mandata Dei in vtraque tabula. Decem autem sunt in homine , in quæ mandara ista sunt multiplicanda. Vnum quidem est simplicitas fidei : secundum autem, cordis sinceritas : tertium autem, delectatio Dei : quartum autem, innocentia proximi : quintum autem, beneuolentia similitudinis Dei apud omnes: sextum autem,voluntas proficiendi proximo : septimum, castitas apud semetipsum : octauum autem,veritas sermonis ad omnes : nonum vero, communicatio sui ad omnes : & decimum, munditia cordis & corporis in omnibus. In omnibus enim istis decem , omnia mandata Dei sigillatim multiplicanda sunt:& tunc centum perficiuntur ex decem. Si autem ista centum iterata, sigillatim in rectum decies, & in forte decies, & in prudens decies, & in modestum decies multiplicauero : hæc in mille pro quolibet multiplicabo,quæ sunt quatuor millia : quibus quatuor millibus si perfectionem operum(quæ in sex continetur)addidero, decem millia militum instruo, quibus cum Deo ad bellum, quo regnum suum obtineam, procedo. Sic ergo computo. Sic enim dicitur *Matth.* 18. quod Dominus posuit rationem cum seruis suis. Et oblatus est ei vnus , qui debebat decem millia talentorum.

Ei qui cum viginti millibus venit] Dominus enim ad nos venit duplicato numero. Quia & nostra sua sunt,& propria affert,in quibus partem non habemus. *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et ideo *Iob* 9. Verebar omnia opera mea,sciens quia non parceres delinquenti. Iterum duplicato numero venit ad nos, qui omnia fecit ex charitate Patris,& in charitate hominis,& nihil debuit. Nos autem omnia debemus,& non ita ex charitate Dei & proximi , sicut ex debito facimus. *Luc.*17. Cum feceritis hæc omnia,dicite : serui inutiles sumus:quæ debuimus facere, fecimus. Et ideo non restat consilium,nisi quod subiungit.

Alioquin adhuc illo] Rege nostro aduersariò in hac commissione belli [longè agente]per dissimulationem iudicij : quando adhuc scilicet sani & iuuenes sumus. *Eccli.*17. Viuus & sanus confiteberis.*Isa.*38. Viuens,viuens ipse confitebitur tibi,sicut & ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam. Sic enim implemus consilium Salomonis *Prouerb.*4. Oculi tui recta videant : & palpebræ

palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Nos enim non possumus ostendere nisi perfectionem operum, vt diximus. Ille autem fortè etiam requiret perfectionem intentionum. Et sic geminat super nos viginti millia. Vel fortè cum nos opponimus facta, ille proponet facta & passiones quas sustinuit: & sic numerum contra nos militantium duplicabit. Et ideo optimum consilium est, quod illo sicut patientissimo adhuc longe agente per dilationem vindictæ. *Sapient*.12. Bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

Legationem mittens] orationum, & lacryma rum, & intercessionis suffragij Sanctorum. *Gen*.31. Mitto nunc legationem ad Dominum meum: vt inueniam gratiam in conspectu tuo [rogat ea] per legatus [quæ pacis sunt] *Psalm*.121. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem. *Isa*.26. Dabis pacem nobis: pacem, quia in te sperauimus. Hoc autem fit misericordia superexaltante iudicium, & nostros defectus ex suo munere & gratia supplente, & dicente Filio Dei pro nobis illud *Genes*.31. Ego damnum omne reddebam: quicquid furti peribat, à me exigebas. Nobis autem dicentibus illud *Mich*.6. Quid dignum offeram Domino? Et illud *Genes*.44. Quid respondebimus Domino meo, aut quid loquemur, aut quid iustè poterimus obtendere? Sic ergo duplex similitudo ostendit meditandum esse sapienter, tam de via contemplationis quam de via actionis, in qua homo vsque in finem valeat perseuerare. Et ideo dicitur. 1. *Petr*.4. Nolite peregrinari in feruore spiritus qui ad tentationem vobis fit. 1. *Ioan*.4. Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus vtrum à Deo sint. In talibus enim vetum est quod dicit Dominus *Matth*.26. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et in talibus quantum ad votum perpetuæ continentiæ dicit Apostolus 1. *Corinth*.7. Melius est nubere quam vri. 2. *Petr*.2. Melius erat illis viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum conuerti ab eo quod traditum erat illis à sancto mandato. Hoc est igitur quod per istas similitudines astruere intendit. Qualiter autem sine impedimento efficiamur discipuli, & perseuerare possimus, & turrim ædificantes, & summo regi occurrentes, consequenter ostendit cum dicit.

Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Et est conclusio ex inductis conclusa: similiter generaliter, & congruenter. Dicit igitur [Sic ergo] Similiter, cum sine Christo aliquid diligatur, tunc perfecti sumptus virtutum non habentur. *Prouerb*.1. Animaduertet parabolam & interpretationem eius, verba sapientum & ænigmata eorum. Si enim iuxta similitudinem inductam verba ista accipiamus, tunc turrim non ædificat, nec Regi magno occurrere poterit, qui omnia non relinquit. Turrim enim ædificare est fastigium perfectionis construere. Sumptus præparare, est virtutes pretiosissimas congregare. Legatos mittere, est suffragia meritorum optimorum coram Deo proponere, & intercedentes Sanctos qui de bonis dispersis refecti sunt præmittere. Pacem quærere, est reconciliationem ad Deum obtinere. Et hæc omnia faciunt discipulum Christi esse [Sic ergo omnis ex vobis [qui me sequi cupitis [qui non renuntiauerit] *Beda* hic distinguit inter renuntiare, & relinquere. Dicit ergo quod renuntiare conuenit eis qui ita licite vtuntur mundanis quæ possident: vt tamen mente tendant ad æterna. Relinquere autem est tantummodo perfectorum, quia omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant. Et hæc *Gloss*. multum est contra eos qui dicunt omnia non esse relinquenda [omnibus quæ possidet] Et etiam affectum possidendi ea quæ habere posset. Vnde *Gregor*. Multum reliquit, qui affectum ad ea quæ habere posset dimisit. *Matth*.19. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. *Matth*.4. Continuo relictis retibus & naui, secuti sunt eum. Nudum enim Christum (qui exultat vt gigas ad currendam viam) oneratus sequi non poterit. Et ideo volens insequi & consequi Christum, non ad insipientiam omnia sua derelinquit. *Psalm*.72. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? *Philip*.3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem [non potest meus esse discipulus] Causa autem est quæ dicitur *Matth* 6. Nemo potest duobus dominis seruire. Et *ibidem*. Non potestis Deo seruire & mammonæ, quod syriaca lingua diuitias sonat. Et ideo discipulum Christi qui Christo seruire intendit, diuitiis renuntiare conuenit. Sicut enim iam ante diximus, duobus intendere non possumus: discipulum autem oportet intendere suo magistro.

Bonum est sal. Si autem sal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Hic vltimo ostendit periculum eorum qui incipiunt Christi discipulatum, & non perseuerant vsque in finem. Dicit autem tria: salis vtilitatem, salis infatuationem, & infatuati salis abiectionem. De salis vtilitate dicit [Bonum] hoc est, vtile [est sal] Super *Matth*.5. notauimus salis proprietatem, & ad Apostolicam gratiam adaptationem. Sal enim condimentum est ciborum sicut doctrina discipulorum, & exemplum condimentum est morum. *Iob* 6. Nunquid poterit comedi insulsum quod non est sale conditum? Nullus enim mos hominum sapidus est, qui gratia Apostolica Christi non est conditus. *Marc*.9. Bonum est sal, habete sal in vobis. *Leuit*.2. In omni sacrificio offeres sal, hoc est, gratiæ Apostolicæ saporem, in sapientia verbi & gratia exempli. Hoc enim sal combustiuum est putredinum per charitatem, arcens fœtores per abstinentiæ & continentiæ siccitatem, penetratiuum in gustum per sapientiæ acumen, liquefactibile in omnium conuenientiam per tationabilitatem. *Coloss*.4. Sermo vester in gratia semper sit sale conditus. Ideo dicitur *Eccle*.10. Homo acharis, quasi fabula vana. Acharis autem est sine gratia, insulsus, nulli congruens. Adapta igitur.

Quod si sal euanuerit] hoc est, si sal alium saporem aliquem acceperit, aliquid per amorem possidendo quod sapit: statim suo sapore Apostolico alios non condit. Vnde *Marc*.9. dicitur.

Quod

Quod si sal insulsum fuerit, hoc est, saporem salis amiserit, & euanidum fuerit [in quo salietur] impersonaliter legendum est. Hoc est, in quo fiet salitio, Q. d. In nullo. Et hæc est prima salis inutilitas, quod euacuato sale nihil potest conditi. Nullus enim conditur si ille qui est sal (hoc est Prælatus) insulsus fuerit. Prælatus enim insulsus (qui deberet esse sal & condimentum aliorum) non salsatur, vel conditur à subditis. Quia sicut dicit *Gregorius* hunc peccantem arguere nemo præsumit. Et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus peccator honoratur: & sicut Sacerdos, ita populus remanet insulsus. *Matth.* 5. Si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra. Et hoc est quod dicit [neque in terram] cætera enim putrescentia, bona terra & fœcunda efficiuntur postquam sunt resoluta. Sal autem euanidum retinet æstiuũ calorem, & adustam siccitatem: & ideo terram in quam cadit reddit infœcundam. Vnde victores aliquando ciuitates quas deuicerant & destruxerant, sale seminauerunt in signum sterilitatis perpetuæ. *Psal.* 106. Terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea. Sic Sacerdos euanidus & infatuatus in sterilitatem conuertit populum. *Ierem.* 22. Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur [neque in sterquilinium erit] quod stirpibus appositum, impinguet & feracem faciat fundum & stirpes. Peccata enim (quæ sterquilinium sunt subditorum) aliquando condiunt & impinguant aliquos. *Luc.* 13. Sine vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Sed peccata Sacerdotum sunt sacrilegia, & tam abominabilia quod nullum impinguant. Sed adurunt per concupiscentiam similia faciendi, & exsiccant in populo omne quod est pietatis: & ideo etiam in sterquilinium non erit sal illud. Ergo ad nihilum valet [nisi vt mittatur foras] per excommunicationem & degradationẽ: præcipuè si per hæresim & schismata deprauatur. 1. *Corinth.* 5. Auferte malum ex vobisipsis. *Ierem.* 52. Furor Domini erat in Ierusalem & in Iudam, quousque proiiceret eos à facie sua. 4. *Reg.* 23. Irascebatur furor Domini contra Ierusalem & contra Iudam, donec proiiceret eos à facie sua. *Isa.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te [& conculcetur ab hominibus] sicut vile quid abominatum. *Isa.* 5. Erit in conculcationem, & ponam eam desertam. *Isa.* 7. Erit in conculcationem pecorum. *Isa.* 15. Ponam illum in conculcationem sicut lutum platearum. *Luc.* 8. Conculcatum est ab hominibus. Sic ergo penitus erit nociuum & inutile.

Et quia hoc præcipue dictum est ad instructionem Prælatorum: ideo reddit eos attentos dicens [Qui habet aures audiendi, audiat] ter significans auditum: vt aure percipiant, & audiendo intelligant, & exaudiendo opere compleant. *Hebr.* 4. Non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei, ex his quæ audierunt. Quidam enim obturant aurem ne audiant: sicut aspis venenata. *Psalm.* 57. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium & venefici incantantis sapienter. Quidam autem audiunt & non intelligunt. *Isa.* 6. Excæca cor populi: ne forte audiant auribus, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Quidam autem audiunt, sed auditum non perficiunt. *Luc.* 12. Seruus sciens volontatem Domini sui & non faciens, vapulabit multis. Et ideo tria ista coniungit: vt aure leui audiant. *Iacob.* 1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum. Et sagaciter intelligant. *Matth.* 15. Audite & intelligite. Et intellecta opere compleant. *Psalm.* 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in seculum seculi. *Matth.* 13. & *Luc.* 8. IESVS hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPVT XV.

Erant autem appropinquantes ei Publicani & peccatores, vt audirent illum.



AB isto loco vsque ad vigesimumsecundum capitulum, agit de electione & reprobatione vocandorum per Discipulos & Apostolos. Et diuiditur in tres partes, in quarum prima ostendit quam paternè recipitur qui eligitur: in secunda autem ostendit quo merito eligitur qui eligitur, & reprobatur qui reprobatur. Hoc autem incipit capitulo sedecimo. In tertia autem ponit modum electionis & reprobationis. Et hoc incipit post medium capituli 19. vbi dicit: Cum autem venisset Bethphage ad montem oliueti &c. Prima ergo pars continetur tota in isto capitulo: & diuiditur in partes duas, in quarum prima per factum sumitur occasio veniendi ad doctrinam: in secunda autem doctrina perfecta traditur de paterna pietate recipientis. In prima harum tria dicuntur: peccatorum scilicet conuersorum ad Dominum appropinquatio: secundum autem, Pharisæorum murmuratio: & tertium, quod est causa murmuris, benigna peccatorum à Domino susceptio. In primo notantur quinque secundum literam, scilicet, appropinquationis continuitas, appropinquationis propinquitas, eius cui appropinquabant benignitas, appropinquantium peccatum & iniquitas, & ea quam intendebant appropinquando ad ipsum vtilitas. Primum horum notatur per hoc quod dicit [Erant] quod est præteriti imperfecti temporis. In quo præteritum includit præsens, & dirigit in futurum: & per hoc notatur continuitas appropinquationis in omne tempus. *Tob.* 4. Omni tempore consilia tua in ipso permaneant. *Psalm.* 33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Sic enim sumus Deo appropinquantes.

Appropinquantes] Hîc notatur appropinquationis propinquitas siue vicinitas. Conuersione enim cordis appropinquatur ad ipsum. *Ephes.* 2. Vos qui eratis longe, facti estis nunc prope. Sic appropinquauit peccatrix quãdo stetit retro circa pedes eius, & osculabatur ore, & rigauit lacrymis, & tersit capillis, & vnxit vnguento *Luc.* 7. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Coniunctione enim cordis, appropinquatur pœnitentia & dilectione: non tantum ore. *Isa.* 29. Appropinquat autem iste populus ore: cor autem eorum longe est à me. *Ierem.* 12. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. Qui tribulato

corde recedimus à malis, & omnium bonorum optimo appropinquamus per dilectionem: dicentes Domino illud *Ruth.* 3. Expande pallium, quia propinquus es. Pallium, inquam, iustitiæ, decoris, honestatis, & pallium charitatis quo peccata operiuntur: sicut dicitur 1. *Pet.* 4. & pallium laudis pro spiritu mœroris da propinquantibus sibi. *Isa.* 61. Sic appropinquantes dicunt. Non discedimus à te, viuificabis nos. Ecce qualiter erant appropinquantes.

Ei] Cui ei? IESV Christo Saluatori vngenti vulnera eorum, qui per nimiam charitatem omnibus sibi appropinquantibus appropinquat. *Deut.* 4. Quæ est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus noster adest omnibus obsecrationibus nostris. Tam pius enim est, quod ipse longe adhuc existentem reuocat, & occurrens appropinquat venienti: sicut pater in filio prodigo *Luc.* 15. Imo etiam longe agentem non deserit, & trahit vinculis suæ charitatis. Et hoc est quod dicit *Greg.* Quid miramur fratres, peccatricem venientem, vel Dominum trahentem? Vel potius & Dominum per charitatem trahentem, & peccatricem per cordis compunctionem venientem. *Osea* 11. In funiculis traham eos in vinculis charitatis. Ideo quia etiam recedentem non deserit, pietatem eius describens *Apostolus Act.* 7. dicit: Non longe est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Viuimus quidem inspirati per Spiritus sui charitatem ad veniendum. Mouemur accedendo tracti per ipsum. Sumus autem in gratia eius postquam accessimus. Sic enim clamat *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Et non appropinquantibus improperat *Ioan.* 5. Non vultis venire ad me, vt vitam æternam habeatis? *Prou.* autem. 8. dicit. Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Quinam autem sunt qui erant appropinquantes?

Publicani & peccatores] Publicanus est qui infert iniuriam. Sicut Matthæus, & Zachæus, & latro: qui non sua rapiebant sub occasione publicorum vectigalium. Peccatores autem sunt qui sine alterius iniuria deformes habent actus: sicut peccatrix, & alij multum voluptuosi in carnalibus peccantes. Et in his duobus generibus, omnis generis peccatores continentur. Isti ergo qui indigebant, ad Dominum accesserunt. *Matth.* 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Isti enim sunt quibus dicitur *Eccls.* 38. Honora medicum. Propter necessitatem enim illum creauit Altissimus. Isti ergo suam attendentes necessitatem, honorabant Deum confitentes peccata sua, & accedentes ad ipsum, se conspectui suo præsentantes. *Iosue* 7. Da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum. *Genes.* 27. Accede huc vt tangam te fili mi. Ita dixit pater ad filium, pellibus hœdi, hoc est, conuersatione peccati circumligatum. Et ideo etiam isti propius accesserunt. *Ierem.* 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me & ego suscipiam te. Sic ergo Publicani iniurias inferentes, & peccatores famosi in peccatis erant appropinquantes ad Iesum.

Vt audirent eum] Et in hoc notatur appropinquationis vtilitas. Sciebant enim quod verbum illius langores curaret. *Psalm.* 106. Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos. *Sap.* 16. Non herba neque malagma sanauit eos, sed omnipotens sermo tuus qui sanat omnia. Verbum etiam inflammabat ad charitatem. *Psalm.* 104. Eloquium Domini inflammauit eum, misit rex, & soluit eum: princeps populorum, & dimisit eum. Verbum etiam veritate sua corda eorum sibi obligauit. *Ioan.* 8. Si vos manseritis in sermone meo verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Verbum etiam altitudine sua ad admirationem produxit. *Ioannes* 7. Nunquam sic locutus est homo vt iste homo loquitur. Verbum etiam ad omnia agenda illuminauit. *Psal.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ideo ergo appropinquauerunt vt audirent *Luc.* 6. Descendens IESVS de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis, qui venerant, vt audirent illum, & sanarentur à langoribus suis. Adhuc autem non propter verbum tantum auditum: sed propter dulcedinem audientis, & propter gratiam labiorum multi appropinquabant vt audirent eum. De primo autem horum dicitur *Cant.* 8. Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. *De secundo* autem dicit *Psalm.* 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis. Cant.* 4. Mel & lac sub lingua tua. Adhuc autem audiebant eum: quia sermo eius erat cum effectu. *Matth.* 7. Loquebatur sicut potestatem habens & non sicut Scribæ & Pharisæi. *Psalm.* 140. Audient verba mea quoniam potuerunt *Ierem.* 23. Nonne verba mea quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petras? Sic ergo erant appropinquantes ad eum Publicani & peccatores vt audirent eum.

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

Ecce secundum, quod est murmuratio inuidorum *Sap.* 1. Os custodite à murmuratione, & à detractione parcite linguæ: quia sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur occidit animam. *Psalm.* 49. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Murmur enim est detractio quæ in aure susurratur. *Rom.* 1. Susurrones, detractores Deo odibiles [Pharisæi] qui de iustitia præsumebant: quia suæ traditionis iustitiam diuinæ iustitiæ præferebant. *Rom.* 10. Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti [& Scribæ] præsumentes de falsi nominis sapientia: & ideo *Exod.* 9. significantur per magos, qui turgidi stabant in conspectu Regis Ægypti. 1. *Cor.* 8. Scientia inflat, charitas vero ædificat. *Eccle.* 1. In multa scientia multa fit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

Dicentes: Quia hic peccatores recipit] Murmurant quidem de duobus: de benigna peccatorum receptione, & de gratiosa cum peccatoribus communicatione. Et in hoc notatur quod benignus fuit in peccatorum receptione, & communicatione. Primum notatur per hoc quod dicit [Quia hic peccatores recipit] larga benignitate, dulcissima charitate, & gratissimo sinu misericordiæ. De primo dicitur *Rom.* 2. An ignoras quia

benignitas

benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? De secundo *Ierem.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. De tertio *Isa.* 40 In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Per primum, diu dissimulat & expectat peccantem, per secundum dulciter suscipit venientem, per tertium fouet susceptum ad se conuersum. De primo horum dicitur *Ioelis* 2. Benignus & misericors est, patiens & multum misericors, & præstabilis super malitiam. De secundo dicitur in *Psalm.* 116. Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Suscepit enim in visceribus charitatis. De tertio *Luc.* 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto [Et manducat cum illis] Ecce refectio & communicatio. Reficitur enim in bonis pœnitentium. Vnde *Luc.* 5. Fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Sic refectus est in bonis Zachæi *Luc.* 19. *Luc.* 15. Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus. *Psalm.* 41. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Quia exultat in conuersione & pœnitentia peccatoris.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues.

Sumpta occasione doctrinæ, ponit hic doctrinam de optima peccatorum susceptione. Et quia tria sunt in reductione peccatoris ad pœnitentiam: Ideo tres inducit parabolas, in quibus ista doctrina consummatur. Primum enim quod est in susceptione peccatoris est patientissima reuocatio errantis: secundum autem est diligentissima inquisitio perditæ in eo primæ imaginis: tertium autem paterna receptio reuertentis. Et quo ad primum inducitur parabola centum ouium contra Pharisæorum & Scribarum crudelitatem, qui perditos reuocare non curauerunt. Propter secundum inducitur parabola decem drachmarum contra negligentiam, qui perditos quærere neglegebant. Propter tertium inducitur parabola de filio prodigo contra auaritiam Pharisæorum & Scribarum, qui ne erogarent indigentibus temporalia, multos fame perire permittebant. In ista autem prima parabola duo facit. Primo enim ostendit Euangelista modum huius doctrinæ esse parabolicum: & in secundo doctrinam supponit. Dicit igitur.

Et ait] benignus Magister, etiam ingratis inferens suas illuminationes. *Eccl.* 23. Adhuc doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque in longinquum. *Ioan.* 1. Lux in tenebris lucet, quando etiam tenebrosos illuminat & confundit tenebras eorum [ad illos] ad doctrinam, & vtilitatem eorum. *Isa.* 48. Ego Dominus ducens te vtilia, & gubernans te in via qua ambulas [parabolam] A para, quod est iuxta: & bole, quod est sententia. Quia est sententia iuxta quandam similitudinem rerum notarum assumpta. *Psalm.* 77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio Hic modus vt sæpe diximus conueniens est rudibus materialem intellectum in diuinis habentibus. *Osea* 12. In manibus Prophetarum assimilatus sum. Hoc est enim quod dicitur *Isa.* 8. Scribe stilo hominis. Stilo enim hominis scribere, est per similitudines humanas diuina cordi hominis imprimere.

Dicens] hoc est, explanando proponens: quia ita proponit quod quilibet facile ad paruam explanationem intelligit. *Habac.* 2. Scribe visum, & exara eum super tabulas: vt percurrat qui legerit, hoc est, vt currendo sine difficultate intelligere possit. Et ideo diuiditur parabola ista in duas partes, in quarũ prima parabola proponitur: in secunda autem eiusdem expositio innuitur. In parabola autem quatuor proponuntur. Primo enim proponitur similitudo hominis centum oues habentis: secundo similitudo vnam ex centum perdentis: tertio similitudo ouem perditam reuocantis: quarto gaudium perditam ouem inuenientis. In primo horum quatuor dicuntur: Raritas diuitis possessoris, iudicium quod quilibet sumit de suis propriis, humanitas hominis, est ditissima abundantia possessionis. De primo dicit.

Quis] hoc est aliquis. *Gloss.* enim vult quod remissiue legatur. Tamen non omnis hominis sunt istæ diuitiæ, sed aliquis est qui habet: vnus scilicet cui cura illa committitur, & pastor bonus vocatur. *Ioan.* 10. Ego sum pastor bonus qui pasco oues meas, & pro ouibus meis pono animam meam. Aliquis est ergo: & non omnis homo est huius industriæ & perfectionis, *Genes.* 47. Quod si nosti in eis esse viros industrios, illos constitue magistros pecorum meorum. Talis igitur rarus est: tamen est aliquis [ex vobis] qui ex propriis cognoscat, quid circa curam ouium facere debeat. *Eccli.* 31. Intellige ea quæ sunt proximi tui ex teipso. Dicit autem etiam [ex vobis] quia talis est constituendus super oues, qui sit de ipsa congregatione. *Osea* 2. Dabo eis vinitores, & agricolas ex eodem loco. *Hebr.* 5. Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. Ita igitur est [ex vobis] qui ex vestris vtilitatibus ratione potestis reddere quæsiti [homo] qui non in leonem, vel lupum sit mutatus: ille enim non quærit oues sed deuorat, & dispergit. Sed homo est mitis secundum naturam & prudens, innocenti animali suo compatiens, & damnis propriis condolens *Prouerb.* 12. Nouit iustus animas pecorum suorum: viscera autem impiorum crudelia. *Ierem.* 6. Crudelis est, & non miserebitur. Sed [homo] humanus est super eos quibus vt ouibus præponitur [hic habet centum oues] Centum oues sunt perfecta ouium possessio: quia centenarius, perfectus & quadratus est numerus. Perfectio est à denario, qui est limes numeri. Et hoc refertur ad decalogum. Quadratio autem ad virtutum refertur quadrationem. Oues autem ad simplicitatem, & innocentiam, & vtilitatem. Simplicitatem in malo, vt sint sine plica mali. *Rom.* 16. Volo vos esse simplices in malo. Innocentia autem in ouibus est quia etiam lædentem non lædit. *Psal.* 24. Innocentes & recti adhæserunt mihi. *Psalm.* 24. Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam. Vtilitas autem est in hoc animali potissima sicut *supra* 9. notatum est. *Paulus ad Philem.* Nunc autem & mihi, & tibi vtilis est. Vnde *Psalm.* 78. Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. Quia vtilitas gregis respondet pascuis & laboribus manuum. Sic ergo habere centum oues, est paucorum. Summus autem Pastor sic possidet centum oues in perfectione quam diximus, tam in Angelis, quam in homi-

nibus bonis & perfectis. *Ezech.* 34. Vos oues gregis mei homines estis, dicit Dominus. In centenario enim vniuersitas ouium pro perfectione numeri designatur.

Et si perdiderit vnam ex illis.

Secundum est parabolæ istius. Dicit autem tria: perditionem, vnius perditionem, & perditæ ouis cum aliis annumerationem. Perditio autem fit per peccatum, & per reatum qui peccatum consequitur, ad diaboli & inferni captiuitatem. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oues errauimus: vnusquisque in viam suam declinauit: & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. *Psalm.* 118. Errauit sicut ouis quæ periit, require seruum tuum Domine: quia mandata tua non sum oblitus [vnam] ab vnitate recedentem. Eo enim ipso quod perditur, ab vnitate gregis diuiditur. *Ioan.* 10. Lupus rapit, & dispergit oues. Vna autem perdita hominem significat, qui à perfectione centenarij in qua remanserunt Angeli stantes cecidit. Sic ergo perditur vna quæ genus humanum significat [ex illis] quæ illis est annumeranda: quia ad numerum perditorum non pertinet, sicut cadentes Angeli: sed ad numerum saluandorum per redemptionem. *Hebr.* 2. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Sed si ex illis non fuisset, quæsita non esset. Et hoc est quod dicit [Si perdiderit vnam ex illis]

Nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?

Tertium est istius parabolæ in quo notatur ouis istius reuocatio. Et dicit tria: custoditatum ouium ad tempus dimissionem, perditæ ouis insecutionem, & vsque ad inuentionem perditæ ouis infatigabilem requisitionem. De primo dicit [Nonne] Q. d. Secundum rationem humanam iudicate. *Iob* 6. Quod iustum est iudicate [dimittit] in sui ipsorum custodia, diligentiam exterioris custodiæ non adhibendo. Et ita fecit Dominus in cælo dimittens Angelos. *Ierem.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Aliter enim non relinquit Dominus aliquem iustum neque in cælo neque in terra, nisi exteriorem custodiam aliquando non adhibendo: eo quod talis tali custodia non indiget. *Deuter.* 6. Custodi teipsum solicite. Intus tamen semper gubernat, & custodit. *Psalm.* 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël. De exteriori autem custodia dicit quod [dimittit nonagintanouem in deserto] Omnes beati Angeli, & omnes boni significantur per nonagintanouem. Nouies enim decem sunt nonaginta. Nouem autem quæ in decem præcepta multiplicantur. Quodlibet enim præceptum implendum est & ardore charitatis, & luce veritatis, & iudicio quieti & discreti cordis, & altitudine perfectæ super inferiora vilia dominationis, & vigore perfectæ virtutis, & ordine ordinatæ à Deo potestatis, & ratione æquitatis à principe animo decreta, & illuminatione diuini consilij, & custodia ab insidiis aduersarij. Sic ergo nouies multiplicata mandata Dei, & iustitiæ naturalis, nonaginta perficiunt.

Si autem hæc ipsa ad perfectionem illuminationum, & perfectionem virtutum & operum referantur, in se nouem sunt. Et sic nonagintanouem perficiuntur. Tribus enim perficitur illuminatio: affectu amoris, intellectu veritatis, & quiete discretionis, quæ illuminationes diiudicat. Tribus etiam perficitur virtus, si alta sit, si vigorosa, si ordinata rationibus æquitatis. Tribus perficitur opus, si ordinatum sit decretis principum, si procedat de consilio sapientum, si in honestate nihil habeat contrarium. Quicunque autem tales sunt, exteriori diligentia custodiæ non indigent, siue sint in cælo siue in terra. Quamuis enim *Gloss.* exponat de Angelis, in quibus hæ perfectiones sunt confirmatæ: tamen etiam in terra sunt pro modulo iustorum quorumcunque. Et ideo generaliter loquitur Dominus *Luc.* 2. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Matth.* 6. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Hos igitur relinquit, quando custodiam exteriorem non adhibet. Et ista expositio generalis ad moralem & allegoriam, quæ est in *glossa.* *Ioan.* 16. modicum, & non videbitis me: iterum modicum, & videbitis me. Cum enim iuit in infernum requirere perditos, non præsentialiter fuit cum Apostolis. *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. Et tunc præsentia *corporali (in quam* tamen desiderant Angeli prospicere*) non fuit* cum Angelis, sed nobiscum. Multos etiam Sanctos diligentia exterioris custodiæ deserit: quia talibus non indigent, & sic eos derelinquit. *Eccle.* 15. Dereliquit eum in manu consilij sui. *Isa.* 28. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos ab vberibus & ablactatos a lacte. Quasi enim infantis, est pastoris diligentia circa ouem errabundam. Qua diligentia non indigent illi, qui perfectiones habent supradictas.

In deserto] vbi pastura est ouium propter pascuorum vbertatem. *Exod.* 3. Minauit Moyses gregem ad interiora deserti. Significat autem desertum locum vberem pascuis & solitarium, vbi latro non insidiatur, quò fur non venit, vbi syluestria liberis saltibus ludunt, & quò lupus qui domitis insidiatur non appropinquat: quia libera syluestria consequi non potest. Et sic dicitur cælum desertum: quia ibi pascua vbertima sunt in pastura diuinarum delectationum. *Ezech.* 34. In pascuis vbertimis pascam eos. Hic locus solitarius, est à strepitu tentationum & tentantium secretus, vbi Moyses videt visiones Dei cum ouibus. *Exod.* 3. Ibi latro diabolus non venit: quia *Apoc.* 12. locus eorum non est inuentus amplius in cælo. Ibi fur non appropinquat: quia libido quæ fur est & mentem furatur, extincta est. *Matth.* 6. In cælo fures non effodiunt, neque furantur. Lupus non occurrit, hoc est, mundus qui vorax est: quia sibi propinquis & domitis insidiatur. *Ioan.* 10. Lupus rapit, & dispergit oues. Ibi ludunt libere Dei pecudes. *Iob* 39. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. *Iob* 3. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo. Sic ergo cælum dicitur desertum. Desertum autem est etiam vita contemplationis & virtutis, in quocunque statu homo contemplationi & virtuti studuerit: quia hic à deliciis & tumultu mundi se abscondit. *Psalm.* 64. Pinguescent speciosa deserti, & exultatione

tione colles, hoc est, eminentes viri accingentur. *Iob* 39. Circumspicit montes pascuæ suæ & virentia quæque perquirit. *Isa.* 35. Exultabit solitudo & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda. Hoc tamen maximè est in religione. Desertum etiam est vbicunque mundi frequentia non est, io eis qui dicere possunt *Philip.* 3. Nostra conuersatio in cælis est. *Ioan.* 15. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret. In hoc enim deserto pauit Dominus oues suas *Matth.* 15. & *Ioan.* 6. In quolibet istiusmodi deserto securè dimittuntur oues errabundæ, quæ sunt nonagintanouem supradictis perfectionibus consummatæ: quia illæ sic apud se perfectæ sunt quod ad tempus exteriori diligentia non indigent.

Et vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?

Tria dicit, scilicet, quod vadit ad ouem perditam, & causam quare vadit, & quamdiu inquisitionis suæ adhiber diligentiam. De primo dicit [Vadit ad illam] exterius appropinquando per se, vel per vicarium pastorem sollicitum. Vadit autē passibus vocationum, admonitionum, promissionum, comminationum, visitationum. *Ezech.* 34. Ecce ego ipse requiram oues meas sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. Sic enim de cælo visitauit nos oriens ex alto, vt perditam generis humani ouem recuperaret. Sic etiam adhuc per suos facit & in suis recuperans ouem perditam. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam, hoc est, diaboli. Sic fecit in manu Dauid manu fortis 1. *Reg.* 17. qui dicit: Veniebat leo, & vrsus, & auferebat arietem de medio gregis: persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum. Sic ab initio perditis appropinquauit per se, & per suos: & bonos suæ custodiæ reliquit. Causa autem est [quæ perierat] & recuperatione indiguit. *Prouerb.* 13. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberate oe cesses. *Osea* 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. *Psal.* 118. Erraui sicut ouis quæ periit, require seruum tuum Domine [donec inueniat illam] Ecce quamdiu adhibet exterioris diligentiæ requisitionem. Cum enim reportauerit, & viribus virtutum confortauerit: tunc eandem cum aliis secure dimittit. Sola enim esse non potest in malo. *Eccle.* 4. Væ soli, quia si ceciderit non habet subleuantem. Hæc est solicitudo de qua dicitur *Isa.* 40. In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Apponit enim brachium confortationis in gratia præuentionis. Sinum in quo fouet, in gratia spiritualis consolationis. Subleuamē portationis in gratia subsecutionis, in mitigatione tentationis, dummodo fœtam ouem inueniat in proposito bonæ voluntatis. Sic ergo diligentiam exteriorem adhibet in reductione peccatoris: Aut per se, sicut quando præsens in corpore oues in vnum cōgregauit: Aut per fidelem opilionem siue pastorem, sicut quotidie facit.

Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.

Tangit gaudium de oue perdita & inuenta, & dicit quatuor: causam exultationis, diligentiam reportationis, & ouis ad domum reductionis, & conuocationem amicorum ad exultationem congratulationis. De primo dicit [Et cum inuenerit illam] Hæc inuentio ad vtilitatem ouis est potius quam pastoris. Est enim inuenta quando à periculo erroris est saluata. *Amos* 3. Quomodo si eruat pastor duo crura de ore leonis, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel. Duo enim crura quibus domum reditur, sunt intellectus veritatis, & affectus bonitatis. Extremum autem auriculæ est auditus obedientiæ extremæ, qua Deum oportet audire & pastorem: & tunc ouis eruitur & inuenitur. Cum autem sic inuenerit.

Imponit in humeros suos] Humeri Christi sunt brachia crucis, in quibus omnes reportauit. Vel, humeri sunt duo iuuamenta peccatorum, quorum vnum est supportatio infirmitatum, & alterum est subleuatio sacramentorum. De primo *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. *Gal.* 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Subleuatio autem sacramentorum significatur. *Luc.* 10. vbi sauciatum posuit in iumentum suum, & duxit in stabulum. 1. *Pet.* 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, hoc est, pœnam peccatorū. *Isa.* 53. Verè langores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. *Num.* 7. Filiis Caath non dedit Moyses plaustra & boues: Quia in sanctuario seruiunt & onera propriis portant humeris. Caath patientia interpretatur, & bonum pastorem significat, qui plaustrum terrenæ subuectionis non curat, sed Domino in sanctuario deseruit sacramentorum, & onera commissorum propriis humeris portat, compatiens necessitatibus infirmorum [gaudens] autem portat: Quia gaudium suum est profectus subditorum: dicens illud *Isa.* 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. *Nehem.* 8. Gaudium Domini est fortitudo nostra [& veniens domum] ad caulas ouiū ad quas reducit oues. *Ioan.* 10. Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor: quando peccator cum Sanctis accubabit. Hoc est etiam quod sauciatum in stabulum reduxit Samaritanus, qui custos interpretatur: & sub alia metaphora idem quod hic significat.

Conuocat amicos & vicinos dicens] Ecce conuocatio deuotorum ad congratulandum. Et tangit duo: conuocationem, & congratulationem. Conuocatio est in vnum cor dilectionis proximi. Vicini enim in eodem vico habitantes, sunt Sancti in eadem regula nobiscum viuentes. *Gal.* 6. Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & super Israël Dei. Cognati autem sunt in eadem nobiscum propinquitate cum Deo coniuncti. *Act.* 17. Genus ergo cum sumus Dei. *Ibid.* Ipsius etiam & genus sumus. Hos conuocat omnes affectu charitatis, proximi bonis congaudentes. *Tob.* 8. Præparauit epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis [congratulamini mihi quia inueni ouem quam perdideram] *Isa.* 9. Lætabuntur

tabontur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda quando diuidunt ſpolia. Tunc enim impletum eſt quod dicitur *Iſa.* 49. Equidem à forti tollerur præda, & quod ablatum fuerat à robuſto ſaluabitur. Sic congratulabatur *Paulus Phil.* 4. Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea ſic ſtate in Domino chariſſimi. Cauſa autem tantæ iucunditatis eſt

Quia inueni ouem quam perdideram] Et quod plus eſt ſic *Hebr.* 12. propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Et omnia facilia & parua reputauit vt ouem perditam recuperaret. Et quod Deus tantum reputat, mirum & miſerabile eſt nos pro minimo reputare: vt non tantum opes, ſed etiam oues Chriſti non ſolum perdamus, ſed etiam cum pelle & carnibus & oſſibus deuoremus. *Ierem.* 51. Abſorbuit me quaſi draco, repleuit ventrem ſuum teneritudine mea, & eiecit me. Iſta ergo vna ouis eſt quæ ſic reducitur. Cum autem ſupra dictum ſit de perfectionibus nonagintanouem, vna in omnibus perdita eſt, quę in domum, id eſt, in diuinam illuminationem non eſt reducta. Etiam hæc eſt centeſima. Per omnes enim illas gratias purgamur, & illuminamur. Et qui non perficitur in his omnibus per eam quæ in Deum eſt, reductionem: oberrat, & cum magno labore paſtoris ad domum reducitur. Hæc igitur eſt vna quæ ab vnitate recedit, & vadit in diſperſionem & perditionem. *Ioan.* 11. Non tantum moriturus eſſet pro gente, ſed vt filios Dei qui diſperſi erant congregaret in vnum. Hoc eſt in illud vnum & perfectum quod eſt reductio in vnum: quia alij non ſaluantur. Hæc eſt igitur iſta parabola quare peccatoribus appropinquauit vt eos reduceret, & ad illud vnum cum aliis ouibus congregaret.

Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis qui non indigent pœnitentia.

Explanatio eſt parabolæ inductæ. Dicit hic tria: aſſertionem, ſimilitudinem, ſimilitudinis comparationem. De primo dicit [Dico vobis] aſſerendo in veritate. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita [quod ita] Ecce ſimilitudo [gaudium erit] Gaudium eſt duplex: interius, & exterius. Interius quidem gaudium, eſt de maiori bono maius gaudium: & cum maius bonum ſit in nonagintanouem iuſtis quam in vno, maius gaudium eſt de nonagintanouem quam de vno. Exterius autem gaudium eſt in applauſu & congratulatione. Et hoc eſt in minori bono & difficiliori bono, aliquando maius quam in maiori & continuo. Et ſic magis gaudent Sancti in conuerſione peccatoris: quia rarius eſt & difficilius conuerti peccatorem quam iuſtum remanere iuſtum. Et ſic loquitur hic. Hoc enim nouum eſt & mirabilis miſericordiæ, & magnæ Dei potentiæ cui obuiat peccatum: & tamen non vincit eam quin ſaluet peccatorem. *Eccli.* 36. Innoua ſigna, & immuta mirabilia: glorifica manum, & brachium dexterum. Hoc enim nouum eſt quod in exterioribus Sanctorum, nouum requirit applauſum. *Pſalm.* 46. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo.

In cælo] per metonymiam, hoc eſt, in cæleſtibus Angelis, & hominibus. Vnde *Apocal.* 12. Poſtquam proiectus eſt draco accuſator fratrum, & victus eſt à ſanctis conuerſis: dicunt Sancti. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Sicut enim cæli obſtupeſcunt, quando Sanctus aliquis peruertitur, & Angeli pacis plorant. *Ierem.* 2. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus. Dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, continere non valentes aquas, hoc eſt, laborando in terrenis quæſierunt refrigerium. Similiter ad modum flentium ſe habebunt. *Iſa.* 33. Angeli pacis amarè flebunt. Ita etiam cum ſint miniſtri conuerſionis peccatorum, exterioribus geſtibus noua gaudia exprimunt Sancti & Angeli in conuerſione peccatoris, quæ non oſtendunt in continuatione iuſtitiæ iuſtorum eo quod hoc non ſit nouum. *Eſther.* 8. Iudæis noua lux oriri viſa eſt, gaudium & lætitia.

Super vno peccatore pœnitentiam agente] condignam. *Luc.* 3. Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Et hoc eſt valde rarum. *Sicut enim dicit Amb.* Facilius inuenies qui teneat *innocentiam*, quam qui condignam *agat pœnitentiam.* Vnum enim de mirabilibus Dei eſt, quod homo auerſus reuertatur, & quod de faucibus inferni extrahatur ad ſinum Abrahæ. Et tamen ſit & eſt de glorioſis operibus miſericordiæ Dei. *Pſalm.* 66. Dixit Dominus ex Baſan, hoc eſt, confuſione conuertam in profundum maris, hoc eſt, amaritudinis pœnitentiæ. 1. *Reg.* 2. Suſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem: vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. *Galat.* 1. Auditum habebant de me, Quoniam qui aliquando perſequabatur nos, nunc autem euangelizat fidem. quam aliquando expugnabat & in me glorificabant Deum.

Quam ſuper nonagintanouem iuſtis] Hoc in applauſu exteriori Sanctorum ſemper verum eſt [qui] hoc eſt, quia illi [non indigent pœnitentia] Et ideo non eſt noua materia gaudij eorum, neque rara. *Iſa.* 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. *Iſa. vltim.* Gaudete in ea vniuerſi qui lugebatis ſuper ea. Sic nouum gaudium fuit in ſanatione beati Iob *cap. vlt.* Sic noua gaudia in illuminatione Tobiæ ſenioris, & reditu iunioris Tob. *cap.* 12. Plus quam ſi pater continuo vidiſſet, & filius nunquam exulaſſet. Et idem probatur in multis ſimilibus.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam.

Secunda parabola eſt de eodem de inuentione & reſtitutione in peccatore primæ imaginis, contra negligentiam Phariſæorum & Scribarum: quia in talibus nullum ſtudium poſuerunt. Diuiditur autem hæc parabola in quatuor. In primo oſtenditur poſſeſſio abundantiſſimæ & in decoris ornatu mulieris: ſecundo perditio huius tantæ decoris: tertio ſolicitudo inquiſitionis: & quarto gaudium decorem iſtum inuenientis. De Primo horum dicit tria: diſpoſitionem poſſidentis, habitum, & ornatum. De diſpoſitione poſſidentis dicit [Quæ mulier] Q. d. Rara eſt enim. Et eſt illa ſola de qua *Prouerb. vltim.* dicitur Multæ filiæ congregauerunt.

gauerunt diuitias, tu sola supergressa es vniuersas [mulier] sapientia Dei summi. Vel, Ecclesia filia sapientiæ, ab ipsa sapientia redimita. *Proverb. vlt.* Procul & de vltimis finibus pretium eius. Hæc enim & Herom mollit fumimum. Sic Ruth emolliuit Booz, qui firmitas interpretatur. Hæc iam Herois auertit: sicut Abigail emolliuit Dauid 1. *Reg.* 25. quæ patris mei inuolutio interpretatur. Quia ita inuoluit eum sapientia & dulcedine, quod auertit ab ira. Hæc est quæ frigidum & inflexibilem Regem fouet & calefacit: sicut Abisane quæ patris mei gaudium interpretatur, & charitatem significat. Hæc est igitur mulier de qua dicitur *Ruth.* 3. Scit omnis Israël mulierem te esse virtutis. Hæc est igitur descriptio istius mulieris.

Habens] in possessione diuitiarum [drachmas decem] Drachma pondus est in quo numismatis imago est impressa. Hæc autem est imago summi Regis. Et hæc drachma est homo factus ad imaginem & similitudinem diuinam *Genes.* 1. & *Eccli.* 17. Hæc imago pondus habet gratiæ: quia dicitur *Eccli.* 17. quod Deus hominem creatum secundum seipsum vestiuit virtute. Et ideo dicit *Beda*, quod drachma Regis etiam continet superscriptionem. *Matth.* 22. Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Inscriptio autem hæc est iuris naturalis faciendorum, & cognitio Dei, inscripta in cordibus: quæ (sicut dicit Damascenus) omnibus ab ipsa creatione impressa sunt. *Ierem.* 31. Dabo leges meas in corda eorum, & in visceribus eorum superscribam eas. Hæ drachmæ decem sunt: quia decem operibus mandatorum perfectæ, & decem ornatibus pretiosis redimitæ. Decem autem præcepta sunt decem mandata *Exod.* 20. Decem autem ornatus sunt quidem ter terni Angelorum qui supradicti sunt, & vnus qui est omnium illorum reductio in Deum, sicut iam ante diximus. Et ideo idem significatur per decem drachmas, quod per centum oues: quamuis non significetur eodem modo, sicut patet in differentia parabolarum quam induximus. Istæ sunt igitur drachmæ 2. *Mach.* 12. Duodecim millia drachmas argenti misit Iudas Ierosolymam offerri ea ibi pro peccatis mortuorum. Drachma enim est quam diximus. Duodecim autem millia, sunt perfectiones acceptæ ad doctrinam duodecim Patriarcharum, vel Apostolorum. Hæ enim sunt optimum sacrificium pro peccatis mortuorum vt resurgant.

Et si perdiderit vnam] Hic tangitur drachmæ habitæ perditio: quod idem est, quod imaginis ad similitudinem Dei creatæ deturpatio & perditio. Quamuis enim in *Psalm.* 38. dicatur, quod in imagine pertransit homo, retinendo essentiam imaginis: tamen quia multum deturpatur, & diabolicam accepit similitudinem, perditur à Deo quando valde sibi est dissimilis. *Thren.* 4. Filij Sion inclyti, amicti auro primo, quomodo computati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? In tanta enim dissimilitudine, decorus & speciosus forma, imaginem suam non recognoscit. *Matth.* 7. Iurabo illis quia ego non noui vos. *Nahum.* 2. Facies omnium sicut nigredo ollæ: sunt sic combusti per ignem naturalis concupiscentiæ. *Thren.* 4. Denigrata est super carbones facies eorum. Et ideo facies ista & imago est plusquam perdita, quando sic est detorpata. *In epistola Ierem. & Baruch* 6. Nigræ sunt facies eorum à fumo, qui in domo fit. *Philip.* 2. Sic ergo perdit vnam, quæ non est in Deum reducta, sed abducta in similitudinem diaboli [ex illis] ad numerum saluandorum pertinentem. Illa enim est pretiosa.

Nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam?

Hic tangit diligentem drachmæ inquisitionem. Dicit autem tria: lucernæ accensionem, & domus euersionem, & diligentem inquisitionem. Et mulier quidem Dei sapientia lucernam accendit, quando in incarnatione Filij Dei testam humanæ naturæ flamma suæ deitatis impleuit: ponens animam Christi pro lychino flammam tenente, & oleum gratiæ pro ignis nutrimento. *Isa.* 62. Egrediatur vt splendor Iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Mulier autem Ecclesia lucernam accendit, quando Prælatum sicut patremfamilias domus in testa corporis facit castitatis perspicuæ, & in intellectu animæ facit radiantem in veritatis fulgore, & in mente & visceribus facit pietatis & misericordiæ oleo fluere, & in affectu igne charitatis & zeli animarum ardere. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Et vos voluistis ad tempus exultare in luce eius. *Supra* 11. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum: vt qui ingrediuntur, videant lumen. Attende autem, quod ad quærendam drachmam perditam, lucernam oportet accendere: quia lumen fulgoris sui perdidit, & non nisi lumine alieno manifestatur ad inueniendum. Non perdita autem drachma manifestatur proprio splendore. *Philip.* 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.

Et euertit domum] Hæc domus, est domus conscientiæ interioris, quam totam oportet euertere in compunctione & confessione: vt drachma inueniatur ad splendorem. *Prouerb. vltim.* Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. *Sophon.* 1. Scrutabor Ierusalem in lucernis. 1. *Corinth.* 4. Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

Et quærit diligenter] Ecce diligentia inquisitionis. Hæc autem diligentia est in discussione conscientiarum peccatorum, quas prædicta lucerna illuminat: & vias, & actus, & causas, & circumstantias peccatorum ostendit, & ante oculos ponit. *Ephes.* 5. Quæ à lumine arguuntur, à lumine manifestantur. *Iob* 13. Vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus [donec inueniat] quia non sufficit nisi drachma inueniatur. *Cantic.* 3. Quæram quem diligit anima mea. Et post modicum: Inueni quem diligit anima mea. *Deuter.* 42. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Deserta enim terra, sterilis est conscientia peccatoris. Hæc est locus horroris, in quo horrendæ sunt dæmonum figuræ occurrentes. Vasta autem solitudo, propter boni naturalis desolationem. Ibi ergo inuenitur drachma ad recuperationem.

Et cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.

Hic

Hic tangitur congratulatio inuentæ drachmæ, & dicit tria: causam gaudij, conuocationem amicorum, & congratulationem. De primo dicit [Et cum inuenerit] Inuenire enim causa est gaudij: quia peccator inuenitur ad recuperationem. *Philip.* 1. In hoc gaudeo, sed & gaudebo [conuocat amicas] In charitate coniunctas Sanctorum animas. *Baruch* 4. Ipse rursus adducet vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra [& vicinas] in vico cælesti secum mansionem habentes cælestes essentias. *Isa.* 60. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vt tecum scilicet iucundentur [Congratulamini mihi] *Baruch* 4. Circumspice Ierusalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem [quia inueni] ad gratiam [drachmam] imaginis [quam perdideram] per peccatum, & imaginem deprauantem. *Baruch* 4 Ecce enim filij tui veniunt, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti in verbo sancti, gaudentes in honorem Dei. *Psalm.* 105. In lætitia gentis tuæ, & lauderis cum hæreditate tua.

Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

Adaptatio est similitudinis [Gaudium enim est Angelis Dei] quia ipsi administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Et ideo gaudent de conuersione: quia tunc non frustratur suæ diligentia custodiæ. *Psalm.* 90. Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis. Vel Angelis Sacerdotibus cælestibus. *Malach.* 2. Angelus Domini exercituum est Sacerdos. In exterioribus enim suscitant applausum, sicut diximus [super vno peccatore] qui ab vno fuit auersus, quod solum est necessarium. *Luc.* 10. Porro vnum est necessarium. Hoc est vnum, de quo dicitur *Iacob.* 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus [pœnitentiam agente] hoc est pœnæ tenentiam, vt perseueret in dolore: vt sicut dicit *Gregor.* Mala commissa defleat, & deflenda vlterius non committat. Illi enim per pœnitentiam regnum cælorum appropinquat: sicut dicitur *Matth.* 3. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Sic ergo finitur hæc secunda contra Pharisæos parabola.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.

Hic tertia inducitur parabola, in qua ostenditur quam benignè peccator ad pœnitentiam rediens est suscipiendus, & quam largè, & quam magnificè, & quam honestè exhibendus & pertractandus. Quod est contra Pharisæorum & Scribarum auaritiam, qui de suo pauperibus redeuntibus nihil exhibebant. Et insuper si qua habebant, rapiebant: quia sicut dicitur *Isa.* 5. Iustificabant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferebant ab eo. Hoc ergo generaliter intenditur in hac parabola, sicut patet cuilibet. Quamuis *Allegoricè* de Gentili & Iudæo in *glossis* exponatur. Primam ergo nos prosequimur expositionem: & tandem etiam de vltima, quantum sufficit, mentionem faciemus. Diuiditur autem hæc parabola in quatuor partes, in quarum prima ostenditur Patrisfamilias naturalia decor in duobus filiis, & innuitur fortunæ successus in abundantibus bonis. Secundò inducitur ex dissoluto iuuenili sensu à patre recessus iunioris, & infaustus successus in bonis. Tertiò inducitur qualiter egestate compulsus, rediit ad supplicationem quam demeruerat gratiæ patris. Quartò & vltimò ostenditur eiusdem benigni, & liberalis & magnifica susceptio patris. Prima harum parua est, de qua dicit [Ait autem ad illos] hoc est, ad vtilitatem instructionis, & ædificationis Scribarum & Pharisæorum. *Isa.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam, hoc est, ad intellectum dictorum vocate.

Homo quidam] Vt de humanis exempla dentur, dicit hominem, Pharisæos eiusdem naturæ cum illo significans, & debere erubescere, si similia ad filios non faciant. Patres enim se cognoscere debent, & affectu paterno sibi subditos diligere. *Ioan.* 3. Pater amat Filium, & omnia dedit ei in manus. Vnde de eo qui curam suscepit filiorum, dicitur *Num.* 12. Erat autem Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram. Homo ergo erat, mollis ad filios, & *non durus*. Natura enim struthionis & non hominis, durari ad filios. *Iob* 39. Duratur ad filios quasi non sint sui. Hic autem [quidam] dicitur singularis benignitatis in suos. *Isa.* 49. Si potest obliuisci mulier infantem, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui. 3. *Reg.* 3. Commota sunt quippe viscera eius super filio suo. *Genes.* 43. Commota sunt omnia viscera eius super fratre suo. Iste ergo est homo quidam, sic benignus ad filios [habebat] adhuc in cura & regimine. *Galat.* 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo: sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre. Sic ergo habebat eos in cura vt pater, & sollicitudine regiminis [duos filios] Ecce flos naturæ qua refloruit. 1. *Machab.* 3. Princeps magnus es in ciuitate ista, & ornatus filiis, & fratribus. Econtra de abiectis dicitur *Ierem.* 22. Scribe virum istum sterilem, qui in æternum prosperabitur in diebus suis [Duos] autem habuit geminæ dilectionis vinculo in Deo, & inter se colligandos. *Genes.* 48. Duo filij, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem, mei erunt. Iste enim homo Deum significat. *Isa.* 66. Si ego qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero dicit Dominus? Iste duos genuit, sicut dicitur *Isa.* 46. Qui gestamini à meo vtero, & portamini à mea vulua. Duo autem sunt, diuisi in rationabiles & irrationabiles: in rationem sequentes, & concupiscentiam. *Sapient.* 11. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.

Et dixit adolescentior ex illis patri.

Hic incipit agere de recessu vnius à cura patris: & diuiditur in partes tres: de acceptione substantiæ & separatione primò: & de congregatione, & recessu, & dissipatione tangit secundò: & de egestate lasciuiam eius premente agit tertiò. Dicit igitur [Et dixit] Tangit autem tria: stultitiam impellentem ad recessum, postulationem partis, & acceptionem. De primo dicit [dixit] *Psalm.* 13. Dixit insipiens in corde suo non est Deus.

Deus. *Psal.* 35. Dixit iniustus vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius [adolescentior] hoc est, desideria adolescentiæ secutus. In pueritia enim propter multum humidum, non sunt adbuc acuti aculei concupiscentiæ: sed paulatim exsiccato humido & non remisso calido, circa annum quartumdecimum incipiunt sentiri stimuli. Et tunc est adolescentia, Et ideo *Prou.* 30. dicitur: Quatuor sibi esse incognita: viam aquilæ in cælo, viam carinæ in fluminibus, viam colubri supra petram, & viam viri in adolescentia. Leuis enim & altiuolus in euagatione efficitur vt aquila, natans vt nauis in concupiscentia, tortuosus in desideriis vt coluber, & inconstans & incontinens vt iuuenis in adolescentia. *Prouerb.* 7. Video vecordem iuuenem, qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus meretricis graditur in obscuro, in noctis tenebris aduesperascente iam die. *Iob* 24. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus. Sic quidem quilibet facit, iuuenilia desideria sequens. Vnde 2. *Timot.* 2. Iuuenilia desideria fuge. Sic etiam fecit Gentilis populus, sequens concupiscentias, nulla lege frænatus: qui ideo dicitur adolescentior, quia lege frænatus populus in Adam & Eua in paradiso fuit: & non frænatus à Cain filio eorum incepit Bonum enim semper est ante malum, & legale ante illegale. Lex enim data in Paradiso profecit per legem Moysi, & per legem Christi & gratiam est consummata. Ista ergo causa dissolutus iste est adolescentior. Dixit autem [patri] qui paterno affectu etiam stultos diligit filios. *Ierem.* 31. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus. Q. d. Non est. Et tamen sequitur: Quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius.

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam.

Ecce postulatio stulta portionis, quæ in manibus remanens custodita, augenda erat, & data stulto consumenda. Dicit autem tria: primo ius naturæ patri ad mentem reducit: secundo debitum quomodo requirit: tertio de quo debitum sit, subiungit, & qua ratione. Dicit igitur [Pater] Q. d. hoc ex iure naturali denegare non debet. Dicit enim *Philosophus naturalis*, Quod sicut filius egreditur cum patre substantiæ de corpore patris per generationem; ita cum patre facultatis de domo patris debet emitti. 2. *Corinth.* 12. Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Hac igitur de causa dicit: Pater [da mihi] ad vsus meos. Q. d. illud *Genes.* 30. Iustum est vt aliquando domui meæ prouideam. Non semper debeo sub tutore esse, & ad alienam respicere manum [portionem meam] quia aliqua portio & maior debebatur seniori, aliqua etiam debebatur patri. Et ideo temperat postulationem, dicēs [portionem meam] quæcunque est illa. *Num.* 27. Iustam rationem postulant filiæ Salphaad. Da eis possessionem inter cognatos patris sui.

Quæ sit autem ista portio, quam filius accipit à patre, dicunt Sancti quod est bonum naturale, & cum natura datum, & donatum, & acquisitum. Bonum autem naturale, est aptitudo naturæ habitualis ad verum & bonum. Cum natura datum, est intellectus perspicacitas, ingenij subtilitas, solertia, liberum arbitrium, sensus, & omnia alia talia. Donatum est autem fortitudo corporis, pulchritudo, nobilitas, & huiusmodi. Acquisitū, scientiæ, honores, bona temporalia, & huiusmodi. Hæc omnia enim à Deo Patre accipimus pro portione. *Matth.* 25. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem. *Ephes.* 4. Dedit dona hominibus. *Esther* 2. Largitus est munera secundum magnificentiam principalem.

Substantiæ quæ me contingit] Tangit de quo egrediens de domo quærit portionem: quia [substantiæ] Substantiæ autem dicuntur facultates, quæ sunt datæ ad subsistendum in substantia indiuiduæ personæ hominis; & ad substandum in domo. *Prou.* 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. Sic dicitur de *Iob* 1. quod perdidit omnem substantiam suam. Tangit autem rationem iustitiæ, quando addit [quæ me contingit] iure hæreditatis. Decreuit enim Dominus *Num.* 27. quod substantia patris deuolueretur ad filios, si filios habet. Hic autem filius ea quæ accipit à Domino, sibi dari petit: vt propria voluntate his vtens fruatur ad libitum. *Eccli.* 17. Dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram. *Eccli.* 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.

Et diuisit illis substantiam] Tertium est quod sibi debitam obtinuit portionem: quia Pater ordinem naturæ attendens, nec ordinem illum corrumpere volens, diuisit substantiam inter filios: volenti recedere suam donans: & volentis secum manere filij, cum sua in manibus tenens & augens. Et hoc est quod interdicit *Apostolus Hebr.* 3. Ne forte sit in aliquo vestro cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Tamen pater ordinem naturæ corrumpere nolens, dat ei quod suum est. *Matth.* 20. Tolle quod tuum est, & vade. *Rom.* 13. Reddite omnibus debita.

Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.

Hic agitur de filij stulti recessu à patre, & dicit quatuor, scilicet, quod cito recessit à patre, quod omnia secum congregata detulit, quod in regionem longinquam peregre abiit, quod ibi omnia sua turpiter consumpsit. De primo dicit [Non post multos dies] Hoc fuit tempus breue, quo reuerentia tanti patris, & ordinatio domus patris adhuc in corde remansit. *Genes.* 31. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan nunc vacuum me dimisisses. Quamdiu ergo reuerentia paterna remansit in corde & doctrina patris (quod fuit parum tempus) remansit verecundia retentus. De talibus dicitur *Matth.* 13. & *Luc.* 8. Temporalis est: quia ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Dicit autem [dies] quia dies fuit quamdiu in conspectu patris. *Ioan.* 9. Me oportet operari dum dies est: venit nox in qua nemo potest operari Vnde etiam cum proditor exiuit de domo Christi, *Ioan.* 13. dicitur: Ille accepta buccella, sicut portione quæ eum contingebat, exiuit continuo: erat autem nox.

Congre-

Congregatis omnibus] Duo dicit, & quod facultates omnes congregauit, & quod cum omnibus peregrè est profectus. De primo dicit [Congregatis omnibus] vt omnia referret ad ministeriũ lasciniæ & iniquitatis, intellectum, & ingenium, & omnia quæ ad bonum dedit illi Deus. Et omnibus illis Deum pium Patrem impugnaret: vt quasi fieret in eo quod dicit *Psalm.* 77. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. *Iob* 15. Cucurrit contra Deum extento collo, & pingui ceruice armatus est. *Deut.* 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Et hoc est quod dicit *Osee* 2. Hic nesciuit quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal (hoc est, absque iugo: quia hoc Baal interpretatur) frumentum verbi quod confortat cor hominis, vinum iucunditatis spiritualis, oleũ pinguedinis in deuotione, argentum eloquentiæ, & aurum sapientiæ. Et ex omnibus illis recedens, efficitur suæ libertatis, impugnator patris, & consumptor substantiæ ipsius [adolescentior filius] plus lasciuia mentis quam ætatis. *Philosophus.* Non ab ætate defectio est, sed est à passione. *Isa.* 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

Peregre] vt peregrinus esset à conspectu tam reuerendi patris. *Isa.* 28. Peregrinum est opus eius ab eo. *Ierem.* 14. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Homo enim secundum diuinum intellectum in contemplatione veritatis habet patriam, & peregrinus est in aliis caducis & abducentibus animum. Vnde 1. *Pet.* 2. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desideriis [profectus est in regionem longinquam] Longinquitas ista est per distantiam similitudinis paternæ, & non per distantiam locorum. Et maxima longinquitas, est recedere vsque ad obliuionem Dei Patris. *Psalm.* 118. Longe à peccatoribus salus. *Prou.* 15. Longe est Dominus ab impiis. *Mich.* 4. Egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem. Et in hac longinquitate maximè fuit error gentilis.

Et ibi] non reueritus vultum patris [dissipauit substantiam suam] omnia bona accepta à patre [viuendo luxuriosè] hoc est, ad luxum concupiscentiæ. *Sap.* 15. Existimabant lusum esse vitam hominis. Talis enim vita corpus, animam, & res consumit. *Iob* 31. Ignis est vsque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans genimina. *Prou.* 29. Qui nutrit scortum, perdit substantiam. *Prou.* 21. Qui diligit epulas, in egestate erit. Ista enim est lex lasciuiæ, quod omnia consumit: sicut Helena consumpsit Græciam, & Phrigiam, ædes combussit, & omnia redegit in nihilum. Et hoc est ideo, quia consilio non regitur, fræna non patitur, & nullum sibi ponit modum. *Prouerb.* 25. Dissipatur possessio, vbi non est consilium. *Prouerb.* 30. Tria sunt insatiabilia, & quartum nunquam dicit sufficit: infernus, & os vuluæ, & terra quæ non satiatur aqua: ignis vero nunquam dicit sufficit. Iuxta Platonem, concupiscentia sepulta est in inferno: & ideo voracitas concupiscentiæ dicitur infernus. Os autem vuluæ (à voluendo dictum) vocatur delectatio ligans mentem, quæ non satiatur, sed per rememorationem semper similes suscitat appetitus. Terra autem, terrenitas bians est semper ad bibendum delectabilia. Ignis est incendium fomitis. Ista ergo totum consumunt.

Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

Hic tangitur de egestate ad reditum compellente: & hæc exaggeratur à quatuor: à causa, ab effectu, à frustratione laboris inutilis, à penuria, qua etiam vilem cibum mereri non valuit. De causa dicit [Et postquam consummasset omnia] quæ à manu Domini acceperat, & viribus consumptis, *Genes.* 47. Non celamus Domino nostro quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est quod absque corporibus & terra nihil habemus. Cur ergo moriemur te vidente? Consumpta est pecunia sapientiæ & eloquentiæ. Pecora autem defecerunt, quando etiam pecorinæ vires deficiunt ad voluntatem hominis explendam, & nihil remanet nisi marcidum corpus, & pondus terrenum in vltima senectute. *Psalm.* 30. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. *Sap.* 5. Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus [Facta est fames valida in terra illa] Hæc est secunda causa, & effectus primæ. Hæc autem fames est destitutio audiendæ veritatis per verbum, & percipiendæ gratiæ per sacramenta. *Genes.* 43. Interim fames omnem terram vehementer premebat. *Amos* 8. Mittam famem & sitim in terram; non famem panis, neque sitim aquæ: sed audiendi verbum Dei. *Iob* 30. Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria. Omnis enim humor boni exiccatur in talibus, & rodunt in solitudine sylvestri, vbi pilosi saltant, hoc est, dæmones: & squalent egestate spiritualis boni & miseria. Hæc igitur fames est effectus consumptionis substantiæ, & premit istum miserum destitutum omni bono paterno.

Et ipse cœpit egere] hoc est secundum, effectus duorum. Eguit autem quandoquidem voluntatem fruendi peccato habuit: & valetudinem non habuit, quia perficere non potuit. *Psalm.* 33. Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. *Prou.* 3. Egestas à Deo in domo impij. *Prou.* 13. Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam. *Prou.* 19. Anima dissoluta esuriet. *Prou.* 14. Miseros facit populos peccatum. Vnde dicit *Beda*: Omnis locus absente patre penuria est.

Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.

Ecce tertium, quod est frustratio laboris inutilis. Dicit autem quatuor, scilicet, quod abiit à se, quod malo adhæsit, quod vili labore se occupauit, quod labor sibi inutilis fuit. De primo dicit [Et abiit] à semetipso & ipsius bono recessit in quandam redeundi desperationem. *Psalm.* 1. Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum.

Et adhæsit] illicito amore & communione illicita. *Isa.* 2. Pueris alienis adhæserunt [vni ciuium regionis] pessimæ. *Genes.* 13. Homines Sodomitæ pessimi

pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Nec dicitur ciuis, eo quod esset aliqua ciuilitate dispositus: sed quia ad modum ciuis concorditer malis cohabitauit. Quæ concordia pessima,est vnanimis consensus ad peccandum. *Ps.* 72. Zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Isti ergo misero adhæsit.

Et misit illum in villam suam] Ecce occupatio laboris inutilis Hæc autem est villa, in qua terra ad concupiscentias excolitur. *Luc.* 14. Villam emi, & ideo non possum venire. *Genes.* 3. Spinas & tribulos germinabit tibi, hoc est, punctiones solicitudinum, & aculeos libidinum. *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. Ager enim iocundo agit stultus,est concupiscentia corporis: Et vinea est gaudium huius mundi quæ operta sunt vrtica (quæ ab vrendo dicitur) libidinum, & spina solicitudinum vanarum. In hanc ergo villam misit eum, vt abominatam coleret concupiscentiam. Et hoc est quod sequitur.

Vt pasceret porcos] Porcus nomine suo quasi spurcus dicitur, quia spurcitiis gaudet. Et nos quidem iam in præhabitis, & super *Matthæum* propria porci diximus: tamen & hic aliqua dicemus. Dicit autem *Gloss.* quod porci sunt dæmones, qui spurcitiis delectantur. *Psalm.* 16. Saturati sunt porcina, & diuiserunt reliquias suas paruulis suis. Hos iste pauit, quando voluntati eorum satisfecit. *Isa.* 65. Qui comedunt carnem suillam, & ius profanum in vasis eorum. Luxuria autem præcipuè est porcina. *Prouerb.* 11. Circulus aureus in naribus suis, sue porcæ, mulier fatua & pulchra. Statim enim gemmam aureli ponit in stercore. Et sic facit luxuriosus, omnem decorem suum abscondit in infamia luxuriæ. Porcus etiam feruentis est iræ: & ideo corrixatio propriè est porcorum. *Psalm.* 89. Singularis ferus, hoc est, porcus, depastus est eam, Domini scilicet vineam. Est etiam porcus aper indignanter superbus: & ideo alia secat animalia, nec patitur societatem aliorum. *Matth* 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere ante porcos: ne forte conculcent ea pedibus suis, & conuersi dirumpant vos. Cupidi etiam valde sunt porci, & soli volentes possidere suam habitationem: & ideo significant auaros. *Matth.* 8. Si nos hinc eiicis, mitte nos in porcos. Est etiam ventrosus porcus: & ideo significat gastrimargiam, quæ est ventris insania. 2. *Petr.* 2. Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Est etiam porcus piger propter carnis pondus: & significat pigritiam, quæ est acidia. *Leuit.* 11. Sus quia diuidit vngulam & non ruminat, immunda erit vobis. Non enim habet discretiuam vim, ad discernendum inter spiritualia (in quibus veloces esse debemus) & carnalia (ad quæ tardi esse deberemus) Hos igitur porcos misit cum pascere ciuis regionis ignominiosæ, quæ tota est plena puteis bituminis voluptatum, sicut Sodoma; sicut dicitur *Genes.* 13. Et hæc fuit occupatio sua in labore vili & inutili.

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

Hic taogitur laboris inutilis frustratio: & dicit tria: turpe desiderium, porcinum cibum desideratum, & desiderij frustrationem. De primo dicit [cupiebat] ardenti concupiscentia. *Iacob.* 4. Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis: vt in concupiscentiis vestris insumatis. Hic enim nihil cupiebat nisi infimere sicut pecus [implere ventrem suum] hoc est, carnalem concupiscentiam. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusionem eorum qui terrena sapiunt. *Eccli.* 2. Quis ita deuorabit vt ego? Et nota quod dicit: Implere ventrem suum: quia ad tantam erat reductus necessitatem, quod iam non cogitabat sapores: dummodo venter quocunque secundum quantitatem impleretur. *Iob* 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.

De siliquis] Siliqua secundum *Gloss.* est genus leguminis, habens folles sicut faba vel pisa. Et dicit quod est legumen concauum, multum habens de folle, & parum de substantia. Dicunt autem alij, quod est fructus cuiusdam arboris. Secundum *Philosophum* autem *naturalem in scientia de vegetabilibus*, non dicitur siliqua aliquis fructus, vel semen, vel legumen: sed generaliter omnis folliculus concauus, in quo semina, vel fructus, vel legumina continentur, siliqua vocatur. Famis enim tempore Dominus porcorum fructus, & legumina comedendo, vel vendendo, in vsus proprios redegerat: & porcis, & custodi porcorum siliquas, ad infelicem vitam sustentandam, in cibum ministrabat. Significant autem siliquæ siccas libidinosorum consolationes in amplexibus & tactibus turpibus: quando peccatum committi non potest, vel non licet propter homines. Sicut qui tangunt turpia mulierum, vbera, & inguina fœtentia. Et in hoc delectantur sicut sus, quæ submittit aures in concupiscentia. *Iob* 30. Mandebant herbas, & arborum cortices: & radix iuniperorum cibus eorum. Herbæ sunt cibus iumentorum. Arborum autem cortices sunt, non ligni quidem cortices, sed fructuum: sicut diximus. Et illi cortices dicuntur siliquæ. Et radix iuniperorum præ omnibus lignis continere dicitur ignem: ita vt quadraginta diebus sub cineribus inclusum, carbo de radice iuniperi, dicitur ignem continere. Et significat incendij materiam libidinis inextinguibilem, etiam in non valentibus peccare.

Et nemo illi dabat] quia ea in vsum sumere vel non valebat, vel propter confusionem non licebat. 4. *Reg.* 7. Videbis quidem oculis tuis, & tamen inde non comedes. *Psalm.* 111. Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Hic enim verum est illud poëtæ,

Tantalus à labris fugientia pocula captat.

Quo sunt plus pota, plus sitiuntur aquæ.

Prouerb. 20. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate. Et iam non dabitur ei. Hoc est, refrigerium aquæ, quod damnatus in inferno petiuit, qui de nullo bono curauit, nec non obtinuit. Vnde *Beatus Bernardus.* In æternum non obtinebit, quod vult: & tamen quod non volt, in perpetuum sustinebit. Hæc enim pertinacia est iniquæ voluntatis, & præcipue in damnatis: vt adhuc peccandi habeat desiderium, etiam cum non valet explere delictum. Et illi spadones diaboli, qui fornicari non possunt, & ad puellam suspirant. *Eccli.* 30. Portantes mercedes iniquita-

tis: videns oculis & ingemiscens, sicut spado complectens virginem & suspirans. Sic voluntatem habens ad omne peccatum, & perficere non valens.

In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?

Dicuntur autem hic tria: reuersio ad sui cognitionem, attrahentia ad patris reuersionem, & eius quod cogitauerat per effectum impletio. De primo dicit[Ipse autem] peccati vias inuenire non valens. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis, & semitas suas non inueniet [in se reuersus] hoc est, ad rationis actum introrsus in corde, à quo discesserat[reuersus] *Isa.* 46. Redite, redite præuaricatores ad cor. *Psalm.* 76. Exercitabar cum corde meo, & scopebam spiritum meum. Iste est nuncius qui ad Iob reuertitur, damna renuntians *Iob* 1.

Dixit] Hic tangit ea quæ reuertendum trahebant. Dicit autem duo: spem benignitatis & charitatis paternæ in genere coniunctos: & afflictionem pœnarum peccati, qua pungebatur in exilio. Et ex his elicitur reuertendi propositum. De primo dicit[Quanti mercenarij] ad domum patris non pertinentes, sed mercede temporali sibi constituta seruientes, sicut Iudæi, qui semper spe mercedis temporalis seruierunt. *Deuter.* 33. Tantummodo oculus Iacob in terram frumenti, vini, & olei. *Psalm.* 4. A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Et hi [in domo patris mei] hoc est, in familia magni patrisfamilias. 2. *Timoth.* 2. In magna autem domo non sunt solum vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia: & alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam. Mercenarius vero inuitè seruit, & tamen seruit in spe mercedis. Et hac accepta de domo egreditur, & nihil honoris habet: tamen multa bona facit, & ideo sui indigetur: & non tantùm toleratur, sed etiam ad domum vocatur & conducitur. Ita est qui in Ecclesia pro mercede temporali seruit: sicut Clericus pro stipendio præbendæ multa bona facit, & vocatur, & remuneratur: sed tandem sine honore eum damnandis egreditur. 1. *Corinth.* 9. Si inuitus Euangelium annuntio, merces mihi cõstituta est. Iste enim se non exponit periculo pro domo patrisfamilias. *Ezech.* 13. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murum pro domo Israël. *Ioan.* 10. Mercenarius fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus[Abundant panibus] ad literam: Panibus cor confortantibus veritate verbi, gratia virtutis, & refectione sacramenti: de quibus panibus iam ante diximus, & habent vnde se & alios reficiant. *Psalm.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Isa.* 21. Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. *Isa.* 33. Panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Hæc igitur spes traxit eum: quia liberalis fuit etiam in non coniunctos.

Ego autem hic fame pereo] refectione destitutus: sicut Gẽtilis populus in idololatria, & sicut quilibet in peccati exilio. *Agg.* 1. Comedistis, & non estis satiati. Et *ibidem*. Qui congregauit mercedes, misit eas in saccum pertusum. Quia si etiam aliquid delectationis habet peccatum, hoc ipsum non nutrit, sed conuertitur in tormentum & venenum. Et idcirco fame perit etiam, qui delectamenta peccatorum comedit. *Isa.* 29. Sicut somniat esuriens & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibens, & postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit: sic facti sumus. Ille enim vere fame perit, qui delectatione peccati quærit refici, & nihil reficitur, sed perit de die in diem. *Isa* 65. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: serui mei bibent, & vos sitietis.

Surgam, & ibo ad patrem meum.

Ecce reuertendi propositum: in qua parte quatuor continentur: à peccato surrectio, ad patrem bonum profectio, peccati confessio, & veniæ supplicatio. De primo dicit[Surgam] non tantum in præsenti momentaneo, sed in omne futurum sursum me agam. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit tibi Christus. *Isa.* 52. Consurge, sede Ierusalem: solue vincula colli tui captiua filia Sion, hoc est, vincula consuetudinis peccatorum, collum rationis tuum deprimentia. *Psalm.* 63. Accedat homo ad cor altum. *Luc.* 21. Leuate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra. Sic igitur non ad terram, sed ad cælum factus sursum: cum caput mentis in sublime bonum extollit.

Et ibo] Ecce ad patrem bonum profectio. *Eccli.* 17. In partes vade seculi sancti cum viuis & dantibus confessionem Deo. *Ierem.* 51. Venite & nolite stare. *Psalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. *Genes.* 32. Reuertere in terram natiuitatis tuæ. Ex Deo enim natus es, & terra natiuitatis tuæ est habitatio Sanctorum [ad patrem meum] ad paternum fontem boni reuertar. *Eccli.* 17. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem. Patet enim non obliuiscitur substantiæ & proprietatis patris, & affectus filialis. Substantia enim patris ipsa dulcedo est proprium, misereri & parcere. Affectus ad filium semper dependere. Et de substantia quidem dicitur *Sap* 16. Substantiam tuam & dulcedinem quam in filios habes ostendebas. De misericordia *Ioel.* 2. Patiens & multæ misericordiæ, præstabilis super malitia. De affectu 2. *Regum* 1. Sicut mater vnicum amat filium: ita te diligebam. Ad talem igitur ibo patrem.

Et dicam ei: Pater peccaui in cælum & coram te.

Ecce humilis confessio, in qua tria dicit: spem patris, confessionem veritatis, & eam quam meruit per peccatum abiectionem indignitatis. De primo dicit[Pater] Q. d. Nihil spei mihi est sine te, sed multa fiducia in te: qui vere pater es in patris affectu. *Isa.* 64. Nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos [peccaui] Ecce humilis & vera confessio[peccaui] 2. *Reg. vltim.* Ego sum qui peccaui, ego inique egi. *Iob* 33. Peccaui & vere deliqui: & vt eram dignus non recepi [in cælum] per metonymiam, hoc est, Sanctos & Angelos offendendo. *Ierem.* 2. Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer.

Duo

Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, continere non valentes aquas. Peccatum enim redundat in verecundiam Sanctorum, qui cælum vocantur: quia eorum conuersatio est cum Angelis in cælo. *Isa.* 33. Ecce videntes, hoc est, Prophetæ, clamabunt, Angeli pacis amarè flebunt [& coram te] qui omnia vides. Vel [coram te] hoc est, ante conspectum tuum. *Hebr.* 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. *Eccli.* 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum. *Prou.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis eius. Dolor igitur quia peccauit in cælum in amissione & offensa societatis Sanctorum. Verecundia autem: quia coram patre peccauit. Deformitas autem ex ipso peccato. *Psalm.* 50. Tibi soli peccaui & malum coram te feci.

Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

Ecce recognitio propriæ indignitatis. Imaginem enim tuam in me deturpaui, & bona optima à te collata consumpsi: & Ideo filius alienatus sum qui mentitus sum tibi, inueteraui, in terra aliena, & à semitis tuis claudicaui. Non sum de illis de quibus dicitur *Ierem.* 17. Non sum turbatus te pastorem sequens, & diem hominis non desideraui. Sed alios sequens, indignus factus sum tua paternitate. Factus sum de illis de quibus dicitur *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & opera illius vultis perficere. 1. *Corinth.* 15. Portaui imaginem terreni patris, & deturpaui imaginem tuam. Sic igitur, non sum dignus vocari filius tuus [sed fac me sicut vnum] Ecce humilis supplicatio veniæ. In hac autem supplicatione recognoscit potentiam faciendi non esse in se, sed in patre. Et non dicit quod faciat mercenarium: quia ille non manet in domo patris in æternum: sicut dicitur *Ioan.* 8. Sed quod faciat eum sicut mercenarium, hoc est, filium, in habitu humilitatis serui in domo operantem.

De primo dicit [fac] Tu, qui potestatem habes. Ego enim defeci. *Matth.* 3. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Seruum enim potest facere filium, Dominus pater [fac ergo qui omne bonum ex te facis. *Isa.* 26. A timore tuo concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Sic igitur qui spiritum adoptionis dedisti iam [fac] per gratiam subsequentem [fac me] quia licet corruptus à factura tua prima: Tu dixisti *Ierem.* 18. Confractum est opus in manibus figuli, & conuersus rursus fecit illud in vas alterum, sicut placuit in oculis suis. Et dixit: Hæc dicit Dominus. Sicut lutum in manu figuli sic vos in manu mea, domus Israël [fac] ergo de luto corrupto vas quod merito placeat in oculis tuis. Sic ergo dic. [sic me] non mercenarium: quia in domo tua perpetuo manere cupio: sed [sicut mercenarium] qui in habitu humilitatis serui seruiat: & tamen in domo remaneat, quia sic imitabor filium tuum dilectum. *Phil.* 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Et *post pauca*: Humiliauit semetipsum, factus obediens patri vsque ad mortem: sicut & ego vsque ad mortem seruire disposui [Fac ergo me sicut mercenarium]

Iob 14. Donec optata veniat, & sicut mercenarij dies eius. O pater, fac ergo quod dixisti. *Eccli.* 7. Non lædas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem tibi animam suam. Ego enim in veritate opera serui perficere volo, & mercenarius dare tibi totam animam ex omnibus viribus meis. Ecce veniam impetrans supplicatio. [Et] cum hac sui indignatione, & veritatis confessione, & deuota & humili supplicatione [surgens] agens per effectum operis se sursum, à sentina vitiorum. *Psalm.* 3. Ego dormiui & soporatus sum (in peccato) & exurrexi quoniam Dominus suscepit me [venit] profectu virtutis [ad patrem] dicens cum seruis Dauid 1. *Reg.* 24. In die bona venimus ad te.

Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

Hic tangitur patris benignissima susceptio reuertentis filij. Tanguntur autem hic duo, quorum primum est benignissima susceptio patris: secundum autem est placatio indignantis cohæredis. In primo horum tria sunt, scilicet, signa benignitatis patris in suscipiendo, veritas filij in pœnitendo & confitendo, festiuitas totius familiæ in congratulando. Signa benignitatis in suscipiendo sunt quinque, scilicet, quod longe adhuc positum vidit, quod ad venientem miserum misericordia motus fuit, quod lasso paterne occurrit, quod se non continens super eum cecidit, quod intimæ dilectionis osculum impressit. De primo dicit [cum autem adhuc longe esset] quia in reliquiis peccati & tentationibus adhuc fuit. Vel forte melius: quia nimia humilitate se longe esse reputauit, quamuis iam prope fuisset per gratiam. *Daniel.* 7. Aspiciens à longe: ecce video Dei potentiam venientem. *Isa.* 60. Filij tui de longe venient. *Isa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo [vidit] respectu vocationis, quo vocauit Petrum à trina negatione *Matth.* 26. Conuersus Dominus, respexit Petrum: & egressus foras Petrus, fleuit amare. *Ioan* 1. Cum esses sub ficu priusquam te Philippus vocaret, vidi te. *Genes.* 22. In monte Dominus videbit, hoc est, de specula suæ celsitudinis. *Sap.* 4. Respectus eius in electos illius [& misericordia motus est] Cor enim paternum misericordia mouetur ad filium. *Ierem.* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius, ait Dominus. *Osee* 11. Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt disperdam Ephraim [Et occurrens] Hic tangitur qualiter lasso occurrit; quia lassatus fuit in via iniquitatis, & magna perficere non valuit; licet voluntate magna voluerit. 2. *Mach.* 1. Corde magno & animo volente. Illis enim quantumcunque debilibus, per se & per suos occurrit. *Isa.* 64. Occurristi lætanti & facienti in viis tuis iustitiam. 1. *Mach.* 11. Occurrerunt ei de ciuitate honorifice. Occurrit enim Deus, & sui, & manum porrigit adiutricem [cecidit] impetum amoris ferre non sustinens. Cecidit enim qui totus venit. *Act.* 10. Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Cecidit autem [super collum eius] *Genes.* 46. Cumque vidisset eum, ruit super collum eius. Collum autem

ficut sæpe diximus, secundum expositionem beati *Dionys.* est continuatio capitis ad corpus, in quo decurrit vitalis spiritus, & per quod trahitur cibus corporis totius. Et secundum has proprietates ratio est collum cōtinuans caput animæ (quod est mens) cum animæ viribus inferioribus quasi cum corpore: quia in capite (quod est mens) est imago Dei impressa, & in corpore sunt sensibiles vires animæ, & ratio continuat vnum cum altero: quia inferiora refert ad superiora per obedientiam, & superiora reducit ad inferiora per ordinationem & prouidentiam. Sicut igitur diximus, ipsa est collum. *Cant.* 5. Collum tuum sicut monilia, hoc est, discretionis monimenta. Inde est quod qui superbæ sunt rationis, colloli tolluntur. *Iob* 15. Cucurrit contra Deum extento collo, & pingui ceruice armatus est. Hinc est quod Dominus colla superborum conculcare dicitur: quando rationem eorum humiliat, & in obsequium fidei suæ inclinat. *Eccli.* 24. Superborum & sublimium colla propria virtute calcaui Et quia de collo rationis bonæ laus Dei egreditur: ideo de laudante Deum vectore Dei dicitur *Iob* 39. Nunquid præbebis equo fortitudinem: aut præbebis collo eius hinnitum? Q.d. Non tu facies hoc, sed ego gratia mea hoc perficiam: sicut collo istius prodigi produxit confessionis hinnitum [& osculatus est eum] osculum amoris imprimens. In osculo enim est impressio labiorum, & permixtio spirituum, & in impressione labiorum est vnio oris vtriusque: vt vnum os de cætero sit ipsius cum patre in omni verbo virtutis, & veritatis confessione. *Ierem.* 15. Si separaueris pretiosum à vili quasi os meum eris. In permixtione autem spirituum est vnio cordium & affectuum. 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo vnus spiritus est *Cant.* 1. Osculetur me osculo oris sui. *Genes.* 27. Accede ad me, & da mihi osculum fili mi. Ecce signa benignæ receptionis.

Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.

Ecce filij humiliatio coram patre. Et veritatis confessio [Pater peccaui] 2. *Paral. vltim.* Peccaui Domine peccaui: & multiplicatæ sunt offensiones meæ coram te [in cælum] in cæli offensionem: hoc est cælestium. Vnde *Luc.* 18. Publicanus nolebat ad cælum oculos leuare: quia sciebat se cælestes offendisse [& coram te] quia iniquitas mea clamat ante conspectum tuum. *Genes.* 18. Clamor Sodomorū & Gomorrhæorum venit ad me. 2. *Paralip. vltim.* Irritaui iram tuam: & malum coram te feci. Et tangit eam quam ex peccato incurrit indignitatem dicens [iam non sum dignus vocari filius tuus] *Genes.* 32. Minor sum cunctis miserationibus tuis. 2. *Paralip. vltim.* Indignum saluabis me secundum multitudinem miserationum tuarum. Antequam autem verba quæ deliberauerat compleat: & non vt filios, sed vt mercenarius in domo esse petat: pater victus misericordia sermonem interrumpit, & humilem exaltat. Et hoc est quod sequitur,

Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.

Et dicuntur hic duo: edictum patris, & id quod edicit. Edictum patris est in hoc quod dicit [Dixit autem pater] in stimulato imperio imperans. *Sap.* 18. Verbum tuum venit, indissimulatum imperium portans tuum [ad seruos suos] Angelos, Apostolos, sanctos Martyres, & Confessores, & Prædicatores. *Isa.* 61. Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis. *Isa.* 49. Seruus meus es tu Israël: quia in te glorìabor. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei

Cito proferte] Ecce edictum de vestitu honestatis, de ornatu nobilitatis, & de conuiuio iucunditatis. Sed vestitus datur duplex: honestatis, & virtutis in præparatione Euangelij pacis; & ideo ornatus decoris interponitur, inter vnum & alterum vestitum: sicut patebit in sequentibus. De vestitu quidem honestæ cōuersationis dicit [cito] sine mora. Quia sicut dicit *Ambros.* Nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia [proferte] hoc est, proferendam mea benignitate pronuntiate [stolam primam] hoc est, honestæ conuersationis habitum, ex virtutum decore contextum [& induite illum] ne nuditas macularum eius de cætero appareat. *Isa.* 61. Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me. *Roman.* 13 Induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus. *Ezech.* 16. Expandi amictum meum super te, cum esses nuda & ignominia plena. Hæc est igitur stola prima, quæ est ornamentum animæ. *Prou. vlt.* Byssus & purpura indumentum eius. Byssus in candore conscientiæ, & purpura in virtutum pictuatione. *Apoc.* 6. Datæ sunt singulis singulæ stolæ. Stola dicitur à græco stolon, quod est longum: quia totam tegunt vitam & conuersationem quando sunt cum dono perseuerantiæ.

Et date anulum] ante calceamenta dicit anulum: quia nisi sit certa fides & fidelitas ad Deum, prædicationis officium assumere non debet. Anulus autem qui in decorem datur, fidem ad Patrem vel ad Sponsum significat. Et ideo quia vena cordis in medico digiti sinistræ manus pulsat: ideo antiqui anulum in medico sinistræ manus portabant. Sed quia Prælati qui sunt sponsi Ecclesiarum, dextera manu benedicunt: ideo in medico dexteræ manus anulum pōrtant. Hoc igitur ornamentum pater filio in signum restitutæ dignitatis & fidelitatis porrexit. *Genes.* 41. Tulit anulum de manu sua, & dedit in manu eius, vestiuitque eum stola byssina. Antiqui tamen ante nos versus de vsibus & proprietatibus anuli fecerunt, qui tales sunt.

Anule desponsas, pretiose, pusille, sigillas,

Clare, teres, digitum dextrum gēmæ venustas.

Quod enim desponsat anulus, patet ex hoc quod Iudas Thamar anulum cum aliis quibusdam dedit pro arrhabone, significans quod Deus meretricem animam aliquando sibi coniungit in fide. Pretiosus autem est, sicut dicitur *Eccli.* 32. Gemmula carbunculi in ornamento auri. Quia fides innititur auro sapientiæ, & carbunculo charitatis, quæ per dilectionem operatur. Pusillus autem est in humilitate secundum suum nomen: quia anulus est diminutiuum ab anus, quod est circulus. 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei: vt vos exaltet in die visitationis. De sigillatione autem habetur *Esther* 3. Vbi literæ regis sigillatæ erant

erant anulo suo. Et significat impressionem imagini summi regis in corde. *Cantic.*8. Pone me sicut signaculum super cor tuum. Clarus autem est anulus iste in rationibus articulorum. *Sap.*6. Clara est, & quæ nunquam marcescet sapientia. Et vt nihil aliud clarum sit in corde anulati à Deo. *Sapient.*7. Hæc est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior. Teres autem est: quia in se reuertitur propter memoriam æternitatis: vt semper in principio amoris sit ille qui anulatus est. Et ideo præcipitur *Exod.*28. vt semper anuli pateant in mensa & in arca, quibus portetur. Ornat autem digitum dextrum ad operis diligentiam & ornatum. *Iudith* 10. Tulit Iudith dextralia, & lilia, & inautes, & anulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se. Dextralia adhibens ad fortitudinem, lilia in virtutis castitatis candorem, & inautes ad obedientiam, anulos autem ad fidem demonstrandam. Et sic virtutum ornamentis omnibus se ornauit. Gemmatus autem est fulgore cælestis conuersationis & fulgoris. *Cantic.*5. Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Talem igitur anulum date [in manu eius] hoc est, conuersatione operum eius: quia sicut dicitur *Iacob.*2. Fides sine operibus mortua est. *Iacob.*2. Si intrauerit ad vos homo in veste pretiosa, aureum habens anulum. Sic enim intrat in Ecclesiam iam iste vestitus & anulatus.

Et calceamenta in pedes] Calceamenta de pellibus mortuorum animalium, sunt memoriæ mortis in cordibus Prædicatorum, Dei filiorum. In pedibus autem sunt, quando sunt in verbo veritatis quoad intellectum, hominibus mortem & præmium mortis demonstrantibus: & in affectu apud se, vt cupiant dissului & esse cum Christo. Isti enim duo pedes calceamentis sic muniuntur. *Ierem.*2. Prohibe pedem tuum à nuditate. *Exod.*12. Calceamenta tenentes in pedibus. *Canticorum* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.

Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.

Ecce instruitur conuiuium congratulantium. Dicit autem duo: præparationem conuiuij, & causam. Circa præparationem dicit quinque: adductionem vituli, adducti saginationem, saginati occisionem, & occisi epulationem. De primo dicit [Adducite] hoc est, ad memoriam reducite. *Genes.*18. Abraham autem cucurrit ad armentum, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum. Cursus Abrahæ, festinantiam significat deuotionis, in qua totus currit animus. Ad armentum autem currere, est ad omnium Sanctorum bona mente percurrere. De numero autem ille vitulum adducere, est de numero martyrum omnium Passionem Christi ad memoriam reuocare. Vel forte vitulum occidere, est lasciuiam corporis Deo immolare & occidere. *Psalm.*50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos. De conuiuio autem subinfert [vt manducemus] Manducare, est ad necessitatem. Epulari, ad iucunditatem. Spiritualis enim cibus restaurat vires spirituales deperditas. Et sic est ad necessitatem. *Act.*9. Cum accepisset cibum, confortatus est. *Genes.*18. Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum [& epulemur] ad iucunditatem, & conuersorum redeuntium iucunditatem. *Psalm.*41. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Epulatio enim, iucunda refectio est in bonis proximi. 1. *Corinth.*5. Epulemur in azymis sinceritatis, conscientiæ, & veritatis in sermone & opere.

Quia hic] Causam hic dicit tantæ lætitiæ [quia hic] in præsenti demonstratus [filius meus] qui vnus est, perditus de domo mea sicut vna ouis errabunda, & vna drachma perdita. Non enim modicam iacturam reputat vnicum de tanta domo perdidisse, Nec paruum gaudium æstimat vnicum de tot millibus perditis recuperasse. *Ioan.*17. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis: vt Scriptura impleretur [mortuus fuerat] in peccato. 1. *Timoth.*5. Quæ in deliciis est, viuens mortua est [& reuixit] in gratia. *Isa.*26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. *Ezech.*37. Veni spiritus, & insla super interfectos, & reuiuiscant [perierat] sicut ouis errabunda [& reuixit] *Psalm.* 118. Errau sicut ouis quæ periit: require seruum tuum Domine. *Ps.*88. Inueni Dauid seruum meum.

Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.

Hic tangitur placatio senioris filij super indignatione quod receptus est iunior tam benigne à patre. Diuiditur autem in tria, in quorum primo tangit filij senioris indignationem: in secundo tangit filij cum patre disceptationem: tertio tangit filij à patre placationem. In primo autem tria dicit: filij scilicet in congratulatione ista absentiam, filij auditum cum veniret symphoniæ, & interrogationem de causa tantæ iucunditatis. De primo dicit [Erat autem filius eius senior] Hic allegoricè est Iudaicus populus, qui semper fuit in agro terrenæ exercitationis, quando ad spiritualia Gentilis populus vocabatur. *Exod.*4. Filius meus primogenitus Israël. Causa autem quare sit senior vocatus, superius est assignata. 1. *Machab. vltim.* Iudæi agriculturæ operam dederunt: Quia terrenis inhiabant more Cain, de quo dicitur *Genes.*4. Cain agricola cœpit exercere terram.

Secundum autem generalem modum exponendi ad moralem sensum & allegoricum, sicut etiam Dominus loqui videtur, sicut superius diximus: tunc senior filius est quilibet qui mores seniorum imitatur, in terrena sapientia lucra conquirens. Hic est in agro lucrorum terrenorum, extra domum patris & penetralia conuersatur quia interiora spiritualia non rimatur. 1. *Corinth.*2. Spiritualis homo diiudicat omnia. Et *ibidem* dicitur, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt

ſunt Spiritus Dei. *Chryſoſt.* enim dicit moraliter loquens, quod duo fratres ſunt Clericus & Laicus. Senior Clericus, qui ſi in agro eſt terrenæ occupationis, extra domum eſt patris. Dicit enim *Auguſt.* quod negotiatio ita damnabilis eſt Clerico ſicut vſura Laico Vnde *Chryſoſt.* Qui voluerit eſſe negotiator, proiiciatur de Eccleſia, dicente Propheta *Pſalm.* 70. Quia non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius, 2. *Timoth.* 2. Nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis: vt ei placeat cui ſe probauit. *Eccli.* 26. Duæ ſpecies difficiles mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotians à negligentia, & non iuſtificatur caupo à peccatis labiorum. Inter venditionem enim & emptionem interueniunt mendacia & iuramenta falſa.

Nos autem exponemus generaliter quod ſenior non diſſolute viuens eſt & non iuuenilibus intendens: ſed lucris mundi deditus, ad intima ſpiritus non pertingit: & ideo extra domum & penetralia per agrum diſcurrit: & ideo ſine cogitatu terreno nunquam eſt: ſicut neque cribrum ſine puluere. *Eccli.* 27. Sicut in percuſſura cribri remanebit puluis: ſic aporia hominis in cogitatu illius. Illud enim cogitat à quo aporiatur.

Cum autem veniret] Hic tangitur quod tales ante gratias conuerſorum peccatorum conſiderant. Vnde dicitur [Cum veniret] acceſſu mentalis conſiderationis, ad domeſtica & occulta Dei: ſicut quidam Iudæi fecerunt ad gratiam conuerſionis Gentilium. Sic enim multi venerunt ad talem conſiderationem: ſicut improperat eis Dominus *Ioan.* 5. Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. *Iſa.* 2. Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: docebit nos de viis ſuis, & ambulabimus in ſemitis eius [& appropinquaret domui] hoc eſt, familiæ domus, per intellectum ſpiritualem, & conſiderationem decoris domus. Sicut ille fecit qui dixit in *Pſalm.* 25. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Sicut regina Saba 3. *Reg.* 10. videns ordinem miniſtrorum Salomonis non habebat vltra ſpiritum. Sic ergo & iſte appropinquans domui Dei [audiuit] in domo Dei [ſymphoniam & chorum] ſicut dicit *Pſalm.* 86. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Et iterum *Pſalm.* 31. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.

Eſt autem ſymphonia dicta à ſyn græca præpoſitione, quod eſt con: & phonia, quod dicitur ſonus: inde ſymphonia, quod eſt conſonantia. Et eſt idem quod concentus multorum, quando multi vnanimiter cantant voces modulatas. Et hoc eſt quando in exultatione cordis laudatur Deus à Sanctis, de bonitate beneficiorum & effectu miſericordiæ quam exhibet Sanctis: ſicut hic laudatur de dulciſſima ſuſceptione peccatoris pœnitentis: ſicut cantatur in eccleſia. Laudemus opus Dei in Maria genitrice, ſed virgine. Laudemus opus Dei in Maria peccatrice, ſed pœnitente. Illa eſt ſpeculum innocentiæ: iſta autem exemplum pœnitentiæ. Hinc eſt quod omnes Sancti concinunt *Pſalm.* 105. Saluos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus: vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. Ecce ſymphonia de ſalute congregatorum per pœnitentiam de nationibus peccatorum.

Chorus autem eſt inſtrumentum factum ſicut cornu, in quo multæ ſunt fiſtulæ diuerſis ſonis in vnam ſymphoniam modulatæ, & grauibus & acutis ſonis coniunctæ. Et ſignificat diuerſas laudes Sanctorum conſonas, ex diuerſis Dei donis gratias agentes. Aliquando etiam à ſimilitudine iſtius, chorus dicitur circuitus, in quo ſtant illi qui carmina ſic modulatis decantant vocibus. *Pſal.* 150. Laudent nomen eius in choro, in tympano, & pſalterio pſallant ei. Iſta laus exprimitur *Apoc.* 12. Audiui vocem magnam de cælo dicentem. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Ecce ſymphonia in cantu, & chorus in lætitia & concentu cæli, de proiectione accuſatoris à corde pœnitentium, qui animalem & brutalem vitam cum porcis non diligentes, vſque ad mortem confitentes & pœnitentes, redierunt ad patrem. *Epheſ.* 5. Loquimini vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Hanc igitur ſymphoniam audiens auditu interiori aliquis Iudæorum, intellectui ſpirituali dans operam de Gentili conuerſo. Vel quicunque non publicus peccator de publico peccatore conuerſo: ſicut de Paulo, & Magdalena, & huiuſmodi, ſtupet & miratur.

Et vocauit] Mentis autem conſideratione vocauit [vnum] quemcunque Sanctum, qui cauſas huius lætitiæ declarat: vel in libris, vel in dictis, vel in exemplis, qui eſt vnus [de ſeruis, & interrogauit] legendo, vel audiendo in prædicatione, vel doctrina, vel in facto exemplari [quæ hæc eſſent] hoc eſt, quænam eſſet cauſa huius tantæ lætitiæ in domo. Sicut Philiſtæi quæſierunt cauſam lætitiæ de vocibus Hebræorum, cum veniſſet Deus in caſtra ad inimicorum expugnationem. 1. *Reg.* 4. Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Audieruntque quod arca Dei veniſſet in caſtra. Quicunque enim de iuſtitia propria præſumit, ſicut Iudæi, & Phariſæi, & generaliter de propria præſumentes iuſtitia: neſciunt ſacramenta Dei in gaudiis cordium, quæ facit Deus in cordibus Sanctorum, cum vident peccatores conuerti, & in hoc laudem & gloriam Dei magnificari. Sicut enim iam ante diximus, in exterioribus maior exhibetur lætitia de eo qui periculum euaſit, quam de eo qui continuo ſanus & ſecurus fuit. Non ideo quod melius ſit: ſed quia iucundius eſt & fraternæ dilectionis oſtenſiuum ſecundum actum. Et hoc eſt quod ſequitur [Iſque dixit illi] ſeruus, vel doctor, vel ſcripto, vel facto, vel verbo viuæ vocis. *Iob* 27. Docebo vos per manum Dei quæ omnipotens habeat. *Pſal.* 33. Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.

Dicit autem tria, inſtruendo præſumentem de ſua iuſtitia ſcilicet, cauſam lætitiarum, modum, & rationem. Cauſam dicit in hoc [frater tuus venit] à longinqua regione tenebrarum, & de terra inimicorum aliena diſſimilitudinis. *Iſa.* 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. *Baruch* 3. Quid eſt Iſraël quod in terra inimicorum

inimicorum es, inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace in terra tua. De hac ergo terra venit, Terra (inquam) miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat *Iob.* 10. De hac (inquam) terra venit ad domum abundantiæ patris. *Psalm.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Et occidit pater tuus vitulum saginatum] Vitulus potest dici lasciuiens iuuentus, quæ occiditur in conuerso peccatore, & Deo offertur, & sesicit omnes Sanctos, & ipsum peccatorem. *Psalm.* 68. Placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas. Cornua intellectus, & affectus, quibus diabolum ventilet: & vngulas discretæ rationis, quas in omnia eligibilia ad vitam discernendo diuidat. Hic saginatus, hoc est, impinguatus dicitur sagina deuotionis. *Isa.* 25. Faciet Dominus conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum pinguium, & vindemiæ defæcatæ. *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Vel vitulus saginatus est pinguedo deuotionis Passionis Christi pro peccatoribus immolati: ficut supra expositum est. Vel melius dicatur, quod vitulus vtrunque significat. *Osee* 14. Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. In his enim est lætitia, & refectio Sanctorum [quia saluum illum recepit] de tantis periculis ereptum. 2. *Corinth.* 1. Non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui de tantis periculis eripuit nos: in quem speramus, quoniam adhuc eripiet adiuuantibus vobis in oratione pro nobis. Hæc igitur est ratio tantæ letitiæ & iucunditatis.

Indignatus est autem, & nolebat introire.

Ecce quod dicit *Gregorius*, quod falsa iustitia & præsumpta, habet indignationem, & compassionem non habet. Tangit autem duo: indignationem, & auersionem dutitiei cordis. De primo dicit [Indignatus est autem] quia dignum illum tanto gaudio non reputauit. Hoc autem ex quatuor causis solet prouenire, quarum prima est præsumptio meriti proprij. Secunda est consideratio lapsus alieni. Tertia confidentia status ex propria vi. Quarta autem ignorantia iudiciorum misericordiæ Dei. Primi inter hæc exemplum *Luc.* 18. Gratias tibi ago Domine quia iam non sum sicut cæteri hominum. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Secundi exemplum est *ibidem*. Velut etiam hic Publicanus. *Luc.* 7. Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Tertij exemplum est in Petro *Ioan.* 13. Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam. *Luc.* 22. Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Quarti exemplum est *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei & scientiæ! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius! Sic indignatus est *Ionas* 4. Obsecro Domine; Nonne hic est sermo quem dixi cum adhuc essem in terra mea? Idcirco præoccupaui vt fugerem. *Rom.* 10. Testimonium perhibeo illis quod æmulationem Dei habeant, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere: iustitiæ Dei non sunt subiecti. Sic ergo

Nolebat introire] hoc est, in eos se per deuotionem & fidem coniungere, qui de misericordia gaudent in conuersione peccatorum: ignorans quod contra primam causam indignationis dicit Dominus *Apoc.* 3. Dicis quia diues sum, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper. Contra secundam *Mich.* 7. Ne læteris inimica mea quia cecidi, consurgam. Et *Ibidem*. Iram Domini portaui: quia peccaui ei. Et post pauca: Educet me in lucem, videbo iustitiam eius. *Eccli.* 8. Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei. Memento quoniam omnes in corruptione sumus. Contra tertiam dicit *Apostolus* 1. *Cor.* 10. Qui stat videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Contra quartam dicitur *Eccli.* 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Pro his omnibus talibus de se præsumentibus dicit Dominus *Matth.* 20. Amice non facio tibi iniuriam. Et *paulo post*. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

Hic tangitur qualiter benignus pater suadet & placat filium. Et dicit duo, in quibus patris commendatur benignitas. Vnum quidem quod supplicat inferiori sibi subiecto. Secundum autem, quod rationem præsumptuosi audit, & paterne & rationabiliter elidit. De primo igitur dicit [Pater ergo illius] qui vere benignus (etiam in præsumptuosos) est. *Ioel.* 2. Benignus, & misericors est [egressus] ex occulto suæ diuinitatis in assumptionem carnis. *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. Vel spiritualiter, egressus de occulto sapientiæ in reuelationem iudiciorum de exhibenda misericordia. *Ezech.* 3. Benedicta gloria Domini de loco suo. *Psalm.* 18. A summo cælo egressio eius, hoc est, de summo sapientiæ lucis suæ venit in reuelationem occultorum suorum. Quam bonus & misericors sit, *Matth.* 9. Euntes discite, quid est misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta [cœpit rogare eum] vt intraret in cognitionem mysteriorum, & se gaudio Sanctorum coniungeret. *Genes.* 24. Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? *Rom.* 7. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, idipsum inuicem sentientes.

At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer.

At ille] sicut præsumptuosus de sua apparente iustitia præsumens [respondens] contumaciter [Dixit patri] cuius omnem voluntatem sine disceptatione audire & facere debuit. *Iacob.* 1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Et dicuntur duo. Patientia patris in audiendo filium, obsequia iactantem: & sapientia patris filium suadentis & reducentis

ducenris in sensum. De primo dicuntur qoatuor: longitudinem obsequij iactat, & diligentiam, & se irremuneratum fuisse ab eo etiam in patuo, & patrem accusat quod digno neglecto, indigno mulra & magna conferat. Dicit igitur de primo hurum.

Ecce tot annis seruiui tibi]Longum enim omne tempus reputabat, qui in angaria seruiebat. Si enim in amore seruiisset, breue tempus esse reputasset. *Genes.* 19. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. *Psalm.* 83. Melior est dies vna in atriis tuis super millia. *Psalm.* 89. Mille annos ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit [& nunquam mandatum tuum præterivi]lactat & improperat diligentiam obsequij. Non attendens quod dicitur *Lu.*17. Cum feceritis hæc omnia, dieite, serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. Cum tamen falsum dicat. *Iob* 4. Eece qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. *Prou.* 20. Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato. *Isa.* 64. Facti sumus vt immundus omnes nos. Sed quia præsumpta iustitia se non reputat offendisse nisi magna committat scelera [& nunquam dedisti mihi hœdum] Hœdus enim sactificium est pro peccato. Et est sensus. Nunquam me interiori sagina refecisti de conuersione peccatorum, sicut reficis Sanctos reuertentes de magnis peccatis, quia magni peccatores frequenter deuotiores sunt in pœnitentia & gratiarum actione, quam tepidi iusti de sua iustiria præsumentes: & frequenter maiores consolationes in spiritus iucunditate & refectione à Deo percipiunt. *Psalm.* 58. Circuibunt ciuitatem, famem patientur vt canes. Canes, inquam, latrantes contra gratiam Sanctorum.

Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

Hic improperat quod indignis conferat & dignos negligat benefaciendo. Vnde dicit [Filius tuus hic]eum despectu demonstratus, quem non recognosco fratrem meum: quamuis enim tu filium tuum recognoscas [qui deuorauit substantiam suam] Voracitas sonat in vitiom gulositatis. *Tit.*1. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ: ventres pigri[cum meretricibus]Notat malam societatem, & causam condeuorantium. *Deuter.*23. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: neque Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius. Idumæus enim est carnalia peccata committens, & Ægyptius, tenebrosus in aliis [venit] Non deuotione, sed necessitate compulsus. *Seneca.* Gratias ago necessitati, quæ non sinit perficere posse quod male volui. *Augustinus* Felix necessitas quæ compellit ad bonum male volentem[occidisti illi vitulum saginatum] qui multo maioris est pretij quam hœdus. Interius enim illum reficis: ego autem in interioribus aridus sum, & exteriori videor pollere præseruatione peccatorum. Sic *Luc.*7. peccatrix sagina refecta est interiori, Pharisæo ieiunante interius, licet exteriori visa iustitia reficeretur cum Domino, cum murmure ex inuidia stimulatus interius. *Iob* 5. Paruulum occidit inuidia. Refectio enim interior fuit in deuotione peccatricis, venientis in lacrymis pœnitentis, in osculis diligentis, in humiliatione se peccatricem ostendentis, in vnguentis pinguedinis spiritualis consolationis. Et ideo dicit *Gregorius*, quod magis intus refectus est Dominus pœnitentia peccatricis, quam exterius Pharisæi inuidi epulis.

At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Ecce sapientia patris duo faciens. Primo enim iustitiam filij collaudat, & remuneratione magna dignam æstimat. Secundo misericordiam filio delinquenti faciendam esse prununtiat. Dicit ergo [Fili tu]Te enim filium recognosco. *Exod.*4. Primogenitus meus Israël. *Osea* 11. Ex Ægypto vocaui filium meum [tu semper mecum es] consona voluntate iustitiæ. 1.*Paralip.*12. Tui sumus ô Dauid, & tecum filij Isai. Et tangit remunerationem[&]ideo [omnia mea tua sunt] superiora, inferiora, media. Superiora ad perfruendum, media ad viuendum, quæ sunt iustitia, & cæteræ virtutes: inferiora ad adiuuandum. *Matth.*25. Super omnia bona sua constituet eum. *Rom.*8. etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo etiam non omnia nobis cum illo donauit? Et est valde notabilis pietas Patris, qui etiam exteriorem acceptat iustitiam, & dicit esse remunerandam omnibus suis bonis. *Isa.*3. Dicite iusto quoniam benè, retributio manuum eius fiet ei.

Epulari autem] Tangit misericordiæ dulcedinem peccatoribus exhibendam, quatuor inouens: gaudij opportunitatem, peccatoris cum iusto in hæreditate fraternitatem, & gaudij causam, & his tribus præmittit gaudij modum. Dicit igitur[Epulari autem] hoc est, dulcedine bonitatis Dei refici [&]de tanto bono ex corde [gaudere] *Rom.*2. An diuitias bonitatis, & longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? In hac enim refectio magna, hoc est, in dulcedine bonitatis diuinæ. *Psalm.*67. Præparasti in dulcedine tua pauperi Deus. Gaudium autem est in conceptione tanti boni. *Ps.*89. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. *Psalm.*93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Prouerb.*15. Secura mens quasi iuge conuiuium [oportebat] hoc est opportunum erat: quia pater gaudet de bono filij. *Genes.*46. Iam lætus moriar, ex quo te superstitem relinquo. 2.*Reg.*13. Dauid rex lugebat filium. Opportunum ergo erat patrem gaudere in bono filij[quia frater tuus]tecum pertinens ad eandem hæreditatem, cui officium fraterni affectus debebas impendere. *Hebr.*2. Non confunditur fratres eos vocare, dicens: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis. *Ioan* 20. Vade, dic fratribus meis: ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. 2.*Reg.*1. Doleo super te frater mi Ionatha, decorus nimis, & amabilis super amorem mulierum [mortuus fuerat]in peccatis à vita Dei

separatus,

feparatus. *Baruch* 3. Coinquinatus es cum mortuis, & cum his qui defcendunt in infernum [& reuixit] per pœnitentiam mortuus quatriduanus: de voluntate peccati veniens in actum, & de actu in confuetudinem, & de confuetudine in defperationem, vel obdurationem. *Ioan*. 11. Lazare veni foras. *Roman*. 6. Stipendia peccati mors[perierat] per errores. *Osee* 13. Perditio tua ex te Ifraël, tantummodò ex me auxilium tuum [& inuentus eft] ex mea mifericordia. *Iob* 33. Libera eum vt non defcendat in corruptionem. Inueni in quo ei propitier. Confuetudo eft cato eius, hoc eft, carnalitas eius: à fuppliciis teneretur ad dies adolefcentiæ fuæ, hoc eft, ad dignitatem priftinæ filiationis. Sic igitur probatum eft, quam pius eft Dominus in electorum fufceptione, quando de peccatis conuertuntur ad ipfum, per tres parabolas fe confequentes.

CAPVT XVI.

Dicebat autem & ad Difcipulos fuos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus eft apud illum, quafi diffipaffet bona illius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

HIc incipit determinate de merito electionis & reprobationis. Tangit autem hic quatuor, & oppofita eorum quatuor, in quorum primo tangit mifericordiam in pauperes effe meritum electionis, & obdurationem auaritiæ meritum effe reprobationis. Et hoc facit in cap. ifto. In fecunda autem parte tangit fidem operantem per dilectionem effe meritum electionis, & incredulitatem oppofitam effe caufam reprobationis. Et hoc facit in cap. 17. In tertia autem parte tangit perfectionem obferuationis mandatorum effe caufam electionis, & inobedientiam effe caufam reprobationis. In quarta autem parte oftendit bonum vfum commiffi doni effe caufam electionis, & malum vfum eiufdem effe caufam reprobationis. Et hæc per ordinem determinantur in quatuor cap. In ifto autem cap. duo facit. Primo enim loquitur de caufis electionis, & reprobationis fecundum mifericordiam eleemofynæ corporalis, quæ eft de bonis fortunæ. In fecunda autem loquitur de mifericordia, & obduratione in eleemofyna fpirituali, quæ eft in remiffione debiti iniuriarum: vbi determinat de vitatione fcandali, & dimiffione debiti eius qui peccauit in aliquem. In prima harum partium tangit tria, in quorum primo tangit qualiter per fuffragium pauperum quis poffit eligi: in fecundo autem qualiter per indurationem oppofitam ad pauperes aliquis merito debeat reprobati, occafionem accipiens à Pharifæis, qui hæc audiebant, & erant auari. In tertio autem parabola diuitis & Lazari oftendit hæc, ita vt dictum eft, fe habere per exemplum. In prima harum partium tangit duo, in quorum primo exemplatem inducit doctrinam de villico, qui de commiffis fibi bonis fecit in tabernaculis fe recipi: in fecundo à fimili ratione inducit, quod qui vult eligi ad regnum, fimile aliquid debet efficere de bonis fortunæ. In prima doctrina exemplari tria inducit, in quorum primo determinat de exactione rationis à villico: in fecundo tangit fagacitatem villici, reprobationem fuam præcauentis: in tertio autem inducit adaptationem huius fimilitudinis. Adhuc autem in prima harum tres funt paragraphi, in quorum primo dicit fapientiam & abundantiam villicum habentis: in fecundo diffamationem villici bona Domini diffipantis: in tertio autem exactionem rationis. De primo dicit.

Homo quidam] Defcribit autem hunc à natura, qua erat præditus. Et cum (ficut dicit *Philofophus*) Homo fit folus intellectus, fapientia ifte homo fuit præditus. *Pfalm*. 4. Signatum eft fuper nos lumen vultus tui Domine, hoc eft, lumen fapientiæ tuæ infignitum eft nobis. Et ideo homo eft rationale animal per naturam. In hoc enim creatus eft homo ad imaginem & fimilitudinem diuinam. Et ifte eft honor hominis in quo eft creatus. Hic[erat diues]Et eft defcriptio à fortuna. Hic enim fignificat eum, qui diues eft in omnes, qui inuocant illum *Rom*. 10. 2. *Paralip*. 9. Magnificatus eft rex Salomon diuitiis & gloria fuper omnes reges vniuerfæ terræ [qui habebat villicum] Defcribitur hic à miniftro. Villicus autem dicitur villæ cuftos, quia cuftodit reditus villarum ad domus procuratorem, vt domus in abundantia permaneat: & ideo græco nomine œconomus, hoc eft, difpenfator domus vocatur: & fignificat eos, quibus rerum temporalium difpenfatio eft credita. 1. *Corinth*. 4. Sic nos exiftimet homo vt miniftros Chrifti, & difpenfatores minifteriorum Dei. *Ifa*. 61. Miniftri Dei noftri dicetur vobis. *Roman*. 12. Vnufquifque ficut accepit gratiam illam in alterutrum adminiftrantes.

Et hic diffamatus eft apud eum] Ecce diffamatio. Differt autem diffamatio ab infamia: quia diffamatio eft bona fama vel mala, longè latéque difperfa. Et notatur in hoc fapientia huius patrisfamilias: quia non cito credidit contra eum, quem fidelem exiftimauit, nifi prius longè latéque à grauibus perfonis fama difpergeretur: ficut Dominus fecit de Sodomitis, qui defcendit vt videret fi opere compleuerint hoc, quod fama longè latéque clamauit de eis. Hoc enim vocatur fama clamans, longè latéque difperfa. 1 *Reg*. 2. Non eft bona res, quam ego audio de vobis. Tales enim miniftri magnorum virorum extorquere confueuerunt ab hominibus, & diffipare cum fatellitibus fuis ea quæ extorquent: & ideo fama de eis velociter currit. *Genef*. 6. Ifti funt potentes à feculo viri famofi, fupple, de mala fama [quia diffipaffet bona fua] quia & malè congregauit, homines colentes bona depauperando, & fic terra remanfit inculta: & ea quæ malè congregauit (ficut Nemroth) malè expendit, & fic bona Domini non auxit, & fic omni modo diffipauit. *Pfalm*. 136.

Dixerunt,

Dixerunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. *Isa.5.* Conqueritur ipse paterfamilias, dicens: Populum meum exactores sui spoliauerunt. Et rapina pauperum in domo vestra. Et iterum *ibidem.* Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis. Sic ergo iste est diffamatus. Et beatus paterfamilias, apud quem minister sic & de hoc potest infamati. Apud enim tyrannos nostri temporis hæc est optima fama ministri, si multos spoliet, & terratum sit vastator: dummodo Domino cuncta subiiciat: sicut minister Nabochodonosor Holofernes. *Iudith 2.* Non parcat oculus tuus vlli regno, omnemque vrbem munitam subiugabis mihi. Isti sunt Nemrothitæ, qui robusti venatores pauperum sunt coram Domino *Genes.10. Eccle.13.* Venatio leonis, onager in eremo: sic pascua diuitum sunt pauperes. Hic autem optimus paterfamilias hoc reputat bonorum suorum dissipationem. Per tales enim fit quod dicitur *Isa.14.* Ecce Dominus nudabit, hoc est, nudari permittit terram, & dissipabit eam, & affliget faciem eius, & disperget habitatores eius. Et *post pauca:* Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur.

Et vocauit] Hic commendatur paterfamilias de iustitia: quia licet fama laboraret contra eum, tamen noluit eum condemnare, nisi prius vocatum audiret. Et hoc est quod [vocauit eum] *Ioan.7.* Nunquid lex nostra aliquem condemnat, nisi prius audiat eum [Et dixit ei] obiiciens quod fama resperserat [Quid hoc] hoc est: Cum tu sis minister iustitiæ, quare contrarium [de te audio] *Sapient.6.* Cum essetis ministri regni eius, non recte iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Auditus autem iste est de clamore eorum, qui à talibus opprimuntur, siue sint villici clerici, qui sacramenta in lucrum conuertunt, siue seculares secularium ministri principum. *Iacob.5* Ecce merces operariorum vestrorum, qui messuerunt segetes vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini sabaoth introiuit, & clamat esse fraudatum coram Domino. *Eccli.35.* Non despiciet preces pupilli, neque viduam, si effuderit coram illo loquelam gemitus. Et iterum *ibidem.* Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio illius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. A talibus ergo clamoribus prouocatus Dominus dicit.

Quid hoc audio de te? Redde rationem] Duo dicit, in quibus iste diues commendatur: prudentiam scilicet in audienda ratione, & constantiam in mali ministri amotione. De primo dicit Redde rationem] hoc est, computationem ratiocinii [villicationis tuæ] *Sapient.6* Quoniam data est potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Villicatio autem ista, de qua quæritur ratio, est commissio, vel vitæ in omnibus, vel officii in quibusdam, vel potestatis in aliquibus, vel Ecclesiæ, vel curæ animarum, vel dominatus, siue cuiusque alterius nobis commissi. Hanc autem allocutionem facit nobis Deus, aliquando per inspirationem cogitationis in corde, aliquando per flagellum, aliquando per beneficium, aliquando per Doctorem extrinsecum. *Matth.18.* Simile est regnum cælorum homini regi, qui posuit rationem cum seruis suis. *Matth.12.* De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in nouissimo die. Hoc dixit Scriptura articulorum manus scribentis in pariete *Daniel.5.* Mane, Thecel, Phares Numeratum, ponderatum, diuisum. Numeratum in ratione dispensationis, ponderatum secundum pondus bonæ vel malæ intentionis, diuisum ab ipso secundum exigentiam iniquæ operationis. Ideo dicit *Matth.5.* Esto consentiens aduersario tuo dum est in via, ne forte aduersarius tradat te iudici, & iudex tortori, & in carcerem mittatis. Amen dico tibi, quod non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Sic ergo redde rationem. *Matth.18.* Redde quod debes.

Iam enim non poteris villicare] Ecce constantia. Non enim fecit sicut nostri temporis Prælati faciunt, qui partem prædationis vel extorti à ministris accipiunt, & iterum extorquere permittunt. Sed iste depositionem confirmauit, ne iterum populum torqueret. *Prouerb.6.* Zelus & furor viri non parcet, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. *Iob 41.* Non parcet enim verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Potentia ad impetrandum verba sunt, quæ sic sunt composita, quod possunt & valent inducere ad impetrandum. Iste ergo constans est, & malum deponit ministrum. *Isa.22.* Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.

Ait autem villicus intra se: Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

Hic tangitur prouidentia, in qua laudatur villicus. Non enim laudatur de iniquitate, sed de prouidentia sui: sicut sæpe bonæ proprietates inueniuntur in malis, sicut dicit *Dionysius.* Tangit autem hic septem, in quibus laudatur istius prudentia villici, quorum primum est rerum futurarum apud se pertractatio: secundum, dubiorum diligens inquisitio: tertium, periculi sui in depositione ab officio solers præuisio & quantum, sui ad alium actum, qui necessaria conquireret, nulla dispositio: quintum autem faciendorum certa diffinitio: sextum rationis vtilis ad facienda adhibitio: septimum autem, eorum quæ sic diffiniuntur efficax per opus impletio Et hæc septem per ordinem iacent in litera. De primo dicit Euangelista [Ait autem villicus intra se] apud se futura sibi conuenientia pertractans & disponens. Hoc enim Sapientis est, prius omnia apud se pertractare, & examinare. *Iob 5.* Ecce hoc, vt inuestigauimus, ita est quod auditum, mente pertracta. Sic enim pertractauit apud se quod audiuit à Domino. *Psalm.118.* In corde meo abscondi eloquia tua. *Psalm.76.* Meditabar nocte cum corde meo [Quid faciam] Ecce dubiorum inquisitio & discussio. *Iob 29.* Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Discussio enim & inuestigatio aperiunt dubia. *Dan.13.* Angustiæ sunt mihi vndique, & quid eligam ignoro [quia dominus

minus meus aufert, &c.] Ecce periculi sui solers præuisio. *Gregorius.* Minus enim iacula feriunt quæ præuidentur. Er nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per clypeum prouidentiæ præmunimur. Ideo stultus reprehenditur *Prou.* 7. Ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur. Dominus enim ius & voluntatem habet auferendi, & ipse iam conscientia dictante villicationem per malum demeruit meritum. *Isa.* 14. Non consurgat in æternum semen pessimorum. Ideo enim, quia dominantes vitam demetentur, dicitur. *Eccls.* 10. Omnis potentatus vitæ breuis. *Prou.* 27. Non habebis iugiter potestatem [fodere non valeo] Hoc dicit sui ad alium acquisitionis actum nullam videns esse dispositionem. Et de actu quidem laboris dicit [fodere non valeo] terrá in agro vel vinea. *Eccle.* 9. Nec opus, nec ratio est apud inferos, quò tu properas. *Ioan.* 9. Me oportet operari dum dies est: veniet nox, in qua nemo potest operari. *Galat.* 6. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Quia amoti à villicatione, operari & fodere non valemus [mendicare erubesco] Erubescentia enim est mendicare. Sed destituta villicatione, nemo mendicanti dabit, ex quo diues epulo à patre misericordiarum Abraham guttam aquæ obtinere non potuit *Luca* 16. *Eccli.* 40. Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas. Melius est enim mori, quam indigere. Fatuis etiam virginibus mendicantibus oleum, à consodalibus prudentibus virginibus denegatum est *Matth.* 25. Quia non in tempore congruo misericordiam petierunt. *Prou.* 20. Mendicabit æstate (futuræ serenitatis) & non dabitur ei. Sic ergo præuidet ad actus talis acquisitionis se non esse dispositum [Scio quid faciam] Ecce faciendorum certa diffinitio. Scientia enim necessariorum & certorum est acceptio. Et hoc quidem conuenit Sanctis, quando certificantur ex consilio sancti Spiritus. *Isa.* 9. Vocabitur admirabilis, consiliarius *Isa.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. *Eccli.* 31. Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit [vt cum amotus fuero] Ecce rationis vtilis ad facienda adhibitio [recipiant me in domos suas] Illi scilicet, quibus ex alieno benefecero in hunc modum. 1. *Reg.* 20. Dixit Ionathas ad Dauid: Si vixero facies mihi misericordias Domini. Sic Raguel recipiens Tobiam iuniorem in domum suam, dixit: Deus sit tecum fili mi: quia boni & optimi viri filius es tu, & facientis eleemosynas *Tob.* 6. *Eccli.* 29. Gratiam fideiussoris ne obliuiscatis. Dedit enim pro te animam suam. *Eccli.* 14. In diuisione fortis da, & accipe, & iustifica animam tuam. Fideiussor enim quidam est similia recipiendi in futurum, beneficium impensum. In diuisione enim fortis dat & accipit, qui primò dat, vt secundò ab eodem beneficium repensum accipiat.

Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede, cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu vero quantum debes: Qui ait: Centum choros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Ecce eius, quod diffiniuit, per opus impletio. Multi enim sunt qui optimè consiliantur, & non faciunt per opus. Hic autem & prudens fuit in consilio, & efficax in opere. Dicit autem hic duo: primò quidem quod vocauit debitores: secundò autem, quod rationabilitèr debita diminuit eis. De primo dicit [Conuocatis itaque] Omnes simul conuocauit: vt si vnus negare debitum vellet, hoc facere coram altero non auderet, & vt ab aliis conuinceretur [singulis debitoribus] hoc est, qui reditus annuos domino soluere de terris debebant. *Matth.* 18. Cum cœpisset rationem ponere, oblatus est vnus qui debebat decem millia talenta. *Luc.* 7. Duo debitores erant cuidam fœneratori, quorum vnus debebat denarios quingentos, alter quinquaginta. Ex omnibus enim commissis, & omissis, & contra prohibitionem perpetratis, Deo sumus debitores. Et hi Prælati, quibus commissi sumus, rationem in iudicio pœnitentiæ de nobis audiunt, & quantum onera nostra ex discretione & misericordia diminuunt, tantum sibi receptionis in æterna tabernacula construunt. Et hoc est quod intendit.

Dixit primo] hoc est, principale debitum debenti. Principale enim debitum est in mensura olei & tritici, ex quo conficitur panis verbi, & panis gratiæ, & panis sacramenti. Vnde *Matth.* 24. & *Luc.* 12. Quis putas est fidelis seruus & prudens quē constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? *Psalm.* 147. Adipe frumenti satiat te. Hoc ergo est primum debitum, quod dominus à suis requirit cultoribus [Quantum debes domino meo?] Hæc quæstio fit in confessione de peccatis & delictis. Vnde *Matth.* 6. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc enim debitum minister debet discretè requirere: & quod vltra vires est, misericorditer debet relaxare. *Isa.* 43. Narra siquid habes, vt iustificeris. *Iosue* 7. Fili mi da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris.

At ille dixit] simpliciter & verè confitens [Centum cados olei] *Beda* dicit, quod cadus græcè, est amphora latinè, continens vrnas tres. Dicit autem *Isidorus* quod vrna est mensura quam quarternam vocant, sicut nos vocamus quartale. Scias autem quod vrna propriè est vas, in quo mortuorum cineres vel busta reponuntur. Hic autem pro vsuali mensura ponitur liquidorum. Sunt autem vrnæ centum olei, mensuræ misericordiæ retentæ quæ non est expensa in familiam Domini: sicut bona Ecclesiarum retinenti, quæ sunt oleum eorum, qui eleemosynas in pauperes dederunt, & Ecclesiis committuntur: & quæ non distribuuntur sunt Domino retenta & debita. Vnde 2. *Mach.* 3. de his quæ in ærario Ecclesiæ continebantur, dicitur: Summus Sacerdos ostendit hæc esse victualia viduarum & orphanorum. Quædam vero esse Hircani Tobiæ, viri valde eminentis Sic enim est in Ecclesiarum & aliarum possessionum reditibus,

qui

qui sunt vltra sustentationem honestarum personarum, quæ per Hitcanum significantur, sunt victualia viduarum & pupillorum, & sunt oleum misericordiæ commissum Ecclesiæ. Debitor autem centum cadorum, est debitor ille, qui non soluit mandata in illis nouem perfectionibus, que Angelis attribuuntur, & vna decima, quæ est omnium reductio in Deum. Decies enim decem sunt centum. Tres autem vrnæ quæ sunt in cado, fides sunt Trinitatis. Quia sicut dicitur *Hebr.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Omnia autem hæc in misericordia debent & reddi & exigi. *Iacob.* 2. Superexaltat autem misericordia iudicium. Misericordia autem habet etiam tria. Primo quidem quod ordinata sit, & à se incipiat. *Eccle.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo: quia qui sibi nequam, cui alij poterit esse bonus? *Eccle.* 14. Secunda mensura est, vt sit ex compassione cordis. *Isa.* 58. Si effuderis quasi aquam animam tuam. *Iob* 30. Flebam quondam super eo qui afflictus fuerat, & compatiebatur anima mea pauperi. Tertia est mensura, vt sit secundum quantitatem facultatum. *Tobiæ* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum impertiri stude. Si enim ita nos habemus in bonis nobis commissis à Domino ad alios, siue sint bona spiritualia, siue temporalia: vt aliis dimittentes debita, vel donantes nobis commissa, secundum possibilitatem subueniamus: tunc etiam ipsi nobis apud Patrem cælestem subueniunt. Et hoc est quod dicit.

Dixitque illi] villicus debitori [Accipe cautionem tuam] Litera in qua cautum est de debito, cautio vocatur. Et notatur in hoc prudentia villici, qui cautione instrumenti publici debitum confirmari fecit. *Ierem.* 32. Accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecus. Talis autem liber monimenti accipitur, à discreto Prælato, vel villico, relaxatio quasi in libro recordationis diuinæ conscribitur. *Iob* 31. Librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum[& sede]hoc est, quiesce: ne de cætero debitum adaugeas. *Isa.* 52. Sede Ierusalem: solue vincula colli tui captiua filia Sion. Vincula, inquam, quibus pro debito teneris captiua. *Thren.* 3. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se supra se[Cito autem scribit]quia vehementia doloris tempus, quod perdidit, recuperat, *Psalm.* 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Lingua autem hæc est lingua deuotionis, qua ad Deum loquimur in oratione, petentes nobis quod vltra vires est debitum dimitti: dicentes illud *Matth.* 6. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Scribe autem[quinquaginta] qui est numerus iubilei, & remissionis. Et dimittit dimidium debiti: quia cognouit esse vltra vires debitoris. Sic enim debet facere discretus dispensator, quod omne onus dimittat, quod vires pœnitentium nouit excedere. Hic autem dimittit mediam partem debiti, eo quod ipse dimidiam vi clauium, & virtute consolatorij sermonis, & exhortationis, & supportationis alleuiat: cauens ne dicatur illud *Luc.* 11. & *Matth.* 23. Alligant enim onera importabilia, & imponunt ea humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Econtra de bono & prudenti dispensatore dicit 2. *Corinth.* 2. Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos, in persona Christi. *Isa.* 58. Solue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Quicquid enim est vltra vires subditorum, siue in corpore, siue in rebus, debet moderari discretus dispensator: vt per intercessionem & meritum pietaris illius quam habet in subditos, Deus etiam moderetur suum pondus eum defecerit.

Et alij dixit] qui etiam de principali debito debuit. Oleum enim misericordiæ & triticum refectionis familiæ principaliter debemus. Vinum autem spiritualis iucunditatis & lætitiæ non committitur dispensatoribus: sed vnusquisque eolit hoc, & bibit inter se & Deum [Tu vero quantum debes] Hæc quæstio est discreti dispensatoris circa subditum, vt quærat de oneribus debitorum, & alleuiet vbi potest præuia ratione: attendens semper quod dixit Iacob *Genes.* 33. Nosti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.

Qui ait: Centum choros tritici] Centum choros tritici [Centum chori sunt, de quorum centenario perfectionis iam dictum est. Dum scilicet quodlibet mandatorum perficitur in feruore charitatis, & in luce summæ veritatis, & in tranquillitate discreti iudicij cordis, & in altitudine dominalis virtutis, nusquam ad infima inclinante, & in vigore virtutis inuincibilis, & in ordinatione ecclesiasticæ potestatis, & in opere decreto à principe Deo, & secundum consilium diuinum, & secundum virtutis alicuius custodiam, secundum quod alibi diximus. Et hæc omnia referuntur ad Deum, tanquam in summum perfectorem. Hæc enim decem præcepta multiplicata faciunt centum. Sed de hoc debito soluendo frequenter non præualet humana infirmitas: & tunc moderandum est à prudenti dispensatore. Chorus autem sic dicitur *Ezech.* 45. triginta modiis vsualibus impletur. Modius autem mensura est aridorum, & variatur secundum vsum Gentium diuersarum. Triginta autem modij, fidem significant Trinitatis cum decalogo, in fidem illam ducto: vel melius, quod impleatur decalogus in quolibet præcepto fide veritatis, spe æternæ retributionis, & charitate diuini amoris. Tunc enim quilibet chorus triginta habebit mensuras. Vel, quod impleatur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta 1. *Timoth.* 1. Vel sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. *Tit.* 2. Vel ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus *Matth.* 22. De omni autem hoc debito remanet ex imperfectione humana. Et hoc est quod discretus quærit minister.

Dixitque illi] præuia discretione videns importabile pondus esse debitorum, dicentibus subditis: Pater tuus imposuit nobis onus graue: tu vero alleuia de onere nostro 3. *Reg.* 12. *Psalm.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Thren.* 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manum, de qua non potero surgere. Sic enim dicit pœnitens vltra vires oppressus. Et ideo minister de prudentia à Deo laudatus, dicit[Accipe literas tuas]hoc est, cautionis instrumentum, in quo cautum facias Dominum meum. Et hoc est promissio firma obediendi, & memoria retinendi, & explendi iniunctum. *Habac.* 2. Scribe visum, & exara

eum

eum super tabulas: vt percurrat qui legerit [& scribe] hoc est, confirma ad memoriam *Isa.* 30. Ingressus scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud [octoginta] quintam partem minuendi debiti auferendo. Hæc enim accepta habet Dominus: quia & ipse aufert quintam, reliquas quatuor in pœnitente requirens. Requirit enim in dolore voluntatis in compunctione, in veritate oris in confessione, in virtute operis in satisfactione, & in perseuerantia pœnitentiæ in continuatione. Et dimittit quintum, quod erat in inferni & purgatorij expiatione. *Luc.* 19. Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum: *Prouerb.* 6. Deprehensus reddet quadruplum. Sic enim soluitur vsque ad nouissimum quadrantem *Matth.* 5. Quintum autem solui non potest, & hoc est dimittendum. Sic prudens ministet implens hoc quod dicitor *Isa.* 58. Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos: & omne onus dirumpe. Sic conformat se Domino suo qui dicit *Matth* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum, imponendo iugum: & humilis corde, in exigendo debitum, & vos non opprimo per potentiam. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Et ideo sequitur.

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis] non quidem de iniquitate, quia in hac non erat laudabilis. 1. *Corinth.* 11. Laudo vos, in hoc non laudo [quia prudenter egisset] In hoc ergo laudatur, quia prudenter egit, & secum, & cum familia Domini: quam propter onera debitorum relinquere oportebat rura, & villas, & cultutam Domini: nisi debitum diminueretur. Tangit autem rationem laudis, dicens [quia] frequenter [filij huius seculi] hoc est, qui natiuitates suas ad secularia lucra referunt [prudentiores] hoc est, prouidentiores [sunt in generatione sua] hoc est, inter suos consortes. *Baruch* 3. Filij Agar qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est negotiatores terræ [filiis lucis] hoc est, quam filij nati ad lucem æternam. *Ephes.* 5. Vt filij lucis ambulate. Causa autem huius prudentiæ est: quia filij lucis non conuertunt industriam suam ad terrena, & ideo simplices sunt in terrenis prouidentiis. 1. *Corinth.* 6. Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Contemptibiles autem dicuntur illi, qui ad spiritualium dispensationem non sunt idonei. Nec in hoc detrahitur viris spiritualibus: quia ipsi sunt melioribus dediti: sicut nec detrahitur herodio quia de nocte non videt, cum de die videat lucem in rota solis: nec laudatur vespertilio in hoc quod noctibus videt, cum de die lucem solis non videns cadat in terram. Tamen hoc est præcipue quod Prælati nostri temporis viris spiritualibus opponunt, quod dicunt eos simplices esse ad temporalium dispensationem: non attendentes quod Dauid non erat consuetus armis Saulis, & tamen in armis simplicitatis suæ, funda Scripturæ, & lapide solidæ veritatis prostrauit eum, quem docti ad prælium, loricati, & galeati inuadere non audebant.

Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Accipit hic doctrinam iuxta inductam similitudinem [Facite vobis amicos] pauperes per eleemosynam, & subditos per debitorum subleuationem. 2. *Corinth.* 8. Ex æqualitate, in præsenti tempore, vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Abundantia in præsenti temporalium suppleat defectum pauperum. Et abundantia pauperum in futuro in regno, suppleat defectum eorum, qui nunc in præsenti diuites esse videntur. Hos ergo facite vobis amicos, quia illorum erit regnum, *Iacob.* 2. Nonne pauperes elegit Dominus, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se [de mammona iniquitatis] Mammon vt dicit *Gregorius* græcismus vocatur diuitiarum, vel dæmon cui commissum est de diuitiis tentare. Sed mammona syriaca lingua vocantur diuitiæ: quæ dicuntur [iniquitatis] non quod semper ex iniquo congregatæ sint: sed quia commissæ à Deo, sæpe sint iniquè retentæ, hoc est, inæqualiter & inæqualiter diuisæ. De hoc ergo mammona inæqualiter vobis sicut dispensatoribus commisso, sicut de bonis alienis, quæ Dei sunt, facite vobis amicos pauperes, onera eorum subleuando [vt cum defeceritis] à præsenti vita. *Psalm.* 70. Cum defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Domine [recipiant vos] sicut Domini regni. *Matth.* 5. Vera litera. Beati mendici spiritu, quia vestrum est regnum cælorum. *Luc.* 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ [in æterna tabernacula] hoc est, in æterna domicilia. *Psalm.* 84. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Num.* 24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob! tentoria tua Israel! *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis. *Isa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, in quibus Rex regum in castris cum cæli militibus gloriatur.

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est quid dabit vobis?

Hic incipit ponere rationes ad id quod docuit per doctrinam exemplarem. Ponit autem rationes à duobus comparationibus sumptas. Primò enim sumit comparationes ex ratione maioris & minoris: secundò autem ex comparatione contrarietatis. In primo horum duas facit comparationes à maiori in comparatione ad minus sumptas. Primò enim comparat modicum ad grande, & secundò comparat alienum ad proprium. Et postquam illas comparationes præmisit, de vtraque infidelitatem Pharisæorum arguit. Præmittit igitur generale primæ comparationis principium, à quo etiam suum confirmat argumentum. Est argumentatio ista logica.

Qui fidelis est in minimo] Cum census, vt dicit *Beatus Bernard.* non sit in crimine, sed affectus [& in maiori fidelis est] Hoc enim est probabile, & præsumptionem generat: quia infidelis in paruo, minus præsumit se deprehendi quam in magno, & ideo infidelitatem suam citius in hoc ostendit: & consuescens in paruo, tunc demum in magno incipit esse infidelis. Minimum autem est hoc præsens temporale quod delectat. Et ideo qui in hoc infidelis est & fraudulentus in magno, quod spirituale est, procul dubio semper erit infidelis. Nec sibi est aliqualiter confidendum: quia spirituale pro temporali commutabit, suæ consulens auaritiæ. Hoc est igitur quod dicit [qui in minimo] 1. *Corinth.6.* Temporale vocatur minimum, dicente *Apostolo:* Si in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis. Et ideo *Philip.* 3. Temporalia reputantur stercora. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem. Hæc est etiam causa, quod in petendo, hæc sunt spiritualibus adiecta. *Matth.6.* Quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Hæc etiam est causa, quod vocantur munera filiorum concubinarum. *Genes.*25. Filiis autem concubinarum largitus est munera: filio autem suo per liberam vxorem dimisit hæreditatem. Hæc etiam ideo reputantur non bona simpliciter, sed bona huius vitæ ad iniquos pertinentia. *Luc.*16. Fili recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Hinc est etiam, quod in potestate sua reputat ea satanas. *Matth.*4. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. *Ioan.*14. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sic ergo vocantur minima. Quia sicut in nullo genere est aliquid minus minimo: ita in donis Dei nihil est minus istis. Isti enim sunt quibus minimum placet pro magno, sicut dicitur *Eccli.*19. [& in maiori fidelis est]hoc est, in spirituali, quod simpliciter magnum est. Nec propriè dicitur maius temporali annexo: sed absolute est in comparatione, quia fidelis in paruo est, qui fidelis Domino in paruo in familia Domini dispensando: & ille etiam in spiritualibus dispensandis est fidelis. *Beatus Bernardus.* Fidelis profecto minister eris, si de vniuersa gloria Domini tui, etsi transeunte per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. *Matth.*25. Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Et qui in modico]Secunda comparatiò. Modicum autem vocatur hîc, quod modicum est in iure, & in valore. In iure quidem, quia alienum est, & nobis non nisi commissum. *Matth.*25. Tradidit illis bona sua, & dixit: Negotiamini dum venio. Nobis ergo commissus est vsus ad lucra, sed possessio est Domini. *Osea* 2. Hæc nesciuit quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum, & aurum multiplicaui ei, quæ fecerunt Baal. Et ideo de malè vtentibus post pauca dicit: Liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius. Modica etiam sunt in valore. Vnde *Ambrosius.* Non sunt bona homini, quæ secum portare non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. Et ideo hæc omnia modica sunt & parua. [Qui] autem [in hoc modico infidelis est] sibi illud vsurpando, & non familiæ Dei dispensando, est fraudulentus, & fur, & crudelia viscera habens. De fraudulento autem dicitur *Isa.*32. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites. Has autem concinnat, quando ea, quæ sibi dispensanda tradita sunt, in periculum vitæ pauperum sibi vsurpat. De fure, *Abdia.* Si fures introissent ad te, nonne furati essent sufficientia sibi? *Ioan.*10. Fur non venit nisi vt furetur. *Psalm.*49. Si videbas furem, currebas cum eo. De crudelitate dicitur *Ierem.*6. Crudelis est, & non miseretur. Talis igitur in isto modico infidelis est [& iniquus]hoc est, non æquus, qui sibi totum, & familiæ Domini sui nihil diuidit. *Genes.*4. Nonne si rectè offeras, malè autem diuidas peccasti? [& in maiori] hoc est, in spirituali simpliciter magno [iniquus est] dispensator: & ideo illi non debet committi dispensatio talium: quia pro certo, temporali illectus & abstractus, malè dispensabit. Vnde *Isa.*1. vbi loquitur de infidelibus & malis dispensatoribus, dicit: Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Istis præmissis generalibus principiis, concludit sub hypothesi iam certificata contra Pharisæos. Dicit.

Ergo si in iniquo mammona] hoc est, in diuitiis, quæ faciunt non æquos: & ideo sunt abiiciendæ. Nec ad veritatem vitæ pertinent. Quia cum veritas, vt dicit *Anselmus*, sit rectitudo sola mente perceptibilis: pro certo, quod iniquum est, rectum non est: & ideo veritati vitæ hominis non est consonum. Nec tamen est falsum bonum, sed est apparens, vt hic & nunc, & non bonum simpliciter in se: ergo est bona creatura. *Genes.*1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. In vsu autem cum non remaneant, non sunt vera bona, sed apparentia: & veritati vitæ non commensurata, sed per effectum in vsu sunt iniqua. *Sapient.*14 Creaturæ in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium. Si ergo in illo sic iniquo ô Pharisæi [fideles non fuistis] sed vobis illa attribuistis, fraudatis pauperibus [quod verum est]hoc est, de veritate vitæ, sicut spirituale ad vitam pertinens [quis credet vobis] hoc est, committet vobis. Hoc autem dixit Dominus: quia omnia, & legem, & intellectum legis, & traditiones, & vitam ipsam Pharisæi conuerterunt ad lucrum. Et ideo digni fuerunt reprobatione, quod repellerentur à commissione spiritualium nouæ legis. *Matth.*21. Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. *Ibidem.* malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

Et si in alieno non fuistis fideles] Alienum est, vt dicit *Beda*, quicquid seculi est, & est præter naturam: quia ad hoc non sumus nati, sed ad scientias, & virtutes. Alienum autem, maximè secundum intellectum literæ, est, quòd legem & sacramenta, quæ sua non fuerunt, & traditiones, & obseruantias vitæ & legis, in magnum onus & grauamen populi conuerterunt in instrumenta suæ auaritiæ: cum tamen hæc sua non essent sed Dei, & eis tantum commissa. Hoc enim quod ad vtilitatem populi Dominus promulgauit, ipsi in onus populi ad lucra conuerterunt. *Act.*15. Vt quid tentatis imponere eis onus, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? [Quod vestrum est] sicut labor, & opera, & sudor in spiritualibus

tualibus bonis[quis dabit vobis?] supple, dispensandum. Q. d. Nullus. Non enim essent ministri idonei. Ideo fidelis Apostolus gloriatur sibi tanquam fideli creditum esse ministerium. 1. *Cor.* 3. Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti Si autem aliquis esset ausus dicere: Omnia propter quæ dicit esse reprobandos ministros veteris testamenti: hodie in ministris noui testamenti, Episcopis, & Sacerdotibus, & Clericis inueniuntur: & per ea quæ Dominus reprobat, magis ac magis approbantur. Et ideo timendum est, ne de eis dicatur illud *Malach.* 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra.

Nemo seruus potest duobus Dominis seruire. Aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.

Hic incipit secunda comparatio de ordine seruitij ad Deum, vel ad lucrum. Et est antipophora eius responsionis occultæ, quam multi faciunt, consolantes falsè semetipsos. Volunt enim & Deo seruire, & lucris propriis, dicentes vtrunque bene posse fieri. 1. *Cor.* 7. Qui cum vxore est, cogitat quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori suæ, & diuisus est. Ita dicunt, quod partim sibi, partim Deo possint seruire, non attendentes, quod vxor debito suo sub dominio & ordinatione Domini est: & vbi vnum est propter alterum, ibi vnum est tantum. Sed hoc habet quod est vtrobique: quia in superiori sicut in ordinante, & inferiori sicut ordinato. Ita lex vxoris sub lege Domini est: & ideo vna lex tantum. Tamen ita dicebant Pharisæi, quod legem seruando, Domino seruire possent. Legem autem ad lucra conuertendo in votis, sacramentis, & pœnis, possent seruire sibi in lucris. Et ad hoc excludendum, dicit Dominus, generalem propositionem primò præmittens, & deinde probationem eiusdem sententiæ & explanationem subinferens, tertiò ex ea contra Pharisæos propositum concludens. Dicit ergo.

Nemo] Et in hac propositione innuit indiuisibilitatem seruientis, & contrarietatem dominorum, & seruitium quod impenditur. Indiuisibilitatem seruientis innuit per hoc quod dicit[Nemo] hoc est, nullus indiuisibilis homo. Quia(sicut dicit *Philosophus*)eadem est ratio hominis, & vnius tantum hominis. Vnum autem (vt idem dicit) est indiuisum in se, & diuisum ab aliis. Omnes enim vires hominis ad idem secundum ordinem imperantis & imperati referuntur. Et ideo dicitur 3. *Reg.* 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Quia ad duas partes ex æquo nullus indiuisus ire potest. *Eccles.* 2. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & peccatori terrã ingredienti duabus viis. Nulla enim linea recta ad duo puncta in eãdẽ partem terminatur. Neque aliquis bos duo iuga portat simul. Neque auis simul intendit duobus nidis, suo & alterius speciei auis Nec apis vna ducit ad duo aluearia simul. Sic ergo indiuisus non seruit duobus. *Osee* 10. Diuisũ est cor eorũ, nunc interibũt. Non ergo hoc ex indiuiso & toto homine fieri potest.

Duobus Dominis] Adiectiuum numerale suum respicit substantiuum ratione formæ, & non ratione subiecti & materiæ. Et sic duo Domini habent duo dominia. Dualitas autem, vt dicit *Pythagoras* in arithmeticis principium alteritatis est. Alteritas autem causat inconuenientiam facit distantiam, & distantia inducit contrarietatem, sicut dicit *Ptolomæus*. Ergo duo Domini sunt de contrariis dominiis. Et hoc est quod dicit *Gloss.* Duobus Dominis contraria præcipientibus. Si autem essent duo, quorum vnus esset sub altero, non essent duo Domini: sed vnus superior Dominus, & alter minister eiusdem Dominij: & illis vt vni ab vno posset seruiri. Et ideo reprobantur de quibus dicitur 4. *Reg.* 17. Erant gentes timentes Deum, & nihilominus idolis seruientes. *Sopho.* 1. Disperdam eos qui iurant in Domino, & iurant in Melchon. *Isa.* 28. Coangustatum est stratum: ita vt alter decidat. Pallium breue, vtrumque operire non potest.

Seruire] Ecce obsequium. Seruire enim est serui, qui proprius est. Et est actus per quem suam debitam, & totam ostendit subiectionem. Et hic actus duobus Dominis de duobus dominiis, exhiberi ab vno & eodem in vno tempore non potest. 1. *Cor.* 10. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Et ideo *Isa.* cum videret se esse destitutum per idololatriã & mala opera dominio Domini, dixit *Isa.* 63. Facti sumus sicut à principio, cum non dominareris nostri. Et cum iterum videret populum redire ad Dominum, dixit *Isa.* 26. Domini possederunt nos absque te: tantum in te, hoc est, in tuo dominio, recordemur nominis tui. Hanc autem propositionem probat per explanationem, inferens de affectu, & de opere. De affectu quidem dicit.

Aut enim vnum] dominorum[odio habebit] sicut diabolum, & lucrum, & mundum, & commodum proprium. Et tunc est verè ordinatus. Quia sicut dicitur *Ioan.* 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Tamen quia mammonem infra nominat, qui dæmon est, dicit *Augustinus*, quod diabolus non potest esse dilectus, quia ex semetipso inimicus est, & deprauatus, & odibilis. Et quamuis ea quæ offert aliquando diligantur: ipse tamen nihil habet, propter quod diligi possit. *Habac.* 1. Horribilis & terribilis est, ex semetipso iudicium eius. Hic etiam nihil in se habet, quo superponatur vt dominus sit. Et ideo impropriè dicitur dominus: quia in veritate est tyrannus. Neque superest alicui, sed homo submittit se diabolo absque præpositione diaboli. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum. De his super *Matth.* 6. disputatum inuenies. Iste ergo est odio habitus[& alterum diliget] Deum scilicet, quem nihil odire potest: quia Deus sonat principium dans esse, & conseruationem, & gubernationem. Principium nulla creatura odire potest, neque per naturam, neque per imaginationem, neque per intellectum. Tamen quædam Deo attribuuntur: sicut iudicem esse iniquitatum, & vltorem criminum, & huiusmodi quæ scilicet odire potest qui diligit iniquitatem. *Psalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt, hoc est, iudicium & iustitiam tuam oderunt, ascẽdit semper.

Aut vni] per opus[adhærebit] *Psalm.* 66. Adhæsit anima mea post te. 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo vnus spiritus est. Deus enim est cui adhæretur.

Diabolo autem nullos adhæret: quia odium & lis, vt dicit *Empedocles*, funt caufa feparationis, & diuifionis, & pugnæ. Quamuis ergo adhæreatur bono commutabili quod offert: tamen nullus fibi adhæret. *Genef.* 34. Sichem filio meo adhæfit anima filiæ veftræ. Hæc autem adhæfio fuit ratione fornicationis in concupifcentia carnali. Hoc eft igitur quod dicit [Et alterum contemnet] hoc eft, diabolum. *Ifa.* 37. Defpexit te, fubfannauit te, virgo filia Sion: poft te caput mouit, filia Ierufalem.

Non poteftis] Conclufio eft ex prædictis. Q.d. Ergo non poteftis [Deo feruire & mammonæ] Et fic exclufa eft ratio veftra. Huius autem dicuntur effe multæ rationes, quarum prima & potiffima eft: quia Deus de bonis ab eo collatis vult fibi feruiri difpergendo. *Pfalm.* 111. Difperfit, dedit pauperibus, iuftitia eius manet in feculum feculi. Mammona autem fibi feruiri vult colligendo. *Luc.* 12. Deftruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo fructus meos, & ea quæ nata funt mihi. *Exod.* 5. Difperfus eft populus meus ad colligendas paleas. Secunda ratio eft: quia in contrariis funt exercitia iftorum feruitiorum. Dei enim feruitium eft in exercitio virtutum. *Luc.* 1. In fanctitate & iuftitia coram ipfo. Et præmittit, feruiamos illi. *Pfalm.* 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Mammonis autem feruitium eft in exercitio vitiorum. *Luc.* 15. Adhæfit vni ciuium regionis illius, qui mifit eum in villam vt porcos pafceret, hoc eft, vitia. Tertia ratio eft: quia Dei feruitium eft in cultu Dei. Mammon autem vult idololatriam. 2. *Corinth.* 6. Quæ conuentio Chrifti ad Belial? aut quæ communicatio templo Dei cum idolis? aut quæ focietas lucis ad tenebras? aut quæ pars fidelis cum infideli? Omnia enim contraria his in cultu vult Deus. Sicut eædem probant auctoritates. *Dan.* 3. præcipit mammon: Rex Nabuchodonofor fecit ftatuam auream grandem, & præconis voce clamari fecit: Siquis non adorauerit ftatuam, mittetur in fornacem ignis ardentis. Econtra *Deut.* 12. præcipit Deus: Diffipate aras eorum, & cõfringite ftatuas. Quarta ratio eft: quia vnus ftare cum altero non poteft. Et ideo 1. *Reg.* 5. Dagon corruit coram arca Domini, truncatus manus & pedes. Quinta ratio eft: quia oculatos ante & retro miniftros exigit Dominus. *Apoc.* 4. & *Ezech.* 1. Sed mammon vult miniftris fuis erui oculos dexteros. 1. *Reg.* 11. In hoc feriam vobifcum fœdus, fi omnium veftrum eruam oculos dextros. Sexta ratio eft: quia vterque vult habere totum tempus ad feruiendum fibi. Mammon quidem ficut dicitur *Ierem.* c. 6. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Deus autem ficut dicitur *Luc.* 1. In fanctitate & iuftitia coram ipfo omnibus diebus noftris. Hæc eft ergo caufa quòd dicit: Non poteftis Deo feruire & mammonæ: quia omnia, & legem, & facramenta, & iudicia, & traditiones, & vitam retorquere ad mammonam & ad Deum eft impoffibile.

Audiebant autem omnia hæc Pharifæi qui erant auari: & deridebant illum.

Hic tangit qualiter per obdurationem cordis ad pauperes aliquis reprobatur. Et dicuntur in hac parte quinque, quorum primum vnde occafionem fumit, duritia eft Pharifæorum, & ideo reprobandorum. Secundum autem obiurgatio duritiei eorum. Tertium autem quia in lege gloriabantur, oftenfio quod gloria quam habebant in lege, fublata fit de medio. Quia autem ex hoc crederet aliquis, quod omnia naturalia tranfirent, oftendit quartò, quod lex fpiritualiter non tranfit, fed femper impletur. Quintum verò, quod maxima duritia Pharifæorum fuit in libello repudij: hanc enim legem maximè conuertebant ad lucrum: ideo loquitur in fine de illa, & oftendit qualiter Pharifæi illa lege contra mifericordiam propter lucrum abutebantur. Dicit igitur de primo.

Audiebant autem] aure exteriori [hæc omnia Pharifæi] *Ifa.* 6. Auditu audietis, & non intelligetis. Excæca cor populi huius. *Pfalm.* 134. Aures habent & non audient [qui erant auari] & ideo terrenorum appetitu obftructum habebant auditum. Auarus enim nihil audit nifi terrena. *Ifa.* 29. Erit quafi pythonis vox tua, & de humo muffitabit eloquium tuum. De auaritia autem dicitur *Eccli.* 10. Auaro enim nihil eft fceleftius. Hic enim & animam fuam venalem habet: proiecit enim in vita fua intima fua. *Prouerb.* 28. Qui coaceruat diuitias vfuris & fœnore liberali, in pauperes, hoc eft, contra pauperes, congregat: quia pauperes ex hoc deprimuntur, quia vfuris opprimuntur. Auaritia enim eft idolorum feruitus. *Ephef.* 5. Et eft radix omnium malorum cupiditas. 1. *Timoth.* 6. Et ideo fermonem Dei accipere non potuerunt. *Ioan.* 8. Sermo meus non capit in vobis. Hi ergo intus non audientes [deridebant eum] reputantes ftultitiam quod dicebatur. *Eccli.* 21. Verbum fapiens quodcunque audierit fcius, laudabit & adiiciet: audiuit luxuriofus & difplicebit illi, & proiiciet illud poft dorfum fuum. *Iob* 12. Deridetur iufti fimplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata in tempus ftatutum. *Genef.* 19. Videbatur eis quafi ludens loqui.

Et ait illis: Vos eftis qui iuftificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda veftra: quia quod hominibus altum eft, abominatio eft ante Deum.

Et ait illis] obiurgando eos. 2. *Timoth.* 4. Argue, obfecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum fanam doctrinam non fuftinebunt: fed ad fua defideria coaceruabunt fibi magiftros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent [vos eftis] Tria dicit in hac obiurgatione. Primò enim improperat fimulatam iuftitiam: fecundò autem veram in corde immunditiam: tertiò iuftitiæ humanæ coram Deo abominationem. De primo dicit [Vos eftis] illi [qui iuftificatis vos] hoc eft, iuftos vos prædicatis [coram hominibus] *Matth.* 6. Attendite ne iuftitiam veftram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Ideo *Matth.* 23. dicuntur fimiles fepulchris dealbatis. *Rom.* 10. Ignorantes Dei iuftitiam, & fuam quærentes ftatuere, iuftitiæ Dei non funt fubiecti. *Pfalm.* 52. Confufi funt qui hominibus placent: quoniam Deus fpreuit eos. Quia homines non vident nifi exteriora [Deus autem nouit

corda

corda vestra] quæ rapina plena sunt, & immunditiis. 1. *Reg.* 16. Homines vident quæ parent: Deus autem intuetur cor. *Prouerb.* 16. Spirituum ponderator est Dominus. Hæc autem displicent Deo sic visa. *Isa.* 59. Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium. Et aporiatus est [quia quod hominibus altum est] hoc est, quod reputant homines altam iustitiã, & magnam sanctitatem: quia decepti sunt frequenter: sæpe enim humanum fallitur iudicium [hoc est abominabile apud Deum] quia hoc est sicut dicitur *Matth.* 12. quod septem nequiores veniunt ad tales simulatores: & ingressi, habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. 1. *Corinth.* 3. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. *Prouerb.* 16. Abominatio est Domini omnis arrogans. *Isa.* 2. Incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus. *Prouerb.* 11. Vbi humilitas, ibi sapientia. *Iacob.* 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.

Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.

Ecce tertium. Ac si dicat: Vos gloriamini in lege, & per legis falsam sapientiam & carnalem obseruationem, putatis vos semper fore in gloria & lucro: sed sciatis, quod alius status incipit, & alij erunt ministri, & dispensatores: quia [lex] hoc est, status legis [& Prophetæ] hoc est, status prophetiæ non fuit nisi [vsque ad Ioannem] Status enim legis vsque ad Ioannem fuit, qui promissum in lege digito demonstrauit. Et ex tunc inceperunt noua legis sacra manifestari, & obseruari: sicut baptismus, qui fundamentum & ianua est sacramentorum, & alia similia. Et paulatim lex incipiebat moti, & ad tumulum deduci: donec post Christi Passionem, & Ascensionem, & Apostolorum prædicationem, lex mortifera facta fuit, & non tantum mortua. *Ierem.* 31. & *Hebr.* 9. Dabo eis testamentum nouum, non secundum testamentum quod dedi patribus eorum. *Matth.* 26. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Prophetæ etiam fuerunt post Christum, sicut Agabus, & filiæ Philippi: sed non erant Prophetæ ventura sacramenta prænuntiantes, sed ventura quædam alia: & illi non propriè Prophetæ dicuntur. Vsque ergo ad Ioannem, qui digito hæc omnia demonstrauit, cucurrit vmbra. Veniente autem veritate, vmbra cessauit. *Ioan.* 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. *Matth.* 11. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt [Ex eo] hoc est, ex Ioanne: ita quod præpositio notet ordinem temporis, & non materiam, sicut cum dicimus: Ex mane fit meridies. *Matth.* 11. Ex diebus Ioannis regnum Dei euangelizatur. Et hoc est quod dicit: Ex eo [Regnum Dei] hoc est, iustitia perfecta, quæ Deo placet, & non est coram hominibus tantum [euangelizatur] hoc est, prædicatur. *Matth.* 9. Circuibat Iesvs ciuitates & castella, docens & prædicans euangelium regni. Hoc est enim regnum, de quo sæpe diximus, iustitia Dei, de qua dicitur *Matth.* 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius [& omnis vim facit in illud] *Matth.* 11. Et violenti rapiunt illud: quia vi virtutis & gratiæ iam rapitur regnum cælorum, & non per obseruantiam Phariseorum & legis.

Et attende, quod cum dicitur lex cessare, non dicitur cessare, nisi secundum ea quæ sunt legis. Moralia autem non sunt legis, sed naturalis iustitiæ. Et ideo in ea, quæ fuerunt in obseruantiis exterioribus (quæ mores bonos prætendunt & pulchritudinem virtutis) non cessant: sicut thurificatio, & vestes Sacerdotum, & Leuitarum, & ornatus Ecclesiæ. Illa enim idem significant apud nos, quod apud illos, & significant quod semper est faciendum: & ideo semper sunt tenenda. Et quantum ad hoc dicitur religio perpetua. *Exod.* 12. & 29. & *Leuit.* 7. & 15. Sic enim verum est quod dicitur *Matth.* 5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. De violentiam autem facientibus regno, dicitur *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient. Sunt tamen, vt dicit *Beatus Bernardus*, quatuor genera bonorum, qui regnum cælorum acquirunt. Alij namque violenter rapiunt, alij mercantur, & alij furantur, & alij compelluntur ad illud. Violenter quidem rapiunt perfectione virtutis armati, in perfectione Apostolica relinquentes omnia, & cum Christo sic obtinentes: quibus dicitur *Genes.* 32. Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis: *Ose.* 12. In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus est. Mercantur autem qui datis temporalibus in præsenti pauperibus, quorum regnum Dei est, in futuro ab eisdem regnum recipiunt. *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula Furantur autem qui bona faciunt occultè, laudem humanam vitantes, solo Dei testimonio contenti. Et hi significantur per latronem pendentem à dextris. *Luc.* 23. Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Compelluntur autem qui infirmitatibus & paupertate arcentur ad regnum. *Luc.* 14. Compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.

Quartum est vbi innuit legis spiritualem intellectum: quia secundum illum necesse est legem impleri, & non transire, sed manere. *Matth.* 24. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. *Psalm.* 118 In æternum Domine permanet verbum tuum. Hæc enim nunquam transibunt. *Isa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. Sic ergo dicitur [quam de lege vnum apicem] Apex est summitas quæ literæ apponitur, magis ratione decoris, quam quod sit de substantia literæ. Et est ac si dicat, quod nec minimum quid de lege transibit. *Matth.* 13. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. *Isa.* 51. Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet.

Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

Hoc est quintum, quod maximè conuertebant in quæstum: quia semper quærebant occasiones, vt facerent diuortium per libellum repudij. Quia populus timens dabat continuò pecunias, ne vxores à viris, & matres à filiis separarentur. Et ideo hoc spiritualiter inducit de lege, vbi loquitur de auaritia Pharisæorum. Dicit autem duo: vnum quidem ex parte viri, vxorem dimittentis: aliud autem ex parte mulieris dimissæ. Ex parte quidem viri dicitur *Matth.* 19. quod propter duritiam cordis eorum, Moyses permisit eis dare libellum repudij. Et non quia iustum fuerit, sed ne peius aliquid fieret, repudium scilicet, & homicidium. Et ideo dicit [omnis] vir [qui dimittit vxorem suam] *Matth.* 5. excepta causa fornicationis [& duxerit alteram] viuente prima, cum vinculum matrimonij stat ad primam [mœchatur] hoc est, cum secunda non est matrimonium, sed adulterium. Et ideo vos qui talia promouetis, facitis homines mœchari. Et hoc improperatur eis *Malach.* 2. Replestis lacrymis altare meum: quia dimissæ vxores flebant ante Dominum. Et *Ibidem.* Contaminauit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum in Israël [Et qui dimissam duxerit] quæ præter causam fornicationis dimissa est [mœchatur] 1. *Cor.* 7. Ego dico vobis vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Hæc autem Pharisæi & Scribæ omnia in quæstum suis traditionibus peruertebant. *Isaiæ* 10. Væ qui condunt leges iniquas: & scribentes, iniustitiam scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei.

Homo quidam erat diues qui induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendidè.

Hic ostendit exemplo, quod misericordia facit hominem secundum præsentem iustitiam eligi, & quod induratio à præsenti iustitia facit hominem reprobari. Habet autem hæc historia parabolica tres partes, in quarum prima est dissimilis vita duri diuitis, & miseri pauperis: in secunda ostenditur dissimilis exitus vtriusque: & in tertia dissimilis status post mortem vtriusque. In prima harum duo facit: ostendit splendorem immisericordis diuitis secundum iactantiam diuitiarum: secundò autem ostendit abiectionem pauperis secundum abiectionem humillimæ suæ mendicitatis. Immisericordem autem diuitem describit tripliciter: à natura, à fortuna, & ab vsu vitæ. A natura quidem eum dicit [Homo quidam] Cum enim homo duo habeat in se, humum ex qua factus est, & intellectum secundum quem ad imaginem Dei factus est: iste in multis humum, & in paucis sequebatur intellectum. 1. *Corinth.* 1. Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne homines estis, & secundum hominem ambulatis? *Ioan.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. 1. *Corinth.* 15. Qualis terrenus, tales & terreni. *Isa.* 29. Erit quasi pythonis vox tua, & de humo mussitabit eloquium tuum. Python est spiritus ventriloquus, hoc est, de ventre. Intellectum autem iste sequebatur in paucis. De quo dicitur in *Psalm.* 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos. Deus enim intellectum dedit homini, & instruxit eum, perficiendo scientias, & virtutes naturales, & consuetudinales, & ciuiles in ipso: & firmat super eum oculos, hæc custodiendo, & augendo per illuminationes continuas oculorum suorum, qui luciciores sunt super solem: sicut dicitur *Eccli.* 23. Sed tamen omnibus his acceptis, auertitur homo aliquando à Deo: & tunc non sequitur intellectum, sed intellectus donis superbit: & tunc intellectus non valet. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram: quia intellectus bonus est omnibus facientibus eum. Aliis autem fit peccati aggrauatio. *Luc.* 12. Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis. *Iacob.* 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Hoc ideo dico: quia quidam Doctorum hunc dixerunt nobilibus donis intellectus esse præditum.

Hic homo [quidam] dicitur sine nomine: quia tales abutentes donis naturalibus, non sunt digni nomine: quamuis pauper nominetur. Cuius quatuor rationes solent assignari. Vna quidem quæ est in *Gloss.* Ad innuendum quod diuites apud Deum sunt ignoti. *Matth.* 7. Ego iurabo illis, quod ego nunquam noui vos. Quamuis enim illi fuerint præditi spiritualibus virtutibus: tamen quia inde superbierunt, ignoti sunt Deo. Secunda ratio est, ad innuendum quod Deus contrarius est nominatis in mundo, qui non nominat nisi fastuosos & superbos. *Eccli.* 13. Sicut abominatio superbo humilitas: sic execratio est diuiti pauper. *Luc.* 16. Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Tertia ratio est quia alti in hoc mundo nominari apud Deum non quærunt, sed in mundo. Et ideo in mundo nomen acquirentes, apud Deum perdunt. *Genes.* 11. Faciamus turrim cuius culmen pertingat vsque ad cælum, & celebremus nomen nostrum. *Psalm.* 48. Vocauerunt nomina sua in terris suis. Quarta ratio magis est propria: quia putrescit in manibus eorum in quo nominari quærunt. Et ideo vbique erunt in obliuione. *Prou.* 10. Memoria iusti cum laudibus: nomen autem impiorum putrescet. *Psalm.* 68. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. *Psalm.* 17. Vt lutum platearum delebo eos. *Iob* 18. Non celebretur nomen eius in plateis. His ergo de causis dicitur [quidam] sine nomine.

Erat diues] Describitur hic à fortuna. Fortuna autem hæc diuitiarum ad aggrauationem peccati facit, quando immisericorditer ista sibi soli retinuit. Multi enim diuites laudantur. *Genes.* 13. Erat Abraham diues valde. Sed quia recurdabatur sui nominis, quod Abraham sonat, diuitias pauperibus distribuit: quia pater multarum gentium interpretatur. Sed istæ diuitiæ retentæ, & à regno consequendo impediunt, & homines continuò per desideria ad interitum immergunt. De primo dicitur *Matth.* 19. Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam diuitem in regnum cælorum. De secundo dicitur 1. *Timoth.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, quæ mergunt

gunt hominem in interitum & perditionem. Dicitur autem iste etiam in spiritualibus diues fuisse de quibus tamen elatus superbiuit. Vel forte tales in Ecclesia significat qui de Dei donis extolluntur, & alios contemnunt, nec respicere volunt: sicut quidam eruditi, & fortè casti, & in exterioribus iusti apparentes, & aliis non compatientes, sed potiùs contemnentes. *Prouerb.* 8. Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ & iustitia. *Isa.* 33. Diuitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius. De his enim multi extolluntur, & contemnunt eos qui gemunt tanquam mendici in peccatis, & non est qui porrigat manus consolationis. Tales enim multos videmus in Ecclesia, diuites in rebus, & honestos in exteriori conuersatione: sed immisericorditer se habere ad pauperes, tam in rebus quam in spiritualibus. Quinimo cum contemptu abiiciunt eos de sua iustitia præsumentes.

Et induebatur] Ecce qualis fuit in visu & actu vitæ: & dicit duo: fulgorem vestium, & splendorem epularum. De fulgore vestium dicit [Induebatur purpura, & bysso] Bysso vestitus intus, & purpura extra. Purpura enim est tinctura de quodam ostreo conchilio (quod purpur vel murex vocatur) suppta: & est tinctura vestimenti Regum: quia fortè iste fuit regiæ dignitatis & prosapiæ. Byssus autem genus est lini candidissimi, & mundissimi, & mollissimi: & inde suas faciebat interulas, vt essent ad corpus molles, mundæ, & cădidæ: & in hoc studuit commodo carnis. Exterulas autem fecit de purpura: & in hoc studuit mundo gloriæ inanis. *Gregorius.* Si cultus subtilium pretiosarumque vestium peccatum non esset, nequaquam sermo diuinus tam vigilanter exprimeret, quod diues purpura & bysso indutus esset. *Luc.* 7. Ecce qui in pretiosa veste sunt, in deliciis & in domibus Regum sunt.

Est enim vestis reprehensibilis à quinque. Scilicet si plusquam status personæ exigat pretiosa. *Eccli.* 11. In vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui ne extollaris. *Act.* 12. Herodes indutus veste regali conciunabatur, & populus acclamabat voces Dei: & percussit eum Angelus Domini, & consumptus vermibus expirauit. Quia sicut dicitur in *Historia Ecclesiastica*, veste induebatur ex auro & argento & lapidibus pretiosis contexta, quæ receptum in se radium solis multiplicaret, & ab eo lumen quasi à Deo quodam in alios refunderet: quod non erat sui status, cum homo putridus esset. Talibus enim sumptibus multi pauperes possent sustentari: & ideo tales vestes non postulant nisi oculos videntium.

Multiplicitas etiam vestium vituperatur. Habent enim multi multiplicia secundum numerum dierum festorum, vel profestorum, nihil curantes de pauperum nuditate. *Iacob.* 5. Vestimenta vestra à tineis comesta sunt. *Iob* 24. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes quibus non est operimentum in frigore: quos imbres montium rigant, non habentes velamen. *Hiero.* Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessitatem sibi retinere comprobatur.

Curiositas etiam in vestitu reprehenditur. Multi enim magis student ad ornatum vestium, quam ad vtilitatem. Contra quos dicitur *Matth.* 6. De vestimentis quid soliciti estis? respicite lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.

De indecentia etiam vestis multi reprehenduntur, quod non portant vestes decentes suum statum & suam professionem. *Deut.* 22. Non induetur mulier veste virili, neque vir veste fœminea. Abominabilis est enim qui facit hoc. *Soph.* 1. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina.

Vituperatur etiam vestis quando non est nisi ad ostentationem. *Iacob.* 2. Si intrauerit ad vos homo in veste pretiosa, aureum habens anulum: & dixeritis illi: Tu sede hic benè. Pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede super scabellum pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? His ergo de causis vituperatur pretiosus habitus.

Mollis autem de bysso propter nimiam carnis emollitionem vituperatur. *Matth.* 11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Hoc significatum est *Ioan.* 19. Vbi milites illuserunt Christo induto vestimento purpureo. Et *Luc.* 23. vbi Herodes illusit ei induto vestimento albo. Quod per talia sæpe illuditur in se, & in suis pauperibus Christus. Quidam etiam sunt qui purpura sanguinis Christi vestiuntur in ministerio sacerdotali, vel clericali, & bysso castitatis eiusdem: & inde gloriantes contemnunt pauperes, quia non compatiuntur eis. *Exod.* 26. præcipitur, quod in veste Sacerdotis sit purpura & byssus retorta: quod Prælatus diues ista debet habere indumenta, vt per purpuram congruat Passioni, & per byssum continentiæ Christi. Sed *Cant.* 7. docetur qualiter purpura est ornatus Christi, vbi dicitur: Comæ tuæ sicut purpura regis iuncta canalibus. Canales enim concaui sunt & humore fluentes. Et ideo si decor dignitatis humilitati coniungatur & pietati: vt rigor iustitiæ temperetur pietatis humore, & altitudo dignitatis incliuetur canalis concauitate: tunc est decor regius & regalis sacerdotij. Si autem sic retineatur iustitia exterius & altitudo dignitatis, quod nec pietate temperatur, nec humilitati coniungitur: tunc est purpuratus quidem diues, sed propter impietatem in inferno sepeliendus. Similiter autem byssus continentiæ ornat quidem in veste. Si autem desit oleum misericordiæ in corde: tūc est sicut lampas vacua sine oleo in manu virginis fatuæ *Matth.* 25. Si autem & purpura & byssus ita aptentur, vt diximus: tunc ornant Christi vicarium, sicut dicitur *Prou. vltimo.* Byssus & purpura indumentum eius. Sic ergo tam corporaliter quam spiritualiter diues iste induebatur purpura & bysso.

Et epulabatur quotidie splendidè] Hoc etiam corporaliter & spiritualiter esse poterat. Corporaliter quidem tangitur in hoc voracitas. Epulæ enim sonant in delicias. *Exod.* 32. Sedit populus manducare, & bibere & surrexerunt ludere. Epulæ enim sunt quæ lautè & studiosè præparantur: & ideo faucibus decepti per sapores, & nimis & ardentius sumuntur. *Iacob.* 5. Epulati estis, & in luxuriis enutristis corda vestra. 2. *Petr.* 2. Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationis & maculæ: deliciis affluentes, in conuiuiis suis luxuriantes. Epulatio autem sonat abundantiam. Splendor autem in honorem conuiuantium, & decorem apparatus mensarum, in vasis aureis, & argenteis,

argenteis, & alio decore apparatus. Attendit enim iste quod dicitur *Eccli.* 31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum. Quod bene potest esse, quod istum sicut & alios, plus pauit in talibus epulis inanis gloria, quam refectio ciborum. Tam lauta enim plus quæruntur gratia famæ, quam gratia gulæ. Vnde Lucanus.

Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lauta gloria mensæ.

Delectatio enim gulæ quoad gustum, vix est latitudinis duorum digitorum in lingua, & faucibus. Et ideo, sicut dicit *Aristoteles Ethicorum* 3. Philoxenes Erixius pulmenti, & maximè piscium vorator existens: orabat, cum pulmentum piscium comederet, fauces eius longiores gruis fieri. Sic igitur exponitur istud de epulatione corporaliter. Sunt autem quidam etiam qui epulantur quotidie splendidè, epulatione spirituali: vel in virtutibus ciuilibus: vel etiam in virtutibus veris. Sicut filij Iob, qui faciebant conuiuia per dies, singuli in domo sua. Et cum refectio ista in vrbem transit, aliquis in suis virtutibus gloriatur, & parum pereuntibus pauperibus compatitur. Et tunc, quod ipse splendidè epulatur, non proficit: quia manum egeno & pauperi non porrigit. *Ezech.* 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, abundantia panis, & otium: & quia manum egeno & pauperi non porrigebat. Pauperes autem in hoc sensu sunt, qui virtutibus indigent: & non est qui eis compatiatur.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus: cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

Describitur hic status mendici. Describitur autem hic à septem: à fortuna primo, secundò à nomine. tertiò ab abiectione, quartò ab infirmitate, quintò ab indigentia minimorum, sextò ab auxilij destitutione, septimò à tanta etiam indignitate, quod nec canes ab eo prohibebantur. Et hæc exponuntur dupliciter: primò de mendicitate corporali, & secundò de mendicitate spirituali. De mendicitate corporali sic [Et erat quidam] inter alios notabilis indigentiæ [mendicus] Non tantum pauper: quia pauper est non sufficiens sibi, vt dicit *Augustinus*. Sed mendicus est, qui circuit per ostium omni auxilio destitutus. *Psalm.* 39. Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. Hanc autem mendicitatem Dominus in amico suo Lazaro esse voluit, vt & patientia sua exerceretur, & diues de tenacitate conuinceretur. *Prouerb.* 22. Diues & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus. Operatus est enim egenum ad patientiam, & diuitem ad misericordiam, si eleemosynam daret: sin autem non daret, operatus est eum ad condemnationem. *Prouerb.* 29. Diues, & creditor, hoc est, pauper, obuiauerunt sibi: vtriusque illuminator est Dominus. Illuminat enim pauperem ad virtutem patientiæ: creditorem autem, qui subuenit pauperi, ad opus misericordiæ in spe mercedis æternæ. Si ergo erat mendicus, sicut dicit Dominus *Ioan.* 12. Pauperes autem semper habebitis vobiscum: & cum volueritis, potestis illis benefacere. Et sic mittitur pauper ad meritum diuitis, & diues ad misericordiam pauperis.

Nomine Lazarus] Ecce describitur à nomine: cuius nomen nouit Dominus propter quinque. Quia scilicet sunt noti apud eum pauperes, quia ipsos elegit. *Iacob.* 2. Nunne Deus elegit pauperes, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Secunda autem ratio est: quia paupertatem diligit, & humilitatem approbat. *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex: quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et ideo sicut nominati sunt principes regni coram rege: ita sunt pauperes nominati coram rege suo. *Num.* 16. Proceres Synagogæ, & qui statuto tempore ex nomine vocabantur. Tertia ratio est: quia nomina nulla habent in terris: & ideo in cælis habere nomina merentur hi, qui propter Deum sunt pauperes. *Isa.* 56. Dabo eis in domo mea locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non præteribit. Quarta ratio est: quia apud Deum sunt gratiæ singularis. *Exod.* 33. Inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine. Quinta ratio est: quia in cælis, & non in terra, omnia merita per quæ nominandi sunt scripserunt. *Apoc.* 3. Scribam super eum nomen nouum, & nomen ciuitatis nouæ Ierusalem. In signum huius Deus mutauit nomen Iacob, qui luctator interpretatur: & vocauit eum Israël, hoc est, rectissimum. *Genes.* 32. Sic ergo [erat quidam mendicus] non nisi vnus & vnicus, qui & vni & vnico non dedit, nunquam ad plures misericordia motus fuisset. *Psalm.* 24. Vnicus & pauper sum ego: vide humilitatem meam & laborem meum. Mendicus autem est, qui mendicando clamat ad ostia vt excitet pietatem. Si enim taceret, vel plures essent, non esset adeo damnabilis diuitis impietas. *Eccli.* 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum illi. 1. *Ioan.* 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo est charitas Patris in eo? Sic ergo erat quidam mendicus [nomine Lazarus] Nec puto quod à Christo inter tot pauperes nominaretur, nisi specialis paupertatis & miseriæ notæ fuisset apud homines, & specialis meriti apud Deum. *Eccli.* 4. Clamorem vel rogationem contribulati ne despexeris.

Qui iacebat ad ianuam eius] Exaggerat hic paupertatem ab abiectione & destitutione. Abiectus enim non habens gerentem vel gestatorem, iacebat similis illi de quo dicitur *Ioan.* 5. Domine non habeo hominem, qui cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. Et sic iste iacebat, cui impotenti omnes alij pauperes eleemosynas præripiebant. Iacebat, qui apud diuersorum ostia victum quærere non valebat. Iacebat, qui se ad accipiendum quod offerebatur, erigere non valebat. *Psalm.* 87. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, hoc est, in infirmitatibus [ad ianuam] vt transeuntes prouocaret ad misericordiam. In ianua enim diuitis, frequens erat transitus amicorum diuitis. *Thren.* 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. *Chrysostomus* autem alias causas, quare iacebat ad ianuam, assignat super hunc locum, sic dicens:

dicens: Iacebat ante ianuam diuitis lazarus, vt crudelitatem diuitis in suo corpore demonstraret. Iacebat ante ianuam, vt diues dicere non posset, Non vidi: in angulo fuit, aspicere non potui. Iacebat ante ianuam, vt diues eum videret exiens & reuerteus, O quam dissimilis iste diues Beato Iob fuit, qui dixit *Iob*.31. Foris non mansit peregrinus, ostium viatori patuit. Quam dissimilis fuit Beato Patriarchæ Abrahæ. *Genes*.18. Abraham stetit in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei, & vidit tres viros descendentes per viam, & cucurrit in faciem suam, & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis vestris, ne pertranseatis seruum vestrum. Quam dissimilis Lucæ & Cleophæ *Luc*.24. qui coegerunt peregrinum, dicentes: Mane nobiscum quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. *Gregor*. autem sic dicit: In vna re duo iudicia Dei explentur, scilicet, ex visione pauperis, diuitis non miserentis cumulus damnationis infertur. Et rursus: Ex visione diuitis tentatus quotidie pauper probatur. Quem ad ipsius probationem, paupertas simul & visa diuitis copia, & nulla adhibita sibi consolatio, fortiter affligunt. Et ideo multa erant istius conflatoria, quæ sicut in camino aurum eum conflabunt. *Sap*.3. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & sicut holocausta hostiam accepit eos. Sic ergo iacebat ad ianuam eius.

Vlceribus plenus] Vlcera sunt infirmitas omnium oculis exposita, & quæ intuentes mouent ad pietatem: & ideo magis mouere deberent ad misericordiam. Vnde *Eccli*.4. Ne transuertas oculos tuos ab vllo paupere. *Tob*.4. Ne auertas faciem tuam ab vllo paupere. *Prouerb*.12. Viscera impiorum crudelia. Viscera ergo nimis crudelia sunt, quæ ad vlceratum non mouentur. *Iob* 2. Egressus satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Et ita iacebat & iste. *Isa*.1. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Item *ibidem*: Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. Auribus enim diuitis obturatis nihil esset vox vnius oris clamantis. Vnde Dominus, ad aperiendum cor eius, multa vulnera sicut multa ora aperuit: vt quot essent vulnera, tot essent ora clamantia. Vnde Salomon *Prouerb*.21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Sic ergo iacebat vlceribus plenus. Vlcera autem triplicem ingerunt, infirmitatem. Tumorem enim habent contra corporis compositionem: generationem autem saniei, quæ semper cum calore febrili est, habent contra corporis complexionem: & contra complexionis æqualitatem, & immunditiam fluxus saniei & abominationem. Et hæc omnia non poterant mouere diuitem ad pietatem. Vnde *Gloss. Gregor*. Si qua reprehensibilia videmus in pauperibus, non debemus despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis curat. *Eccli*.4. Animam esurientem ne despexeris, & ne exasperes pauperem in inopia sua.

Cupiens saturari de micis] Ecce quod desiderium pauperis in minimis & inutilibus auaro, compleri non poterat. Et in hoc duritia diuitis aggrauatur. Si enim petisset delicias, fortè non immerito non exaudiuisset: quia non decent pauperem deliciæ. Vnde *Augustinus de verbis Domini in monte*. Non cogantur diuites pauperum cibis vti: vtantur consuetudine infirmitatis suæ, & doleant se aliter non posse: quia si consuetudinem mutant, ægrotant. Edant delicata, dent pauperibus superflua. Edant pretiosa, dent pauperibus vilia. Et quidem pauperum sunt reliquiæ, non deliciæ: non oblectamenta, sed fragmenta. Hæc autem fragmenta tamen sunt de delicatis cibis qui supersunt. Sed deliciæ pauperibus ex studio non præparantur: quia malum esset eis consuescere vti delicatis: cum ex hoc magis torquerentur, quando habere non possent. Aliquando tamen delicata exhibenda sunt: sicut dicitur *Nehem*.8. Comedite pinguia, & bibite mulsum: & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi. Partes autem pinguium & mulsi sunt delicata. Ista autem delicata non petiuit, sed miculas. *Iob* 22. Aquam lasso non dedisti, esurienti subtraxisti panem. Econtra dicit *Iob* 31. Si negaui pauperibus quod volebant, & oculos viduæ expectare feci. Nec petebat miculas remanentes, sed [quæ cadebant de mensa diuitis] quæ non nisi canibus proiiciebantur, & ad alium vsum non erant. *Matth*.15. Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Et nemo illi dabat] nec Dominus, nec famulus: quia qualis erat Dominus, tales sibi quæsiuit ministros. *Eccli*.10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. *Chrysostomus*. Infelix, si Dei præcepta non consideras: saltem miseræ conditionis tuæ memorare ne talis fias. *Iob* 5. Visitans speciem tuam, non peccabis. Omnes ergo ministros iste habuit impios [Sed & canes veniebant] Istud est vltimum. Quia nec dignus habitus est in conspectu diuitis, à quo canes prohiberentur. Et in hoc notatur nimia duritia & inhumana, hominem videre canibus expositum, & canes ab eo non prohibere. Est autem prouerbium quoddam diuitum, quando maledicunt pauperibus: Optant eos tradi canibus deuorandos. Vnde sicut impiissima Iezabel canibus deuorata est 4. *Reg*.9. Comedent canes carnes Iezabel, & erunt carnes eius sicut stercus super faciem terræ. Reputant enim pauperes omni vituperio dignos, & ad modum stercoris conculcandos. Hæc igitur, vt puto, est expositio literalis. Ex diuina autem dispensatione conuersum est hoc in lenimentum pauperis, & diuiti in cumulum damnationis. Lingua enim canum medicinalis est in sanitatem, & mundat vulnera à putredine. Et ideo canes benefici fuerunt misero, cui diues subtraxit beneficium. Adhuc autem pauper liberalior fuit canibus diuitis, cibans eos suo humore & cruore, cui diues auarus negauit cibum canum: miculæ enim cadentes, cibus sunt canum. *Matth*.15. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Adhuc autem patientiam & humilitatem ostendit pauper, à se canes diuitis non repellendo: indignationem autem diues ad pauperem, non prohibendo canes ab ipso. Et sic mirabili modo in vno & eodem facto, & probatur virtus pauperis: & diuiti acquiritur cumulus damnationis. Et hoc est quod addit.

Et lingebant vlcera eius] Puto enim canes fortè feroces venisse ad pauperem: sed ad mansuetudinem fuisse conuersos, cum ad pauperem venissent merito pauperis: sicut & leones ad Danielem

se

se habuerunt *Daniel* 14. Hoc autem etiam spiritualiter verum est. Si enim diues, est virtute exterioti diues, & glorians in diuitiis, & durus & immisericors in peccatores:consequens est vt pauper sit peccator pœnitens, paupertatem suam recognoscens. *Thren.*3.Ego vir videns paupertatem meam in virga indigoationis eius. Hic nomine Lazarus est:quia Lazarus,adiutus vel auxiliatus à Domino, interpretatur: qoia solum Deum habet adiutorem talis pauper. *Psalm.* 9. Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Hic sæpe iacet ad ianuam misericordiæ, diuitis consilium & auxilium animæ requirens:& maximè ad ianuas clericorum & literatorum, petentes iacent pœnitentes, dicentes illud *Matth.* 25. Date nobis de oleo vestro: quoniam lampades nostræ extinguuntur. Sicut Eliseus 4. *Reg.*4 iussit oleum mitti in omnia vasa vacua:quod est opus misericordiæ in desolatos transfundi. Iacet autem vlceribus plenus, hoc est, ostensione peccatorum. Vulnus enim apparens in cute, est vlcus detectum. *Prou.*28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Hic cupit saturari de micis, quæ cadebant de mensa. Q. d. Hoc est,de paruis, quæ parua sunt diuiti in scientia,verbis diuinis, & sacramentis, quibus ad pœnitentiam nutriatur. Et nemo illi dabat. *Thren.* 4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Cum tamen illi epulentur in deliciis verbi Dei splendidè. *Ierem.*31. Inebriabo animas Sacerdotum pinguedine:& populus meus abundabit bonis.

Et dare debebat ad minus micas sex pauperibus, scilicet, compassionis. 2. *Corinth.* 11. Quis infirmatur & ego non infirmor? Secundam congratulationis in aduentu & deuotione pauperum. *Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Tertiam, verbum piæ consolationis, aut consilij, aut sustentationis. *Iob* 29. Cum sederem quasi rex: etam tamen mœrentium consolator. Et iterum. Oculus fui cæco, & pes claudo. *Eccli.*18 Nõne ardore refrigerabit ros?sic verbum melius quam datum. Quartam micam porrigere deberet, verbum instructionis, siue doctrinæ. *Mar vltimo.* Docete omnes Gentes. Quintam, exemplum bonæ conuersationis. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Sextam deberet porrigere micam corporalis sustentationis & supportationis.*Galat. vltimo.* Alter alterius onera portate. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Sed heu hodie nemo illi dabat. *Amos* 6. Optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph, hoc est, pauperum. Dicũt enim diuites Prælati illud *Eccli.*11. Inueni mihi requiẽ nunc mãducabo de bonis meis solus.

Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius] Hoc istis temporibus verificatum est. Canes enim venatici, Ordines sunt prædicantium, qui non expectant domi, sed veniunt ad pauperes, & lingunt vlcera peccatorum suorum, habentes in ore lattatum prædicationis. *Tit.* 2. Hæc loquere, & exhortare. Et hos ideo suscitauit Deus: quia antiqui canes Prælati sunt, de quibus dicitur *Isa.* 56. Speculatores eius cæci omnes, canes muti non valentes lattare, Canes impudentissimi, nescientes saturitatem. Habent etiam isti canes boni in dentibus morsum increpationis & redargutionis. 2. *Timoth.*4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Habent nihilominus in lingua medicamentum sanitatis. *Eccli.*36. Est lingua curationis, & mitigationis, & misericordiæ. *Prouerb.* 12. Lingua sapientum sanitas. *Psalm.* 67. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. *Eccle.* 9. Melior est canis viuus leone mortuo. Canis enim viuus est bonus Prædicator,gratiam habens latratus in prædicatione, redargutionis in dentre, & medicationis in consilio linguæ. Leo autem mortuus, Prælatus austerus, ab operibus Prælati & regiminis mortuus. *Eccli.* 4. Noli esse quasi leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. Hæc igitur sic satis aptè spiritualiter exponuntur.

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

Hic tangitur vtriusque,diuitis & pauperis, dissimilis ab hac vita exitus:& primo tangitur exitus pauperis, & secundò diuitis. Dicit autem tria circa exitum pauperis:mortis qualitatem,Angelorum in deferendo animam administrationem, & receptaculi beatitudinem. Mortis autem qualitas notatur in hoc quod dicit[Factum est autem]dispositione diuina prouidente,& miseriis suis finem imponente. *Apoc.*14. Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Felix enim mors est, quam Dominus dispensando facit,Tunc enim dicit pauper:Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est,& nos liberati sumus. *Psalm.*123.[vt moreretur]*Sap.*3. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace [mendicus] vt nunquam plus sit mendicus, nec vnquam aliquo indigeat. *Tobiæ* 12. Bonis omnibus per eum repleti sumus. Deo igitur vocante pauperem ad gloriam, factum est vt moreretur mendicus.

Et portaretur] sublevatus meritis & Angelorum comitatu[ab Angelis] Non quidem quod indigeret, qui propriis subuehebatur mentis: sed Angeli congratulationem in comitatu ostendebant,quam simpliciter & rectè consiliis eorum & custodiis operam viuus dedisset. *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi:*Psalm.*90.In manibus portabunt te,ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Baruch* 5. Exierunt à compedibus suis ducti ab inimicis. Adducet autem illos Dominus ad se portatos in honorem sicut filios regum. *Isa.*66. Ad vbera portabimini,& super genua blandientur vobis.

In sinum Abrahæ] *Hieronymus.* Sinus Abrahæ est requies beatorum pauperum. Hæc autem ante Passionem & Ascensionem fuit in limbo inferni, hoc est, in ora inferni superius iuxta infernum:in quo antiqui iusti Patriarchæ & Prophetæ spe felici aduentum Domini expectabant. Hic ideo sinus vocatur:quia capacitatem habuit animas continentem & occultationem. Abrahæ autem vocatur: quia Abraham prima via fuit credendi iustitiam Dei, & primus de requie illa habuit promissiones. *Matth.*8 Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob

Iacob in regno cælorum. Iste igitur fuit finus Abrahæ. Modo autem post ianuæ cæleftis apertionem, finus Abrahæ eft regnum cælorum, in quo beati collocantur in manfionibus ibi à Chrifto paratis: ficut ipfe dicit *Ioan.* 14. Vado parare vobis locum. Si autem abiero,& præparauero vobis locum: iterum veniã,&affumã vos ad meipfum. Et hoc etiam dicitur finus ratione capacitatis, & abfcofionis. De capacitate quidem dicitur *Baruch* 3. O Ifraël, quam magna eft domus Domini, & ingens locus poffeffionis eius! *Ioan.* 14. In domo Patris mei manfiones multæ funt. De occultatione autem dicitur in *Pfalm.* 30. Abfcondes eos in abfcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Et iterum. Protege eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Ifte ergo, rationibus dictis, finus Abrahæ vocatur requies beatorum pauperum, qui omnibus per affectum derelictis folum petierunt Deum, dicentes illud *Pfalm.* 72. Quid enim mihi eft in cælo, & à te quid volui fuper terram? Et illud *Pfalm.* 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Hæc funt tabernacula, in quæ recipiunt beati pauperes poft mortem fuos amicos: ficut in antehabitis dictum eft.

Contra primam partem huius determinationis videtur effe quod dicitur *Iob* 17. In tenebris ftraui lectulum meum. Et illud *Ibidem.* In profundiffimum infernum defcendent omnia mea. Putafne faltem ibi erit requies mihi? Sed dicendum, quod limbus patrum erat in tenebris quoad hoc, quod vifionem Dei non habebant: tamen aliquid lucis habuerunt gratiæ interioris propter felicem fidem & fpem, qua Redemptorem expectauerunt. Ad aliud dicit *Grego.* quod infernus dicitur aer, in quo habitant tentatores. Inferior autem terra, in qua tentati & afflicti habitant homines. Profundiffimus autem infernus, eft locus pœnarum cum omnibus fuis limbis: tam cum limbo patrum, quam cum limbo puerorum, & purgatorij. Omnia enim hæc tria loca funt loca pœnarum, fcilicet, aer dæmonum, terra tentatorum hominum, & infernus locus pœnarum animarum. Sic igitur conftat hoc, & pro veritate habendum eft quod dictum eft de finu Abrahæ.

Moraliter autem loquendo eft multiplex finus diaboli, paratus contra finum Abrahæ, & Dei. Eft enim finus voluptatis in carne. Eft finus cupiditatis in fraudulenta acceptione. Eft finus vanitatis in falfa gloriatione. Eft finus impœnitentiæ in peccatorum abfconfione. Eft finus negligentiæ in Prælatorum diffimulatione, & correctione. Eft finus malæ confcientiæ in pœnarum pro peccatis receptione. De finu voluptatis dicitur *Prou.* 5. Quare feduceris fili mi ab aliena, & foueris in finu alterius. Aliena eft quæcunque amatur, præter fapientiam quæ fponfa noftra eft: & hæc eft voluptas carnis, in cuius finu, hoc eft, occulto blandimento multi fouentur. De finu cupiditatis dicitur *Prou.* 17. Munera de finu ipfius accipit, vt peruertat femitas iudicij. De finu vanitatis dicitur *Ezech.* 43. In finu eius erat cubitus, & diffinitio eius vfque ad labium. Cubitus eft menfura brachij, per quod opera intelliguntur. Quæ quidem femper in finu meditantur, & diffiniunt per iactantiam labiorum. Hoc etiam eft quod dicitur *Exod.* 4. Cum mififfet Moyfes manum fuam (per quam opera fignificantur) in finum, protulit eam leprofam ad inftar niuis. Quia lepra inficit opus, quod iactantia maculauit. De finu impœnitentiæ dicitur *Iob* 31. Si abfcondi quafi homo peccata mea, & celaui in finu meo iniquitatem meam. Iuramentum eft execrationis, Q.d. Malè mihi accidat. De finu vero negligentiæ Prælatorum dicitur 3. *Reg.* 3. Tulit filium meum de latere meo, & pofuit in finu fuo: fuum autem filium, qui erat mortuus, collocauit in finu meo ancillæ tuæ dormientis. Sic enim de finibus negligentium Prælatorum, viui filij per iniquam mulierem carnis concupifcentiam furripiuntur, & mortui redduntur. De finu autem malæ confcientiæ recipientis pro meritis dicitur *Ifa.* 65. Remetiar opus eorum in finum eorum. E contrario autem etiam confcientia bonorum pro meritis recipiens, finus vocatur. *Luc.* 6. Menfuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in finum veftrum. Primo ergo dicto modo finu portatus eft Lazarus in finum Abrahæ, vbi requies tunc fuit beatorum pauperum.

Mortuus eft autem & diues, & fepultus eft in inferno.

Tria dicit circa mortem diuitis: mortem, obfequium funeris, & receptaculum animæ. De morte dicit [Mortuus eft autem & diues] Et non dicit [Factum eft autem] quia ficut dicitur *Sap.* 1. Deus mortem non fecit: impij autem manibus & verbis accerfierunt illam. Sed ipfe diues mortem fuam malis meritis effecit. *Pfalm.* 54. Viri fanguinum & dolofi non dimidiabunt dies fuos. Ad exaggerationem autem miferiæ dicitur [diues] quia ille affuetus erat in deliciis: & ideo magis in tormentis torquebatur. Erat autem verè mortuus: quia nihil vitæ habuit, fed in toto feparatus à vita fuit. Perfectè enim mortuus eft, qui triplici morte mortuus fuit, gratiæ, & naturæ, & pœnæ. Et ideo dicitur *Apoc.* 8. Væ, væ, væ habitantibus in terra, hoc eft, defixis in terrenis. Diues autem in extrema erat indigentia. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil fecum auferet: aperiet oculos fuos, & nihil inueniet. *Pfalm.* 75. Dormierunt fomnium fuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus fuis. Et ideo cum talem penuriam pati non confueuerint, multo plus aliis torquentur. Vnde *Boetius.* Extremum genus infelicitatis eft in mifero, aliquando fuiffe felicem.

Et fepultus eft] Ecce exequiatum officium à dæmonibus presbyteris impenfum. In hoc enim præcipuè verum eft quod dicitur *Matth.* 8. Sine mortuos fepelire mortuos fuos. Mortuus enim eft dæmon presbyter morte gratiæ, & mortuus eft diues morte gratiæ, & naturæ, & gloriæ: & ideo dæmon fepeliuit diuitem. *Ifa.* 14. Non habebit confortium cum regibus, neque in fepultura. *Ierem.* 22. Sepultura afini fepelietur, hoc eft, iofenfati, & fine fenfu viuentis. Tale ergo obfequium fuit fui funeris.

Et fepultus eft in inferno] Ecce animæ receptaculum in inferno. Non enim dictum fuit ei quod dictum fuit Abrahæ Patriarchæ, & quod dicunt Religiofi diuitibus ad fe venientibus, & apud fe eligentibus fepulturam: In electis fepulchris noftris fepeli mortuum tuum. *Genef.* 23. Sed in inferno fepultus eft. *Ifa.* 14. Detracta eft ad inferos fu-

perbia

perbia tua, concidit cadauer tuum. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferni nouissima descendunt. Ibi ergo sepultus est. Aliam autem expositionem prosequendo: tunc mendicus est pœnitens pauper. Et factum est vt ille moreretur, aliquando per casum peccati, & merito humilitatis portaretur ab Angelis ministris paradisi, hoc est, bonis Sacerdotibus & Prædicatoribus nuntiis Dei, in sinum quietis Ecclesiæ, qui est sinus gratiæ Abrahæ. Isti sunt Angeli qui descendunt & ascendunt in scala Iacob *Genes* 28. Ascendunt, animas portantes in sinum. Descendunt autem, animabus reportantes gratiæ donum à Deo. *Num.* 23. Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Mortuus est autem & diues, hoc est, Prælatus diues in scientiis, & in merito suæ immisericordiæ, quam habuit in peccatores, sepultus est in inferno, hoc est, in vitiorum profundo. *Psalm.* 33. Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum, delinquent. *Isa.* 14. Ad infernum detraheris in profundum laci. Ideo dicitur 1. *Corinth.* 10. Qui se existimat stare, videat ne cadat.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

Hic tangitur diuersus status vtriusque post mortem. Et status diuitis tangitur expressè, status autem pauperis innuitur. Hæc autem pars diuiditur in duas partes, in quarum prima exprimitur misericordia diuitis, quam habuit per se: in secunda autem innuitur status diuitis, quem habuit pro fratribus suis, & in culpa sociis. In prima harum dicit quatuor, scilicet, locum tormentorum diuitis, & visam gloriam pauperis, clamorem angustiæ diuitis, & petitionem paruæ & non obtentæ consolationis. De primo horum dicit duo: eleuationem oculorum diuitis, & locum quem habuit in tormentis. Dicit igitur [Eleuans autem oculos] quia oculos, quos ante culpa clausit, pœna aperuit, vt dicit *Gregor. Iob* 27. Aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Sic Adæ & Euæ oculi eleuati & aperti sunt per pœnam, sicut dicitur *Genes.* 3. Aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt se esse nudos. Miserabile autem est quod iam sic oculos apertos habuit & eleuatos, qui pauperem de loco mensæ suæ ante ianuam iacentem videre non potuit [cum esset in tormentis] hoc est, in loco tormentorum deorsum longè in infimum suppositus pauperi, qui ante in loco throni residens noluit recordari in imo iacentis miseri. In hoc enim verum est quod dicitur *Prouerb.* 29. Superbum sequitur humilitas: humilem autem spiritu suscipiet gloria *Prouerb.* 14. Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum. Et est miserabilis permutatio non solum loci infimi in altum, & alti in imum: sed etiam deliciatum in tormentum, & tormentorum in epulas deliciarum. *Isa.* 65. Serui mei comedent, & vos esurietis: serui mei bibent, & vos sitietis: serui mei lætabuntur, & vos confundemini: serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.

Vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius] tria dicit, quod scilicet vidit, quod longè positos vidit, & quos vidit. De primo notandum, quod vt dicit *Gregor.* Credendum est, quod ante remunerationem iudicij extremi: mali bonos conspiciunt in gloria ad suæ damnationis cumulum. Sed mali bonos in gloria videre non poterunt post iudicium extremum. Sed tunc fiet quod dicitur *Isa.* 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Sed boni malos in pœnis, & ante iudicium, & post videbunt. *Isa.* 66. de bonis dicitur: Egredientur (passibus considerationis) & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omnis carnis, hoc est, visionis electorum, quorum gaudium ex hoc intenditur, quia iustitiam Dei vident præualere. *Psalm.* 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatorum. Vidit autem [à longè] loco & meriti distantia: quia dicit *Psalm.* 118. Longè à peccatoribus salus. Et *Prouerb.* 15. Longè est Dominus ab impiis. Vidit ergo [Abraham, & Lazarum in sinu eius] Hos duos specialiter ad suæ vidit cumulum damnationis: vnum quidem, comparatione cuius condemnatus est: alterum autem, quem contempsit. Abraham enim hospitalis fuit, cuius comparatione condemnatus est. Vnde *Hebr.* 13. Hospitalitatis nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Illorum autem vnus fuit Abraham, cuius hospitalitatem approbauit Deus, per hoc quod misit ad eum Angelos in specie hospitum. Alius autem Lazarus fuit, quem contempsit, & merito illius immisericordiæ condemnatus fuit. Et ideo hos duos vidit. *Isa.* 26. Videant & confundantur zelantes populi: & ignis hostes tuos deuoret. Vidit autem Lazarum in sinu Abrahæ fotum: vt idem haberet operis in requie, quod habuit in merito: quia meritum suum cum viueret fuit fouere pauperes: & de eodem beatificabatur in requie. *Isa.* 40. In sinu suo leuabit agnos mites & pauperes, fœtas ipse portabit.

Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Et ipse clamans, dixit] Ecce clamore angustiam animi sui ostendit. *Baruch* 3. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te. Sed accidit ei quod dicitur *Prouerb.* 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: & ipse clamabit, & non exaudietur. *Thren.* 3. Cum clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam. Ratio autem huius redditur *Ioan.* 9. Scimus quia peccatores non audit Deus. Et ideo etiam ipse clamor irrationabilis fuit. 2. *Machab.* 9. Orabat autem scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus [Pater Abraham] Ecce petitio minimi suffragij, quod diues non meretur consequi. Et ideo hic dicuntur duo, scilicet, formatio indiscretæ petitionis, & eiusdem petiti denegatio. Formatio autem petitionis continet tria. Ex parte quidem eius à quo petit, ponit inclinantia ad misericordiam: deinde ponit misericordiæ inuocationem: & deinde subiungit petitionis rationem. De primo dicit [Pater Abraham] Monet enim recordari affectus patris, qui dixit *Isa.* 49. Nunquid potest obliuisci

mater

mater infantem suum vt non misereatur filij ventri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. *Isa.*63. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, & multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? super me continuerunt se. Abraham autem pro malis intercessit. *Genes.*18. quando pro Sodomitis rogauit: & misericordiam inuenisset si decem bonos in quinque ciuitatibus inuenisset. Sic ergo dicit: Pater Abraham. Sed heu patrem Abraham, cuius paternitatem dum viueret recognoscere noluit: & ideo dicitur ei illud *Ioan* 8. Si Abraham pater vester est, opera Abrahæ facite. Tu immitis & inhospitalis in pauperes fuisti, hoc Abraham non fecit[miserere mei] Misericordiam inuocat qui noluit misereri. Dicit autem hic duo: misericordiæ inuocationem, & petiti formationem de misericordiæ quidem petitione dicit [miserere mei] *Iacob.*2. Iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam. *Matth.*18. Nonne & te oportuit misereri conserui tui: sicut & ego tui misertus sum. Et iussit eum mitti in carcerem, donec redderet vniuersum debitum. Sic ergo fit quod dicitur *Hebr.*12. Scitote quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.

Et mitte Lazarum] In hac petiti formatione tangit quatuor, scilicet, quem voluit habere misericordiæ ministrum, quantum petiuit suffragium, quale, & ad quid. Primum tangitur, cum dicit [mitte Lazarum] In quo mutatur istius mendici charitas, à quo etiam is, qui eum offendit misericordiam denegando, præsumit inuenire misericordiam. Sciuit enim eum esse vnum de illis, qui audiuit de Christo *Matth.*5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Et illud *Rom.*12. Nulli malum pro malo reddentes, sed econtrario benedicentes. Fuit tamen ista præsumptuosa diuite petitio: vt hunc pater Abraham mitteret, quem ipse diues petentem & indigentem in nullo fuit consolatus. Sic igitur dicit: Mitte Lazarum.

Vt intingat extremum digiti sui in aquam] Ecce quantum petit, non plusquam ad extremum digiti potuit adhærere. Quod quidem valde esset exiguum. Extremum autem digiti aliquid est munerum & consolationis Spiritus sancti: quia Spiritus sanctus est Dei digitus. Vnde *Luc.*11. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. *Exod.*8. Digitus Dei est hic. Vnde digitus Lazari non dicitur hic digitus, qui pars est manus Lazari; sed potius qui iuuit Lazarum. Diues enim bene vidit, quod digitus Lazari nullus ibi fuit: & sciuit, quod talis corporalis digitus contra flammam inferni nihil conferebat. Vnde petiuit adiutorium gratiæ Spiritus sancti. Hic enim digitus tres habet iuncturas: vnam quidem gratiam iustificantem, aliam autem gratiam adiuuantem, & tertiam gratiam consummantem, quam iste libenter habuisset: non inquantum quidem gratia est, quia obstinatus erat in malo, & de gratia non curauit: sed inquantum liberat à pœnis, à quibus libenter fuisset liberatus. Et hoc est quod dicit: Vt intingat extremum digiti [in aquam] gratiæ Spiritus sancti. *Ezech.*36. Effundam super vos aquam mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum nouum. Hoc est igitur quod petit. Extremum digiti parum capit, & ideo paruo contentus fuisset refrigerio. Quia tamen paruum etiam Lazaro negauit, scilicet, micam cadentem: ideo hoc ipsum paruum accipere indignus fuit. *Luc.*6. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Attende autem inconuenientem esse petitionem diuitis, qui non petiuit se mitti ad Lazarum: quia ex obstinatione de regno non curauit: sed potius Lazarum ad se mitti, vt eum cui durus fuerat in vita, etiam nunc à regno in infernum deponeret, de folio sublimi in sentinæ imum deduceret, & de loco sanctæ quietis in locum tormentorum. Et hoc considerat hic *Petrus Rauennas in quadam Homilia.* Congruentiam autem pœnæ ad peccatum tangit per hoc quod dicit.

Vt refrigeret linguam meam] Non quod diuitis anima ibi linguam habeter, sed quia vis interpretatiua & gustatiua operantur in lingua dum viuit homo, & manent in anima postea quam moritur. Secundum illas animæ vires fortius siue acerbius cruciabatur: quia & epulo fuit, & in epulis ad loquacitatem laxari consueuit. Et maximè, quia pauperis per dulce verbum saltem memor non fuit. *Sapient.*11. Per quæ peccat quis, per hæc & cruciatur. *Prouerb.*18. Qui dat pauperi, non indigebit. Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam [quia crucior in hac flamma] Causa est suæ petitionis. Huius flammæ materia peccatum est, quod homo faciendo, flammam istam succendit. Sententia autem Dei ignem inextinguibilem inficit. *Isa.*50. Ambulate in flammis, quas succendistis vobis. Flammis dicitur, propter multitudinem peccatorum. *Deuter.*32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, hoc est, terrenum affectum in peccatoribus: & montium, hoc est superborum fundamenta combutet.

Et dixit illi Abraham: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.

Irrationabilis petitionis ponitur hic rationabilis denegatio. Et dicuntur hic duo. Primò enim ponitur ratio, quare non concedenda est petitio: secundò ostenditur ad consequendum aliquid misericordiæ libertantis impossibilitas. In horum primo duo dicuntur: recommemoratio status diuitis, & pauperis in vita: secundo autem respondens vtrique retributio congrua. In primo tangit statum diuitis. in secundo statum pauperis. In primo horum dicit tria, scilicet, recognitionem dignitatis naturæ, rememorationem culpæ pristinæ, & receptionem debitam vitæ. De primo dicit.

Fili] in quo imaginem meam recognosco. *Psalm.*38. Veruntamen in imagine pertransit homo. Notatur etiam in hoc mirabilis patris Abrahæ benignitas, qui istum sic deformatum, filium vocare non dedignatur. Tamen fuit filius alienatus, qui mentitus fuit patri, & claudicauit à semitis suis: tamen propter naturam bonam, filium recognoscit. In hac enim alienus Deus partem non habuit. *Malach.*2. Nonne vnus est pater omnium nostrum [recordare] hoc est, pristinæ vitæ tuæ reminiscere. *Isa.*38. Recogitabo tibi omnes annos meos

meos in amaritudine animæ meæ. Ex hoc autem quod Abraham hunc vocat filium, patet eum Iudæum fuisse. Ex hoc etiam vocat filium, vt grauiter doleat in se amisisse clementiam. Pristinam autem vitam reducit ad memoriam: vt ex hoc magis doleat se aliquando fuisse felicem qui tunc tantæ subiacebat infelicitati. Miserabile autem valde est quod dicit, quia [recepisti bona in vita tua] quod duos habet sensus. Vnum quidem, quia & si bona aliqua in vita diues fecit, hæc remuneratione temporali recepit. Sicut in *Ezech.* dicitur, quod Nabuchodonosor qui imperium Domini perfecit in Tyro, in remunerationem accepit Ægyptum *Ezech.* 29. Alius sensus est, quod recepit in vita à patre Abraham bona, quæ reputabat sola bona & beatitudinem suam, hoc est, fructum temporalium. Iste enim fuit vnus eorum de quibus dicitur in *Psalm.* 143. Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua: filiæ eorum compositæ circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Et ideo in his bona sua recepit, partem in hæreditate æterna nullam habens.

Et Lazarus similiter mala] Sub duobus sensibus oppositis. Quia si Lazarus aliqua parua mala ex impatientia paupertatis & infirmitatis fecit, hoc in pœna temporali purgauit. *Sapient.* 3. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & sicut holocausti hostiam accepit illos, & inuenit eos dignos se. Vel dicitur [mala] quæ vitæ huic annexa sunt cepit Lazarus in vita. *Sapient.* 3. In paucis vexati, in multis bene disponentur. Hæc sunt duplicia, de quibus dicitur *Isa.* 11. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Adiicit respondens vtrique præmium, & stipendia meritorum. De paupere quidem [Nunc vero] in statu post mortem [hic pauper] Lazarus [consolatur] à me. 2. *Corinth.* 4. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur. *Isa.* 66. Ecce ego ipse consolabor vos, dicit Dominus: & in Ierusalem consolabimini: videbitis, & gaudebit cor vestrum [Tu vero] iusta recipiens malorum meritorum stipendia. *Rom.* 6. Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna [cruciaris] in flamma & pœnis infernalibus *Prou.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Ista mutatio statuum significatur *Genes.* 48. vbi Iacob dexteram posuit super iuniorem filium, qui erat ad sinistram: & sinistram super maiorem, qui erat ad dexteram: quia maiores in hoc mundo in dextera prosperitatis stantes, in futura vita ad sinistram pœnarum æternarum transferuntur: & iuniores in hoc mundo pauperes ad sinistram aduersitatis stantes, frequenter benedictionem dexteræ in æternis bonis accipiunt in futuro.

Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possunt, neque in huc transmeare.

Tangit hîc consolationis impetrandæ impossibilitatem. Tangit autem tria; causam confirmationis, naturalem Sanctorum ad compatiendum inclinationem, & miscendi impossibilitatem. De primo dicit [In his omnibus] Q. d. Quid valet longa tua petitio, & mea negatio? Quia in his omnibus consolationibus pauperis, & tuis, & damnatorum cruciatibus [firmatum est] sententia Dei iudicis [magnum chaos] hoc est, vorago hians [inter nos & vos] & in gaudiis & cruciatibus existentes. Hoc autem chaos immeabile, est sententia obstinationis in malis, & sententia confirmationis in bonis. *Exod.* 8. Scias quia ego Dominus quia ponam diuisionem inter populum meum, & populum tuum. Hoc significatum est 2. *Reg.* 5. vbi dicitur, quod habitauit Dauid in arce, & vocauit eam, Ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello & intrinsecus. Mello autem erat fossatum & vorago, distinguens ciuitatem Ierusalem ab exterioribus. Hæc ergo vorago significat chaos, quod firmatum est inter beatos & damnatos, habens vnum latus sententiæ diuinæ confirmationem, & aliud, exigentiam meritorum: sic

Vt hi] secundum est, in quo tangit, quod etiamsi sancti ex inclinatione naturæ, quæ perfectissima est in eis [qui volunt transire] vltra chaos compassionis affectu: quia sicut dicitur *Eccli.* 44. sunt viri misericordiæ [ad vos] damnatos iuuandos [non possunt] propter congratulationem iustitiæ cui adhærent. Est enim in eis inclinatio naturæ sine sensu passionis, & conuertit hanc obligatio voluntatis ad lætitiam vincentem iniquitatem. *Psalm* 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. *Genes.* 14. Benedictus Abraham Deo excelso, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt [neque inde huc] per voluntatem beatitudinis [transmeare] valeant damnati. Quia sicut dicitur *Ezech.* 32. Adeo sigillatæ sunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quod ita habent obstinatam in malo voluntatem, quod quamuis vellent esse sine pœnis: tamen in gloria nollent esse cum Deo iudice, & Sanctis, quod essent sine iniquitatis voluntate. *Psalm.* 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. *Apoc.* 16. Blasphemauerunt homines nomen Dei habentis potestatem super has plagas, & non egerunt pœnitentiam vt Deo darent gloriam.

Et ait: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Ecce secunda pro carnalibus sollicitudo diuitis. Et diuiditur in quatuor paragraphos petitionis diuitis, & negationis Abrahæ: qui successiuè in litera ponuntur. In primo sunt duo. Primò enim petit Lazari missionem, secundò adiungit petitionis rationem. Dicit ergo [Rogo ergo] Q. d. Ex quo dicis chaos esse inter mortuos damnatos

&

& beatos:quod non est inter viuos malos,& damnatos,& beatos[ergo rogo te pater]qui in affectu patris tuos diligis. *Sap.* 11. Diligis omnia quæ sunt,& nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiã [vt mittas eum]ad vitam reuocando [in domum] hoc est, in familiam[patris mei]carnalis [habeo enim quinque fratres]Vnde dicit *Bernardus.* Seruatur diuiti & cognitio pauperis quem despexit,& memoria fratrum quos illicitè amauit : vt de visa gloria pauperis quem despexit , & de pœna carnaliter amatorum amplius torqueatur.

Sed huic videtur esse contrarium quod dicitur *Iob* 14. Siue nobiles fuerint filij eius,siue ignobiles, non intelliget. Attamen caro eius dum viuet, dolebit , & anima illius super semetipso lugebit. Ergo damnati non intelligent aliquid de his quæ sunt hic. Et hoc quidem expressè dicit *Gregorius super eundem locum.* Ad hoc dicendum,quod fortè speciale fuit in diuite quod de fratribus cogitauit propter exemplum. Aliter dicunt quidam,quod fratres per accidens in mundo adhuc viuere cognouit, scilicet,quia non vidit eos in inferno. Sed ista solutio debilis est. Et ideo prima melior est.Et concordat dictis Sanctorum.Et hoc est quod dicit.

Vt testetur] resurgentis miraculo [illis , ne & ipsi veniant] post mortem damnati [in locum hunc]locum vbi est terra tenebrarum & miseriæ: vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat *Iob* 10.[tormentorum] *Prou.* 19. Parata sunt derisoribus tormenta,& mallei percutientes stultorum corporibus.

Sed hoc contrarium videtur , quod damnati sunt inuidi & malæ ad inuicem voluntatis , & conformem cum diabolo habent voluntatem : & ideo (sicut diabolus) omnes homines vellent esse damnatos. Ad hoc dicunt quidam , quod diues per istam petitionem , aliam obtinere conabatur. Putabat enim tam dilectum esse Lazarum, quod non amplius à gloria ad miseriam huius vitæ mitteretur:& tam misericordem patrem,vt vicorum erratui compateretur. Et ideo suspicabatur se esse mittendum , & sic à pœnis absoluendum. Sed mentita est iniquitas sibi : quia propter suos fratres non erat inueniendus specialis modus vocationis ad pœnitentiam. Potest etiam dici, quod sibi timuit in fratribus , vt in præsentia eorum, malus carnalis suus affectus amplius torqueretur: sicut *Ambros.* dicit, quod ignoratur pœna Atrij, quia nescitur quot sunt errore eius subuertendi. Et hoc est probabilius, & dictis Sanctorum concordans. Socij enim sui & fratres in culpa , futuri erunt socij sui in pœna. *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis , & proijcientur in lacum. *Matth.* 13. Colligite zizania per fasciculos ad comburendum. Dicit autem optimè locum [tormentorum] quia ibi omnia concurrunt tormenta. *Iob* 24. Ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium. Innuitur etiam in hoc, diuitem damnatum nihil habere gratiæ in voluntate, quia non timet nisi tormenta timore seruili : in quo (dicit *Beda*) viuit peccandi voluntas , & sequeretur opus , si speraretur impunitas. Non enim dicit , vt testetur illis ne peccent, vel vt pœniteant : sed vt ad tormenta non veniant. Et verificatur quod dicitur *Isa.* 5.& *Isa* 9. In omnibus his non est auersus furor eius , & populus non est reuersus ad percutientem se.

Et ait illi Abraham : habent Moysen, & prophetas : audiant illos.

Ecce Secundus paragraphus de responsione Abrahæ [Habent Moysen , & prophetas] Moysen quidem in obseruantia operum mandatorum. Prophetas autem in illuminatione credendorum & promissorum [audiant illos] quia hæc ad conuersionem sufficiunt. Et ideo de Moyse dicitur *Eccli.* 24. Legem mandauit nobis Moyses in præceptis iustitiarum. De Prophetis autem dicitur *Eccli.* 36. Da mercedem Domine sustinentibus te , vt Prophetæ tui fideles inueniantur.Hæc est etiam causa , quod *Matth.* 18. vbi claritatem futuræ beatitudinis ostendit , cum Domino apparuerũt Moyses & Elias:vt lex & prophetia testificarẽtur euangelicæ de futura vita promissioni.Sic igitur dicit Abraham. Sic Christus *Ioan.* 5. Scrutamini Scripturas , quia ipsæ sunt in quibus vos putatis vitam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me : & non vultis venire ad me vt vitam habeatis.

At ille dixit : Non, pater Abraham: sed siquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

Tertius paragraphus de stultitia diuitis , qui Abrahæ verbum nititur infirmare : & ideo incipit à negatione , dicens [Non pater Abraham] *Iob* 40. Nunquid irritum facies iudicium meum , & condemnabis me , vt tu iustificeris? Potius cum Dauid humiliter dicere debuit illud *Psalm.* 50. Iustificeris in sermonibus tuis , & vincas cum iudicaris. In hac autem contradictione fortiter ingeminat patrem Abraham. De meritis enim propriis diffidens ad gremium patris misericordiæ libenter se conuerteret: & fastus quidem cordis sui humilitatem propriã recognoscere non sinit: vt diceret illud *Luc.* 15. quod filius prodigus dixit : Pater peccaui in cælum & coram te : iam non sum dignus vocari filius tuus [Sed siquis ex mortuis] resurgens [ierit] vocando ad pœnitentiam [ad eos] quia resoluti delicijs , nullum requirunt qui viam doceat pœnitendi. Et in hoc quia accusantur, & exaggeratur malitia eorum: ideo non metentur quod aliquid fiat pro eis , sed quidem irati animus iudicis ad deteriora prouocetur. Et maximè, quia etiam is qui displicet, intercedere præsumit. Et [pœnitentiam agent] Et hoc quidem non est probabile : quia dicitur *Isa.* 8. Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem ? pro viuis à mortuis? Ad legem magis,& ad testimonium. Et hoc est quod sequitur

Ait autem illi : Si Moysen & Prophetas non audiunt , neque siquis ex mortuis resurrexerit , credent.

Ait autem illi]scilicet,Abraham. Et est quartus paragraphus , in quo ratio diuitis excluditur per sapientiam iusti patris [Si Moysen & Prophetas non audiunt] quorum testimonia tot signis confirmata sunt. *Hebr.* 2. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum : ab eis qui audierunt, in nos confirmata est , contestante

Deo signis & portentis, & variis virtutibus [Neque si quis ex mortuis resurgeret, credent] Et hoc ostenderunt, quia Domino resurgenti non crediderunt. Et sicut dicitur *Hebr.* 11. Multæ mulieres de resurrectione acceperunt mortuos suos: nec tamen propter hoc Iudæi crediderunt. Similiter autem *Ioan.* 11. Surrexit Lazarus, & ex hoc ad deteriora prouocati sunt. *Ioan.* 12. Cogitauerunt Principes Sacerdotum vt & Lazarum interficerent: quia propter illum multi abibant post ipsum. Narrat etiam Nicodemus in Euangelio suo, quod filij Simeonis, & multi alij surgentes ex mortuis, testimonium Christo perhibuerunt: & tamen in incredulitate Iudæi manserunt. *Matth.* 27. Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt: & ingressa in ciuitatem sanctam visa sunt à multis. Nec aliquid ad fidem Iudæorum profecerunt: quia erat eis verificatum quod dixit *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Huius autem tota causa fuit: quia gloriam mundi ad humilitatem fidei commutare noluerunt: sicut nec diues dum viueret. *Ioan.* 5. Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis? & gloriam quæ a solo Deo est, non vultis. Hoc est ergo quod dicit.

CAPVT XVII.

Et ait ad Discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala: væ autem illi per quem veniunt.

Hic incipit capitulum septimumdecimum secundum concordantias: tamen quantum ad sententiam istud est adhuc de præcedenti parte. Quia hic agitur de misericordia spirituali, per quam aliquis meretur electionem quantum ad iustitiam præsentem. Habet autem duas partes: vnam quidem de vitatione scandali: quia crudelis est, qui scandalum ponit & offendiculum proximo: & miseri cors est, qui vitando scandalum ædificat proximum. In secunda autem agit de misericordia eius qui remittit in se peccanti. In priori harum partium dicit tria. Primò enim dicit, quod necesse est vt veniant scandala, vt probentur illi qui sunt electi. Secundò tangit maledictionem eorum qui scandala suscitant. Tertiò autem ostendit periculum eorum qui scandala faciunt. Dicit igitur.

Et ad Discipulos suos] quorum maximè est cauere de scandalo [ait] *Matth.* 18. Videte ne scandalizetis vnum de pusillis istis. Prælatorum enim maximè est scandala vitare. Istis ergo dixit 1. *Corinth.* 8. Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Dicit igitur illis [Impossibile est vt non veniant scandala] Sicut dicitur 1. *Corinth.* 11. Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt, manifesti fiant in vobis: ita impossibile est vt scandala non veniant, tot malis existentibus in mondo, qui obicem ponunt in via rectè ambulanti. Scandalon enim græcè, latinè sonat pedis impactio. Est tamen æquiuocum ad tria scandalum: pro obice ad quem impingitur, & pro ipsa pedis impactione, & pro casu, qui prouenit ex impactione. Vnde versus,

Scandalon æquiuocum est, obex, impactio, casus.

Quamuis autem impossibile sit non venire scandala, sicut dicit *Psalm.* 139. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi Et iterum *Psalm.* 56. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Tamen maledictus est qui facit scandalū actiuum. Et hoc est quod sequitur [Væ autem illi per quem veniunt] supple, scandala.

Attendendum est autem quod est scandalum actiuum, & scandalum passiuum. Scandalum actiuum est duplex, scilicet, quando aliquid agitur, per quod directè aliquis causam sumit per dictum, vel per factum mortaliter peccandi: sicut cum aliquis peruersè docet, & alius doctrinam eius imitatur: vel cum peruersè agit, & alius ad exemplum eius cadit in peccatum. Et de primo horum dicitur *Isa.* 9. Propheta docens mendacium, ipse est cauda. *Ierem.* 5. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Et hoc scandalum est causa ruinæ. Scandalum autem quod fit per factum minus rectum, est, de quo dicitur *Isa.* 3. Ruit enim vir ad virum, vnusquisque ad proximum suum. Ruere autem est scandalizari: sicut iam dictum est. Secundo modo dicitur scandalum actiuum, vti libertate conscientiæ in his quæ non sunt peccata, sed tamen in peccats possunt interpretari: & ideo interpretantes in peccatum, in eisdem occasionem ruinæ accipiunt: sicut fuit in primitiua Ecclesia, quando firmi & fortes in fide habebant conscientiam, quod idolum non haberet numen aliquod: & ideo cibus ei immolatus non esset execratus, sed esset sicut priùs, & ideo manducabant illum cibum sicut alium. Quando autem hoc publicè fecerunt coram infirmis, qui credebant quod idolum nomen haberet, statim infirmi acceperunt occasionem ruinæ, & ad exemplum illorum, comederunt sacrificata idolis ad honorem idolorum, & efficiebantur idololatræ. Et hoc est quod dicit *Apostolus* 1. *Corinth.* 8. Quidam ex conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia eorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Et *ibidem*. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus conturbatur, vel scandalizatur. Simile scandalum inueniunt clerici, vel præcipuè religiosi, qui ea quæ non sunt eis prohibita, & tamen à laicis in malam libertatem sunt interpretabilia, faciunt coram laicis: quia laici ex hoc ad malas inducuntur libertates. Et hoc est quod infirma & scandalizata anima conqueritur *Cantic.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 1. *Corinth.* 8. Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum, hoc est, contra Christum peccatis. Hoc igitur est scandalum actiuum.

Scandalum autem passiuum est quod efficitur ab illo, & hoc est triplex. Aliquando enim infirmus ex dicto vel facto alterius conturbatur: & sic impingit ne hilariter vadat in via recta, *Psalm.*

Pſalm.76. Turbatus ſum, & non ſum locutus. Hæc autem conturbatio poteſt eſſe, quia audit vel videt hoc, quod directè eſt contra legem Dei: & hæc conturbario eſt bona. Aliquando autem turbatur, quia aodit, vel videt qnod putat contra legem Dei eſſe, cum tameu non ſit: ſed ex conſuetudine tali & malo intellectu ſic iodicat: ſicut Phariſæi ſcandalizabantur de verbis Domini. Et tunc dicitur, quod veritas doctrinæ in doctore, & veritas iudicij in iudice, & veritas vitæ in quolibet homine non eſt dimittenda pro ſcandalo alicuius: ſicut nec Dominus dimiſit. Vnde verſus.

Iuſtitiæ, vita, doctrina, ſcandala cedunt.

Vel ſic.

Scandala non vitent Doctor, iudex, bene viuens. Aliquando autem ſcandalum paſſiuum procedit vltra conturbationem, vſque ad eius quod vidit, vel audiuit inuitationem: & ſic eſt ruina ſiue caſus in mortale peccatum. Tamen peruerſi accipiunt aliquando occaſionem offenſionis, vel caſus ex bonis factis, & ſic Iudæi offenderunt in Chriſtum vt caderent: & tunc eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo. Sed homo tunc ſcandalizat ſeipſum: ſicut dicitur *Luc.2.* Ecce poſitus eſt hic in ruinam. Et *Iſa.28.* Ponam in fundamentis Sion lapidem pretioſum, probatum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non feſtinet. Et idem eſt *Iſa.8.* Sic igitur tenendum eſt de ſcandalo.

Vtilius eſt illi ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis. Attendite vobis.

Ecce tertium quod facit ad peccati exaggerationem. Dicit igitur, quod [Vtilius] Abuſio eſt in comparatiuo, hoc eſt, minus inutile eſt illi [ſi lapis molaris] Ad literã, qui grauis eſt, & impetu magno deſcendit. Vnde *Apoc.18.* Tulit Angelus lapidem magnum molarem, & dimiſit eum in mare, & dixit: Hoc impetu ſubmergetur Babylon in profundum [ponatur circa collum eius] Ad literam *Marc.9.* Bonum erat illi ſi ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius [& proiiciatur] ad ſubmergendum [in mare] Hoc autem ſecundum antiquas leges non fiebat niſi patricidis, & illis qui in nefandis criminibus ſunt deprehenſi. Vnde per hæc fit huius peccati exaggeratio [quam vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis] Hoc eſt, de infirmis in fide: quis infirmorum eſt ſcandalazari. Vtilius enim eſt cum confuſione mortem corporalem ſubire ſecundum corpus, quam mortem æternam. Hoc autem intelligitur de eo qui ponit ſcandalum actiuum, directè inducens ad ruinam peccati Ideo dicitur *Matth.8.* Si oculus tuus ſcandslizat te, erue eum, & proiice abs te. Super *Matthæum* autem plura de hac materia dicta ſunt, & ibi requirantur [Attendite vobis] Ex quo tanta miſericordia moueri debetis ad ſubditos: ergo attendite vobis magna ſolicitudine, ne ſcandalizetis ſubiectos: quia illi ſunt infirmi, & de leui poſſunt ſcandalizari. *Rom.14.* Infirmum autem in fide aſſumite, & non in diſceptstionibus cogitationum: quia diſceptatio cogitationum frequenter inducit ſcandalum. Licita enim quæ non ſunt de veritate vitæ, & doctrinæ, & iudicij, dimittenda ſunt propter ſcandalum: ſicut Dominus ſoluit didrachma, dicens Petro: Ne ſcandalizemus eos, vade ad mare: & primum piſcem, qui aſcenderit ad hamum, tolle: & in ore eius inuenies ſtaterem, & ſolue pro me, & pro te *Matth.17.* Alia autem, quæ de veritate doctrinæ erant, non dimiſit propter ſcandalum: ſicut *Matth.15.* dixit: Non quod in os intrat, coinquinat animam: ſed quæ de ore procedunt, furta, adulteria, & huiuſmodi: hæc ſunt quæ inquinant animam. Et cum Diſcipuli dicerent: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? Reſpondit. Sinite eos: cæci ſunt & duces cæcorum. Ergo [Attendite vobis] *Act.20.* Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus rectores, & epiſcopos. *Deuter.4.* Attende tibi ſolicitè.

Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.

Si peccauerit in te frater tuus] Q. d. Cauete à ſcandalo: quin etiam dimittite peccantibus in vos, ne conturbentur, vel ſcandalizentur. Dicit autem hic tria, ſcilicet, quod peccans, fraterna charitate corripiatur, quod pœnitenti indulgeatur, & quod ſeptuagies ſepties peccanti & pœnitenti dimittatur. De primo dicit duo, ſcilicet, quis corripiendus, & qualiter. Quis autem corripiendus, dicit quod frater peccans [frater] enim corripi poteſt. Is autem qui non frater eſt, qui extra Eccleſiam eſt & infidelis, corripi non poteſt. *1.Corinth.5.* Quid mihi de his, qui foris ſunt iudicare? Q. d. Nihil. *Exod 2.* Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper me [frater] ergo cui charitate, fide, & ſpe coniungimur, cuius debemus habere curam & ſolicitudinem, ſicut de commembro eiuſdem corporis nobiſcum, ille eſt corripiendus. *1.Theſſ.5.* Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes [peccauerit] quia non niſi peccato debetur correptio, & non naturæ fratris. Vnde peccatum eſt cauſa correptionis. *1.Timoth.5.* Peccantem coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant. Et intelligitur de peccato publico, quod coram omnibus fit. *Pſalm.49.* Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Sic igitur habetur, quis & quare ſit corripiendus. Et exinde patet quod falſum dicunt, qui dicunt quod pro peccato futuro eſt corripiendus, ne fiat: quia ſic quilibet etiam non peccans deberet corripi, ne in futurum peccaret: & ſic nunquam ceſſaretur à correptione, quod falſum eſt. Et ideo falſa eſt huiuſmodi determinatio [in te] peccat qui te offendit. Et hæc eſt vera diffinitio peccati, quod fit in nos. Offendit autem in te dupliciter, ſcilicet, malum inferendo, ſicut damnum honoris, vel rerum, vel etiam pœnam infligendo. Et hoc dicitur verè in te peccare: quia ſic tu aliquid iuſtæ querelæ habes aduerſus eum. Et ſic præcipitur ei vt placet te, vel ſacrificium ſuum à Deo non recipitur. *Matth.5.* Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi

ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo : & tunc veniens, offeres munus tuum. Et sic dicitur tibi, quod remittas petenti, & pœnitentiam agenti : quia aliter non esset correptus. Secundò autem peccat in te spiritualiter, qui peccato suo scandalizat te. Et hoc est quod dicit *Augustinus*. Si peccauerit in te, hoc est, te sciente peccatum suum. 1. *Corinth*.8. Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. *Gen*.42. In me hæc omnia mala reciderunt. Sic igitur vtroque istorum modorum si peccauerit in te frater [tuus] pro eo qui tecum in Ecclesia, vel in vno Capitulo, vel vna Religione : sicut diximus.

Increpa illum] hic tangit de correptione. Sunt autem duæ correptiones : vna quidem authoritatis : altera vero charitatis. Illa quæ est auctoritatis, illa est cum solemnitate & seueritate iudicij : & hæc est solius Prælati, nec alius tenetur ad illam. Illa autem quæ est charitatis fraternæ, fundatur super hoc quod dicitur *Exod*.23. Si videris bouem odientis te errantem in via, non præteribis, sed reduces eum. Et aliam dat legem. Si videris aliquem iacentem sub onere, vel asinum eius, non præteribis, sed subleuabis eum cum illo. Cum enim maiorem curam debeam habere de salute, quam de boue & asino, magis debeo facere vt subleuetor, & reducatur anima ipsius. Adhuc præcipitur eleemosyna corporalis, & multo magis eleemosyna spiritualis. Maxima autem eleemosynarum est reductio errantis in viam mandatorum : & ideo quilibet tenetur ad hanc correptionem, nec aliquis excipitur ab hac admonitione fraterna, nisi qui excipitur à charitate fratris. Et ideo non est verum quod dixerunt antiqui, in quodam versu comprehendentes casus, in quibus aliquis ad correctionem fraternam non tenetur.

Versus.

Non spes, non testes, Præsul scit, plebs, monachus sum.

Hoc enim verum est, quod si non sit spes correctionis suæ, quod tunc non teneor corrigere. Hoc autem non est verum, si non habeo testes, quod non teneat eum corrigere: quia adhuc debeo eum monere inter me & ipsum solum. Adhuc autem si Præsul vel Prælatus suus scit peccatum vt iudex: tunc verum est, quod non teneor eum corrigere. Si autem scit vt homo tantum: tunc non absoluor debito correctionis fraternæ. Adhuc autem, etsi plebs sciat, & nescit per denuntiationem Prælati, non absoluor à correctionis debito. Si autem plebs scit per denuntiationem iudicis, tunc sum absolutus : quia tunc correctio non solum fraterna, sed etiam auctoritatis adhibita est. Quod autem dicunt, monachus sum, hoc est, quod monachus melioribus est intentus, & ideo à correctione sit absolutus : hoc est simpliciter falsum : quia nullum opus ita placet Deo, sicut fraterna reductio quæ ex charitate procedit: & ideo ab illa nullus absoluitur.

t Huius autem correctionis *Matth*. 18. ponuntur tres gradus. Primus est amoris, secundus timoris, & tertius confusionis. Primus est, cum inter te & ipsum solum conuenitur proximus ex sola charitate de hoc quod fecit. *Galat*.6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis: considerans teipsum ne & tu tenteris. *Eccli*. 19. Corripe amicum tuum, ne fortè non intellexerit, & dicat : non feci : aut si fecerit, ne iterum addat facere. Et hoc est quod dicitur *Matth*. 18. Corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Secundus gradus est cum timore conuictionis. Et hoc fit quando adhibentur duo vel tres, qui sciunt peccatum illius: quia alij testes non valerent. Vnde *Augustinus*. Si te non audierit, adhibendi sunt alij, per quos conuincendus est si negauerit. *Leuit*.19. Nō oderis fratrem tuum in corde tuo: sed publicè argue illum, vt non habeas super illo peccatum. Publicè autem vocatur hic, coram testibus adhibitis. Tertius gradus qui cum confusione est, quando cum pudore reuocatur. Et hoc fit, quando dicitur Ecclesiæ, & refertur ad iudicium : quod si non audit, vitatur sicut Ethnicus & Publicanus. *Tit*.3. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, proprio iudicio condemnatus. 1. *Timoth*. 5. Peccantes coram omnibus argue ; vt & cæteri timorem habeant. Isti ergo sunt gradus fraternæ correctionis.

In hac autem fraterna correctione peccatur multis modis, quorum primus est, si aliter corrigit quam debet : quia scilicet corrigens simili vitio, vel maiori subiacet publicè. *Matth*. 7. Eiice primum hypocrita trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Secundo modo, si crimen quod occultum est prodat corrigendo. Hoc enim non est faciendum. *Genes*. 44. Per salutem Pharaonis exploratores estis, imminuta terræ considerare venistis. Tertius modus est, si incorrigibilem corrigat. Ille enim non lucratur nisi vituperium, & odium. *Hieronymus*. Frustra niti, & nihil aliud quam odium quærere, extremæ dementiæ est. *Prouerb*. 15. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. *Ibidem*. Qui odit correptionem, morietur. Quartus modus est, quando cum indignatione corripit : sicut Maria corripuit Moysen de vxore sua Æthiopissa, & percussa est lepra : quia ex indignatione processit correptio *Num*. 12. Quintus modus est, quando ex derisione procedit : sicut Cham verenda patris derisit, & seruituti addictus est *Gen*. 19. Sextus modus est, si ex inordinatione procedit : sicut si sit cum accusatione & delatione. Hoc enim non est fraternæ charitatis. Sic peccauit Ioseph *Genes*. 37. qui accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo: & ideo inuidiam & odium conceperunt contra ipsum. Et ideo antiqui dixerunt, quod considerandum sit in correctione fraterna, quod sit vtilis, quod sit expediens, & quod sit facilis correctionis ille qui corrigitur, & quod in processu correctionis honestus modus adhibeatur. Vnde versus.

Vtilis, expediens, facilis, processus honestus.

Tunc enim quando sic ex charitate procedit, ab *Augustino* vocatur osculum columbinum. Dicit enim sic in *primo de Tri*. Gratanter quippe recipit osculum columbinum benignissima charitas. Dentem autem caninum vel euitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas. Sic igitur & à tali, & talis debet fieri correctio fraterna. Vnde *Greg*. Si proximos nostros sicut nosipsos diligere debemus : restat vt eorum peccatis sicut nostris irascamur. *Beda*. Ita peccat qui peccantem

videns

videns tacet: sicut qui peccanti non indulget. *Eccli.4.* Ne reuerearis proximum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. *Chrys.* Oportet peccatoribus dicere quæ fecerūt, sicut fit ebriis post ebrietatem. Semper enim correctio adhibenda est, nisi sit desperatio correctionis, sicut diximus. *Prou.9.* Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit: & qui arguit impium, sibi maculam acquirit. *Ibidem.* Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te. Sic ergo sentiendum est de fraterna correctione.

De correctione autem auctoritatis non se intromittat nisi Iudex & Prælatus. *Rom.14.* To quis es qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat, aut cadit. Et hoc modo Prælatus à subditis non corripitur. Vnde *Gregorius.* Prælatum peccantem arguere nemo præsumit. Et in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerentia gradus peccator honoratur. Corripitur tamen fraterne Prælatus & monetur quando peccat. Hoc igitur est quod dicit.

Increpa illum] 1. *Timot.* 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Increpatio autem sonat in iram quandam, quæ debet esse ex zelo iustitiæ. *Psalm.68.* Zelus domus tuæ comedit me [Et si pœnitentiam egerit] etiamsi peccatum illud in nocumentum tui fuit [dimitte illi] 2. *Paral.vltim.* Peccaui, remitte mihi. *Luc.6.* Dimittite, & dimittemini. *Eccli.28.* Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Si autem non in te, sed in Deum peccauit, non tui est arbitrij dimittere, sed rogandus est Deus vt dimittat. 1. *Reg.2.* Si peccauerit vir in virum, placari potest ei Deus. Si autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo?

Et si septies in die] vna [peccauerit in te] *Prouerb.24.* Septies cadit iustus, & resurgit. Impij autem corruunt in malum, hoc est, quotiescunque peccauerit in te: quia solet vniuersitas septenario designari. Septies autem peccare dicitur in fratrem: seductione intellectus à veritate, corruptione affectus à bonitate, corpus affligendo à pacis tranquillitate, necessaria auferendo à vitæ sustentatione, sua non communicando necessitatis tempore, famam lædendo detractione, malo exemplo corrumpendo in via iustitiæ. His enim septem modis lædi potest proximus. De primo dicitur 1. *Corinth.11* Timeo ne sicut serpens seduxit Euam, ita seducantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo IESV. De secundo dicitur *Prouerb.9.* Mulier stulta & clamosa, plena illecebris, & nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ super sellam, in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes, hoc est, à tramite bonitatis voluntates reuocaret. De tertio dicitur *Cantic.1.* Filij matris meæ pugnauerunt contra me. De quarto autem *Isa.3.* Populum meum exactores sui spoliauerunt. De quinto dicitur *Prouerb.14.* Pasce fame morientem: si non pauetis, occidisti. De sexto *Psalm.49* Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. De septimo dicitur io *Psalm.139.* Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Et iterum *Psalm.56.* Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam. Omnibus igitur his modis si peccauerit in te frater tuus [& septies in die conuersus fuerit] Exinde dicunt quidam quod non tenetur aliquis remittere non pœnitenti, & veniam non petenti: quod falsum est, cum dicatur *Rom.12.* Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, potum da illi. Beneficiis enim debeo præuenire eum, vt mea charitate ad pœnitentiam illum inducam. Sed hoc verum est, quando conuersus fuerit & pœnituerit: tunc lucratus sum eum. Cum tamen grauitate morum & iustitiæ debet remitti: ne nimis facilis venia incentiuum præbeat iterum offendendi: & ideo aliqua seueritas est adhibenda. Et hoc est quod dicit [conuersus fuerit ad te, dicens] hoc est, ad charitatem fraternam [pœnitet me] fecisse: tunc [dimitte illi] *Luc.11* Siquidem & ipsi dimittimus omnibus debentibus nobis. Sic ergo, vt dictum est, dimitte illi qui in te peccauit.

Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

Hic incipit ostendere causam electionis in humilitate fidei formatæ. Et hic quidam, & benè, incipiunt Capitulum. Diuiditur hoc autem Capitulum in tres partes, sicut tria ad fidem exiguntur. Primum quidem quod viua sit per deuotionem & calorem nimium charitatis. Secundum autem quod efficax sit in inducenda salute: & hoc ostenditur in miraculo leprosorum. Tertium autem est quod non sit seducibilis, sed cauta in credulitate articulorum: & hoc ostendit vbi respondet quæstioni Pharisæorum, Vtrum regnum Dei veniat, vel non? In primo horum duo dicuntur, in quorum primo tangitur potentia viuæ & deuotæ fidei: in secundo autem fidei ostenditur obsequium & humilitas. In primo horum duo dicuntur, in quorum primo petitio ponitur Discipulorum, & in secundo doctrinæ modus ex petitione formatus. Dicit igitur [Et dixerunt Discipuli Domino] Audientes enim tanta mirabilia de merito & præmio misericordiæ: de merito quidem in villico: de præmio autem in diuite purpurato, & Lazaro: & tantum terrorem in scandalo: delectati in præmio futurorum, dixerunt Domino [Adauge nobis fidem] Q. d. Iam quidem credimus: sed crescere in fide æternorum desideramus. 1. *Petr.2.* Lac concupiscite, vt in eo crescatis. 1. *Corinth.13.* Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, meditabar vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui ea quæ erant paruuli. Sic enim nobis augetur fides, quando nos augemur in fide, & abnegamus ea quæ erant paruuli, hoc est, dubitationem, & timorem. Vnde *Matt.13.* Modicæ fidei quare dubitasti? ergo [nobis adauge fidem] vt & nos augeamur in fide. *Hebr.11.* Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Ita & nos ista præsentia propter futura desiderantes, petimus crescere in fide.

Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis.

Dixit autem Dominus] respondens Apostolis. Et suum dicere fuit suum facere: sicut dicit *Gregorius Nazianzenus. Psalm.32.* Ipse dixit, & facta sunt

sunt [Si habueritis fidem] Tangit hic duo : fidei propriam qualitatem,& potentiam. Propria qualitas fidei notatur per hoc quod dicitur [Si habueritis fidem vt granum sinapis] Et quidem in præcedentibus dictum est, quod granum sinapis paruum & subtile est in substantia, & acutum valde in actione, & calidum, & dissolutiuum. Paruitas autem significat fidei humilitatem. *Matth.* 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus,& reuelasti ea paruulis. Humilibus enim ea quæ sunt fidei reuelantur. Subtilitas autem sinapis subtilitatem significat sapientiæ fidei, de qua dicitur 1. *Corinth.* 2. Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam autem non huius seculi, neque principum huius seculi qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam. In hac enim veritate subtilitas maxima est. Hæc est acuta in penetratione: quia configit corda ad consentiendum veritati. *Hebr.* 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hinc est quod de verbis fidei dicitur *Psalm.* 119. Sagittæ potentis acutæ. His enim verbis sicut sagittis transfigitur cor hominis. Calidum autem est per charitatem, quæ per dilectionem operatur, & per illam dissoluit quicquid est machinationum aduersus fidem. Hoc igitur modo fides habita, vt granum sinapis habetur. Superius autem & super *Matthæum* plura dicta sunt de hoc.

Dicetis huic arbori moro] Hic tangit de potentia fidei, & dat exemplum in arbore moro. *Matthæus* autem 17. dat exemplum in monte. Et secundum literam quidem intelligit quod in *Matthæo* dicit, quod nihil est impossibile credenti. Et exempla sunt materialia. Quantum autem ad mysterium, mons est altitudo fastus diabolici, qui stare non potest ante fidei humilitatem. Arbor autem significat eum, qui fructificat mundo & diabolo. Hæc arbor morus est à nigredine fructus. Et quia muscis & vermibus est apta, folia enim comedunt vermes, qui bombices dicuntur, & faciunt inde sericũ. subtile opus ad vanitatem mundi. *Isa.* 19. Confundentur qui operabantur linum, pectentes & texentes subtilia. Muscæ autem quæ importunæ sunt, & insident per examina fructibus mori, sunt cogitationes carnales & tentationes carnis. *Eccle.* 10. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti, hoc est, deuotionis. Et hæc arbor non floret, quia non habet honorem virtutis. *Eccli.* 24. Flores mei fructus honoris & honestatis. Et ideo ab hac arbore nullum mel colligitur : quia nihil habet dulcedinis, sed est amari succi, & grossi, & ideo non floret. *Iob* 17. In amaritudinibus moratur oculus meus. Hic succus dum exprimitur & vino permiscetur, vehementer oppilatiuus efficitur. Vnde moretum quod ex moris & vino confectum est, valde est inebriatiuum : & sic aufert sensum, & motum, & inducit ebrietatem. *Isa.* 18. Hi errauerunt præ ebrietate, nescierunt videntem. Sic ergo significat arborem fructificantem in diabolo. Huic ergo [dicetis eradicare] hoc est, radices quas infixisti euelle. *Ierem.* 1. Prophetam in gentibus dedi te t vt euellas, & destruas, & dissipes [Et transplantare in mare] hoc est, vel in amaritudinem pœnitentiæ, vel inferni amaritudinem : sed primum est conuenientius, quia sic operatur deuotio fidei. *Psalm.* 105. Irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum. Sic dicitur in *Psalm.* 74. Inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita [& obediet vobis] Creaturæ fidei. Eo quod ipsa fides innititur omnipotentiæ. Sicut fides Beatæ Virginis stetit in verbo potentiæ, quod dixit Angelus: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum *Luc.* 1. De conceptu autem Saræ, illi verbo innitebatur, quod dixit Angelus : Num Deo quicquam erit difficile ? *Genes.* 17. Et illi quod dixit Dominus: Omnia possibilia sunt credenti *Marc.* 9. Sic igitur quia fides obedit omnipotentiæ, ideo omnia obediunt fidei.

Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi : statim transi, & recumbe : & non dicit : Para quod cœnem, & præcinge te & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes ? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto.

Hic tangit de fidei obsequiosa humilitate. Dicit autem duo. Primò enim ponit exemplarem similitudinem : secundò iuxta similitudinem accipit doctrinam. In similitudine tangit sex, quorum primum est, serui ad Dominum conditio : secundum, serui obsequium : tertium est, incompetens esse seruo Domini commodum : quartum est, seruo congruum obsequium post obsequium: quintum est, seruo deberi seruilem cibum : sextum est, seruo non deberi gratias de obsequio, quia sibi obsequium est debitum. Et hæc sex per ordinem in litera continentur. De primo dicit.

Quis autem vestrum] hoc est, aliquis vestrum [habens seruum] quia non omnium Apostolorum fuit habere seruum : eo quod plerique eorum erant valde pauperes, & victum ipsimet manu & arte quærebant. 1. *Corinth.* 1. Videte vocationem vestram fratres : quia inter vos non multi potentes secundum carnem, non multi nobiles. Sed aliqui nobiles & diuites erant inter eos : sicut Matthæus, & Bartholomæus, & pauci alij. Et ideo dicit: Aliquis vestrum [habens seruum] Ecce conditio serui ad Dominum, sicut & nostra conditio est ad Deum. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit : & Gentes solitudine vastabuntur. *Psalm.* 118. Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum Domine [arantem] Hæc duo obsequia Apostolis & Discipulis conueniunt. Arare enim, est corda vomere verbi, & aratro disciplinæ proscindere. *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. 1. *Corinth.* 3. Dei agricultura estis. *Osee* 10. Arabit Iudas, & confringet sibi sulcos Iacob. *Prouerb.* 13. Multi cibi in noualibus patrum [aut boues pascentem] Hoc est secundum opus curæ pastoralis, & præcipuè pascuæ boum : quia boues significant clericos, qui & ipsi possibiles sunt ad arandum. His enim Prælatus maiorem curam debet impendere, vt ex ipsis arantes corda plebium semper possit accipere. *Iob* 1. Boues arabant & asinæ, hoc est, simplices pascebantur iuxta eos. *Eccli.* 38. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat. Stimulus enim quo agitat, est acu-

leus

leus diuini timoris. Iaculum autem est acutum auctoritatis. His enim duobus boues præparat,& incitat ad arandum.

Qui regresso de agro] actionis & exercitij prædicationis [dicat ei] Regresso (inquam) de labore actionis ad domum contemplationis [transi] ab actione ad quietem [& recumbe] quiescens. Q.d. Hoc non dicet ei, dum aliquid operis restat ad agendum in tanta necessitate temporum. Sicut enim dicitur *Iob* 5. Homo nascitur ad laborem. Exercendus est ei qui suscepit agrum, hoc est, Ecclesiam regendam. Et ideo quies non est conueniens seruo. *Eccli*.33. Cibaria, & opus seruo.

Et non dicit ei[Para quod cœnem] Q.d. Opus aratri & boum pasturam perficiens, statim opus coquinationis domi in manu accipit: & sic de opere io opus transit, dicens cum *Psalm*.76. Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dextræ Excelsi. *Eccli*.18. Cum consummauerit homo, tunc incipiet. Sicut enim dicit *Beatus Bernardus*. Homo ab homine seruo non vnicum, sed multiplex obsequium exigit. Tamen & hoc obsequium congruum est Apostolis, qui de fructibus quos excolunt, Domino refectionem parant. *Genes*.27. Affer de venatione tua, & fac mihi cibos vt comedam, & benedicat tibi anima mea. Coquuntur enim hi cibi igne charitatis: præparantur manu sapientiæ, & condiuntur sapore bonitatis diuinæ. Sic parantur ci bi, quibus libenter vescitur Pater noster: sicut dicit Rebecca, hoc est, sapientia diuina [& præcinge te & ministra mihi] Ecce aliud obsequium post coquinationem, ministratio ad mensam. *Ioan*.12. Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, hoc est, in habitu serui ministrans, illic & minister meus erit. *Philip*.2. Formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, scilicet, ad ministerium præparatus [donec manducem] præparatos ad te cibos mihi incorporando [& bibam] hoc est, sine difficultate glutiam. Et significat innocentes, ad gratiam venientes sicut ad Domini refectionem.

Et post hæc tu manducabis, & bibes] Vel corporaliter sustentatus vel refectus: quia refectio non debetur nisi ei qui laborauit. 2.*Thess*.3. Qui non laborat, non manducet. *Psalm*.127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Vnde *Genes*.24. Dixit fidelis seruus Abrahæ Eliezer. Non comedam donec loquar sermones meos. Vel etiam spiritualiter in contemplatione Domini dapibus refectus: quia hæc refectio non datur nisi post laborem actionis: quia non sapit cibus spiritualis nisi post laborem virtutis. Vnde *Prouerb. vltim*. dicitur. Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio eius.

Nunquid gratiam habet] Dominus [seruo illi] à quo tot genera exigit obsequiorum. *Psalm*.128. Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui [qui fecit quod imperauerat ei] Dominus eius. *Luc*.15. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui[non puto, scilicet, quod gratias agat: quia debitum expleuit seruus, & vapularet nisi faceret. *Luc*.12. Seruus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, vapulabit multis.

Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

Hic accipit doctrinam iuxta similitudinem inductam. Dicit autem quatuor: seruitij generalitatem, omnium præceptorum obedientiam, humilitatis recognitionem, & debiti astrictionem. De primo dicit [Sic & vos] vt ille seruus generaliter seruiens [cum feceritis omnia] *Exod*.24. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes [quæ præcepta sunt vobis] quia sicut dicitur *Iacob*.2. Quicunque omnia mandata seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Quia connexæ sunt virtutes, & connexa sunt mandata. Nec vult Deus habere obedientem in vno, sed in omnibus. *Tob*.5. Omnia quæcunque præcepisti mihi pater faciam [dicite: serui inutiles sumus] Ecce humilitatis recognitio, scilicet, quod factum proprium parum videatur, & inutile ex seipso. Et si aliquid est in eo, quod hoc sit ex Deo. *Isa*.64. Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. *Psalm*.138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Ex nobis enim opus nostrum est inutile. 1.*Corinth*.15. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. 1.*Corinth*.3. Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid: sed qui incrementum dat Deus[quod debuimus] Obligationis & debiti ad obsequendum recognitio: quia[quod debuimus] ex natura qua conditi sumus ab ipso, & ex pretio quo empti sumus ab ipso [facere, fecimus] etiamsi in nullo essemus remunerandi. Sic enim ille qui formam nobis dedit seruiendi, seruiuit. *Matth*.20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. *Luc*.22. Quis maior ? qui ministrat, an qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Et *ibidem*. Qui inter vos voluerit esse maior, sit sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. Sic ergo determinata est pars de fidei Christianæ obsequiosa humilitate.

Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.

Dicuntur autem hic quatuor, in quibus ostenditur efficacia fidei, scilicet, sanandorum leprosorum occursus, sanatis à sanari cupientibus interpellatio, sanationis sacramentalis in fide operatio, & sanatorum de beneficio percepto gratiarum actio. In primo horum quinque dicuntur: Domini de miraculo futuro dispositio, via Domini ad sanitatis operationem congrua directio, castelli in quod intrauit inuentio, leprosorum occursio, & leprosorum mystica numeratio. De primo igitur dicit [Et factum est] Ibi est versus. Et intelligitur factum in diuinæ sapientiæ dispositione, quæ omnia Christi opera disposuit. *Ioan*. 17. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. *Isa*.37. Ex diebus antiquis ego creaui illud, & nunc adduxi

Dum iret] Ecce viæ ad salutem saluandorum directio. Duo autem dicit: intentionem Christi quò

quò tendebat, & loca per quæ transibat. Dicit igitur [dum iret] hoc est, dum ire disponeret [in Ierusalem] vbi excessum completurus erat nostræ salutis. Sicut enim supra dixit capitulo 13. Non capit Prophetam perire extra Ierusalem [transibat] in eundo Ierusalem [per mediam Samariam] Per illam enim frequenter transibat, & ibi multos conuerterat; sicut dicitur *Ioan.* 4. Et ibi etiam Discipulos ad eundum ad messem adhortatus fuerat. Quare autem dicatur Samaria, iam supra 10. diximus. Et, quia iam fides ibi pullulare sicut granum sinapis cœperat: ideo ibi conueniens fuit vt virtus eius ostenderetur. Sic ergo transibat per mediam Samariam: vt vndique ad eum confluere possent qui salutem cupiebant [& Galilæam] quia & ab illa prædicare incepit. Et de Galilæa præcipuos ex Apostolis & Discipulis vocauit. Vnde & Galilæi Discipuli vocabantur. *Act.* 2. Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Confortando ergo illos per miracula, qui iam de his regionibus credere inceperant, per ipsas præcipuè transibant.

Et cum ingrederetur quoddam castellum] hoc est, oppidum incastellatum: quia cum multis Discipulorum turbis ibat: nec poterant eum capere loca parua: & ideo frequenter ibat ad ciuitates, & oppida. Maxime quia ibi plures erant quibus verbum salutis prodesse poterat. Adhuc autē, quia & facto mysticè docuit: vt nos & nostra semper in tuto loco collocaremus. Dixerat enim per linguam *Eccle.* 10. Labor stultorum affliget eos, quia nesciunt in vrbem pergere. In cuius rei figuram 2. *Reg.* 5. Dauid ædificauit arcem, & habitauit ibi, & vocauit eam ciuitatem Dauid: Vt & nos recipientes Dominum, in locum munitum recipiamus eum: vbi sunt fossata humilitatum; vbi sunt muri Sacramentorum, & præceptorum, & consiliorum: vbi sunt turres vitæ & contemplationis altitudinum: vbi sunt portæ virtutum: vbi præsidia Angelorum, & Sanctorum. Profundum quippe humilitatis est fossatum: sicut dicitur 2. *Paral.* 20. Facite totum aggerem, fossas. Quia terrenos affectus effodientes, in ima humilitatis peruenire debemus. Custodia autē Sacramentorum, & præceptorum, & consiliorum solidorum: & ad voluntatem, & opus, & debitas circumstantias, & bonum finem quadratorum, fortissimum perficit murum hospitij Domini, in quo tutè collocatur *Isa.* 26. Ponetur in ea murus, & antemurale. Turres autem sunt vitæ & contemplationis fastigia. *Iudith* 13. Vos qui in turribus estis aperite portas: Dominus enim nobiscum, qui fecit virtutem *Psalm.* 129. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. De portis autem virtutum dicitur in *Psalm.* 117. Aperite mihi portas iustitiæ, &c. Præsidia Angelorum etiam non desunt. Hæc enim sunt illa præsidia, de quibus dixit Iacob, quod vocauit Manaim, hoc est, castra. Castra enim Dei sunt hæc *Genes.* 32. In hoc enim castellum intrat rite Iesus cum Discipulis suis Galilæis, qui voluerunt eum præcipitare *Luc.* 4. & Samaritanis, qui noluerunt eum recipere *Luc.* 9. pertransiens. Sic igitur docet mysticè. quod vel quale sit sibi tutum hospitium. Omnis enim Christi actio nostra est instructio.

Et ecce occurrerunt ei] per deuotionem, & sibi offerentes. *Amos* 4. Præpara te in occursum Dei tui Israël: quia ecce faciens montes, & creans ventum, annuntians homini eloquium suum, & faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ Dominus Deus tuus. Quinque gratias tangit, quas exhibet occurrenti. Facit enim montes altitudinæ iustitiæ, de quibus *Ierem.* 31. Benedicat tibi dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Psalm.* 67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Hic est qui creat ventum in refrigerio concupiscentiæ per flatum Sancti Spiritus. *Dan.* 3. Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Hic facit homini annuntiari eloquium suum per veritatis inspirationem ad intellectum, *Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Hic facit matutinam nebulā. Hæc autē est fumus, & vapor deuotionis ad eleuationem solis in corde & lucis: vt manè à diebus muntatis elevatur hæc nebula. *Eccli.* 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ. *Ose.* 6. Misericordia vestra sicut nubes matutina. Hic gradiens conculcando, & despiciēdo super excelsa terræ. Despicit enim omnia ad excelsa terrenæ altitudinis pertinentia, dicens illud *Iudic.* 5. Conculca anima mea robustos. Et illud *Malach. vltimo.* Calcabitis impios, cum fuerint quasi cinis sub planta pedum vestrorum. Hic est Dominus Deus noster, cui omnes infirmi debent occurrere: quia in his gratijs recipiunt sanitatem.

Decem viri leprosi] Numero, sexu, & ægritudine describuntur. Numero enim decem, quia decem defectibus subiacebant horum quibus omnis ordo diuinus perficitur ad numerum salutis & perfectionis. In opere enim deficiebant à rectitudine virtutis, à consilio siue prudentia ordinis, & à directione legis. Opus enim nostrum lege regulatur vt sit licitum: prudentia ordinatur, vt sit honestum: virtute autem perficitur, vt sit ædificatorium. De quibus dicit *Apostolus* 1. *Corint.* 6. omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. His igitur deficiebant in opere: & erat opus eorum fœde maculatum, & lepra respersum ad deformitatem morpheam.

In virtute autem operatiua, siue spiritus, siue corporis, à tribus deficiebant. Virtus enim operatiua triplex est: rationabilis, quidem opus decernens: concupiscibilis, bonam voluntatem disponens: & irascibilis, contraria bono, & impedimenta remouens. Lepra autem in rationabili, est pruteruitas phantastica: lepra vero in concupiscibili, est concupiscentia mundana: lepra autem in irascibili, est indignatio ad id quod ad bonum promouet & inclinat. Primum est lepra insipentiæ: secundum, lepra libidinosæ concupiscentiæ: tertium autem, lepra saniosæ iræ. De primo dicitur in *Psalm.* 30. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis. De secundo *Psalm.* 13. Omnes declinauerunt. De tertio autem dicitur *Ibidem* quod simul inutiles facti sunt: quia prorsus inutilis est, qui bono indignatur, & malum amplectitur. Hæc est enim malitia dæmoniaca.

Similiter in cordis imagine sunt quatuor corruptiones. Imago Dei debet esse thesaurus diuinorum bonorum per memoriam, debet esse lucerna veritatis per intellectum, debet esse dulcedo diuinæ bonitatis per voluntatem, debet esse imago totius Trinitatis per assimilationem. Lepra autem

autem respergens memoriam, est Dei obliuio: lepra inficiens intellectum, est vanitatis intuitio: lepra respergens voluntatem & corrumpens, est in caducis delectatio: lepra autem totam faciem animæ deformans, est imaginis diaboli vel mundi conformatio. De primo horum dicitur *Isa.* 57. Mentita es, & mei non es recordata. De secundo dicitur *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. De tertio dicitur *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria illius perficere vultis. Desideria autem diaboli sunt in mala & peruersa voluntate, & pertinaciter corrupta. De quarto autem dicitur *Isa.* 1. Abalienati sunt retrorsum, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel. *Isa.* 59. Auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri. Imitando enim diabolum, imaginem Dei in similitudinem diabolicam conuertunt: & sic lepra deformante, imago maculatur.

Istæ decem lepræ decem sunt leprosi. Sed primi tres lepram habent in exterioribus. Et prima quidem lepra, lepra manus Moysi *Exod.* 4. quæ facta est leprosa per eductionem de sinu. Manus enim refertur ad opera: & hæc inficitur, quando in occulto sinos, nec lege, nec consilio honestatis, nec rectitudine virtutis regulatur. Virtutis autem defectus in opere manum maximè inficit. Secunda lepra est, quæ est ex defectu consilij & honestatis quando homo totus turpis in opere & inhonestus efficitur, nihil agens consultè. *Luc.* 5. Ecce vir plenus lepra, & videns Iesum procidit in faciem suam, dicens: Domine si vis potes me mundare. Tertia lepra est, quæ est in opere ex defectu liciti: quia fit contra legem. Dicit enim *Augustinus*, quod peccatum est dictum, vel factum minus rectum contra legem Dei. Dicitur 2. *Paralip.* 26. Habitauit Ozias seorsum plenus lepra. Tales enim legi non obedientes, semper se ab aliis separant, & sunt excommunicati à Domino. Lepra autem quarta quæ est rationis opus decernere debentis, est lepra Simonis, qui obediens interpretatur, ex quo à lepra est purgatus: sed antequam curaretur Dominum hospitio non recepit, sed de factis Domini peruersè murmurauit *Luc.* 7. Lepra autem concupiscibilis, est lepra scilicet Mariæ *Num.* 12. in cuius fronte apparuit lepra: quia concupiscentia procedit ad notitiam & cum verecundia: quia etiam ipsa frequenter denudat verecunda. Lepra autem irascibilis distortæ, est lepra Naaman Syri 4. *Reg.* 5. quæ per ablutionem Iordanis, qui humilis descensus interpretatur, curata est: quia talis indignatio non procedit nisi ex superbia & fastu, nec curatur nisi per humilitatem. Quatuor autem imaginis lepræ sunt significatæ per quatuor leprosos sedentes in porta Samariæ, qui ad castra Syrorum Dei inimicorum transfugere cogitauerunt, & bonis illorum suas supplere inopias 4. *Reg.* 7. Sic ergo sunt decem leprosi.

Isti omnes qui ad Dominum veniunt sunt [viri] virilem animum induentes: quia spem & fidem habentes, ad Saluatorem viriliter venerunt. Hoc enim fuit opus viri. *Iob* 34. Viri cordati audite me. *Ephes.* 4 Occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Hi dicuntur leprosi, sicut dictum est: quia cum lepra sit corruptio nutrimenti, ex corruptione vasorum procedens, & vsque ad fontes membrorum pertingens: propter quod etiam incurabilis est, nisi per miraculum magnum. Vasa autem in quibus omne nutrimentum est bonæ vitæ, sicut potentiæ diuinæ imaginis, & vites motiuæ in ipsis, sunt corruptiones prius inductæ: & pertingunt ad fontes membrorum, operum scilicet, quæ inficiuntur, ex quorum congerie sicut ex membris constituitur corpus humanæ vitæ. Vnde Dominus *Leuit.* 14. Caue diligenter ne incurras plagam lepræ. Et dicit cauendum à lepra corporis, quæ est sicut lepra imaginis: & à lepra vestis, quæ adhæret corpori, & est significans lepram motiuarum siue operatiuarum virtutum: & à lepra domus, quæ significat lepram operum eo quod est in exterioribus sicut domus.

Qui steterunt à longè: & leuauerunt vocem, dicentes.

Ecce sanitatis impetrandæ peritio, & Saluatoris interpellatio. Et dicuntur tria: à longe enim stant, vocem leuant, & Saluatorè interpellant. De primo dicit [Qui steterunt à longe] in quo duo notantur, scilicet, rectitudo voluntatis, & humilitas. In primo autem duo notantur. Qui enim stat, immobilis est. Per quod significantur status talis, quod vlterius non processerunt in peccatis: ne morbus cresceret in eis. Per positionem autem corporis, quæ recta & erecta est in stante, duo rursus significantur, scilicet, voluntatis rectitudo, & cordis per intentionem ad cælum directio & erectio. Et de primo horum trium dicitur *Ierem.* 6. State super vias vestras, & videte quæ sit via bona. Q.d. Non procedatis amplius in via mala, per quam incurristis: sed state, hoc est, gradum sistite. De secundo dicitur *Cantic.* 1. Recti diligunt te. *Hebr.* 12. Gressus rectos facite pedibus, hoc est, affectibus vestris. De tertio dicitur *Genes.* 15. Suspice cælum, & numera stellas si potes. *Psalm.* 63. Accedat homo ad cor altum. Humilitas autem notatur in hoc quod à longe steterunt. Lepra enim hominibus abominabilis est morbus: & ex humilitate se elongauerunt. *Luc.* 18. Publicanus stans à longe nolebat oculos ad cælum leuare. *Psal.* 118. Longe à peccatoribus salus [leuauerunt vocem, dicentes] Tria notantur in hoc: cordis intentio, vocis ad intellectum expressio, & aperta editio eorum quæ in corde conceperant. Cordis intentio notatur per eleuationem: quia cordis intentio innuit cordis compunctionem. *Isa.* 52. Leuauerunt vocem, simul laudabunt. *Matth.* 2. Vox in Rama audita est: ploratus, & vlulatus multus. Rama autem interpretatur alta vel excelsa. Per [vocem] autem notatur ad intellectum expressio: quia vox est sonus articulatus ad discernendum formatus. Et de hoc dicitur *Iob* 7. Non parcam ori meo loquar in tribulatione spiritus mei, & confabulabor in amaritudine animæ meæ [Dicere] autem pertinet ad enarrationem peccatorum. *Isa.* 43. Dic tu iniquitates tuas, narra si quid habes, vt iustificeris. *Iosue* 7. Confitere peccatum tuum, & dic mihi quid feceris.

Iesv præceptor, miserere nostri.

Ecce Saluatoris & salutis interpellatio, & expostulatio. Dicunt autem duo: Saluatorem enim interpellant, & misericordiam expostulant. Primum notatur in hoc quod dicunt [Iesv præceptor

ptor] vbi duo innuunt : auctorem salutis, & ordinatorem vitæ & operis. Auctor salutis intelligitur in nomine [IESV] qui Saluator interpretatur, eo quod secundum nomen suum, vt dicitur *Eccli.*47. fortis est in salutem Gentis. *Luc.*1. Salutem enim procurauit nobis ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ac si dicat quilibet eorum illud 2. *Paralip. vltim.* Indignum saluabis me secundum multitudinem miserationum tuarum [præceptor] autem ordinator est vitæ per legem positam. Et in hoc innuit saluandorum obedientiam, si salutis consequantur gratiam. Præceptor enim est qui vitæ ponit legem & præcepta. *Eccli.*45. Dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ. Ac si dicam: Præceptis tuis parati sumus obedire. *Psalm.*36. Lex Dei eius in corde ipsius : & ideo non supplantabuntur gressus eius [miserere nostri] Hic petunt misericordiam, ostendentes patentem esse miseriam. *Eccli.*36. Miserere nostri Deus omnium & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Ac si quilibet eorum dicat illud *Matth.*8. Domine, si vis potes nos mundare : & ideo miserere vt velis. *Sap.*12. Subest enim tibi, cum volueris, posse.

Quos vt vidit, dixit : Ite, ostendite vos Sacerdotibus.

Hic tangit infirmorum sanationem. Dicit autem tria: sanitatis causam in auctore salutis, sacramentalem sanitatis causam, & sanitatis perfectionem. In auctore salutis sunt duæ causæ sanitatis: visio, & verbum. Primam notat per hoc quod dicit [Quos vt vidit] Visio enim Dei est processus luminis gratiæ ad illuminandum tenebras infirmitatum & peccatorum. *Psalm.*24. Respice in me, & miserere mei : quoniam vnicus & pauper sum ego, hoc est, vnice & singulariter pauper. Et hoc maximè competit leprosis, qui ex infirmitate sunt abiecti & abominabiles. *Isa.*64. Ecce, respice Domine, populus tuus omnes nos. *Exod.*3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto [dixit] hoc est, verbum sanitatis emisit. *Sapient.*17. Non herba, neque malagma sanauit eos : sed sermo tuus Domine sanat eos qui in te confidunt. *Psalm.*106. Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum [Ite, ostendite vos Sacerdotibus] ad quorum iudicium pertinet de discretione inter lepram & lepram : sicut præcipitur *Leuit.*14. Dicit autem tria : profectum in obedientia & pœnitentia, criminis manifestationem, & Sacerdotis iudicium. De primo dicit [Ite] Q. d. Proficite in via virtutum sicut incepistis. *Psalm.*83. Ibunt de virtute in virtutem. *Ierem.*51. Nolite state. *Prouerb.*6. Discurre, festina, non des somnum oculis tuis [ostendite vos] quia curari non potest, qui medico non ostendit vulnera. *Prouerb.*28 Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sic igitur ostendite vos [Sacerdotibus] & horum iudicio state. Et quod iniunxerit, tenete : & quod constitutum est, offerte. Vt per claues absolutionem consequamini : & miraculum exinde famosum efficiatur, & diuulgatum pluribus, ad fidem proficiat plurimorum. *Matth.*8. Vade, ostende te Sacerdotibus, & offer munus tuum quod constituit Moyses. Sic ergo ostendite vos Sacerdotibus.

Et factum est, dum irent, mundati sunt.

Ecce sanitatis perfectio. Merito enim obedientiæ, quia simpliciter obedierunt, mundationem lepræ sunt consecuti. Signanter ostendendo, quod in contritione cum voluntate obediendi peccatores mundantur ante confessionem, & receptionem iniunctæ pœnitentiæ. Deus enim solus emundat peccata. *Psalm.*50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. *Daniel.*3. In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur. Et ideo [dum irent] in proposito se ostendendi, & satisfactionem offerendi, omnes [sunt mundati]

Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est : regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens : Et hic erat Samaritanus.

Tangitur hic gratiarum actio mundatorum. Dicuntur autem hic duo, scilicet, vnius gratitudo cum ingratitudine aliorum, & acceptatio gratitudinis vnius cum exprobratione ingratitudinis aliorum. Dicit autem hic octo de gratitudine istius, quorum primum est istius ab ingratis diuisio & distinctio : secundum autem, beneficiorum sibi impensorum recognitio : tertium autem, est ipsius ad beneficium regressio : quartum vero, vocis in laude magnificatio : quintum, magnifica benefactoris prædicatio : sextum, casus in faciem adoratio : septimum, ad pedes IESV humiliatio : octauum, est gratiarum de beneficio percepto exhibitio. Post hæc octo ponitur ab Euangelista istius tam laudabilis viri descriptio. De primo autem horum dicit.

Vnus autem ex ipsis] qui in se indiuisus fuit, & ab aliis diuisus. In se quidem indiuisus : quia indiuiso corde in Christum ferebatur totus, dicens illud *Psalm.*9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. *Psalm.*118. In toto corde meo exquisiui te : ne repellas me. *Daniel.*3. Nunc sequimur te in toto corde nostro, & timemus te. Hic etiam ab aliis est diuisus, non ingratus sicut alij. *Apoc.*18. Exite de ea populus meus. *Osee* 4. Dimitte eos, separatum est conuiuium eorum. Taliter igitur vnus ex ipsis [vt vidit quia mundatus est] Ecce beneficij percepti recognitio : quia qui non recognoscit, ingratus est. 1. *Corinth.*2. Accepimus Spiritum, qui à Deo est : vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ideo improperat quibusdam ingratis. *Isa.*1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui : Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Ingrati enim est non recognoscere munus & manum largièntis [regressus est] Ecce tertium ad benefactorem regressio. *Iob* 38. Nunquid emittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent tibi : Adsumus. Iste enim vt fulgur, impetu Spiritus iuit in obedientia præcepti ad Sacerdotes : & tractus amore benefactoris, reuersus est ad ipsum. *Ezech.*1. Animalia ibãt & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis [cum magna voce] Ecce quartum de magna voce laudis. 2. *Machab.*1. Colatis cum corde magno, & animo volenti. Vox enim magna de magno

gno corde & animo processit. *Psalm.* 26. Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis [magnificans Deum] Quintum est, hoc est, magno extollens præconio. Et hoc est dare gloriam; quia gloria latè patens, præconium est: sicut dicit *Tullius*. *Psalm.* 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipsum. *Eccli.* 43. Magnificantes Dominum exalta te eum quantum potestis: maior enim est omni laude [& cecidit in faciem] Ecce sextum quod est adoratio, quæ latria vocatur. *Exod.* 4. Audierunt, quod visitasset Dominus filios Israël, & non despexisset afflictionem eorum, & adorauerunt proni in terram. Cadens enim in faciem, videt quò cadit: & ideò benè & mundè cadit, & casum suum ordinat. 1. *Corinth.* 14. Sic cadens in faciem suam, pronuntiat quod verè Deus in vobis sit. Cadens autem retrorsum, casum suum non ordinat, nec videt quò cadit: & ideo ille malè cadit in peccatum, vel pœnam peccati. 1. *Reg.* 4. Cadens de sella retrorsum, fractis ceruicibus expirauit [ante pedes eius] Ecce septimum quod est humiliationis: quia ante pedes eius diabolus exit, auferens secum plagam lepræ, quam ex peccato intulit. *Habac.* 3. Egredietur diabolus ante pedes eius *Psalm.* 131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. Ante pedes etiam doctrinam quæsiuit. *Deuter.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius [gratias agens] Octauum est de gratiarum actione. *Eccli.* 1. Ad locum vnde oriuntur flumina, gratiarum videlicet, reuertuntur per gratiarum actionem: vt iterum fluant. 1. *Thess.* 5. In omnibus gratias agite.

Et hic erat Samaritanus] Hoc dicitur ad commendationem istius: quia cum non esset illuminatus doctrinis Prophetarum, & pauca miracula vidisset, tamen fide fultus rediuit. *Matth.* 8. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Fuere ideo dixit hoc: quia alij minus deuoti fuerunt de filiis Israël, & propter Pharisæos non redierunt. Hic autem de Samaria salutem quærens, venit in terram Iudæorum. Hoc est quod dicit. Samaritani enim in hoc commendantur, quod facile crediderunt ad vocem mulieris: sicut habetur *Ioan.* 4. Item quod misericordes fuerunt: sicut patet *Luc.* 10. Vbi Samaritanus curam eius egit, quem Sacerdos & Leuita Iudæi prætererunt. Commendantur etiam de gratiarum actione de beneficio percepto, vt hîc. Ac si diceret illud 1. *Corinth.* 15. Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit.

Respondens autem IESVS, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.

Hic tangitur acceptatio deuotionis eius qui gratias agit, cum reprobatione ingratitudinis aliorum Et dicuntur hic duo: acceptatio deuotionis, & absolutio cum confortatione gratias agentis. In primo hotum tanguntur quatuor: ostensio immensæ gratiæ ad ignominiam indeuotorum, requisitio ad agendum gratias suorum receptorum donorum, acceptatio gratias agentis, & innuitur iudicium condemnationis ex comparatione reuertentis. Dicit igitur [Et respondens] Non ad verbum aliquod, sed ad factum [dixit IESVS] volens astantes illuminare ad gratiarum actionem [Nonne decem mundati sunt] Quasi dicat: Sic. Omnibus enim largè dona salutis impendit. *Iacob.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat.

Et nouem] ergo [vbi sunt?] Ecce quod ingratos ad gratiarum actionem requirit. *Iob* 38. Vbi eras, cum me laudarent astra matutina, & iubilarent in gratiarum actione omnes filij Dei. Quasi dicat. Tu cum illis non apparuisti Isti autem nouem deficientes à denarij perfectione significant eos, qui post perceptam gratiam, abeunt retrorsum. *Isa.* 1. Abalienati sunt retrorsum. 2. *Petr.* 2. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.

Non est inuentus] de decem [qui rediret] ex corde conuersus ad gratias agendum mihi. Ecce exprobratio ingratitudinis, & acceptatio gratias agentis. Sicut adhuc multi acceptis multis donis Domini, quibus curantur infirmitates paupertatum & ignorantiarum, & aliorum defectuum corporalium & spiritualium, ad Dominum per gratiarum actionem non reuertuntur. *Deuter.* 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo [nisi hic alienigena] Innuit alius alienigenas non fuisse. & ideo comparatione istius esse condemnandos. *Luc.* 11. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. *Matth.* 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. *Psalm.* 86. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Alienigenæ enim de gentilitate & idioris venientes: & populus laicorum de nigredine ignorantiæ & tenebrarum peccatorum habitant in ciuitate Domini: & clerici foras excluduntur, & Iudæi, Prophetas & magnas habentes doctrinas. Hoc est ergo quod dicit.

Et ait illi] Confortans eum ad perseuerantiam. *Matth.* 24. Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit [Surge, vade] Verbum est confirmationis. Et dicit tria: duo enim imperat, & tertij dicit effectum meritorium Imperat enim quod à loco humiliationis surgat, ad æterna se de cætero erigendo. *Coloss.* 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Imperat etiam quod vadat, dicens [vade] proficiendo ad Deum, & ad proximorum ædificationem. *Matth.* 10. Ite: ecce ego mitto vos. Idem est *Luc.* 10. *Ioan.* 15. Ego posui vos vt eatis, & fructum afferatis. *Marc. vltim.* Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Sic ergo surge & vade [quia fides tua] hoc est, fidelitas tua: quia facis hoc quod dixisti, cum diceres: IESV præceptor. Hæc, inquam, fidelitas, & fides tua *Prouerb.* 20. Multi misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? *Luc.* 18. Veniens Filius hominis, putas inueniet fidem super terram? Hic enim de decem nisi vnum inuenit. Hæc igitur fides tua [te saluum fecit] & in salute conseruabit. *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit: Vade in pace. Hæc autem fides operans per dilectionem, est fides cum operibus.

Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnum Dei?

Hîc determinat de fidei firmitate: ne Discipuli & electi à fide deflectantur. Sunt autem duo in parte ista, quorum vnum est responsio quæstionis Pharisæorum: secundum autem est, habita occasione à Pharisæis, instructio ad firmitatem fidei Discipulorum. In primo autem horum duo dicit: audit enim quæstionem Pharisæorum, & adaptat congruam responsionem. De primo dicit [Interrogatus] Pharisei enim videntes operationem omnipotentiæ fidei, & aduertentes eum ire in Ierusalem (vbi erat caput regni) intelligentes concurrere signa plenitudinis temporis ex Prophetia *Danielis*, existimabant Christum ascendere Ierusalem, vt regnum Dei & Dauid occuparet: liberando Iudæos à tributo Romanorum, & dominio alienigenarum. Et hæc est causa interrogationis istius. Et hoc est [Interrogatus autem à Pharisæis] qui præcipuè libertatem populo promittebant [quando venit] per manifestationem [regnum Dei] hoc est, potestas completa Dei in populo suo, exclusis alienigenis, Romanis, & Herode, & Pilato à potestate. *Isa.* 26. Domini possederunt nos absque te, tantum in te recordemur nominis tui. *Isa.* 63. Facti sumus sicut à principio cum non dominareris nostri, & nomen tuum non innocaretur super nos. 1. *Machab.* 2. Quæ gens non hæreditauit regnum eius, & non obtinuit spolia eius: Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. Et promissiones de regno restituendo fuerūt: sicut illa *Ezech.* 34. Suscitabo super gregem pastorem vnum, qui pascat eum, seruum meum Dauid: ipse pascet eum, & ipse erit eis in pastorem. Et illa *Oseæ* 1. Congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter: & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel, hoc est, Sanctis Dei. Hoc enim interpretatur Iezrahel. Et illa *Amos* 9. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo, & reædificabo eum sicut in diebus antiquis. Ex omnibus huiusmodi Scripturis, & ex signis omnipotentiæ quæ apparebant in Domino, putabant regnum terrenum ab eo fore instaurandum. Et hæc est causa istius quæstionis.

Respondens eis, dixit: Non veniet regnum Dei cum obseruatione.

Respondens eis dixit] Non plenè instruens, sed tantum per negationes excludens erroneum intellectum: vt impleret quod dixit *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas spargite ante porcos. Et hoc est quod dicit [Non veniet] Duo tangit: vnum quidem in communi, aliud autem quod est quasi specificatio illius. De primo dicit [Non veniet regnum Dei] in mundum istum [cum obseruatione] hoc est, cum signis certis, per quæ certum tempus eius obseruari possit. Quia aliter dies Domini non veniret sicut fur: sicut dicitur 1. *Thess.* 5. & *Apoc.* 3. Ecce venio sicut fur. Sed hoc videtur falsum: quia *Matth.* 24. Discipuli eandem quæstionem mouent Domino dicentes: Dic nobis quando hæc fient, & quod signum erit aduentus tui? Respondit Dominus, ponens eis multa signa sui aduentus. Ad hoc dicendum, quod in veritate multa signa posita sunt appropinquantis regni: sed nullum positum est quod certum tempus, & diem, & horam demonstret. Et ideo dicit *ibidem*. De die autem illa nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi solus Pater. *Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Vnde *Hieronymus*. Nulli sanctorum Angelorum, nec alicui Sanctorum hominum huius diei notitiam concessum est habere: quod solus Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, id est, vnus Deus incognitum aliis seruat. Et ideo patet quod Pseudoprophetæ sunt qui de scientia huius diei gloriantur. Quod autem dixit in communi, specificat: dicens.

Neque dicent: Ecce hîc, aut ecce illic.

Duo tangit: negotiationem falsæ Pharisæorum opinionis, & patuam regni Dei manifestationem. De primo dicit [Neque dicent] sicut vos putatis, qui seculare & in corporali potentia regnum Dei futurum existimatis [Ecce hîc] est regnum Dei in potentia seculari Dauid, & victoriis super corporales inimicos vestros [aut ecce illic] sicut multi hæresiarchæ dixerunt, vt Donatus dixit esse in Africa, & Arriani dixerunt esse alibi. Regnum enim gratia Dei, in potestate seculari non erit: neque in vna parte mundi, sed in toto mundo: quia totum orbem obtinebit. *Isa.* 60. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabuntur. Non ergo erit hic, vel ibi: sed potius hic, & ibi, & vbique. *Isa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Psalm.* 112. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini. *Malach.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Contra hoc tamen obiicitur per illud *Ioel.* 3. Congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis. Ergo videtur, quod ad minus regnum vltimæ consummationis incipiat in valle Iosaphat. Ad hoc dicendum, quod Iosaphat ibi sumitur appellatiuè secundum interpretationem Iosaphat: iudicium Domini. Vnde sensus est: Congregabo omnes Gentes in resurrectione cōmuni, in vallem iudicij Domini: & ibi disceptabo cum eis de electione electorum, & de reprobatione condemnandorum. Dicitur autem in valle hoc iudiciū futurum; quia erit in isto aëre contra terram. 1. *Thess.* 4. Simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra: & sic semper cum Domino erimus. Et quia in humili isto aëre erit: ideo dicitur futurum in valle.

Ecce enim regnum Dei intra vos est.

Hîc tangit quandam obscuram regni Dei determinationem. Attendendum autem est, quod regnum Dei, essentialiter de regno Dei loquendo, est completa potestas in scientia, & virtute, & actibus iustitiæ Dei: sicut sæpe diximus. Hæc autem potestas est in gratia, & in gloria. Hic quidem in gratia: in futuro autem, & præcipuè in iudicio extremo erit in gloria. Materialiter autem regnum Dei est in Sanctis & beatis, in quibus obtinet & plenum locum habet hæc potestas iustitiæ:

tiæ: & in damnatis, quos iustitiæ potestas premit. Et hoc est quod dicit *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Et de hoc regno præcipuè dictum est [Quod intra vos est] quia totum est in obseruantiis iustitiæ in interioribus, & non in exterioribus. Tamen secundum literam hic intendit regnum materiale iam esse intra Pharisæos. Quia & Rex iustorum, & prima ordinatio potestatum, & principum Apostolorum & Discipulorum fuit intra eos, & non recognouerunt. Vnde *Psalm.* 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes vehementer eleuati sunt. Et iterum *Psalm.* 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos principes super omnem terram. De Rege autem dicitur *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus rex noster. Et de vtrisque simul dicitur *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit Rex, & principes in iustititia præerunt. Sic ergo obscurè loquens Pharisæis, celat eis mysterium regni sui: quod tamen apertè declarat Discipulis, quibus dixit *Matth.* 13. & *Luc.* 8. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Et hoc est quod sequitur.

Et ait ad Discipulos suos: Venient dies quando desidereris videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hîc, ecce illic. Nolite ire, neque sectamini.

Dicit autem hic duo, in quorum primo cautos reddit ab errore seducente & auertente à regno suo, & in secundo dat signum cognitionis regni sui, dicens, quod erit eis clarum sicut fulgur. Adhuc autem in primo sunt quatuor paragraphi, in quorum primo innuit necessitatem propter quam desiderabitur illuminatio Filij hominis: in secundo dicit, quod licet desideretur, tamen dispensatoriè denegabitur: in tertio ostendit instantiam Hæresiarchatum à fide auertentium: in quarto autem monet suos, ne ab huiusmodi seducantur. Dicit igitur in primo duo. Primum quidem quod est periculi futuri certitudo, cum dicit [venient dies] vltimæ persecutionis, quæ præuenitur per dies captiuitatis Ierusalem, qui etiam erunt periculosi: & propter peccatum quod in Dominum commiserunt inducti. *Luc.* 19. Venient dies, & coangustabunt te, & circumdabunt te vndique inimici tui vallo: & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. *Daniel.* 12. Veniet tempus, quale non fuit ex quo Gentes cœperunt esse vsque ad tempus illud. Hoc enim de vtroque tempore verum est, scilicet, de tempore captiuitatis Ierusalem, & de tempore vltimæ sub Antichristo persecutionis. In istis ergo diebus erit magna tribulatio: quia cum sint quatuor persecutiones Ecclesiæ, quæ sibi successerunt, tyrannorum, hæreticorum, falsorum Christianorum: vltima etiam Antichristi conflabitur ex omnibus tribus: & ideo periculosior erit. Et similiter fuit in captiuitate Ierusalem pugna exterior Romanorum tyrannorum: seditio interior trium hæresum, Pharisæorum, & Essæorum, & Sadducæorum: & tertia falsorum Iudæorum ciuium compugnantium. De vtraque istarum Ecclesiæ & Ierusalem dicitur *Matth.* 24. Erit tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque modo, nec fiet. In istis ergo diebus erit quod sequitur.

Quando desiderabitis videre] Duo tangit: desiderium, & id quod desiderabitur. De primo dicit [quando desiderabitis] hoc est, vehementer cupietis. *Cantic.* 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. *Psalm.* 79. Appare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Et iterum *eodem*. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Sic ergo desiderabunt [videre] hoc est, secundum veritatem percipere. *Ioan.* 8. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est [vnum diem] hoc est, vnam præsentialem illuminationem [Filij hominis] inter tot timores pressurarum, & tot dubia hæresum. *Psalm.* 83. Melior est dies vna in atriis tuis super millia. *Zach. vlt.* Erit dies vna, quæ nota est Domino: neque dies neque nox. Dies enim dicitur propter diei illuminationem, & non propter temporis qualitatem. Et ideo dicitur, neque dies neque nox: quia neutra qualitas temporis facit diem illam. In illa tamen die illustrabitur quicquid modo dubium est de veritate fidei. 1. *Corinth.* 4. Veniet Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Hæc est ergo dies desiderata à Sanctis.

Obiicitur autem contra hoc quod dictum est, per illud *Amos* 5. Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies ista tenebrarum & non lucis: ergo & male faciunt qui desiderant. Et hæc dies non est illustrationis, sed obtenebrationis. Solutio. Dicendum, quod Sancti qui semper desiderant finiri peregrinationem istam, desiderant diem illam. Alij autem qui formidant præsentiam iudicis propter malam conscientiam, non desiderant eam. Et væ eis si desiderant: quia ibi damnabuntur. *Philip.* 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius. De malis autem dicitur *Luc.* 12. Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus. Hæc autem dies illuminabit ad veritatem fidei prædicatæ: quia ibi clara erunt omnia. Et ideo in *Psalm.* 103. Dominus veniens dicitur: Amictus lumine sicut vestimento. Sed quoad angustiam terroris, dicitur esse tenebrarum. *Thren.* 3. Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem. Sic ergo verum est, quod desiderabitis vnum diem Filij hominis.

Et non videbitis] Tangit hic illius diei denegationem. Et hoc fit ad electorum probationem: & ad reprobandorum iustam condemnationem. *Ioan.* 7. Quæretis me, & non inuenietis. *Cantic.* 5. Quæsiui illum, & non inueni. Alij autem in peccato infidelitatis & obstinationis suæ morientur. *Ioan.* 8. Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Expectabunt enim tunc Iudæi cum asino, donec ad finalem reuelationem quando se in Antichristo deceptos esse videbunt. *Genes.* 22. Expectate me hic cum asino, hoc est, asinino sensu: ego & puer illuc vsque properantes, cum adorauerimus, reuertemur ad vos.

Et dicent vobis] multi Pseudoprophetæ & Pseudochristi sic: sicut dicitur *Matth.* 24. & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet

frigeſcet charitas multorum. Sicut fuit Theodas, de quo dicitur in *Actibus Apoſtolorum* 5. qui ſeduxit multos : ſicut dictum eſt à nobis *ſupra* 13. Et ſicut ante dies beati Auguſtini parum ſurrexit quidam, qui ſe Ioannem Baptiſtam diceret, & profecit paululum : ita quod tandem ſe aſſeruit eſſe Chriſtum. Hoc autem iam bis accidit temporibus noſtris. In Francia enim apparuerunt duo, qui ſe Eliam & Enoch eſſe pronuntiauerunt. In Germania autem vnus ſurrexit, qui ſe IESVM & Saluatorem eſſe fatebatur. Ipſe etiam Simon, ſicut in verbis ſuis legitur, dixit : Ego ſum ſponſus, ego ſum paracletus, ego ſum Dei virtus quæ vocatur magna, ego ſum Omnipotens, ego ſum Verbum Dei, ego ſum Filius Dei, ego ſum omnia Dei. Surgent etiam nuntij Antichriſti, & ipſe Antichriſtus, & dicent vobis [Ecce hic] in iſta ſecta eſt Chriſtus [& ecce illic] in alterius Hæreſiarchæ ſecta eſt Chriſtus. *Matth.* 24. Si quis dixerit vobis: Ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia : ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Et tales multi fuerunt, & ſunt, & erunt auertentes à fide. Et ideo ſubdit [Nolite ire] cum illis per conſenſum incredulitatis. *Iſa.* 28. Qui crediderit, non feſtinet [neque ſectamini] in opere. 2.*Theſſ.* 2. Cuius aduentus erit ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis in his qui pereunt. Et ideo non ſectemini eos : quia tales, ſicut dicitur in *epiſtola* 2. *Petr.* 2. Sectas non metuunt introducere perditionis.

Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo; in ea, quæ ſub cælo ſunt fulget: ita erit Filius hominis in die ſua.

Tangit ſigna ſui aduentus, quando regnum ſuum incipiet in totius plenitudine poteſtatis. Dicuntur autem hic duo, in quorum primo ponit ſigna : in ſecundo autem reſpondet quæſtioni Apoſtolorum, vbi hæc regni poteſtas ſit congreganda. In primo horum dicit quatuor, in quorum primo dicit claram ſui ad regnandum aduentus coruſcationem : in ſecundo dicit illius aduentus improuiſam ſuper homines fore præoccupationem : in tertio illius aduentus & poteſtatis ſubitam neceſſitatem, ad quam nulla poteſt eſſe præparatio : in quarto autem oſtendit, in illo aduentu de quolibet ſtatu hominum quoſdam eſſe eligendos, & quoſdam eſſe reprobandos. In primo horum adhuc duo dicit, in quorum primo tangitur ſecundi aduentus coruſcatio, quæ præcone non indiget: in ſecundo autem dicit quædam, quæ præambula eſſe oportet. In primo horum ponit quandam ſimilitudinem, & adaptat eam ad propoſitum quod intendit. Dicit igitur.

Nam ſicut fulgur] quod fulgetra vocatur, quia ſubito micat. *Iob* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt ? Quaſi dicat. Sicut ego [coruſcans de ſub cælo] hoc eſt, de horizontis inibi habitantium hemiſphærio [in ea] loca [quæ ſub cælo] illo [ſunt] hoc eſt, ſub inibi habitantium hemiſphærio [fulget] quia fulgur ſtatim implet hemiſphærium habitantium ſub illo horizonte, de quo fulget. Eſt autem fulgur illud inductum pro ſimilitudine aliquantula imitationis, & non pro ſimilitudine æqualitatis : quia fulgur non implet niſi paruum illius habitationis horizontem. Lumen autem diuinum totum implebit mundum. *Iob* 36. Si voluerit extendere nubes quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet. Illud autem fulgur eſt ſplendor miraculorum, & ſplendor luminis ſanctitatis Sanctorum. Et hoc quidem eſt pro modo gratiæ in primo aduentu : per modum autem gloriæ eſt in aduentu ſecundo. Et ideo hæc illuſtratio perimit, & excæcat omnes inimicos eius : quod perturbari & excæcati cadunt coram ipſo. 2.*Theſſ.* 2. Quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Sicut enim dicit *Chryſoſt.* Coruſcatio non indiget præcone: ſed in momento & in thalamis, & in domibus eſt, & per vniuerſum orbem monſtratur. Vnde tria habet : repentè enim fit, & improuiſè, & manifeſtè. Repentè quidem fit ne declinari, improuiſè ne caueri, manifeſtè ne negari poſſit quin ſit reuelatum. Et hoc quidem totum verum fuit in prima Ieruſalem deſtructione per Romanos propter reatum Paſſionis Chriſti. Erit tamen multo plus in ſecundo aduentu ad iudicium : ille enim erit manifeſtus. *Iſa.* 40. Videbit omnis caro ſalutare Dei. Ille erit ſubitus. 1.*Corinth.* 15. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Ille erit improuiſus : quia ſicut fur ita in nocte veniet 1.*Theſſ.* 5.

Ita erit Filius hominis] Smmit adaptationem dictæ ſimilitudinis. Dicit autem quod ita erit Filius hominis : quia in natura & forma aſſumpti hominis veniet ad iudicium. *Ioan.* 19. Videbunt in quem tranſfixerunt. *Apoc.* 1. Ecce venient cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. *Matth.* 26. Amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. *Luc.* 21. Tunc videbunt Filium hominis venientem cum poteſtate magna & maieſtate [in die ſua] hoc eſt, in declaratione ſua. Tunc enim lux claritatis ſuæ & omnium Sanctorum cum eo exiſtentium mirabiliter coruſcabit. *Iob* 25. Poteſtas & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Nunquid eſt numerus militum eius ? & ſuper quem non ſurgit lumen illius. *Matth.* 13. Tunc fulgebunt iuſti vt ſol in regno Patris eius. Hæc autem dies dicitur ſua : quia eſt ab eo ſtatuta, & quia eſt ab eo ſolo ſcita, & quia omnis voluntas ſua ſit in ea. De primo horum dicitur *Act.* 17. Statuit diem in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem. De ſecundo *Matth.* 24. De die autem illo nemo ſcit, niſi ſolus Pater. De tertio *Iſa.* 46. Conſilium meum ſtabit : & omnis voluntas mea fiet. *Iſa.* 53. Voluntas Domini in manu eius dirigetur. His igitur modis dicitur dies.

Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.

Hic autem tangit quod eſt præambulum, & ad diem Ieruſalem deſtructionis, & ad diem aduentus ad iudicium. Et hoc eſt quod dicit [Primum] ſicut cauſa præcedit cauſatum : quia ſacramenta Chriſti cauſa ſunt ſalutis electorum: & cauſa per contemptum ſunt reprobationis damnandorum, & temporaliter in captura ciuitatis, & æternaliter in

iudicio extremi examinis. *Luc.*24. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Per hæc enim sacramenta sua Christus est ostium electorum, per quod secum intrabunt ad gloriam. *Ioan.*10. Ego sum ostium: per me siquis introierit, saluabitur. 1. *Corinth.*15. Primitiæ Christus: deinde hi, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. 1. *Petr.*1. Spiritus sanctus prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias. Hoc est quod dicit [Primum autem oportet illum] hoc est, opportunum est & vtile, & congruens ordini sacramentorum [multa pati] Sicut enim dicit *Beatus Bernardus*, multum difficultatis assumpsit, quo te multæ dilectionis debitorem constitueret, admoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus deuotum effecerat conditionis facilitas. *Isa.*53. Vidimus eum nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: vnde neque reputauimus eum. In his enim passionibus, & didicit compati his qui tribulantur & patiuntur, & comparat dilectionem Sanctorum, & reprobi implent suorum mensuram peccatorum. Et de primo bonum dicitur *Hebr.*2. In eo, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari. De secundo autem dicitur *Rom.*5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici esse- mus, Christus pro nobis secundum tempus mortuus est. De tertio dicitur *Matth.*23. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

Et reprobari] per iudicium iniquum, & falsum. Iniquum quia sic reprobarus à Iudæis, de Iudæis natus, Iudæis promissus: transit ad Gentes, & duos parietes è diuerso venientes, circumcisionem scilicet & præputium, concludit in vnum. *Psalm.*117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *Isa*53. Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit vt non perirent [à generatione hac] adultera & nequam Iudæorum. *Luc.*11. & *Matth.*12. Generatio hæc mala, & adultera, & nequam. *Deuter.*32. Generatio praua atque peruersa. *Prouerb.*30. Generatio quæ patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit.

Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes.

Hic tangit diei illius inconsideratam superuentionem, & tangit duo: inconsideratorum & damnatorum exempla, scilicet, punitorum per diluuium in diebus Noë, & punitorum per ignem in pentapoli, in diebus Loth. In primo autem horum dicit tria. In prima enim parte adaptat similitudinem: in secunda dicit opera quædam, quæ punitionis fuerunt causa: in tertia dicit qualiter sunt puniti. De prima harum dicit sic [Et sicut factum est] in originali mundo *Genes.*6. In diebus Noë, Dies illi dicuntur Noë, quia solus ille in illuminationis diuinæ die vixit. *Genes.*6. Noë erat vir iustus, & perfectus in generatione sua fuit: cum Deo ambulauit. Et *Genes.*7. Te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Et ideo alij erant filij noctis. Iste autem fuit filius diei: quia *Prou.*4. dicitur. Semita iustorum quasi lux splendens, & crescens vsque in perfectum diem. Ideo ergo dicuntur dies Noë [Ita erit] Adaptat similitudinem [in diebus Filij hominis] Iam in præcedentibus dictum est, quare dicantur dies Filij hominis.

Edebant & bibebant] Tangit opera ad vitæ conseruationem pertinentia, in quibus dederunt intelligere, quod nihil præsumebant de periculo futuro. Et tangit ea quæ naturæ opera videntur: vt det intelligere, quoniam & in illis si superflua cura ad ea adhibeatur, peccatum est. Quod ergo dicit [Edebant] intelligitur quod superfluum studium in edendo habuerunt. *Isa.*22. Vocabit Dominus ad fletum & ad planctum, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes. Comedamus & bibamus: cras enim moriemur. *Sapient.*2. Fruamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Hæc enim est pars nostra, & hæc est sors. Vnde comedere, & ventri seruire, reputabant huius vitæ beatitudinem. *Rom.*16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri: per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium [& bibebant] studium corpori impendentes quod fœtori deseruit. *Luc.*21. Attendite vobis ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. *Sapient.*2. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, non sic prætum quod non pertranseat luxuria nostra. Vbique relinquamus signa lætitiæ. Comedentes enim & bibentes lasciui sunt, & lusiui sunt incontinentes, Sicut dicit *Gregor.* quod venter mero æstuans, facilè despumat in luxuriam. Propter quod etiam genitalia ventri subnexa sunt. *Exod.*32. & 1. *Corinth.*10. Sedit populus meus manducare & bibere, & surrexerunt ludere [vxores ducebant] quod etiam delicijs operibus esse videtur. 1. *Cor.*7. Vir si ducit vxorem, non peccat. Sed isti quia de futuris nullam habebant curam: ideo intelligitur quod ardentiores fuerunt amatores suarum coniugum: quamuis exterius propter honestatem secularem, non aliis quàm coniugibus vterentur. *Roman.*7. Sunt qui vxores accipiunt, vt Deum à mente sua excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et in hos habet potestatem dæmonium. *Sextus Phytroxicus.* Ardentior amator suæ coniugis, adulter est. Ardentior autem est qui nec bona matrimonij attendit, nec legem honestatis circa modum cognoscendi custodit, nec tempora religionis. Tales igitur non habent præ oculis iudicium futurum.

Et dabant ad nuptias] filias suas, & coniunctas sibi mulieres continere non valentes, sed in amplexus viri exardescentes. *Genes.*6. Omnis quippe caro corrupit viam suam. Et *ibidem.* Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, & cunctam cogitationem hominis esse intentam ad malum. Quæ enim viros ducebant, non ducebant nisi ad libidinem explendam, & lege matrimonij non vtebantur nisi ad honestatem exteriorem: & ideo Deum à mente sua excluserunt. Sed hoc bonum habebant

habebant quia sexum distinguebant, & aliqua lege honestatis exterioris vtebantur[vsque in diem] sic implebant mensuram suorum peccatorum [qua Noë] qui solus cum filiis suis erat iustus coram Domino [intrauit in arcam] post centum annos, quibus conuicaneis suis pœnitentiam prædicauerat, nec pœnitere curauerunt. *Iob* 24. Dedit illi tempus Deus in pœnitentiam, & ille abutitur eo in superbiam. Vnde & *Genes.* 6. dicitur: Erunt dies illius centum viginti annorum, supple, quibus eos ad pœnitentiam expectabo. Sed cum in centum annis non pœniterent, tunc viginti annos subtraxit, & per centum annos eos ad pœnitentiam expectauit. Arca autem significat vitam ecclesiasticam, quæ sola saluat hominem. Vnde 1. *Petr.* 3. In arca pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. In baptismo enim crux operatur, in qua enatamus per aquas submergentes concupiscentiam, sicut in quadam naui. *Sap.* 14. Vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratē liberati sunt. Benedictum enim lignum, propter quod fit iustitia. Et ideo dicit *Apostolus Hebr.* 11. quod fide Noë de iis quæ adhuc non videbantur metuens, fabricauit arcam, in qua ipse saluatus est: & figuram salutis toti mundo exhibuit. Illi autem de futuris iudiciis Dei nihil considerantes, voluptati operam dabant.

Et venit diluuium] à Deo immissum[& perdidit omnes] quia nec in diluuio pœnituerunt: & ideo omnes perditi sunt. *Isa.* 28. flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Sic ergo illi perditi sunt, quia de futuris Dei iudiciis nihil curæ habuerunt.

Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant, & bibebant.

In naturalibus peccatis non timentes, damnauit Dominus in diebus Noe. Sed eos, qui peccabant contra naturam, & futurum iudicium non habebant præ oculis, perdidit Deus in diebus Lot. Dicit autem hic tria, in quorum primo innuit similitudinem esse quod dicit, & in culpa, & in pœna: in secundo inconsideratorum & improuisorum inducit opera: in tertio autem operum condemnationē. Dicit ergo[similiter] quia sicut dicit *Boetius*: De similibus est simile iudicium [sicut in diebus Lot] Nihil enim luminis fuit in Sodomis nisi in domo Lot. *Sap.* 18. Sanctis tuis fuit lux maxima[Edebant]Tangit opera communia, & ad necessitatem & ciuilitatem pertinentia. Duo autem tangit pertinentia ad necessitatem. Vnum dicit.

Edebant]Intelligitur quod non considerato timore iudicij diuini, per esum in se concupiscentiā carnalem nutriebant, & pauperum in nullo recordabantur: quia iudicium præ oculis non habuerunt. *Ezech.* 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, abundantia panis, & otium, & quia manum egeno & pauperi non porrigebant. Sex enim modis vt dicit *Grego.* peccatur in edendo, scilicet, si horam constitutam præuenit. *Eccle.* 10. Væ terræ, cuius rex puer est: & cuius principes mane comedunt: non ad necessitatem, sed ad ebrietatem. Sic videtur peccasse Ionathas 1. *Reg.* 4. qui ante terminum statutum à patre rege & principe, qui statuere debuit & potuit, mel comedit, & sententiæ mortis est addictus. Secundo peccatur edendo, cum nimis frequenter comeditur. Semel enim comedere, vita angelica est: bis autem, est vita humana: pluries, est vita pecorina, nisi hoc exigat infirmitas. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. *Galat.* 6. Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Tertio fit peccatum, quando quis nimis ardenter comedit. *Genes.* 25. Esau pro lenticula, quam nimis ardenter desiderauit, primogenita sua vendidit. *Hebr.* 12. Nequis fornicator, aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua. *Augustinus*. Malo comedere agnum cum Christo, vel quemlibet cibum delicatum, quam lenticulam cum Esau. Non enim substantia cibi, sed auiditas sumendi in culpa est. *Rom.* 13. Carnis curam ne feceritis in desideriis. Quarto fit, quando aliquis nimis lauta & delicatè præparata exquirit. *Luc.* 16. Epulabatur quotidie splendidè. *Prou.* 30. Qui delicatè nutrit seruum suum, hoc est, corpus suum, sentiet eum contumacem. Quinto modo fit, sumptuosa nimis procurando. *Eccle.* 6. Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur bonis. *Luc.* 15. Deuorauit substantiam suam cum meretricibus, viuendo luxuriosè. Sexto modo fit, in nimia quantitate sumendo. *Daniel.* 14. An non vides quanta comedat, & bibat quotidie? *Luc.* 21. Attendite vobis, ne corda vestra grauentur in crapula vel ebrietate. Sic ergo isti edebant.

Et bibebant] Aliud opus eorum. Quinque autem modis in bibendo peccabant. Primo quidem non sanitatem, vel necessitatem in vino quærendo, sed ipsum vini saporem. *Isa.* 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Hoc enim est leccatorum. Secundo, qui quærebant nimietatem bibendi vsque ad ebrietatem. 1. *Reg.* 1. Vsquequo inebriaris? digere paulisper vinum quo mades. *Isa.* 5. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Istis enim non sufficit vniusmodi vinum vel poculum bibere, sed vnam ebrietatem miscent in aliam. Tertio modo peccatur in vino, quando in detrimentum corporis bibitur, & cum studio magno requiritur. *Prou.* 23. Cui væ? cuius patri væ? & cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? Quarto modo peccatur, nimis delicata vina procurando. *Sap.* 2. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus. *Amos* 6. Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti: nihil patiebantur super contritione Ioseph. Quinto modo peccatur, malo fine bibendo, ad libidinem scilicet excitandam, & calores concupiscentiæ. *Prouerb.* 20. Luxuriosa res est vinum, tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens. *Ephes.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Taliter enim edentes & bibentes obdormiunt iudicium, præoccupantur in lecto, donec iudicio præueniuntur.

Emebant & vendebant, plantabant & ædificabant.

Tangit opera ciuilitatis, & tangit duo, quæ pertinent

pertinent ad communicationem ciuium : & duo quæ pertinent ad cultum , & habitationem , & plantationem patriæ. De primis quæ pertinent ad communicationem dicit[Emebant]In emptione autem intelligitur auaritia, & fraudulentia. Et quia in necessitate proximo non dantes , nec ac commodantes , cogebant possessiones vendere. 1.*Corinth*.6. Vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. *Eccli*.26. Difficile exuitur negotians à negligentia , & caupo non iustificabitur à peccatis labiorum. *Eccli*.27. Sicut inter medium compaginis lapidum palus figitur : sic inter medium emptionis & venditionis negotiator angustiabitur peccatis. *Isa*. 5. Væ qui coniungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis. Nunquid vos soli habitabitis in medio terræ ? [& vendebant] Ista venditio fuit sub specie vsuræ, quando vendebant carius quam digno pretio, tempus modicum expectantes. *Leuit*.19. Vsuris non opprimes proximum tuum. *Psalm*.14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram , & munera super innocentes non accepit.

Plantabant agros]vineas,& hortos.*Psalm*.106. Seminauerunt agros & plantauerunt vineas , & fecerunt fructum natiuitatis , in longa tempora fructus præparantes. *Luc*.12.Anima habes multa bona reposita in annos plurimos , comede , bibe, & epulare [& ædificabant] decorem nimium & fastum in ædificiis præparantes. *Eccle*.2. Ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, & feci hortos. *Amos* 5. Domos quadro lapide ædificastis,& non habitabitis in eis. Vineas amantissimas plantabitis , & non bibetis vinum earum. *Ierem*.22. Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spaciosa : qui aperit sibi fenestras , & facit laquearia cedrina,pingitque sinopide.Sic ergo peccatum est ædificando.

Qua die autem exiit Lot à Sodomis , pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit :

Hic innuitur contemptus prædicantis pœnitentiam. *Genes*.19. Egressus autem Lot , locutus est ad generos suos , qui accepturi erant filias suas , & dixit : Surgite, egredimini de loco illo : quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et videbatur eis quasi ludens loqui [Lot exiit] de Sodomis, iustus de iniustis. *Genes*.13 Homines Sodomitæ pessimi erant,& peccatores coram Domino nimis. *Num* 16. Separamini à tabernaculis hominum impiorum : ne fortè & vos viuos terra absorbeat [pluit] Dominus [ignem & sulphur de cælo] vt esset proportio pœnæ ad culpam : quia multa fuit culpa , & ideo pluit abundanter fundens. *Isa*. 27. In mensura contra mensuram,cum abiecta fuerit, iudicabit eam. Quia vero ignitam & exardescentem vltra fas naturalis ordinis habebant concupiscentiam, ideo ignem pluit. *Deuter*. 32. Ignis succensus est in furore meo , & ardebit vsque ad inferni nouissima. Quia vero turpitudine infamiæ scatebant,ideo pluit sulphur.*Gen*.19. Pluit Dominus super Gomorrham & Sodomam sulphur & ignem à Domino de cælo,hoc est,filius à Patre. Vt autem hoc iudicio diuino scirent esse factum, ideo de cælo pluit. *Psal*. 75. De cælo auditum fecisti iudicium. *Ezech*.38. Ignem & sulphur pluam super eum , & super exercitum eius. *Apoc*.19. Viui missi sunt in stagnum ignis & sulphuris. *Beatus Bernardus*. Flamma gehennalis moram non sustinens præuenit istam tollere nationem, necnon & tellurem ipsorum. Conscientiam enim tantæ confusionis naturæ absumpsit ignis, & spiritus procellarum sulphuris.

Quamuis autem multa sint detestanda in omnibus peccatis : tamen quatuor sunt in infando isto peccato, propter quæ magis est abominabile, quorum primum est ardor , ordinem naturæ subruens. Et quia magis etiam in mares quam in fœminas exardescunt, & fœminæ in fœminas. *Rom*. 1. Tradidit eos Deus in passiones ignominiæ , & exardescunt in desideriis suis inuicem : masculi in masculos turpitudines operantes. *Psal*.57.Peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.Secundum autem est fœtor infamiæ istius peccati *Ioel*.2.Ascendit fœtor eius , & ascendit putredo eius. *Isa*. 34. Interfecti eorum proiicientur:de cadaueribus eorum ascendit fœtor. Et benè dicitur fœtor iste ascendere : quia infandum istud vitium plus in altis personis , quam in humilibus inuenitur regnare. Tertium est adhærentia istius peccati:quia hoc malum habet, quod eum quem capit,vix vnquam deserit : in cuius signum dicitur *Gen*. 14. quod vallis illustris , in qua fuit Pentapolis , habebat multos puteos bituminis. Bitumen autem est gluten tenacissimum. Quartum autem est, quod dicitur esse morbus contagiosus , & de vno inficere alium : propter quod *Genes*. 19. dicitur Lot egredienti de Sodomis:Non stes in omni circa regione , sed in monte saluum te fac. Hæc est causa quare hoc peccatum clamat coram Domino *Gen*. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæ venit ad me

Et omnes perdidit] quia perdiderant naturam quam assumpturus erat Dominus. *Isa*.33. Perdidit ciuitates,non reputauit homines : quia reuera non sunt homines in tanta deformitate naturæ humanæ viuentes.

Secundum hæc erit qua die Filius hominis reuelabitur.

Accipit doctrinam secundum similitudinem inductam. Dicit autem quod[secundum hæc erit] quoad hoc quod improuisè superueniet dies illa, sicut illius iudicium condemnationis. 1.*Thess*.5. Cum dixerint : Pax,& securitas : tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in vtero habentis [qua die] quia tunc plena erit claritas lucis ad dissipationem omnium tenebrarum. Tunc enim fiet quod dicitur *Ioan*.1 , Lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non comprehenderunt. Omnia enim tunc ponentur in lucem , quæcunque modo sunt abscondita [Filius hominis reuelabitur]*Habac*.4.Splendor eius vt lux erit : cornua in manibus eius. Splendor enim gloriæ manifestabit abscondita , & cornibus potestatis iniquos ventilabit.

In illa die qui fuerit in tecto , & vasa eius in domo , ne descendat tollere illa : & qui in agro , similiter non redeat retro. Memores estote vxoris Lot.

Tangit necessitatis hic arctationem. Et *ad literam*

ram prædicit, quod in tempore captiuitatis Romanæ, tam arcta erit obsidio, quod qui fuerit in tecto domum defendens, non poterit descendere ad aliquid secum tollendum de domo, eum quo fugiat: sed tantum quæret effugere personam saluando, & tamen non poterit. Similiter imminente extremo iudicio, qui est in tecto vt prospiciat imminentia, non potest cogitare vt aliquid ordinet de re familiari, siue in domo, siue alibi: sed tantum cogitet se saluare. *Moraliter* autem, in tecto est ædificij spiritualis, qui est in charitate. Hæc enim consummatio est ædificij spiritualis, sicut tectum. Quæ autem in domo sunt sicut ea quæ pertinent ad corporis concupiscentias, & ad illas nemo debet descendere. Homo enim debet esse sicut passer solitarius in tecto, nihil curans de his quæ sunt mundi, sed in altitudine tenens se charitatis. Hæc enim est tectum quæ totum operit. Hinc est quod quæ in aure audiuntur, prædicari præcipiuntur super tecta: quia in charitate quicquid reponitur, ab impulsu tempestatum conseruatur.

Et qui in agro est] in arcta ista obsidione, vel vltimo examine [similiter non redeat retro] quia fortè præuentus, inuolueretur in captiuitatem. In agro autem est moraliter, qui est in exercitio bonæ actionis. Et hic non debet retro ad domesticos, hoc est, carnis curas respicere. *Luc.*9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Sic enim diligenter exercendus est ager iste, quod nihil aliud habeatur ad manus. *2.Timoth.*2. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis, vt illi placeat cui se probauit. Hoc est igitur quod dicit. Vt autem exemplum det suæ admonitionis, subiungit, dicens [Memores estote vxoris Lot] Hæc enim propter solum respectum retrorsum, conuersa est in statuam siue figmentum salis: vt omnes condiret, qui insulsi retrorsum aspicere desiderarent. *Sapient.*10. Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

Quicunque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicunque perdiderit illam, viuificabit eam.

Ostenso periculo captiuitatis Ierusalem propter peccatum crucifixionis Christi, & cum illo ostenso periculo præoccupationis diei iudicij: inducit cautelam, qua quilibet potest esse præparatus. Dicit igitur quod [Quicunque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam] Hoc autem iam in antehabitis expositum est, quod anima dicitur hic persona ex anima viuens, propter partem digniorem: sicut *Exod.*1. Animæ quæ egressæ sunt de femore Iacob, & ingressæ sunt in Ægyptum [Quicunque] ergo in tribulatione extrema [vult animam suam saluam facere] ita quod in æternum perire non possit: ille [perdet eam] exponendo eam morti in tribulatione illa propter Christum, ne neget fidem. *Act.*20. Spiritus testificatur mihi per omnes Ecclesias, quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent: sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo perficiam cursum meum & ministerium verbi mei [Et quicunque perdiderit illam] *Matth.*10. additur: propter me: quia causa facit martyrem, non pœna. Quicunque ergo tribulationi vel morti exponendo animam propter me, perdiderit eam temporaliter [viuificabit eam] in æternum: quia coniungetur Deo qui est fons vitæ: & bibet vitam in fonte suo in æternum. *Psalm.*35. Domine apud te est fons vitæ. *Apoc.*7. Agnus Dei reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Sic ergo viuificabit eam.

Dico vobis: In illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.

Tangit electorum de omni statu assumptionem, & damnandorum de omni statu reprobationem. Et hoc tangit sub triplici differentia status, in quo omnis status intelligitur. Dicit ergo [Dico vobis] per veritatis assertionem. *Rom.*9. Veritatem dico in Christo Iesv, non mentior [in illa nocte] Extremum iudicium frequenter vocatur dies Domini propter causas quas supra diximus. Hic tamen vocatur nox propter horrorem tribulationis & angustiæ, in quibus corda obtenebrantur, quod non habeot effugium. *Matth.*25. Media nocte clamor factus est [Duo erunt in lecto vno] Literaliter vult dicere, quod inter quiescentes, & inter laborantes seruiliter, vel ad vtilitatem propriam, semper quidam assumentur, & quidam reprobabuntur. Tamen per duos qui sunt in lecto vno, literaliter significantur matrimonialiter iuncti: & allegoricè significantur contemplatiui, qui in lecto mollis conscientiæ cum Domino recumbunt. *Deuter.*33. Amantissimus Domini, in eo tanquam in thalamo domus iugiter requiescit. *Cantic.*1. Lectulus noster floridus. Ex hoc lecto quidam assumuntur, qui purè in contemplatione veritatis persistunt. Quidam autem reprobantur, qui otio marcent in religione, & habitum sine effectu operis habent. *Thren.*1. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.

Duæ] ancillæ [molentes in vnum] saccum, vel luctum. Molere enim fuit antiquitus opus seruile, & ancillarum: & ideo *Exod.*11. dicitur, quod à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio, vsque ad primogenitum ancillæ quæ stabat ad molam: percussit Dominus primogenita Ægypti. Et ideo per molentes in vnum, significantur seruiliter operantes. Vnde etiam *Iud.*16. Philisthiim capientes Samsonem inimicum suum, & excæcaeuerunt, & vt seruili opere confunderent, fecerunt eum molere. Per hoc autem significantur allegoricè laborantes: quorum quidam assumentur ad gloriam, qui labores suos referunt ad honorem Dei & vtilitatem Ecclesiæ. *Eccli.*33. Videte quod non soli mihi laboraui, sed & omnibus exquirentibus veritatem. Quidam autem relinquentur ad damnationem, qui opera laboris referunt ad mundum & vanitatem. *Eccle.*10. Labor stultorum affliget eos: quia nesciunt in vrbem pergere. Hoc ergo intendit per molam. Hæc est etiam causa, quod *Deuter.*24. præcipitur. Non accipies pro pignore superiorem vel inferiorem molam. Tum propter hoc quod pauper laborator in hoc victum quæsiuit.

quæsiuit. Tum etiam propter hoc, quia labor ad vtilitatem communis necessitatis extitit. Hæc est etiã causa, quod cum Babylon domina regnorum esset ancillatur humilianda, dixit *Isa*.47. Non vocaberis vltra mollis & tenera. Tolle molam, & mole farinam. Hæc fuit etiam causa legum antiquarum, quod enorme committens crimen, mola ad collum suspensa, submergebatur in profundum: quia in mola significabatur, quod crimine se seruilem effecerat & confusione dignissimum.

Duo in agro] Ager ab agendo dictus, significat opus quod pertinet ad patriæ populationem, & facultates ciuilitatis, & reipublicæ. Et ideo illud est honestum, & ad rempublicam ordinatum opus. Et ideo per hæc significantur quicunque Prælati rempublicam ordinantes, & communi intendentes regimini. Sic enim dicitur *Genes*.24. quod Isaac egressus est ad meditandum in agro. Sic dicitur *Prouerb*.14. Diligenter exerce agrum tuum, & post ædifica domum tuam, hoc est, familiam: quia secundum facultates agri, multiplicatur prouidentia domus. *Genes*.27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Talium ergo Prælatorum curam communis vtilitatis habentium[vnus assumetur] ad gloriam, qui fideliter & prudenter familiæ Dei intendit. *Matth*.25. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui [& alter relinquetur] ad damnationem, qui piger vtilitatibus propriis deseruiuit, & ad se bona Domini sui conuertit. *Matth*.25. Serue male & piger, sciebas quia ego homo austerus, tollo vbi non posui, meto vbi non seminaui. Quare ergo pecuniam meam non dedisti ad mensam? & ego veniens, vtique cum vsuris exegissem quod meum est. In his autem tribus statibus, omnis status mundi & Ecclesiæ comprehenditur, qui *Ezech*.14. per Noë, Daniel, & Iob (qui animas suas liberant) significantur. Per Noë quidem qui arcam gubernauit, status significatur Prælatorum. Per Daniel autem qui Propheta continens fuit, status significatur contemplatiuorum. Per Iob autem dolentem ad sterquilinium proiectum: significatur status actiuorum laborantium. Hoc autem quod vnus assumitur, & alter relinquitur significatur. *Leuit*.14. vbi duo passeres viui immolantur: ex quibus vnus Domino in sacrificium assumitur, alter autem abire permittitur.

Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Hic tangit determinationem dubitantium de præinductis. Dixerat enim Dominus quod dicendum esset: Ecce hic, & ecce illic. Dixerat etiam quod vnus assumetur, & alter relinquetur. Apostoli dubitauerunt vbi esset futurus Christus, & ad quem locum essent assumendi qui assumuntur, & in quo loco relinquendi qui relinquuntur: & ideo [Respondentes] ad hoc, quærunt, & [dicunt illi] *Marc*. enim 4. dicitur, quod seorsum omnia differebat Discipulis. Et ideo audacter quærunt [Vbi Domine] supple, erit Christus verus, & vbi erunt qui assumuntur? *Cantic*.1. Indica mihi quem diligit anima mea: vbi pascas, & vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum? *Ioan*.1. Rabbi, vbi habitas?

Qui dixit illis] breuiter, & optimè certificando [Vbicunque fuerit corpus] Corpus hic dicitur cadauer. Hoc autem multum vapotat: quia dum calor naturalis in putrescente corpore euaporat, humidum interius trahit ad exteriorem superficiem, & resoluit in fumum: & ab illa fumali euaporatione latè dispergitur odor corporis. Et [illuc congregabuntur & aquilæ] Quæ aquilæ ab acumine visus & olfatus dicuntur: qui longè vident & olfaciunt tale corpus præparatum sibi in escam. *Iob* 39. De summis silicibus aquila contemplatur escam, & oculi eius de longe prospiciunt. Pulli eius lambent sanguinem: vbicunque fuerit cadauer, adest statim. Ab ista proprietate Dominus sumit similitudinem: quia gloriosum corpus eius in iudicio, & meritum mortis eius, & vaporatio dulcedinis eius tanta erit: quod omnes Sancti, qui aquilæ sunt propter visus acumen ad veritatem, & propter vim discretiuam ad bonitatem eius (quæ per olfatum designatur) statim percipient veritatem ipsius. *Psalm*.102. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Et ideo ad ipsum [congregabuntur] aliis in dispersione errorum relictis. *Isa*.40. Assument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient. *Iob* 9. Sicut aquila volans ad escam. Tali odore attactæ sunt ad corpus Domini Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome *Matth*.28. Hoc igitur est quod dicit. Retorquetur autem istud dictum derisoriè, & moraliter ad Sacerdotes & Religiosos. qui ex vapore lucri, sicut vultures, trahuntur ad cadauera mortuorum, & decertant quis eorum fœtidum peccatoris cadauer deferat ad sepulturam nidi sui. Cum tamen de sapientia Dei dicatur *Iob* 28. Semitam ignorauit auis, neque intuitus est eam oculus vulturis. Vultur enim, vt dicit *Isidorus*, dicitur: quia totum semper ad cadauer habet vultum. Sic igitur expleta est pars, quæ est de firmitate fidei.

CAPVT XVIII.

Dicebat autem & parabolam ad illos: Quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens.

HIc tangit partem illam, quæ secundum superiorem diuisionem est de orationis instantia & deuotione. Cum enim ea quæ dixit, viribus propriis nullus possit habere: restat vt deuotione & instantia orationis impetrentur. Et sic hic istud inducitur capitulum. Sicut enim supenus diximus, in hoc capitulo agitur de perfectione mandatorum, quæ secundum præsentem statum est causa electionis. Vnde hoc capitulum diuiditur in tres partes, in quarum prima docet de orationis instantia, & humilitate per quam peruenitur ad perfectionem mandatorum: in secunda autem supponit in quo consistit mandatorum perfectio: in

in tertia autem, quia omnis perfectio & consummatio est in communicatione passionum Christi, ideo de reuelatione suæ passionis supponit, & de eius proprio effectu. Prima harum partium diuiditur in tres partes, in quarum prima docet instantiam orationis: in secunda autem eiusdem orationis docet humilitatem. Quia autem humilitas difficulter discitur, ideo in tertia exemplarem de humilitate supponit doctrinam. Prima harum partium continet tria. Præmittit enim suum, quod persuadere intendit, intentum: secundò ad persuadendum inducit simile: tertiò autem iuxta simile positum format persuasionis doctrinam. In primo horum sunt duo. Ostendit enim primò doctrinæ modum, & secundò suam aperit intentionem. Dicit igitur.

Dicebat autem] docens Apostolos, & Discipulos [&] hoc est, etiam [parabolam] parabolicum sermonem vt facilius caperent dicta, & retinerent [ad illos] hoc est, Discipulos. *Osee* 12. In manibus prophetarum assimilatus sum [quoniam oportet semper orare] Oratio est, vt dicit *Augustinus*, pius affectus mentis in Deum directus. Et quamdiu hic pius affectus in cogitatu, & sermone, & opere à Deo non reuocatur, tandiu in Deum dirigitur. Non reuocatur autem nisi per contrarium actum: & ideo dicit *Gloss.* quod non desinit orare, qui non desinit benefacere. Iste ergo est verus sensus literæ. 1. *Thes.* 5. Sine intermissione orate. 1. *Corinth.* 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu psallam & mente. *Eccli.* 18. Non impediaris orare semper & non verearis vsque ad mortem iustificari. *Hiero.* Frequens oratio vitiorum somitem extinguit.

Contra hoc autem quidam obiiciunt per illud *Matth.* 6. Orantes autem nolite multum loqui. *Eccli.* 7. Non iteres verbum in oratione tua. Hæc autem iam soluta sunt per ea quæ dicta sunt de diffinitione orationis. In omnibus enim cogitatis & dictis & factis oratur, per quæ affectus pius mentis à Deo non retrahitur. Et quod Dominus dicit, non multum esse loquendum: loquitur de quibusdam, qui putabant quod orationibus rhetoricis Deus induceretur sicut homo, cum non inducatur nisi pietate affectus. Hoc autem quod dicitur *Eccli.* 7. quod non iterandum verbum est in oratione, intelligitur quod si petimus aliqua à Deo, non debet per contrarium actum interrumpi oratio: ita quod verbū orationis iterare oporteat. Dicit igitur, quoniam sic oportet semper orare.

Et non deficere] Non deficere, est spiritum ab oratione per contrariū actum non retrahere: sicut legitur, quod *Seuerus Episcopus* de beato Martino scribit, quod inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. *Hebr.* 5. In diebus carnis suæ preces, supplicationes ad Deum cum clamore valido & lacrymis offerens, in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. In diebus enim carnis suæ, hoc est, per totam vitam sic orat qui nunquam spiritum & pium affectum retrahit in Deum directum. Sic orabat Susanna *Daniel.* 13 de qua dicitur, quod erat cor eius fiduciam habens in Domino. Sic orabat Moyses, de quo cum nihil ore diceret, dicitur *Exod.* 14. Quid clamas ad me? Sic orare intendit *Psalm.* 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Non enim deprimuntur manus, nisi ad contrarium actum retrahantur. 1. *Tim.* 2. Volo viros in omni loco orare, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.

Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur,

Hic incipit ponere parabolam, quæ tres habet paragraphos, in quorum primo ponitur iudicis iniqui descriptio: in secundo descriptio viduæ pro vindicta instantis: in tertio iudicium iudicis, quod coactus & inuitus facit propter importunitatem viduæ instantis. A quatuor autem describit iudicem: à potestate auctoritatis, à solemnitate loci, qui suæ erat iurisdictionis, à postpositione diuini timoris, & ab irreuerentia alicuius cuiuscunque hominis. Dicit igitur.

Iudex quidam] habens potestatem auctoritatis super alios. *Matth.* 8. Ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites. De isto autem iudice propriè dicitur *Iob* 9. Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum [in quadam ciuitate] Ciuitas autem locus solennis est, tamen quia iudex malus fuit, probabile est quod & ciuitas mala fuerit. *Isa.* 1. Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. *Psalm.* 54. Audiui contradictionem in ciuitate: tota die super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura & dolus [qui Deum non timebat] diuinum timorem iudicio postposuit, dicens illud *Iob* 21. Quis est Omnipotens vt seruiamus ei? *Iob* 22. Quasi nihil possit facere Omnipotens æstimabant illum. Et quia iste Deum non timuit: ideo in muneribus & personarum acceptione iudicauit. *Isa.* 5. Iustificabant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferebant ab eo. Contra quod dicitur *Deut.* 1. Ita paruum vt magnum audietis: quia Domini est iudicium [& homines] hoc est, hominum honestatem [non reuerebatur] *Ezech.* 3. Omnis domus Israël attrita fronte est, & duro corde. *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Duo igitur hic excluduntur ab isto iudice, quæ maxime retrahunt aliquem à peccato: timor, scilicet, & pudor. De timore *Eccli.* 1. Qui sine timore est, non poterit iustificari. De pudore *Thren. vltim.* Facies senum non erubuerunt, adolescentibus impudicè abusi sunt.

Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum: dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus.

Hic describit viduam, & dicit quinque. Primum est destitutio auxilij: secundum autem multiplicatio aduersarij maligni: tertium frequens aditus Iudicis iniqui: quartum est interpellatio iudicij: quintum est iniqua dissimulatio iusti iudicij. De primo dicit [Vidua autem quædam] quæ à viro iduata fuit, & ideo patrono & defensore destituta. *Thren. vltim.* Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. *Iob* 6. Ecce non est auxilium mihi in me: necessarij quoque mei recesserunt à me. De hac vidua dicitur *Isa.* 1. Subuenite

uenite oppresso, defendite viduam. Misericordia enim miserabilium personarum deberet mouere iudices ad talium defensionem [erat in ciuitate illa] vbi erat iniuriantium multitudo. 2. *Pet.* 2. Aspectu & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam cruciabant. *Apoc.* 2. Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ [& veniebat ad eum, dicens] Tertium est. Et quod dicit [veniebat] quod in se claudit præteritum imperfectum in præsens continuatum, notat aduentus eius frequentiam. *Prou.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum : non des somnum oculis tuis. Ad ipsum enim pertinebat defendere miserabiles personas [vindica me] per iustum iudicium [de aduersario meo] iniquo. *Psalm.* 34. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum & exurge in adiutorium mihi. *Apoc.* 6. Vsquequo tu Domine sanctus, & iustus, & verus non vindicas sanguinem nostrum ab his qui sunt in terra? *Eccli.* 35. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas ? [Qui nolebat per multum tempus] quia munera non dedit, nec habuit vnde daret. *Isa.* 1. Pupillo non iudicant: & causa viduæ non ingredietur ad eos. *Ierem.* 5. Causam viduæ non iudicauerunt.

Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor : tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me.

Hic ostendit qualiter importunitas viduæ vicit iudicem, & dicit quinque : quorum primum est, qualiter intra se confusus & victus est iudex iniquus : secundum qualiter non timore Dei, nec verecundia humana ad iudicium est flexus : tertium qualiter molesta iostantia ad iudicium est compulsus: quartū qualiter iudicium fecit : quintum & vltimum qualiter metu suggillationia hoc sibi extorsit, quod viduam vindicauit. Dicit ergo [Post hæc autem dixit intra se] reductus ad cor afflictione propria. *Isa.* 28. Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. *Psalm.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. *Matth.* 15. Dimitte eam, quia clamat post nos [etsi Deum non timeo] quia timor Dei non induxit eum. *Psalm.* 13. Non est timor Dei ante oculos eorum [nec hominem reuereor] quia coram hominibus verecundia est negare iudicium miserabilibus personis. *Ierem.* 6. Confusione non confusi sunt, & erubescere nescierunt [quia molesta est mihi hæc vidua] per instantiam quotidianam. 2. *Tim.* 4. Insta opportunè, importunè Simile in malo *Genes.* 39. Ille recusabat stuprum, & illa molesta erat adolescenti. Simile *Iudic.* 15. cum Dalila molesta esset Samsoni, prodidit ei secretum cordis sui [vindicabo illam] iudicium sibi faciens *Luc.* 11. Et si perseuerauerit pulsans, dico vobis: etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit: propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios [ne in nouissimo veniens] ex quo tepelli non potest. *Luc.* 18. Qui præibant increpabant eum vt taceret : ipse vero multo magis clamabat [suggillet me] Suggillare autem tantum valet quantum subgulare. Componitur autem, sicut dicit *Isidor.* à sugo & gula: quasi ne sugat tandem sanguinem de gula mea. Quod proprium dicitur esse lamiarum, quæ occultè veniunt ad homines, & sugunt sanguinem de gula eorum. Vnde alia litera hic habet [Ne iterum & iterum veniens suggulet me] *Thren.* 4. Sed & lamiæ nudauerunt mammas, & lactauerunt catulos suos. Hæc autem vidua typum tenet cuiuslibet fidelis animæ. Vel etiam vniuersalis Ecclesiæ, quæ tota die clamat, & tandem exauditur. *Eccli.* 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes : & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat.

Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit : Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis ? Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum. Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?

Hic sumit doctrinam iuxta inductam parabolam arguens à minori. Vnde dicit [Audite quid iudex iniquitatis dicit], idest, audite dictū iniqui iudicis. Si enim malus importunitate petentis vltus est pro vidua: multo magis Deus iudex iustus, fortis, & patiens, aliquando vlciscetur pro Sanctis suis. *Luc.* 11. Si vos cum sitis mali nostis bona dara dare filiis vestris : quanto magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se. Et hoc est quod dicit [Deus autem non] hoc est, nonne [faciet vindictam] electorum suorum? *Zach.* 2. tangit pupillam oculi mei. *Psalm.* 104. Nolite tangere christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Vnde dicit *Deut.* 32. secundum aliam translationem: Mihi vindictam, & ego retribuam [clamantium ad se die ac nocte] hoc est, instanter & continuè. *Psalm.* 119. Ad Dominum cum tribularer clamaui : & exaudiuit me. *Psalm.* 78. Vltio sanguinis seruorum tuorum, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. *Iob* 35. Omnipotens singulorum causas intuebitur [& patientiam habebit in illis] qui suos offendunt. Q. d. Non habebit in eis patientiam. *Eccli.* 35. Dominus iudicabit iustos, & Fortissimus non habebit in illis patientiam. *Psalm.* 93. Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionē superbis. Obiiciunt autem quidā: Quia cum Sancti orent pro persecutoribus suis, sicut fecit Stephanus *Act.* 7. videtur quod non debeant petere vindictam. *Hebr.* 12. Accessistis ad sanguinis effusionem, melius loquentem quam Abel. Abel enim loquebatur vindictam: Christi autem sanguis orauit ignoscentiam. *Luc.* 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Responsio est, quod non petunt Sancti vindicari in condemnationem finalem, sed in conuersionem : vt sic vindicentur vt relicta iniustitia conuertantur, & sic boni fiant. *Prou.* 12. Verte impium, & non erit. *Ierem.* 17. Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc super eos Domine diem afflictionis : & duplici confusione, timoris scilicet, & confusionis contere eos Domine Deus meus. *Psalm.* 108. Induantur

duantur sicut diploide confusione sua [Dico vobis] Assertio est [quia cito faciet vindictam illorum] *Deuter*. 32. Sanguinem seruorum suorum vleiscetur,& vindictam retribuet in hostes eorum. Aliquando enim vindicat,inimicum conuertendo: sicut fecit de Paulo. Vel patientiam Sanctis dando, & inimicum condemnando. *Sapient*. 12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis tuos [Veruntamen Filius hominis veniens] Q. d. Ita Filius Dei & Filius hominis fidem habens in suis,faciet vindictam de eis. Et tamen miratus est,qui vice versa fidem habeant in ipsum, & perseuerent in eadem fide. Et hoc est [veruntamen] ita fidem exhibens [Filius hominis veniens]ad iudicium post tot tribulationes [putas ne inueniet fidem] conseruantem ad ipsum [in terra] in qua sunt tot miseriæ & tribulationes. Q.d. vix inueniet. *Ierem*. 7. Periit fides,ablata est ab ore eorum. *Mich*. 7. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. *Psalm*. 11. Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. *Isa*. 59. Corruit veritas in plateis, & æquitas non potuit ingredi.

Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens.

Hic incipit agere de orationis humilitate, & habet duas partes, in quarum prima hoc ostendit in similitudine parabolica quod oratio humilis iustificat, & fastus iactantiæ in oratione accusat: in secunda autem generaliter concludit,quod omnis humilis exaltabitur, & superbus deprimetur. Adhuc in prima parte duæ sunt, io quarum prima dicit quibus, & quare dicit istam parabolam: & in secunda per ordinem ponit parabolam. Dicit autem in prima quatuor. Primò enim dicit in genere quibus dicit, secundò quare,tertiò tangit fastum ipsorum, quarto autem tangit modum doctrinæ.

Dicit igitur, ostendens quoniam non oportet tantum instanter orare, sed etiam humiliter. Et vt hoc ostendat modo nobis conuenienti,quo intelligere possimus[dixit ad quosdam] nomine indignos propter malum meritum ipsorum: quia non transeunt ad nomen: & ideo in populo Dei non nominantur,nec numerantur. *Psalm*. 15. Nec memor ero nominum eorum per labia mea [qui in se confidebant] hoc est, quia in se confidebant [tanquam iusti] hoc est, ac si essent verè iusti ex propria virtute. *Apoc*. 3. Vtinam esses frigidus aut calidus; sed quia tepidus es,incipiam te euomere de ore meo. Isti enim sunt hypocritæ, de quibus dicitur *Roman* 10. Ignorantes enim Dei iustitiam,suam quærentes statuere,iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Satis enim mirum est quod in se confidebant, cum nec suum esset, nec parum esset, nec stabile esset, nec sciretur vtrum Deo acceptum esset, & mirabiliter infirmum esset De primo horum dicitur 1.*Corinth*.4. Quid habes quod non accepisti?Si autem accepisti : quid gloriaris quasi non acceperis? De secundo dicitur *Isa*.64. Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. De tertio dicitur *Iob* 4. Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem. Et quanto magis qui terrenum habent fundamentum, qui habitant domos luteas consumentur velut à tinea. De quarto dicitur *Eccle*.9. Nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit. De quinto dicitur *Isa*.64 Cecidimus quasi folium: vniuersæ iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Mirum ergo est quod in his confidebant. Est autem & ipsa confidentia nulla. *Prouerb*.11. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. *Ierem*.48. Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris. *Eccl*.37.O præsumptio nequissima! vnde creata es?

Et aspernabantur cæteros] Ecce quod alios despexerunt, sua apparentia bona magnificantes, & aliorum mala considerantes. Sicut enim dicit *Beatus Bernardus*. Multi multa sciunt,& seipsos nesciunt: alios inspiciunt, & seipsos negligunt. *Psalm*.21.Omnes qui videbant me aspernabantur me: locuti sunt labiis,& mouerunt caput. Aspernati enim, est cum motu capitis deridere. *Isa*. 33. Væ qui spernis: nonne & ipse sperneris? *Eccli*. 4. Ne reuerearis proximum in casu suo, & ne retineas verbum in tempore salutis[parabolam istam] hoc est,similitudinariam historiam:quia per similitudinem inducitur. Et tamen sæpe verum fuit in rei veritate. *Psalm*.77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.

Duo homines ascendebant in templum vt orarent.

Hic ponit parabolam, & habet tria,in quorum primo ostenditur,qui sunt à quibus trahitur similitudo,secundo in quo,& in tertio ponitur similitudinis inductæ iudicium. Dicit autem in primo sex, quæ secundum literam, & secundum mores notantur, quorum primum est numerus orantium, secundum natura, tertium ascensus ad locum, quartum locus orationis, quintum finis intentionis,& sextum religionis differentia. De primo dicit[Duo]Semper enim duo sunt,qui ad orationem vadunt:Vnus,interiorem significans spiritum: secundus autem,exteriorem, significans curam & solicitudinem corporalium. Istud significatum est *Genes*.22.vbi Abraham cum puero,hoc est, cum spiritu pergens ad orationem, duxit secum asinum & seruos. Et asinus quidem significat corpus: serui autem corporalem solicitudinem. Isti ergo duo sunt.Hoc sub alia metaphora dicitur *Eccle*.10. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Vnguentum enim est deuotio spiritus se recognoscentis. Muscæ autem sunt vanitates cogitationum corporalium,quæ se ingerunt orantibus,præcipuè istis qui se non recognoscunt. Hoc est etiam significatum *Genes*.15. vbi descendebant aues super sacrificium Patriarchæ, sed abigebat eas Abraham. Per aues enim vagabundas,cogitationes significantur vagæ, per sacrificium autem, spiritus contribulatus.

Sic ergo sunt[duo homines] vnius naturæ humanæ existentes, sed non æqualiter participantes eandem. Spiritus enim se recognoscens,ad imaginem Dei est. Alius autem deceptus in seipso opinione sua,homo est,cum vix aliquid hominis habeat. Homo enim cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis *Psalm*,48.Vnus quidem homo.

mo imaginis diuinæ,& fecundum Deum veftitus fuæ cognitionis virtute. *Eccli.17.* Ad imaginem fuam fecit illum, & fecundum feipfum veftiuit illum virtute: vt fcilicet cognofceret feipfum, & Deum. Aliter autem humum fapit totus. *1.Cor.3.* Nonne homines eftis,& fecundum hominem ambulatis? Et præmifit caufam,dicens:cum fit inter vos zelus & contentio. *1.Corinth.15.* Primus eft de cælo cæleftis, fecundus de terra terrenus. Primus enim portat imaginem cæleftis, fecundus autem portat imaginem terreni: & ideo tota die decipitur in feipfo.

Afcenderunt]ambo. Oratio enim,vt dicit *Damafcen.* eft afcenfio intellectus in Deum: & ideo omnem orantem oportet afcendere. Et ideo Abraham Patriarcha afcendit in montem vifionis cum vellet orare *Genef.22.* Dominus etiam afcendit in montem Thabor,vbi transfiguratus eft *Matth.17.* Moyfes etiam, cum pugnaret Ifraël contra Amalech, afcendit in montem: & eleuatis in cælum manibus in oratione,vincebat Ifraël: defcendentibus autem manibus,vincebat Amalech *Exod.17.* *Ifa.2.* Venite,afcendamus in montem Domini,& docebit nos de viis fuis, & ambulabimus in femitis eius. Tangit etiam locum orationis, dicens.

In templum] Templum autem à templor deriuatur, quod quamuis in fimplici non fit in vfu, tamen in compofito inuenitur, contemplor enim dicitur. Et vocatur templum, vbi theophaniæ,& cultus, & laus,& deuotio Dei apparent,& vbi totos nos confetimus ad ea quæ Dei funt videnda & percipienda. *Matth.21.* Domus mea domus orationis eft. *Pfalm.64.* Templum tuum fanctum eft,mirabile in æquitate. Et admonet nos ipfe locus terroris ad maieftatem, fanctitatis ad vitam, diuinorum ad contemplationem, laudis ad cultum, ianuæ cæleftis ad deuotionem, & ornatus decentis ad Domini honeftatem. Propter primum horum dicitur *Genef.28.* Pauenfque Iacob,quam terribilis(inquit)eft locus ifte! De fecundo dicitur in *Pfalm.92.* Domum tuam Domine decet fanctitudo in longitudinem dierum. De tertio dicitur *Ifa.6.* vbi loquitur de templo. Vidi Dominum fedentem fuper folium excelfum, & eleuatum. Et plena erat omnis terra maieftate eius: & ea quæ fub ipfo erant replebant templum. Solium enim excelfum contemplandum in templo, cælum eft: eleuatum in cæleftibus fpiritibus, & fanctis animabus, quarum conuerfatio in cælis: & exinde refplendens omnis terra, maieftate eius plena eft: quia ficut *Ezech 43.* dicitur Terra refplenduit à maieftate eius. Et ea quæ fub ipfo in gratiarum ordinibus, replent templum Ecclefiæ. *Ezech.43.* Fili hominis oftende domui Ifraël templum: & confundantur ab iniquitatibus fuis. Sic *Act.3.* Petrus & Ioannes afcendebãt in templum ad horam orationis nonam. Sic dicitur *Ezech.40.* quod octo gradibus afcendebatur in templum, tribus fcilicet gradibus in contemplatione, fcilicet, contemplatione vifionis corporalis, & imaginatiæ, & intellectualis, quæ contemplationes funt tres cæli, in quos rapitur *Paulus 2.Corinth.12.* Tribus autem in amore, diligendo ex toto corde, & ex tota anima,& ex tota mente *Matth.22.* & duobus in deuotione orationis,& altitudine rectæ intentionis. Afcenderunt autem ifti.

Vt orarent]& eft finis iftorum. Eft autem oratio pius affectus in Deum directus. Et eft oratio afcenfus intellectus in Deum. Et eft oratio petitio decentium à Deo. Et fecundum primam iftarum diffinitionum, affectus afcendit deuotè in Dei bonitatem. Secundum autem fecundam,quæ eft *Damafceni*, intellectus afcendit limpidè in veritatem. Secundum tertiam,quæ item eft *Damafceni*, defiderium afcendit in bonorum Dei plenitudinem. Et fic vt dicit *Pfalm.24.* Anima orantis in bonis demorabitur per tertium: & excedit in lumine per fecundum. *Ioan.4.* Spiritus eft Deus,& eos qui adorant Deum,in fpiritu & veritate oportet adorare. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Per primum tota intenditur in bonitatis diuinæ dulcedine. *Pfalm.35.* Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. In hoc loco orationis, laudis memoria eft ad Dei cultum: quod fuit de fuperius introductis. *Apoc.19.* Laudem dicite Deo noftro omnes Sancti eius: & qui timetis Deum pufilli & magni. Quinto etiam ianuæ cæleftis recordandum eft ad deuotionem. *Genef.28.* Non eft hic aliud nifi domus Dei,& porta cæli. Sexto autem ornatus decentis recordandum eft ad illius honorem, & Angelorum fuorum, qui Dominus eft domus: vt habitus decens mulieres operiat, exterior honor viros exhibeat, religiofa veftis clericum in reuerentiam laicorum ponat. *Pfalm.25.* Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Hinc eft quod Moyfi *Exod.3.* & *Iofue 5.* dictum eft: Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ftas, terra fancta eft. Cum reuerentia enim & honore quilibet fe ibi fecundum fuum gradum debet exhibere: ne dicatur ei illud *Matth.22.* Amice, quomodo huc intrafti, non habens veftem nuptialem? Sic ergo duo homines afcenderunt in templum vt orarent.

Vnus Pharifæus,& alter Publicanus. Pharifæus ftans, hæc apud fe orabat: Deus gratias ago tibi quia non fum ficut cæteri hominum,raptores,iniufti, adulteri: velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in fabbato, decimas do omnium quæ poffideo.

Ecce differens profeffio. Pharifæus enim diuifus fuit, qui confideratione apparentis iuftitiæ gloriabatur. Religionis enim Pharifæorum erat, in manu & in fronte habere membranulas, in quibus fcripta erant legis mandata ad legis recordationem, vel potius ad oftentationem. Si aliquando legis obliuifcerentur, habebant fpinas in oris veftimentorum, quibus puncti iterum redirent ad legis recordationem & obferuationem. Et ideo fignificat hypocritas, qui omnia ifta faciunt ad oftentationem. *Matth.23.* Dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias. Ideo *ibidem infra* dicitur, quod fimiles funt fepulchris dealbatis, quæ exterius videntur fpeciofa, intus autem funt plena fputcitia cadauerum,& offibus mortuorum. Talis igitur erat Pharifæus, quod quicquid humanitatis habuit, quicquid afcenfionis in templum, totum ad laudem hominis retulit: & complacuit fibi in tali fimilitudine iuftitiæ, vel potius in idolo fimilitudinis exterioris.

Alter autem Publicanus] qui publicis præfuit vectigali

vectigalibus, quæ vix, aut nunquam iustè exercentur: semper tamen fuot cum violentia & oppressione. Et ille talis quasi publicus tyrannus & oppressor habebatur. Iste autem quicquid recognitionis habuit ex humanitate, quicquid ascensionis in templum, totum retulit in Deum, quærens pro his quæ in se tecogoouit, indulgentiam & misericordiam à Deo. Isti ergo tales ad templum ascendunt. De Pharisæo dicitur *Matth.6.* Amant in angulis platearum orare. Et ideo etiamsi ad templum ascendit, coram multitudine ascendit, vt videretur ab hominibus. Publicanus autem ex verecundia non patiens seipsum, clam ascendit, & intra secretum cordis sicut in cubiculo orauit. *Matth.6.* Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum. *Isa.26.* Vade populus, intra in cubicula tua, & claude ostia tua super te, donec pertranseat indignatio mea.

Pharisæus stans] Hic tangit orationum istarum diuersitatem, & habet partes duas: vnam quidem Pharisæi, alteram autem Publicani. De oratione autem Pharisæi dicit tria: dispositionem orantis, titulum orationis, & seriem eiusdem. Dicit igitur de primo horum [Pharisæus autem stans] Pharisæus diuisus, diuisam ab aliis orationem se habere significabat. Putabat enim quod multiloquio in commendatione sui modo rhetorico indigeret: contra hoc quod dicitur *Matth.6.* Orantes autem nolite multum loqui. Isti sunt Sacerdotes Baal 3. *Reg.* 18. qui cultris & lanceolis se in conspectu plebis vulnerabant. Pro cultris enim & lanceolis isti phylacteria & spinas habebant. Talis igitur fuit Pharisæus. Hic autem stans orabat, cum procumbens & pronus debuisset orasse. *Exod.4.* Adorauerunt proni in terram. *Isa. 49.* Vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. *Isa.60.* Venient ad te curui qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum. Iste autem stans, elationem mentis indicans, orabat. Oratio enim propria humiliantis se, postulatio est. Dicit autem titulum suæ orationis Euangelista, cum subiungit.

Hæc apud se orabat] Tangit autem duo: quod scilicet quædam quæ sibi videbantur orauit, cum potius orare debuisset quæ reuelauit Spiritus sanctus. *Ro.* 8. Nam quid oremus secundum quod oportet, nescimus: ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et ideo non hoc orare debuit quæ sibi videbantur Nam & Paulus pro stimulo petiit 2. *Corint.* 12. & non exauditus fuit. Sed Domino docente didicit, quod gratiæ Domini oratio committenda fuit, dicente: Sufficit tibi gratia mea. Secundum in quo reprehenditur, est quod apud se orabat, & non apud Deum. Apud se enim orat qui se, & quod sibi placens est, orat. *Ro.* 15. Non debemus nobis placere. Vnusquisque proximo suo placeat in Domino ad ædificationem Quid enim orat qui sibi placet? Ille enim iam habet quod vult, nec oportet vt oret. Aliter orabat *Iob* 16. qui dixit: Non inueniat locum latendi in terra clamor meus: quia in cælo est testis meus, & conscius meus in excelsis. In terra enim latet oratio de se præsumentis: quia sub terreno affectu, quo ipse sibi placet, absconditur. Apud Deum autem habet orationem, qui totam suam petitionem Deo committit. Aliter tamen apud Sanctos oratio dicitur: quia semper est vicina ori eorum, & cordi. *Psalm.* 41. Apud me oratio Deo vitæ meæ. Hæc enim oratio humiliantis se, semper proxima per assiduitatem ori eorum, in sinum eorum conuertetur: quia vtilis est conscientiis eorum. *Psalm.* 34. Oratio mea in sinum meum conuertetur. Hæc enim oratio humiliantis se penetrat nubes: vt dicitur *Eccli.* 35. Et tamen apud Sanctos est per deuotionem, & in sinum eorum conuertitur per vtilitatem, & Deo approximat per animæ in Deum ascensionem, & nullo modo est apud orantem per suiipsorum placentiam. Hic autem sibi placebat, & ideo apud se orabat: quia in oratione, quæ videbat apud se bona, allegabat. *Psalm.* Confusi sunt qui hominibus placent: quoniam Deus spreuit eos. *Galat.* 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Qualiter autem sibi placeat in orationis serie ostenditur, quam continuo interserit, dicens

Deus, gratias ago tibi] In quatuor reprehensibilis inuenitur hæc oratio: in principio, in progressu, in fine, & in quarto quod subintelligitur, quia in oratione nullo indigere recognoscens, nihil penitus petebat. In principio enim gratias agit, cum accusare se deberet. *Prou.* 18. Iustus, prior accusator est sui. In progressu autem cæteros aspernatur. *Malac.* 5. Quare despicit vnusquisque proximum suum? In fine autem commendat seipsum. *Prou.* 27. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Quod autem subintelligitur ex his, quia ita se abundare in bonis & deficere in malis reputat, quod nihil à Deo petit in oratione. *Apoc.* 3. Dicis quia diues sum, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper. In principio ergo dicit [Gratias ago tibi Deus] Gratias autem agere non est pauperis, sed multarum gratiarum animæ. Nam qui penitus destitutus est, de quo gratias agit? Sicut enim ingratus est, qui de percepto munere gratias non agit: ita stultus & cæcus est, qui gratias agit de hoc quod nunquam percepit. Vnde *Eccli.* 25. inter ea quæ odit Deus, ponitur pauper superbus. Qualiter enim gratias agit, qui gratias non accepit, & Deo non est gratus? Potius cum Dauid dicere deberet: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Psalm.* 142. & illud *Iudic.* 1. Terram arentem dedisti mihi, adde & irriguam. Inconuenienter ergo iste à gratiarum actione incepit

Quia non sum sicut cæteri hominum] Ecce quod cum aspernatione aliorum procedit: & in communi, & in speciali homines aspernatus. In communi quidem cum dicit [Non sum sicut cæteri hominum] Dicit autem *Philosophus* quod qui non est sicut homines, aut aliquid melius est omni homine sicut Deus, aut aliquid vilius omni homine, sicut bestia. Deus autem iste non fuit: ergo in bestiam est conuersus. De hoc igitur stultus gratias agit. *Daniel.4.* Cor eius ab humano mutetur, & cor bestiæ detur ei. Hoc dictum est Nabuchodonosor, qui sibi placuit in robore suo. & in decore regni sui. *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. In hoc enim verbum suum est verum, Quia non sum sicut cæteri hominum. Vides qualiter supra diximus, quod duo homines ascenderunt in templum,

plum, naturam humanam non æqualiter participantes. *Iob* 12. Vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia. Iste enim bestia se solum hominem reputauit, & secum mori quicquid est humanæ sapientiæ. 3. *Reg*. 19. Ego relictus sum solus. *Iob*. 1. Effugi ego solus vt nuntiarem tibi. Cum tamen hoc sit falsum, & magnæ præsumptionis indicium. Hic autem specificat, dicens.

Raptores] Tangit autem quatuor hic peccatorum differentias. Et primo ponit [raptores] qui cum violentia in alienis bonis iniusti sunt, qui sine dubio mali & condemnandi sunt: sicut significatum est *Leu*.11. Alietum & accipitrem non comedas iuxta genus suũ. Alietus parua rapit, accipiter autem magna: quia vtrunque genus raptorum immundum est, & nobis per imitationem non incorporandum: quia non census in crimine est, sed rapiendi affectus. Et reuera iste raptor fuit & fraudulentus: quia & ab hominibus rapuit. *Matth*. 23. Comeditis domos viduarum, longas orationes orantes. Et à Deo gloriam rapiunt, de qua dicit Dominus, quod eam alteri non dabit nisi rapiat. *Isa*. 42. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. *Iob* 27. Quæ est enim spes hypocritæ si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius. Mentitur ergo dicendo se non esse raptorem: quia & hominum raptor est, & Dei.

Iniusti] sunt qui fraudibus & peccatis iniurias committunt. *Habac*. 2. Væ ei qui multiplicat non sua: vt quid etiam aggrauat contra se densum lutum? *Eccle*. 4. Non satiantur oculi eius diuitiis. Iste autem iterum mentitur *Matth*. 15. Qui dicitis, Munus quodcunque est ex me tibi proderit: & non honorabit parentes. Isti enim propter suam auaritiam traditiones ad lucrum fecerunt, & illas contra Dei præcepta seruari fecerunt. Et ideo iniusti sunt, & in homines, & in Deum. *Prou*. 21. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium. Propter hoc *Isa*. 14. deridet istos & prædicit pœnam eorum, dicens: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Et subdit: Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Exactor enim rapit: tributarius autem iniurias infert. Et ideo tinea de veste corporis subiecti rapinæ oritur, & vermis de cadauere iniustitiæ fœtentis nascitur.

Adulteri] Adulterium dicitur: quia cum fornicatio simplex sit vltra concessum à lege concubitum vsurpata: violatio thori est cum hac deformitate, addens violationem bonorum matrimonij, quæ sunt tria, sacramentum, fides, & proles. Et hoc est quod dicitur *Eccli*. 23. Mulier omnis relinquens virum suum, peccabit, statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primum, in lege Altissimi incredibilis fuit. Et in hoc contra bonum sacramenti peccauit. Secundò, quia virum suum dereliquit. Et in hoc bonum fidei violauit. Tertiò, quod in adulterio fornicata est, & ex alio viro sibi filios statuit. Et in hoc contra bonum prolis peccauit. Et de viro dicitur *Ibidem*. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnit in animam suam. Iste autem qui verum animæ vitium ex cupiditate dereliquit, non se putat adulterum. Contra quod dicitur *Ierem*. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis. *Matth*. 12. Generatio mala & adultera signum quærit. *Isa*. 57. Accedite huc filij augurtatricis, semen adulteri, & fornicariæ. Sed iste non reputat, nisi exterius in opere corporali committantur: quia errabat in hoc quod dixit, quod lex cohiberet manum, & non animum. Et ideo se iustum in hac parte iustitiæ reputauit: quoniam exteriora maxima facinora non fecit.

Velut etiam hic Publicanus] Hoc cum aspernatione & stomacho dictum est. Et ideo vtitur demonstratione ad ipsum. Contra quod dicitur *Eccli*. 7. Ne irrideas hominem in amaritudine animæ suæ. Est enim qui humiliat, & exaltat circumspector Deus. *Malach*. 1. Quare despicit vnusquisque proximum suum? *Deut*. 23. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: neque Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius. Nec sufficit sibi se iustificare coram Deo, secundum illam iustitiæ partem, quæ est declinare à malo: nisi etiam iactet se secundum aliam, quæ est facere bonum: contra id quod dicitur *Eccli*. 7. Non te iustifices apud Deum: quoniam cognitor cordis est ipse. Dicit autem de afflictione corporis.

Ieiuno bis in sabbato] hoc est, in septimana, quæ à sabbato denominatur, propter hoc quod secundum eos prima dies fuit sabbati. Et quidem ieiunium bonum est, si sanctificatum sit abstinentia vitiorum, si adiutum sit oratione, & largitione eleemosynarũ. De primo istorũ dicitur *Ioel*. 1. Sanctificate ieiunium. De secundo autem *Isa*. 58. Postquam dixit de ieiunio, dicit. Hoc est magis ieiunium quod elegi: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Et *infra*: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Et *infra* de Oratione: Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dices: Ecce Adsum. Non enim non solum prodest alicui ieiunare, sed etiam multum nocet, quando ex auaritia ieiunatur, vt marsupia per parcitatem impleantur. Et hoc modo ieiunabat iste, quia de propriis bonis non saturabatur, vt magis saturaretur crumena. *Isa*. 58. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere animam suam, & contorquere quasi circulum caput? Dicit autem [Ieiuno bis in sabbato] quia semel ieiunabat ad ostentationem, & semel ad auaritiam. Has enim duas causas habuit ieiunij sui. *Matth*. 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.

Decimas do omnium quæ possideo] Qui Deo seruiuit de corpore, dicit se etiam seruisse de rebus. Decima autem soluitur, vt decima perfectionis, apud accipientem decimam esse recognoscatur, hoc est, apud Deum, cuius vicarius & minister accipit decimas. Nouem autem partes retentæ, significant imperfectionem esse apud eum qui dat decimas, & sic indigere illum liberatione ab imperfectione, & quod ille liberator sit qui decimas accipit. *Malach*. 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea, hoc est, in Ecclesia. *Augustinus*. Redde decimas: alioquin deduceris ad partem decimam Angelorum, quæ de cælo cecidit in infernum. Attende autem quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo: quia Angeli sunt in nouem ordinibus. Decimus autem ordo est hominum: & ideo hominis est decimam soluere, vt ruinam angelicam suppleat. Et census de terra, quam

quam dedit Dominus homini, est decima. *Psalm.* 113. Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Lex autem est, quod qui censum non soluit, agrum perdidit. Vnde Dominus dicit se affligi in hoc peccato, quod est non soluere decimas. *Malach.* 3. Si configit homo Deum suum, quia vos configitis me? Et dixistis, In quo configimus te? In decimis & primitiis quas, supple, non redditis. Iste autem Pharisæus iactando hoc dicit, & grauiora omisit, sicut iudicium, & misericordiam in parentes, quos non sustentauit, neque pauperes. Vnde *Matth.* 23. Decimatis mentam, & anethum, & omne olus: & relinquitis quæ grauiora sunt legis. Decimas autem iste soluit, vt apud Sacerdotes de iustitia haberet laudis præconium.

Et Publicanus alonge stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

Tangit orationem Publicani. Duo autem dicit. Describit enim primò dispositionem orantis, & secundò inducit seriem orationis. Dispositio orantis describitur in tribus: in recognitione suæ indignitatis, in abiectione suæ humiliationis, & in modo suæ afflictionis. De primo dicit [Publicanus alonge stans] quia reputabat se indignum vt prope accederet, cum Publicanus esset. *Luc.* 5. Exi à me quia homo peccator sum Domine. Sciebat enim quod 2. *Reg.* 6. Oza occisus est, quod arcæ Domini inclinatæ indignus appropinquauit. Sciebat quod Dauid dixit. Longe à peccatoribus salus. *Psalm.* 118. Et hanc indignitatem sui etiam loco longe stans ostendit: & cum longe esset, tamen stetit, & non in fastu processit sicut Pharisæus. Stans autem, à peccato surrexit, & rectitudinem iustitiæ apprehendit. *Psalm.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantem iniquitatem? Sic ergo à longe stans, sic vt [nolebat nec oculos] hoc est, saltem oculos [ad cælum leuare] in hoc sui cordis ostendens humiliationem, sciens & dicens illam salutarem orationem *Eccls.* 23. Domine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum, superborum scilicet. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium auerte à me. Sciebat enim iste, quod signum à Deo fornicantis animæ, est in extollentia oculorum. *Eccls.* 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum eius, & in palpebris eius agnoscitur. Et ideo oculos depressit, & ad cælum quod offendit leuare oculos ausus non fuit, dicens in corde suo illud *Luc.* 15. Pater peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. Vnde *Beatus Bernardus.* Nolebat oculos ad cælum leuare, vt per humilitatem cælum ad se posset inclinare. *Psalm.* 143. Domine inclina cælos tuos, & descende.

Sed percutiebat pectus suum] Ecce qualis fuit in sui afflictione. Pectus autem percutiebat, quia peccata quæ fecerat, de pectore exierant *Matth.* 15. Quæ procedunt ab ore, de corde exeunt, furta, adulteria, blasphemiæ, & alia huiusmodi. Et hæc sunt quæ coinquinant hominem. In pectoris autem tunsione, & afflictio est, & sonus, & manus appositio. Per afflictionem quidem significatur compunctio, quæ est cordis afflictio: in tunsione autem sonus, qui significat confessionem: & in manus appositione significatur satisfactio. *Exod.* 3. Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ad sacrificandum Deo nostro. *Ierem.* 31. Postquam ostendisti mihi, egi pœnitentiam, percussi femur meum, confusus sum & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Ibi enim percussit, vbi conceptus peccati fuerat.

Percussio enim pectoris vnum est de delentibus peccatum, & maximè venialia, quæ multis remediis absoluuntur, scilicet, tunsione pectoris, oratione dominica, signo crucis, aspersione aquæ benedictæ, confessione communi quæ fit in Prima, & Completorio, & ante Missam, & benedictione Episcopali. Præter hæc autem, habet remedia communia cum mortali: sicut contritionem, & communionem Eucharistiæ, & confessionem specialem, & eleemosynæ largitatem, & condonationem iniuriæ quam intulit frater, & multa alia habet remedia. Sed hic non est hoc de proposita intentione.

Est autem adhuc notandum in percussione pectoris: quia in pectore est discretio, quod in hoc significatur, quod rationabiliter ad peccati quantitatem debet esse proportionata pœnitentia. *Roman.* 12. Rationabile sit obsequium vestrum. Vnde *Leuit.* 7. Pectusculum eleuationis, & armus separationis cedunt in partem Sacerdotis: quia apud Sacerdotem absoluentem à peccatis, & ligantem ad satisfactionem condignam, præcipuè debet vigere huiusmodi discretio. Sic ergo percutiebat pectus suum dicens.

Deus] Tangit hic seriem orationis, in qua tangit propitiantem ex misericordia, propitiationem, & sui accusationem. Propitiantem Deum tangit, cum dicit [Deus] Cuius est prouidere ex misericordia, cuius est videre cor ex deitatis & scientiæ eminentia, cuius est circuire per beneficentiam omnia. Hæc enim tria sonat nomen Dei: sicut sæpe diximus. De cura quidem prouidentiæ dicitur: Iacta cogitatum tuum in Domino. Et ita iste, se in curantem de se Deum iactauit. *Augustinus.* Proiice te in Deum: quia non est ita crudelis, vt se subtrahat, & te cadere permittat. 1. *Petr.* 5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis. Deo autem omnia videnti se ostendit, & non abscondit sicut primi peccatores *Genes.* 3. Audiui Domine vocem tuam, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. *Luc.* 17. Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Peccator enim se Sacerdoti loco Dei ostendit. Deus etiam circuit omnes per beneficia sua, monens nos ad similia, vt omnibus de cætero simus benefici. *Luc.* 6. Estote misericordes sicut Pater vester cælestis misericors est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Sic ergo dicit: Deus.

Propitius esto mihi] Hic tangit propitiationem. Propitiatio autem est clementia iudicis ad peccati veniam & indulgentiam. Vnde dicitur de Christo, qui indulgentiam & veniam nobis obtinuit, 1. *Ioan.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Psalm.* 88. Propitius esto Domine peccatis nostris: nequando dicant Gentes, Vbi est Deus eorum? Et *Exod.* 37. dicitur propitiatorium locus, vbi se Dominus ostendit propitium [peccatori]

dicit;

dicit: vt se accuset. *Psalm.*140. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Non enim dicit, mihi peccanti, sed peccatori, qui ex habitu & consuetudine se peccatorem confitetur. *Daniel.*9. Peccauimus, iniquè egimus in omnem iustitiam tuam. 2.*Reg. vltim.* Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi. 2.*Paralip. vltim.* Peccaui Domine, peccaui: & multiplicatæ sunt offensiones meæ.

Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Sententia Domini est per inductam similitudinem probata. Dicit igitur [Amen] hoc est verè [dico vobis] quæ veritas non fallit [descendit hic] scilicet, Publicanus [iustificatus] quia pœnitentia iustificat impium. *Ezech.*18. Iustitia viuet, & non morietur. Et præmittit: Quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Quod autem dicit quod [descendit] à templo, notatur quod in consideratione sua semper humilior & humilior fuit. 2.*Reg.*6. Ludam, & vilior fiam in conspectu Domini, qui elegit me. *Iacob.*4. & 1.*Petr.*4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Iustitiæ ergo meritum est in humilitate pœnitentium [ab illo] Pharisæo tumido & inflato. Sicut enim dicit *Gregor.* Tumor mentis obstaculum est veritatis. Dicit etiam *Gregor.* quod quatuor sunt species tumoris: quorum primus est, quando aliquis ex seipso putat habere bonum quod habet. *Daniel.*4. Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in robore meo? Et contra hoc dicitur 1.*Corinth.*4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Secundus autem tumor est, quando quidem à Deo se habere recognoscit, sed pro meritis se habere dicit *Matth.*20. Pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. Contra quod dicitur 1.*Corinth.*15. Gratia Dei sum id quod sum. Sic etiam superbi erant, & tumidi illi qui *Isa.*58. dixerunt: Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Tertius fastus est, cum aliquis sibi falsu iactando attribuit quod non habet. *Apoc.*3. Dicis quia diues sum, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper. Quartus fastus est, cum putat se habere plus aliis: vel omnibus, vel quibusdam, & illos despicit: sicut hic Pharisæus. Et hæc est causa, quod ab illo fastuoso Pharisæo Publicanus humilis se recognoscens, & veniam petens, descendit iustificatus. Rationem autem & causam omnium eorum quæ dicta sunt, Dominus subiungit, dicens.

Quia omnis qui se exaltat] fastu mentis sicut Pharisæus [humiliabitur] hoc est, ad humum prosternetur. *Prouerb.*16. Ante ruinam exaltabitur cor. *Luc.*14. Qui se exaltat, humiliabitur. Sic *Isa.*14. Cecidit Lucifer, qui in cælum conscendit, super astra cæli volens exaltare solium suum. Et hoc est dictum de Pharisæo. De Publicano autem dicit [Qui se humiliat] sicut publicanus [exaltabitur] *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. *Eccli.*10 Propter gloriam minoratio: & est qui ab humilitate leuabit caput. Hoc est ergo quod dicit.

Afferebant autem ad illum & infantes, vt eos tangeret. Quod cum viderent Discipuli, increpabant illos.

Hîc docet simplicitatem humilitatis, & dicuntur hic duo, quorum primum est historia: de qua sumit occasionem doctrinæ. Et deinde ponit doctrinam. In prima harum partium tria dicuntur, oblatio, scilicet, paruulorum simplicium & humilium, & prohibitio Discipulorum à fatigatione Domini, & correctio erroris Discipulorum per Dominum. In primo horum tria dicuntur: paruulorum allatio, & paruulorum in simplicitate dispositio, & oblationis paruulorũ intentio. De primo dicit [Afferebant autem] *Matth.*18. dicitur quod offerebant. Et notatur quod Christo infantes suos dedicauerunt, sicut & nunc Ecclesia paruulos suos affert, & offert Christo. *Psalm.*28. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum: Filij arietum sunt filij ducum gregis, hoc est, bonorum Sacerdotum, qui gregem Domini ducunt, & pueros Ecclesiasticis imbuunt sacramentis. *Isa.*60. Offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo. Altare enim Christus est, & domus Ecclesia, quæ in talibus glorificatur. Infantes nihil fantes propter simplicitatem. 1.*Petr.*2. Quasi modo geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis. Lac autem est doctrina, & gratia sacramentorum Ecclesiæ. Tales igitur afferebant ad Christum. 1.*Corinth.*14. Malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti sitis.

Vt eos tangeret] Ecce oblationis intentio. Sciebant enim quod tactus in se haberet virtutem diuinitatis: & sic sanarentur à langoribus suis, & omnibus bonis informarentur. *Luc.*9. & *Matth.*9. Si tetigero fimbriam vestimenti eius salua ero. *Marc.*6. Quotquot tangebant eum, salui fiebant, à quacunque etiam infirmitate detinebantur. Ideo dicit *Genes.*27. Accede huc fili mi, vt tangam te. Tangens enim consolatur. *Daniel.*8. Tetigit me, & statuit me in gradu meo. Tangit aliquando durè, cum peccatum tollit. *Iob* 19. Miseremini mei miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Tangit, cum virtutem influit. *Luc.*8. Tetigit me aliquis. Ego enim cognoui virtutem de me exisse.

Quod cum viderent Discipuli] & factum non intelligerent [increpabant illos] compatientes Domino lasso ex instantia prædicationis, & volentes eum paulisper requiescere. Sed Dominus, vt dicit *Beda*, salutem omnium sitiens, fatigari non poterat desiderio salutis, quamuis corporaliter aliquando fatigaretur. In hoc enim Gentium vocatio figurabatur. Simile autem aliquid passi sunt Discipuli Iosue, qui *Num* 11. dixit de Prophetantibus. Domine mi Moyses prohibe eos. Attende autem quod Discipuli intercedebant pro Syrophœnissa deprecanti pro filia *Matth.* 15. Hîc autem increpant afferentes paruulos, in vtroque compatientes Domino, scilicet, ne illa diu importuna esset, quæ leui verbo absolui poterat: & ne hîc Dominus multitudine fatigaretur facto, per quod diu laborare oportebat. Tamen dicunt *Ambros.* & *Beda*, quod Apostoli prius

volentes gentem ſuam ſaluari, prohibebant oblationem paruulorum. Per quod intelligebant Gentes eſſe ſaluandas. *Rom.9.* Optabam ego ipſe pro fratribus meis anathema eſſe, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.

IESVS autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium eſt enim regnum Dei.

Dicit autem hîc quatuor, quorum primum eſt, quod omnes in communi de facto hoc inſtruxit: ſecundum autem quod paruulos ad ſe venire permitti voluit: tertium quod arceri tales ab aduentu ad ipſum noluit: quartum autem quod omnium iſtorum cauſa fuit. Dicit igitur [IESVS autem conuocans illos] magis in vnum cordis intellectum & conſenſum, quam in vnum locum. Diſcors enim erat intellectus Diſcipulorum ab intellectu myſterij. *Iob 25.* Poteſtas & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus. *Geneſ.49.* Congregamini filij Iſraël, congregamini, & audite Iſraël patrem veſtrum [dixit: Sinite pueros] non tam ætate quam ſimplicitate innocentiæ [venite ad me] *Prouerb.9.* dixit Dei ſapientia: Siquis eſt paruulus, veniat ad me. *Iſa 66.* Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos [& nolite prohibere eos] remouendo etiam obſtaculum, ſi quod eſt ad veniendum. Non enim ſufficit ſinere venientem, niſi etiam remoueatur adueniendi obſtaculum. *Prouerb.3.* Noli prohibere eum qui benefacit: ſi potes & ipſe benefac. Hæc eſt enim herodiana malitia, perſequi paruulos ad Chriſtum venientes cum Chriſto natos. *Matth.2.* Mittens, occidit omnes pueros in Bethleem Iudæ, & in omnibus finibus eius, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Hæc eſt etiam Ægyptiaca crudelitas, paruulos populi Dei extinguere: quia dicitur *Exod.1.* Quicquid maſculini ſexus fuerit, in flumium proiicite.

Talium] ſimplicium ſcilicet, & humilium, qui ſeipſos paruos reputant, & minores ad omnia Dei dona. De primo dicitur *Prouerb.3.* Cum ſimplicibus ſermocinatio eius. *Sapient.1.* Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. *1. Paralip. vltim.* In ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa. De humilitate autem dicitur *Prouerb.19.* Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Matth. 18.* Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior vocabitur in regno cælorum. De minoratione autem ad Dei dona dicitur *Geneſ.32.* Minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Adhuc autem paruus eſt, & paruulus minor paruo, & ideo humilibus humilior. Et ideo ad receptionem Dei habilior, & ad notitiam ſapientiæ Dei perſpicacior, & ad reuelationes Dei magis idoneus. De primo dicitur *Luc.19.* Quærebat Ieſum videre, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et ideo Dominus dixit: Deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et ille feſtinans deſcendit per humilitatem, & accepit illum gaudens. De ſecundo *Prouerb.9.* dicit Sapientia: Siquis eſt paruulus, veniat ad me. De tertio *Matth.11.* Reuelaſti ea paruulis. Adhuc autem (ſicut hic dicitur) talium eſt regnum cælorum. Hi etiam veraces ſunt dum quæritur ab eis, & iniuriæ non ſunt memores. De primo horum dicitur *Num.14.* Paruulos veſtros, qui neſciunt diſtantiam boni & mali, introducam in terram quæ diſplicuit vobis. De ſecundo *Apoc.14.* In ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula ſunt ante thronum Dei. De tertio *Epheſ.4.* Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. *1. Corinth.14.* Malitia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti ſitis [Talium] igitur innocentium [eſt regnum cælorum] ad literam, regnum cælorum: quia perfectio gaudij & iuſtitiæ committitur illis in cælo: & debet talibus committi in terra, vt in vtroque regno ſemper ſint perfecti.

Amen dico vobis: Quicunque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.

Hic incipit doctrinam iuxta ſimilitudinem inductam. Et præmittit confirmationem, dicens [Amen] hoc eſt verè [dico vobis. Quicunque] ſine perſonarum acceptione. *Act.10.* In veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui operatur iuſtitiam & timet Deum, acceptus eſt illi [non acceperit regnum Dei vt puer] hoc eſt, in humilitate, & innocentia, & obedientia: quia puerorum eſt obedire. *Galat.4.* Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo: cum ſit Dominus omnium. De innocentia *Iob 22.* Saluabitur innocens, ſaluabitur autem munditia manuum ſuarum. De humilitate autem dicitur *Luc.1.* Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles [non intrabit in illud] Per foramen enim acus tranſire oportet: & niſi paruulus ſit, ad tam arctum foramen impinget. *Matth. 7.* & *Luc. 13.* Contendite intrare per anguſtam portam: quia arcta eſt via, & anguſta porta quæ ducit ad vitam. Paruulus ergo intrat, & magnus impingit. Efficiamur ergo paruuli cum paruo Domino, de quo dictum eſt *Iſa.9.* Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Sic paruificatus eſt qui dixit *1. Corinth.15.* Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Et *Epheſ.3.* Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc. *Matth. 11.* Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. Sic enim gradus honoris ſui humilis Dominus diſpoſuit, dicens: Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter: & qui præceſſor, ſicut miniſtrator *Luc.22.*

Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo?

Hic incipit agere de perfectione mandatorum, poſtquam præmiſit quicquid erat de humilitate dicendum. Diuiditur autem hæc pars in duas, in quarum prima quæſtio ponitur de via perfectionis: in ſecunda autem ponitur inſtructio. De primo dicit [Interrogauit eum quidam] *Matth.* autem.19. dicitur, quod Dominus erat in domo, & cum exiſſet, interrogauit eum quidam adoleſcens huiuſmodi quæſtionem. Sed ex hoc patet, quod *Lucas* non ſequitur ordinem hiſtoriæ: ſed geſta Domini ordinat, & inducit ſecundum quod ad ſui propoſiti faciunt declarationem. Iſte autem qui hic princeps vocatur, etiam ætate fuit adoleſcens. Iſte autem ſecundum *Ambroſium* & *Hieronymum*

nymum videtur tentando quæsisse. Cuius signum dicunt esse: quia reprehendit eum Dominus, dicens: Quid me dicis bonum? Aliud signum dicunt: quia fuit contristatus. *Beda* autem videtur velle, quod fuerit simplex, & non tentans: cuius signum dicit esse: quia *Marc.* 10. dicitur, quod intuitus est eum IESVS. Nec Dominus legitur intuitus aliquem esse nisi bonum. *Luc.* 22. Respexit Petrum: & egressus Petrus fleuit amarè. Et *Sap.* 4. Respectus eius in electos eius. Potuit autem esse quod primò tentauit: & postea verbis Domini ad beneuolentiam inductus est, & tunc non tentauit. Vel fortè diuersi fuerunt hic, & in *Matthæo*. Iste ergo quicunque fuerit, siue tentando, siue simpliciter accesserit, occasionem ex verbis Domini accipit, vbi perfectionem in simplicitate & humilitate posuit: quia perfectio potius in sapientia legis esse secundum antiquos videbatur. Dicit ergo.

Magister bone] Tria dicit in quæstione: præmittit enim beneuolentiæ captationem, quærit de operibus perfectionem, & operum perfectorum congruam remunerationem. Dicit igitur captando beneuolentiam [Magister bone] *Chrys.* dicit, quod significat laudatores Sanctorum, & non imitatores. Laudat enim eum à perfectione sapientiæ, cum dicit [Magister] *Ioan.* 3. Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest facere hæc signa quæ tu facis, nisi fuerit Deus cũ ipso [bone] Laudat eum à perfectione virtutis. *Psal.* 118. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas [qui faciẽs] Ecce quærit de perfectione operum. Virtus enim in operatione & non in sermone consistit, vt dicit *Philosophus*. Fides etiam sine operibus, & sine motiuo ad opera, quod est charitas, mortua est *Iacob.* 2. Ergo quia non est in sermone sed in virtute, non quærit iste quid dicendo, vel sciendo: sed potius quid faciens, possit habere perfectionem. *Iacob.* 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. 2. *Cor.* 8. Facto ostendite, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & faciendi secundum id quod habetis [vitam æternam possidebo] ecce congrua operis remuneratio. Et dicit tria: vitam in qua est remunerationis substantia, & æternitatem in qua est mercedis duratio, & possessionem quæ est in hoc quod ad nutum habeatur remuneratio. Dicit igitur [vitam] beatam: quia alia vita non est summum bonum quod expectatur. Hæc autem vita est actus & influentia vitæ diuinæ in animã. *Eccli.* 4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit. Sic enim Deus fons vitæ, non est Deus mortuorum, sed viuentium *Matth.* 22. *Deut.* 4. Vos qui adhæretis Domino, viuitis vniuersi. Sic dicitur in *Psal.* 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Hæc vita petitur [æterna] vt nunquam deficiat. *Ioan.* 3. Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et hoc est, quando mors à Sanctis propelletur & destruetur. 1. *Cor.* 15. Nouissimè autem & ipsa inimica destruetur mors. *Osee* 13. O mors ero mors tua: morsus tuus ero inferne. *Isa.* 15 Præcipitabit mortem in sempiternum. Hanc autem vitam [possidere] hoc est, ad nutum habere quærit iste, quæ sit hæreditas ab hærendo dicta. 1. *Pet.* 1. Regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & immarcessibilem, & incontaminatam, conseruatam in cælis. Hæc est possessio omnium facientium Dei voluntatem. *Matth.* 19. Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. In hac enim vita pedes ponent: quia possessio quasi pedum positio dicitur. 1. *Reg.* 2. Pedes Sanctorum suorum seruabit: & impij in tenebris conticescent. Affectus enim Sanctorum ita in illa hæreditate requiescent. Hæc est ergo quæstio istius principis. Sicut enim dicitur *Isa.* 32. Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit, & non erit amplius is qui insipiens est princeps.

Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.

Secundum est, vbi ponitur responsio quæstionis. Et dicit duo, quorum primum est responsio quærentis: secundum autem solutio quæstionis. De primo dicit duo: reprehensionem laudantis, & conuictionem blanditoris. Dicit igitur [Quid me dicis bonum] q. d. Cum me credis hominem vanitati & malitiæ subiectum; sicut est omnis homo purus. *Psal.* 13. Non est qui faciat bonum, non est vsque vnum. Et ideo *supra* 11. dixit Apostolis. Si vos cum sitis mali nostis bona data date filiis vestris &c. Comparatione enim Dei nulla creatura est bona. *Iob* 4. Nunquid homo comparatione Dei iustificabitur. *Greg.* Humana iustitia diuinæ comparata, iniustitia est. *Iob* 25. Nunquid potest homo iustificari comparatus Deo [Nemo bonus nisi solus Deus] Hoc enim est bonum, omnis boni bonum, & sine quo nihil est bonum, & ideo essentialiter est bonus. Omnia autem bona sunt accidentaliter & participatione boni. *Matth.* 19. Nemo bonus nisi solus Deus. *Matth.* autem 19. dicitur: quid me interrogas de bono? Et respicit ad hoc quod ille quæsiuit, Quid faciens &c. Hoc autem quod dicit hic, Quid me dicis bonum? respicit ad hoc quod dicit: Magister bone. Solus autem dicitur bonus, quia est causa boni. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Et hoc modo non est bonus nisi solus Deus.

Mandata nosti, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem? Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.

Hæc est reponsio quæstionis, & habet partes duas in quarum prima docet perfectionem iustitiæ in madatis: in secunda vero, perfectionem vitæ priuilegiatæ in consiliis. In prima harum duo facit, in quorum primo perfectionem ostendit mandatorum in opere existentium: in secundo autem ponitur responsio de perfectione ista. In priori harum adhuc duo dicit, in quorum primo notitiam mandatorum apud illum esse ostendit: in secundo autem mandata operis enumerat. Dicit igitur [Mandata nosti] cum enim mandata moralia de naturali iure sint, omnis homo vsum rationis habens, mandata nouit. Et hoc est quod dicit [Mandata nosti] hoc est, notitiam

habes mandatorum. Et ideo quid agere debeas, quærere non oportet. *Psalm.* 4 Multi dicunt quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: quod scilicet ostendit quid faciendum, & quid non faciendum sit. *Baruch* 4. Animæquior esto populus Dei: quia quæ Deo placent nota sunt nobis. Ideo *Exod.* 20. dicitur. Cunctus autem populus audiebat voces: quia vox mandatorum per naturale iudicium rationis ad omnes peruenit. Sic igitur mădata nosti.

Non occides] Attende quod quia iste quæsiuit, quid faciens vitam æternam, &c. ideo Dominus non facit mentionem, nisi de his mandatis, quæ consistunt in exteriori opere: & ideo de his tribus mandatis, quæ ordinant ad Deum, nullam penitus facit mentionem; nec de duobus vltimis qui consistunt in concupiscentia cordis. Quăuis enim secundum mandatum videatur esse in verbo, non tamen est in verbo: quia in vanum accipere nomen est in cordis vanitate. Ea autem quæ consistunt in opere, ordinant secundum duas partes iustitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. Et apud nos quidem prius est declinare à malo quam facere bonum. In hac autem parte iustitiæ, quæ est declinare à malo, ordinant mandata quatuor, secundum quod sunt maioris nocumenti contra proximum. Et primum quidem, quod est contra nocumentum personæ proximi, est [Non occides] In quo omne nocumentum, quod in personam proximi cadere potest, prohibetur. Fit autem duobus modis nocumentum in personam proximi: nocumenti scilicet, irrogatione, & beneficij subtractione. Nocumenti irrogatione: sicut quando consilio, vel voluntate procurante, vel verbere persona proximi læditur. *Matth.* 5. Non occides. Qui autem occiderit reus erit iudicio. Beneficij autem subtractione: sicut quando liberare possum, & non libero: vel pascere possum, & non pasco: & sic moritur homo, per mei beneficij subtractionem, sicut dicit *Augustinus*. Pasce fame morientem: quod si non paueris, occidisti. *Prou.* 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Hoc est igitur quod dicit [Non occides.]

Non mœchaberis] Mœchia adulterium est, quod secundum locum tenet in nocumento proximi: quia illud est nocumentum quod infertur in fide thori, in adiutorio quod datum est homini ad salutem speciei, ex quo capere debet naturæ fugientis pignus. *Matth.* 5. Dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Et ideo mœchia committitur opere, & voluntate, & machinatione.

Non furtum facies] Hoc est tertium contra nocumentū, quod irrogatur proximo in his, quę concessa sunt proximo ad solatium vitæ, & ad substantiæ indiuidualis sustentationem. Et prohibetur in eo omnis modus rapinæ, scilicet, furti, fraudis, doli, seu quocunque modo aliquis potest ab alio in bonis damnificari. *Matth.* 19 Non furaberis. *Exod.* 20. Idem *Ioan.* 10. Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Et sic multi latrones sunt in bonis Ecclesiarum, qui nihil iuris habent, sed inuito Domino cuius sunt bona aliena contrectantur.

Non falsum testimonium dices] Hoc est contra nocumentum in verbo. Et prohibetur omne mendacium, præcipuè tamen prohibetur mendacium perniciosum, & hoc est quod omnibus nocet, & nulli prodest. Fit autem tribus modis vt dicit *Augustinus in Libro de Mendacio*, scilicet, cum mendacio alicuius aliquis perdit virtutem, vel honorem, vel aliquam virtutis conditionem, sicut virginitatem. Secundo autem modo, quando mendacio alicuius aliquis perdit vitam, vel sanitatem, vel aliquid huiusmodi in corpore. Tertio modo, cum mendacio alicuius aliquis perdit bona fortunæ. Hoc enim mendacium nocet mentienti, nocet damnum patienti, nocet etiam damnum inferenti, quia perdit animam. Et de hoc intelligitur quod dicitur *Sapient.* 1. Os autem quod mentitur, occidit animam. *Psalm.* 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Deinde ponit vnum, quod est secundum partem illam iustitiæ, quæ est facere bonum, dicens.

Honora patrem tuum & matrem] Hoc autem ideo præcipitur: quia debilitatur virtus in parentibus: & ideo indigent sustentatione filiorum. Honor autem ille consistit in reuerentia debita, & obedientia deuota, & sustentatione corporali. *Eccli.* 3. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. *Exod.* 20. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. *Tobiæ* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quanta sit propter te passa in vtero suo. *Eccli.* 3. Qui timet Dominum honorat parentes: & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt in omni opere, & sermone, & in omni patientia. Hæc igitur sunt illa mandata in factis, de quibus ille quæsiuit consistentia. Et quia nihil quæsiuit de cordis perfectione, constat istum sicut dicit *Chrysost.* fictum fuisse. Credens enim fuit, quod lex esset in factis, & non in cordis deuotione.

Qui ait] scilicet princeps [Hæc omnia custodiui] in opere [à iuuentute mea] Et sic se ad proximum ostendit innocentem. *Psalm.* 70. Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua. *Thren.* 3. Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. *Psalm.* 118. Ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquitatis odio habui.

Quo audito, IESVS ait ei: Adhuc vnum tibi deest: Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.

Hic incipit tangere viam perfectionis consiliorum, & habet partes duas: in quarum prima viam perfectionis proponit: in secunda autem ex refutatione viæ illius, Discipulos instruit. De prima dicit [Quo audito] quod tamen ante sciuit sed audiri ab aliis ex hoc instruendis, voluit [IESVS ait ei] instruens eum de vlteriori perfectione: sicut petit *Psalm.* 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, hoc est, perficiendos doce [Adhuc vnum deest tibi] Tria dicit, in quorum primo, mandata factorum exteriorum perfectioni non sufficere ostendit: in secundo, impedimenta perfectionis amouere instruit: tertio, quod perfectum est adiicit. Dicit igitur [Vnum tibi

tibi deest] hoc est, vnum quod reddit hominem totum indiuisum in corde. Et hoc est vnum veré vniens, quod suis petit Dominus *Ioan.*17. Vt sint vnum, sicut nos vnum sumus. *Luc* 10. Vnum est necessarium. Vt scilicet homo non diuisus sit in ea quæ sunt mundi, & in ea quæ sunt Dei. 1.*Corinth.*7. Qui cum vxore est, cogitat quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori suæ, & diuisus est. Econtra de diuinis hominibus, qui non cogitant nisi quæ sunt Dei, dicitur *Ioan.*17. Tu in me, & ego in eis, vt sint in vnum consummati. Sic *Act.*4. Multitudinis credentium erat cor vnum, hoc est, indiuisum: & anima vna per diuersas solicitudines & curas & affectiones indiuisa. *Osee* 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.

Omnia quæ habes vende] Ecce remotio impedimenti perfectionis. Dicit autem duo, scilicet, distractionem rerum, & collocationem earum in tuto. De distractione dicit [Omnia quæ habes vende] *Hieron. in proœmio galeato.* Si habes in potestate tua rem tuam, vende: si non habes, proiice. Credenti totus mundus diuitiarum est: infidelis etiam obolo indiget. Dicit autem [Omnia vende] quia si partem retineat, accidit ei sicut Ananiæ & Saphiræ *Act.*5. qui fraudauerunt de pretio agri: & ideo percussi sunt sententia Domini. 2.*Corinth.*6. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Hac igitur de causa dicit [omnia quæ habes] Si enim aliqua abstulit violenter ei mundus, non poterit vendere: sed patientia damni, est pro merito eleemosynæ. *Hebr.*10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis, arbitrantes vos habere meliorem & manentem substantiam. Sic igitur dicit: Omnia quæ habes [vende] ad formam Apostolicam. De qua dicitur *Act.*4. Quotquot erant possessores agrorum, vendebant & ponebant pretia ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem vnicuique, prout cuique opus erat. Vendebatur ergo non pro auaritia, sed vt melius pretium quam prædium dignis pauperibus distribueretur. Et hoc est quod sequitur [da pauperibus] Et tangit, qualiter in tuto res debeat collocari. Et dicit duo, vnum scilicet, quod manibus pauperum distribuatur: alterum, quod fiat intentione cælestis remunerationis. De primo dicit [da pauperibus] Datur autem, quod gratis exhibetur, liberè, & libenter, & sine improperatione. 2.*Corinth.*9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. *Iacob.*1. Dat omnibus abundanter, & non improperat. Dicit autem [pauperibus] non diuitibus, sed indigentibus, & qui veri pauperes sunt propter Euangelium. *Isa.*23. His qui steterunt coram Domino, erunt mercedes eius, vt comedant vsque ad saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem. *Gloss.* his, qui steterunt coram Domino, hoc est, veris pauperibus. *Psalm.*21. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi. Hi sunt enim veri pauperes, qui requirunt Dominum, & laudant eum, & quorum corda viuunt in gratia. *Psalm.*111. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. His ergo non diuitibus dandum est. *Isa.*58. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam. *Luc.*14. Voca pauperes, debiles, & cæcos, & claudos.

Et habebis thesaurũ in cælo] per intentionem: quia non nisi intentione cælestium das. *Matth.*6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Isa.* 45. Dabo tibi thesauros absconditos. Iste enim est pretiosus thesaurus, quando congregatur in cælo ad visionem fulgor sapientiæ diuinæ splendentis, nitor candentis luminis ad illuminationem animæ & corporis, copia virtutum angelicarum & diuinarum pro lapidibus pretiosis, dulcedo diuini Spiritus ad fruitionem, & omnes diuitiæ Dei ad possessionem, & regnum decoris ad gloriam. *Psalm.*67. de primo dicit. Posteriora dorsi columbæ erunt in splendore auri. Posteriora autem spiritus sunt, quæ erunt in gloria. De secundo dicit *Psalm* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt. De tertio *Ps.*18. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum. De quarto *Psalm.*118. Dulciora super mel & fauum. De quinto *Psalm.*8. Constituisti eum super opera manuum tuarum. De sexto *Psalm.*20. Gloriam & magnum decorem impones super eum. *Iob* 22. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.

Et veni, sequere me.

Hîc adiungit quod perfectum est. Dicit autem duo: profectum in bono, & imitationem. De profectu dicit [Et veni] Continuò proficiendo, te & tua derelinquendo, & ad me accedendo. Sic enim venies. De primo *Luc.*2. Puer IESVS proficiebat ætate & sapientia, coram Deo & hominibus. *Luc.*2. Puer autem proficiebat, & confortabatur spiritu, & gratia Dei erat cum illo. De secundo dicit *Psalm.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. *Genes.*12. Egredere de terra, & de cognatione tua, & veni ad terram quam monstrauero tibi. De tertio dicitur in *Psalm.*33. Accedite ad eum & illuminamini & facies vestræ non confundentur [& sequere me] imitando formam quam exhibeo. *Ioan.*21. Sequere me. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui *Daniel.*3. Nunc sequimur te in toto corde nostro, & timemus te. *Iudic.*9. Certatim sequebantur ducem. *Matth.*8. Sequar te quocunque ieris.

His ille auditis, contristatus est: quia diues erat valde.

Hîc tangit iuuenis vel principis istius contristationem, & dicit duo, quorum primum est factum: secundum autem doctrina ex ipso facto occasionata. De facto dicit duo: contristationem, & causam contristationis. De contristatione dicit [His auditis contristatus est] Et erat ei auditus causa contristationis, cum potius deberet esse causa lætitiæ & exultationis: sicut fuit illi qui dixit *Cantic.*2. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. *Psalm.*44. Diffusa est gratia in labiis tuis. Iste autem quærebat audire à Domino: non quod Dominus vellet, sed quod esset secundum desiderium proprium: & ille malus minister fuisset. Vnde dicit *Beatus Bernardus.* Ille bonus minister erit, qui non quærit audire quod voluerit, sed velle quicquid audierit. Et quia contra voluntatem cupiditatis suæ verbum audiuit, ideo contristatus

tristatus est. *Iob* 15. Sonitus terroris semper in auribus eius: & cum pax sit, ille insidias suspicatur. *Prouerb.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo [quia diues erat valde] Ecce causa tristitiæ, cupiditas diuitiarum quas amauit ad retinendum, & perfruendum eisdem. Diuitiæ enim facilius relinquuntur quam amor diuitiarum: quia multi non habentes diuitias, amorem tamen diuitiarum non deserunt. Et illi sunt viri diuitiarum, qui diuitiarum sunt proprij, & diuitias reputant summum bonum in vita: sicut ille de quo dicitur *Luc.* 12. qui dixit: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, & epulare. Contra quod dicitur in *Psalm.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Videns autem IESVS illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

Hic ex occasione facti accipit doctrinam Discipulorum, & dicit hic duo: doctrinam, & solutionem dubij, quod ex doctrina ortum fuit in cordibus audientium. In doctrina dicit tria: primum est quod dat occasionem docendi: secundum est ipsa doctrina de diuitiis: tertium est modus eius, quod dicit in difficultate. Tangit ergo primum, & dicit [Videns autem IESVS illum magis interius perspiciens lumine diuinitatis, quam exterius oculo corporis [tristem factum] *Ezech.* 3. Abij amatus in indignatione spiritus mei. 2. *Corinth.* 7. Seculi tristitia mortem operatur. Hæc enim tristitia fuit ex absentia illiciti delectabilis, quod illicite amabarut. *Genes.* 4. Cur concidit facies tua [dixit] docendo Discipulos, qui diuitiarum erant contemptores [Quam difficile qui pecunias babent] quia habere pecuniam econtra habet cor. Habere enim generat difficultatem, & amare supra Deum generat impossibilitatem intrandi in regnum. *Eccle.* 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. 1. *Timoth.* 6. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Difficulter ergo intrat [in regnum cælorum] qui habet. Sed impossibile quod intret qui amat diuitias. Et ideo sunt periculosæ. Propter quod regnum cælorum dicitur esse pauperum. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. De diuitibus autem non subiicientibus diuitias, sed subiectis diuitiis dicitur *Iacob.* 2. Nonne diuites opprimunt vos per potentiam, & ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super vos.

Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

Tangit modum difficultatis: & est abusio in comparatiuo, & est sensus: Facilius, hoc est, minus difficile. Quia quamuis impossibile sit camelum per foramen acus transire: huic tamen impossibili non obstat, nisi impossibilitas naturalis. Sæpe autem diuersis de causis à Deo fiunt, quæ secundum naturam impossibilia sunt. Sed quod taliter, vt dictum est, diues intret in regnum cælorum, obuiat iustitiæ diuinæ: & hoc nunquam fit, neque à natura, neque à Deo. *Matth.* 6. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Et sic facilius est istud quam illud. Cum enim camelus vnum habeat pondus corporale, propter quod non potest transire: diues duo habet pondera, vt dicit *Beatus Bernardus*. Vnum est onus diuitiarum: aliud autem onus peccatorum. Pondus quidem diuitiarum in morte deponit: sed onus peccatorum, quod ex amore diuitiarum contraxit, secum defert, & cum illo intrare non poterit per arctam viam, & angustiam portam quæ ducit ad regnum. Quod autem primum in morte deponit dicitur *Iob* 1. Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. 1. *Timoth. vltim.* Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec portare quid possumus. *Eccle.* 5. Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima. Sicut egressus est nudus ex vtero matris suæ, sic reuertetur. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, ita & reuertitur. Et ideo consilium datur quod ante mortem, & diuitiæ dimittantur, & pondus amoris deseratur. *Hebr.* 12. Deponentes omne pondus, & incircumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. *Hebr.* 11. Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.

Sunt autem qui istud exponunt aliter. Dicunt enim quod quædam porta est Ierusalem stricta, & arcta, quæ vocatur foramen acus, ad quam cum sarcinis cameli venientes transire non possunt, nisi deposita sarcina. Et dicunt quod de hac porta Dominus loquitur. Sed hoc non est verum, sed potius intelligendum sicut dictum est. Allegorice autem loquentes, dicunt, quod acus est Christus, in prima parte acuta acumine deitatis: in corpore recta, per conuersationis iustitiam: posterius grossior, per assumptam humanitatem, & ibi perforata per passionis vulnera. Hæc acus est quæ resarciuit tunicam nostræ mortalitatis in Adam conscissam, & consuit Gentilem cum Iudæo in vnam Ecclesiæ vestem, & Angelum cum homine ad ruinæ angelicæ reparationem. Et hoc significatum est *Exod.* 26. Vbi vestis Sacerdotis & cortinæ tabernaculi præcipiuntur fieri opere plumario, hoc est, acuali. Et per hoc foramen, camelus deposita sarcina peccati, & inclinato dorso superbiæ, transire potest mirabili misericordiæ Dei facilitate. Sed diues manens in amore diuitiarum, ad foramina vulnerum Christi non venit: & ideo per ea ad regnum non transit. Vnde de bonis transeuntibus in *Cantic.* 2. dicit. Columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. Petra autem erat Christus. Maceria autem, macer murus Christus, in morte maceratus. Et cauerna est foramen lateris, quod post infixum fuit. *Ierem.* 48. Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.

Secundum istam expositionem (quæ *Chrysost.* est) Camelus significat peccatorem, septem proprietatibus cameli, quas ipse *Chrysost.* enumerat. Quatũ prima est gibbi erectio & dorsi depressio, vt sit per modum sellæ: & quia vt cætera animalia

collum

collum non poteſt erigere: & quia erecto collo deorſum non poteſt aſpicere: adhuc autem crura habet enormiter excedentia: adhuc autem quia ſecundum legem ſemiplena eſt eius munditia, quia ruminat, & vngulam non findit: adhuc autem pedem habet mollem terram amplectentem, quia cedit terræ, & circumſtat terræ receptæ in pede. Primum autem horum faſtum, vel ſuperbiam ſignificat. *Luc.* 14. Qui ſe exaltat, humiliabitur. *Eccli.* 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Sella autem ſuauem inſeſſionem ſignificat diaboli, qui inſidet peccatoribus. *Pſalm.* 80. Diuertit ab oneribus dorſum eius *Pſalm.* 68. dorſum eorum ſemper incurua. Quod autem incuruatum habet collum, nec poteſt erigere vt cætera annimalia, ſignificat auerſionem peccatorum à cæleſtibus. *Luc.* 13. Mulier habens ſpiritum infirmitatis incurnata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Quod autem & directè non poteſt collum dirigere deorſum, ſignificat quod peccator ſuos greſſus non conſiderat. *Thren.* 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius conuolutæ ſunt & impoſitæ collo meo. Infirmata eſt virtus mea, dedit me Dominus in manum, de qua non potero ſurgere. Crurium autem enormis longitudo, ſignificat in peccatoribus deſideriorum longitudinem ad vitam quam ſibi promittunt: ſicut diues *Luc.* 12. dixit. Habes multa bona repoſita in annos plurimos. *Iſa.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit. Semiplena autem munditia, ſignificat quod etſi peccator diues, aliqua bona facit exterius, interius tamen conſcientiam non emundat, & exteriora fiunt per hypocriſim. *Matth.* 23. Iuſtificatis vos coram hominibus: intus autem eſtis pleni iniquitate, & rapina. Quod autem pes mollis eſt, ſignificat affectus molles cuilibet delectabili cedentes. Hic pes terram amplectitur per dilectionem terrenorum. *Pſal.* 48. Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. *Ierem.* 17. Recedentes à te, in terra ſcribentur. Sic ergo dicit, quod facilius eſt talem peccatorem depoſito onere peccatorum, per foramen acus Chriſti paſſionum tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.

Et dixerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſaluus fieri? Ait illis: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Et dixerunt qui audiebant [Diſcipuli, & alij quidam admiratione ſtupefacti. *Ioan.* 6. Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? *Hebr.* 12. Terribile erat quod videbatur [& quis poteſt ſaluus fieri] Ecce peruerſus ſenſus audientium, & habet duo: quæſtionem, & ſolutionem. Quæſtio eſt quæ dicta eſt. Videbant enim multos habere diuitias: omnes autem ferè amare diuitias. Et ideo raritatem ſaluandorum conſiderantes, dicunt [Quis poteſt ſaluus fieri?] Q. d. Rarus eſt ille. *Auguſtinus.* Cum plures ſint pauperes quam diuites: non hoc dixiſſent Apoſtoli, niſi in numero diuitum intellexiſſent omnes, qui diuitias adipiſci vellent. *Matth.* 10. Multi ſunt vocati: pauci vero electi. [& ait illis] ſatisfaciendo quæſtioni inductæ, ne in dubio relinquantur quærentes. *Eccli.* 24. Illuminabo omnes ſperantes in Domino. *Ioan.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [quæ impoſſibilia] duo dicit: ſolutionem: & quia Petrus ex ſolutione recepit ſpem, ideo ex dicto Petri oſtendit apoſtolicæ perfectionis remunerationem. Dicit igitur [quæ impoſſibilia ſunt apud homines] qui corda conuertere non poſſũt [poſſibilia ſunt apud Deum] qui corda poteſt conuertere. *Gen.* 18. Nunquid Deo quicquam difficile eſt? *Luc.* 1. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Deus enim poteſt facere ſuperbum, humilem: & amatorem diuitiarum, poteſt facere ſpiritu pauperem, & tunc intrabit in regnum cælorum. Et ideo non eſt deſperandum quia Deus ſæpe talia facit: ſicut patet in Zachæo & multis aliis.

Ait autem Petrus: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.

Hic proponitur via perfectionis apoſtolicæ, & habet duo: propoſitionem Petri, & remunerationem à ſermone Domini. Petrus quidem ſic dicit [ecce nos] Apoſtoli ex corde [dimiſimus omnia] quæ concupiſcere poteramus, vel habere. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia [& ſecuti ſumus te] quid ergo nobis erit: vbi dicit *Hieron.* Grandis fiducia: Petrus piſcator erat, victum manu & arte quærebat, & tamen confidenter dicit: Reliquimus omnia. Et ſoluit: quia tot & tanta à ſequentibus relicta ſunt, quot & quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. 2. *Cor.* 6. Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Omnia enim relinquit, qui de amore omnium nihil retinet, dicens cum *Pſalm.* 72. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Quia autem non ſufficit dimittere omnia & contemnere. Hoc enim & *Socrates* fecit Philoſophus: iungit quod perfectum eſt.

Et ſecuti ſumus te] Qui enim omnia propter Deum relinquit, nihil computat ſe reliquiſſe reſpectu eius quod inuenit. *Cantic.* 8. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam ad mercandum dilectione, quaſi nihilum deſpiciet eam. Quia tot & tanta inuenit in eo quem ſequitur, quod alia omnia pro nihilo computabit. Vnde *Eccli.* 23. Gloria magna eſt ſequi Dominum. Longitudo enim dierum ab ipſo aſſumetur [ſecuti ſumus] inquam, non tantum greſſu corporis, ſed etiam affectu cordis, & imitatione operis & aſſimilatione virtutis. De greſſu quidem corporis iucundum fuit ſequi tantum ducem. *Ioan.* 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris ſed habebit lumen vitæ. Affectu autem cordis dulce eſt ſequi præcedentis odorem. *Cantic.* 1. Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorũ tuorum. Imitatione operis optimum eſt ſequi tantum informatorem. *Ioan.* 13. Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. De aſſimilatione autem virtutis, honeſtiſſimum eſt ſequi tantum Doctorem. *Ierem.* 17. Ego non ſum turbatus ſequens te paſtorem: & diem hominis non deſideraui. Sic ergo ſecuti ſumus te, crucem tuam portando, & gloriam crucis aſſequendo. *Luc.* 19. & 14. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: & hic conſequetur gloriam. *Luc.* 24. Nonne ſic oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriam ſuam? Sic ergo dimiſimus omnia, & ſecu

& secuti sumus te. Nec redite disponimus retrorsum. *Hebr.* 11. Siquidem illius meminissent de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem meliorem appetũt, id est, cælestem. propterea non confunditur Deus vocari eorum Deus.

Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui relinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam.

Quia Petrus quærebat pro omnibus: ideo Christus respondet omnibus, dicens [Amen dico vobis] *Marc.* 13. Quod vni dico, omnibus dico [Nemo est] Quatuor hic dicit, in quorum primo ostendit, quod personam non accipit: in secundo meritum relictionis ponit: in tertio autem præmium præsentis temporis subiicit: in quarto autem adiungit præmium æternitatis. De primo dicit [Nemo est] sine personarum distinctione. *Iacob.* 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesv Christi gloriæ. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter est illi cura de omnibus [qui reliquerit domum] Differentias ostendit relinquendorum carnali affectu dilectorum, & ponit sex differentias, quorum primum est commune: quia domus est & continens & contentum. Hæc est domus habitationis, & familiæ habitantis, & diuitiarum familiam sustentantium. *Ierem.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, tradidi dilectam animam meam in manu inimicorum eius. Deinde tangit ea quæ ad domum ordinantur, sicut familia. Principales autem in domo sunt [parentes] Parentes enim sunt à quibus descendimus [aut parentes] qui discordant nobiscum Christum sequi nolentes, & illi sunt relinquendi. *Psalm.* 26. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa [aut fratres] secundarij in domo ab eodem trunco nobiscum descendentes, qui quidem socij sunt erroris, sed Christum sequi nolunt nobiscum. *Matth.* 10. Qui amat patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores plusquam me: non est me dignus. Isti sunt de quibus dicitur *Cantic.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me [aut vxorem] volentem cohabitare nisi in contumeliam Creatoris. 1. *Cor.* 7. Si infidelis vxor discedit, discedat. Non est enim frater, aut soror seruituti subiectus in huiusmodi [aut filios] quos genuit in infidelitate remanere volentes. *Psal.* 17. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Sic Rabsaces filius Isaiæ recessit à patre. Et Iasub eiusdem Isaiæ filius cum Domino remansit. *Isa.* 7. Vade in occursum Achaz, tu & qui derelictus est filius tuus [aut agros] qui ad eiusdem domus ordinantur sustentationem. Qui agri significãt terrenorum bonorum occupationem, & impediunt ne Christum sequamur. *Genes.* 3. Cum operatus fueris terram non dabit fructus suos: sed spinas & tribulos germinabit tibi. *Prou.* 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. Vrtica enim concupiscentiæ & spina sollicitudinis crescit in agro laboris terrenorum hominis pigri, qui Christum non sequitur [propter regnum Dei] consequendum: quia aliter relinquendo non esset bona intentio. *Matth.* 6. Adueniat regnum tuum. Hoc etiam mater filiorum Zebedæi petiuit filiis suis, qui & ipsam & patrem & omnia reliquerant, & secuti sunt Christum. *Matth.* 20. Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, & alter ad sinistram tuam in regno tuo [& non recipiat] Ecce merces huius temporis [multo plura in hoc tempore] quia pro parentibus Deum patrem, pro filiis carnis filios gratiæ, pro carnalibus spiritualia, pro hominibus Angelos. De primo dicit *Gen.* 15. Noli timere Abraham, quia ego protector tuus sum, & ego merces tua magna nimis. *Psalm.* 26. Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. 2. *Reg.* 7. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. De secundo *Galat.* 4 Filioli mei quos iterum parturio. De tertio dicit *Genes.* 26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum. De quarto dicitur. 4. *Reg.* 6. Noli timere: plures enim nobiscum sunt quam cum illis. *Deuter.* 32. secũdum aliam translationẽ. Statuit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël. Sic ergo recipit multo in infinitum meliora in hoc tempore [& in seculo futuro vitam æternam] *Ioan.* 10. Ego vitam æternam do eis. *Ioan.* 3. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. De hac autem vita sæpe dictum est in antehabitis.

Assumpsit autem Iesvs duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.

Cum omnis perfectio trahat virtutem à Passione Christi, per quam omnes electi perueniunt ad regnum: ideo hic annectit de reuelatione Passionis, & tangit duas historias, quarum prima est de reuelatione ipsius Passionis: secunda autem de illuminatione cæci, quæ est proprius Passionis effectus. Dicit autem tria circa primum, in quorum primo ostendit, quod hæc reuelatio secretariis suis facta fuit: in secundo ipsam reuelationem seriatim ponit: in tertio autem, quod impediente carnali affectu, nullus eorum hanc reuelationem intellexit. De primo dicit [Assumpsit] hoc est, ad se sumpsit vt amicos & familiares quos maxime cõtra periculum incredulitatis præmunire voluit: vt dum eum morientem cernerent: de resurrectione eius, qui ista prædicere potuit, non dubitarẽt [duodecim, & ait illis] *Ioan.* 15. vos dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. *Genes.* 18. Num celare possum Abraham quæ gesturus sum? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & Domui suæ post se, vt custodiant viam Domini. *Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus

Ecce ascendimus] Tangit autem tristem reuelationem Passionis primo: & deinde lætam reuelationem Resurrectionis. De Passione autem dicit locum,

locum, tempus, & Scripturæ præordinationem, & modum. De tempore dicit [Ecce] Q. d. In euidenti est, iam in præsenti colligunt concilium, dant consilium quomodo me tradant. *Ioan.* 11. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium & dicebant: Quid facimus: quia hic homo multa signa facit, &c. Facit autem hoc Dominus, dans nobis exemplum, ne conuersionem nostram differamus, sed statim incipiamus. *Eccli.* 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Et ideo statim in iuuentute est faciendum. *Eccli* 39 Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Hac ergo de causa in euidenti ponit [Ascendimus] quia Passionem suam ascensionem esse reputauit: quia in virtute redemptionis, & vincendi mortem & diabolum, in ea exaltatus fuit. Vnde *Psalm.* 20. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas. Et ideo etiam tale genus mortis elegit. *Iob* 7. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. *Ioan.* 3. Sicut exaltauit Moyses *Num.* 21. serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis. *Ioan.* 12. Ego si exaltatus fuero à terra traham omnia ad meipsum. In hoc autem docuit, quod & nos in passionibus nostris ascendere sciamus. *Psalm* 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Hinc est quod 2. *Corinth.* 12. post multas passiones, Paulus in tertium cælum, & in paradisum raptus ascendit.

Ierosolymam] Ecce locus Passionis, vbi in loco Passionis visio æternæ pacis patefacta fuit. Pacem enim nobis sua Passione fecit. *Isa.* 53. Disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus. *Psalm.* 75. In pace factus est locus eius. Ideo ibi in pace obdormiuit. *Psalm.* 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Sic etiam nos per patientiam passionum docet pacem accipere secundum conscientiam: & eam quæ est ad Deum reconciliationem. *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat ego do vobis. Sic *Luc.* 2 pax nuntiatur hominibus bonæ voluntatis. Sic ergo determinat instans tempus, & locum Passionis. Tangit autem Passionis per Scripturas præordinationem, dicens.

Consummabuntur] Et dicit quatuor, modum impletionis, generalitatem impletorum, modum prænuntiationis, & materiam. De modo impletionis dicit [consummabuntur] hoc est, ad summum perfectionis implebuntur: quia plus in omnibus impleuit quam dictum fuit. *Ioan.* 19. Consummatum est. *Isa.* 10. Consummationem & abbreuiationem faciet Dominus super terram. Ostendit autem quod & nos ad summum ea quæ facimus reducere debemus. Summa autem breuissima est charitas patientis Domini. *Psalm.* 118. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. In charitatis consummatione clamat *Cantic.* 8. Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio.

Omnia] Ecce consummatorum generalitas. *Mich.* 6. Quid enim facere tibi debui, & non feci? *Isa.* 5. Quid est quod facere debui vineæ meæ, & non feci? Omnia ergo consummata sunt. Nostra autem non sunt consummata, *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non respondebit ei vnum pro mille. Dicamus ergo cum *Psalm* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Tamen, ne nihil respondeamus sicut piger, qui in nuptiis obmutuit *Matth.* 22. dicamus cum Dauid *Psalm.* 115. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo, communicando passionibus Christi. Sicut enim ipse dicit filiis Zebedæi *Matth.* 20. Calicem quidem suum bibere oporteret.

Quæ dicta sunt per Prophetas] Patriarchæ facto, Prophetæ autem verbo sacramenta Christi prophetauerunt. 1. *Petr.* 1. De salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ. 2. *Petr.* 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et etiam quidam sacramenta compleri desiderans dicit *Eccli.* 36 Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. *Luc.* 24. Oportet impleri quæ scripta sunt in lege, & in Prophetis, & in Psalmis de me. Per hoc autem & nos docet, quod omnia nostra secundum Scripturas dirigamus. *Rom.* 15. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.

De Filio hominis] Ecce materia Scripturarum, Verbum incarnatum cum suis membris, & suis sacramentis. Hoc enim omnis Scriptura loquitur. *Act.* 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius. Filius etiam hominis quamuis Passionem in seipso consummauit: tamen in membris pro vniuscuiusque membri proportione, adhuc consummandam reliquit. Vnde 2. *Timoth.* 3. Omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patientur. Cum ipso ergo & nos secundum Scripturam patiamur. *Apoc.* 1. Agnus qui occisus est ab origine mundi, vt & nos in nobis Scripturas impleamus, & simus de membris eius patientibus. *Psalm.* 101. Ossa mea sicut in frixorio confrixa sont, hoc est, fortiora membra mecum, & pro me sustinentia.

Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget.

Tangit hîc quinque genera Passionis: & post illa gloriam Resurrectionis. Genera autem Passionis sunt traditionis, illusionis, flagellationis, conspuitionis, & occisionis. De primo quidem dicit [Tradetur enim Gentibus] hoc est, potestati Gentilium, cuius præses fuit Pontius Pilatus. Tradetur autem à Patre quidem Deo dispensatiuè pro nostra salute *Rom.* 8. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Tradetur etiam à seipso oblatiuè: quia se voluntati Patris obtulit pro nostra redemptione. *Isa.* 53. Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit vt non perirent. Tradidit gens Iudæorum consilio, & sanguinis pretio, & accusatione. *Ioan.* 8. Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Tradidit Iudas perfidiæ proditione.

*Ioan.*13. Cœna facta eum diabolus misisset in cor vt traderet eū Iudas, Simonis Scariothis. Ab omnibus ergo tradetur, Gentibus, hoc est, gentili potestati, quæ tunc in Iudæa dominabatur. Adhuc autem Verbum Dei traditur, quando crudelibus & immundis in se, & in suis membris exhibetur. Et hoc fit, quādo cura pastoralis gentiliter viuentibus porrigitur. *Matth.*7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere ante porcos. Hoc conqueritur *Psalm.*78. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.

Et illudetur] *Thren.*3. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum omni die. Hoc dicit adhuc fieri *Chrysost.* quando Christus verbum veritatis traditur in manus falsorum Sacerdotum, qui proiiciunt ipsum post dorsum suum, & derident *Psalm.*68. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum. *Thren.*3. Vide Domine, ego sum psalmus eorum.

Et flagellabitur] *Isa.*50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Hoc autem vsque hodie fit, quia flagellati *Act.*14. Apostoli dixerunt, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Et ad minus à flagello linguæ nullus amicorum Dei eripitur. *Iob* 5. A flagello linguæ absconderis. 2.*Corinth.*11. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.

Et conspuetur] vt non solum puniant, sed etiam turpent Dominum maiestatis, qui speciosus erat præ filiis hominum. *Isa.*50. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Hoc etiam fit membris, quando fluxa verba quasi fluentes saliuas in membra Dei, mali emittunt ex ore. *Iob* 30. Faciem meam conspuere non verentur. Ibi *Gregor. in Gloss.* Faciem conspuere, est iustos etiam in præsentia confutare, & in eorum contumelias verba fluxa quasi fluentes saliuas emittere.

Et postquam flagellauerint] liuorem verberibus infligentes. *Isa.*53. Cuius liuore sanati sumus [occident eum] mulctæ mortis turpitudinem crucis sociantes. *Isa.*53. Præcisus est de terra viuentium. *Daniel.*9. Occidetur Christus, & non erit eius populus, populus qui eum negaturus est. Sic autem & in membris occiditur, cum per malum exemplum in cordibus fidelium interficitur. *Malach.*3. Si configit gens Deum suum: quia vos configitis me. Sic ergo reuelata est Passio. Post tot autem tristia, læta supponit de reuelatione Resurrectionis. Ad vesperam enim demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia *Psalm.*29. Et hoc est.

Et tertia die resurget] *Osea* 6. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Quare autem die tertia, iam superius capitulo.9. dictum est. Per suam enim simplam, plenam loce mortem, duas nostras mortes absorbuit: & ideo vno die & duabus noctibus in sepulchro fuit. Et ideo tertia die resurgere conueniens fuit. Hoc est igitur signum Ionæ Prophetæ, quod generationi datur incredulæ, vt per hoc ad pœnitentiam reuocetur. *Matth.*12. & 16. Signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita erit Filius hominis in corde terræ.

Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Hic tangit reuelationis istius à Discipulis suis occultationem. Tangit autem triplicem modum & causam occultationis. Vna quidem fuit contrarietas voluntatis ad ea quæ dicebantur. Vnde & Petrus dixit *Matth.*16. Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Et ideo dicit [Ipsi nihil horum intellexerunt] Adhuc autem & carnales erant, & sacramenta Dei ignorauerunt. Et ideo dixit eis *Luc.*24. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Tunc aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas, quas ante Passionem & Resurrectionem non intellexerunt. Et ideo dicit hic [& erat verbum istud absconditum ab eis] Tertia vero causa fuit: quia Dominus parabolicè multa dixit eis: & putabant eum etiam istud in parabolis loqui, & per similitudines debere intelligi. *Luc.*12. Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? *Ioan.*16. Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Nescimus quid loquitur. Et ideo tertio adiungit [& non intelligebant quæ dicebantur]

Factum est autem, cum appropinquaret Iericho.

Hic vltimo ponitur effectus Passionis, qui est illuminatio. Tanguntur autem hic sex: locus conueniens, opportunitas infirmi cæci, instantia clamantis, status Domini miserentis, perfectio miraculi, & vtilitas ex miraculo causata. De primo autem horum duo dicit: dispositionem sapientiæ ordinantis omnia Christi opera, & de hac dicit [Factum est autem] Omnia enim sapientia ordinauit. *Rom.*11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria [cum appropinquaret Iericho] Secundum est de loco, in quo Dominus miraculum fecit: quia in via, cum ad ciuitatem Ierichuntinam appropinquauit. Dicit autem *Hieron.* quod in Iericho latrones habitauerunt insidiantes, vt eos qui de Ierusalem per desertum transibant interficerent. Dominus autem ideo Iericho venit, vt se illis ad curam præsentaret.

Secundum mysterium autem, Iericho interpretatur luna, vel defectus, & significat defectus passibilis nostræ naturæ, quibus cum Dominus assumendo appropinquasset, statim illuminatum est genus humanum. *Eccli.*43. Luna luminare quod minuitur in consummatione. Diminutio enim Domini, causa est nostræ consummationis. Et ideo *ibidem* dicitur. A luna initium diei festi. Festiua enim solennitas à defectibus incepit Saluatoris. Quia enim primus Adam, vt stultus ad mutabilitatem ab immutabilitate accessit, de quo dicitur *Eccli.*27. Sapiens in sapientia manet sicut sol: nam stultus vt luna mutatur. Ideo secundus Adam qui est sol, sicut dicitur *Malach.*3. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: lunæ, hoc est, defectui appropinquauit: vt lunæ defectum in solis plenitudinem reduceret: & sic totam Ecclesiam sole vestiret.

Apoc.

*Apoc.*12. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. Et ideo sicut sol lumen in lunam infundit, vt luminosa fiat quæ in se tenebrosa est: ita Dominus lumen tunc sparsit, & cæcos tres illuminauit: vnum in ingressu, de quo agitur hic: & duos in egressu, de quibus agitur *Matth.*20. & *Marc.*10. Sic igitur dicitur [Cum appropinquaret Iericho] Est autem ciuitas Iericho, quam Iordane transmisso filij Israël subuerterunt *Ios.*6. quam & ipse Iosue sub anathemate posuit, ne rursus ædificarent: quia semper ciuitas latronum fuit: pro qua alia postea extructa est: sicut legitur, 3.*Reg.*16. Et hanc Deus sua præsentia sanare volens, omnes visitanit: probans impleri quod dicitur in *Psalm.*16. Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias latronis. Hanc autem etiam postea Romani propter multa homicidia, quæ ab eis in deserto iuxta Iericho sito procurabantur, subuerterunt: pro qua tertia ædificata est, quæ vsque hodie permanet ex ruinis duarum: quæ ruinæ adhuc in magna parte permanentes duarum præcedentium euersionem ostendunt. Hoc ergo est quod dicit: Cum appropinquaret Iericho.

Cæcus quidam.

Ecce cæci ad curandum opportuna inuentio. Circa hoc autem dicit quatuor, scilicet, cæci miseriam, cæci in via præsentiam, cæci paupertatem mendicam, cæci in interrogando solertiam. De primo dicit [Cæcus quidam] nomine carens, quia de pauperum nomine non curatur, sed miseria patens fuit, quia cæcus erat. Cæcitas autem contingit quinque modis: vno quidem, quando oculo manente, subtrahitur visus: & iste vocatur propriecæcus. Secundo vero, quando perit oculi corpus, & conuertitur quasi in hyacinthi colorem, & confunditur humor, & congelatur in corpus oculi. Tertio autem modo, quando vngula, vel pelle tegitur oculus. Quarto autem modo, quando aliquo proiecto in oculum, sicut puluere, vel humore defluente, inficitur oculus ad suæ substantiæ corruptionem. Quinto autem modo, quando totus extrahitur oculus: & iste propriè vocatur orbus, quasi orbatus.

Hi autem modi maximè fiunt in cæcitate spirituali. Isti enim qui oculos habent & non vident propter spiritus visiui defectum, sunt qui sapientia seculari vel literali pollent, & spiritum ad videndū lumina diuina non habent. *Ps.*113.& 134. Oculos habent, & non videbunt. Et ideo dicit. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. *Isa.*43. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: & surdum, & aures ei sunt. Illi autem qui habent oculos glacialiter ad modum lapidis corruptos, significant duros corde, qui præ duritia sui, diuina & conferentia videre non possunt. *Isa.*6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Tertio modo cæcus habet ante oculos pellem, & significat eos qui pelle carnalis affectus vel incredulitatis habent oculos cordis velatos: quia lumen gratiæ & veritatis videre non possunt. 2.*Corinth.*3. Vsque in hodiernum diem velamen est positum supra cor eorum. *Esther* 7. Adhuc verbum erat in ore regis, & operuerunt faciem eius, & suspenderunt Aman, qui interpretatur iniquus. Hoc impedimentum petit à se remoueri *Psalm.*118. cum dicit: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Ad hoc etiam venit Dominus in mundum. *Isa.*49. Vt diceres his qui vincti sunt, Exite: & qui in tenebris sunt, Reuelamini. *Luc.*2. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Quartus modus cæcitatis accidit duobus modis. Aliquando fit à causa interiori: aliquando autem à causa exterioti. A causa interiori, quando humor aliquis à corpore vaporat ad caput, & à capite distillat in oculum: & rubens, & sanguine malo infectus efficitur oculus, & amittit visum, & significat eos, quos peccata carnis & sanguinis excæcant in corde: ne recta & vera considerare possint. *Dan.*13. Semen Chanaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Et *ibidem.* Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Alia autem causa est ab exteriori, quando aliquis puluis in oculum cadens, oculos destruit, & significat eos, quibus auaritia terrenorum oculos excæcat, ne videant spiritualia. *Psalm.*6. Oculos suos statuerunt declinare in terram. Hæc est cæcitas Tobiæ, qui per calida hirundinum stercora excæcatus est *Tob.*2. Hirundo, auis est instabilis, & significat temporalium fugacitatem. Stercora autem temporalium significant vilitatem. *Philip.*3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora vt Christum lucrifaciam. Calor autem stercorum, calorem significat cupiditatis ad lucrandum & retinendum. Quintus modus, quando totus extrahitur, competit hæreticæ prauitati: quia illa totum extrahit mentis oculum, ne aliquando cæcus orbus ad lumen valeat redire. 1.*Reg.*11. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dexteros, hoc est, eos, qui ea quæ dextera Dei sunt, in quibus Christus sedet, possent corde videre. *Zach.*11. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter tenebrescens obscurabitur. Isti cæci, vel excæcationis modi, dum cæcitatis suæ modos & causas cognoscunt, Domino se præsentant. Et hoc est quod sequitur.

Sedebat secus viam, mendicans,

Tria dicit: quod sedit; in tenebris licet fuerit, tamen sedens & à peccato quiescens non impingit: & significat eos, qui vlterius peccatis non indulgent, & in tristitia sunt suarum tenebrarum. *Tob.* 5. Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, & lumē cæli non video. Et ideo ab Angelo confortari meruit: Forti animo esto: in proximo est vt à Deo cureris. Qui autem in tenebris vagantur, impingunt, & offendunt, & cadunt. *Ioan.* 11. Qui ambulat in tenebris, offendit. Secundum autem, quod secus viam, non longe sedit; quia lumini & præceptis Dei appropinquauit. Quasi diceret illud *Iob* 38. Indica mihi per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram.

Sedit autem [secus viam] iuxta sanctorum semitam. Non quidem in via, sed prope. Sciuit enim quod ibi fulgeret lux sanctitatis & exempli Sanctorum, de quo si acciperet, illuminaretur. *Prouerb.*6. Semita iusti quasi lux splendens, & crescens vsque in perfectum diem. *Ioan.*8. Qui sequitur me non ambulat in tenebris; sed habebit lumen

men vitæ, dicit Dominus. Aliqui autem cæci fugiunt, & elongant ſe à via lucis, & ſemita lucentium: & ideo nunqoam illuminantur. *Iob* 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec ſunt reuerſi per ſemitas illius [Mendicans] Ecce mendica paupertas illius. Componitor autem mendicus, à manu, & dico dicis, quaſi mano dicens ſe pauperem, quia extendit manum ad accipiendum. Et hoc propriè competit cæco: qui cum neſcit vbi, & quando accipiat, ſemper habet manum extentam ad accipiendum. Hoc modo mendicus fuit Lazarus, qui quærere non poterat, ſed iacens, manum danti extendebat *Luc.* 16. Hic autem mendicus cauſas ſuæ paupertatis & cæcitatis dolens, manum quærens auxilium extendebat. 1. *Tim.* 2. Volo viros in omni loco orare, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione. De his dicitur *Matth.* 5. ſecundum veram literam: Beati mendici ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnū cælorum. Qui autem non mendicat ſic, illuminationem non accipit: quia palmas ad accipiendum non extendit. De Domino enim dicitur *Prouerb. vltim.* Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Horum ſic mendicantium defenſor & illuminator eſt Dominus, & indignatur lædentibus eos. *Pſalm.* 108. Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum: quia non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Et cum audiret & turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quod IESVS Nazarenus tranſiret.

Hic tangit quartum, ſcilicet, cæci in interrogando ſolicitudinem, & ſolertiam. Circa hoc autem dicuntur tria: excitans enim ad interrogandum, fuit auditus turbæ: excitatus autem, interrogauit quid eſſet: Et tertio, reſponſum turbæ de tranſitu illuminatoris accepit. De primo igitur dicit [Et cum audiret turbam prætereuntem] Turba autem multitudo fuit quærentium, & ſequentium Dominum: quorum quidam miracula videre venerant, vt curioſi: quidam autem curari, vt infirmi: quidam autem doceri verbis eius, vt ſtudioſi: quidam vero imitari veſtigia eius, vt pij & virtuoſi: quidam vero miniſtrare ſibi de facultatibus ſuis, vt deuoti: quidam autem refici ab eo cupientes, vt otioſi: quidam autem capere in ſermone eum volentes, vt inſidioſi: quidam autem gratam & dulciſſimam faciem eius videre deſiderantes, vt amici. Et ideo cum multas cauſas ſequendi habuerit, multi fuerunt, & fuit magnus ſtrepitus tranſeuntium. De his qui miracula videre voluerunt, dicitur *Ioan.* 6. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna ſuper his qui infirmabantur. De his autem qui curari venerant, dicitor *Luc.* 4. Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad Ieſum, & curabantur. De his qui doceri volebant, dicitur *Ioan.* 6. Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. De ſequentibus dicitur *Matth.* 8. Sequar te quocunque ieris. De miniſtrantibus dicitur *Luc.* 8. & *Marc.* 15. Aſcenderant, vt miniſtrarent ei de facultatibus ſuis. De quærentibus refectionem, quam pluries exhibuit laſſis, dicitur *Ioan.* 6. Quæritis me: non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. De inſidioſis dicitur *Matth.* 22. Conuenerunt Phariſæi ad Ieſum, vt caperent eum in ſermone. De his autem qui viſu eius non poterant ſatiari, dicitur *Ioan.* 12. Domine, volumus Ieſum videre. Hanc ergo turbam prætereuntem audiuit cum Domino. Hoc enim maximè valuit ad illuminationem, vt luminoſorum turbam Sanctorum obſeruaret, & audiret. De omnibus enim huiuſmodi dicitur *Ioan.* 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. *Pſalm.* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, hoc eſt, plena luce ſiue illuminatione. Hanc ergo turbam audiuit aure interiori, potius quam exteriori, ſciens dictum eſſe *Apoc.* 2. Qui habet aures audiendi, audiat.

Interrogauit] Interrogans enim addiſcere quærit. *Ierem.* 6. Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona. *Eccli.* 6. In multitudine presbyterorum ſapientium ſta, & ſapientiæ eorum ex corde coniongere: vt omnem narrationem Dei poſſis audire. Item *Ibidem.* Inueſtiga ſapientiam, & manifeſtabitur tibi. Interrogauit igitur [quid hoc eſſet] Sic interrogabant *Exod.* 16. refectionem & illuminationem de cælo accipientes, cum manna miſſum eſſet à patre luminum, à quo omne bonum deſcendit: ſicut dicitur *Iacob.* 1. dicentes: Mao hu, hoc eſt, Quid eſt hoc? *Ioan.* 9. Quis eſt Domine, vt credam in eum? Iam enim iſte cæcus, quaſi manu palpans, incipit attrectare ſi forte illuminatorem inueniat. *Act.* 17. Quærere Deum ſi forte attrectent eum: quamois non longe ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.

Dixerunt autem ei, quod IESVS Nazarenus tranſiret] Prætereuntes iam de illuminatoris tranſitu cæcum intus illuminauerunt. *Cant.* 2. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Æſtimandum enim eſt quod iſto tempore ad præſentiam Illuminatoris ſuſpenſus fuit: & ideo ſtatim vt aliquem audiuit, quæſiuit. Congruis autem nominibus Illuminator deſcribitur, nomine proprio, & nomine patriæ. Proprio, quia IESVS, qui Saluator interpretatur, qui ſalute ſua lumen eſt, quod in tenebris lucet ad tenebrarum diſſipationem ſicut dicitur *Ioan.* 1. Qui ſaluans omnes, qui in tenebris fuerunt. Dicit de ſe *Ioan.* 9. Ego in iudicium veni in mundum: vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Nomen autem patriæ eſt Nazarenus, qui florens, vel floridus interpretatur, qui ſemper floret in omnem ſalutis odorem, & in omnem gratiæ ſpem, & in omnem conuerſationis & pulchritudinis honeſtatem. De primo horū dicitur *Geneſ.* 27. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Et ideo odore ſuo trahit cæcum. De ſecundo dicitur *Eccli.* 24. In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Et ideo generatur ſpes virtutis viſiuæ & vitæ, quæ eſt in lumine. De tertio dicitur *Cant.* 2. Ego flos campi. Et ideo fiduciam habet cæcus reflorere in flore Nazareni. Hic ergo nuntiatus eſt [tranſire] quia ſemper tranſit beneficia impendendo. *Act.* 10. Hic pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo: quoniam Deus erat in illo. 4. *Reg.* 4. Animaduerto, quod vir Dei ſit qui frequenter tranſit per nos.

Et clamauit dicens: IESV fili Dauid miserere mei.

Hic ostenditur istius mendici cæci instantia in quatuor, scilicet, in vocis exaltatione: in, ad eum à quo petit, deuotione: in petitionis supplicatione: in eo quod repulsus, non cessat à petitione. De primo dicit [Et clamabat dicens] quod intentionem significat cordis. *Psalm.* 119. Ad Dominum cum tribularer clamaui. *Bar.* 3. Domine Deus Israël, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te [IESV fili Dauid] Ostendit ad eum, à quo petit, deuotionem: vocans eum IESVM, vt ex officio & nomine recordetur saluationis. *Matth.* 1. Vocabis nomen eius IESV: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Non enim vacuo nomine IESVS vocatur: sicut dicitur *Eccli.* 46. Fortis secundum nomen suum in salutem gentis suæ [Fili Dauid] secundum carnem. *Rom.* 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Imitatione vero est filius Dauid, qui etiam in inimicos misericors fuit quærentes animam eius, sicut in Saul, & Absalom. Et ideo vocat eum filium Dauid. *Ierem.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. *Matth.* 15. Fili Dauid, miserere mei. Tertio etiam vocat eum filium Dauid: quia ad ipsum pertinet collapsa regni restituere. *Amos* 9. Suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo ruinas murorum eius. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius. Ex hoc ergo excitat Christum, vt restituat in eo quod ruinosum est. Hæc ergo est causa quod dicit: Fili Dauid.

Miserere mei] Ecce petitionis supplicatio. Miseriæ enim cæcitatis (quæ omnibus maior est miseriis) debetur misericordia. Decus enim naturæ aufert cæcitas, lumen vitæ, & pulchritudinem omnis creaturæ: & ideo maxima est miseria. Faciei enim decus est oculorum luminositas. *Thren.* 1. Et egressus est à filia Sion omnis decor eius. De lumine autem vitæ huius dicitur *Iob* 29. Ad lumen eius ambulabam in tenebris. Hoc etiam lumen est manifestatio omnis creaturæ spiritualis & corporalis. *Psalm.* 35. In lumine tuo videbimus lumen. Carens igitur his, omnibus est miserabilibus miserabilior. Ergo [miserere mei] miseriam meam attendens, & miseriam meam tuam faciens. *Psalm.* 65. Non amouit orationem meam & misericordiam suam à me. Sic igitur dicit: Miserere mei.

Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.

Hic tangitur, quod aduersatus à prætereuntibus non destitit, & dicit tria, scilicet, quod aduersabantur sibi turbæ per increpationem, quod ex hoc ad clamoris incitabatur ingeminationem, & quod reiterabat misericordiæ rationem. De primo dicit [& qui præibant] ante Dominum. Et illi significabant legis duritiam. Similiter etiam qui præibant, significant eos qui peccata sua præcedentia considerantes, indignum reputabāt eum misericordia: & increpabant eum, & taciturnitatem imponebant: quia dicebant, quod iniquitas sua taciturnitatem imponebat eidem. *Thren.* 3. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. *Isa.* 59. Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. *Chrysostomus* etiam dicit, quod præeuntes, Prælatos significant, qui non permittunt pauperes venire ante faciem Dominorum dicētium illud *Exod.* 23. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Et illud *Matth.* 22. Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

Ipse vero multo magis clamabat] Ecce quod increpatio silentij facit clamoris ingeminationem. *Thren.* 1. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. *Psalm.* 21. Deus meus clamabo per diem, & non, hoc est, nonne, exaudies? & nocte & non ad insipientiam mihi. Imo ad sapientiam: quia ex hoc tuam impetrabo miserationem [Fili Dauid miserere mei] Fili inquam [Dauid] aspectu desiderabilis, vide miseriam te aspicere non valentis. *Eccle.* 1. Non satiatur oculus visu. *Cant.* 2. Ostende mihi faciem tuam. Facies enim tua decora. *Isa. vltim.* Videbitis, & gaudebit cor vestrum. 1. *Petr.* 1. In quem desiderant Angeli prospicere. Quia igitur oculus nullus visu faciei tuæ satiatur: quia etiam tua facies est decora: & quia Angeli desiderant faciem tuam videre: non me permittas in hac miseria. Quia, sicut dixisti *Luc.* 10. Beati oculi qui vident, quæ Apostoli tui vident. Ego autem te non videam aspectu tam desiderabilem [Fili Dauid] tu etiam es manu fortis: & ideo, sicut dixisti *Isa.* 63. Propugnator es ad saluandum. Salua ergo me miserum. Quia sicut dicit pater tuus Dauid *Psalm.* 9. Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. *Matth.* 21. Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna autem idem est, quod salua obsecro. Et hoc est: Fili Dauid miserere mei.

Stans autem IESVS iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. Et IESVS dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Hic agitur de perfectione miraculi. Et dicuntur hic quinque: qualiter scilicet, Dominus substitit ex misericordia, qualiter iussit cæcum adduci ex compassione, qualiter quæsiuit vt notam faceret confessionem, qualiter cæcus suam coram omnibus exposuit petitionem, qualiter Dominus miraculi operatus est perfectionem. Dicit igitur [Stans autem IESVS] Stetit, qui prætereundi fixit gressum, & ad misericordiam expectauit. *Isa.* 30. Expectat vos Dominus vt misereatur vestri. *Psalm.* 39. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.

Iussit cæcum adduci ad se] quia per seipsum venire nesciuit. Manibus autem iussit adduci eum, manibus scilicet se sequentium: significans quoniam cæcus laicus manu clerici debet adduci ad Dominum. *Matth.* 21. dicitur hoc idem sub alia metaphora de asino: Soluite & adducite mihi. Et

ideo ducens cæcum debet esse videns per cognitionem intellectus: & esse cum Domino, amore affectus: & sequi Dominum, imitatione effectus. *Psalm.* 90. In manibus portabunt te: ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Psalm.* 72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

Et cum appropinquasset] cæcus scilicet ad IESVM per contritionem, & cordis deuotionem. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Psalm.* 33. Accedite ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur [interrogauit illum, dicens] Non vt ignorantem instrueret, sed potius vt palam deuotionem suam & defectum confiteretur. *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Hæc enim confessio valuit ædificationi proximorum. *Ios.* 7. Da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris. *Iob* 38. Interrogabo te, responde mihi [Quid tibi vis vt faciam] Attende magnam dantis beneficium liberalitatem. Quid, vel quantum det, in voluntate constituit petentis. Et ideo dicit [Quid tibi vis faciam] 4. *Reg.* 2. Pete à me quod vis vt dem tibi, antequam tollar à te. *Sapient.* 16. Voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Hoc est ergo quod dicit [Quid tibi vis faciam] Ac si dicat. Iam video deuotionem tuam. Iam intueor fidem. Iam considero spem. Iam sentio charitatem. Petitio tua in tua sit voluntate & optione.

At ille dixit] cæcus scilicet, Domino [Domine vt videam] Non tam extra, quam intus. Visio enim tota merces est. Et videre Deum beatitudo est. *Isa. vltim.* Videbitis & gaudebit cor vestrum: & ossa vestra quasi herba germinabunt. Hæc visio cognitio Dei est, de qua dicitur *Ioan.* 17. Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Hæc est vita æterna. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. In his consistit petitionis determinatio.

Et IESVS dixit] verba pacifica & consolatoria respondens. *Zach.* 1. Respondit Dominus verba bona & consolatoria. *Eccli.* 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & responde illi pacifica in mansuetudine [Respice] Tangitur hic perfectio miraculi in tribus: in verbo curante, in causa interius obstaculum remouente, & in effectu miraculum comprobante. Dicit igitur [Respice] hoc est, potentiam perfectam respiciendi accipe. *Isa.* 35. Aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. *Matth.* 11. Cæci vident, surdi audiunt. *Luc.* 21. Respicite & leuate capita vestra: ecce appropinquabit redemptio vestra [fides tua te saluum fecit] quantum ad obstaculi interioris remotionem. *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit: vade in pace. Fides est lumen, interius cor à tenebris cæcitatis emundans. Et hæc oculum exteriorem videre facit. *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Et confestim vidit] quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Vidit autem sicut dixit Simeon *Luc.* 2. Viderunt oculi mei salutare tuum. *Eccle.* 11. Dulce lumen & delectabile oculis videre solem. Ecce miraculi perfectio [& sequebatur illum] Hæc est miraculi sequela, & vtilitas duplex: in eo in quo miraculum est perfectum, & in aliis videntibus effectum ipsius. De primo dicit duo: vnum in operis deuotione, aliud autem in laude. De primo dicit [& sequebatur eum] Vnde *Chrysost.* dicit, quod bonum munus obtulit Christo: quia seipsum obtulit ad sequendum. *Ierem.* 17. Non sum turbatus te pastorem sequens. *Ioan.* 10. Cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur. Alienum autem non sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum. Quem enim alium sequi deberet quam curatorem suum? Quimimo dicit cum Naaman Syro: Vere scio quod non sit alius Deus nisi Dominus Deus Israël. 4. *Reg.* 5. [magnificans] hoc est, magna laude extollens [eum] *Eccli.* 43. Benedicentes Dominum exaltate eum quantum potestis: maior est enim omni laude. *Psalm.* 33. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum.

Et omnis plebs] Ecce ædificatorum ad fidem generalis laudatio [Omnis enim plebs] dicit, quia Pharisæi ex inuidia non laudauerunt. *Psalm.* 111. Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Plebs autem simplicium videns miraculum, benedixit Dominum. *Ioan.* 12. Turba multa quæ conuenerat ad diem festum clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini. Dicit autem [vt vidit] scilicet miraculum: quia hoc ad fidem, & ad laudem excitauit. Sicut *Exod.* 15. Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est. *Deuter.* 32. Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt [dedit laudem Deo] *Apoc.* 19. Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti eius, & qui timetis Deum pusilli & magni. Laudabant igitur Deum in omnibus operibus suis. *Psalm.* 102. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius. Vel laudabant pro fide, quæ sic ex insperato miraculum impetrauit. *Psalm.* 150. Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

CAPVT XIX.

Et ingressus perambulabat Iericho.



IN hac parte ostendit, quod bonus vsus doni commissi causa est electionis ad præsentem iustitiam: & malus vsus doni eiusdem, causa est reprobationis. Diuiditur autem in partes duas. Quia hoc primo ostendit per exemplum Zachæi. Secundo autem ostendit hoc in parabola regis committentis seruis suis bona sua ad negotiandum. Exemplum autem quod primo inducit habet partes duas, in quarum prima ostendit qualitatem ad istam doctrinam est deuentum: in secunda autem ipsum inducit exemplum. Circa primum dicit duo, scilicet, temporis continuationem ad præcedens miraculum, & opportunitatem veniendi ad Zachæum. De primo dicit [Et confestim] perfecta cæci illuminatione, quæ facta est in via

via veniendi Iericho. Saluator enim nihil interponit, sed de salute vnius ad saluandum alium procedit. Et hoc est quod dicit [confestim] *Luc.*12. Baptismo habeo baptizati: & quo modo coarctor vsque dum perficiatur! Hoc enim baptisma non fuit purificatio capitis, sed membrorum. Et ideo quasi coarctatus spiritu, vno perfecto mox procedit ad aliud. 2.*Corinth.*5. Charitas Christi vrget nos. *Prouerb.*22. Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, & non erit ante ignobiles [ingressus] hoc est, totum ad ingrediendum & discurrendum dispositus. *Ezech.*1. Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis. *Prouerb.*6. Discurre, festina, suscita amicum tuum, non des somnum oculis tuis. *Psalm.*131. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem donec inueniam locum Domino [perambulabat] continuis profectibus omnes visitans, & omnibus salutem nuntians. *Matth.*9. Circuibat IESVS per ciuitates & castella, docens, & prædicans Euangelium regni. *Tob.*5. Omnia itinera eius frequenter perambulaui. Sic ergo perambulabat [Iericho] vt ibi salutem indigentibus procuraret: sicut iam in ante habitis dictum est: profectum nostrum assumens. *Psalm.*8 Minuisti eum paulo minus ab Angelis. *Hebr.*2. Eum, qui paulo minus ab Angelis minoratus est, videmus IESVM per passionem mortis gloria & honore coronatum. Defectibus nostris enim appropinquans, statim facit ea quæ impossibilia sunt apud homines, quod scilicet camelus deposita sarcina transit per foramen acus: & ideo etiam Iericho perambulauit. Hæc est igitur opportunitas veniendi ad id, quod intendit exemplum.

Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues.

Hic tangitur exemplum: diuiditur autem in quatuor partes, in quarum prima, desiderium diuitis dona Dei abundanter habētis ostēditur: in secunda, hæc deuotio per declinationem Domini in domū suam remuneratur: in tertia, murmuratio nescientium sacramenta Dei contra hanc Domini susceptionem excitatur: in quarta per vsum optimum commissorum bonorum hoc sacramentum aperitur. in primo horum tria dicuntur, in quorum primo, quis sit desiderans Dominum describitur: in secundo, desiderij ad complendum impotentia aperitur: in tertio, mirabilis industria ad perficiendum quod desiderabat ostenditur. In primo autem describitur à dignitatis demonstrabilitate, à strenuitatis virilitate, à nomine, ab officij potestate, & à fortunæ successione. De primo dicitur.

Et ecce] demonstrabilis claræ dignitatis in ciuitate. *Isa.* 45. Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, & tui erunt [vir] strenuitate animi potius quam sexu. Hic enim est, de quo dicitur *Eccli.* 31. Beatus diues qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quia sicut dicit *Beatus Bernardus*. Non minoris strenuitatis est, qui quamuis post aurum abiit, tamen viriliter redinit: quam qui post aurum non abiit. Nec minus est miraculum sed maius, pecuniam acquisitam in vsus pauperum dispersisse, quam non habitam non curasse. Ecce igitur verè vir

Nomine Zachæus] Ecce describitur à nomine. Zachęus autem, iustificatus festinans interpretatur: quia festinabat ad Dominum, vt iustificaretur. *Ezech.*18. In iustitia quam operatus est viuet, & non morietur. *Rom.*8. Quos vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc: Si Deus pro nobis quis contra nos est? Hoc est nomen quod os Domini nominauit. *Isa.*65. Vocauit seruos suos nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen. *Exod.*33. Teipsum noui ex nomine. Sic [nomine] hoc est, nomine quod futurorum erat præsagium [Zachæus] quia ad iustitiam per Dominum iustificantem festinauit. *Isa.*53. Iustificabit ipse seruus meus iustitia sua plurimos.

Et hic erat princeps Publicanorum] Ecce descriptio ab officio. Publicani autem, sicut sæpe diximus, illi erant qui publica vectigalia colligebant, & exigebant. Quod duplex erat iniquitas. Vna quidem communis apud omnes: quia scilicet extorquebant vltra constitutum, & defensionem viarum quam tenebantur non faciebant: in quo peccato adhuc multum peccant publicani nostri. Vnde *Luc.*3. dicitur talibus. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Aliud autem peccatum erat speciale apud Iudæos: quia ab eis acceperunt, quorum bona debebant à telonio esse libera: sicut à ministris Dei. Vnde etiam à Domino acceperunt. *Matth.*17. Reges Gentium à quibus accipiunt tributum? à suis, an ab aliis? Respondet Petrus: Ab alienis. Dixitque Dominus: ergo liberi sunt filij. Et hoc plangit *Ierem. in Thren.*1. Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Propter duo peccata reputabantur isti publici peccatores. Q.d. publicus canis esset, qui publicanus vocabatur. Horum igitur iste Zachæus fuit princeps, non vero nomine, sed eo modo quo tyrannus princeps vocabatur. Et sicut dicitur princeps latronum esse princeps: quia sicut dicitur *Isa.*32. Non erit amplius is, qui insipiens est, princeps, nec fraudulentus vocabitur maior. Princeps enim quæ sunt digna principe cogitabit. Hoc est igitur quod dicit [princeps Publicanorum] hoc est, qui alios Publicanos per prouinciam illam dispersos, ex ordinatione publicæ potestatis Romanorum habebat subiectos. Talis fuit qui ex crudelitate erat immisericors, & nihil dimittebat non extortum. *Ierem.*6. Crudelis est, & non miserebitur. *Isa.*1. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Hoc igitur istius fuit officium.

Et ipse diues] Descriptio est à fortunæ successu. Diues autem, sicut dicit *Augustinus*, aut iniquus est, aut hæres iniqui. Iste autem vtroque modo diues erat, quia iniquè acquisiuit, & sic fuit iniquus: & auarè retinuit, & sic hæres iniqui fuit. *Eccli.*11. Si diues fueris, non eris immunis à peccato. 1.*Timoth* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Et ideo diuitiæ dicuntur spinæ *Matth.*13. suffocantes verbum *Habac.*2. Væ qui multiplicat non sua: vt quid etiam aggrauat contra se densum lutum? Suffocant ergo

verbum conuertens ad Dominum. Sicut lutum glutinosum tenent ne conuertatur. Et iniquæ sunt in acquisitione: hæreditas iniquitatis in retentione: & ideo locum habent in inferno, non in cælo. *Luc.* 16. Mortuus est diues & sepultus est in inferno. Talis igitur, magna Dei misericordia trahente.

Et quærebat videre IESVM, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.

Ecce desiderium veniendi ad Saluatorem. Et dicuntur hic quatuor, quorum primum est ipsius desiderij expressio: secundum, explendi desiderium impotens pusilli in corpore dispositio: tertium autem, vt desiderio satisfaceret in celsam arborem ascensio: quartum vero, transitus Domini per viam illam solicita obseruatio. De primo dicuntur quatuor, scilicet, desiderij sui in opere exhibita significatio, & desiderati visio, visi Saluatoris in salute nominatio, & quis esset in effectu tanti nominis cognitio. Dicit igitur [quod quærebat] exterius inuestigando, in agendo, & laborando. Piger enim est qui desiderat, & non quærit. *Prouerb.* 21. Desideria occidunt pigrum. Talis enim sicut *Prouerb.* 13. dicitur, Vult & non vult. Vult quidem tenuiter in corde, sed non vult laborare & quærere quod desiderat, nec agere & operari vt consequatur. Iste autem agendo, & operando, & laborando quærebat. *Psal.* 22. Hæc est generatio quærentium Dominum: quærentium faciem Dei Iacob. *Isa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est.

Quærendus est enim Dominus sine fictione in opere, & confirmata inquisitione, & in locis in quibus potest inueniri. De primo horum dicitur *Sap.* 1. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum. Apparet autem his qui fidem habent in illum. De secundo dicitur *Isa* 58. Me de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Per iustitiæ enim opus debet quæri Dominus. De tertio dicitur in *Psalm.* 104. Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper. De quarto dicitur *Iob* 28. Non inuenitur in terra suauiter viuentium. Sic ergo quærendus est dum inueniri potest: inuocandus dum prope est *Isa.* 55. Quod iste attendens

Quærebat videre] Volebat enim videre eum, de quo dicitur *Agg.* 2. Veniet desideratus cunctis gentibus, & replebitur gloria domus Domini. Sciuit enim pro certo quod facies illa esset speciosa, decora, mirabilis: & gratia esset diffusa in labijs illius qui desideratus est omnibus gentibus, in quem sicut dicitur 1. *Petr.* 1. desiderant Angeli prospicere. Et ideo quærebat videre. Quod enim decora fuerit, dicitur *Cantic.* 1. Facies tua decora. Quod speciosa, dicitur in *Psal.* 44. Speciosus forma præ filiis hominum. Imo etiam præ vultibus Angelorum. *Isa.* 63. Iste formosus in stola sua. Quod mirabilis & gratia plena, dicitur *Esther* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum. De gratia dicitur in *Psalm.* 44. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum Et ideo iste tenebatur desiderio illorum, qui dicebant ad Philippum *Ioan.* 12. Domine, volumus IESVM videre.

IESVM] Saluatorem, propter salutis effectum. Iam enim præsago desiderio sentiebat, quod in ipsius salute aliquando exultaturus erat. *Habac.* 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. *Psalm.* 43. Saluasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti. Iste enim secundum suum nomen Saluator est, qui in domum fortis intrauit, & vasa iniquitatis eius rapuit: sicut Zachæum, & Magdalenam, & Saulum, & ex eis vasa electionis effecit. *Act.* 9. Vas electionis erit mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israël. Vnde & *Paulus* 2. *Tim.* 2. dicit: vbi loquitur, quod in magna domo Dei, quædam sunt vasa in honorem, quædã vero in contumeliam. Postea subiungit, quod siquis emundauerit se ab his, erit vas in honorẽ sanctificatũ ad omne opus bonum paratum. Iste ergo vero nomine est IESVS, saluans quod perierat *Isa.* 49. Et quidem tollentur à forti præda: & quod ablatum fuerit à robusto saluabitur. Quia Iesus Saluator interpretatur. Quærebat ergo videre Iesum [quis esset] hoc est, vt eum determinate nosset. Sciuit enim quadam spiritus inspiratione, quòd cognitio illa esset sibi causa cõsummatæ iustitiæ, & esset sibi causa vitæ æternæ. De primo horum dicitur *Sap.* 15. Nosse te est consummata iustitia: & scire iustitiam tuam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis. De secundo dicitur *Ioan.* 17. Et cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc est enim vita æterna. Ideo ergo quęrebat videre Iesum quis esset,

Et non poterat præ turba] Turba enim turbata est multitudo, quæ inconstantibus motibus modo ad deuotionem, modo ad persecutionem mouetur. Vnde *Ioan.* 12. quæ clamabat Hosanna Filio Dauid, statim infra sex dies clamabat: Crucifige, crucifige eum. *Matth.* 27. & *Luc.* 23. Videns Pilatus quod nihil proficeret sed magis tumultus fieret, adiudicauit fieri petitionem eorum. Hæc etiam languidum impediuit ne reciperet sanitatem. *Ioan.* 5. In porticibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Et subiungit de languido: Domine, non habeo hominem, vt cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Hæc cæcum inuocantem Dominum increpat vt taceat *Luc.* 18. Hæc paralyticum excludit, ne ante Iesum veniat *Matth.* 19. & *Marc.* 1. & *Luc.* 5. Quærebant introferre paralyticum, & non valentes præ turba, ascenderunt in tectum, & submiserunt eum per tegulas. Hæc etiam parentes ipsius Domini retardat ne veniant ad Iesum *Matth.* 7. & *Marc.* 3. & *Luc.* 8. nuntiatum est Iesu: ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes loqui tecum. Hæc iterum puellæ suscitationem retardat *Marc.* 7. Hæc Iesum affligit & comprimit. *Luc.* 8. Turbæ te comprimunt, & affligunt. Non est ergo mirum si Zachæum impedit ne Dominum videre possit: quia qui turbationem turbatorum & confusione dignorum sequitur, à Domino retardatur. *Ioan.* 7. Turba hæc quæ non nouit legem maledicta est. Oportet igitur, vel à turba separari, vel præcurrere. Separatur qui fugit & deserit.

rit. *Psal.*44.Obliuiſcere populum tuum. *Psal.*53. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Præcurrit autem qui velocior quam turba currit ſemitam conſiliorum. *Psalm.*18. Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius. His ergo de cauſis præ turba non potuit.

Cauſam autem ſubiungit:quia[ſtatura puſillus erat] Puſillos autem non curat turba,ſed de magnis curam gerit Puſillus autem humilitate, puſillanimitate, & fide adhuc: quia nouus fuit. De puſillitate humilitatis dicitur *Luc.*12. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Tales autem puſillos turba conculcat. *Psalm.*55. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me. De puſillitate puſillanimitatis dicitur *Isa.*35. Dicite puſillanimes,confortamini, & nolite timere. Et tales puſillos turba deterret. *Psalm.*54.Timor & tremor venerunt ſuper me,& contexerunt me tenebræ. De puſillitate autẽ fidei dicitur *Matth.*16. Quid cogitatis de panibus puſillæ fidei?Et talis puſillus adhuc de Domino plene non confidit. *Matth.*14. Modicæ fidei quare dubitaſti. Huncenim puſillum mundus ſcandalizat & confundit. *Matth.*18. Videte ne ſcandalizetis vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt. Hoc eſt igitur quod dicit: Quia ſtatura puſillus erat. Statura enim corporis indicabat puſillitatẽ mentis.Sed tamen hæc eſt conſolatio quod puſillis humilitate Dominus gratiam donat.*Iacob*.4. Humilibus dat gratiam. Puſillos autem puſillanimitate confortat. *Iosue* 1. Confortare & eſto robuſtus. Puſillis autem fidei etiam per miraculorum adiutorium fidem augmentauit. Et hoc ſignificauit *Matth.* 14. quando extendens manum ad adiutorium & miraculum, apprehendit Petrum, & de fluctibus eduxit eum.Sic ergo non indecenter ſibi ſtatura puſillus erat. Dauid enim etiam ſtatura puſillus erat. 1.*Reg*.16. Erat autem paruus, & rufus, & pulcher aſpectu: & tamen ipſe gigantem ſtrauit, & inuincibilem omnibus ſuperauit.

Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum vt videret eum: quia inde erat tranſiturus.

Ecce tangitur ſagacitas videndi Dominum. Tanguntur autem hic tria, ſcilicet, quod turbæ frequentiam præcurrit, quod in ſycomorum aſcẽdit, & quo fine ſiue vtilitate hoc fecit. Præcurrit autem cæteros qui plus amauit, qui viam conſiliorum quaſi quoddam compendium cucurrit, qui in curſu velocior fuit. De primo horum dicitur *Ioan.*10.Ille aliusDiſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum. Super quod verbum dicit *Beatus Bernardus*. Qui plus amauit,velocius cucurrit,& citius peruenit. Amáti enim nihil ſatis velox eſt. *Isa.*40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ.current & non laborabunt:volabunt & non deficient. De curſu autem conſiliorum dicitur 2. *Reg.* 18. Currens autem Achymaas per viam compendij tranſiuit Chuſi. Achymaas fratris mei aſſumptio interpretatur,& ſignificat eos qui à Chriſto conſiliorum implctionem aſſumunt, qui eſt frater noſter. Chuſi autem interpretatur niger meus, vel tenebrans me, & ſignificat turbam communem in via tenebrarum incedentem. Sic cucurrit Paulus 1. *Cor.* 9. Ego autem ſicut curro, non quaſi in incertum. Qui enim in via conſiliorum currit, nihil incertitudinis habet.Sed qui currit in via turbæ communis, multa dubia patitur & multa incerta. De tertio modo currendi, ſcilicet, qui deuotione velocior eſt,& ad currendum paratior,dicitur *Ierem.*2.Curſor leuis explicans vias ſuas. *Eccli.* 32. Præcurre prior in domum tuam tu, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo. Præcurrens enim in Domum conſcientiæ poſtquam aduocauerit ſeipſum, hoc eſt, omnes vires & intentiones congregauerit, & luſerit in delectatione & deuotione conſcientiæ, & egerit omnes & expedierit conceptiones ſuas ad Deum, & in delictis nihil commune habuerit, nec in aliquo verbo ſuperbiæ participauerit,vehementiſſimè currit. His ergo tribus modis præcurrens fuit. Sic autem præcurrens.

In arborem ſycomorum aſcendit]Sycomorum autem quidam virtutem vocabuli ignorantes, dicunt arborem quæ eſt ſicut morus:dicentes quod in cortice & ligno eſt ſicut ficus, in foliis autem ſicut morus:& ideo dictam ſycomorum, eo quod ſit ſicut morus Hoc autem totum eſt fictum. Dicit enim *Beda* quod ſycomorus eſt ficus fatua.Sycos enim græcè, latinè dicitur ficus. Moros autem græce vocatur fatuus. Vnde moriones naturaliter fatui dicuntur. Vnde græcè ſycomorum, ficus fatua vocatur, quam nos ſycomorum dicimus: latinam terminationem, & latinam declinationem græco vocabulo imponentes. Hoc igitur eſt ſycomorus. Cauſa autem eſt, quod ficus quidem eſt groſſi & viſcoſi humoris,qui quando accipit calidum ſubtilians & attenuans pluſquam digerens: tunc humidum eius ſubtiliatur,attenuatur, & extenditur.Et ſic arbor in celſitudinem magnam eleuatur,& folia magna ſtringuntur & rotundantur:& ideo foliis ſcilicet mori aſſimilantur, & tunc arbor ſine fructu efficitur. Quia generale eſt in omni natura generabilium, quod quanto aliquid magis ponit in ſubſtantia, tanto minus ponit in fructu & in ſemine. Et è conuerſo: quanto plus ponit in ſemine, tanto minus ponit in ſubſtãtia. In talem igitur arborem quia excelſa fuit aſcendit:vt tanto melius id quod vellet, ab alto contemplaretur. Hoc eſt igitur quod ſecundum literam intendit. Spiritualiter iam ſuperius 13. capitulo diximus ſycomorum Prælatum, vel hominem fatuum ſignificare: qui quamuis natus ſit ad diuinam concipiendam dulcedinẽm, & fructum dulcedinis ferendum: tamen calore cupiditatis mundi extenuatur, & fructum nullum portat. *Matth.* 21. Non inuenit Chriſtus in ficulnea niſi folia tantum:& ideo maledixit ei, dicens:Nunquam ex te fructus oriatur amplius. Inde arbores autumnales,infœcundæ,bis mortuæ. In hanc ergo arborem Zachæus aſcendit,qui ſe virtute ſuper eum ſcandens exaltauit,& ad exemplum eius ſe correxit, & fœcunditatem accepit,dum ſe ſterilem eſſe ſicut illi ſunt erubuit. Vnde *Ptolomeus Philosophus in Prouerbiis Philosophorum* dicit: Qui ad exemplum alterius non corrigitur, alij exemplo ſuo corriguntur. Vnde *Luc.*17. Dominus dicit ſuis:Memores eſtote vxoris Lot. *Cantic.*7. Dixi conſcendam in palmam,& apprehendam fructus eius. Sed alia eſt ſimilitudo

ibi

ibi de arbore fructifera, ſuper quam etiam per exemplum ſcandendum eſt. Sic ergo aſcendit in arburem ſycomorum. Qua autem vtilitate ſubiungit.

Vt videret eum] Tangit autem duo: finem intentionis, & opportunitatem conſequendæ voluntatis. De primo dicit [vt videret eum] Deſiderabat autem videre eum, & ideo aſcendit in ſycomorum. Sycomorus enim cum ſit ficus fatua, vt dicit *Beda*, ex ficu habet dulcedinem: & quia fatua eſt, habet deriſionem: & ſic ſignificat crucem, quæ quidem habet dulcedinem in ſe, ſed ex infirmitate habet deriſionem. Dulcedinem habet *Galat.6.* Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI. Deriſionem habet ſicut dicitur 1. *Corinth.* 1. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Et eſt vna aſcenſio ſycomori, de qua viderur Chriſtus in cruce. *Cantic.* 3. Egredimini filiæ Ieruſalem, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, hoc eſt, ſpinis in cruce coronatum. Sic enim videre IESVM humiliat, de Paſſione admonet, & verecundiam de cauſa Paſſionis inducit, & formam dat imitandi, & ſpem gloriæ Reſurrectionis. Quem enim non humiliant illa quæ dicuntur *Philip.* 2. Sic exinaniuit ſemetipſum factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quis etiam de Paſſione per compaſſionem non recordetur, audiens in cruce clamantem ad nos Dominum illud *Thren.* 3. Recordate paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis. Quis non verecundetur ante faciem ſuam pro peccatis ſuis captum, & deſpoliatum, & morte mulctatum, & cruce turpatum maieſtatis Dominum? *Thren.* 4. Ante faciem Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: In vmbra tua viuemus inter Gentes. Sed formam imitationis accipientes, præcurramus ad ipſum cum Zachæo, in arborem dulciſſimæ fatuitatis aſcendentes. Siquis enim vult poſt eum venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur eum *Matth.* 16. *Luc.* 14. *Hebr.* 13. Extra portam paſſus, vt ſanctificaret per ſanguinem ſuum populum. Exeamus igitur ad eum improperium eius portantes. Hoc enim firmam ſpem generat reſurrectionis & gloriæ. *Roman.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sic ergo aſcendit vt videret eum.

Quia inde erat tranſiturus] Per viam enim crucis ambulauit, per quam nos oportet ambulare. *Pſalm.* 76. In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, hoc eſt, in fluctibus amaræ Paſſionis. Et cum dolore dicendum eſt quod ſequitur Et veſtigia tua non cognoſcentur. De tanta enim turba non cognouit niſi Zachæus: cum tamen Petrus dicat 1. *Petr.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Sic ergo inde erat tranſiturus. *Luc.* 24. Nonne ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?

Et cum veniſſet ad locum.

Hic tangitur de receptione Domini à Zachæo: & tanguntur duo, quorum primum eſt, qualiter Zachæo ſe Dominus exhibuit: ſecundum autem, qualiter exhibentem ſe Dominum Zachæus recepit. In priori autem paragraphu duo dicuntur, quorum primum eſt, loci ad exhibendum ſe opportunitas: ſecundum autem, exhibitionis ſuæ benigniſſima & dulcis voluntas. De primo dicit [Et cum veniſſet ad locum] ad quem ſcilicet Zachæus præcurrerat. Præcurrenti enim ſemper ſe obiicit & ingerit Dominus. *Sapient.* 6. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. *Iſa.* 64. Occurriſti lætanti & facienti iuſtitiam: in viis tuis recordabuntur tui. Sic occurrit in conſolatione Magdalenæ, quando eum videre quæſiuit *Ioan.* 20. Sic occurrit mulieribus, quando quærentes eum poſtea pedes eius tenuerunt, vt eius veſtigia obſeruarent *Matth.* 28. Sic omnibus præcurrentibus in deuotione, occurrit in gaudio Dominus in ſpiritu & in conſolatione dulcedinis & deuotionis. Sic & hic fecit Zachæo. Vnde quidam dicunt, quod deuotioni Zachæi condeſcendens, à via diuertit in agrum: quia ſycomorus in agro, non in via ſtetit.

Suſpiciens IESVS vidit illum.

Ecce benigniſſima voluntas Domini, prius ſuſcipiens Zachæum in viſceribus miſericordiæ, quam ſuſcipiatur ab ipſo exteriori hoſpitalitate. Dicit autem tria: ſuſpexit enim, vidit, & allocutus benigniſſimè fuit. Suſpexit ad Patrem, Patrem pro eo exorans: vidit, lumē ſuæ cognitionis infundens: allocutus eſt, charitatem quam habuit ad conuerſionem ipſius oſtendens. Dicit igitur [Suſpiciens] hoc eſt, in altum proſpectum erigens. Sic ſuſpexit quando Lazarum ſuſcitauit, dicens: Gratias ago tibi Pater, quia audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis *Ioan.* 11. Non enim erat minoris potentiæ, vel miſericordiæ, Lazarum de inferno ad ſuperos reuocare ad vitam, quam Zachæum de barathro vitiorum reuocare ad compunctionis & iuſtificationis gratiam. Et vt hanc oſtenderet difficultatem, ideo ſuſpexit. Adhuc autem ſuſpexit, vt operationem talis gratiæ à Patre deſcendere ſignificaret. *Pſalm.* 120. Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi. Adhuc autem ſuſpexit, vt & Zachæum ſurſum aſpicere doceret, & animum ad Patrem cæleſtem dirigeret. *Pſalm.* 122. Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis. Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri. Sic ergo ſuſpiciens [vidit] lumen ſuæ gratiæ in eum radiando & infundendo. Sic enim reſpexit Petrum *Matth.* 26. Et egreſſus Petrus fleuit amarè. Sic dicitur *Sapient.* 4. quod reſpectus illius eſt in electos ipſius. Sic vidit Philippum ſub ficu ſedentem *Ioan.* 1. hoc eſt, adhuc in dulcedine peccati requieſcentem. Sic ergo vidit [illum] iam deſiderio à terrenis eleuatum, iam in figura crucis ſurſum exaltatum, iam ad ipſum videndum ſuſpenſum. De primo dicitur *Coloſſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. De ſecundo dicitur *Galat.* 2. Pro Chriſto cum Chriſto confixus ſum cruci. De tertio dicitur *Iob* 7. Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Sic ergo [vidit illum] in ramis arboris, ſicut in brachiis ſuæ crucis extenſum pendentem: ſicut

vidit

vidit Abraham arietem in vepribus hærentem cornibus *Genes*.22.quem pro filio sacrificium Deo post modicum erat immolaturus.

Et dixit ad eum : Zachæe festinans descende : quia hodie in domo tua oportet me manere.

Eece benigna allocutio. Dicit autem tria : nominat eum, in signum specialis ad gratiam ordinatæ notitiæ:vt descendat imperat,vt humilitatis sit paratus obsequium præstare : quod apud eum hospitari oporteat indicat. Dicit igitur[Zachæe] Iam te nomino in signum specialis notitiæ. *Exod*.33.Ego ostendam tibi omne bonum : inuenisti enim gratiam coram me : & teipsum noui ex nomine. *Isa*.45. Scias quia ego Dominus,qui vocaui nomen tuum Deus Israël[Festinans]per charitatis feruorem & deuotionem [descende] per tui humiliationem & cogitationem. Charitatis enim deuotio festinare facit. Hoc est quod dicitur *Genes*.24. quod Eliezer festinus reuertebatur ad Dominum suum. Eliezer, Deus meus adiutor interpretatur. Et significat quem Deus sua adiuuat allocutione. Et ideo feruore charitatiuæ deuotionis festinat ad recipiendum eum. Hæc est Rebecea, quæ iam secundum suum nomen multum accepit à Christo in visu & verbo ipsius, quæ cito operuit se teristro,hoc est,festiuo & solemni charitatis & hospitalitatis pallio *Genes*.24. *Hebr*.13. Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim quidam placuerunt,Angelis hospitio receptis.

Descende] tui humiliatione, & tui consideratione. Duos enim motus laudabiles Zachæus habuit : vnum in figuram crucis per desiderium ascendendi,vt contemplari posset exaltatum : alium descendendi, vt Dominum reciperet humiliatum. *Ephes*.4. Qui ascendit ipse & qui descendit. Isti motus omnium bonorum Angelorum ascendendi in crucem per contemplationem crucifixi, & descendendi per humiliationem. *Genes*.28. Angelos ascendentes & descendentes in scala,& Dominum innixum scalæ desuper vidit Iacob. *Ioan*.1. Videbitis Angelos descendentes & ascendentes super Filium hominis. Isti enim motus Angelorum demonstrantur præcipuè in profectibus hominum, quibus ministrant Angeli. Descensio etiam ad cognitionem suæ fragilitatis vtilis est aliquando. Sicut dicitur *Ierem*.18.Descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. In domum enim figuli descendere, est ad considerationem fictilis naturæ inclinari,& ex hoc humiliari, & ibi in humilitate verba & mandata Dei percipere. 2.*Corinth* 4 Habemus thesaurum istum in vasis fictibilibus, vt sublimitas non sit ex nobis,sed ex virtute Dei. Sic ergo festinans descende.

Quia hodie] gratia hospitalitatis [in domo tua oportet me manere]Tria autem dicit : illustrationem felicis & accepti temporis, dispositionem mansionis,& desiderium talis hospitalitatis. Illustratio accepti temporis notatur in hoc quod dicit [quia hodie] quando sol solito serenior tibi illucescit, qui prius nubilo peccatorum tuorum tibi absconditus fuit. 2.*Machab*.1. Tempus affuit quo sol refulsit,qui prius erat in nubilo *Malac*.3. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ : & sanitas in pennis eius. Sic *Esther* 10.Fons paruus creuit in fluuium magnum, & in lucem solemque conuersus est. Fons enim fundens doctrinam est parua allocutio, qua Christus Zachæum allocutus est : & creuit in fluuium exuberantis in charitate hospitalitatis in multos pauperes : & in sereno cordis sui, pulsis nubilis solicitudinum mundi, in lucem gratiæ solemque cognitionis diuinæ conuersus est, & fecit diem sibi quæ hodie vocatur [hodie] dicitur hoc die clarificationis diuinæ.

In domo tua] Ecce dispositio mansionis in domo Zachæi, quæ iniuriis & fraudibus plena fuit, in qua violentus exactor diabolus dominabatur. Sed sicut dicitur 1.*Ioan*.3. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat & destruat opera diaboli. Et sic intrauit in domum Zachæi,sicut intrauit in infernum domum diaboli. Extraxit ea quæ diabolus ibi congregauerat. Et ita facit in domo Zachæi. *Osee* 13.Morsus tuus ero inferne Faux enim fuit diaboli domus Zachæi.Et hæc est enim domus,de qua dicitur *Osee* 6. Supplantata sanguine, fauces virorum latronum, supplantatione pauperum ditata. Domus hæc facta est inclyta per sudorem pauperum & sanguinem:quia sudorem & sanguinem pauperum auferebat : & particeps fuit vt princeps virorum strenuè spoliantium homines. Sed Dominus in hanc domum ingreditur,vt disperdat iniquum cum iniquitate, & consecret eam sibi. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui,& de dentibus eius auferebam prædam. Molas commandentes pauperes,hoc est,publicos exactores : & de dentibus fortiter tenentibus auferebam prædam, hoc est, de tenaci auaritia, & edaci appetitu cupiditatis,bona illicitè acquisita eruere,& vnicuique quod suum est restituere. Sic ergo IESVS intrauit in domum,vt eiecto Domino domus diabolo, omnia vasa iniquitatis distribuat, & domum sibi perpetuam consecret mansionem. Dicit ergo [In domo tua] quæ mea erit in proximo.

Oportet me]Et hoc quidem charitate vrgente me facere oportet : tibi autem hoc ipsum opem portat, & omnibus opes pauperibus & spoliatis præparabit. Oportet ergo propter me,vt charitati satisfaciam. Oportet propter te, vt opem tibi acquiram. Oportet propter pauperes,vt opes eis acquiram. De primo *Luc*.12. Quomodo coarctor vsque dum perficiatur 2.*Corinth*.5.Charitas Christi vrget nos.*Cantic*.8.Fortis est vt mors dilectio. De secundo dicitur *Luc*.15. Epulari & gaudere oportebat ; quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit. De tertio *Matth*.23. Hæc oportuit facere scilicet pietatis opera : & illa non omittere, obseruantias minutarum decimarum. Sic ergo tripliciter oportet me [manere] *Ioan*.14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Et festinans descendit,& excepit illum gaudens.

Hic tangitur deuota tanti hospitis receptio. Et tangit duo : occursum,& receptionem. Occurrens enim Domino[festinans descendit]ad ministerium, hospitalitatis se exhibens, coram ipso se humiliando : vt scilicet ministraret cui ante ministrabatur : accipiens formam ab eo qui dixit *Luc*.22. & *Matth*.20. Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.Sic *Philip*.2.Formam serui accepit,

&

& ministrauit. 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi: non vt dominantes in laboribus alienis. Sic ergo vt Martha solicite festinans descendis, in ministerio occurrens Domino. *Luc.* 10. Martha autem satagebat circa frequens ministerium [& excepit illum gandens] 2. *Cor.* 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. *Rom.* 12. Qui ministrat in hilaritate. Iste enim est de quo dicitur *Eccli.* 31. Splendidũ in panibus benedicent labia multorũ, qui hilari facie resplendent in receptione bonorũ hospitum. Sic ergo gaudens excepit, Et hoc notat verbum exceptionis. Supra enim hoc notauimus super illud verbum, Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Vbi etiam de domo plura sunt notata, quæ hic repetere non oportet.

Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem diuertisset.

Tangit hic tria: generalitatem murmurantium, murmurationem, & murmuris causam. De primo dicit [Cum viderent omnes] in tactu quidem Magdalenæ murmurauit dominus domus *Luc.* 7. In conuiuio Leui murmurant multi Pharisæi *Math.* 9. Hic autem cum intrat ad Zachæum murmurant omnes. Huius autem causa est: quia tam famosus peccator fuit iste, quod omnibus stuporem incussit, quod Dominus ad ipsum diuertere non inuitatus voluit. Sed hoc fuit immensa Dei misericordia, de qua dicitur *Rom.* 5. vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et ideo impleuit Dominus quod per Prophetam prædixerat *Psalm.* 86. Memor ero Rahab & Babylonis scientium me. Et ideo vbi maioris infirmitatis cura fuit, ibi maior laus fuit medici, & maior probatur virtus medicinæ. *Math.* 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Sic euntes discamus illud salubre verbum Dei *Ose.* 6. Misericordiam volo, & non sacrificium: & scientiam Dei plusquam holocaustum. Dicamus igitur generalitati murmurantium: Custodire vos à murmuratione, & à detractione parcite linguæ: quia sermo obscurus in vacuum non ibit *Sap.* 1. Sed opera Dei in misericordia superexaltante iudicium omnes laudate, dicentes illud *Psalm.* 144. Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius. *Thren.* 3. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. *Psalm.* 76. Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas

Murmurabant dicentes] Murmur nomen est fictum à sono, quia qui murmurat, murmur in auribus sonat sub silentio. Et sunt murmuratores occultè sub susurro detrahentes. *Rom.* 1. Susurrones & detractores Deo odibiles. Isti sunt serpentes sub silentio venenum detractionis infundentes. *Eccle.* 10. Quomodo si mordeat serpens sub silentio, nihil minus habet qui occultè detrahit. Non enim audebant manifestè aliquid loqui: quia tam sæpe confutati fuerant, quod iterum confutari metuebant. Causam autem murmuris subiungunt, dicentes

Quod ad hominem peccatorem diuertisset] Peccator autem dicitur hic à magnis peccatis, & à consuetudine peccandi. Et ad talem reuera diuertit: quia in tali misericordiam suam & salutem condere voluit. *Osea* 2. Vocabo non plebem meam, plebem meã: & non misericordiam consecutã, misericordiam consecutã. Et erit in loco vbi dictum est ei: Non populus meus vos: ibi vocabuntur filij Dei viuentis. Et hoc est quod contra taliter murmurantes hypocritas Dominus opponit *Deut.* 32. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus: & in sculptilibus suis ad iracundiam concitauerunt, hoc est, illi qui mihi videbantur seruire, sculptilia laudis elegerunt sibi in deos quibus seruiant: & sculptilia vanitatis & cupiditatis suæ contra me ad prouocandum adorant. Ego recedam ab eis, & prouocabo eos in eo qui non est populus: & in gente stulta irritabo eos, hoc est, coniungam me Publicanis & pœnitentibus, qui modo non populus & in gente stulta meretricum & peccatorum conuersa irritabo illos, cum eis manendo, & misericordiam illis faciendo. Et vtinam hoc audiant Clerici & Religiosi, à quibus Deus sicut à Pharisæis recedit, & coniungitur Publicanis conuersis. *Matth.* 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Sic dicit Paulus. Venit Iesus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate meam 1. *Ti.* 1. Et præmittit: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum.

Hic incipit ostendere hospitalitatis huius fructum. Dicit autem duo, quorum primum est dispositio pœnitentis, & secundum confessio & promissio satisfactionis. De primo dicit tria: rectitudinis in pœnitente significationem, eiusdem per nomen exnunc demonstrationem, & ad Dominum per votum obligationem. Dicit igitur [Stans autem] Vt rectitudo positionis corporis directionem significaret virtutis. Stans enim rectus, est qui stat sicut homo. *Psalm.* 5. Mane astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es; hoc est ipsa corporis rectitudine, videbo, hoc est, videri faciam: & demonstrabo quia non vis iniquitatem sed rectitudinem. Q. d Diu iacui, terrenis cupiditatibus obrutus: sed audio te dicentem *Isa.* 52. Excutere de puluere. Diu sedi, cum Leui in lucris illicitis quiescens: sed audio te præcipientem in *Psalm.* 126. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Hic enim est panis rapinæ, & fraudis & vsurarũ. Nunc ergo surrexi, & sto in conspectu tuo. 4. *Reg.* 3. Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto in rectitudine iustitiæ [Zachæus] festinus ad iustificationem, quia festino ad rectitudinem. *Psalm.* 5. Dirige in conspectu tuo viam meam. Quæro enim semitas æquitatis, & gradum rectitudinis. *Prou.* 4. Adducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui: & currens non habebis offendiculum. Sic ergo festino ad iustificationem [dixit ad Dominum] Non enim aduertit calumnias & detractiones peccatorum. Sic Dauid 2 *Reg.* 16. Dimitte eum vt maledicat mihi iuxta

præceptum

præceptum Domini : forte respiciat Dominus afflictiunem meam , & reddat mihi bonum pro maledictione hac. Sic ergo conuersus ad Dominum stetit in iustitia Domini inter linguas maledicentium. *Psalm.* 38. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti mihi. Vnde *Gloss.* Stat, iuxta (quam cepit) fidei veritatem persistens : non solum se ex peccato conuersum : sed etiam inter innocentes se probat conuersatum. Hoc autem non ante fuit , sed post conuersionem : cum omnibus districtius inter discipulos discipulus fuit. Hac ergo confidentia iustitiæ dixit ad Dominum

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine , do pauperibus : & siquid aliquem defraudaui , reddo quadruplum.

Duo dicit, quorum vnum pertinet ad eleemosynarum largitionem , per quod curatur auaritiæ cupiditas, quæ (sicut dicit Apostolus. 1. *Tim.* 5.) Radix est omnium malorum. Secundum autem pertinet ad iniuriæ illatæ satisfactionem, quod est reddere illicitè acquisita secundum iustitiæ rationem & ordinem , & hoc pertinet ad proximi reconciliationem. De primo dicit [Ecce dimidium bonorum meorum, Domine , do pauperibus.] Et in hoc notantur septem. Notatur enim exempli præbitio per hoc quod dicit[Ecce]Secundo notatur abundans elargitio per hoc quod dicit [dimidium] Notatur tertio eius quod datur nobilis conditio, per hoc quod dicit[bonorum] Notatur quarto iusta dati possessio per hoc quod dicit [meorum] Quinto notatur dantis directa intentio per hoc quod dicit [Domine] Sexto notatur gratuita erogatio per hoc quod dicit [do] Septimo notatur ei cui datur ex misericordia compassio , per hoc quod dicit [pauperibus] Dicit igitur.

Ecce] Notans quod sicut publicè omnes per auaritiam scandalizauit , ita publicè vult misericordiæ in pauperes præbere exemplum. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus , vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Quamuis enim Dominus *Matth.* 6. dicat, quod in eleemosyna non debeamus tuba canere ante nos:& debet nescire sinistra nostra quid faciat dextera:tamen hoc glossat *Gregorius*, quod hoc non est ideo dictum, quod proximi opera nostra non videant : sed potius ideo quod opus nostrum sic sit in publico , quatenus intentio nostra semper maneat in occulto : vt & de bono opere proximo exhibeamus exemplum: & per intentionem , qua soli Deo placere desideramus, semper optemus secretum. Hoc est igitur quod demonstrando dicit, Ecce.

Dimidium]Notat hoc abundantiam distribuẽdorum. Quicquid enim vltra necessitatem est, vocat dimidium : quia dimidium vniuscuiusque integri secundum arithmeticum est altera pars ipsius. Et ideo vna pars est præsentis necessitatis, & altera est distributionis in pias eleemosynas. Et ideo dicit[dimidium] *Luc.* 11. Quod superest,date eleemosynam : & omnia munda sunt vobis , quæ sunt in altera parte. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue:si parum, ipsum impertiri stude. *Luc.* 6. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. 2. *Cor.* 9 Qui parce seminat , parcè & metet:& qui seminat in benedictionibus , de benedictionibus & metet vitam æternam.

Bonorum] Notat dandorum vtilitatem & nobilitatem contra errorem quorundam crudelium in Christi pauperes , qui dicunt quod non deberent pauperibus delicata dari , ne consuescerent, propter verbũ *Augustini* quod in ante habitis induximus. Sed mentita est iniquitas sibi. Ipsi enim & sui consortes de eleemosynis Ecclesiarum delicata recipiunt. *Neemiæ* 8. Comedite pinguia,& bibite mulsum, mittite partes eis qui non præparauerunt sibi. Ecce de optimis præcepit dari partes. *Isa.* 23. Erunt merredes Tyri sanctificatæ Domino:non condentur, neque reponentur:quia his qui steterunt coram Domino , erunt mercedes eius,vt comedant vsque ad saturitatem,& vestiantur vsque ad vetustatem. Quod exponens *Hieron.* ait. Mercedes tuæ pretiosæ cum labore & angustia acquisitæ, erunt sanctificatæ Domino in eleemosynas,quia pretiosæ sunt. Non condentur per auaritiam , neque reponentur ad superfluitatem: quia his qui steterunt coram Domino *Gloss.* veris pauperibus , erunt mercedes eius vt comedant, &c.

Meorum]vt eleemosyna fiat de iustè acquisito. *Prou.* 3. Honora Dominum de tua substantia , & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. Meum enim dare possum , sed non alienum.

Do] Ecce gratuita donatio, & celer , quia in præsenti loquitur. Et non dicit, dabo,differens in futurum. De primo dicitur *Matth.* 6. Sit eleemosyna tua in abscondito. *Luc.* 14. Cum facis conuiuium noli vocare amicos , & diuites , sed voca pauperes,qui non habent retribuere tibi:retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. De celeritate autem dicitur *Prou.* 3. Ne dicas amico tuo: Vade & reuertere, cum possis statim dare. *Eccli.* 4. Cor inopis ne afflixeris , & ne protrahas datum angustianti.

Domine]Ecce intentio pura. Propterea *Matth.* 25. Quod vni ex minimis meis fecistis,mihi fecistis. Sic enim dicit Sapiens *Prou.* 9. Fœneratur Domino,qui miseretur pauperis 1. *Paral. vltim.* Domine , in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa , & populum tuum qui repertus est vidi cum ingenti gaudio tibi offerre munera. Deus Israël custodi hanc voluntatem.

Pauperibus] sibi non sufficientibus. *Daniel.* 4. Peccata tua eleemosynis redime , & iustitias tuas misericordiis pauperum. *Ioan.* 12. Pauperes semper habetis vobiscum:& cum volueritis, poteritis illis benefacere. *Tob.* 4. Non auertas faciem tuam ab vllo paupere. *Iob* 30. Flebam quondam super eo qui afflictus fuerat , & compatiebatur anima mea pauperi. Sic ergo dicit[Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus]

Et attende quod ante restitutionem debiti ponit opus pietatis:quia quamuis in opere pœnitentiæ restitutio prior sit pietate:tamen in dignitate & in valore est pietas ante omnia alia. Et de dignitate quidem dicitur *Iacob.* 2. Superexaltat autem misericordia iudicium. De valore autem dicitur 1. *Timoth.* 4. Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Ideo ergo proponit eam.

Et siquid aliquem defraudaui reddo quadruplum]

plum] *Exod.* 23. præcipitur quod ouis in quadruplum reddatur, sed non alia. Sed dicendum quod iudicialia præcepta variantur pro qualitate temporis, & locorum, & personarum. Et cum ad terrorem tempore Moysi præceptum fuerit reddi in quadruplum: procedente tempore inualescentibus latronibus, tempore Salomonis præceptum est, vt furtum reddatur in septuplum ei cui accidit damnum: vt totum residuum cedat iudici: vt ille fur per hoc vitam redimat. *Prou.* 6. Non grandis est culpa cum quis furatur. Furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se. Temporibus autem his suspenditur qui furatur. Et hoc ad terrorem indictum est, quia nimis multiplicati sunt latrones. Sed hic Zachæus fur non erat, sed fraudibus extorsit in publicis vectigalibus multa. Et de illis dicit [siquid aliquem]

Attende autem quod in talibus dupliciter fraus committitur. Primò quidem quando plus quam constitutum est accipitur, contra quod dicitur *Luc.* 3. Contenti estote stipendiis vestris. Secundo, quando quidem constitutum accipitur, & defensio viæ & securitas non exhibetur. Tunc enim acceptum est rapina. *Isa.* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt. Et iterum *ibidem*. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? De his ergo duobus modis præcipuè dicit [siquid aliquem defraudaui]

Attende quod iste videtur etiam in fraudibus aliquid timoris Dei habuisse. Et ideo dicit [siquid aliquem] quia sibi in fraudibus cauit, quantum in consuetudine publicanorum fieri potuit. Et hoc forte Dominus in eo respexit, quando aliis omissis, ad eum declinauit. Est enim inter latrones vnus melior, & inter fraudulentos vnus magis timens Deum quam alius. *Iob* 31. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Hoc est ergo quod dicit [Siquid aliquem defraudaui [reddo quadruplum] Simplum scilicet, pro damno quod feci: duplum pro mora expectandi, qua ablato caruit is qui fraudatus fuit: triplum autem pro iniuria quam intuli, vt læso satisfacerem: quadruplum autem pro peccato quod commisi. Hæc enim quatuor in omni fraude sunt, & violentia malè ablati: damnum, mora, iniuria, & peccati deformitas. *Matt.* 5. Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Sic restituere nolunt nostri temporis fraudulenti. *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites, cum loqueretur pauper iudicium. Fraudulentus est etiam est cum ante confessorem, cogitat qualiter aliquid de malè ablato retineat, & non restituat. *Gloss.* autem quædam moralis dicit, quod restituit dolendo, confitendo, satisfaciendo, & pro reatu suo orando. Hoc est igitur quod dicit: Reddo quadruplum.

Ait IESVS ad eum: Quia hodie salus huic domui facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ.

Ait IESVS ad eum] scilicet Zachæum, recipiens & oblationem, & approbans satisfactionem [Quia hodie] Pleonasmos videtur in coniunctione quam præmittit, nisi suppleatur oratio, sic quod dicatur: Manifestum est per tuam conuersionem [quia hodie, &c.] Dicit autem tria, scilicet, salutem domui factam per introitum Domini, & in quo salus illa facta sit, & quod hæc salus fiat de intentione Domini in domum introeuntis. De primo horum dicit quatuor, scilicet, salutem, tempus opportunum saluti, & cui data sit salus, & quod est facta salua domus de deperdita domo. De salute quidem dicit [quia salus] gratia scilicet saluans à peccato, & à recidiui periculo. *Psalm.* 43. Saluasti nos ex affligentibus nos, scilicet, dæmonibus & peccatis. *Ier.* 17. Saluum me fac & saluus ero, quia laus mea tu es. *Psalm.* 59. Saluum fac dextera tua & exaudi me [hodie] tempore acceptæ pœnitentiæ. 2. *Corinth.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum [huic domui] quia eliminata spurcitia dæmonum facta est domus Dei, Christi, & sanctorum Apostolorum, & Angelorum, quam ipse Deus inhabitando consecrauit sibi. Et magis hoc dicit de domo mentis, quam de domo exterioris habitationis. *Genes.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Domus ad secum habitandum. Porta cæli ad intrandum in regnum. Domus (inquam) habens thalamum contemplationis, cœnaculum meditationis, mensam refectionis, aulam deambulationis cum amicis, consistorium discussionis, coquinam præparationis, lauatorium confessionis, & templum orationis, & speculam custoditionis ab insidiantibus inimicis. Hæ enim sunt officinæ magnæ domus. Et præter hæc omnia, habens apothecam optimè fragrationis, & armamentarium militum ordinatorum in præsidium expugnationis, & thesaurariam summarum diuitiarum diuinæ ditationis, & domum disciplinæ & eruditionis. Et de omnibus his dabimus exempla. De thalamo enim castæ contemplationis, in qua sanctis Rachelis amplexibus vacandum est, dicitur in *Psalm.* 18. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. In hoc thalamo est lectus sinceræ delectationis in veritate, & lucerna luminis in veritatis illustratione. Et de lecto quidem dicitur *Cantic.* 1. Lectulus noster floridus. De lucerna autem in *Psalm.* 118 Lucerna pedibus meis verbum tuum. Cœnaculum occupat sacra meditatio, quæ sternit totum discubitum ad recumbendum. Meditatio enim frequens reditus est mentis super audita prius vel inuenta. In hoc enim reficitur Christus. *Marc.* 14. Ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum, & ibi parate. Sed heu hodie ista pastophoria domus sunt diruta: quia non est hodie qui in lege Dei (sicut deberet vir sanctus, vt dicit *Psalm.* 38.) meditetur die ac nocte. Et illud plangit Iudas 2. *Machab.* 11.

In hoc cœnaculo est mensa quidem Scripturæ, & mensa Eucharistiæ, & mensa eleemosynæ. De mensa Scripturæ dicitur *Luc.* 22. Sedebitis & vos super mensam meam, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, hoc est, in Ecclesia. De mensa Eucharistiæ dicitur in *Psalm.* 22. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. De mensa pauperum quæ fit in eleemosyna *Tob.* 2. Voca aliquos timentes Deum de tribu nostra, vt epulentur nobiscum. *Iob* 31. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit alienus ex ea. Aula autem deambulationis cum ami-

cis,

cis, est consideratio exemplorum, & conuersatio-nis Sanctorum. 2.*Corinth*.6. Inhabitabo in eis,& inambulabo. Sic deambulauit Dauid in aula solarij domus suæ, quando respexit Bersabee, hoc est, Christus quando tulit Ecclesiam ab Vria, hoc est, à diabolo. 2.*Reg*.11. In hac est consistorium discussionis rationis de omnibus omissis & commissis, sicut dicitur *Prouerb*.20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.

Ibi est coquina præparationis: sicut dicitur *Ezech*.46. vbi dicit, quod coquinæ sunt in domo templi. Hæc autem coquina est compunctionis, coquens in igne doloris, & parans sapores optimos: sicut dicit *Psalm*.38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Hæc est Rebecca parans hœdos peccatorum, sicut libenter nouit vesci pattem nustrum *Genes*.27. Hæc est Sara focatia faciens panes gratiæ sub cinere humilitatis pœnitentiæ, de simila mundissimæ conscientiæ *Genes*.18.

Hic est lauatorium confessionis, in quo lauantur manus & membra omnia, significatum per labium siue luterem quem fecit Moyses *Exod*.30. & per mare æneum quod ante domum fecit Salomon 2.*Reg*.8. & 3.*Reg*.7. Hic est templum orationis, consideratio cælestis dispositionis, exemplificatum habens in se arcam continentiæ omnis sanctitatis: tabulas scilicet mandatorum in opere, manna in delectatione conscientiæ, vrnam auream in diuinitatis capacitate. *Apoc*.11. Apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo eius.

Habet etiam speculam aliam, fastigium intelligentiæ, in qua custodiunt vigiles domum ab insidiantibus inimicis. *Eccli*.24. Sic in Sion firmata sum. Sion autem specula interpretatur. *Isa*.21. Contemplare in specula. Habet etiam apothecam (in qua sunt fragrantia) hoc est, virtutum custodiam: quæ habet tres cellas pigmentarias, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem. Hæc est cella pigmentaria quam ædificauit Salomon 3.*Reg*.6. Habet etiam armamentarium militum in strenuitate & firmitate armorum spiritualium, in quibus verbum est gladius, fides scutum, galea salus Dei nostri, lorica iustitia: sicut dicitur *Ephes*.6. Lancea autem ita per zelum: sicut dicitur *Sapient*.5. Hoc armamentarium est 3.*Reg*.14. Habet etiam thesaurariam, secretum cordis, in quo diuitiæ Dei sunt reconditæ, in meritorum valore, in donis gratiæ, in auro sapientiæ, in argento eloquentiæ, in lapidibus operum. *Matth*.12. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. *Matth*.13. Omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Habet etiam promptuaria, studia bona, & consuetudinis facilitatem: ex quibus facile abundat in omnes sumptus. *Psalm*.143. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Habet etiam scholam disciplinæ, sacram lectionem, vel auditum diuinorum in prædicatione. *Eccli*.51. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Sic igitur domus ista disponitur in officinis.

Est autem hæc domus quadruplex in ædificij dispositione. Est enim superior, & inferior, & exterior, & interior. Superior quidem est cælestis 3.*Reg*.8. Tu exaudies in cælo in excelso habitaculo. Inferior autem est mundus, in qua in creatura sua cernitur Deus: & de hac ad literam dicitur *Baruch* 3. O Israël quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! De superiori autem dicitur etiam *Ioan*.14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Exterior autem est Ecclesia, de qua dicitur *Ioan*.2. & *Matth*.21. Domus mea, domus orationis est. *Augustinus*. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Vt si forte præter horas constitutas aliqui orare voluerint, non eis sint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerunt. De interiori autem quæ est conscientia, dicitur *Sapient*.8. Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius.

Hæc domus gaudet Patrono Domino, Matrona Regina cæli Virgine Maria, familia sanctis omnibus, & ministris sanctis Angelis. Habet autem figuram crucis. Et de omnibus his fit mentio in præfatione quam dicit Episcopus in consecratione Ecclesiæ. De Patrono quidem *Genes*.28. Non est hic aliud nisi domus Dei. De familia in *Psalm*.83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Luc*.11. Pueri mei mecum sunt in cubili. *Isa* 8. Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Dominus. De Matrona dicitur 3.*Reg*.2. Posita est sedes matri regis iuxta thronum regis. *Psalm*.44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate. De ministris Angelis dicitur *Hebr*.1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Horum ministrorum ordines ita mirabatur Regina Saba 3.*Reg*.10. quod non habebat vltra spiritum. Regina autem significat Ecclesiam in omni congregatione fideliũ. In huius rei testimonium, in loco vbi fundandum erat templum in Bethel, quæ domus Dei interpretatur *Genes*. 28. vidit Iacob scalam, cuius summitas cælos tangebat, & Dominum innixum scalæ desuper, & Angelos descendentes & ascendentes per eam: vt ascendentes vota fidelium in cælum ferrent, & descendentes gratias donorum & petitorum in oratione referrent exauditionis. Huius figura est crucis figura, propter quod õĩs basilica in honorem sanctæ crucis consecratur principaliter: sicut patet in præfatione Episcopali dedicationis Ecclesiæ. Et est quidem caput crucis super sancta sanctorum, brachia in extensione latitudinis crucis, & longitudo stipitis per sancta, quæ sunt corpus Ecclesiæ, vbi est locus plebis: vt quasi Dominus extensus super domum, facie altare videatur respicere, & extensis manibus sancta sanctorum amplecti, & longitudine corporis sancta tegere videatur. *Isa*.6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Hoc literaliter fuit super templum. Et plena erat omnis domus maiestate eius, hoc est, chorus, qui est sancta sanctorum. Et ea quæ sub ipso erant replebant templum, hoc est corpus Christi à peccatore inferius. Sicut enim Dominus dicit: Ego si exaltatus fuero à terra in cruce, omnia traham ad meipsum *Ioan*.12. Ita disponimus domum, & eum desuper extentum significamus: ad quam conuenimus orantes, vt nos trabat ad seipsum.

Hæc domus adhuc habet fundamentum, Apostolicam & Catholicam fidem stantem supra petram solidam confessionis Beati Petri principis Apostolorum. *Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere , præter id quod positum est, quod est Christus Iesvs. *Psalm.* 86. Fundamenta eius in montibus sanctis,hoc est , in doctrinis Apostolicis. Et in huius signum, cruces in Ecclesia fiunt in honore & numero Apostolorum.

Huius Ecclesiæ parietes in altum surgentes sunt merita spei , quæ ex quatuor virtutibus eliciuntur. *Eccli.* 50. In vita sua suffulsit domum, corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est,duplex ædificatio & excelsi parietes templi. In vita enim fulcire domum , est domum inhabitationis diuinæ in conuersatione vitæ per virtutes constituere.Fundare autem templum,est in fundamento veritatis fidei totam habitationem firmiter collocare. Duplex ædificatio est,qood contemplatiua quidem sancta sanctorum, actiua autē sancta contineat.Excelsi parietes quatuor eriguntur , dum opera meritorum à quatuor cardinalibus virtutibus elicita , per spem altissimam in cælum porriguntur. Sic enim spes eleuat templum:quia sicut dicitur *Hebr.*6.Nos confugimus ad tenendam propositam nostram spem,quam sicut anchoram habemus animæ tutā , ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis , hoc est,in cælum, quo præcursor spei nostræ introiuit Iesvs, Pontifex factus huius domus secundum ordinem Melchisedech vsque in æternum. Compaginatio autem superior quæ per modum testudinis concludit totum & tegit, est charitas,de qua dicitur *Ephes.* 2. Omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino : in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Spiritus autem sanctus charitas est. Sic ergo ædificatur templum.

Ostium autem huius templi est Christus cum omnibus suis sacramentis. Et ideo in consecratione Ecclesiæ, crux in nomine Christi fit super ostium ; quia Christus dicit *Ioan.* 10. Ego sum ostium : per me siquis introierit saluabitur, & pascua inueniet.Cum autem Christus cum omnibus suis sacramentis sit ostium, intrat per ostium qui participationem & communionem habet sacramentorum. *Psalm.* 99. Introite portas eius in confessione.

Habet autem etiā hæc domus eo lumnas septem quibus innititur , quæ sunt septem Christi sacramenta , quæ omnia sustinent & sanctificant quæ sunt in domo , quæ sunt Natiuitas, Circumcisio, Baptismus quo baptizatus est Christus, Passio, Descensus ad inferos,Resurrectio, Ascensio, quæ stant in parte vna : & septem Sacramenta ab his virtutem trahentia, quæ stant in latere alio ex parte nostra, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia ,Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Et de primis septem dicitur *Prou.*9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. De secundis autem quantum ad effectum remissionis peccatorū dicitur 4. *Reg.* 5.Vade lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.

Hæc domus consecratur aqua , cinere & sale & vino commixta. Oleo sancto altare bis cruciformiter vngitur,& chrismate tam altare quam domus tota cruciformiter consecratur. Alphabetum græcum & alphabetum latinum de angulo in angulum cruciformiter scribuntur. Pallis altare vestitur, & sic domus in habitaculū Dei perficitur.Aqua quidem expiationis est fons de latere templi dextro egrediens , sicut dicitur *Ezec.* 47. est aqua sapientiæ & gratiæ diuinæ, cum aqua lacrymarum , quæ à corde per oculos producitur. *Psal.* 5.Asperges me Domine hyssopo, & mundabor:quia hyssopus sanguinē purificat;lauabis me, & super niuem dalbabor. Hæc immixtū habet salem,vt diximus,diuinæ sapientiæ,suo omnia condientem. *Matth.* 5. Vos estis sal terræ. 4. *Reg.*2. Sanauit Eliseus aquas, immittendo in eas sal: quia non placent Deo aquæ nostræ expiationis, nisi sale sapientiæ sint conditæ. *Iob* 6. Nunquid poterit comedi insulsum , quod non est sale conditum ? Habet etiam immixtum cinerem humilis recordationis nostræ futuræ incinerationis , vt contrahat acumen , & efficacius maculas nostras lauare possit. Et hoc significatum est *Leuit.* 16. vbi præcepit Dominus. quod cineres vitulæ rufæ in aquam expiationis tabernaculi immitterentur. Vitula enim rufa petulantiam significat, quæ temperatur & infrigidatur quando fit recordatio incinerationis. *Eccli.* 10. Quid superbis terra & cinis ? Et sicut diximus , aqua ex hoc contrahit acumen abluendi sicut lixiuia. *Psalm.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo , hoc est, per singulas peccatorum obtenebrationes, & vbi mollities in peccato quieui. Vinum autem est commixtio cælestium gaudiorum , in aquis expiationem facientium. *Gene.* 49. Lauit in vino stolam suam , hoc est, conuersationem vitæ fetauit. Sic ergo expiatur domus intus & extra. Vngitur autem oleo misericordiæ diuinæ : quia spes misericordiæ diuinæ & leuit dolorem compunctionis , & pascit mentem deuotionis , & lucentem & claram facit faciem exhilarationis spiritualis:si ex ea in crucis, hoc est,redemptionis , forma homo perungatur bis:semel ad remissionem peccatorum, & secundo ad lenimentū laborum & pœnarū.*Cant.*1.Oleum effusum nomē tuū. *Isa.*61. Spiritus Domini super me,eo quod vnxerit me Dominus.Et hoc est oleū, quod Samuel effudit super Dauid 1. *Reg.* 16. Chrisma autē odorē significat diuinæ bonitatis, totum cælum & totam terram implentis. Et ideo tota domus & altare cū isto cruciformiter vngutur:significando, quod nisi vngamur diuina bonitate , odorem Dei non habemus in virtutum fragrantia. *Cantic.* 4. Odor tuus super cuncta pretiosa vnguenta. Altare autem significat cor humanum , super quod omnia illa fieri debent. *Isa.* 19. Erit altare Domini in medio terræ Ægypti,& titulus ad terminum eius. Altare enim cordis in medio est corporis, quod est terra Ægypti: quia non in corpore nisi mœror & tenebræ. Titulus tamen imaginis Dei est ad terminum eius,hoc est , in summitate spiritus in mente. *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.Pallæ autem sunt albissimæ innocentiæ candores in conuersatione vitæ. *Apoc.* 3. Ambulabunt mecum in albis , quoniam digni sunt. *Eccle.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida , & oleum de capite tuo non deficiat.

Hæc est igitur domus , de qua dicit : Salus hodie

die huic domui[facta est] Si autem facta est salus, ante non fuit ei salus, cum non esset domus Dei. Et hoc quidem est verum: quia sic salus fit ei, & efficitur saluans ad se fugientes. Et ideo Pontifex consecrator domus sub interminatione anathematis præcipit, vt sit salua à violentia cum rebus in se contentis, & cum omnibus ad eam confugientibus. Vnde. 3.*Reg*. 8. dicitur. Siquis cognouerit plagam cordis sui,& expanderit ad te manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo in habitaculo sancto tuo. Sic ergo [salus huic domui facta est] Cuius signum erat, vt *Ibidem* legitur, quia templum impletum est nebuloso fumo. In cuius signum Pontifex incendit thura super altare, in tantum quod fumus omnibus appatet consurgens in domo:quia iste est fumus deuotionis,qui consurgit ab altari cordis per ignem charitatis in oratione. Vnde 3.*Reg*. 8. Dominus dixit vt habitaret in nebula.*Psalm*. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Cant*.3. Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thurris? Sic ergo[salus hodie] per ingressum summi Pontificis cum familia & ministris[huic domui facta est]

Quod autem hæc salus tota referatur ad hominem, ostendit, cum subdit [eo quod & ipse filius sit Abrahæ]Per hoc autem quod dicit[& ipse] quidam dixerunt, quod Zachæus esset Gentilis. Ac si dicat:Non tantum Iudæus sed etiam ipse qui Gentilis est,factus est filius Abrahæ per imitationem fidei & conuersationis, & per hæreditatem promissionis. Sed hoc non est probabile : quia *Matth*. 15. dicit ; Non sum missus nisi ad oues Israël. Adhuc autem *Matth*.10.præcepit: In viam Gentium ne abieritis. Et quod ipse tunc ad Gentiles declinauerit, non est verisimile. Adhuc autem *Ioan*.4.primo noluit intrare ad Samaritanos, sed præcepit Discipulis vt cibos emerent. Et hoc est concedendum:quia post ascensionem cum pertinaciter & finaliter Iudæi repulerunt verbum prædicatæ fidei, tunc primo Dominus spirituali gratia se conuertit ad Gentes. Vnde sensus est [eo quod & ipse] de magnis peccatis recenter conuersus [sit filius Abrahæ] per fidei imitationem, & promissionis hæreditatem : sic vt alij qui innocentiam Abrahæ retinuerunt, & non solum Pharisæi,qui murmurant quod ad hominem peccatorem diuertit, dicere nihil possunt:cum ipsum peccatorem vident in filium Abrahæ conuersum. *Rom*. 9. Neque qui semen sunt Abrahæ omnes sunt filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est,non qui filij sunt carnis hi filij sunt,sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine. *Ioan*. 8. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Sic ergo domus in Domino domus consecuta est salutem. Hoc autem dicit finem esse sui aduentus:& ideo non esse murmurandum, si ipse facit hoc propter quod venit in mundum. Et hoc est quod sequitur.

Venit enim Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

Tangit duo,scilicet, naturam secundum quam venit, & finem ad quem venit. Primum tangit cum dicit[Venit enim filius hominis]quia secundum hoc quod est Filius hominis venit, cum in natura hominis apparuit:secundum autem quod est Filius Dei,vbique est,& nusquam venit,nec ab aliquo loco recedit. De hoc aduentu dicitur *Galat*.4. Quando venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum natum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. *Ioan*. 16. Exiui à Patre, & veni in mundum : iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Sic ergo venit [quærere] ad vitam gratiæ [& saluum facere]per vitam gloriæ[quod perierat] per errorem& vitia conuersationis vitæ.

Primum horum trium significatur *Genes*. 36. vbi dicit Ioseph:Fratres meos quæro.2.*Tim*.1. Sollicitè me quæsiuit, & inuenit. Sic ergo circuiens in mundo:in se,& in suis,quod perierat quæsiuit. Vnde *Ezech*. 34. Ecce ego ipse requiram oues meas. Et *Ibidem* improperat malis Prælatis vicariis suis in cura pastorali, dicens : Quod perierat non quæsiuistis. *Luc*.15.Perierat,& inuentus est. Sic ergo quærit visitando per gratiam, vocando per verbum,trahendo per beneficium, flagellando per aduersitatem. De primo dicitur *Luc*. 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri,in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. De secundo *Iob* 19. Ore proprio deprecabar illum, hoc est seruum meum. *Matth*.4. Vocauit eos dicens : Venite post me. *Psal*.94. Hodie si vocem eius audieritis,nolite obdurare corda vestra. De tertio dicitur *Ioan*.10. Proprias oues vocat nominatim,scilicet, per beneficia. *Exod*. 33. Teipsum noui ex nomine : inuenisti enim gratiam coram me. De quarto *Isa*.28. Per omne flagellum erudieris Ierusalem. Sic ergo quærit[saluum facere]ad gloriam. *Ioan*.3. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Matth*. 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum [quod perierat] per errorem. *Isa*. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinando : & Dominus posuit in ipso iniquitates omnium nostrum. Sic filius prodigus perierat,& inuentus est. *Luc*. 15. Hoc est igitur quod dicit in hoc exemplo : vbi ostendit quod bona dispensatio commissi talenti in bonis exterioribus, causa est electionis secundum præsentem iustitiam.

Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem : & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo : homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum,& reuerti.

Hic hoc idem,quod exemplo præostendit, parabola instruit. Tangit autem duo. Vnum quidem est quod præmittit, qua necessitate hanc parabolam inducit : & aliud est doctrina parabolæ. Dicit igitur [Hæc] quæ dicta sunt [illis audientibus] & ore concluso tacentibus. *Psal*.62. Obstructum est os loquentium iniqua. Illis audientibus dico, vt etiam ingratos instrueret, regnum suũ de hoc mundo non esse [adiiciens] præhabitis [dixit parabolam] sermonem similitudinatium, ostendentem quod regnum suum non esset temporale. Huius autem causa erat, quod sequitur [eo quod esset prope Ierusalem] vbi erat sedes re-

gni terreni [Et quia æstimauerunt] Discipuli, & alij qui audierunt eum, debere saluare quod perierat [quod confestim] quando veniret Ierusalem [regnum Dei] quod in potestate terrena, sicut fuit sub Dauid [manifestaretur] in ipso Christo. Vnde etiam Sacerdotes accusauerunt eum *Ioan*.19. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Ipse autem de regno terreni principatus non intellexit, sed de regno gratiæ: sicut diximus sæpe. Et ideo ad corrigendum errorem istum, inducit hanc parabolam.

Hæc autem parabola habet duas partes, in quarum prima ostenditur, qualiter quidam de suis ordinauit eum recessit: in secunda autem ostenditur, qualiter commissum exegit cum rediret. In prima autem tria facit, in quorum primo ostendit, quare recessit: in secundo, qualiter de vtilitate sua cogitans, bona sua per seruos suos ad lucrandum ordinauit: in tertio, qualiter à quibusdam maleuolis, insidiantibus honori suo quantum in ipsis erat, ab intentione sua impeditus fuit. In primo horum dicit tria: altitudinem scilicet abeuntis, & quò abiit, & ad quid. De primo dicit [Dixit ergo] parabolicè, significans quod prius esset in cælum eundum, antequam regnum inciperet diuinum. Et hoc dixit parabolicè. *Eccli*.39. Occulta prouerbiorum exquiret sapiens, & in absconditis parabolarum conuersabitur.

Homo quidam] Describit hunc dupliciter: à natura, & natalibus. A natura cum dicit [homo quidam] Est autem homo iste Christus, ab humanitate assumpta homo dictus. *Psalm*.86. Homo natus est in ea. *Philip*.2. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Homo etiam est ab hominis proprietate, quia humanus & mansuetus erat. *Matth*.11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Sic igitur est homo [quidam] Non nominatur autem: quia nomen suum est ineffabile & inenarrabile. *Genes*.32. Cur quæris nomen meum, quia ipsum est mirabile? *Psalm*. secundum aliam *Translationem*. Homo est, & quis cognoscet eum [nobilis] A natalibus describit. Nobilis enim erat ex parte Matris, & nobilior ex parte Patris. Ex parte Matris pertinet ad eum nobilitas regni Dauid. *Luc*.1. Dabit illi Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Ex parte autem Patris regnum habet cæleste, & est Filius summi Regis. *Philip*.2. Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. *Ioan*.1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Sic ergo est homo nobilis.

Talis igitur ac tantus [abiit in regionem longinquam] Hic est enim nobilis, de quo dicitur *Prouerb. vltim*. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. *Eccli*.10. Beata terra cuius rex nobilis est. Hic ergo [abiit] Non abiisset autem nisi prius venisset. Et ideo notatur hic quatuor, scilicet, vnde abiit, & qualiter abiit, & quò abiit, & ad quid abiit. Vnde abiit: quia de mundo ad quem venit. *Ioan*.1. In propria venit, & sui eum non receperunt. Et hæc regio sibi peregrina fuit secundum diuinitatem. *Ierem*.14. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? *Ioan*.16. Exiui à Patre & veni in mundum. Ab hoc ergo mundo [abiit] quando de loco in quo fuit recessit. Et hoc dupliciter. In Iudæa enim fuit, sicut dicitur in *Psalm*.75. Notus in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius. Et ad Gentes recessit per Apostolorum prædicationem. *Act*.13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes [Abiit] etiam à visibili mundo factus inuisibilis. *Ioan*.16. Modicum & non videbitis me: iterum modicum & videbitis me: quia vado ad Patrem. Ecce vnde & qualiter abiit.

In regionem longinquam] hoc est, in cælum. Quæ regio à carnis natura & actibus longe vsque ad illud tempus distabat: quia non erat in cælo aliqua conuersatio hominis. *Isa*.55. Quomodo distant cæli terra: sic distant cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à viis vestris, dicit Dominus. *Prouerb*.7. Non est vir in domo sua, hoc est, in Ecclesia: abiit via longissima: sacculum pecuniæ, hoc est, corpus gloriosum cum thesauro gloriæ secum tulit in die plenæ lunæ, in consummatione seculi reuersurus: cum omnis mutabilitas cessabit, & stabit ad immutabilitatem. Sic etiam abiit in verbo fidei ad Gentes quæ longe erant. *Eccli*.24. Adhuc doctrinam quasi antelucanum effundam, & enarrabo illam vsque in longinquum. Hoc est ergo quod dicit: In regionem longinquam.

Accipere sibi regnum & reuerti] duo tangit in intentione: vnum est potestatis, alterum iudicij. Potestatis quidem [accipere sibi regnum] hoc est, sicut sæpe diximus, completam potestatem regnandi in iustitia in Ecclesia. Hoc autem regnum accepit quidem à Patre sicut à datore. *Psal*.2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. *Isa*. 33. Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet & saluabit nos. *Psal*. 2. Postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, hoc est, in potestate domante eos. Hoc igitur licet acceperit à Patre per generationem æternam: tamen in iurisdictionem & possessionem perfectam intrauit per Apostolorum prædicationem. *Psal*. 21. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium. *Matth*.6. Adueniat regnum tuum. Vel [accipere sibi regnum] non quidem sibi in se, qui semper hoc habuit: sed [accipere sibi] hoc est, suis [regnum] cælorum. Et hoc fecit quando eos in die Ascensionis secum in regnum introduxit. *Luc*.12. Nolite timere pusillus grex: quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et hoc quasi in idem redit cum priori: quia sui ex parte maxima erant in gentilitate conuertenda. *Psalm*.105. Saluos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus, & confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. *Apoc*.12. Nunc facta est salus & virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum. Tunc enim erit ablata diabolo potestas, & data Domino. Vnde *Augustinus*. Venale habeo, venale habeo. Quæris quid? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, labore requies, dolore gaudium,

vilitate

vilitate humilitatia gloria, & morte vita. Sic igitur abiit accipere fibi regnum in fe & in fuis [& reuerti] in mundum ad iudicium. *Act.* 1. Sic veniet quemadmodum vidiftis eum euntem in cælum. Sic etiam redibit in Ifraël, qui in fine conuertetur poft conuerfionem plenitudinis Gentium. *Roman.* 11. Cæcitas contigit in Ifraël, donec plenitudo Gentium intraret, & fic omnis Ifraël faluus fieret. *Ifa.* 10. Vere reliquiæ conuertentur ad Dominum fortem exercituum. Sic ergo intendit reuerti.

Vocatis autem decem feruis fuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum: & miferunt legationem poft illum, dicentes: Nolumus hunc regnare fuper nos.

Ecce qualiter difponens de rebus fuis poft fe, receffit. Et tanguntur hic duo: qualiter fcilicet bona fua tradidit fidelibus, & qualiter infideles fe habuerunt ad ipfum. In priori autem horum tria dicit, fcilicet, vocationem fidelium, commiffionem talentorum, & indictionem negotiationum. De primo dicit [Vocatis igitur decem feruis] hoc eft, fidelium perfectione & vniuerfitate, qui decalogi operibus perfecti fuerunt: eo quod, ficut fupra diximus, decem perfectiones habet quodlibet opus: tres quidem in corde, tres in virtute operatiua, & tres in opere, & vnam in intentione: tres in corde, vt fiat feruenter, fapienter, & plena animi tranquillitate: tres in virtute, vt fiat virtute alta non declinabili, forti & inuincibili, iufta poteftate & ordinata: tres in opere, vt fiat licitum fecundum legem, confultè fecundum deliberationem, & rectè fecundum virtutem: vnam autem habet in intentione, vt fiat purè propter Deum. Ecce propter quid decem vocantur, qui de nouo decalogi funt fubiecti. Tunc enim cum abiit, neminem mifit nifi de Iudæis, qui omnes decalogo feruiebant. *Pfalm.* 32. In pfalterio decachordo pfallam tibi. Pfalterium autem vt dicit *ibidem Gloff.* ad perfectionem refertur operationis. Sic ergo vocauit decem feruos fuos.

Dedit illis decem mnas] Vtrum autem cuilibet decem dederit, vel cuilibet vnam non eft perfpicuum. Nifi quod *infra*, vbi vocantur ad reddendam rationem, quilibet dicit: Mna tua decem mnas acquifiuit: ex quo videtur quod cuilibet vnam dederit. Et hoc effe fupponatur: quia hoc eft ex litera acceptum. Dicit autem *Gloff.* quod mna pondus eft decem drachmarum, & fecundum hoc, cum decem mnas dedit, drachmas dedit centum. Per centenarium autem perfectio fignificatur decalogi: quia dum illa decem quæ diximus, in quodlibet opus decalogi fuerint multiplicata, furgit in quadrum: dicitur centenarius, in quo tatione iam dicta fignificatur operis perfecti vniuerfaliter conuerfatio. *Ifidorus* autem dicere videtur, quod mna in ponderibus centum drachmis appenditur. *Ezech.* autem 45. dicitur, quod viginti ficli & vigintiquinque ficli, & quindecim ficli mnam faciunt. Sed ifta non funt ad propofitum: quia hæc fecundum diuerfa pondera funt maiora & minora, fecundum quod pondus eft legale, & vfuale, & pondus fanctuarij: legale enim maius eft vfuali, & pondus fanctuarij maius eft legali: & fecundum diuerfitatem gentium & ciuitatum ifta variantur. Accipiamus ergo quod cuilibet dedit mnam, in pondere & quantitate diuerfam, fecundum proportionem virtutis eorum. Vnde *Matth.* 25. dicitur, quod dedit vnicuique fecundum propriam virtutem, & profectus eft ftatim. Tangit autem hic numerum, & pondus, & menfuram: quia in denario ponit numerum, in mna ponit pondus, in virtute ferui ponit menfuram fecundum diuerfitatem quantitatis ponderis. *Sapient.* 11. Omnia in numero, & menfura, & pondere diftribuifti. Ita 4. *Reg.* 4. vidua infudit oleum fecundum capacitatem vaforum. Hæc autem fignificant dona gratiarum, quæ 1. *Corinth.* 12. enumerantur Quia alij per Spiritum datur fapientia, alij fcientia in eodem Spiritu, alteri fides in vno Spiritu, & fic de aliis. Ita quod de feruis Domini, nullus eft qui non de bonis Domini mnas accipiat: ad numerum gratiarum, & pondus valoris, & menfuram fuæ capacitatis.

Et ait ad illos] datis talentis pro quolibet [Negotiamini dum venio] rationem exacturus. Per negotiationem autem vult inducere talenti commiffi multiplicationem. Sicut oleum viduæ per vafa eft multiplicatum, & ficut femen multiplicatur feminatum: ita dona gratiarum multiplicantur in alios fparfa, & congefta putrefcunt. Vnde *Malac.* 13. dicitur, quod regnum cælorum fimile eft homini negotiatori quærenti bonas margaritas, hoc eft, pretiofas animas, in quibus bona fua multiplicet. Ex his igitur accipitur intellectus literæ.

Spiritualiter autem dicuntur in hoc verbo fex, fcilicet, miniftrorum vocatio, vocatorum conditio, ponderis acceptio, gratuita collatio, accepti numeratio, & negotiationis indictio. Primum notatur per hoc quod dicit [vocatis] tripliciter per internam Spiritus infpirationem, per exteriorem admonitionem, & per officij iniunctionem. De interna Spiritus infpiratione dicitur *Act.* 13. Dixit Spiritus fanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus miniſterij, ad quod affumpfi eos, Sic enim fanctitate Spiritus ab aliis debet effe fegregatus, qui ad prælationem vocatur. De exteriori admonitione, quæ eft electio, dicitur *Matth.* 10. Elegit duodecim, quos & Apoftolos nominauit. De officij impofitione *Tit.* 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ: vt conftitueres per ciuitates Epifcopos & Presbyteros, ficut tibi difpofui. Aliter nifi fic vocatus, non conftituitur in minifterio Domini. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt nifi mittantur. *Hebr.* 5. Nec quifque fumit fibi honorem: fed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: quemadmodum & Chriftus non femetipfum clarificauit vt Pontifex fieret, fed qui locutus ad eum: Tu es facerdos in æternum fecundum ordinem Melchifedech. Ecce modus vocationis [feruis fuis] Hæc eft cōditio vocatorū, vt fe feruos fciant, non Dominos. *Matth.* 20. Scitis quia principes Gentium dominantur eorum. Sic non erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, fit vefter minifter. Ponderis autem acceptio notatur in hoc quod [dedit illis mnas] Et de hoc fatis fufficienter in expofitione literæ dictum eft. Gratuita autem collatio notatur in hoc quod dicit [dedit] non vendidit: vt eos moneret, ne & ipfi fibi donata venderent. *Matth.* 10. Gratis accepi-

ftis,gratis date. Et de hoc etiam ſæpe ſatis dictum eſt. De accepti etiam muneris numeratiune per denarium,iam ſatis dictum eſt. Negotiatiouis autem indictio notatur cum dicitur [negotiamini dum venio] Sancta enim eſt iſta negotiatio, qua ad vſuram proximo impenditur talentum acceptum, vt fiat multiplicatum tam in intellectu quam in affectu,& in opere proximi. *Prouerb.* 19. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, hoc eſt, fœneratur ad vtilitatem & lucrum Domini, qui pauperi ſpiritualiter vel corporaliter mutuat dona Domini. Sed heu, hodie ſerui Dei clerici & religioſi adhuc plus negotiationem ſpiritualem conuerterunt in temporalem,& domum Domini fecerunt domum negotiationis temporalis, quæ cum fraude & mendaciis exercetur: & ideo negligentes ſunt in negotiatione ſpirituali. *Eccli.* 26. Difficile negotians exuitur à negligentia: & caupo non iuſtificatur à peccatis labiorum. *Oſee* 11. Circumdedit me Ephraim in negotiatione ſua. *Nahum.* 3. Plures feciſti negotiationes tuas quam ſiut ſtellæ cæli[dum venio] dicit, rationem habiturus de omni commiſſo, ſiue corporali, ſiue ſpirituali talento.

Ciues autem eius oderant eum] Hic tangitur, qualiter ab indeuotis receſſit. Ciues autem eius ſpecialiter dicuntur Iudæi, de quorum ciuilitate natus eſt Chriſtus. *Rom.* 9. Quorum patres ex quibus Chriſtus natus eſt ſecundum carnem: hi enim in ciuitate ſua habitabant. *Pſalm.* 86. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei: ſed poſtea facti ſunt peruerſi. *Iſa.* 1. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Sunt aliter ciues iſti, dilectores mundi qui oderunt Chriſtum. *Iacob.* 4. Quicunque voluerit amicus eſſe hui ſeculi, inimicus Dei conſtituitur. Hi, ciues ſunt ciuitatis mundi,de qua dicitur *Oſea* 6. Galaad ciuitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine. Idola enim vanitatis colit: & peccatis de corrupto ſanguine exortis ſupplantatur. *Oſea* 11. Deus ego & non homo: in medio tui ſanctus, & non ingrediar ciuitatem. Ciues autem huius ciuitatis ſunt iniqui: cuſtodes eius ſunt cæci per ignorantiam, & claudi per rectum greſſum virtutis. 2. *Reg.* 5. Non ingredieris in ciuitatem: niſi abſtuleris cæcos & claudos qui ſunt ſuper murum, odientes animam Dauid, hoc eſt, Chriſti. Hi etiam ſunt ciues Chriſti. *Ioan.* 1. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Sic ergo dicitur, quod ciues eius oderant illum.

Et]ideo[miſerunt legationem poſt ipſum]Hæc legatio eſt tota multitudo tyrannorum perſequentium Chriſtum in ſuis, & hæreticorum veritati eius contradicentium, & falſorum Chriſtianorum virtutes eius corrumpentium. Vſque hodie enim non ceſſant tales mittere legatos ſatellites diaboli. Hi ſignificantur *Apoc.* 12. per flumen quod draco emiſit ex ore ſuo, vt flumine mulierem parturientem, hoc eſt, Eccleſiam, faceret ad ſe trahi, & ſic regnum Chriſti abſorberet. 2. *Timoth.* 3. Omnes qui piè volunt viuere, perſecutionem patientur [dicentes] ipſo facto [Nolumus hunc regnare ſuper nos] *Iob* 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini,& ignorauerunt ſemitas eius. Hoc ſignificatum eſt *Iſa* 8. Eo quod abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, & elegit magis Raſin & filium Romeliæ: propter hoc ecce adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis multas & fortes in rege Aſſyriorum. Siloa interpretatur miſſus, & ſignificat ſecundum intellectum literalem, regnum Dauid & Chriſti, quod cum pace & tranquillitate ſilentij conſcientiæ imperat. Hoc autem abiicit populus Iudæorum & mundi, & elegit magis eſſe ſub regno Raſin, qui interpretatur impius, & ſignificat diabolum. Elegit etiam eſſe ſub regulo Romeliæ, qui interpretatur ſupplantans laborantem, & ſignificat mundum, qui omnem in ſe laborantem ſupplantat. Ideo adducet Dominus poſt mortem ſuper eos, aquas tribulationum fluminis continuò affluentis in fluminibus inferni, qui ſunt Coccytus, & Lethes, & Styx, & alij fluuij infernales in rege Aſſyriorum diabolo, qui ſicut dicitur *Iob* 41. eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ: quia Syria ſublimis interpretatur. Hoc eſt ergo quod tota die clamant verbis & factis: Nolumus hunc regnare ſuper nos: cum tamen ſeruire ſibi, regnare ſit: ſicut dicit *Gregorius.* *Iob* 21. Dixerunt Domino, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.

Et factum eſt vt rediret accepto regno.

Hic agitur de redito Domini ad rationem audiendam. Tanguntur autem hic tria, ſcilicet, qualiter rediit: qualiter ab his, quibus bona commiſit, rationem exegit: qualiter in odientes ſe vindicauit. De primo dicit [Et factum eſt] diſpoſitione diuina [cum rediret] Tripliciter redit Dominus, mentaliter, temporaliter, & æternaliter: mentaliter, cum cuiuſlibet mentem viſitat: temporaliter, cum in peccatores perſecutionem temporalem procurat: æternaliter, cum poſt mortem aut æternaliter præmiat, aut æternaliter condemnat. Mentaliter venit conuertendo. *Act.* 9. Quis es Domine? Et Dominus ad eum: Ego ſum Chriſtus quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Temporaliter venit ſuper Iudæos in poteſtate Titi & Veſpaſiani: quando Ieruſalem deſtruxit. *Luc.* 19. Venient dies in te, & coanguſtabunt te inimici tui vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt. Æternaliter *Matth.* 25. Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, & ſederit in ſede maieſtatis ſuæ: congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſegregabit eas ab inuicem, ſicut ſegregat paſtor oues ab hœdis. Et *infra.* Et dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. His autem qui à ſiniſtris eius erunt dicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Redit enim [accepto regno] hoc eſt, regnandi & iudicandi poteſtate. *Ioan.* 5. Pater non iudicat quenquam: ſed iudicium omne dedit Filio. 1. *Cor.* 15. Oportet ipſum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Sic ergo redit accepto regno.

Et iuſſit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam: vt ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.

Iſtud eſt ſecundum, & dicit tria, ſcilicet,

ſeruorum

seruorum citationem, seruorum tationem, & immiscet huic tettium, quod ponit seruorum pro stipendiis meritorum condignam temunerationem. Citatio ponitur in hoc quod dicit [Iussit] Duo dicuntur: citatio petemptoria, & ad quid citantur. Citatio peremptoria notatur in hoc quod dicit [iussit vocari] Iussit autem per Angelos fieri istam citationem. 1. *Thess.* 4. Ipse Dominus in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Vox autem Archangeli secundum vnam expositionem est vox Angelorum vocantium ad iudicium. Hæc vox est, vt dicit *Hieronymus*, quod virtute intellectuali dicent Angeli: Surgite mortui, & venite ad iudicium. Sic ergo iussit vocari [seruos suos] Quia sicut dicit *Psalm.* 67. Tunc dabit voci suæ vocem virtutis, vt hæc vox efficaciter faciat surgere mortuos. Hæc enim vox tubæ est vox Filij Dei, sonans ministerio Angelorum. *Ioan.* 5. Venit hora, quando omnes, qui in moumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent. Sic ergo vocabuntur [quibus dedit] bona sua: quam hic dicit [pecuniam] suam. Pecunia enim primo dicta est, vt dicit *Augustinus*, quæ ad commutationem pecorum est inuenta. Bona autem Domini maxime dantur ad pecorum suorum, hoc est, aoimatum commissarum vtilitatem. *Psalm.* 72. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum

Vt sciret] hoc est, per ratiocinium sciri faceret [quantum quisque negotiatus esset] hoc est, negotiatiooe talenti accepti lucratus esset in profectibus subditorum. Hoc enim iustum est: quia seruus non habet aliquid nisi nomine domini sui: & ideo iustum est, vt lucrum ad vsus domini referatur. *Matth.* 25. post multum vero temporis, venit Dominus seruorum illorum tatiooem posuturus cum eis. *Luc.* 16. Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare. *Matth.* 18. Simile est regnum cælorum homini regi, qui posuit rationem cum seruis suis.

Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit.

Hic tangitur de redditione rationis, & lucri. Et dicuntur hic duo, scilicet, qualiter fideles remunerantur pro lucro, & qualiter pigri condemnantur pro malo merito. In primo adhuc duo dicit, secundũ duos qui duplicia lucra reportauerunt domino. Primus ergo inducitur, qui perfecto lucro venit ad dominum, & dicitur hic, & qualiter computauit, & qualiter receptus, & qualiter remuneratus est. In computatione autem duo sunt: qualiter venit confidenter, & quod computauit sufficienter. Primum autem notatur cum dicitur [Venit autem] confidenter, nihil dubitans, & nihil trepidans, & nihil excusatiouis prætendens. Dubius enim ignorat quid agere debeat in computando: sicut villicus iniquitatis *Luc.* 16. Quid faciam quia dominus meus aufert à me villicationem? Et huc modo sunt quidam, qui etiam noo curant scire quid debeant Domino, vel in quanto teneantur: cum tamen lucrum quærat Dominus de omnibus annis vitæ. *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Multi etiam malam conscientiam habentes trepidant & timent. *Sapien.* 17. Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem, hoc est, in signum futuræ condemnationis. Non etiam excusat torporem. *Psalm.* 140. Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Non enim fecit sibi perizomata, quibus verecunda tegerentur: sed ad lucem veniens, sciuit quod dicitur *Ioan.* 3. Qui bene agit, venit ad lucem: vt manifestentur opera eius, quooiam in Deo facta sunt. Sic igitur [primus] dignitate & lucri perfectione

Venit] Computationẽ suam iam ante præparauerat quadruplicitet, scilicet, quis esset sumptus, quæ esset cõputatio, quid in quos expensũ, & quod esset superexcrescens lucrum. Qui sumptus, quia viæ erant periculosæ, & tempora mala in quibus oportebat occurrere hostibus, ædificia magna quæ Domino in præsidia & tutelam bonorum ædificari oportuit. Vnde *Luc.* 14. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare: nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum? Ita iste ante computauerat quicquid posuit in ædificio, & præsidio virtutis. Et *Ibidem.* Sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus venit ad se. Sic ergo computat quicquid in pugna pro Deo facit, & sic venit paratus. Hoc igitur modo computat sumptus. Præordinat etiam quæ sit & de quibus computatio, ne impræmeditatus præoccupetur. Computat enim debita, vt satisfaciat. Computat commissa, vt rationem reddat. *Habac.* 2. Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem meam, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Computat etiam, quid in quos sit expensum. Non enim in histriones, non in gloriam mundi, sed in pauperes indigentes de familia Domini existentes expendit bona Domini sui. *Psalm.* 111. Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in æternum non commouebitur. Miseratio enim & commoditas quam fecit Sanctis, centuplum soluent in iudicio: & ideo iam sermones computationis iste præordinauit & disposuit. Superexcrescens etiam lucrum computat quantum lucratus est. *Matth.* 25. Ecce alia quinque superlucratus sum: & ideo iste paratus & securus venit, dicens.

Domine, mna tua decem mnas acquisiuit] Tria dicit: Dominum enim suum recognoscit, bona commissa Domino attribuit, lucrum excrescens bonis Domini concedit, & non sibi vsurpauit. De primo dicit [Domine] cuius seruus sum ego, & nihil habere possum nisi in nomine tuo. *Esther.* 13. Dominus vniuersorum es [mna tua] Non mea. 1. *Paralip. vltim.* Quæ de manu tua accepimus, hæc obtulimus tibi. Mna autem ista, donum Dei est quodcunque. In genere autem multiplicatur in tria: in bonum gentis, & hoc accipiunt reges & principes & Episcopi: & in bonum familiæ, & hoc accipiunt illi quibus familiæ committuntur, vt decani, & plebani, & patresfamilias domorum: & in bonum priuatum, quod in sui regimine quilibet accipit. Acceptum est donum intellectus in fide, in sapientia, & intellectu, & scientia, & prudentia, & artibus, & consilio, & scientia gubernando. Et donum affectus in virtute operatiua fortitudinis, iustitiæ, temperantiæ,

spei,

spei, charitatis. Et in exterioribus bonis: sicut est nobilitas, sanitas, eloquentia, diuitiæ, amicorum prosperitas, & huiusmodi. Hæc igitur est [mna tua] *Ioan.* 17. Tui sunt, & mihi eos dedisti. Hæc enim filius non de se in se tantum dicit: sed etiam de se in membris. Et profert lucrum dicens [Decem mnas acquisiuit] Q. d. Dona tua hæc effecerunt. Non ego de mea industria, vel viribus hæc facere potui. 1. *Corinth.* 15. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Et *Ibidem.* Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. Dicit autem quod decem mnas: quia totum lucrum talenti commissi retulit ad perfectionem decalogi: vel retulit ad illas decem perfectiones, quas sæpius diximus ita quod omne quod erat in opere, licitum fuit, & honestum, & expediens ad exemplum ædificationis proximorum. In virtute autem operatiua sit ad una indeclinabilis, in vigore virtutis inuincibilis, & in potestate rationabilis. In corde autem sit feruens in bonum, lucens ad ad omne verum, & quietus siue tranquillus ad omnem impulsum. In intentione autem sit semper simpliciter ordinatus ad Deum. Iste enim talis summè lucratus est, vt omne suum lucrum referatur ad regni Dei profectum. Et istæ sunt decem mnæ, quas etiam bonus acquisiuit, & in duplum multiplicauit: quia in se quod sic accepit, in alterum propagauit. In hac enim perfectiore omnes regni Dei diuitiæ consistunt. *Baruch* 4. Sicut fuerunt sensus vestri, vt prouocaretis eum: decies tantum conuertentes requiretis eum.

Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.

Hic tangitur receptio istius serui: recipitur autem in gaudio & signo lætitiæ cordis, & in commendatione, & remuneratio sibi exhibetur. Dicit igitur [Et ait illi] Dominus eius benignè suscipiēs eum [Euge] Ecce signum lætitiæ cordis. *Matth.* 25. Euge serue bone, & fidelis. In hoc patet quantum Dominus amat lucrum animarum, quando studentem tali lucro, tanto recipit signo exultationis. *Luc.* 15. Gaudium est Angelis Dei in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. Significat enim hic, Euge, affectum gaudentis, & congratulantis. *Luc.* 15. Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Et hæc est exultatio in bonis profectibus spiritualium lucrorum. Maligni autem spiritus exultant in profectu malorum, & destructione bonorum. *Ezech.* 25. Dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quod pollutum est. Aliquando autem notat insultationem malorum, quia insultant bonis. *Psalm.* 34. Dilatauerunt super me os suum, dicentes: Euge, euge. Aliquando autem notat adulationem blandientium. *Psalm.* 39. Ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi: Euge, euge. Aliquando autem notat admirationem. *Ezech* 26. Euge, confractæ sunt portæ populorum. Hic autem notat applausum & congratulationem: sicut diximus.

Serue bone] Commendatio est virtutis quadruplicis, iustitiæ, beneuolentiæ siue charitatis, prudentiæ, & fidelitatis. Iustitiam autem commendat dicens [serue] Iustum enim est, quod ille seruiat. *Luc.* 17. Serui inutiles sumus: quæ debuimus facere fecimus. Iste est seruus cognoscens se in habitu serui, & non quærens dominari. 1. *Petr.* 5. Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. *Isa.* 49. Seruus meus es tu Israël, hoc est, rectissime: quia in te glorabor. Sic ergo dicit. Euge serue [bone] hoc est, ad obsequium meum beneuole ex charitate quam habes ad me. *Ioan.* 14. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit. Iste enim honorem Domini sui diligit, qui hunc ad præceptum eius multiplicare studet, & non quæ sua sunt quærit, sed quæ Domini sui. 1. *Cor.* 13. Charitas non quæ sua sunt quærit, sed quæ aliorum. *Corinth.* 10. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei; sicut & ego per omnia in omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant. Iste ergo est bonus. Malus autem qui quærit quæ sua sunt, & non quæ Domini sui. *Philip.* 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi. Sicut sunt serui IESV Christi, qui dominantur nostri in hoc tempore. Subiungit autem.

Quia in modico fuisti fidelis] Et in hoc quod modicum sic multiplicauit, notatur prudentia. Hoc enim prudentis serui est, modicum conuertere in magnum & multum. Sicut quotidie videmus humiles doctores in plebibus, ex parua sciētia & eloquentia multum facere fructum, quando modici, hoc est, humiles sunt in oculis suis. 1. *Corinth.* 1. Non multi sapientes inter vos, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt elegit vt confundat sapientes: & quæ infirma elegit Deus vt confundat fortia: & ea quæ non sunt elegit, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro coram illo. Sic dicitur *Isa.* 40. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem robustissimam. Sic dicitur *Esther.* 10. Paruus fons creuit in fluuium, & in lucem solēque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit. Sic dicitur. 4. *Reg.* 4. quod modicum olei quod vidua habet in lechyto cordis sui, per multiplicia vasa vacua auctum est in omnium debitorum solutionem, & vitæ sui & filiorum sufficientiam. Ecce prudentia maxima quæ hoc facere potuit [& fidelis] quia fecit quod dixit. Non spopondit magna, & parua vel nulla fecit: sicut faciunt hodie qui curas animarum & dignitates suscipiunt: qui sicut dicit *Psalm.* 11. Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Et ideo promittemus & non soluemus. Fidelis enim est, qui complet quod dicit. *Prou.* 20. Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? Idem continetur *Matth.* 25. Serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis. *Luc.* 12. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? 1. *Timoth.* 1. Fidelem me existimauit, ponens in ministerio.

Eris potestatem habens super decem ciuitates] Ecce remuneratio: & notantur in ea quatuor æternitas, potestas, magnitudo diuitiarum, & gloria. Æternitas notatur per hoc quod dicit [eris] Erit enim, vt dicit *Gregorius*, quod nunquam deerit. Et hoc erit æternum. *Isa.* 40. Populus tuus omnes iusti, in æternum hæreditabunt terram.

Psalm.

Psalm. 101. Filij seruorum tuorum habitabunt,& semen eorum in seculum dirigetur [potestatem habens]Ecce potestas : quia ea quæ dat,habebuntur in potestate ad nutum : nec erit qui impediat vel exterreat. *Daniel.*7. Potestas eius potestas æterna,quæ non auferetur : & regnum eius quod non corrumpetur. *Tob.*1. Dedit illi potestatem quocunque vellet ire,habens libertatem quæcunque facere voluisset [super decem] Ecce diuitiæ. Quicquid est in cælo in decem generibus diuitiarum continetur. Summæ enim diuitiæ in Deo, & aliæ magnæ diuitiæ gaudiorum sunt in nouem ordinibus Angelorum. *Psalm.* 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum : omnia subiecisti sub pedibus eius. Omnia enim hæc decem genera diuitiarum fundit in sinum fidelis serui. *Eccle.*7. Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatum [ciuitates.] Hoc refertur ad gloriam,dominari,& esse gloriosum super gloriosas Dei ciuitates. *Psalm.* 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Illa enim quæ sursum est Ierusalem,quæ est mater nostra, decem habet ciuilitates in se : vnam quidem Patris & Filij & Spiritus sancti, secundam Seraphin, tertiam Cherubin, quartam thronorum, quintam Dominationum, sextam virtutum, septimam Potestatum,octauam Principatuum, nonam Archangelorum, & decimam Angelorum. Et boni serui eos quos conuertunt, ad quemlibet ordinem Angelorum transmittunt. Et tunc omnes de gaudio Dei diuites & gloriosi sunt. Et sic ipsi gloriosi in gloria illorum fiunt. Et sic in decem ciuitatibus gloriam habent. 1. *Thess.*2. Quæ est spes nostra,aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum IESVM? Q.d. Vos estis gloria nostra. Sic igitur est super decem ciuitates.

Et alter venit dicens] Alter in profectu, sed tamen in eadem fide. In via enim Dei, vt dicit *Augustinus*, alius sic,alius sic ibat : ex quo mirabilis resultat pulchritudo,quando quod est in vno,non est in altero: ita tamen quod in omnibus sunt omnia. 1. *Corinth.*12. Multi vnum corpus sumus in Christo : singuli autem, alter alterius membra. Talis igitur alter [venit] præparatus ad computationem, confidens & securus [dicens] audacter. *Iob* 31. Librum scribat ipse qui iudicat:& in humeris portabo illum. Secundum enim quod scriptum fuit in libro bonæ conscientiæ, sic computauit dona commissa [Domine] in cuius nomine possideo quicquid habeo.. *Ioan.*17. Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt,& clarificatus sum in eis.

Mna tua] quam mihi commisisti. Hæc autem mna quamuis iam exposita sit : tamen potest dici quod hæc mna minor est quam prima : quia hæc est ad prouidentiam domus ordinata, hoc est, familiæ : sicut Capituli vel Parochiæ. Donum autem est donum regiminis talis familiæ,quod quidem mna vocatur, sed ad minus pondus est quam præcedens. *Rom.*12. Habentes donationes secundum propositum gratiæ Dei, quæ data est nobis, differentes. Hæc autem mna decem habet drachmas : sex quidem in intellectu, & quatuor in affectu. In intellectu enim habet intellectum verbi,sapere & saporationem diuinorum, per experimentum enim didicit : reuelationem secretorum,scientiam certorum, consilium dubiorum,& experimentum emergentium. Ex quo conficitur ars regiminis. In affectu autem habet timorem à malo recedentem,charitatem ad bonum festinantem, cautelam tentationes excludentem, & affabilitatem,familiam in dulcedine alloquentem. De primo dicitur *Psalm.*118. Declaratio sermonum tuorum illuminat,& intellectum dat paruulis De sapientia(quæ est per receptionem saporis)dicitur in *Psalm.*33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. De reuelatione item in *Psalm.*118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia. De scientia dicitur *Osee* 6. Misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocaustum. De consilio dubiorum dicitur *Isa.*9. Vocabitur admirabilis, consiliarius. De experimento emergentium casuum dicitur *Eccli.* 34. Qui non est expertus, qualia scit? De timore autem dicitur *Isa.*11. Replebit eum spiritus timoris Domini. De amore autem dicitur *Sapient.* 7. Amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere. De cautela autem dicitur *Prouerb.*1. Vt detur paruulis astutia. *Daniel.*1. Cautos scientia & doctos disciplina. De dulcedine alloquij dicitur *Cantic.*4. Mel & lac sub lingua eius Istis enim decem omnis homo indiget,qui regit familiam : vt dulcedine alloquij trahat,cautela tentationes subditorum excludat,amore boni ad bonum inducat, timore à malo remoueat, experimento temporis casus determinet,consilio dubitationes illuminet, scientia certa doceat, reuelationes de secretis Dei erudiat, sapientia saporem diuinorum & insipiditatem mundanorum ostendat, & verbi Dei intellectu certam viam doceat. Et ex his decem drachmis hæc mna istius serui conficitur.

Hæc autem mna fecit quinque mnas] In omni enim domo vel familia perfecta quinque personæ sunt : pater, mater, filius, filia, socrus quæ est mater,& nurus quæ in domum introducitur propter domus successionem. Sic fuit in familia Patriarcharum. Docet enim patrem ad filium : & ordinat filium ad patrem, siue corporalem siue spiritualem : matrem disponit ad filiam, & è conuerso : & maritum ad vxorem, & è conuerso : & socrum ad nurum, & è conuerso. Vnde *Luc.*12. Quinque erunt in domo vna. Vel secundum *Chrysost.* Quinque sunt, qui doctrina quinque librorum Moysi ad præcepta Dei sunt imbuti. 1. *Corinth.*14 Malo quinque verba loqui sensu meo in Ecclesia vt alios instruam, quam decem millia verborum in lingua. *Augustinus* autem vult quod quinque mnæ sunt intellectus bonus in exercitium quinque sensuum diffusus in seruitio Dei. Prima est melior expositio, & secunda post hoc : tertiam autem prosecuti sumus super *Matth.*25.

Et huic ait] Dominus faciens mentionem de mercede [Et tu esto]Non dicit hic signum exultationis : quia hic non venit ad perfectionem profectionis. In profectum tamen secundum mensuram qua meruit,retribuetur ei. *Isa.*3. Dicite iusto quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet [super quinque ciuitates,hoc est, quandoque Ecclesiarum ciuilitates in subditis regendas : patrem scilicet ad filium,& è conuerso: & hæc est vna. Secunda Matris ad filiam, & è conuerso. Tertia nurus ad socrum, & è conuerso. Quarta viri ad vxorem, & è conuerso. Quinta patrisfamilias ad familiam,& è conuerso. Et non sunt plures in familiis ciuilitates, & curæ. *Isa.*19.

Erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, loquentes lingua chananea, hoc est, transmutata: quia lingua eorum in Dei laudem transmutatur. Vnde *Gloss.* Ex earum animarum quas imbuisti fide & conuersatione, magnus sublimisque eris, vt non tantum de tuis, sed & de auditorum profectibus honoreris.

Et tertius venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dixit ei: De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam: & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?

Et tertius venit dicens] Tertius non potuit esse secundum diuisionem boni ciuilis, & œconomici, & monastici inductam, nisi qui priuato bono studuit, & nulli profecit. Hic enim ab his duobus est tertius, de quo dicit *Hieronym.* in prooemio galeato. Sancta quippe rusticitas solummodo sibi prodest: & quantum ædificat Ecclesiam Dei ex vitæ merito, tantum nocet si destruentibus non resistat [Domine] Hic tangitur tertij computatio & remuneratio secundum stipendia suæ pigritiæ. Diuiditur autem in duo: in serui computationem, & in Domini pro meritis dignam remunerationem. Serui autem computatio habet tres partes: pecuniæ commissæ integram repræsentationem, pigritiæ & inertiæ excusationem, & Domini cui lucrari debuerat, accusationem. De primo dicit [Domine] Dominum vocat, cuius timori noluit obedire: quia Dominus iniunxerat ei negotiationem, & iste neglexit. *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi timor meus? Incongruè ergo Dominum appellauit.

Ecce mna tua] Hic pecuniam quam accepit integrè repræsentauit, & eam Domini sui esse cognouit: & in hoc quidem non peccauit. Mna autem ista, est donum, quod ad profectum sui solius suffecit: quod vocatur bonum monasticum, quo sibi soli scientiis & virtutibus profecit. Hæc enim est mna, quam Dominus multis dedit: vt (cum tres partes sint in anima rationali, scilicet, inferior, & media, & superior) quod inferiori dat quatuor passionum naturalium ordines: quando dat timere timenda, & non timere non timenda: tristari in tristabilibus, & non tristari in non tristabilibus; & gaudere in his in quibus gaudendum est, & non gaudere in quibus non est gaudendum: & sperare speranda, & non sperare non speranda Per hæc enim quatuor sicut per quatuor drachmas inferior facies animæ ordinatur. Istæ enim sunt quatuor passiones naturales, & vires animæ inferiores. De primo quidem dicit in malo, in *Psalm.* 13. Trepidauerunt timore vbi non erat timor. In bono autem in *Psalm.* 18. Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi. De tristitia autem bona dicitur 2. *Corinth.* 7. Hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem. De mala autem tristitia *ibidem.* Seculi tristitia mortem operatur. De gaudio malo *Prouerb.* 2. Exultant in rebus pessimis. De bono gaudio *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. De spe autem mala. *Sapient.* 5. Spes impij quasi lanugo. De bona spe *Rom.* 5. Spes non confundit. Timore igitur Dei, tristitia de malis seculi, gaudio boni, spe gratiæ & veniæ, ordinatur pars animæ inferior in omni passione. Media autem pars est rationalis, concupiscibilis, irascibilis: & est ordinata, quando in ratione habemus prudentiam, in concupiscibili desiderium virtutum, & in irascibili odium vitiorum. *Luc.* 13. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit sub farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. Sicut *supra* super eundem locum notatum est Superior etiam ordinatur tribus: vt in intellectu fulgor sit diuinæ veritatis, in voluntate amor diuinæ bonitatis, & in memoria indelebilis notitia diuinæ æternitatis. Ecce mna ex decem drachmis confecta. Per hæc enim homo in seipso perfectus est. Hanc igitur profert, in euidenti eam ostendens, cum dicit [Ecce] Nihil enim in nobis boni demonstrari potest nisi donum Dei. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum [mna tua] Suum enim est, quicquid boni in nobis est. *Osea* 13. Perditio tua Israël: nam ex me saluatio tua. Et deinde ponit excusationem, dicens.

Quam habui repositam in sudario] Habet autem, per horum conseruationem in sudario, quia labore comparatam & sudore acquisitam; sicut multi ista quæ diximus magno sudore in studio acquisiuerunt. *Genes.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Habet igitur hæc aliquis apud seipsum, & nulli prodest ex ista mna, dum nec prædicat, nec coram subditis impendit: cogitans quod hoc, quod sudore acquisiuit, siue sit bonum interius, de quo diximus; siue bonum exterius quod accepit, vult commoditatibus propriis impendere, & non proximo inde proficere, dicens illud *Malach.* 1. Ecce de labore. Et illud 1. *Reg.* 25. Tollam panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint? Quasi dicat. Non faciam. Sic enim dixit Nabal stultus, nolens dona Dei communicare Dauid, & viris eius. Hoc est ergo quod dicit [quam habui repositam in sudario]

Timui enim te] Hic tangitur à seruo propria accusatio Domini. Accusat autem eum de quatuor, scilicet, quod fuerit sibi causa timoris in districta computatione, quod austerus in dura præceptione, quod iniustus in acceptione, quod nimis cupidus in fructuum messione. De primo dicit [timui enim te] quia tu nimis districtè computas vsque ad nouissimum quadrantem *Matth.* 5. Et dum proximorum vtilitatibus intenderem, multos quadrantes perderem in meipso. Præcipuè cum & Apostoli *Luc.* 9. & *Matth.* 10. puluerem pedũ excutere iubeantur, hoc est, purgare venialia, quæ per quadrantes significantur [quia homo austerus es] in præceptis, & iudicij districtione, dicens *Matth.* 12. quia de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Timui ergo ne dum proximorum vtilitatibus intenderem, & commodum proprium perderem,

derem, & otiosa multa committerem. Præcipuè cum dicatur *Isa.6.* Væ mihi, quia vir polluti labij ego sum: & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Attendens etiam quod dicit Lot *Gen.19* Non possum ascendere in tantæ perfectionis montem, ne fortè apprehendat me malum, quia debilis sum, & laborare non possum: & commoditatibus priuatis oportet me intendere [tollis vbi non posuisti] Tollit quod non posuit, quando eos quos in fidei verbo non collocauit, tamen ad iudicium suum vocans tollit. *Isa. 8.* Voca nomen eius, velociter spolia detrahe, festina prædari [& metis quod non seminasti] hoc est, falce iudicij præcidis eos, quibus per teipsum non seminasti verbum. *Ioan.4.* Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Ista est ergo excusatio serui, & in omnibus mentitur. Si enim eum timuit, præceptum custodire debuit: & hoc non fecit. *1.Ioan.4.* Perfecta charitas foras mittit timorem. Quod autem dicit, quod est austerus in præcipiendo. Respondet *Chrysost.* quod austeritas contemni non debuit. Iste autem austeritatem illam contempsit. *Ierem.5.* Confregerunt iugum, ruperunt vincula. Adhuc autem si tollit vbi non posuit: multo magis tollit vbi posuit. Posuit autem talentum ad lucrum: & ideo lucrum pro tanta temporis iusta ratione exegit. Et quod dicit [metit vbi non seminauit] mentitur: quia in omnibus semen iustitiæ naturalis sparsit: & ideo merito fructum pretiosum metere voluit. In omnibus autem his, quia duritiam arguit, mentitus fuit: cum ipse dicat *Matth.11.* Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et ideo frustra Dominum accusauit. *Iob 40.* Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iustificeris? Dicit enim Dominus seruo, & conuitianti

De ore tuo] hoc est, de verbis oris tui. *Iob 15.* Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi [serue] nihil habens nisi seruile. *Gene. 9.* Seruus seruorum sit fratribus suis [nequam] & quia piger & iners, & quia fructum subtraxisti quem facere debuisti, & quia proximo non subuenisti, & quia in me negligentias tuas retorsisti. *Matth. 18.* Serue nequam omne debitum dimisi tibi. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? [& quare non dedisti pecuniam meam? Hoc est, donorum tibi commissorum [ad mensam] numulariam, vt sub spe lucri spiritualis, & tu profecisses in melius, & aliis vtilitas fuisset acquisita. *2. Reg.3.* Dauid ibat proficiens, seipso robustior effectus. Sic ergo de profectibus aliorum, & tu & ego & illi ditati fuissemus. *Gene. 31.* Tulit Iacob substantiam patris nostri: & de illius facultatibus ditatus, factus est inclytus. Mensa enim ad quam datur pecunia Domini, est solemnis & aperta propositio donorum eius ad lucrum animarum. *1 Corint. 9.* Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem [& ego veniens] vel visitando proficientes in gratia. *Cantic. 5.* Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Vel rationem audiens in morte. *2.Cor. 5.* Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque computando propria corporis prout gessit [cum vsuris] hoc est, excrescentibus lucris. *Eccli. 29.* Qui facit misericordiam, fœneratur proximo. Sicut enim villico suo commendans semen ad seminandū, non recipit, vel requirit tantum semen si ille non seminauerit; sed & requirit fructum quem semen facere potuit, & cum hoc exigit damnum, quod terra sua inculta iacuit per villici inertiam: ita facit Dominus. Et ideo seruus piger tripliciter culpabilis efficitur: quia scilicet cultum neglexit, quia fructuum damnum fecit, & quia propriæ inertiæ ea pusillanimitate studuit. Sic ergo dicit [quod cum vsuris exegissem illam] *Matth.25.* Cum vsuris recepissem vtique quod meum est.

Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

Hic incipit ponere istius serui condemnationem. Duo autem tangit: pœnam damni, & pœnam sensus ad quas condemnat. In primo horum tria facit: mnam enim auferri præcipit, admirantibus facta sua rationem huius ostēdit, & ante hoc mnam ablatam, illi qui plus accepit addi præcipit. Dicit igitur [Et astantibus dixit] Astantibus, inquam, Angelis, & Sanctis: qui bene astantes dicuntur, qui cum Domino in rectitudine stant ad omnem boni profectum præparati. *Tob. 12.* Ego sum Raphael Angelus, vnus de septem qui in conspectu Dei astamus. *Psalm.5.* Mane astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Sic *Heb. 9.* Christus est assistens, hoc est, astans Patri futurorum bonorum, semper promouens lucra diuina Patris sui. Sic dicitur *Eccle.11.* Mane semina semem tuum, & vespere non cesset manus tua: quia nescis vtrum hoc vel illud citius oriatur, & si vtrumque melius erit

Auferte ab illo mnam] Aufertur mna, quando dona quæ dedit Dominus, per inertiam vel pereunt, vel minuuntur: sicut donum intellectus, quod minuitur & hebetatur per inertiā & destruitur per obliuionē: & donum gratiæ & virtutis per inertiā paulatim obstruitur vitiis & tētationibus. Et sicut in horto bona semina & bonæ stirpes malis plantis suffocantur: ita accidit in corde de vsu bonorū Dei donorum. Et sic continuò aufertur quoad vsū & quoad habitum talentū concessum. *Iob 24.* Conteratur quasi lignum infructuosum. Pauit enim sterilem, & quæ non parit, & viduæ bene non fecit. Sterilis quæ non parit est inertia & torpor, cui quidam deseruiunt, sibi ipsis tantum viuentes. Viduam autem animam proximi negligunt, cui proficere possent: & illi tanquam lignum infructuosum conteruntur. *Prou. 20.* Aufer vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni: & pro extraneis aufer pignus ab eo. Quando enim mnam in vsum negotiationis sibi indictæ accipit, tunc pro aliis fideiussor extitit: quia ipsa mna fideiussor est necessitatum proximi, cum non sibi propter se, sed sibi propter alios sit data: sicut dicit *Philosophus*, quod pecunia fideiussor est futuræ necessitatis. Et iste pro extraneis dedit fidē suam. Et ideo merito tollitur, quādo sine vtilitate inuenitur. *Luc. 13.* Succide ergo eā: vt quid etiam terram occupat?

Et date illi qui decem mnas habet] Qui enim

habet, in vſum ponens ea quæ in ſpiritualibus accipit, continuè creſcit in eis & augetur. Et ſic mnam pigri cum ſua mna recipit: non quidem in numero, ſed in quantitate & ſpecie: quia ille continuò creſcit, iſte autem decreſcit. Adhuc autem de bono quod piger accepit, in beatitudine non gaudebit: ſed illi qui per vſum in regnum veniunt, de omni bonitate & largitate Dei gaudebunt. Et ſic etiam gaudebunt de larga Dei bonitate, quam fecit pigris, & torpentibus: & ſic accipiunt gloriam de hoc, quod illi per inertiam perdiderũt. *Apoc.* 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Sic *Gen.* 26. Primogenita Eſau perdidit, & Iacob accepit. Sic Patriarcha Iacob manus ſuper Manaſſen & Ephraim cancellauit. *Gen.* 48. Quia ſenior inertes ſignificat, ſiniſtræ quoad commoda vitæ ſtudentes: iunior autem Ephraim ſignificat eos, qui in ſpiritualibus proficiunt, & vſu gratiæ redimunt quod ipſi non acceperunt. Subiungit autem rationem horum per reſponſionem admirantium, & habet partes duas. Primo enim ponit dictum admirantium, & ſecundò rationem inductorum. Dictum admirantium eſt in hoc quod dicit

Et dixerunt illi] aſtantes Domino per admirationem & deuotionem [Domine habet decem mnas] Q. d. Mirum eſt qualiter ille ex vſu in gratia creſcit, & tot gratias habet, quot multis ſufficerent: & alius deſtitutus nullam habet. Hoc enim eſt multorum vſque hodie hoc dicentium *Iob* 21. Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues & felix, viſcera eius plena ſunt adipe, & medullis oſſa eius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ ſuæ abſque vllis opibus. Robuſtus enim & ſanus eſt, quem virtus Dei confortauit, & ſcientia Dei verbi ſanam doctrinam habere fecit. Diues eſt in omni gratia Dei, & felix in bono ſucceſſu lucri animarum: & viſcera intima eius plena ſunt adipe deuotionis: Et oſſa eius, hoc eſt, vires animæ ſuæ rationabilis, concupiſcibilis, & iraſcibilis, medullis omnium gratiarum irrigãtur. Alius vero piger & iners ad bona ſtudia & lucra ſe non exhibens moritur, quia omnis labor ſibi amarus videtur, & deſtituitur in gratia de die in diem, donec ſit abſque vllis opibus gratiarum. Et hoc eſt quod multi in admiratione dicunt Domino. [Domine habet decem mnas] hoc eſt omnem gratiarum perfectionem, cum alius nullam habeat. Et ad hæc Dominus dicit

Dico autem vobis, &c.] Ex hoc autem quod hic dicit, quod decem mnas habet, coniiciunt quidam quod decem ſeruis ita decem mnas dedit, quod quilibet decem mnas accepit. Et hoc non variat quantum ad intellectum: quia vna mna ex decem drachmis compoſita, idem munus ſignificat, quod decem mnæ à quolibet acceptæ. Decem autem ſerui dicuntur ideo, quia ſeruitium ad perfectionem decalogi refertur, ſecundum illas decem perfectiones quas ſupra induximus [Dico] ergo [vobis] qui veritas ſum, & cuius verba non defluunt. *Pſalm.* 1. Folium eius non defluet [quia omni habenti dabitur] hoc eſt, habenti in vſu, non habenti in habitu ſolo, quia qui in habitu ſolo habet, non habet niſi per modum dormientis: ſed habens in vſu, habet per modum vigilantis & exercitantis. Ei ergo qui ſic habet [dabitur] profectus gratiæ in augmento in ſe, & in profectu habet ad proximum. *Gene.* 30. Ditatus eſt homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos, hoc eſt, ſimplices conuerſus, & oneriferos, & ſeruientes, & in omni domo Dei mobiles ad obſequia, & familias Eccleſiarum ſicut greges, & omnes diuitias gratiarum. *Iob* 1. Operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra [&] ſic [abundabit] ſibi ſufficiens, & aliis. *Pſalm.* 143. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. *Pſalm.* 144. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Ab eo autem qui non habet] in vſu exercitij & lucri talentum diuinum [& quod habet] in habitus receptione. Iſte enim eſt de quo dicitur *Apoc.* 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es. Habens enim in habitu non differt à dormiente, vt dicit *Philoſophus*. Dormiens eſt ſimilis mortuo: & ſic habens multa in habitu, & non in vſu exercitij, nomen habet quod viuat, & non differt à mortuo. Et hoc eſt quod dicit [auferetur ab eo] quia & hic deſtruitur, & in futuro inde non gloriabitur. *Prou.* 11. Qui abſcondit frumentum, maledicetur in populis. *Eccli.* 20. & 41. Sapientia abſconſa & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? *Exod.* 16. Manna congeſtum & abſconditum computruit, propoſitum menſæ ſaporoſum fuit. Frumenta ſeminata multiplicantur, congeſta putreſcunt. *Prou.* 15. Labia ſapientium diſſeminant ſcientiam: cor ſtultorum diſſimile erit. Quia ſcilicet de die in diem deficit. *Eccli.* 29. Multi non cauſa nequitiæ non fœnerati ſunt, ſed fraudari gratis timuerunt.

Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.

Hic tangit pœnam ſenſus. Et iſtum pigrum & inertem ſeruum cum inimicis inuoluit: quia ab inimicis Dei per fructum bonum non receſſit. Sicut enim dicitur *Luc.* 3. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Dicit autem hic tria: improperium peccatorum, punitionem, & pœnarum ſatietatem. De primo dicit Domino vnum in communi, & aliud in ſpeciali. In communi dicit [Veruntamen] Q. di. Quamuis remunerem ex pietate deuotos [Veruntamen] quia iuſtus ſum, vt dico, etiam in indeuotos. *Pſalm.* 93. Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit. Igitur [inimicos meos] in communi, qui ſeculum hoc & non me dilexerunt. *Ioan.* 15. Odio habuerunt me gratis. Et *Ibidem*. Oderunt & me, & Patrem meum [qui noluerunt me regnare ſuper ſe] ſecundum perfectam iuſtitiæ meæ poteſtatem; ſed de regno mundi & diaboli eſſe voluerunt. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo: Recede à nobis. Et quaſi nihil poſſit facere Omnipotens æſtimabant eum [adducite huc] ad iudiciũ *Iſa.* 41. Simul ad iudicium propinquemus. *Michea* 6. Iudicium Domini cum populo ſuo, & cũ Iſraël diiudicabitur [& interficite] *Exod.* 15. Euaginabo gladium meũ, & interficiet eos manus mea. *Deut.* 32. Si acuero vt fulgur gladiũ meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis: & his qui oderunt me retribuam. Sic enim ſententia cõdemnationis quaſi gladio ancipiti omnes hoſtes ſuos in iudicio interficiet. 2. *Theſ.* 2. Quem Dominus

Ieſus

Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. *Isa.* 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium [ante me] vt videam non in me solo, sed in oculis omnium electorum meorum: vt ipsi delectati in iustitia mea, delectentur in pœnis eorum. *Psalm.* 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Quia ex comparatione peccatorum, nitidæ manus bonorum videbuntur. *Isa vltim.* Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omnis carnis. Hoc igitur est quod dicit.

Et his dictis, præcedebat ascendens Ierosolymam.

Hic tangitur de ipsa electione & reprobatione. Habet autem duas partes, in quarum prima ostenditur facto, quosdam esse eligendos, & quosdam reprobandos: in secunda hoc ostendit verborum rationibus. In primo horum tria facit: in quorum primo determinat qualiter de Ierico versus Ierusalem processit: in secundo receptionem suam & aduentum in ciuitatem ordinauit: & in tertio indignos eiecit, & dignos in templo dimisit. Et per hoc quosdam eligendos, & quosdam reprobandos fore significauit. Dicit igitur de primo sic [Et his dictis] in Ierico, & sanatis duobus cæcis: sicut dicitur *Matth.* 20. de quibus *Lucas* tacet, quos sanauit in exitu de Iericho [præcedebat] sicut dux gregem suum, festinans ad Passionem. *Mich.* 2. Ascendet pandens iter ante eos. *Ioan.* 10. Cum proprias oues emiserit, ante eas vadit & oues illum sequuntur [Ierosolymam] *Luc.* 13. Non capit Prophetam perire extra Ierusalem. Et ideo ad locum Passionis festinauit. *Luc.* 12. Baptismo habeo baptizari, & quo modo coarctor donec perficiatur? Hoc est baptismo sanguinis. *Psalm.* 18. Exultauit vt gigas ad currendam viam.

Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliueti, misit duos Discipulos suos, dicens.

Hic tangit præparationem, qua recipiebatur in Ierusalem. Dicit autem tria: qualiter scilicet venit, qualiter excidium futurum ciuitatis deplanxit, qualiter de templo indignos eiecit. Circa primum adhuc facit quatuor, scilicet, qualiter Discipulos misit pro pullo, qualiter pullo adducto pullo insedit, qualiter cum hymnis receptus fuit, qualiter murmur de hoc exortũ fuit confutatum. In primo autem horũ quinque dicit, scilicet, vnde misit, quot misit, quò misit, & ad quid misit, & dicentibus aliquid respondere docuit. Dicit igitur [Et factum est] secundum prænuntiationem prophetiæ. *Zach.* 9. & *Agg.* 2. [cum] festinans ad locum passionis [appropinquasset] I e s v s extra ciuitatem in via [Bethphage & Bethaniam] Ordinem commutat: quia primo in sabbato ante ramos palmarum venit I e s v s Bethaniam, & ibi factum est ei conuiuium: vbi Lazarus erat vnus discumbentium, & Maria ibi effudit vnguentum nardi spicati super caput ipsius recumbentis. Sicut legitur *Ioan.* 12. & illuc conuenit magna turbæ multitudo ad videndum Lazarum, quem quatriduanum suscitauit I e s v s. Et in crastino exiens de Bethania, vadens Ierusalem venit Bethphage, quod fuit casale quoddam in monte oliueti, & interpretatur domus buccæ. Prius enim veniendum est in domum obedientiæ quod interpretatur Bethania. *Philip.* 2. Factus obediens Patri vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Et deinde Bethphage in domum prædicationis: quia sic incepit I e s v s facere, & docere. *Matth.* 5. Aperiens os suum docebat eos.

Ad montem qui vocatur Oliueti] Mons ad literam fuit in via veniendi Ierusalem. Significat autem mons suæ pietatis eminẽtiam. *Cant.* 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: in montibus excelsæ sanctitatis venit, & colles honoris mundani transiliuit. Hic mons vocatur Oliueti: quia nota est misericordiæ, quam tunc venit ostendere: quia sic vndique misericordia circunfusus fuit. Et etiam tunc nouellas oliuas plantare docuit Discipulos. *Psalm.* 127. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. *Zach.* 14. Stabunt pedes eius in die illa supra montem oliuarum. Ecce de eminenti misericordiæ suæ signo misit Discipulos. Et hoc est quod dicit [misit duos Discipulos suos] Ecce quot & quales misit. Quot, quia duos: quia dicit *Gregor.* quod inter pauciores quam duos, charitas haberi non poterit. *Eccle.* 4. Melius est esse simul duos quàm vnum, habent enim emolumentum suæ societatis. Item *Ibidem.* Si duo sunt, fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet? Quales autem miserit, accipitur ex hoc quod dicit [Discipulos] iam sua disciplina imbutos, & in vita & fide probatos. Alij enim non sunt mittendi. De talibus dicitur *Isa.* 41. Primus ad Sion dicet: Ecce ego adsum. Et ad Ierusalem Euangelistam dabo. Tales enim sunt quos misit: & ideo ignoti & non discipuli non sunt mittendi. Qui autem sint quos misit, non est perspicuum: sed ex sequentibus patebit quod congruenter sciri potest. Ecce quot & quales misit, dicens.

Ite in castellum quod contra vos est: in quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit: soluite illum, & adducite.

De hoc autem dicit duo. Dicit enim primo quò misit, & adiungit, quid in illo inuenturi sint, vt magis certi sint de legatione. De primo dicit tria: profectum itineris, locum qui est finis intentionis, & loci positionem. Dicit igitur [Ite] passibus pedum proficite, & multo magis intellectu mysterij. *Iob* 38. Nunquid emittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus: Fulgura Discipuli dicuntur, signis micantes, & verbis tonantes, & feruore charitatis ignescentes, & impetu Spiritus in deuotione festinantes & proficientes. Quo autem vadant dicit [In castellum quamuis modo esset ciuitas metropolis, tamen post destructionem Babylonicam prauissimi ad instar oppidi redacta fuit secundum *Isa.* vaticinium, qui dixerat *Isa.* 1. Derelinquetur filia Sion sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas

quæ vastatur: & ideo castellum vocatur diminutissime. Incastrata autem fuit propter vndique insurgentes hostes in circuitu. *Thren.* 1. Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt. Quidam etiam dicunt quod dicitur castellum: quia iam incastellauerat se, hoc est, muniuerat & armauerat contra Dominum. *Isa.* 3. Linguæ eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Deinde tangit situm, dicens [quod contra vos est] secundum rectum situm: quia directo situ contra eorum viam fuit, hoc est, coram eis in via. Vel [contra vos est] quia ad literam contrariæ fuit voluntatis ad Dominum, & ad omnes suos. 1. *Esdræ* 4. Venerunt Iudæi in Ierusalem ciuitatem rebellem & pessimam, quam ædificant. Subiungit autem signum quod inuenient, vt certi sint de sua legatione.

In quod] scilicet castellum [introeuntes inuenietis pullum asinæ] iam fortificatum ad onera ferenda [alligatum] Dicitur quod alligatus fuerit ad vsus communes pauperum, qui aliam vecturam habere non poterant. Et forte debilitabantur in via: quando tribus vicibus in anno oportuit eos apparere in Ierusalem: & tunc vel ipsi, vel onera eorum, quæ portare non poterant, afferebant in asino illo [cui nemo vnquam hominum sedit] Hoc autem sic Dominus voluit, vt cum videntibus omnibus Dominum mansuetè portaret, homines ad fidem ædificarentur, & verecundarentur non mansuescere ad eum, ad quem animal parui sensus, & adhuc indomitum mansuetabatur. *Isa.* 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. 2. *Petr.* 2. Correptionem vero habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. Hac ergo de causa tale animal adhuc ad fræna & subsellia non domitum, sibi in vehiculum voluit adhiberi. Hæc est igitur expositio literalis.

Secundum mysterium autem dicunt quædam *Gloss.* sicut & verum est, quod pullus asinæ non infrænatus significat populum gentilem, cui nemo iugum legis diuinæ imposuerat vnquam: sed primò per Discipulos Christi fuit infrænatus. *Isa.* 48. d. Longe faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te, ne intereas. *Psalm.* 31. In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Hic dicitur pullus asinæ: quia asina ab antiquo strata significat Iudæam: quia ex partibus Iudæorum per licentias libertatum exiuit gentilitas: sicut ex domo Noe per Cham & Iaphet, & ex domo Abrahæ per Ismael, & ex domo Isaac per Esau. Asina autem semper frænum aliquod habuit: sicut circuncisionis, cuius legem seruauerunt, qui in domibus & familiis Patriarcharum manserunt, & nō alij: & sicut leges Moysi. Gentilitas autem nulla lege Dei frænabatur. Et ideo dicunt, quod duo Discipuli probabiliter loquendo fuerunt Philippus & Petrus. Philippus adduxit Samariam, quæ gentilis fuit *Act.* 8. Petrus autem adduxit Cornelium, qui etiam gentilis fuit *Act.* 10. Hoc tamen non est certum: nisi quod mysterium ita congruit. Hæc igitur est sententia *Glossarum*. Et ex hoc patet quod supradimisimus, quam probabiliter sciri potest, qui fuerint illi qui missi sunt Discipuli.

Attende etiam quod solus *Matth.* 21. dicit, quod misit pro asina & pullo: sed omnes alij Euangelistæ, *Marc.* 11. *Ioan.* 12. & *Lucas* hîc, non faciunt mentionem nisi de pullo: quia *Matthæus* attendit quod licet Iudæa per leges, & prophetas, & patrum promissiones adducta sit ab antiquo: tamen nunc acceptione nouæ gratiæ cum gentili pullo adduci debuit. Alij autem Euangelistæ videntes Iudæam excæcandam fore vsque ad tempora nouissima, & plenitudinem Gentium intraturam ad fidem & gratiam, quasi asinam Iudæam stantem relinquunt, & pullum gentilem adducunt.

Asinini autem pulli proprietates, propter quas gentilem populum significat, *Chrysost.* dicit esse: primam quidem, quia asinus est animal ignobile: secundam, quia immundum secundum legem: tertiam, quia præ cæteris iumentis stolidum: quartam, quia mansuetum, non ferox sicut equus: quintam, quia tardum: sextam, quia asperis & duris pabulatur, sicut carduo, quem contingum vocant: septimam, quia oneriferum: octauam, quia vocis horrendæ, quasi lugubri voce vocale: nonam autē, quia cōmuniter est cinerei coloris, crucem nigram gestans in dorso: decimam autem, quia naturali morte raro moritur, nisi de capitis infirmitate: cuius signum est, quia omnis infirmus asinus spissum & multum phlegma de naribus emittit: & quando hoc sibi accidit, non euadit.

Hæc autem gentili populo adaptantur ad Christum conuertendo. Ignobilis est quilibet ad Christum conuersus, sui reputatione per humilitatem. 1. *Cor.* 4. Vos nobiles, nos autem ignobiles. Immundum autem se reputat per peccati recognitionem. *Isa.* 64. Facti sumus vt immundus omnes nos: quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Stolidus autem est sui reputatione per simplicitatem. 1. *Cor.* 4. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. Mansuetū est animal propter lenitatem: quia nec mordet, nec calce ferit. *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Tardus est maturitate, sciens, quia festinus pedibus frequēter offēdit: sicut dicitur *Prou.* 19. Diues autē est cōtentus per parsimoniam. 1. *Cor.* 4. Esurimus, & sitimus, & nudi sumus vsque in hanc horam. Oneriferus etiam est proximorum subleuatione *Galat. vltimo.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Vocis lugubris est per gemitum & planctum, pro peccatis suis & proximi, & pro incolatu huius miseriæ, & pro dilatione patriæ. *Matth.* 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Cinereus autē color cū cruce, memoriā significat mortis cum cōmunicatione passionum Crucis. De memoria mortis *Eccli.* 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. De cruce autem dicitur *Galat. vltimo.* De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesv in corpore meo porto. Quod autem non sentit, vel raro sentit nisi per infirmitatem capitis, significat quod non curat de suis pœnis, sed semper sentit pœnas capitis Christi in membris Christi. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor?

Habet autem asellus alias proprietates malas: sicut quod tempore veris lasciuit, quod in fœminam non suæ speciei, sicut in equam semen fundit,

dit,& huiusmodi, de quibus non curamus: quia non competunt nobis. Redeamus igitur ad literam, secundum supra inductam diuisionem literæ prosequentes

Soluite illum] Ecce hic dicit ad quid misit, & tangit duo opera Discipulorum. Primum est quod dicit [Soluite] hoc est, vincula eius peccatorum absoluite. *Prou.* 5. Iniquitates suæ capiunt impium,& funibus peccatorum suorum constringitur. *Isa.*30. Ad perdendas Gentes in nihilum, & frænum erroris quod est in maxillis eorum. Perditur enim in nihilum gentilis error, quando per disputationem destruitur: & frænum erroris soluitur, quando mens ab errore liberatur. Secundum opus est quod dicit [adducite mihi] quod fit per veritatis & virtutis informationem. *Isa.* 63. Sic adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ. *Psalm.* 42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. *Psalm.* 72. Tenuisti manum dextram meam,& in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

Et siquis vos interrogauerit: Quare soluitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius desiderat. Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos: Quid soluitis pullum? At illi dixerunt: Quia Dominus necessarium habet. Et duxerunt illum ad IESVM. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt IESVM.

Hic docet qualiter contradicentibus sit respondendum, & dicit duo: qualiter scilicet contradicitur, & qualiter contradictioni respondendum est. Dicit igitur [Et siquis vos interrogauerit] Interrogat, qui de fide certificari desiderat. 1. *Petr.* 3. Parati semper reddere rationem de ea quæ in vobis est spe. Multi ergo interrogant, quare de errore suo saluatur gentilitas. Et illi sunt interrogantes [quare soluitis] pullum? Vnde *Marc.* 11. Quid facitis soluentes pullum? Hoc modo quæsiuerunt Athenienses *Act.* 17. Possumus scire quæ est hæc noua doctrina, quam infers auribus nostris? Talem quandam quæstionem Apolliphanius fecit *Beato Dionysio*, dicens: Quare pro nouis documentis antiquas patrum suorum leges desereret [sic dicetis ei] explanatione veritatis, & exempli probatione. Sic enim tenentur reddere rationem de spe & fide [quia Dominus operam eius desiderat] magis ad mysterium quam ad vehiculum. Semper enim Dominus desiderat animarum salutem. Huic Domini voluntati concurrens in desiderio dicit Dauid *Psalm.* 72. Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum. Desiderat enim iumentum Domini esse vt sit sanctum. Istud significatum est *Genes.* 22. vbi Abraham Patriarcha ad immolandum filium venit in asino, cuius desiderauit operam. Cum autem mittit pro pullo, non fecit se vocari Dominum cum aliqua adiectione, vt dicat Dominus noster, sed simpliciter Dominus: vt significetur, quia Dominus est vniuersorum, & Iudæorum,& Gentium, cuius sunt omnia. *Esther* 13. Dominus vniuersorum tu es. *Rom.* 3. An Iudæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? quoniam quidem vnus Deus est qui iustificat circumcisionem ex fide, præputium vero per fidem. Sic ergo dimittet vobis. *Matth.* 21. Dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet vobis.

Abierunt autem] per obedientiam mandati [qui missi fuerāt] per missionem auctoritatem legationis accipientes. 2. *Corinth.* 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Illi autem missi Philippus & Petrus esse creduntur, superius inducta ratione [& inuenerunt sicut dixit illis] IESVS, quando misit eos [stantem pullum] à nullo frænatum, à nullo ad vsus humanæ legis adductum. Lex hominis est colere Deum. In asinino autem sensu semper remanere, est solutum esse pullum. *Iob* 11. Vir vanus in superbiam erigitur,& sicut pullum onagri se natum liberum putat. Onager enim est agrestis asinus. *Iob* 39. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? Idem enim qui quondam asinam Iudæam lege sua frænauit, pullum agrestem, liberum à lege Dei misit,& hic idem nunc ab erroris vinculo absoluit, & sibi adduci præcipit. Stans igitur inuenitur pullus: quia stabat otiosus à nullo adductus. *Matth.* 20. Quid hic statis tota die otiosi?

Soluentibus autem illis pullum] à vinculo erroris asinini sensus. *Ioan.* 11. Soluite eum,& sinite abire. *Matth.* 18. Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. *Psalm* 115. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. Omnis enim homo habet intellectum ligatum vinculis asini, qui non potest attollere intellectum ad Deum & ad veritatē ipsius. Et ab hoc absoluitur, quando ei principia veritatis & virtutis demonstrantur [Dixerunt Domini eius] hoc est, illi quorum custodiæ commissus fuit pullus:& isti significant magistros errorum, de quibus dicitur 2. *Timoth.* 3. Mali homines proficiunt in peius, errantes & in errorem mittentes. Hi sunt qui in antiquis erroribus homines retinere nituntur. 2. *Corinth.* 11. Timeo ne sicut serpens seduxit Euam, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo IESV. Isti sunt Domini à Deo rectore & gubernatore alieni. *Isa* 26. Domine, Domini possederunt nos absque te. Isti sunt Domini crudeles, qui nolunt hominem à prono in terram sensu liberari. Et *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium: & rex fortis dominabitur eorum [Qui soluitis pullum] Quærere rationem solutionis, est quærere rationem articulorum fidei: sicut Nicodemus *Ioan.* 3. quæsiuit: Quomodo possunt hæc fieri?

At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet] non quidem propter se, quia bonorum nostrorum non indiget: sed propter nostram vtilitatem, vt ad suum regnum deueniamus. *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse veniet & saluabit nos. Et hoc dixit Nicodemo *Ioan.* 3. Amen dico tibi: Quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Et ideo talibus dicitur *Prouerb.* 3. Noli prohibere eum qui bene facit: si potes & ipse benefac. Et sic illos expedientes [duxerunt illum] pullum asinini sensus verbis & monitis [ad IESVM] vt fidem acciperet

Domini IESV [& iactantes vestimenta] Hic tangitur qualiter pullum subsellantes, præparauerunt: & qualiter Dominum imposuerunt. Et hoc est quod dicit [& iactantes vestimenta super pullum] hoc est, fidem ecclesiasticæ conuersationis. Talis enim conuersatio vestimentum est Apostolicum. *Isa.*61. Induit me Dominus vestimento salutis.

Attende autem quod vestimentum hominis habet hominis figuram. Vnde iam prius asinus existens, io vestimento incipit figuram hominis induere, & ad humanum sensum figurari. 1.*Pet.*1. Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis: sed secundum eum qui vocauit vos sanctum: vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. De his vestimentis dicitur *Eccle.*9. Omni tempore sint vestimenta tua candida. Sic ergo mollibus & rationabilibus sternentes asinum [imposuerunt IESVM] super asinum, vt de cætero non motibus asini, sed motibus regentis IESV mansuetos per vias salutis ambularet. *Psalm.*31. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Regentem se & insidentem habens Dominum, inordinatè & insensatè moueri non potest.

Attende quod mansuetudinem ostendere volens eundo ad Passionem, non elegit currus & equites, & magnam comitiuam pugnatorum, cum illam etiã de Angelis habere potuisset. *Matth.*26. An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Sed simpliciter cum pauperibus venit fidelium turmis, pro quibus immolandus fuit: Nec elegit equos feroces pulchros, in quibus vectus veniret: sciens scriptum esse in *Psalm.*19. Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Equus enim superbum animal, superbiam & fastum significat dominatus. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam. *Isa.*31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia præualidi sunt nimis: & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non exquisierunt. Sed potius mansueti animalis dorso insidens, venit ad sui oblationem. *Zach.*9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium subiugalis. Sic enim prophetauerat Iacob Patriarcha *Genes.*49. Ligabit ad vitem pullum suum, & ad vineas asinas suas. Et hæc litera *LXX.* quia sic ligauit & asinam & pullum ad vites Apostolos, & vineam Ecclesiam. Sic igitur vt rex pauper & mansuetus venit.

Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus.

Hic tangitur quali processione receptus est, & tangit tria: venerationem deuotorum, inuidiam malignorum, & confutationem eorum. In primo sunt tria: vestium substratio, laudis acclamatio, dignitatis regalis professio. De primo dicit [Exeunte autem illo] de Bethphage, ad quem locum adductus fuit pullus. Et significat hoc, Cum de domo buccæ, hoc est, prædicatione Apostolorum, transiuit in notitiam turbarum, & in fidem, & incepit augeri fidelium numerus [substernebant] Apostoli & alij deuoti [vestimenta sua] Hoc est, ad literam. In via sternebant conuersationis exempla: Vel etiam ipsa corpora sua martyrio exposuerunt: vt facilius asellus, hoc est, gentilitas siue rudis populus vehens Dominum, transiret. *Matth.*21. & *Ioan.*12. Alij vestimenta sternebant in via: alij ramos de arboribus prosternebant, hoc est, viridantes in opere virtutes. Implentes illud *Isa.*40. Parate viam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Isa.*62. Transite, transite per portas, planum facite iter populo, & eligite lapides [Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti] ad locum ad quem turba de Ierusalem occurrerat, & ibi in nimia humilitate ex misericordia sua descenderet. *Psal.*143. Inclina cælos tuos & descende. *Isa* 63. Vtinam dirumperes cælos & descenderes. Ex magna maiestate cælesti tunc descendit ad infima suæ humilitatis. *Philip.*2. Exinaniuit autem semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortem [cœperunt omnes turbæ] quæ conuenerant ad diem festum, descendentium cum eo de monte Oliueti: quia etiam ipsi se humiliauerunt in humilitate Christi. 1.*Petr.*5. Humiliamini sub potenti manu Dei: vt vos exaltet in tempore visitationis. Et ideo dicit [descendentium] de monte ad ciuitatem [laudare Deum voce magna] Quæ magna vox non tam clamoris fuit, quam intensæ deuotionis. 2.*Machab.*1. Vt colatis eum corde magno & animo volenti. *Isa.*40. Exalta in fortitudine vocem tuam, exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus noster [super omnibus quas viderant virtutibus] Et maximè in Lazari suscitatione. *Isa.*63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ retribuit Israël. *Isa.*12. Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israël. *Psalm.*150. Laudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.

Ecce regij honoris & potestatis professio. Et dicunt tria: regnum enim profitentur, pacem dicunt concessam, & de cætero gloriam Dei prædicandam. De primo dicunt [Benedictus] hoc est, plenus benedictionibus Domini est rex. *Deut.*33. Plenus benedictionibus Domini. *Genes.*12. In te benedicentur omnes gentes. *Eccli.*44. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Iste est Rex *Hebr.*7. Rex iustitiæ & Rex pacis. Iste est Melchisedech Sacerdos, & Rex Altissimi [qui venit] Venit autem iam ad oblationem [in nomine] hoc est, in notamine [Domini] qui notatos Domini ostendit: quia in ipso noscitur Dominus. *Exod.*6. Ego apparui Abrahæ in Deo omnipotente, & nomen meum magnum Adonai non ostendi ei. Sed modo ostendit nomen Domini, totum mundum excitans

citans in sui deuotionem & laudem. *Ioan.*8. Honorifico Patrem meum. Sic ergo venit in honore nominis Dei, quod per eum honoratur, & prædicatur, & inuocatur [Pax in cælo] Effectus proprius Regis cælestis, vt pax sit in cælo, ad Patrem reconciliatio, & ad Angelos hominum grata societas. *Coloss.*1. Omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Pax enim de cælo, descendit ad terram: vt etiam terram obtineat in hominibus bonæ voluntatis. *Isa.*26. Dabis pacem nobis, pacem qoia in te speraulmus. Pax enim quæ in cælo, est concordia fruendi Deo, & viuere in Deo, vt dicit *Augustinus*. Et illa descendit de cælo: quando vno corde & vno animo omnes concorditer Deo seruiunt, & sibi subiiciuntur. Hæc est pax, de qua dicitur *Ioan.*14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Hæc est pax quæ tranquillat & serenat à turbationibus mentem, & custodit à tentationibus diaboli. *Philip.*4. Pax Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra, & intelligentias vestras [& gloria in excelsis] Non tam loco quam virtute. Quia sicut dicitur *Isa.*2. Excelsus reputatus est ipse, qui tam excelsa perficere potuit, quod quatriduanum suscitauit. *Luc.*2. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Talis enim est diuisio inter hominem & Deum, vt pax reddita sit ei per sanguinem Christi, qui pacem non habuit; sed vbique & ante mortem & post mortem prædæ paruit. Gloria autem detur Deo, qui hoc potentia suæ deitatis effecit. *Isa.*42. Gloriam meam alteri non dabo. 1. *Timoth.*1. Soli Deo honor & gloria. Ipse enim solus est in excelsis operibus quæ gloriosa sunt. *Psalm.*92. Mirabilis in altis Dominus.

Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa Discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Et quidam Pharisæorum] Hic tangitur inuidia murmurantium, & confutatio eorum. Dicit igitur quod [quidam] de numero [Pharisæorum] qui suam & non Dei quærebant gloriam *Ioan.*5. Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non vultis [de turbis] quia se turbis immiscebant, vt turbas concitarent: sicut & post modicum fecerunt [dixerunt ad illum] quasi zelantes ne honor Dei ad hominem transferretur: sicut fecit Mardochæus *Esther* 3. & 13. [Magister] Ac si dicant: Quamuis magister sis, non tamen honor diuinus debet tibi attribui. *Ioan.*10. Nos de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum [increpa Discipulos tuos] qui turbas incitant & instituunt ad te sic laudandum. Vnde *Matth.*21. Audis quid isti dicunt? Q.d. Mirum est, quod non compescis eos [Quibus ipse ait] Respondens malitiæ & simul prophetans [Dico vobis] in veritate quam audiui à Patre meo [quia si hi tacebunt] idiotæ & pueri. Vnde *Matth.*21. Nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, hoc est, Pharisæum; & vltorem siue defensorem, hoc est, Scribam & Iudæum. Sic ergo si hi tacebunt, qui Dei ordinatione ad vestram confusionem loquuntur [lapides clamabunt] Et hoc factum est in morte, quando terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta. Quia sicut dicit *Hieronym.* Mortem filij Dei clamabat mundus se sustinere non posse. Vel [lapides] hoc est, duri & frigidi gentiles. *Matth.*3. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Hic tangitur quod Dominus in medio suæ exultationis, quando cum ramis excipiebatur, fleuit ciuitatis excidium, quod meruit in sua passione. Et ideo in Ramis palmarum, vbi tantum gaudium repræsentatum est, Passio legitur in signum & recordationem fletus huius. Dicunturque in hac parte quatuor, scilicet, fletus ex compassione, ostensio causæ fletus in genere, & determinatio illius causæ in specie pœnæ, & in fine terminatur illarum pœnarum causa meritoria. De primo dicit quando, & vbi, & super quid fleuit. Quando [Vt] id est, postquam. *Eccle.*3. Tempus flendi, & tempus ridendi. *Iob* 30. Flebam quondam super eo qui afflictus fuerat, & compatiebatur anima mea pauperi [appropinquauit] Ecce locus tristitiæ. Appropinquauit autem non tam loco, quam miserantis affectu. *Iacob.*4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Deuter.*4. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris [videns] miserantis affectu. *Luc.*10. Videns illum, misericordia motus est. *Osee* 11. Pœnitudo mea conturbauit me [ciuitatem] insanientem. *Sapient.*14. Dum lætantur, insaniunt. Videns ergo sic insanientem, & nihil de futuris periculis prævidentem. Ac si diceret illud *Isa.*1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij: iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Sic ergo [fleuit] ex compassione. *Ierem.*9. Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei? Fleuit autem etiam aliquando pro miseria huius vitæ ad incolatum pertinente. Et hæ sunt lacrymæ attædiationis. *Ioan.*11. Lacrymatus est IESVS. Aliquando autem fleuit pro casu, quo cecidimus à beatitudine patriæ per peccatum. *Hebr.*5. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad Deum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens pro omnibus, exauditus est pro sua reuerentia. Et hæ lacrymæ deuotionis. Et his tribus modis fleuit nus Dominus in seipso. In membris autem, facit nos plorare pro peccatis propriis. Et istæ sunt lacrymæ compunctionis. *Psal.*6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc sunt quatuor flumina paradisi, quæ ex vno fonte gratiæ Dei deriuantur. *Genes.*2. Fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Et *ibidem*. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis,

qui inde diuiditur in quatuor capita. Sic ergo videns ciuitatem fleuit, compassionis lacrymas fundens [super illam, dicens] Et tanto plus fleuit, quanto illa minus doluit. Et hoc est quod dicit.

Quia si cognouisses] causam fletus mei [& tu] supple fleres. *Thren.* 1. Plorans plorauit in nocte: & lacrymæ eius in maxillis eius: & non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius [& quidem] hoc est, certè, fleres [in hac die] præsenti [quæ] est [ad] malam [pacem tibi] in qua pacifice interfectionis meæ tractas proditiones. Sicut enim dicitur *Prouerb.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferni nouissima descendunt. Et ideo illa mala pax est tibi. *Sapient.* 14. In magno inscientiæ bello viuentes, tot & tam magna mala pacem esse arbitrati sunt. *Ezech.* 13. Prophetæ deceperunt populum meum, dicentes, Pax, pax, & non est pax [Nunc autem] quia gaudes in pace tua; hæc quæ ego fleo [abscondita sunt ab oculis tuis] quia non consideras ea, ita culpa tibi claudit oculos, & putas te semper in peccatis pacem habituram. Quod esse non potest: quia Deus est vltionum Dominus, & in proximo vindicabit. 1. *Thess.* 5. Cum dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus.

Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.

In speciali dicit hic excidium futurum. Dicit autem tria: certitudinem in proximo aduenientis temporis, modos futuræ extirpationis & destructionis, & causam. Certitudo aduenientis temporis est in hoc quod dicit [Quia venient dies] in quibus claro lumine aperientur tunc oculi tui per pœnam, quos modo claudit culpa. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam [in te] autem dicit: quia dies illi mali sui erunt. *Ephes.* 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Genes.* 47. Dies peregrinationis vitæ meæ parui & mali [& circundabunt te] Hic particulariter describit & futuram per Romanos obsidionem, & excidium: & tangit sex per ordinem, quorum tria prima pertinent ad obsidionem, & tria sequentia ad destructionem. Primum de his quod pertinet ad obsidionem est quod dicit.

Et circundabunt te] exercitu cingentes [inimici tui] Romani cum Tito venientes [vallo] ne aliquis de te effugere possit. Vallum enim est & sepes & fossæ, quæ in circuitu eorum sunt factæ, ne possent nocte exire de ciuitate. *Isa.* 24. Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit qui fugerit à facie formidinis cadet in foueam: & qui se explicuerit de fouea, tenebitur planta eius laqueo [& circundabunt te] Secundum est pertinens ad obsidionem: quia positis in circuitu vallis per comportationem aggerum & fossarum & sepium, ipsi Romani [circundabunt te] impugnantibus hostibus, qui contra te per valla diuidentur, contra murum, & contra portas ad impugnandum. Et sic vallo & concluderis, & milite impugnaberis. *Habac.* 1. Super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam [& coangustabunt te vndique] Hoc est tertium, quod inferent violentias: vnde te coangustabunt intra temetipsum: ita quod non videas effugium, nec in te habeas defensionem: ita quod dicas illud *Dan.* 13. Angustiæ sunt mihi vndique, & quid eligam ignoro. Quia intus erit fames præualida, inter ciues seditio amara: extra autem gladius anceps: vt dicas illud *Thren.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors similis est.

Deinde tangit ea quæ pertinent ad destructionem. Primum quidem [quia ad terram prosternent te] captam in ciuibus & ædificiis. *Isa.* 1. Derelinquetur filia Sion sicut tugurium in cucumeratio, & sicut ciuitas quæ vastatur. *Mich.* 3. Sion quasi ager arabitur, & ciuitas in aceruum lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum. Deinde tangit secundum [& filios tuos qui in te sunt] Ne in successione posteritatis spem habeas resurgendi. *Isa.* 14. Non consurget in æternum semen pessimorum. Præparate filios eius occisioni, in iniquitate patrum suorum non consurgent. Et hoc quidem est. Quia sicut narrant Iosephus & Egesippus, Titus totam ciuitatem euertit, & Iudæos in captiuitatem duxit, & interfecit. Postea autem cum quidam de latibulis exiuissent, & cineres ruinarum collegissent, & tuguria quædam ad habitandum in ruinis fecissent: miserunt Romani Helium Adrianum, qui illa destrueret, & Iudæorum nullum vltra mare dimitteret, sed omnes ad terram Italiæ captiuos transmitteret. Et hoc quidem ille compleuit: & postea in alio loco, vbi scilicet crucifixus fuit Dominus, quandam paruam ciuitatem ædificauit, quam nomine suo Heliam vocauit, quæ postea multo tempore Helia vocabatur: & hæc stat vsque ad hæc tempora [Et non relinquent in te lapidem super lapidem] Hoc est vltimum de prostratione murorum. *Matth.* 24. Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. *Isa.* 5. Auferam sepem eius, & diruam maceriam eius, & erit in direptionem.

Deinde omnium istorum tangit causam meritoriam dicens [eo quod non cognouisti tempus visitationis tuæ] Tempus autem huius visitationis est, quando visitauit eam Filius Dei per viscera misericordiæ Dei nostri oriens ex alto. Quod tempus prædictum fuerat à Daniele Propheta: & ideo etiam cum paruo studio cognosci poterat. Hoc enim tempus est de quo dicitur in *Psalm.* 68. Tempus beneplaciti Deus. *Isa.* 49. Tempore accepto audiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Ex quo enim irrationabilia animalia sciunt per naturæ instinctum tempora sibi congrua: tunc multo magis rationalis natura lege adiuta, prophetiis illuminata, poterat cognoscere tempus gratiæ exhibitæ. *Luc.* 12. Hypocritæ, faciem cæli & terræ diiudicatis: hoc autem tempus quomodo non probatis? *Ierem.* 7. Miluus in cælo cognouit tempus aduentus sui: turtur, & hyrundo, & ciconia. Populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Et ideo merito imputauit eis ad peccatum. Sicut enim dicit *Augustinus*, Ignorantia eorum qui scire noluerunt, vel debuerunt, & potuerunt, damnabilis est. Hoc est quod dicit.

Et

Et ingreſſus templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes, dicens illis: Scriptum eſt: Quia domus mea domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum, & Scribæ, & principes plebis quærebant illum perdere: & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

Hic ponitur vltima pars iſtius capituli, in qua zelus eius ad domum Dei oſtenditur. Oſtendit autem in hoc, quod futuri excidij maxime cauſa fuit peccatum Sacerdotum, quod commiſerunt in templo. Et ideo oſtendit ſe illud deteſtari in planctu futuræ deſtructionis. Tanguntur autem hic duo: qualiter ſcilicet templum expurgauit, & qualiter templum ſua doctrina illuminauit. In primo horum tria dicuntur: templi ingreſſus ad oſtendendam venerationem, malorum eiectio ad oſtendendam ſimoniacæ prauitatis deteſtationem, auctoritatis Scripturæ inductio ad facti ſui confirmationem & approbationem. Dicit [ingreſſus in templum] ad venerationem oſtendendam, quæ templo debebatur. *Pſalm.* 137. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Vnde *Daniel*.3. tribus vicibus per diem adorauit verſus templum. *Iſa*.60. Domum maieſtatis meæ glorificabo. Docet autem nos ſua actione etiam ad templum debere feſtinare. Ibi enim & deuotius oratur: & ea videntur & audiuntur, quæ excitant ad deuotionem. *Act*. 3. Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. *Luc*.18. Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus.

Cœpit eiicere] ſicut dicit *Ioan*. 2. Flagello de tribus facto funiculis [vendentes] in templo [& ementes [Attende quod vendentes primo ponit: quia illi qui vendebant, aut erant de familia Sacerdotum, aut de familiaritate eorum. Vendebant enim ibi pecora, vt haberentur parata ad ritus ſacrificiorum, & cædebant in vſus Sacerdotum, quidam etiam vendebant columbas, quæ erant ſacrificia pauperum. Cum enim præceptum ſit *Exod*. 23. quod tribus vicibus per annum omne maſculinum appareret in conſpectu Domini, & non vacuis manibus, non poterant ſecum ſacrificia ferre, ſed dato pretio ibidem emebant. Et hoc attendentes Sacerdotes, tunc ſua animalia carè vendi fecerunt, & ſuis familiaribus etiam hoc permiſerunt in atrio exteriori templi. Hoc enim hic templum vocatur. Sedebant etiam ibidem numularij, qui pignore accepto vel cautione alia, mutuabant pecuniam ſub vſuris ad emenda ſacrificia. Et hoc totum erat ad lucrum Sacerdotum. Cum autem hæc illicita eſſent opera, & negotiator de templo Dei ſit expellendus, vt dicit *Chryſoſ*. Dominus zelum oſtendens, expulit omnes huiuſmodi. Negotiatio enim non pertinet ad domum Dei: eo quod ſit contracta cum fraude latronum. Venditio columbarum non eſt de domo Dei: eo quod ſpeciem habeat prauitatis ſimoniacæ hæreſis, quia columba donum eſt Spiritus ſancti. Numularius de domo Dei eiicitur: eo quod accipit moneta ſuper innocentes, quibus gratis accommodare debuit. Forte enim ſub vſuris non audebant accommodare: quia *Deut*. 23. prohibitum eſt, ne ſub vſuris accommodent proximo. Tamen vt dicit *Auguſtinus* ſub nomine collibiorum accommodabant. Collibia enim ſunt muneta fructuum annonæ vel vini, vel olei, vel aliorum fructuum: pro quorum collibiorum ſpe illi accommodabant. *Geneſ*. 43. Sumite de optimis terræ frugibus in vaſis veſtris, & deferte viro muneta. *Geneſ*.32. Dixit enim: Placabo eum muneribus, & ſic videbo faciem eius.

Attendendum etiam quod bis Dominus eiectionem fecit. Anno ſcilicet primo ſuæ prædicationis. Et hoc ſolus Ioannes ponit 2. Secundo fecit hoc vltimo anno ſuæ prædicationis, imminente iam Paſſione: & hoc ponunt tres Euangeliſtæ. *Matth*.21. *Marc*.11. *Luc*.hic. Iſte autem zelus domus Dei prophetatus fuit à *Pſal*. 68. Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Sic ergo cœpit eiicere vendentes & ementes de templo: quia per illud factum, Sacerdotum Principes ſocij furum efficiebantur. *Iſa*. 1. Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Hoc autem peccatum, vt dicit *Chryſoſtomus*, plus eſt in Eccleſia quam in ſynagoga: vbi Sacerdotes vendunt ſacramenta, & numulariorum numerus magnus, qui vſuris Eccleſiam deſtruunt, ad fores ſtant Principum Sacerdotum, & ab eis vſurandi accipiunt auctoritatem. Et ideo nunc magis quam prius neceſſarius eſſet I E S V S expellens. *Ierem*.23. A Prophetis Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper terram omnem. *Ezech*. 22. Ecce ego comploſi manus meas ſuper auaritiam tuam quam feciſti, Et poſt pauca: Coniuratio Prophetarum in medio eius ſicut leo rugiens, capienſque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt. Sacerdotes contempſerunt legem meam, polluerunt ſanctuarium meũ. Principes eius quaſi lupi rapientes prædam. Sic ergo cœpit eiicere vendentes & ementes de templo. *Zach. vltim*. Non erit vltra negotiator in domo Domini. *Chryſ*. Qui voluerit eſſe mercator proiicietur de Eccleſia, dicente Propheta. Quia non cognoui negotiationem. *Eccli*. 26. Difficile exuitur negotians à negligentia, & caupo non iuſtificabitur à peccatis labiorum [dicens illis] Tangit confirmationem facti per auctoritatem, & hoc facit propter aſtantes: quia verbum ſuum in ſe non indiget confirmatione.

Scriptum eſt] *Iſa*. 56. Quia domus mea, hoc eſt, templum quod Patris, & mea, & Spiritus à nobis procedentis domus eſt. *Gene*. 28. Non eſt aliud niſi domus Dei & porta cæli. Vnde tradunt Patres, quod cum hoc diceret, quod quidam fulgor egrediebatur à facie eius, qui replebat templum, ex quo circumſtantes territi, non audebant reſiſtere expulſioni. *Ezech*. 43 Ingreſſa eſt gloria Domini in templum per viam portæ orientalis, & reſplenduit terra à maiſtate eius. Sic ergo domus mea domus orationis vocabitur: quia ſicut patet 3. *Reg*. 8. ad orandum eſt constructa. *Auguſtinus*. In oratorio nemo aliquid agat niſi ad quod factum eſt, vnde & nomem accepit. Peccant ergo qui granaria vel reſeruatoria inde faciunt

Hos

Vos autem fecistis] Duo dicit. In auctoritate enim inducta ostendit ad quem vsum est domus constructa. Ex se autem ostendit, quod per auaritiam Sacerdotum ad abusum malum est deputata. Et hoc est quod dicit [vos autem fecistis] Et ex hoc patet, quod auctoritate Sacerdotum fortitu factum fuit in templó propter auaritiam eorum. Facit enim is cuius auctoritate videtur fieri [speluncam latronum [Sicut enim latro in spelunca absconditur vt rapiat: ita Sacerdotes auctoritate & religione templi obumbrati ne videantur, stabant in insidiis quocunque modo rapiendi & corrūpere nitebātur ius sacerdotale & puritatem. *Psalm.* 9. Insidiatur quasi leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. *Mich.* 3. Siquis non dederit in ore ipsorum, sanctificant super eum prælium. *Nee. vltimo.* Recordare Domine Deus meus aduersus eos, qui polluūt sacerdotium, iusque sacerdotale & Leuitarum. *Ierem.* 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis meis? Ego sum, ego vidi dicit Dominus. *Ose.* 6. Galaad ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine, & fauces virorum latronum. Galaad, aceruos testimonij interpretatur & templum significat, vbi aceruus testimoniorum est Scripturæ, in quo non sunt modo veri pastores, sed idola quædam pastorum. Nec ingreditur aliquis nisi per sanguinem, & illi qui fauces sunt virorum latronum, hoc est, vitiliter latrocinia exercentium.

Et erat docens] Ecce qualiter eliminata spurcitia, templum sua præsentia consecrauit, & sua doctrina illuminauit 3. *Reg.* 9. Consecraui mihi domum hanc, vt ponam nomen meum: & erunt oculi mei & cor meum super domum hanc vsque in sempiternum. Ideo ergo erat in templo [quotidie] docens. *Ioan.* 18. Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Hoc ergo est primum quod dicit hic

Principes autem Sacerdotum] Ecce secundum, vbi malum pro bono retribuunt. Tangit autem tria: qui machinabantur malum Domino, & quod non valebant, & causam impedimenti. De primo dicit tria genera machinantium [Principes Sacerdotum] qui erant primi in malitia, & quorum auctoritate & iussu fiebat. *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium, & dicebant, quid facimus? Et paulo post. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum ad consilium Caiphæ, qui erat Princeps Sacerdotum [& Scribæ] Hi doctores erant legis, quorum consilio omnia dirigebantur. *Ierem.* 4. Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt [& principes plebis] qui plebi præfuerunt in partem vocati solicitudinis, qui plebi omnes suas voluntates permiserunt, vt eis in necem Christi consentirent. *Ierem.* 5. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Prophetæ doctores qui scribæ vocabantur, mendacia in consiliis inuenerunt: & tunc Sacerdotes applauserunt plausu manuum, hoc est, operum. Et populus hæc diligens, perfecit in malitiæ complementu. 1. *Esdra* 9. Non est separatus populus Israël à populis terrarum, commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Manus enim principum & magistratuum sunt in transgressione hac prima. Quando enim Sacerdos non separatur ab operibus plebis terrenæ, & semen sanctum verbi Dei commiscet cum terreno affectu, & loqui incipit verba laicorum ad lucra illicita, & principales in hoc sunt principes & doctores, tunc cogitatur de morte Domini. Vnde *Beatus Bernardus*. O bone IESV totus mundus videtur coniurasse contra te, & hi primi sunt qui videntur regere populum, diligere principatum. Hi ergo [quærebant] consilio & machinatione [illum] Dominum IESVM Christum [perdere] *Sap.* 2. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. *Ierem.* 11. Cogitauerunt contra me consilia dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.

Et non inuenerunt quid facerent illi] Ecce impotentia nequitiæ. *Isa.* 16. Superbia eius & arrogantia eius plusquam fortitudo eius. *Osea* 2. Sepiam viam tuam spinis, & semitas suas non inueniet. Non enim facere poterant antequam ipse volebat. Et tunc dedit facultatem, sed tamen non fecit eorum malitiam: quia illam ex se & à diabolo habuerunt. *Ioan.* 10. Nemo tollet à me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam [Omnis enim populus] causa est. Non enim deposuerunt nocendi nequitiam, sed potius timidi existentes timebant turbam. *Sap.* 17. Cum sit timida nequitia, data est in omnium timidorum condemnationem.

Omnis enim populus sospensus erat] auribus & vultibus porrectis ad ipsum [audiens illum] Dominum IESVM. Non enim declinare statuerunt oculos suos ad terram vt terrena audirent: sed sicut dicitur *Iob* 7. Elegit suspendium anima eorum, vt audirent alta cælestia ab ipso. *Ioan.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est: & quod vidit & audiuit, hoc testatur. *Prou.* 8. Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus sum. Vide *Ioan.* 7. quando miserunt ministros, qui captum adducerent eum, & illi rediuerunt infecto negotio, dixerunt quærentes: Quare non adduxistis eam? Illi responderunt, Nunquam sic locutus est homo vt iste loquitur. Hæc ergo est causa quare non audebant tunc.

CAPVT XX.

Er factum est in vna dierum, docente illo populum in templo, & euangelizante, conuenerūt Principes Sacerdotum, & Scribæ cum senioribus: & aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut: quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?



ANGIT reprobationem Iudæorum per verbi demonstrationem. Diuiditur autem in duo capitula istius vltimæ doctrinæ, in quorum primo parabolicè ostendit

dit Iudaicæ perfidiæ & nequitiæ reprobationem: in fecundo autem finalem abiectionem & destructionem. In priori autem capitulo duæ funt partes, in quarum prima per parabolam, reprobationem perfidiæ eorum demonftrat: & in fecunda machinationes eorum contra fe factas denudat. Prima harum (quæ continet reprobationis parabolam) duo continet, in quorum primo parabolam inducit: in fecundo iudicium iuftum ab ipfis quærit. In priori autem partium duo dicuntur, fcilicet, malitiofa à Principibus Sacerdotum fuæ poteftatis inueftigatio, & interrogationis illius per aliam interrogationem à Domino factam elifio. In priori harum tria facit. Oftendit enim Euangelifta Dominum bono operi deditum: & fecundo, ex hoc oftendit poteftates & Magiftratus Iudæorum effe ad malum concitatos: & tertio, qualiter dolofam fibi propofuerunt quæftionem. Dicit igitur.

Et factum eft] fecundum Dei prouidentiam & difpofitionem. *Sapient.* 11. Omnia in numero & pondere & menfura difpofuifti. *Pfalm.* 103. Omnia in fapientia fecifti [in vna dierum] hoc eft, in quadam die. Non quidem continuo poft antecedens, fed ante, vt quidam dicunt: quia dicunt quod iftud factum eft continuò poft ficulneæ maledictionem, de qua dicitur *Matth.* 21. Sed *Lucas* non attendit ordinem temporis, fed ordinem probandæ fuæ intentionis. Et quia factum eft de concitantibus Principes ad perfequendum Chriftum: ideo iftud hîc ordinat ante Paffionem cum aliis quæ prouocabant eos. Ideo ergo dicit [in vna dierum] quando ad inuidiam Sacerdotum luce fuæ doctrinæ relucebat. *Pfalm.* 117. Hæc eft dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea [docente illo] inftante doctrinæ. 2. *Timoth.* 4. Prædica verbum, infta opportunè, importunè [in templo] quod eft locus doctrinæ. *Ezech.* 47. Aquæ egredientes de templo à latere dextro, quæ funt aquæ doctrinæ æternorum, quæ per dexteram fignificantur [populum] qui doctrina indiguit, & ad doctrinam deuotus fuit. Sic enim circuibat docens indoctos. *Eccli. vltim.* Appropinquate indocti ad me, & congregate vos in domum difciplinæ [& euangelizante illo] Ecce modum doctrinæ: quia boni nuntii fuit baiulus. 3. *Reg.* 17. Vir bonus eft, & bonum nuntium apportat. Eft enim Euangelium bonum nuntium de regno Dei, & iuftitia ad regnum conducente. *Ifa.* 61. Ad Ierufalem Euangeliftam dabo. *Ifa.* 40. Super montem excelfum afcende tu qui euangelizas Sion, qui euangelizas Ierufalem. Ecce qualiter vtilibus operam dedit.

Conuenerunt] Tangit hic quatuor: malitiæ confenfum, poteftatis auxilium, confilii adiutorium, fenatus focietatem. Dicit ergo [conuenerunt] magis confenfu malitiæ quam corporum in congregatione. *Pfalm.* 2. Principes conuenerunt in vnum aduerfus Dominum, & aduerfum Chriftum eius [Principes Sacerdotum] qui ex poteftate auctores fuerunt malitiæ. *Ifa.* 1. Principes tui infideles. *Matth.* 26. Conuenerunt Principes Sacerdotum, vt IESVM dolo tenerent & occiderent [& Scribæ] confilium iniquum adhibentes, vt cautè & quafi fub forma iuftitiæ perficeretur nequitia. *Ifa.* 10. Scribentes fcripferunt vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent caufæ humilium populi mei [cum fenioribus] hoc eft, fenatu qui videbantur regere populum. *Daniel.* 13. Egreffa eft iniquitas à fenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.

Et aiunt] quafi ex vno ore [dicentes] *Pfalm.* 49. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos [Dic nobis] Debes enim oftendere auctoritatem tuæ legationis & poteftatis, cum non fis miffus à fummo Pontifice, nec habeas à Cæfare legationem. Oftende ergo quo ordine poteftatis ifta præfumas facere, quod fic homines doces, & eiicis de templo Sacerdotes. *Ioan.* 10. Si tu es Chriftus, dic nobis palam? Et præmittunt: Quoufque animas noftras tollis [In qua poteftate hæc facis] diuina fcilicet, aut humana? Et attende malitiam: quia *Matth.* 12. & *Luc.* 11. cognofcentes poteftatem non effe humanam, attribuerunt eam Beelzebub. Et *ibidem* demonftrauit luce clarius, hanc poteftatem effe digiti Dei, dicens: Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Et modo ac fi tunc confutati non fuerint, quærunt: In qua poteftate ifta faciat? Ac fi dicant: Tu non es de tribu, vel familia facerdotali. Tibi etiam hoc non conceffit fenatus: & ideo feniores fecum adduxerunt. Vnde ergo præfumis hæc facere? Et ideo fubiungunt.

Aut quis dedit tibi hanc poteftatem] Ac fi dicant: Omnis poteftas eft ordinata ad vnum, vel ad Cæfarem, vel ad fummum Sacerdotem. Tu autem neutrius habes poteftatem. *Rom.* 13. Quæ funt à Deo ordinata funt. Et cum ordo poteftatis iftius fit à Deo: fi tu effes à Deo, procederes fecundum auctoritatem alicuius poteftatis. Hoc autem non facis: quis ergo dedit tibi hanc poteftatem? Et ifti cognofcere noluerunt, quod à Deo habebat poteftatem, iuxta *Danielis* prophetiam *Daniel.* 7. Poteftas eius poteftas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. *Matth. vlt.* Data eft mihi omnis poteftas in cælo & in terra. *Ioan.* 5. Ecce habeo teftimonium maius Ioanne. Opera enim quæ ego facio ipfa teftimonium perhibent de me: quia ipfa opera loquuntur, quia in Dei poteftate hæc facio.

Refpondens autem IESVS, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego vnum verbum. Refpondete mihi: Baptifmus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?

Hîc tangitur iftorum confutatio per aliam quæftionem. Dicit autem tria: interrogationem, illorum refponfionem, & ex refponfione acceptam confutationem. In primo horum tria dicit. Primum eft vnius verbi interrogatio, fecundum refponfionis petitio, tertium interrogationis propofitio. De primo dicit [Interrogabo & ego vos] Quamuis enim illi interrogauerint, & fic videatur illis effe prius refpondendum, non tamen hoc femper eft verum: quia aliquando folutio interrogationis dependet ab alia quæftione, quam oportet prius interrogare: ficut eft in propofito. Et hoc benè eft de lege difputantium. Et ideo dicit [vnum fermonem] à quo folutio totius dependet veftræ interrogationis. *Iob* 40. Accinge ficut vir lumbos tuos, & interrogabo te: refponde mihi. *Iob* 14 Voca me, & refpondebo tibi. Aut certè loquar, & tu refponde mihi [Refpondete mihi] *Iob* 6.

Respondete obsecro absque contentione, & loquentes, quod iustum est iudicate [Baptismus Ioannis vnde erat] hoc est, cuius auctoritate venit ad baptizandum? Hoc est quod *Matth.* 11. dixit. Quid existis in desertum videre? Non enim existis videre nisi hominem diuinum, ac si de cælo ad terram descendcrit. Non hominem mollibus vestitum, de commodo carnis venientem. Nec arundinem vento agitatam, de inconstantia hominum & humanæ opinionis procedentem. Et determinat quæstionem [de cælo, an ex hominibus] Quærit enim hoc: quia Ioannes ipse coram omnibus contestatus fuit de cælo esse baptismum. *Ioan.* 1. Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat.

At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, de cælo: dicet, Quare ergo non credidistis illi. Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos: certi sunt enim, Ioannem Prophetam esse. Et responderunt se nescire vnde esset. Et IESVS ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Ecce hîc obligatio ad confusionem quicquid dixerint. Et dicuntur hic duo, scilicet, deliberatio obligationis ad inconueniens, & responsio dolosæ simulationis. Deliberatio autem est ad ambas partes diuisionis de dubio. Dicunt igitur [Quia si dixerimus, de cælo] sicut ipse Ioannes probauit [dicet] nobis, ad inconueniens nos deducendo [Quare ergo non credidistis illi] Credendum enim est illi qui est de cælo. *Ioan.* 3. Qui de cælo venit, super omnes est: & quod vidit, & audiuit hoc testatur. *Hebr.* 12. Quomodo nos effugiemus, qui de cælo loquentem nobis auertimus? Ioannes autem testimonium perhibuit Christo. *Ioan.* 5. Vos misistis ad Ioannem, & ille testimonium perhibuit veritati. Ille erat lucerna ardens & lucens: & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius. Primo enim cum credidistis, quod pro vobis & vestra potestate locuturus esset, tunc voluistis exultare in lumine eius, & venistis ad eum. Postea autem cum videretis eum esse pro me contra vos, tunc persequebamini eum & noluistis audire eum [Si autem ex hominibus dixerimus] hoc est, ex vana hominum opinione, sicut arundo agitata, vel homo, qui mollibus adulatorum verbis indui potuit [plebs vniuersa] quæ eum sciuit esse Prophetam, & plusquam Prophetam [lapidabit nos] & lapidibus ictuum, & lapidibus increpationum. *Leuit.* 24. Educ blasphemum extra castra, & lapidet eum omnis populus. Et subiungit causam dicens [Certi sunt enim Ioannem Prophetam esse] *Luc.* 1. Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Tamen (licet ipsi dissimulent) Ioanni non crediderunt: nisi primo quamdiu putabant eum pro ipsis prædicaturum. *Matth.* 11. Venit Ioannes neque manducans neque bibens: & dicunt, Dæmonium habet.

Et] ideo videntes se esse obligatos ad vtranque partem quæstionis [responderunt] mentientes [se nescire vnde esset] Simulauerunt enim se Scripturam non aduertere *Malach.* 3. Ecce mitto Angelum, hoc est, nuntium meum, qui præparabit viam ante faciem tuam. Et statim veniet dominator Dominus ad templum sanctum suum. Sed mentiri erat eis pro nihilo, etiam in doctrina veritatis. *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus [Et ait illis] confutatis iam per obligationem quæstionis, à qua solutio quæstionis eorum dependebat [neque ego dico vobis] aperiendo secretum meum. *Isa.* 24. Secretum meum mihi, secretum meum mihi [in qua potestate hæc facio] Ex quo enim mentimini, expressè non est conferendum, nec estis erudiendi. Quia dicit *Chrysostomus.* Mendacia si non habeant quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Vnde in *Psalm.* 26. Mentita est iniquitas sibi. Hæc est ergo prima causa, quasi indigni sunt de veritatis instructione. Secunda autem est, quia insidiosi fuerunt, & non quærebant ad addiscendum, sed potius ad lacerandum per contentiones & detractiones. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere ante porcos. Tertia causa est: quia res erat in seipsa manifesta. Sicut probatum est *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Et ideo non respondet eis.

Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregrè fuit multis temporibus.

Hîc deuentum est ad parabolam, in qua iam detecta malitia eorum, ostendit esse reprobandos & eiiciendos. Et sicut diximus in ante habitis, primò proponit parabolam, & deinde quærit iudicium astantium de intellectu parabolæ. In parabola autem quatuor facit, quorum primum est quod ostendit cui dicit, secundò locationem vineæ proponit, tertiò fructum requirit, quartò autem ingratitudinem & iniquitatem agricolarum subiungit. Dicit igitur [Cœpit autem dicere [Non quidem nunc primo; sed quia omne factum & verbum adeo fuit in feruore, ac si tunc inciperet. *Psalm.* 76. Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dextræ excelsi [ad plebem] quia sciuit principes peruersum iudicium contra conscientiam fore daturos. *Iob* 13. Prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum [parabolam hanc] similitudinarium sermonem: quia illum plebs melius intelligit. *Eccli.* 39. Occulta prouerbiorum exquiret sapiens, & in absconditis parabolarum conuersabitur.

Homo quidam] Tria dicit: vineæ plantationem, vineæ locationem, & plantatoris & locantis peregrè profectionem. Et de primo dicit [Homo quidam] Deum (sicut sæpe diximus) quia humanus siue benignus est hominem vocans: non à natura, quam Pater nunquam assumpsit, sed à proprietate; quia mansuetè, & benignè, & rationabiliter. Mansuetè quidem est: quia peccatores mansuete & clementer recipit: benignè autem, cum benigne expectat: rationabiliter autem, cum rationabilia quærit. De primo *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et ideo: vicarius eius

Moyses

Moyses mansuetus ab eo eligitur. *Num.* 12. Erat Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram. Non enim elegisset tam mansuetum nisi mansuetus esset. De benignitate *Rom.* 2. Ignotas quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. De rationabilitate æquitatis eius dicitur *Prouerb.* 8. Dominus possedit sapientiam initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Sic ergo homo quidam.

Plantauit vineam] Literaliter quidem, Synagogam: allegoricè, Ecclesiam: moraliter autem, animam fidelem. Sed vites Synagogæ sunt Prophetæ & iusti: vites Ecclesiæ, sunt personæ ecclesiasticæ: vites autem animæ, sunt virtutes *Isa.* 5. Vinea fuit dilecto in cornu filio olei. Et *ibidem.* Vinea Domini Sabaoth domus Israël: & viri Iuda, germen eius delectabile, hoc est, viri Deum confitentes, & Deum glorificantes. Hoc enim Iuda interpretatur. *Ierem.* 2. Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum. Plantauit autem locando in cultu, præcepta circumsepiendo, maceriam cærimoniarum circumdando, fossatum disciplinæ circumducendo, beneficiis impinguando, præsidio regni turrim in ea extruendo, per cultum sacerdotij murum erigendo. Et de omnibus his in præcedentibus satis dictum est. *Exod.* 15. Introduces, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine. *Psalm* 43. Eiecisti gentes, & plantabis eos. Sic igitur plantauit vineam, quæ fructificare debuit fructum gaudiorum æternorum. Plantata autem sic vinea.

Locauit eam colonis] Synagogam Principibus Sacerdotum, Ecclesiam Archiepiscopis, & Episcopis, & cæteris Prælatis: & animam, custodibus animarum, *Cantic.* 1. Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. Hoc idem dicitur *Matth.* 21. Locauit eam cultoribus. 1. *Corinth.* 3. Dei agricultura estis. Qualiter autem colenda sit vinea in præcedentibus diximus. Sed heu iam negligentia agricolarum potest dici illud *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum operuerant vrticæ, & repleuerant superficiem eius spinæ. Vrtica ab vrendo dicta, concupiscentiam carnis significat. Spina autem quæ pungit, solicitudines significat auaritiæ. Et his duobus tota operta est vinea Domini Sabaoth.

Et ipse peregre fuit] Dominus & plantator vineæ. Istud non bene exponitur literaliter de Filio secundum carnem in cælum profecto: quia postea legitur, quod filium missum ab eo qui peregre profectus est, eiectum extra vineam occiderunt. Sed exponendum est de Patre qui in hoc peregre profectus est: quia à loco cultus sui recessit propter iniquitates Sacerdotum: sicut significatur *Ezech.* 3. vbi dicitur: Benedicta gloria Domini de loco suo, supple, recedit. Et quia aliud templum in mundo non habuit, dicitur quoad hoc, incerta sede vagari Dominus. *Ierem.* 14. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi vir vagus declinans ad manendum? Hoc enim literaliter dicit *Ieremias* de recessu Domini à templo. *Osee* 11. Deus ego & non homo, & non ingrediar ciuitatem. Templum enim fuit locus Domini in terra. *Psalm.* 131. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob. *Ezech.* 43. Locus solij mei, & locus scabelli pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel. Deserens ergo locum istum, & non eligens alium vbi nomen suum ponatur, dicitur peregre profectus [multo tempore] quia vsque ad fundationem Ecclesiæ per Christum & Apostolos. *Osee* 2. Multis annis sederunt filij Israël sine Rege, & sine Sacerdote, & sine Principe. Sic ergo profectus est peregrè.

Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur. Quem cum vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis.

Hic tangitur fructus requisitio. Tangit autem hic quadruplicem fructuum requisitionem, & ad quamlibet requisitionem opponit colonorum ingratitudinem: & ita sunt hic octo paragraphi, secundum quos distinguitur litera. Tangitur autem in primo opportunitas temporis ad fructum petendum, & nuntij certitudo quem misit, & finis intentionis propter quem misit. Vnde dicit [Et in tempore vindemiæ] quando opportunum tempus fecit liberatio de Ægypto, in qua multum studium & laborem posui circa eam, & erat tempus respondendi per fructum bonorum operum. *Psalm.* 79. Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti Gentes, & plantasti eam: Dux itineris fuisti in conspectu eius. *Isa.* 5. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas [Misit ad cultores] ad Synagogæ proceres, qui ex nomine vocabantur: sicut Dathan & Abyron *Num.* 16. [seruum] suum, Moysen scilicet. *Psalm.* 104. Misit Moysen seruum suum, Aaron quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signorum & prodigiorum suorum in terra Cham [vt de fructu vineæ] gaudij, quod est ex profectu spirituali [darent illi] seruo. *Luc.* 13. Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea, vel vinea. Hunc enim fructum Moyses quæsiuit, volens eos ad spiritualem intellectum dirigere & non potuit. *Ioan.* 5. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Et ideo tempus quidem vindemiæ, tempus est incarnationis, & reuelandæ iam gratiæ gaudij spiritualis. Moyses autem pro fructu mittitur, quando testimonia legis vt Christo credant ad ipsos diriguntur.

Qui] agricolæ ingrati [cæsum] hoc est, afflictum, & verbis cæsum. *Psalm.* 56. Lingua eorum gladius acutus. Cæditur autem, quando falsa interpretatio

pretatione ad aliud, quam intendit lex eius, accipit interpretationem. *Psalm.* 105. Vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius. Et sic [dimiserunt eum inanem] sine fructu, quem in eis in spirituali intellectu accipere debuit. Et hoc fuit propter terrenum intellectum & affectum eorum. *Genes.* 1. Terra erat inanis & vacua. *Ierem.* 14. Non inuenientes aquam, reportauerunt vasa vacua, confusi sunt. Aquam enim viuam spiritualis intellectus non inuenerunt.

Et addidit alterum seruum mittere] hoc est, Dauid regem, qui psalterio & cithara de spiritualibus commoneret eos, qui etiam Christo testimonium reddit, & sic pro Christo missus fuit. *Psalm.* 56. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. Sicut enim dicit *Hieronym.* Dauid Christum lira prædicat, & cithara ab inferis excitat exsurgentem. Iste ergo ad testimonium Christi etiam missus est.

Illi autem] coloni Principes Sacerdotum [hunc quoque] Psalmistam [cædentes] per falsorum sensuum impositionem [& afficientes contumeliis] In cuius signum 2. *Reg* 16. dixit Semei: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial: reddidit tibi Dominus sanguinem vniuersum domus Saul, quoniam inuasisti regnum eius. 2. *Reg.* 20 Non est nobis pars in domo Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Sic fit vsque hodie: quia cum veritas prædicatur, & testimonia legis & Psalmorum inducuntur, & audientes illa post dorsum suum proiiciunt, & prædicantem verbis lacerant: tunc seruos Dei verberant, & contumeliis afficiunt.

Et addidit] iterum [mittere] seruum [tertium] qui totum significat cuneum Prophetarum. *Ierem.* 7. & 44. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, de nocte consurgens & mittens, & non curastis redire. Hic autem, sicut & priores, toties mittitur, quoties testimonia eius inducuntur. Et ideo cum Domino in monte *Matth.* 17. vbi gloriam ostendit, apparuerunt Moyses in legis testimonio, etiam Elias in testimonio Prophetarum. *Luc.* 16. Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Pro his tribus seruis Christo in testimonium missis, dicit ipse *Luc.* 24. Oportet impleri ea quæ scripta sunt in lege Moysi, & in Psalmis, & in Prophetis de me. Sicut enim tunc quando vixerunt missi sunt: ita quando venit Christus missi sunt, quoties Scripturæ eorum sunt introductæ. Sicut cum Eunuchus Æthiops Candaces reginæ legeret Isaiam, tunc Isaias missus fuit, sicut dictum est *Ioan.* 8. quod Abraham exultauit vt videret diem Christi, & vidit & gauisus est. Sic vsque hodie mittuntur & contemnuntur.

Qui] coloni [& illum] chorum Prophetarum [vulnerantes] sensus eorum lacerantes [eiecerunt] extra vineam: quia isti quibus testimonia veritatis inducuntur, de eadem vita sunt cum illis, qui occiderunt Prophetas. Et ideo pro certo occiderent eos si viuerent. Et quod ossa eorum venerantur, non est propter sanctitatem & reuerentiam, sed propter quæstum. Isaiam enim illi serra lignea diuiserunt, Ieremiam lapidauerunt, Ezechielem excerebrauerunt. Et hoc faciunt isti: factis quibus eos, qui Prophetas occiderunt, imitantur. *Matth.* 23. & *Luc.* 11. Testimonio estis vobismetipsis, quia estis filii eorum qui Prophetas occiderunt. Filii autem dicit, propter operum imitationem. *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiauerunt dies Iusti, cuius vos nunc estis proditores, & homicidæ.

Dicebat autem Dominus vineæ] scilicet Deus Pater dicebat hoc in Prophetis & in aliis Scripturis [Quid faciam] Non deliberat dubitans; sed vt nobis, in quos cadit dubium, formam det in dubiis & arduis consiliandi. *Prouerb.* 4. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. *Eccli.* 32. Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis [Mittam Filium meum] consubstantialem mihi in omnium potentia signorum [dilectum] qui totam gloriam meam possideat. *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. *Matth.* 3. Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi [forsitan] non notat dubitationem, sed volubilitatem in illis liberi arbitrii: quia possunt facere quod volunt. *Ioan.* 5. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit [cum hunc viderint] in digito Dei facere miracula, & loqui sicut potestatem habentem [verebuntur] hoc est, reuerendo maiestatem timebunt. *Matth.* 21. Forsitan reuerebuntur Filium meum.

Quem cum vidissent coloni] hoc est, in maiestate deitatis cognouissent, vel cognoscere potuissent cum multis deuotis, qui eum cognouerunt: & illi pro certo cognouissent, si inuidia eos & ambitio non impediuisset. Hoc ideo dicitur: quia *Apostolus* dicit 1. *Corinth.* 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et Petrus *Act.* 3. Et nunc fratres, scio quia per ignorantiam fecistis sicut & Principes vestri. De facili enim cognoscere potuissent si de ouibus eius fuissent. *Ioan.* 10. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non estis ex ouibus meis. Tamen æstimationem habebant de ipso [cogitauerunt intra se dicentes] Intra se enim capti, concilium congregauerunt, consilium inierunt. *Isa.* 8. Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet [hic est hæres] *Ioan.* 11. Quid facimus quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem [occidamus eum, vt nostra fiat hæreditas] *Matth.* 21. Occidamus eum, vt nostra fiat hæreditas, hoc est, dominium & possessio Synagogæ: quia tunc ad eum & ad suos non transferetur. Tanta enim est cæcitas ambitionis, & auaritiæ, quod finem in malis non ponit, dummodo dignitates & diuitias capere possit. *Eccli.* 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit interiora sua. *Ier.* 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. In figuram huius occisus est Naboth Iezraelita: vt Achab & Iezabel de vinea sua facerent sibi hortum olerum 3. *Reg.* 21. Achab enim fraternitas patris interpretatur: & significat Iudæos, inter quos primo fraternitatem Deus pater suscitauit. Iezabel autē interpretatur fluxus sterquilinii, & significat concupiscentiam carnis & oculorum & mundi, quam eadem fraternitas in vxorem duxit. Naboth autem interpretatur prophetia, & significat Christum, de quo dicitur *Luc.* 7. & *Ioan.* 6. Quia Propheta magnus surrexit

in

in nobis:& quia Deus visitauit plebem suã.Vinea autem significat congregationem, cælestia gaudia ferentem. Vnde *Iudi.* 9. dixit vitis : Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. Hortus autem olerum significat huius mondi viriditantia, ex quibus huius mundi concupiscentiis coinquinamur. Et hæc fuit intentio Sacerdotum, vt ex populo lucra concupiscentiæ haberent, & in hoc mundo virides apparerent: & ideo Christum interfecerunt

Et eiectum illum extra vineam] extra portas Ierusalem. *Hebr.* 13. IESVS vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est[occiderunt] Per effectum perficientes, quod iniquo consilio tractauerant. *Daniel.* 9. Occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Hæc est parabola proposita [Quid ergo faciet illis?] Hic quæritur iudicium ab ipsis Sacerdotibus:quia nemo est à Deo quio vigeat in eo scintilla conscientiæ, secundum quam iudicare potest de veritate. Quærit igitur iudicium illorum.

Quid faciet illis?]malis colonis [Dominus vineæ] qui vnicuique reddet pro meritis. *Abdia.* Sicut fecisti,fiet tibi:retributionem tuam conuertam in caput tuum.*Isa.*3.Væ impio in malũ:retributio enim manuum eius fiet ei[veniet]Ecce quid faciet[veniet ad iudicium] *Isa.*3. Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui[& perdet]per Titum, Vespasiani filium. *Luc.*12. Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua non sperat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum infidelibus[& dabit] hic curam pastoralem, & culturæ vineæ dabit [vineam] hoc est, bonorum congregationem & tertam [aliis] noui testamenti patribus. Debet autem vtrumque horum legi interrogatiuè, vt iudicium ipsorum requiratur. *Deut.* 32. Et inimici nostri sunt iudices. *Isa.* 5. Iudicate inter me & vineam meam. *Osee.*2. Iudicate matrem vestram, iudicate: quia ipsa non vxor mea,& ego non vir eius.

Quo audito,dixerunt illi : Absit. Ille autem aspiciens eos, ait. Quid est ergo hoc,quod scriptum est:Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput ãguli? Omnis qui ceciderit supra illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

Hic ponit responsionem ipsorum. Dicit autem tria:audit enim facta, & contra conscientiam datum responsum:& probat exaggerando hoc peccatum committi in seipsum:tertiò autem ostenditur hoc per effectum, quia exasperati quærebant eum tenere in eodem loco, nisi plebis timore ab audacia cõpescerentur. Dicit igitur [Quo audito] Sacerdotes & Scribæ[dixerũt] mentientes[Absit] quod aliis locet vineam, vel perdat suos agricolas:quia quicquid peccauerint, totum propter dilectionem Patriarcharum indulgetur. Et ideo dicunt [Absit] *Matth.* autem. 21. dicunt contradictorium responsum:Malos male perdet,& vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Hic autem Dominus dicit illam responsionem, & ipsi dicunt [Absit] quia sicut dicit *Psalm.* 11. In corde & corde locuti sunt. Vnde *Lucas* ponit quod ore loquebantur. *Matthæus* autem ponit responsionem cordis, & conscientiæ. *Sap.*2. Hæc dixerunt, & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia eorum. *Psalm.* 11. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Ille autem aspiciens eos, dixit] Hic exaggerat malitiã eorum, & ostendit quod ipse est ille hæres quem interficere cogitabant. Direxit autem oculos ad ipsos: vt scirent quoniam ad ipsos direxit sermonem, & aspexit eos vultus sui ductile. *Iob* 40. Respiciens omnem arrogantem humilia. *Prou.* 20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo [Quid ergo est] Ex quo dicitis, Absit, respondete de Scriptura quam negare non potestis. Dicite igitur [Quid ergo est hoc]qualiter dixit Spiritus Sanctus [quod scriptũ est]per os Dauid.Non enim potest solui Scriptura [lapidẽ quẽ reprobauerunt ædificantes]Ad literã. Cum templũ ædificaretur,allatus est lapis magnus de loco in quo dolabãtur lapides,cui nullus locus inueniri potuit in toto tẽpli ædificio,nisi tandẽ in fine,præter omniũ opinionẽ, in summo coniunxit duos parietes, eo quod angularis fuit. Et hoc est quod dicit [hic factus est in caput anguli] Vt & caput sit & angularis, & duos parietes coniungat. Hic enim est Christus,caput & angulus,duos parietes præputij & circuncisionis in vnam congregationem coniungens, & nobis sic auferens potestatem. *Isa.* 28. Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. *Iob* 38. Quis demisit lapidem angularem eius? *Ephes.*2. Ipse est pax nostra,qui fecit vtraque vnum. Sic ostensa Scriptura quæ eum probat esse reprobatum à colonis:à Deo autem electum & pretiosum, sicut dicit 1. *Petr.*2. Exaggerat pœnam eorum,dicens.

Omnis qui ceciderit] casu postea [supra illum lapidem] sicut ipsi Sacerdotes qui peccauerunt in Christum [conquassabitur] duabus de causis:propter pondus, quia ponderosum conquassatur: vel quia ab altissimo cadit. Et vtramque conquassationem habebant Principes Sacerdotum : quia & grauiter peccabant : vel quia in dignitate tali fuerunt, quæ etiam difficiliorem fecit casum. *Eccl. vlt.*Confringetur hydria super fontem:quia super lapidem fontis cecidit. Et hoc modo ante iudicium conquassati sunt in culpa [super quem autem] lapis iste pondere iudicij per pœnam [ceciderit] sicut postea Christus cecidit super eos in exercitu [comminuet illum] & in minima redegit:ita vt non sit regnum, neque gens de cætero. *Isa.*30.Subito dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione perualida,& non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Ista est expositio literalis.Sunt autem & aliæ istius loci expositiones. Quia peccans venialiter cadit supra lapidem : quia lapis est fundamentum. Et taliter peccans saluus erit merito fundaměti,quod non subruitur. 1. *Cor.*3. Siquis ædificauerit super fundamentum hoc ligna, fœnum,stipulam:vniuscuiusque quale sit opus, ignis probabit. Si cuius opus arserit quod superædificauerit, detrimentum patietur : ipse autem saluus erit ; sic tamen quasi per ignem. Dicit ibi *Gloss.* quod merito funda-

menti saluus erit. Lapis autem cadit super eum qui peccat mortaliter: quia illum pondere sui iudicij comminuit. *Ierem.* 10. Corripe me Domine, sed non in furore tuo: ne forte ad nihilum redigas me. Adhuc autem dicunt, quod Christianus rectam habens fidem, sed informem, peccat cadens super lapidem, & conquassatur. *Isa.* 42. Calamum quassatum non conteret: quia leuis fidelis est calamus. Infidelis autem Iudæus, Gentilis, vel hæreticus peccans, recipit lapidem super se cadentem. *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Prima expositio est literalis.

Et quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognouerunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

Tertium est istius partis, vbi per effectum se probant illos esse de quibus dixit. Et dicit tria. Primum est, quod eum capere quærebant in eadem hora. Et hoc est [Et quærebant] opportunitatem [Principes Sacerdotum] in quibus erat authoritas [& Scribæ] in quibus erat scientia, quæ inflat [mittere manus] violentas & sacrilegas [in illum] tenendum & capiendum. *Prou.* 1. Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum [illa hora] quia omni hora grauior sistinebant ad videndum. *Sapient.* 2. Grauis est nobis etiam ad videndum [& timuerunt populum] *Matth.* 16. & *Luc.* 22. Quærebant Principes Sacerdotum, quomodo Iesum dolo tenerent & occiderent: timebant vero plebem [Cognouerunt enim] quamuis contra conscientiam negauerunt [quod de ipsis dixerit similitudinem istam] *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt. *Psalm.* 108. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.

Et obseruantes, miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, & traderent illum principatui & potestati præsidis. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia rectè dicis & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

Hic incipiunt quærere occasionem accusationis contra eum: & diuiditur in partes duas, in quarum prima ponitur insidiantium confutatio: in secunda autem contra eos ponitur veritatis probatio, quod in veritate sit Filius Dei per testimonium Dauid, qui vocat eum Dominum. In prima harum partium sunt duæ historiæ, in quarum prima tanguntur insidiæ, quod quærunt accusationem contra potestatem publicam: in secunda autem quærunt accusationem in lege diuina. Prima autem historia duas habet partes: insidiantium dolum, & dolosorum confutationem. In priori harum partium tria dicuntur, in quorum primo exprimitur ab Euangelista maligna eorum intentio: in secundo autem dolosa adulatio: in tertio vero versuta interrogatio. Dicit igitur in primo [Et obseruantes] *Eccli.* 41. Non est bonum omnem reuerentiam obseruare: & non omnia omnibus bene placent: Obseruabant autem tempus & locum, quando esset coram populo, vt testes contra eum haberent, & vt populum contra eum concitarent [miserunt insidiatores] *Iob* 31. Simulatores & callidi prouocant iram Dei [qui se iustos dicerent] & nulla responsa propter iustitiam quærere, & non propter accusationem. *Prou.* 11. Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia. *Prou.* 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Et sic dicitur *Matth.* 22. & *Marc.* 12. Miserunt discipulos suos cum Herodianis, hoc est, Herodis militibus, vt sic non cauentem sibi ab insidiis illorum [caperent eum in sermone] aliquo quem diceret contra maiestatem publicæ potestatis. *Matth.* 22. Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent Iesum in sermone [& traderent eum] contra maiestatem publicam loquentem [principatui] Herodis regis & Romanorum] & potestati præsidis] Pilati: quia vterque erat sub Romanis: vnus vt Rex Tetrarchiæ, & alter vt procurator & præses cuiusdam partis regni illius. Dicit enim *Chrysost.* quod iniquitas & malitia sunt sicut aqua præceps, cui si obstruitur vnus meatus, statim irrumpit semitam per alium meatum.

Et interrogauerunt illum dicentes] *Eccli.* 13. Ex multa loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conseruabit verba tua, & non parcet de malitia & de vinculis [Magister] Magistrum vocat vt dicit *Chrysost.* cuius non vult esse discipulus [scimus] quamuis meditiamur contrarium [quia rectè dicis] in responsis. *Prou.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis prauum quid, neque peruersum [& doces] in parabolis & prædicatione. *Isa.* 48. Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans in via qua ambulas. *Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet & virtutem, quibus in vita nihil est vtilius hominibus [& non accipis personam hominis] *Act.* 10. In veritate comperi quia non est acceptor personarum Deus. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter est sibi cura de omnibus [Sed viam Dei] hoc est, iustitiæ Dei, & hæc est via rectitudinis virtutum. *Prou.* 3. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Et viam mandatorum Dei. *Psal.* 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Est autem pœnitentia via Dei, peccatori ambulanda. *Isa.* 30. Audies verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes [In veritate doces] Veritas enim doctrinæ nec propter timorem hominum, nec propter amorem, nec propter scandalum aliquod est dimittenda. Omnia autem hæc verè quidem, sed adulando, & tentando dixerunt. *Matth.* 22. Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, propter quem deferas veritatem.

Licet] ne [nobis] qui decimas damus & primitias, & qui populus Dei peculiaris sumus, & liberi [tributum dare Cæsari an non?] Orta enim fuit quæstio à Pharisæis in populo: Dicentibus Pharisæis, quod populus Dei qui liber esse deberet, & decimas

decimas solueret,& primitias,& vota,& sacrificia, non deberet tributa dare; sed orationibus iuuare rempublicam & non tributis: quia hoc esset indignum, & contra populi Dei priuilegium, & libertatem. Alij autem econtra asserebant, quod Romanis qui pro omnibus militarent, & omnes defenderent, ab omnibus deberent accipere tributum. Et ideo mouent istam quæstionem: vt si dicat tributa debere dari, contra libertatem populi loquatur, & populus contra eum concitetur. Si autem dicat non debere dari: tunc potestates Romanorum & milites exasperentur contra ipsum. Hoc autem tributum est, quod censicapitem vocamus, quod sub Cæsare Augusto est constitutum: vnde de hoc loquuntur. Hæc est igitur malitiose confecta interrogatio. *Isa.*32. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnauit aduersus mites, cum loqueretur pauper iudicium.

Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt.

Hic incipit confutatio illorum. Dicuntur autem hic quinque, quorum primum est, quod vt Deus dolum cordis eorum vidit. Secundum, quod intentionem malitiosæ interrogationis reprehendit. Tertium, quod ex figura numismatis dolosos confutauit. Quartum, quod hæc determinatio apud omnes irreprehensibilis fuit. Quintum, quod hæc prudentia admirabilis dolosis taciturnitatem induxit. Dicit igitur [Considerans autem] vt Deus [dolum illorum dixit] 1.*Reg.*16. Deus intuetur cor. *Sapient.*1. In cogitationibus impij interrogatio erit. *Matth.*22. Videns IESVS nequitiam illorum, dixit.

Quid me tentatis] *Matthæus* addit, hypocritæ. Et arguit hic malitiam. *Deuter.*6. Non tentabis Dominum Deum tuum. *Psalm.*77. Conuersi sunt & tentauerunt Deum: & sanctum Israël exacerbauerunt. Ac si dicat: Frustra tentatis, quia ego noui omnia antequam fiant. *Daniel.*13. Et sum absconditorum cognitor.

Ostendite mihi numisma census] Tertium est ex quo confutat eos. Est autem numisma quod ad numum venit, habens signum publicæ potestatis, ne falsificari possit in figura, vel puritate, vel pondere [census] autem dicit: quia per illud census de capite soluebatur. *Luc.*2. Exiit edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. Et hanc literam habet *Matth.*22. Hic autem dicit [Ostendite mihi denarium] Denarius autem valebat decem numos vsuales, qui in commutationibus quotidianis numerabantur [Cuius habet imaginem & inscriptionem] Impressa enim erat imago Tiberij Cæsaris, sub quo passus est & superscriptio nominis eius. *Matth.*22. Cuius est imago hæc & superscriptio [Respondentes] Pharisæorum discipuli [dixerunt ei: Cæsaris] Cæsar latine dicitur possidens principatum. Et ideo nomen istud omnes communiter Imperatores habuerunt: sicut & Augusti ab augendo imperio sunt vocati. Læti autem statim dixerunt: Cæsaris, arbitrantes quod aliquid contra Cæsarem diffinire deberet, & quod ignorans quæreret, & sic de facili deciperetur. Sed ille non ignorans quærit, sed vt aptetur responsum consequens ad dictum eorum.

Et ait illis] ex verbis eorum condemnans eos [Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari] Quasi dicat. Ex quo commutationes in foro, & defensionem terræ, & iudiciorum determinationes vos habere profitemini per denarium eius cuius imaginem datis & accipitis, reddite sibi vicissitudinem tributi. 1.*Corinth.*9. Quis militat suis stipendiis vnquam? *Rom.*13. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, & cui vectigal vectigal, & cui honorem honorem [& quæ sunt Dei, Deo] reddite. Sicut decimas, primitias, & vota, & quæcunque sunt talia. *Ionæ* 2. Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque voui reddam pro salute Domino. *Psalm.*65. Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea. *Matth.*18. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Attende autem quod moraliter ista quæstio fiet nobis à Deo. Cuius est imago hæc & superscriptio? Est enim imago Dei in nobis, & superscriptio sui nominis. Et hæc duo quæruntur in denario, & duo alia, puritas scilicet, & pondus. Sic in nobis præter duo dicta, quæritur puritas intentionis, & pondus affectus siue amoris. Si scilicet imago sit pulchra, si superscriptio expressa & clara, si intentio pura, si amor affectus magni ponderis. De primo dicit in *Psalm.*44. Specie tua & pulchritudine tua. De secundo *Apoc.*3. Scribam super eum nomen meum nouum, & nomen ciuitatis meæ Ierusalem. De tertio & quarto simul dicitur 1.*Timoth.*1. Charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Et non potuerunt reprehendere verba eius] *Iob* 6. Non inuenietis in lingua mea iniquitatem, neque in faucibus meis stultitia personabit [coram plebe] Quod tamen maxime desiderauerunt. Vnde *Matth.*7. Turbæ mirabantur super doctrina eius. Loquebatur enim sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi [& mirati in responso eius] *Prouerb.*26. Responde stulto secundum stultitiam suam: ne sibi sapiens videatur. *Augustinus.* Dentem caninum retundit solidissima veritas [tacuerunt] *Psalm.*62. Obstructum est os loquentium iniqua. *Iob* 39. Qui male locutus sum, respondere quid possum?

Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo.

Hic tangit tentationem in fide & lege: & diuiditur in tres partes, quarum prima continet tentationem, secunda tentantium confutationem, & tertia resurrectionis probationem. In prima

harum quatuor dicuntur, ſcilicet, tentantium deſcriptio, legis iuxta interrogationem ponitur inductio, caſus poſitio, & facta tentantium interrogatio. In primo horum quinque dicuntur: doloſus tentantium acceſſus, cum dicitur [Acceſſerunt autem] confutatis Phariſæis, & ſilentio impoſito eis. *Matth.* 22. Sadducæi videntes quod IESVS ſilentium impoſuiſſet Phariſæis. *Eccli.* 1. Acceſſiſti maligne ad Dominum: & cor tuum plenum eſt dolo. *Iſa.* 57. Vos autem accedite huc filij augurattricis & adulteri, & ſemen fornicariæ [quidam] non digni nomine. Infandi enim ſunt hæretici, non nominandi. *Pſalm.* 15. Nec memor ero nominum eorum per labia mea [Sadducæorum] Sadducæus interpretatur iuſtus. Iſti enim quamuis dicerent reſurrectionem corporum non eſſe, tamen dixerunt animas pro iuſtitia eſſe remunerandas, & ideo colendam legis iuſtitiam valde, propter quod iuſti vocabantur. Phariſæi autem diuiſi: quia dicebant eſſe reſurrectionem corporum, ſed dicebant quod poſt reſurrectionem homines in aurea Ieruſalem vterentur cibo, & potu, & vxoribus ſicut modo. Et ideo quoad illos optima fuit quæſtio Sadducæorum, & inſolubilis. Eſſæi autem dicebant nec ſpiritum eſſe, nec Angelum, nec reſurrectionem: ſed Deo eſſe ſeruiendum pro temporalibus. Et hoc eſt quod ſequitur [qui negant eſſe] futuram [reſurrectionem] corporum. Tamen animarum ſpiritualem confitebantur eſſe reſurrectionem.

Et interrogauerunt eum] tentando. 1. *Corinth.* 10. Neque tentemus Deum, ſicut quidam tentauerunt [dicentes] Putabant enim eum ab opinione Phariſæorum remouere propter odium quod habebant ad eos. Sed ipſe falſitatem vtrorumque deteſtatur. *Pſalm.* 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium [Magiſter] Ecce primo inducunt legem. Dicunt autem [Magiſter] quia Deum eſſe non credebant, ſed ſapientem. *Ioan.* 3. Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis niſi fuerit Deus cum eo [Moyſes] qui tantæ auctoritatis fuit, quod legem Deus dedit per eum. *Eccli.* 24. Legem mandauit nobis Moyſes in præceptis iuſtitiarum. *Ioan.* 1. Lex per Moyſen data eſt [ſcripſit nobis] *Deuter.* 25. [Si frater alicuius] hominis [mortuus fuerit habens vxorem] quia ille iam partem habuit hæreditatis: & domum habuit & familiam, quæ de populo Dei delenda non erant: nec vxor erat ab hæreditate ſeparanda, quia hoc eſſet iniuria [& hic ſine liberis mortuus fuerit] cum tamen iam familiam & domum haberet [vt accipiat eam] relictam illius [frater eius] defuncti [vxorem] Frater autem dicitur hic, non vterinus tantum, ſed propinquior in genere. Quia *Ruth* 4. ita accepit Booz Ruth Moabitidem [& ſuſcitet ſemen fratri ſuo] quia ſecundum naturam ſemen viri licet aliquando non ſit efficax ad generationem, tamen eſt efficax ad matricis alterationem. Cuius ſignum eſt quod mulier ex ſecundo viro ſæpe generat filium, priori marito ſimilem. Et mulier cum qua coiuit leproſus, qui fortiter infectus eſt, inficit ſecundum qui cito poſt leproſum erit cum ea. Et ideo quamuis ſemen defuncti totum ſecundum ſubſtantiam effluxerit, tamen qualitates remanent in matrice ſpiritualiter diffuſæ in venis, & arteriis, & neruis: ex quibus ſequentis viri ſemen trahitur ad ſimilitudinem prioris. Et ideo dicitur prioris viri ſemen ſuſcitari per ſequentem. Hoc autem facilius fit per fratrem: quia ille ex eiſdem parentibus, natura frequenter ſimiliorem habet cum ipſo complexionem. Et ideo etiam præcipitur, quod primum filium ex ſecundo genitum, nominet nomine fratris prioris. Hoc tamen maximè præceptum eſt, ne ſortes hæreditatum & familiæ diſtinctæ in tribubus permiſcerentur & confunderentur. Hæc igitur fuit ratio & cauſa legis.

Septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus eſt ſine filiis. Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem, & non reliquerunt ſemen, & mortui ſunt. Nouiſſimè omnium mortua eſt & mulier. In reſurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? Siquidem ſeptem habuerunt eam vxorem. Et ait illis IESVS: Filij huius ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi vero qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltra mori poterunt. Æquales enim Angelis ſont: & filij ſunt Dei, cum ſint filij reſurrectionis.

Ponitur hic caſus de quo fit interrogatio. Dicit igitur [Septem ergo fratres] ſicut Iob ſeptem filios habuit, & ſicut iunior Tobias habuit ſeptem [erant] apud nos in gente Iudæorum, hanc legem obſeruantes [& primus accepit vxorem] legitimam [& mortuus eſt] ſoluta vxore à lege viri. Et poteſt eſſe quod ille fuit iniquus: quia ſcriptum eſt *Sapient.* 3. Ab iniquo thoro ſemen exterminabitur [& ſequens] propinquior ſibi [accepit eam] vxorem: ſicut fecit Onam, qui accepit vxorem fratris Her. Et videns non ſibi naſci filios, ſemen fundebat in terram: & Dominus interfecit eum, eo quod rem deteſtabilem faceret: ſicut dicitur *Geneſ.* 38. [& ipſe mortuus eſt] & ille [ſine filio] Hæc enim lex etiam à Patriarchis ante legem ſeruabatur [& tertius accepit illam] ſicut Sela debuit accipere Thamar quando creuiſſet [Similiter & omnes ſeptem] ſucceſſiuè habuerunt eam. Ita quod vno ſeniori defuncto, ſequens accepit eam. *Iſa.* 14. Non conſurgat in æternum ſemen peſſimorum. Et hoc eſt quod dicit [& non reliquerunt ſemen] Per hunc modum *Tob.* 3. dicitur quod Sara filia Raguelis tradita fuit ſeptem viris: & dæmonium nomine Aſmodæus interfecit eos. Vnde & ancilla dixit. Nunquam ex te videamus filiam vel filium interfectrix virorum tuorum. In illa enim directè fuit idem caſus. Per oppoſitum autem modum dicitur *Iſa.* 4. Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos: aufer opprobrium noſtrum. Plures enim vni aliquando conceſſæ ſunt: eo quod dicat *Ariſt.* ex opinione Platonis, quod vnus multas implet fœcundando. Sed nunquam conceſſum fuit, quod

mulier

mulier vna haberet plures viros. Hoc est contrarium fœcunditati.Sed quantū est de institutione prima matrimonij, vna est vnius. *Genes.*2. Relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori suæ:& erunt duo in carne vna.De hoc tamen non est hic locus disputandi [Nouissimè vero omnium]maritorum fratrum [mortua est & mulier] septemuira. Dicunt Pharisæi quod vnusquisque resurget in ordine suo , & in eodem actu in quo prius vixerat.

In resurrectione ergo eorum]septem fratrum [cuius erit vxor] Ecce iuxta inductam legem interrogatio. Et confirmant fortificando quæstionem , dicentes [Siquidem] hoc est, quia [septem] singuli successiuè omnes [habuerunt eam vxorem] Hanc autem quæstionem inexplicabilē sæpe proposuerant Pharisæis:& putabant quod Dominus aut errori eorum consentiret , aut cum Pharisæis reprehensibilis appareret. Vnde *Matth.* 22.dicitur:Erratis,nesciētes Scripturas,neque virtutē Dei.*Sap.*2.Nescierunt sacramenta Dei,neque mercedē sperauerunt iustitiæ,& non iudicauerunt honorem animarū sanctarum.Quod autem secūdum literam hic dicitur (nec aliquam habet difficultatem) in mystico sensu sæpe inuenimus impletum.Prælatos enim Ecclesiarum Domini sponsos adeo inuenimus steriles. quod non dico de septem , sed etiam de mille succedentibus , nullus semen fratri defuncto , hoc est, Christo relinquit. Et ideo de eis dicitur *Ierem.* 22. Scribe virum istum sterilem, qui in æternum non prosperabitur. Redeamus autem ad literam , & videamus qualiter isti à Domino confutantur

Et ait illis IESVS] optimam temperans responsionem , simul causas matrimonij , & dispositionem resurgentium ostendens. Dicit ergo [filij huius sæculi] mortalis & animalis [nubunt] in filiabus suis [& traduntur ad nuptias] in filiis, qui accipiunt vxores : quia cum mortales sint , & fugiant per mortem : natura non saluatur nisi pignore prolis. Proles autem non habetur nisi per coitum , in quo fit sexus commixtio : & ideo nuptiæ sunt bonum mortalium [illi vero] sancti & iusti[qui digni habentur sæculo illo]beatorū. *Psal.* 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium. *Tob.*3.Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Ierusalem. Quamuis enim omnes resurrecturi sint, tamen non loquitur Dominus nisi de resurrectione iustorum:quia illi soli habebunt spiritualia corpora. 1.*Cor.*15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Immutatio enim est ad formam corporis gloriosi. Et hoc est quod dicit [& resurrectione ex mortuis] Soli enim iusti omnino & simpliciter resurgent ex mortuis. Alij autem inter mortuos in æterna morte iacebunt in inferno. *Psal.*1. Non resurgēt impij in iudicio, neque peccatores in cōsilio iustorum[neque nubent]sicut fœminæ[neque ducent vxores] sicut viri. Et subiungit rationem.

Neque enim vltra morientur] cum contra mortem datæ sint nuptiæ. 1. *Cor.* 15. Nouissimè autem destruetur & ipsa inimica mors.Et *ibidem.* Absorpta est mors in victoria. *Apoc.* 21. Neque mors erit vltra,nec dolor , quæ prima abierunt. Corpora etiam ipsa non erunt plus animalia, sed spiritualia. 1.*Corinth.* 15. Seminatur corpus animale,surget corpus spirituale. Et talia corpora vt dicit *Aug.* membra quidem generationis habebunt , non quæ concupiscentiam moueant , sed quæ sapientiam ordinantis mundum ostendant. Vlterius addit,dicens.

Æquales enim erunt Angelis] In spiritualitatis lumine , in immortalitatis & impassibilitatis dote, in castitatis & munditiæ puritate. De primo dicitur *Matth.* 13. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. *Sap.*3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. De secundo dicitur *Apo.* 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum , hoc est , causam lachrymarum,quæ est in omni passibilitate. Ideo dicitur quod habebunt vitam æternam. *Ioan.* 10. Ego vitam æternam do eis : quia nihil nisi viuens erit in eis. *Isa.* 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt ; fugiet dolor & gemitus. De tertio dicitur 1. *Cor.* 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt , vt sit sancta & corpore & spiritu. Hoc enim est cælibatus.*Matth.*22. Neque nubēt, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælis. Ideo etiam virginitas cælibatus vocatur. In castitate enim natura vincitur adeo virtutibus, vt Angelis assimiletur : vt dicit Ciprianus.

Et filij sunt Dei]absque omni corruptione , in quibus apparet quid paternitas diuina effecit in ipsis. 1.*Ioan.*3. Filij Dei sumus:nondum apparuit quid erimus.Cum autem apparuerit quid,scilicet, erimus ex filiatione Dei, similes ei erimus , & videbimus eum sicuti est. Et in hoc sensu dicitur *Ioan.*1. Qui non ex sanguinibus,neque ex voluntate carnis,neque ex voluntate viri,sed ex Deo nati sunt:quia nihil ex corruptione carnis & sanguinis apparebit in ipsis. 1.*Cor.*15.Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:neque corruptela incorruptionem possidebit[cum filij sint resurrectionis] qui omnino & à morte surgunt , & à corruptione. 1.*Cor.*15. Canet enim tuba,& mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Quia vero resurgent mortui,& Moyses ostendit secus rubum , sicut dicit Dominum,Deum Abraham , & Deum Isaac,& Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum , sed viuorum : omnes enim viuunt ei.

Hic contra Sadducæos probat futuram esse resurrectionem:& habet duas partes.in quarum prima est veritatis probatio , quam etiam Scribæ commendant , contra quos adhuc nihil dictum fuit.Ideo in secunda parte ostenditur contra Scribas Messias in lege expectatus esse verus Deus:& ideo cauendum esse à falso Scribarum in lege intellectu. In primo horum sunt duo : resurrectionis probatio,& probationis commendatio. In probatione sunt tria : primo enim nolens sophisticè apparere, suum manifestum facit propositum : in secundo probationis ponit principium : in tertio argumentationis facit decursum. Dicit ergo.

Quia vere resurgent mortui] corporaliter [Moyses]qui præ aliis apud vos habet auctoritatem. Omnis enim Scriptura veteris testamenti legi Moysi innititur. *Num.*12. Si fuerit inter vos propheta, loquar ei per somnium , aut in ænigmatibus apparebo ei. At non talis seruus meus

Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, & non per ænigmata Deum videt. Ore ad os loquor ei, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Hic ergo [ostendit] propositionē tantæ auctoritatis [secus rubum] vbi non opinionem propriam secutus est, sed simplicem Dei reuelationem: vbi ipse Dominus apparuit, & de omnibus eidem reuelationem fecit. Et ideo etiam locus & tempus faciunt ad auctoritatis firmitatem [sicut dicit] ibi Deus ipse [Dominum, Deum] esse [Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob] Litera *Exod.* 3. sic iacet. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Qui tamen omnes corporaliter erant mortui: & non erant tunc nisi animæ in sinu Abrahæ, spe felici redemptionem expectantes: ergo animæ eorum viuebant. Hoc autem negabant Sadducæi, qui dicebant quidem Angelos esse, sed animas perire cum corpore. Si autem animæ sunt & distinctæ, & est anima Abrahæ vna, & anima Isaac alia, Iacob tertia: tunc oportet de necessitate quod sint animæ proprietatibus distinctæ. Hæ autem proprietates indiuiduantes non sunt nisi ex comparatione proportionis & connaturalitatis ad hoc corpus & illud: ergo illas connaturales habent proprietates animæ. Illæ autem proportiones aut perficientur per resurrectionem incorruptibilium corporum, aut non. Si perficientur: tunc necessario erit resurrectio eorundem corporum in forma incorruptionis. Et sic habetur propositum. Si autem non erit, tunc imperfectæ relinquuntur animæ: & procedit opus Dei à perfecto ad imperfectum: quia perfectior fuit anima secundum illas connaturalitates ad corpus in corpore, quam extra corpus. Et hoc est absurdum. *Deut.* 32. Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera. Hæc ratio tota fundatur super tres propositiones: quarum vna est, quod post mortem remaneat anima. Secunda, quod distincta in indiuiduo post mortem maneat anima. Tertia est, quod omnis motor naturalis proportionem naturalem habet ad id quod mouet, & non ad aliud. Et ideo aliud quod est similis speciei vel generis mouere non posset. Et ipse motor est imperfectus in natura, nisi hæc proportio ad actum reducatur.

Deus autem] Ponit argumentationis decursum dicens [Deus autem non est mortuorum] quia Deus est eorum qui fruuntur beatitudine ipsius, & illi non possunt esse in toto mortui, quia frui oportet secundum animam: & anima finaliter non potest imperfecta manere, quia omne quod finaliter imperfectum est, destruitur, & desinit esse [sed viuentium] modo secundum fruentem animam: & finaliter etiam victurorum secundum corpus. *Psalm.* 35. Apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. *Isa.* 26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos, & reuiuiscant. *Daniel.* 12. Multi ex his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum, vt videant semper. *Iob* 19. Credo enim quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Omnes enim] Tangit resurrectionis veram causam, dicens [Omnes enim] mortui [viuunt ei] hoc est, suæ potentiæ. *Ioan.* 5. Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat. 1. *Thes.* 4. Si enim credimus quod IESVS mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per IESVM adducet cum eo. 2. *Mach.* 8. Tu quidem scelestissime in præsenti nos perdis, sed Rex mundi Dominus iterum nos suscitabit: tibi autem resurrectio ad vitam non erit.

Respondētes autem quidam Scribarum dixerunt ei: Magister, benè dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare.

Commendatio est responsionis. Dicit autem Scribas respondisse: quia illi erant legisperiti, & credebant futuram esse resurrectionem, sed ad modum erroris Pharisæorum dicebant eam futuram. Et hoc est quod dicit [Respondentes autem quidam Scribarum] qui doctiores esse videbantur. [dixerunt ei] approbando responsionem Domini [Magister] qui perfectum legis intellectum attigisti. *Luc.* 21. Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij. [Bene dixisti] Nec hoc erat mirum: quia ad verbum Dei non nisi bene dicere poterat. *Ioan.* 7. Nunquam homo sic locutus est, vt iste homo loquitur [& amplius] ab illa die [non audebant eum] timentes confutari [quicquam interrogare] tentando. Et ideo extunc interficere cogitabant, quia videbant eum verbis inuincibilem. *Act.* 6. Non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur. Sic *Daniel.* 14. Os draconis oppilauit pice, & adipe, & pilis simul coctis. Pix enim significat fœtorem & tenacitatem infidelitatis Pharisæorum & Sadducæorum. Adeps autem significat auaritiæ eorum pinguedinem. Pili vero diuini intellectus & veritatis subtilitatem. Hæc tria zeli igne coxit simul Christus ostendens confutationem infidelitatis aliquando: aliquando autem pinguedinem auaritiæ sub hypocrisi latentem. Et interseruit subtilissimos pilos veritatis de mente sua & deitate, quasi de capite euaporantes, & os draconis virus euomentis oppilauit, & sic draconem destruxit. Et sicut Babylonici extunc nihil quæsierunt nisi Danielem interficere: ita Iudæi extunc nihil quærebant nisi Domini interfectionem.

Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse Dauid: & ipse Dauid dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius est?

Dixit autem ad illos] scilicet Scribas, volens confutare errorem eorum, ne populus in errore eorum remaneret. Est autem ista propositio contra Scribas, qui dicunt Messiam quem expectant in lege futurum esse purum hominem. Diuiditur autem ista pars in duas partes, in quarum prima ostendit errorem: & in secunda, cauendum docet esse ab intellectu eorum, qui non rectè Scripturam

ram intelligunt, & in doctrina non veritatem sed fastum quærunt. In prima harum partium sunt tria, sicut in præcedenti, in quorum primo, ne lateat, conclusionem intentam in quæstione ponit: in secundo, principium vnde firmatur propositum inducit: in tertio, facit rationis decursum. Dicit ergo

Quomodo dicunt] hoc est, quomodo dicere possunt Scribæ doctores legis [Christum] quem expectant venturum [filium Dauid esse] tantum. Et ideo non esse nisi hominem purum. Hoc enim omnes dicunt. Vnde *Matth.* 22. Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei omnes, Dauid. Quia in *Psal.* 131. dicitur: De fructo ventris tui ponam super sedem tuam [& ipse] scilicet, Dauid [dicit] in Spiritu sancto loquēs. *Matth.* 22. Quomodo Dauid in spiritu vocat eum Dominum. *Psal.* 84. Audiam quid in me loquatur Dominus Deus. 2. *Reg.* 23. Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius Psalmista Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam: Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel. Hæc est ergo certissima auctoritas [in libro] qui scriptus ad memoriam æternam tantæ veritatis. *Habac.* 2. Scribe visum. *Daniel.* 12. Clausi sunt libri, signatique sermones ad æternam rei memoriam [Psalmorum] quia tres sunt libri distinctiones, & vnaquæque distinctos multos continet Psalmos. Dicit autem [Psalmorum] hoc est, soliloquiorum, in quibus ipse solus cum Domino loquebatur, & Dominus cum eo. Hæc enim verba maioris sum auctoritatis quam alia. *Psalm.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, hoc est, Spiritus sancti [Dixit Dominus Domino meo] Aut enim Dauid hæc verba dicit, aut non. Si dixit (sicut verum est) tunc Dauid vocat Messiam Dominum suum: quia tunc sensus est [Dominus] creator [dixit Domino meo] Messiæ [Sede à dextris meis] Aut enim hoc dicit Messiæ qui est, aut ei qui non est. Si ei qui est: ergo Messias tunc fuit quando Dauid hoc dixit: sed tunc nondum natus fuit secundum carnem: ergo secundum humanitatem tunc non fuit. Oportet ergo quod tunc fuerit secundum deitatem: ergo Deus est, & non purus tantum homo. Si autem dixit ei qui non fuit: tunc omnino incongruè loquebatur cum dixit, Sede à dextris meis. Et præcipuè in eodem *Psalm.* 109. cum dixit. Tecum principium in die virtutis tuæ: ex vtero ante luciferum genui te. Ante luciferum enim non genuit purum hominem. Adhuc autem, Ex vtero suæ deitatis non potuit putum hominem producere. Adhuc, Nulla creatura pura à dextris in æqualitate Dei sedere poterit. Et Lucifer qui hoc præsumpsit *Isa.* 14. turpiter deiectus fuit. Si ergo Messias purus homo erit, vt dicitis, malè dicit: Sede à dextris meis. At si Dauid istum Psalmum non fecit, falsò Esdras titulum posuit. Titulus enim istius Psalmi non est alius nisi Psalmus Dauid. Adhuc autem, Si Messias non est nisi purus homo descendens à Dauid: tunc Dauid ipsa paternitatis auctoritate maior est Messia, & tunc non deberet eum vocare Dominum, *Matth.* 22. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?

Attende autem quod malitia Scribarum cum videret istam consecutionem ex dictis Psalmi necessario consequi contra eos, confinxerunt quod istum Psalmum non fecerit Dauid, sed Eliezer seruus Abrahæ ad honorem Domini sui: quando reuerso à cæde regum occurrit ei Melchisedech. *Genes.* 14. Sed hoc omnino confictum est, & sequentibus Psalmis non concordat, & maxime ei quod dicitur: Ex vtero ante luciferum genui te.

Donec ponam inimicos] Donec est inclusiuum: quia etiam postquam suppedanei facti fuot inimici, sedebit à dextris Dei. 1. *Corinth.* 15. Oportet illum regnare donec ponantur inimici eius mali homines, & dæmones, & præcipuè Iudæi scabellum pedum eius: ita quod sint in conculcationem sicut lutum platearum. *Malach.* 4. Calcabitis impios, cum fuerint quasi cinis sub planta pedum vestrorum. *Hebr.* 10. Sedet ad dexteram Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius sub pedibus eius. Pedes autem, veritas eius & potestas: qui duo pedes & portant eum & sustentant eum in Apostolis, & apostolicis viris, qui verbo veritatis & potestatis subiiciunt ei mundum. *Nahum* 1. Ecce super montes pedes euangelizantis & annuntiantis pacem. *Psalm.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. *Isa. vltim.* Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.

Dauid ergo] sicut patet in his quæ dicta sunt [illum] Christum expectatum [Dominum vocat] qui tamen summus regum fuit terrenorum, & dignissimus inter reges [& quomodo filius eius est] Vnde oportuit enim quod talis superpositionem habuerit super dignissimum regem. Secundum humanitatem solam sibi superponi non potuit: ergo oportuit quod secundum deitatem sibi superponatur.

Audiente autem omni populo, dixit Discipulis suis: Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuiis: qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem.

Hic cautos reddit Discipulos ab errore Scribarum, qui legem non spiritualiter intelligunt. Dicit autem tria: primo enim publicè docuit: & quia præcedens probatio publica fuit, secundò à quibus cauendum sit, distinguit: tertiò iudicium condemnationis eorum prædicit. Dicit igitur [Audiente omni populo] vt etiam populus ad fidem ædificaretur, & vt error propalatus non amplius deciperet simplices. *Marc. vltim.* Docete omnes gentes [dixit Discipulis suis] quos specialiter doctrina sua imbui voluit, & per quos alios voluit doceri. *Marc.* 4. Seorsum autem omnia disserebat Discipulis suis.

Attendite] duo dicit: à quibus attendendum, & quare. A quibus, quia à Scribis, qui corruptum in Scripturis habent intellectum, ne inuoluamini erroribus eorum. *Tit.* 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quoniam subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Attendite ergo

ergo à Scribis, qui non quærunt verum spiritus intellectum: quin potius cum spiritus sit clauis scientiæ, illum abstulerunt, dicentes legem esse carnaliter intelligendam. *Matth.* 23. & *Luc.* 11. Væ vobis Scribæ qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non intraris, & alios intrare non permittitis. Igitur attendite à Scribis, qui neglecta veritate

Volunt ambulare] Quinque dicit, quæ intendunt consequi ex doctrina: quorum primum, quod [volunt] ex doctrina sua [ambulare] inter homines [in stolis] ad literam suis, hoc est, camisias lineas longas portauerunt in signum munditiæ: quia vestimentis communibus sacros libros tractare non deberent. Has autem appetebant, non propter munditiam magisterij, quæ bona est, sed propter fastum, vt ab omnibus honorarentur. *Matth.* 23. Volunt vocari ab hominibus, Rabbi. *Iacob.* 3. Nolite plures magistri fieri fratres charissimi, scientes quia maius iudicium sumitis. Hæc est ergo causa quod de stolis (quæ dicuntur à græco stolon, quod latinè sonat longum) quia longas ferunt tales stolas. Fuerunt etiam ex hoc melius vestiti. Et hoc etiam intendit cum dicit, quod volunt ambulare in stolis. Et ab ista consuetudine, & à præcepto Domini processit, quod Clerici portant vestes sacras: quia semper sacra habent tractare. Et ideo dicitur *Exod.* 27. *Iudic.* 17. 1. *Reg* 2. quod inter vestes sacras erat Ephot lineum.

Et amant salutationes in foro] Hæ salutationes non vacuis manibus fieri consueuerunt: quia meliora quæque doctoribus dari consueuerunt: quia *Matth.* 23. Amant salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi. Ibi enim consuetum fuit, quod maiores salutabantur in signum reuerentiæ. Et hanc reuerentiam multum affectabant. *Ioan.* 5. Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo, est non quæritis?

Et primas cathedras in synagogis] Cathedra dicitur cathechizantium sedes. Et qui malè sederit in tali cathedra, vt dicit *Chrysost.* iniuriam facit cathedræ. Tamen quia cathedra fuit honor quidam docentium, propterea appetebant eam, hoc est, docendi auctoritatem. *Eccl.* 7. Noli ab homine quærere ducatum, neque à rege cathedram honoris: quia qui indignus accipit cathedram, sedit in cathedra pestilentiæ. *Psalm.* 1. In cathedra pestilentiæ non sedit.

Et primos concubitus in conuiuiis, in cœnis] hoc est, honoratiores recubitus. Et vocat concubitus: quia cum multis in cœnis recumbitur. *Luc.* 14. Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco. Illi autem econtra semper voluerunt recumbere in loco primo cum Lucifero, qui elegit sedem ponere super astra cæli *Isa.* 14.

Qui domos deuorant] hoc est, contenta in domo, hoc est, facultates [viduarum] Has enim sibi aduncabant, quia dare habebant. Et quia custodes non habebant, & ex sexu leuitatem consentiendi, & ex rememoratione pristinæ delectationis plenæ erant concupiscentiis. 2. *Timoth* 3. Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem penitus abnegantes: & hos deuita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis. *Chrysost.* autem dicit hic, quod dum Iudaicos Sacerdotes confundit, Christianos admonet [Simulantes longam orationem] quia reuera non diu orant, sed simulant se diu orare: vt occasione longæ orationis accipiant. *Chrysost.* Auaritiam vestram religionis decore depingitis, & diabolo Christi arma præstatis, vt ametur iniquitas, dum hypocrisis pietas esse æstimatur. *Marc.* 12. Deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis *Osee* 4. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem sublevabunt animas suas. Nostri vero temporis Sacerdotes aliud peius faciunt: quia nullam penitus prætendunt pietatem, vel orationem: & tamen deuorant domos omnium, ius suum esse dicentes hoc & illud; sed non esse ius vt aliud vel Deo rependant, vel hominibus. *Mich.* 3. Audite principes Iacob & duces domus Israël, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum.

Hi accipiunt] Hic tangit talium hypocritarum iustam condemnationem. Et hoc est quod dicit [hi] hypocritæ [accipiunt] à Deo iusto iudice. *Psalm.* 74. Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo [damnationem] æternam maiorem in acerbioribus & pluribus pœnis. Quia sicut dicitur *Luc.* 11. & *Matth.* 12. Immundus spiritus qui exit à simplici peccatore ad hypocritam reuertitur cum septem aliis nequioribus se & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Et hæc est vna causa quare damnationem sumunt ampliorem. Secunda causa est: quia arma Dei conuertunt contra Deum. Oratione enim & doctrina, quibus diabolum impugnare debebant, Deum impugnant. *Isa.* 3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Tertia causa est: quia cum sint Doctores deberent ostendere bonis exemplis hoc quod docent. Sicut *Act.* 1. dicitur. Cœpit IESVS facere & docere. *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Quarta causa est: quia spiritualia gratis deberent exhibere: & hæc ipsis vendunt. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Sic ergo vt dicit *Ambros. hic in gloss.* Dominus in fine testamenti sui conclusit fidem in auctoritate Dauid, qua contra Scribas est vsus, suam per eam probans deitatem. Testamentum autem Christi vocat doctrinam Euangelicam, in qua nobis hæreditatem æternam ordinauit, cui hic finem dedit: quia de doctrina quasi nihil addit. Quod enim sequitur, historia Passionis est, & prædictio futuræ Ierusalem desolationis & mundi. Hoc igitur est quod intendit *Ambrosius*.

* *
*

CAPVT

CAPVT XXI.

Respiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites. Vidit autem quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: Hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

HIc incipit pars, quæ est de reproborum destructione & abiectione. Diuiditur autem in partes duas, in quarum prima ostenditur reprobatio condemnationis diuitum, in comparatione ad oblationem pauperculæ viduæ: in secunda inducitur destructio futura reproborum, tam in Ierusalem, quam in mundo. In prima harum dicit tria. Tangit enim primo ad viduam beneuolum respectum: in secunda oblationis tangit quantitatem: in tertia autem eiusdem oblationis commendationem. De primo dicit. Diximus quod confutatis omnibus Pharisæis, Sadducæis, & Scribis [Respiciens] oculo approbationis [vidit] grata pietate [eos qui] in Pascha, quando sicut dicitur *Exod.* 23. Non debebant apparere in conspectu Domini vacui [mittebant munera sua] hoc est, votiuas oblationes. 1. *Paral. vltim.* Populum qui repertus est vidi cum ingenti gaudio tibi offerre munera: Domine Deus Israel custodi hanc voluntatem. *Isa.* 60. Offerentur super placabili altari meo: & domum maiestatis meæ honorificabo. *Psalm.* 28. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius [in gazophylacium] Gazæ, sonant diuitiæ, & phylaxe seruare. Et inde gazophylacium area dicebatur, in qua reseruabantur diuitiæ donorum illorum qui offerebant. Est autem triplex tale reseruatorium in templo. Vnum quidē erat in quo reseruabatur oblationes principum sabbati, quæ in sabbato magno per tria tempora anni offerebantur: & hoc vocabatur Musach sabbati: sicut dicitur 4. *Reg.* 16. Et interpretatur Musach attrectatio fratris: quia princeps frater erat principis Sacerdotum, & in ipso donum eius attrectabatur ad pondus. Secundum autem repositorium erat arca, in qua reponebantur oblationes Sacerdotum: & hoc vocabatur Corban, vel Corbonan, quod donum eius sonat: quia in eo donatia mundissima reponebantur, quæ aliis donatiis propter munditiam misceri non debebant. *Matth.* 27. Non licet eos mittere in Corbonan, quia pretium sanguinis est. Ac si dicant. Pretium sanguinis est immundum. Et licet denarij, qui dati sunt proditori, fuerint de donariis Sacerdotum, tamen non licet reponere ad sanctas oblationes: quia iam immundi facti sunt ex proditione sanguinis. Tertium erat reseruatorium oblationum populi in atrio ante templum, ad quem locum potuit accedere populus. Erat tamen porticus quædam circa hoc reseruatorium ædificata, quæ non offerente populo claudebatur propter securitatem. Et iuxta illam porticum, & in ea stabant Sacerdotes admonentes populum vt offerrent. Et hæc porticus aliquando per metonymiam etiam Gazophylacium appellatur. *Ioan.* 8. Hæc locutus est IESVS iuxta Gazophylacium docens in templo.

Diuites] quorum quilibet obtulit, non sicut potuit, sed sicut voluit. Et de hac oblatione ad literam dicitur *Isa.* 60. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Aliquando tamen omnia reseruatoria Leuitarum Gazophylacia dicuntur. Et maximè in visione Ezechielis vltima. *Ezech.* 42. vbi dicitur, quod iuxta templum in superiori parte domus erāt Gazophylacia. In reditu autem de captiuitate Babylonica, cum omnia hæc destructa fuerunt, tunc Gazophylacia vocabant locum, in quo decimæ quæ Sacerdotibus dabantur, reponebantur. Significant autem Gazophylacia in Ecclesia manus pauperum, quæ in cælestes thesauros oblationes Ecclesiæ reportare deberent. *Prou. vltimo.* Manus suas aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem

Vidit autem] respectu dilectionis. *Sap.* 3. Respectus eius in electos ipsius [& quandā viduam] Præ paupertate nomen non habētem, & inter alias non nominatam: quia in terris non celebrauit nomen suum. Non enim erat de illis de quibus dicitur *Psalm.* 48. Vocauerunt nomina sua in terris suis [viduam] inquam, à solatio viri iduam, hoc est, diuisam. 1. *Timoth.* 5. Quæ autem vere vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus die ac nocte [pauperculam] humilem in paupertate sua. *Isa.* 54. Paupercula, tempestate conuulsa, & absque vlla consolatione. *Isa.* 66. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? [mittentem] hoc est, offerentem: quia Gazophylacium superius foramen habuit, per quod oblata in profundum sui mittebantur [æra duo minuta] Potest esse minuta substantiuum. Et tunc hoc quod dicitur æra, resoluendum est in adiectiuum, quod denominationem faciat materiæ minutorum: vt duo æra minuta dicantur duo ærea minuta. Potest etiam æra esse substantiuum, & minuta esse adiectiuum. Et tunc sunt duo parua æra. Sed primus sensus magis est in vsu numismatis, in quo fuerunt denarij, & numi, & oboli, & minuta propter paruarum rerum faciliorem commutationem. Æra autem propriè vocantur denarij, vel numi, vel oboli cuprei: quia æs est cuprum. Et in hoc significatur quod ista vidua valde paruam fecit oblationem, sed ex magno affectu fecit eam. *Tob.* 4. Noli timere fili mi, quoniam pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si Deum timuerimus

Et dixit] oblationem viduæ commendando [Verè dico vobis] hoc est, in veritate quæ sum,

&

& quam in cordis deuotione huius viduæ conspicio. *Isa.* 38. Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim [vidua hæc pauper] rebus [plusquam omnes misit] Hic duplex est sensus, ex eo quod hoc quod dico, plus, potest esse nomen: & sic non loquitur id dictum nisi ex affectu pensetur: vel ex facultate, quia maiori affectu misit, & secundum suas facultates, plus fecit. Vel potest esse aduerbium, & stare iuxta suum verbum [misit] vt sit sensus [plus misit] hoc est, in mittendo ipsa plus omnibus fuit. Et hoc modo loquitur Christus: quia quamuis alij plus donauerint, tamen ipsa plus in mittendo fuit. 2. *Cor.* 8. Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. 1. *Paral. vltimo.* Scio Domine, quod probas corda & simplicitatem diligas. Vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa Sic *Matth.* 19. dicit se reliquisse omnia: quia ex affectu, quo paratus esset omnia relinquendi, dimisit. *Hiero. in proœmio Galeato.* Vidua pauper duo æra minuta in munera Dei obtulit, & præfertur Cresi diuitiis

Nam] non est causale, sed ostensiuum. Q. d. Huius signum est quod [omnes hi] qui accesserunt [ex abundanti sibi] hoc est, quod sibi exuberabat in copia [miserunt] oblationes [in munera Dei] ad fabricam templi, & ritus sacrificiorum, & expensas ministrorum. 1. *Paral. vltimo.* Populum, qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre munera. *Luc* 11. Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum impertiri stude.

Hæc autem ex eo quod deest illi] hoc est, ex eo quod si retinuisset, adhuc necessitati suæ multum deesset [omnem victum suum] ex quo vita sua pendebat [quem habuit, misit] *Eccli.* 6. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo munera mea suscipiet. Vnde *Hiero* Non quantum, sed ex quanto offeras, respicit Deus. Istud est valde contra illos, qui dicunt quod peccant qui omnia relinquunt, & postea mendicant: quia expresse laudatur vidua quod totum victum misit, quæ pro certo totum victum non dicta esset mittere: sed aliunde victum nisi ex mendicatione posset habere. Simile est de vidua Sareptana 3. *Reg.* 17. quæ non habuit nisi pugillum farinulæ pro se & filio: & ex ipsa farinula Eliæ prius quam sibi & filio præparauit cibum Eliæ.

Duo autem minuta quæ vidua obtulit, moraliter significant verbum dulce, & quantumcumque facultatum dant, quod proximo pauperi est offerendum, & Deo erit acceptum sacrificium. *Eccli.* 18. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quam datum. *Eccli.* 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine. Debitum autem est donum misericordiæ & compassionis.

Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

Hic incipit prædicere reproborum desolationem, & diuiditur in partes duas, in quarum prima facit quod dictum est: in secunda autem ostendit, quam instans fuit de die ad doctrinam in templo, & de nocte ad orationem. Et hoc facit in vltimo huius capituli paragrapho. Anterior autẽ harum partium quatuor habet partes, in quarum prima ostendit futuram templi & Iudææ destructionem futuram per Romanos. In secunda dicit, quod ante hoc erit persecutio magna Iudæorum in Discipulos, vt ad gentes transire cogantur. Tertio autem prædicit futuram mundi vltimam desolationem, dicens, quod tunc erunt signa in sole & luna, sicut inferius patebit. In quarta autem & vltima monet attentos & solicitos debere esse fideles, vt non improuisi à die illa præoccupentur. In prima harum facit quinque, in quorum primo, à quibusdam decor & ædificium templi ostenditur, vt per hoc aliquid dicendi de futuris excitetur: in secundo, futura destructio templi prædicitur: in tertio, signa demonstrantia, scilicet, tempus quando hæc fiant, à Christo petuntur: in quarto instantia seductorum multorum dicentium se esse Christos, pro vno signo datur, & à seductione illorum caueri præcipitur: in quinto autem vera signa destructionis præmonstrantur. In primo autem dicit.

Et quibusdam] de discipulis suis non tentantibus [dicentibus de templo] quod post ruinam Babylonicæ captiuitatis sub Esdra & Nehemia ædificatum est, prophetantibus Aggæo & Zacharia Prophetis [quod bonis lapidibus] hoc est, firmis & politis. *Marc.* 13. Magister, aspice quales lapides & quales structuræ [& donis] ad ornatum templi, & ad facultates ministrorũ pertinentibus [ornatum esset] quia hoc est ad decorem domus pertinens. *Agg.* 2. Meum est aurum, & meũ est argentũ. Magna erit gloria domus huius nouissimæ plusquam primæ. 2. *Mach.* 3. Igitur cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace: leges etiam adhuc optime custodirentur propter Oniæ pontificis dispositionem, & animos odio habentes mala: fiebat, vt ipsi reges locum summo honore dignum ducerent, templum etiam maximis muneribus illustrarent. Et hoc est quod dicit *Psal.* 25. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Sic etiam Ecclesiæ templa ornata. Sed cum cessat ornatus sanctitatis in personis, parum valet ornatus parietum. *Ephes.* 2. Vos ipsi tanquam lapides viui superædificamini

Dixit] Dominus IESVS. Et est secundum in quo templi prædicit futuram destructionem. eo quod in parietibus mortuis & non in personis, tãquam in lapidibus viuis esset ornatum [Hæc quæ videtis] temporales structuras. 2. *Cor.* 4 Quæ videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna [venient dies] clari iudicij Dei, qui modo sunt absconditi ab oculis istius Ierusalem. *Luc.* 19. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Sed sicut dicitur 1. *Cor.* 4 Veniet Dominus iudicans, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc cognoscetur Dominus iudicia faciens, quando in operibus manuum suarum comprehensus erit peccator; sicut dicitur *Psal.* 9. [quibus non relinquetur

tur lapis super lapidem] *Psal.* 136. Dixerunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea [qui non destruatur] quia etiam lapides comminuerunt Romani. *Mich.* 3. Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem in aceruum lapidum erit. *Isa.* 64. Ecce Domine, respice Sion: deserta facta est Ierusalem, desolata est domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ: vbi te laudauerunt patres nostri facta est in exustionem ignis. Hoc spiritualiter magis impletum est in Ecclesiis, in quibus in lapidibus viuis nihil remansit nisi ignis infernalis, exustio in carnis concupiscentia. *Deuter.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram, hoc est, terrenum hebentes affectum, cum germine suo, hoc est, cum nepotibus quos in Ecclesias introducunt. Et montium, hoc est, Prælatorum, Cardinalium, & Episcoporum, fundamenta combureret: quia fundamentum eorum materia ignis, scilicet, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ 1. *Ioan.* 2. Hoc enim fundamentum, pice tenacis concupiscentiæ, & sulphuris fœtentis per immundum libidinis coosectum, coram igne iofetni stare non poterit.

Interrogauerunt autem illum, dicentes: Præceptor quando hæc erunt, & quod signum cùm fieri incipient?

Interrogauerunt autem illum] secundum alium Euangelistam *Marc.* 13. Petrus, & Andreas, & Iacobus, & Ioannes [dicentes] Et hoc est tertium, in quo huius destructionis petitur tempus, & signum [Præceptor quando hæc erunt] Et ad hoc non respondet Dominus. Et ratio redditur *Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Inconueniens sequeretur si hoc sciretur: quia cum tales comminationes sint de prophetia præscientiæ, quæ fundantur in causis inferioribus: si illi quibus fit comminatio pœnitentiam agerent, commutaretur etiam comminatio, & non induceretur malum: & sic error generaretur contra prophetiam tanquam esset falsa: sicut accidit Ionæ qui prædixit tempus subuersionis Niniue. Quod autem mutetur comminatio per pœnitentiam, expressè dicitur *Ierem.* 18. Repente loquar aduersus Gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & disperdam, & destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, propter quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam de verbo quod locutus sum. Alia etiam causa est: quia quando sumus incerti de hora, certi tamen de iudicio quod timemus, contendimus omni tempore esse parati, & ideo de tempore non respondet [& quod signum] erit iudicij tui de pessima natione [cum] hæc iudicia tua [fieri incipient] Et ad hoc respondet Dominus, dando multa signa. *Matth.* 24. Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum erit aduentus tui ad iudicium istud perficiendum? *Ioel.* 2. Dabo prodigia in cælo sursum, & in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Apostoli enim adhuc consuetudinem Iudaicam non deposuerunt. Dicit enim *Apostolus* 1. *Corinth.* 1. quod Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. *Ioan.* 2. Quod signum ostendis nobis vt videamus, & credamus tibi? Talia autem signa petentes vocant eum præceptorem, dicentes [præceptor] quia iam cognouerunt quod verbum in potestate habuit, & quod ad præceptum eius fieret quicquid vellet. *Psalm.* 32. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sic enim viderant quod elementis præcepit, & obediuerunt. *Matth.* 8. Domine salua nos, perimus *Marc.* 4. Magister non ad te pertinet quia perimus. Et surgens, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Ideo ergo eum & nunc vocant præceptorem.

Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: & tempus appropinquauit: nolite ergo ire post eos.

Christi ponitur hic responsio, & habet tres partes, in quarum prima præmunit Discipulos contra Pseudochristorum seductionē, qui tunc in Iudæa apparebunt: secundo autem contra terrores præliorum quæ surgent contra Iudæam illo tempore, ne forte territi recedant ab instantia prædicationis: tertio autem dat signa futuræ destructionis. In primo horum tria dicit, quorum primum est cautela contra seductores, secundum autem est cauendi necessitas, tertium prohibitio Discipulorum à seductoribus. De primo dicit [Videte ne seducamini] Seductor enim est quasi seorsum à veritatis via ductor. *Marc.* 13. Videte ne quis vos seducat vllo modo. 2. *Thessalon.* 2. Ne quis seducat. Tangit autem causam huius cautelæ, dicens.

Multi enim venient in nomine meo] hoc est, se Christos & Messias dicentes: sicut Iudas Galilæus, & Theodas. Et sicut refert Iosephus, Simon magus qui de secta fuit Essæorum, natus de campis Iezrahel, prædicabat se esse Christum, & multos seduxit. *Act.* 8. Vir quidam nomine Simon magus, dicens se aliquem magnum, cui auscultabant omnes à minimo vsque ad maximum, dicentes: Hæc est virtus quæ vocatur magna. Et ille dixit se esse Christum, & in proximo Iudæam liberaturum, vt refert *Iosephus*. Dicit etiam *Egesippus*, quod cum filij Herodis essent Romæ, & litigarent de regno, quod quatuor surrexerunt in Iudæa simul, quorum vnusquisque prædicabat se esse Christum. Simon tamen magus maior fuit inter omnes. Et ideo etiam in catalogo hæresum simoniaca hæresis prima ponitur ab *Augustino*. Et hoc est quod dicit [dicentes quia ego sum] supple Christus. *Sapient.* 4. Multigena ipsorum multitudo non erit vtilis. 1. *Ioan.* 4. Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Hoc significatum est in *Psalm.* 103. vbi dicitur: Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Quando enim tenebræ tribulationum, & sit nox ignorantiæ: tunc statim multiplicatur incursus bestiarum fidem vastantium Pseudoprophetarum, 2. *Petr.* 2. Fuerunt vero & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui sectas introducent perditionis, & eum qui emit eos, Deum negant: superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Vnde *Chrysost.* dicit, quod sicut homo circa mortem turbato iam spiritu videt phantasias: ità Iudæa circa finem suum

Pseudochristi concusserunt. Vitæ autem virtutem Pharisæi & Scribæ mouerunt, & mali homines. Conscientiæ puritatem maculauit peccatum. Et ideo terra confracta est in pacis fœdere, contrita & in minima redacta in terrenorum cupiditate, mota est in seditionis inquietudine, agitata autem in bellorum multiplicitate.

Et pestilentiæ] secundum signum quod est ab aëre. Aëre enim corrupto cadit ros corruptus, & guttæ pluuiarum corrupiæ super terræ nascentia, & faciunt ea venenosa, & pestem siue mortalitatem inducentia. Vnde pestilentia, vt dicit *Isidorus*, dicitur quasi pastulentia: quia pestis illa à pastu venenatorum causatur. *Ezech.5.* Pestilentia & sanguis pertransibunt per te. *Ierem.21.* Percutiam habitatores huius ciuitatis scilicet Ierusalem, homines & bestiæ pestilentia magna morientur. De vtroque istorum simul dicitur *Apoc.8.* Accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram: & facta sunt tonitrua, voces, & terræmotus magnus. Angelus autem est Christus Dominus, qui thuribulum cordis sui impleuit igne furoris Domini in Iudæos, & effudit in terram Iudæam. Et facta sunt tonitrua & coruscationes, quæ naturaliter ex vapore ignito venenoso & corrumpunt aërem, & pastum qui de terra nascitur: & commouendo vapores subterraneos faciunt terræmotum. Hæc autem plaga spiritualiter ab eis procuratur, qui mala dant exempla. Pastu enim illorum alij corrumpuntur.

Et fames] Ecce tertium præcedens desolationem signum. Primo pestilentia corrumpit fructus natiuitatis, & deinde exiccat eos, & tunc fit fames. *Ezech.5.* Mittam in eos famem & bestias pessimas vsque ad internecionem. Hoc autem Dominus præcedere voluit, vt obsessi non haberent victualia, quibus sustentari ciuitatem diu possent defendere. Vnde narrat Egesippus tantam tunc fuisse famem in Ierusalem, quod vno masticante bolum, alius præfocabat ei guttur, ne masticatum transglutiret; sed arripiens de ore illius ipse comederet: & quod duæ matronæ nobiles condixerunt inter se, quod filios suos successiuè comederent: & vno comesto altera cum fletu vocauit filium, dicens: Veni infelicis matris infelicior nate, veni ad manus non matris sed mactatricis & deuoratricis viscerum suorum. *Thren.4.* Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt eis in cibum in contritione filij populi mei. Hanc pestem procurant spiritualiter mali prælati & illiterati, subtrahentes populo pabula verbi Dei. *Amos 8.* Mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

Terroresque de cælo] in nouis apparitionibus de cælo venientibus. *2.Machab.5.* Contigit per vniuersam Ierosolymorum ciuitatem, per dies quadraginta videri per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes & hastas, & quasi cohortes armatas, & cursus equorum per ordinem digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. Vnde narrat *Iosephus* quod imminente captiuitate stella (quæ vocatur cometes) similis gladio pependit super Ierusalem, & currus & equites armati pugnantes in aëre, & vitula sacrificij inter manus immolantium peperit agnum. Spiritualiter autem hæc fiunt in Ecclesia, quando de Prælatis quasi de sublimi cælo non audiuntur nisi terribilia, & austera, & comminationes. Ratio autem horum est mirabilium: quia vniuersitatis creatorem occiderunt, nec pœnitere voluerunt: ideo omnia contra eos pugnauerunt. *Sap.5.* Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. *Sap.16.* Vindex est orbis iustorum.

Et signa magna erunt] Hic subiungit generaliter post quatuor indocta de terra, & aere, & de cælo. Signa autem dicuntur iram Dei significantia. *Amos 5.* Dies Domini ista, tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. *Isa.24.* Terra interfecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, transgressi sunt fœdus sempiternum.

Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium.

Secundum est in quo dicit, quid passuri sunt ab eis Discipuli, cum instanter prædicant. Dicit autem hic tria, in quorum primo Discipulorum ostendit passiones per patientiam sustinendas: in secundo prædicit, quod propter hæc & alia circundari videbunt ciuitatem ab exercitu Romanorum: in tertio autem districtionem obsidionis exaggerat. In primo horum adhuc sunt tria, in quorum primo persecutionem Discipulorum futuram ostendit: in secundo autem consolatur quod licet viribus corporis sint inferiores: quod tamen sapientia, & verbi efficacia multo erunt illis fortiores: in tertio autem consolatur, quia nihil de corpore eorum peribit si patientes fuerint. In primo autem tria dicit: manuum violentam iniectionem, de loco ad locum persecutionem, & retributionis æternæ & virtutis & veritatis testificationem. De primo dicit.

Sed ante hæc omnia] cum prædicatis eis sub periculo vitæ vestræ, antequam veniat desolatio, & omnia illa quæ dicta sunt: vt inducatis eos ad pœnitentiam, vt deleantur eis peccata, & sic ira Dei auertatur ab eis. *Act.3.* Pœnitemini igitur vt deleantur vobis peccata. Cum ergo sic datis operam saluti eorum: illi econtra [iniicient vobis manus] sacrilegas & violentas. *Thren.1.* Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius *Act.21.* Iniecerunt Paulo manus, clamãtes, Viri Israelitæ adiuuate. Hic est homo qui aduersus populum, & legem, & locum, omnes vbique docet. Insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit locum sanctum istum [& persequentur] hoc est secundum de persecutione. Et dicit duo: persecutionem, & traditionem ad iudicium publicum. Et de persecutione *Matth.5.* Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *1.Petr.3.* Siquid patimini propter iustitiam, beati. De traditione autem dicit quatuor, scilicet, quod tradunt & trahunt ad audiendum in consilio, & ad custodien-

hominis domestici illius. Tales enim amici sunt, de quibus dicitur *Eccls.6.* Est amicus socius mensæ, & non permanet in tempore tentationis. Tales enim sunt amici huius mundi, de quibus dicitur *Iacob.4.* Quicunque voluerit esse amicus huius mūdi inimicus Dei cōstituitur [& morte afficiēt ex vobis] quosdā sicut Iacobū maiorem, & Iacobum minorē, & Stephanū, & quosdam alios quos interfecerunt Iudæi. *Matth.10.* Nolite timere eos qui occidunt corpus: animā autē non possunt occidere. Consolatur autem eos de resurrectione, dicens

Et capillus de capite vestro]ad decorem & honestatem naturæ pertinens[non peribit] *Luc.* 12. Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Supra autem expositum est hoc ipsum. Si autem non perit capillus, qui minima pars est animati corporis, nullo modo alia membra possunt perire. *2.Machab.7.* Postulatus linguam cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cælo ista possideo, & propter Dei leges hæc ipsa despicio: quoniam me ab eo hæc eadem iterum recepturum spero.

In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Hic tangit quod omnia ista patientia vincuntur. Et hoc est quod dicit [In patientia] quæ est æquanimis tolerantia aduersorum, vt dicit *Tullius* [possidebitis] hoc est, ad nutum habebitis, sicut homo suam possessionem[animas vestras]hoc est, animalitates vestras. Et intendit dicere, quod quamuis animalitas tolerantiæ aduersorum teluctetur: tamen regimine rationis possidenda & reducenda est, vt propter aduersa non cedat; sed Deum etiam vitæ temporali præponat. *Act.20.* Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo perficiam cursum meum, & ministerium verbi mei quod accepi à Domino. *Iacob.1.* Patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes. Dicit autem hic *Greg.* quod patientia est radix & custos omniū virtutum. Quod alibi dicitur de humilitate: & alibi dicitur de charitate, quod radix est virtutū. Et omnia hæc dicit idem *Sanctus Gregorius.* Est autem patientia radix, quantum ad illam radicis proprietatem, quod est arborem firmare contra impulsus exteriores. Humilitas autem custos est, quantum ad occultationem ab insidiantibus. Sed charitas, quantum ad succi & nutrimenti ministrationem, est radix. *Prou.14.* Qui patiens est, multa gubernatur sapientia. *Prou.19.* Doctrina viri per patientiam agnoscitur. Hic enim possidet ad nutum animam. *Prou.15.* Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis. *Prou.16.* Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore vrbium. Sapientia enim in verbis, & patientia in verberibus omnia vincunt. Quæ duæ alæ datæ sunt mulieri *Apoc.12.* quæ Ecclesiam significat, quibus volat in desertum vt defendatur à dracone diabolo, qui eam persequitur.

Cum autem videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius.

Hic exaggerat obsidionem, & dicit duo, scilicet obsidionem, & obsidionis districtionem. De obsidione dicit [cum autem videritis]oculis corporeis: quia vsque ad illa tempora multi Discipulorum & Apostolorum vixerunt [circumdati] in circuitu [ab exercitu] per totum [Ierusalem] per Romanos. *Luc.19.* Circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique[tunc scitote] ex veritate. *Ioan.14.* Prædixi vobis priusquam fiat, vt dum factum fuerit, credatis [quia appropinquauit desolatio]quia tantum debilitauit eam iniquitas, quod resistere non poterunt. Neque Deus liberabit eos, sicut liberauit ab obsidione Sennacherib *Isa.37.* Vnde *Iosephus* dicit, quod in obsidione Romanorum nullum responsum ab aliquo Prophetarum habere potuerunt, quod nunquam antea accidit: quia Dominum omnium Prophetarum offenderunt & occiderunt.

Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt.

Hic exaggerat istius obsidionis districtionem, & dicit duo. Primo enim exaggerat in his qui fugere possunt, & secundo in his qui non possunt effugere. In primo horum duo facit. Primo enim persuadet, quod sine alia occupatione fugiant, qui fugere possunt: & secundo dicit causam. Dicit igitur tribus generibus hominum, quod sine qualibet alia occupatione fugiant, dicens[Tunc] obsidione perfecta[qui in Iudæa sunt]hoc est, in regno Iudææ, non in ciuitate Ierusalem [fugiant ad montes] hoc est, ad syluestria & campestria, & non ad munitiones, quia defendi non poterunt. *Habac.1.* Ipse super omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem, & capiet eam [& qui in medio eius]hoc est, Iudææ sunt per habitationem[discedant]quia sicut extranea, ita nec media poterunt resistere. *Num.16.* Discedite à tabernaculis hominum impiorum, ne forte & vos terra viuos absorbeat. *Apoc.18.* Exite ab ea populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Qui ergo in medio habitat, vbi regna magis consueuerunt esse pacifica, non descendat in eam: ne ipse descensus ei fugæ velocis impedimentū fiat, sed relictis omnibus cito discedat [& qui in regionibus] sunt dispersi [non intrent in eam] reuertentes in Iudæam, vt aliquid de suo ibi tollant. *Matth.24.* Tunc qui in tecto est, non descendat tollere aliquid in domum suam. Et qui in agro, non reuertatur domum tollere tunicam suā. Fuga enim erit adeo impedita quod modicum impedimentum præoccupabit hominem. *Amos 2.* Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit Dominus. Vnde in *Historia Ecclesiastica* legitur, quod Christiani ante captiuitatem Romanam admoniti per Angelum de Iudæa fugerunt: & in ciuitate, quæ vocatur Pola trans Iordanem, habitauerunt donec præteriit captiuitas. Huius autem tantæ districtionis reddit causam, dicens.

Quia dies vltionis'] sanguinis Christi & Prophetarum & Discipulorum Dei,& ingratitudinis Iudææ: quia tempus suæ visitationis non cognouit [hi sunt] sicut ipse Christus cum planctu *Luc.*19. prænuntiauit. *Isa.*34. Inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium:quia dies vltionis Domini,annus retributionis iudicij Sion. *Psalm.*78.Vltio sanguinis seruorum tuorum introeat in conspectu tuo.*Isa.*63. Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. *Abd.* Sicut fecisti fiet tibi: retributionem tuam conuertam in caput tuum [vt impleantur omnia quæ]inde[scripta sunt]quæ Deus vltionum Dominus ore Christi & Prophetarum & Apostolorum prædixit. *Matth.*5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Sic igitur in bis qui fugere possunt exaggerauit captiuitatem, & obsidionis districtionem.

Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

Hic exaggerat istam districtionem in his qui fugere non possunt. Dicit autem duo, scilicet, quod væ erit non potentibus fugere, & subiungit causam.De primo dicit duo,scilicet[Væ prægnantibus] Per prægnantes intelligit omnes qui impedimenta fugæ conceperunt in seipsis. Illi enim quasi prægnantes sunt. 4.*Reg.*15. Percussit Manahen Thersam, & omnes qui erant in ea. Noluerunt enim aperire ei, & interfecit omnes prægnantes eius. Manahen interpretatur consolans, & significat Christum consolantem suos interfectos. Thersa autem pulchra interpretatur, & significat Iudæam pulchram per Romanos à Christo percussam, quia ei noluerunt aperire. *Ioan.*1. In propria venit, & sui eum non receperunt. *Amos* 1.Dissecuit omnes prægnantes eius. *Isa.*37. Dies tribulationis & angustiæ dies hæc.Venerunt filij vsque ad partum, & non est virtus pariendi [& nutrientibus]Per nutrientes intelliguntur omnes, qui impedimentum fugæ habent in sibi coniunctis, & sibi adhærentibus: quia illi in se,& in charis suis punientur.*Toren.*2.Effusum est in terra iecur meum super contritionem filiæ populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.Matribus suis dixerunt: Vbi est triticum & vinum cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum? 2.*Machab* 6.Delatæ sunt duæ mulieres natos suos circumcidisse:quas ad vbera suspensis infantibus, cum publice circumduxissent, per muros præcipitauerunt. Væ ergo prægnantibus & nutrientibus [in illis diebus] angustiæ & tribulationis: quia illi dies luce iustitiæ suæ oculos aperient, quos culpa clausit, quando Filium Dei recognoscere noluerunt. *Ioan.*1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum.

Hic subiungit causam primo in communi, postea in speciali. In communi quidem primo ostendit illius tribulationis effectum,dicens [Erit enim pressura magna] hoc est, tribulatio opprimens, ita quod nullum patebit effugium: quia pressit eos Deus mole iudicij sui propter multas suas iniquitates. Vnde Iob talem tribulationem abhorrens in spiritu, dixit 23. Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat. 2.*Corinth.*1.Supra modum grauati sumus,& supra virtutẽ: ita vt etiam tæderet nos viuere:& ipsi responsum mortis in nobis habuimus[super terram]Iudæam. *Ioan.*16.In mundo pressuram habebitis: in me autem pacem[& ira] quæ est causa pressuræ [ira] Dei[populo huic]Iudæorum. *Isa.*28.Irascetur Dominus vt faciat opus suum. *Isa.*30. Ardens furor eius,& grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.Quia veritas verborum Domini ad ista mala Iudæam perduxit.

Et cadent in ore gladij] Tres modos speciales hic inducit, & quarto subiungit mali istius durationem.Primum autem inter tria est,quod illi qui defendere terram deberent, cadent in ore gladij victi & confusi & occisi. *Toren.*1.Facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*Iob* 19.Fugite à facie gladij:quoniam vltor iniquitatum gladius est. *Deuter.*32. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. *Ibidem.* Gladius meus deuorabit carnes,& de cruore occisorum,& de captiuitate nudati inimicorum capitis. *Ibidem.* Sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.In tantum autẽ, vt narrat *Egesippus*, deuorauit eos gladius,quod cum fama surrexisset inter Romanos milites (qui semper aurum sitierunt)quod Iudæi transglutiuissent aurum, quod seruauerant in abscondito:quilibet Romanorum quemcunque inuenisset Iudæum, iuuenem vel senem, virum vel mulierem, statim gladio scidit per medium ventris,& in stomacho suo quærebat aurum. Impletum enim erat in eis quod dixit *Iob* 20. Diuitias quas deuorauit euomet: de ventre suo extrahet eas Deus.

Et captiui ducentur in omnes gentes] dispersi illi qui remanserint à gladio. Vendita sunt enim Iudaica mancipia,& 30.mancipia vno denario distracta,in vltionem eius quod Dominus ab eis 30. argenteis emptus fuit. *Thren. vltim.* Ceruicibus minabamur,lassis non dabatur requies. *Isa.*51.Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini,increpatione Dei tui. *Ezech.*5.Dispergam in omnem ventum, & gladium nudabo post eos:quia nec in captiuitate parcitur eis.

Et Ierusalem calcabitur à Gentibus] hoc est, templum quod simoniis prophanauerunt & polluerunt:& ideo Gentibus est traditum conculcandum. *Psalm.*78. Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam polluerũt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. *Thren.*1. Vidit Gentes ingressas in sanctuarium tuum,de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Thren.*2. Repulit Dominus altare suum,maledixit sanctificationi suæ,tradidit in manus inimici muros turrium eius.Vocem dederunt

Gentes

Gentes in domo Domini, ſicut in die ſolemni. Durabit autem hoc malum.

Donec impleantur tempora nationum] Nationes dicuntur Gentilium diuerſitates, quæ ad fidem ſunt conuertendæ ad diem nouiſſimum. *Rom.* 11. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret: & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. *Iſa.* 10. Veræ reliquiæ conuertentur ex eo, etiamſi fuerint ſicut arena maris. Sic igitur finitur pars quæ eſt de Iudææ deſolatione.

Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis: & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.

Hîc incipit tertia pars, in qua ſigna præcedentia regnum ſuum ponit, quæ ſunt ſigna deſtructionis mundi. Habet autem partes duas, in quarum prima ponit ſigna: in ſecunda autem veritatem futurorum ſignorum confirmat per firmitatem & immutabilitatem verborum. Adhuc autem prior harum in tria diuiditur, in quorum primo dicit ſigna valde terribiliſſima: in ſecundo conſolatur ſuos, quia iſta ſint exitus mali Sanctorum, & regni Dei quod deſiderauerunt, appropinquatio: in tertio autem, hoc per ſimilitudinem floritionis arborum oſtendit. In primo horum dicit ſex, in quorum primo dicit ſigna de cælo: in ſecundo ſigna de terra: & in tertio ſigna de mari: in quarto ſigna de hominibus, qui ex elementis ſunt compoſiti: in quinto ſigna de virtutibus cæleſtibus, quæ ad inferiora referuntur: in ſexto & vltimo de aduentu auctoris totius mundi. In primo horum ponit ſigna cæli in tribus: in ſole, qui pater eſt omnium generabilium, vt dicunt Philoſophi, & cuius motus in decliui circulo cauſa eſt generationis & corruptionis: & in luna, quæ dominatur in humido, quod omnium generabilium eſt genitura: propter quod etiam luna fortius mutat corpora: & ideo regina cæli in ſacra Scriptura vocatur. Et tertium ſignum ponit in ſtellis, quæ cauſa ſunt figurationis corporum, & virtutum eorum in organis figuratis: ſicut dicunt Aſtronomi. Dicit igitur

Et erunt] ante diem iudicij [ſigna] ſtupenda [in ſole] quæ tunc vires ad generationem & corruptionem non exhibebit. De ſole enim dicitur *Eccl.* 43. Sol vas admirabile opus Excelſi. Quia mirabilia Dei oſtendet tunc ſol. Quæ autem futura ſint ſigna in ſole, non placuit determinare, niſi velimus accipere ex præteritis. Tunc enim quatuor ſigna erunt in ſole, quæ iam in præterito legimus accidiſſe: quæ ſunt obſcuratio, ſtatio, percuſſio vel in toto vel in parte, & retroceſſio. De obſcuratione ſolis dicitur *Apoc.* 6. Sol factus eſt niger quaſi ſaccus cilicinus. Et hic effectus præceſſit in Paſſione, quando ſol eſt obſcuratus: quia ſicut induit tenebras in Paſſione, ſic induet tenebras in mundi tranſitione, & ſubtrahet lumen ſuum à ſceleribus quæ commiſit mundus. Statio autem fuit Solis, quando ad literam ſtetit ſub *Ioſue* 10. Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Haylon. Steteruntque ſol & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Propter quod dicit *Dionyſ. ad Apolliphanium*, quod Sacerdotes Chaldæorum diem duplicati ſolis celebrauerunt. Ante iudicium autem tradunt Sancti, quod ſol & luna ſtabunt in domibus cæli, in quibus creati ſunt. Sol ſcilicet in leone, & luna in cancro, & non plus circuibunt. *Habac.* 3. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum. Tertium ſignum in ſole eſt percuſſio, quod aliqua pars eius, hoc eſt, aliquota proportio percuſſa eſt aliquando, hoc eſt, ab effectu impedita. *Apoc.* 8. Percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum. Tertia autem pars percutitur: quia vnam partem ſui effectus habet in ſe, ſecundum quod eſt fons luminis: & dicitur ſol, quaſi ſolus lucens: & hæc pars non percutitur. Secundus effectus eſt, & ſecunda pars eius, ſecundum quem lunæ & ſtellis lumen ſuum infundit: ſicut dicitur *Eccli.* 43. Illuminans in altiſſimis Dominus. Et hanc partem etiam non amittit. Tertia autem pars virtutis eius, quam terrænaſcentibus infundit. Et hæc percutietur, & in ſole, & in luna, & in ſtellis: quia non influent terrænaſcentibus virtutem generationis. Quartum ſignum eſt retroceſſio. Propterea iterum dicit *Dionyſ.* quod Sacerdotes Chaldæorum diem & feſtum triplicati ſolis celebrauerunt. *Iſa.* 38. Reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat. Et habuit illa dies 30. horas: quia decem horis deſcenderat, & decem horis reaſcendit, & decem horis redeſcendit. Iſta ſigna in ſole legimus. Et forte ita aſcendendo & deſcendendo ibit ante iudicium: vt errore ſuo oſtendat tremorem & terrorem iræ iudicis ad iudicium venientis.

In luna autem ſpecialiter tria ſigna leguntur, ſcilicet, quod ſanguinea erit in teſtimonium fundendi ſanguinis. *Ioel.* 2. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus. Secundum autem eſt quod iam dictum eſt, quod luna ſtabit in habitaculo ſuo, nolens plus præbere modo ſui circuitus obſequia. Tertium ſignum in luna eſt percuſſio tertiæ partis, quæ eſt effectus eius ad influentiam ſuæ virtutis ad inferiora. In ſe enim conſiderata manet ſecundum ſubſtantiam: & in comparatione ad ſolem, capit lumen plenum. Sed illa comparatio quam habet ad inferiora percutietur. *Iſa.* 24. Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnauerit Dominus exercituum.

Stellæ autem vnum ſignum habent, quod in terram cadent. Et non intelligitur quantum ad caſum ſuæ ſubſtantiæ, ſed quantum ad caſum ſuæ virtutis, quam modo habent. *Matth.* 24. Stellæ cadent in terram. *Apoc.* 6. Stellæ ceciderunt de cælo, ſicut ficus emittit groſſos ſuos. Hæc igitur ſigna erunt in ſole & luna, & ſtellis.

Hæc autem ſigna modo fiunt. Sol enim obſcuratur, quando illi qui illuminatores orbis terræ deberent eſſe, obſcurantur: ſicut Papa, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. *Sapient.* 17. Totus orbis terrarum limpido illuminabitur lumine. Solis autem illis ſuperpoſita fuit grauis nox, imago tenebrarum, quæ eos erat comprehenſura. Hæc enim luminaria tenebroſiora iam ſunt, quam alia tenebroſa, tum per ignorantiam, tum etiam per ni-

gram vitam. Hi eriam sunt qui stant, non circumeunt: quia de cura subditorum nihil considerant, sed in altitudine suæ ambitionis stant erecti & otiosi. *Ios.* 10. Stetit sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei: quia non est respectus morti eorum, sed in altitudine diei stant, in superbia ambitionis suæ: de qua altitudine dicit *Psalm.* 55. Ab altitudine diei timebo. Hi pro tertia parte percussi sunt: quia lumen dignitatis retinentes & quæstum, tota vtilitas spiritualium percussa est. Hæc enim tria sunt, dignitas, & temporalium dispensatio, & vtilitas spiritualium quam debebant rependere, quæ tota percussa est. *Ezech.* 34. Gregem meum non pascebatis. *Isa.* 1. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem. Retrocessio autem est, quia reuersi sunt ad vomitum, & ad vitam laicalem. 2. *Mach.* 4. Sacerdotes festinabant participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ: & patrios quidem honores nihil arbitrantes, græcas glorias optimas arbitrabantur. Hoc modo totus retrocessit clerus, qui sol mundi fuit.

Et ideo luna, hoc est laicorum congregatio eclipsim patitur sui luminis, & conuersa est in sanguinem, hoc est, ad carnalitatis amorem. *Osea* 4. Sanguis sanguinem tetigit. Vnde exclamat Dauid *Psalm.* 50. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Hæc etiam stat torpens in otio turpi cõcupiscentiæ: dicente Domino *Matth.* 20. Quid statis tota die otiosi? Et est etiã ipsa luna percussa in tertia parte. Vna enim pars laici populi est dispensatio rei familiaris in domo: secunda, congruentia ciuitatis in ciuilitate: & tertia est exercitiũ sacramentorũ, quæ pars manifestè percussa est, quia de sacramentis nihil curant. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

Stellæ autem sunt Religiosi, qui sicut stellæ in cælo micantes, ita deberent stare in cælesti conuersatione. *Philip.* 3. Nostra conuersatio in cælis est. *Iudic.* 5. Stellæ manentes in ordine & cursu suo contra Sisaram pugnauerunt. Habent autem tres partes, scilicet, votum obedientiæ, votum castitatis, & votum paupertatis. Et votum quidem obedientiæ aliqualiter tenent, & similiter votum castitatis. Sed abrenuntiatio paupertatis manifeste percussa est: quia fere omnes ad terrenorum amorem etiam plusquam seculares sunt inclinati. Et ideo signanter dicitur *Matth.* 24. quod deciderunt in terram. Sic ergo tam spiritualiter quam literaliter erunt signa in sole, & luna, & stellis.

Et in terris pressura gentium] Ecce signum de terra. Pressuram enim intelligendam vult esse, quæ de fame & pestilentia terræ exoritur: quia ipsa terra pestilens erit, & sterilis. Et in signum huius Ægyptus percussa est talibus plagis. Elementa enim Creatori deseruiunt. Et quando Creator impugnat hominem, tunc & ipsa cum ipso impugnabunt. *Sap. vltim.* Omnis creatura ab initio ad suum genus refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi. *Iob* 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum: apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Domini. Hæc est pars impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.

Præ confusione sonitus maris & fluctuum] Ecce signa à mari: quia sicut dicitur *Sap.* 5. Flumina concurrent duriter contra reprobos: & mare elationibus suis intumescet super eos. *Ionæ* 1. Mare ibat & intumescebat super eos. *Psalm.* 92. Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus. *Ionæ* 2. Circumdederunt me aquæ vsque ad animam meam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Mare enim, vt dicunt Sancti, tunc plus solito intumescet super terram, & inundabit.

Arescentibus hominibus] signis istis scilicet concurrentibus. Et est istud signum ab elementatis hominibus sumptum. Concurrentibus enim istis signis incipient arescere in se homines [præ timore] præsentis mali, ne inuoluat eos: sicut dicitur *Isa.* 28. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationẽ [& expectatione] futuri iudicij, quod ista signa durissimum fore præloquuntur.

Hoc autẽ ostendit *Hier.* enumerans quindecim signa, quæ diem iudicij præcedent, in quibus homines arescent. Dicit autem quod primum signum est, quod eriget se mare quadraginta cubitis super altiores montes, & stabit sic in loco suo quasi murus. *Psalm.* 92. Mirabiles elationes maris. Secundum autem est, quod adeo descendit vt vix possit in profundo abyssi videri. *Psal.* 106. Ascendens vsque ad cælos, & descendens vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Tertium est, quod marinæ beluæ apparentes super mare congregatæ dabunt rugitum vsque ad cælum. *Psalm.* 103. Illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis. Et postea. Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Quartum est, quod mare ardebit vsque in profundum. *Apoc.* 21. Et mare iam non est. Quintum est, quod herbæ & arbores tunc dabunt rorem sanguineum. *Ioel.* 2. Dabo prodigia in cælo sursum, & prodigia in terra deorsum, sanguinem, & vaporem fumi. Exudabunt enim plantę tunc sanguinẽ innocentem, quo irrigatæ sunt à malis qui bonos interfecerunt. Sextum autem est, quod omnia simul ruent ædificia. *Apoc.* 14. Cecidit, cecidit Babylon magna, & habitatio facta est dæmoniorum. Septimum est, quod petræ ad inuicem collidentur. *Iudith vlt.* Petræ sicut cera liquescent ante faciem Domini. Hoc etiam præcessit in Passione Domini *Matth.* 27. Petræ scissæ sunt. Octauum est, quod generalis fiet terræmotus. *Psalm.* 67. Terra mota est: etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai. *Matth.* 27. Ecce terræmotus factus est magnus. Nonum est, quod terra æquabitur, eo quod montes cadent in valles. *Isa.* 40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Decimum est, quod æquata terra exibunt homines de cauernis in quibus latitabant, & ibunt amentes, & non poterunt mutuo loqui præ timore. *Amos* 4. Exibitis per aperturas, altera contra alteram, & proiiciemini in Armon. Vndecimum est, quod eleuabuntur ossa mortuorum, & stabunt super sepulchra. *Ezech.* 37. Duxit me in campum qui erat plenus ossibus. Duodecimum est, quod stellæ per modum quem diximus cadent de cælo. *Apoc.* 6. Stellæ ceciderunt de cælo, sicut ficus emittit grossos suos. Tertium decimum est, quod simul morientur omnes homines viuentes. *Genes.* 6. Ego disperdam eos cum terra. 1. *Thess.* 4. Nos qui viuimus non præueniemus eos qui dormierunt;

mierunt: quia nos ante, supple, moriemur. Oportet enim sententiam Domini verificari *Genes.* 2. Quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Quartum decimum est, quod ardebunt cælum & terra. 2. *Petr. vltim* Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Quintumdecimum est, quod fiet nouum cælum & noua terra: & resurgent omnes. *Isa. vltimo.* Sicut cæli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me: sic stabit semen vestrum & nomen. Ista igitur prodigia expectando arescent homines. Et hoc est quod dicit

Quæ superuenient] ita quod vincunt & opprimunt totum mundum. 1. *Thess.* 5. Cum dixerint pax & securitas: tunc repentinus superueniet eis interitus[Nam virtutes cęlorũ]hoc est, virtus tota cæli quæ deseruiebat inferioribus [mouebuntur] Et illi Angeli, qui Virtutes dicuntur, nunc circũ mouentur vt multa terribilia faciant. *Iob* 26 Concordantia est. Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius. *Iob* 41. Cum sublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Si autem de corporalibus virtutibus cæli exponitur, quæ mouent inferiora: tunc est concordantia. *Iob* 18. Quis enarrabit rationem cælorum, & concentum cæli quis dormire faciet?

Et tunc] tandem plus hæc omnia signa [videbunt] oculis corporeis [filium hominis] in forma humana venientem. *Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt [in nube] hoc est, in splendore Sanctorum, in quo lumen est adeo calcatum, quod apparebit in circuitu si cut nubes. *Apoc.* 1. Ecce venit cum nubibus. *Daniel.* 7. Ecce in nubibus cæli Filius hominis venit. *Matth.* 17. Amodo videbitis Filium hominis in nubibus [cum potestate magna] iudiciaria. *Daniel.* 7. Potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur [& maiestate] vt inuincibilis sit in iudicio ab iniquis potestate aduersariorum. *Isa.* 2. Incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa: & idola penitus conterentur. *Matth.* 27. Amodo videbitis Filium hominis venientem cum potestate & maiestate.

His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.

Tangit consolationem bonorum, dicens quod in principio ante iudicium [his fieri incipiẽtibus] quantum ad prima signa præcedentia [respicite] hoc est, oculos ad cælum erigite. *Psalm.* 120. Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi [& leuate capita] hoc est, mentes, quæ sunt capita animarum, ad Deum remuneratorem omnium laborum vestrorum. *Hebr.* 12. Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ. Item *Ibid.* Recogitate eum qui talem sustinuit aduersus semetipsum à peccatoribus contradictionẽ: vt non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes. Sic ergo in auctorem salutis vestræ caput leuate [quoniam appropinquat] & iam prope est [redemptio vestra] de mundi tribulationibus. *Psalm.* 110. Redemptionem mandauit Dominus populo suo. *Osea* 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores: cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri: scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

Probat hic per similitudinem tunc esse tempus vicinum resflorititionis iustorum, & dicit duo: similitudinem, & adaptationem. Similitudo est ista [Videte ficulneam & omnes arbores] de ficulnea sumit similitudinem: quia habet dulcedinem, per quam significat dulcia gaudia bonorum. Et habet abominationem quando mala est, per quam significat tristitiam malorum. *Ierem.* 24. Ficus, ficus bonas, bonas valde: & ficus, ficus malas, malas valde, quæ comedi non possunt eo quod sint malæ. Ab omnibus aliis arboribus sumit similitudinem propter reflorititionis mundi generalitatem. *Isa. vlt.* Ossa vestra quasi herba germinabunt[cum producunt] cum iam producere incipiunt [ex se fructum] hoc est, prima principia fructus: sicut sunt grossi in ficulnea, & gemmæ in aliis [scitis] tali signo[quoniam prope est æstas]iam enim incipit vernum tempus intepescere: quia dat in plantis talia æstiui fructus principia. *Can.* 2. Hyems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, propera amica mea, formosa mea & veni. Æstas autem tempus maturitatis, quando ea quæ in vere floruerunt, falce præciduntur, & in promptuaria congregantur. Ita per dicta signa floret messis terræ ad præcidendum falce iudicij, & congregandum electos in horrea cæli, & reprobos in horrea inferni. *Apoc.* 14 Mitte falcem tuam & mete: quia venit hora vt metatur, quia maturuit messis terræ. *Ioan.* 4. Leuate oculos & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem

Ita & vos] qui ad messem æternam per florem honestatis, & vos & multos alios præparastis [cum videritis hæc fieri] signa quæ dicta sunt[scitote quia propè est] secundum temporis spatium [regnum Dei] quia in aperta iustitia, potenter tunc omnibus malis expulsis, obtinebit virtutem. Attende autem quia multi de hac inducta similitudine Domini mirantur: maximè cum tribulationes inductæ magis videantur esse similes sæuitiæ hyemis, in qua flores & fructus cadunt, quam reflorititioni, scilicet veris, & fructificationis æstatis. Sciendum igitur quod ista similitudo subtilissima est, & ab eo in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, posita Secundum naturam superficies terræ hyeme frigiditate constringitur, ita quod spirare non potest: & ideo for-

tes &

tes & calidi vapores in visceribus terræ tunc congregantur. Sed verno tempore cum tempus tepescere incipit, tunc superficies terræ aperitur, & incipit vapor partim spirare in radices plantarum, & producere principia florum & fructuum: & partim incipit erumpere in aërem, & turbare eum nubibus, & ventis impellere, & grandines facere & tempestates: propter quod talia maxime verno tempore euenire solent. Et sic patet quod ex eodem thesauro Domini producuntur, & flores fructuum, & tempestates ventorum & grandinum. Et tempestates sunt similitudo ad malos: quia tunc, sicut dicitur *Sapient.* 5. à petrosa ita Dei plenè mittentur in eos grandines. Quantum ad bonos autem, flores & fructus sunt signa iucunditatis & tranquillitatis æternæ. Et hoc modo similitudinem inducit Dominus. De ficulneæ autem proprietatibus satis in præcedentibus dictum est.

Amen dico vobis] Quia prædixerat futura in tempus longum, consolatur suos, dicens, quod quantum ad prima destructionis Iudææ signa [non præteribit generatio hæc Iudæorum: de qua dicitur *Prouerb.* 30. Generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. *Luc.* 11. Generatio hæc generatio nequam est. Hæc tamen non præteribit à regno Iudææ [donec omnia fiant] super eos quæ dicta sunt. Et postea ducentur quidam eorum in captiuitatem: & illi vsque ad tempora finalia manebunt, & tunc conuertentur. *Psalm.* 58. Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem, hoc est, Ecclesiæ ciuilitatem, mendicando à viris ecclesiasticis pabula verbi Dei. Secunda generatio est successio mortalium in mundo, quæ etiam non transibit, donec fiant signa destructionis mundi prædicta. *Eccle.* 1. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra vero in æternum stat, hoc est, stabilitas Ecclesiæ, de qua dicitur *Psalm.* 23. Domini est terra & plenitudo eius. Tertia generatio est generatio fidelium, verbo Dei generata & multiplicata, quæ etiam non transibit: quia nauicula Petri periclitari potest, sed submergi non potest. Et de hac dicitur in *Psalm.* 23. Hæc est generatio quærentium Dominum quærentium faciem Dei Iacob. Hæc igitur non præteribit donec omnia impleantur.

Cælum & terra transibunt] quoad speciem exteriorem, sed non quoad substantiam. 1. *Corinth.* 7. Præterit figura mundi huius. *Gloss.* Non substantia: quia innouabuntur & purificabuntur, vt habitatori respondeat habitaculum. Mortali enim homini congruit hæc figura mundi, quæ generationi deseruit & corruptioni. Sed vestito homine per gloriam, oportet quod & mundus glorificetur, vt gloriæ congruat habitatoris propter quem factus est. *Rom.* 8. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Et post pauca. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei [verba autem mea non transibunt] quin omnia compleantur. *Ioan.* 17. Sermo tuus veritas est. Veritas autem sicut 2. *Esdræ* 7. dicitur, semper vincit, & inualescit. *Psalm.* 118. In æternum Domine permanet verbum tuum. *Isa.* 65. Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam: & non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor.

Attendite autem vobis ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.

Hîc in vltima ista parte reddit cautos, quod hæc mala non incidant: & habet duas partes, in quarum prima docet à quibus est abstinendum, & in secunda quibus insistendum, vt hæc mala super eos non veniant. In priori dicit tria: à quibus cauendum est, & qua vtilitate, & tertio rationem subiungit vtriusque. Dicit autem cauendum à tribus, dicens [Attendite autem] diligenter. *Act.* 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus rectores & episcopos regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. *Ps.* 77. Attendite popule meus legem meam, inclinate autem vestram in verba oris mei [ne forte] Hoc non dicit propter verborum suorum mobilitatem, sed potius propter liberi arbitrij flexibilitatem. *Ezech.* 2. Loqueris ad eos si forte ipsi audiant, & quiescant [grauentur corda vestra] quæ ad Deum vigilare debent & respicere. *Corint.* 5. Ego dormio & cor meum vigilat. Cor autem grauatum non potest vigilare [in crapula] qua corruunt sensus in somnolentiam. Crapula autem vocatur hic omnis superadimpletio terrenæ delectationis. *Eccli.* 37. Propter crapulam multi perierunt. Qui autem abstinens est, adiiciet vitam. *Luc.* 17. Sicut in diebus Noë comedebant & bibebant, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes.

Et ebrietate] secundum est à quo est cauendum: quia ebrietas subuertit sensum. *Prouerb.* 20. Luxuriosa res est vinum, tumultuosa ebrietas. Quicunque his delectatur non erit sapiens. Ebrietas autem hic dicitur euersio sensuum à gaudiis & põpa & dignitatibus & honoribus huius seculi. *Prou.* 30. Noli regibus dare vinum, noli regibus ô Lamuel dare vinum: quia nullum secretum vbi regnat ebrietas.

Et curis] superfluis [huius vitæ] Et hoc pertinet ad auaritiam, de qua 1. *Tim.* 6. Radix omnium malorum est cupiditas. *Matth.* autem 24. dicit. Orate ne fuga vestra fiat hyeme vel sabbato. Et hoc intelligitur quia in hyeme quantum ad crapulam omnes fructus æstatis sunt congregati. In sabbato autem cum non est operandum, tractatur de curis huius vitæ. *Hebr.* 13. Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. 1. *Corinth.* 6. Esca ventri & venter escis. Deus autem hunc & has destruet. 1. *Corinth.* 8. Esca nos non commendat Deo. *Rom.* 13. Non in comessationibus & ebrietatibus. *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri: per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

Et superueniat in vos] sicut opprimens. *Luc.* 20. Super quem ceciderit lapis iste, conteret eum [repentina] antequam speretis. Dicit enim *Dionys.* quod

quod ſubito ſiue repente fit, quod fit prætet ſpem. 1. *Theſſ.* 5. Cum dixetint, pax & ſecuritas: tunc tepentinus eis ſuperuenier interitus, ſicut dulor in vtero habentis [dies illa] iudicij: quia tunc non patebit effugium. *Ezech.* 16. In terra ſedebant, & contriti ſunt tepentino caſu. De hoc dicit *Beatus Bernardus* O anguſtiæ ſuper anguſtias. Hinc erunt peccata accuſantia: inde terrens viſus dæmonum: ſubtus, patens hottidum chaos inferni: deſupet, iratus Iudex, & impendens gladius: intus vrens conſcientia, fotis ardens mundus. Iuſtus vix ſaluabitur: ego conſtrictus peccatis vbi latebo? Quomodo apparebo? Latete erit impoſſibile, apparete intolerabile. Illud deſiderabo, & nuſquam erit. Illud execrabor, & vbique erit.

Tanquam laqueus] Hic tangit cauſam & rationem dictorum [Tanquam laqueus enim] perpetuo captiuans & detinens. *Iſa.* 54. Qui ſe explicuetit de fouea, tenebitur planta eius laqueo. *Ierem.* 48. Pauot & fouea & laqueus ſuper te, qui habitatot es terræ [qui ſedent] quieſcentes, & reſoluti, & marcentes otio. Illi enim ſedent cum beſtia *Apoc.* 16. Quintus angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ, & factum eſt regnum eius tenebtoſum. *Eccli.* 50. Duas gentes odit anima mea: tertia autem nun eſt gens quam oderim: qui ſedent in monte Seir & Philiſthiim, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis. Sedentes in monte Seir, ſunt qui crapulis indulgent: quia Seir interpretatur hircus ptopter fœtorem, gulam, & luxuriam ſignificans, qui, ſicut dicitur *Hebr.* 1 s. propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua: & contra præcepta parentum, libidinis ſuæ accepit coniuges. *Geneſ.* 26. Philiſthiim autem, qui pauote cadentes interpretantur, ſignificant ebrios cum Idumæis qui in Seir ſedent conuiuantes. Sichem autem, labot interpretatur, vel humerus, & ſignificar eos qui propter curam vitæ huius omni labori ſupponunt humerum. Sedent autem iſti [ſuper faciem omnis terræ] quia totum mundum repleuerunt, & totam terram ſibi vſurpate deſiderant. *Iſa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: nunquid vos ſoli habitabitis in medio terræ?

Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.

Hic ſuadet bonis eſſe inſiſtendum: dicit autem duo, ſcilicet, quod vigilanter bonis ſtudiis eſt inſiſtendum, & ad quem finem. Circa primum duo dicit, quod ſcilicet vigilandum, & orandum. De primo dicit [Vigilate itaque] pet ſoliciram veſtri cuſtodiam. Eſt enim vigilare, ſicut in antehabitis diximus, calorem cotdis, & ſpiritum, & ſenſus, & motus ad exteriora extendere. Calorem enim charitatis, qui proprius eſt calot cordis, ad Dei bonitatem debemus extendere: ſpiritum totum, qui principium eſt cognitionis, ad veritatem Dei expandere: ſenſus obſequiis Chtiſti mancipare: motus omnes in virtutibus exercitare. Tunc facimus quod dicitur *Eccli.* 39. Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. *Iſa.* 26. Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Tunc enim etit hora, de qua dicitur *Rom.* 13. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere [& orate] omni tempore: quia incerta eſt hora. *Luc.* 1 s Beatus ſeruus quem cum venerit Dominus eius, inuenetit vigilantem. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Sempet enim huic vigiliæ & orationi inſiſtendum eſt. *Luc.* 18. Quia oportet ſemper orare & non deficere. 1. *Theſſ. vltim.* Siue intermiſſione orate. De vigilia autem & oratione in præmiſſis multa dicta ſunt.

Vt digni] Tangit hic finem duplicem. Vnus eſt enim in cauendo pericula, & alter eſt in adipiſcendo præmium. Dicit ergo [Vt digni] per virtutis merita [habeamini] à Deo [fugere iſta] mala [quæ futura ſunt] & non inuoluamini ab eis. 2. *Petr. vltim.* Vos igitur fratres præſcientes hæc, cuſtodite vos, ne inſipientium errore traducti, excidatis à ptoptia firmitate. Sic enim Deus liberabit eos, ſicut liberauit ſuos *Exod.* 12. Non ſinens ad eos percuſſorem Angelum ingredi [& ſtare] ſecundus eſt finis. Dicit autem [& ſtare] ſecuri [ante Filium hominis] qui tunc veniet ad iudicium. Hæc enim ſecuritas, iam ipſa beatitudo eſt. Hic enim eſt de quo dicitur in *Pſalm.* 111. Diſponet ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur. Tertibilis enim etit valde Iudex: ita quod *Apoc.* 6. Abſcondant ſe in ſpeluncis & petris, & dicent montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni. *Nahum* 1 Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt: & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis eius quis ſtabit, & quis reſiſtet in ira furoris eius? *Malach.* 3. Ecce venit: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum? Magnum eſt ergo ibi poſſe ſtare.

Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliueti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Hic eſt vltimus paragraphus, in quo pet exemplum oſtenditur, quam inſtanter ipſe inſtitit noſtræ ſaluti. Dicit igitur [Erat autem diebus] omnibus: quia tunc feſtum vicinum fuit, & multi conuenerant [docens in templo] propter loci ſolemnitatē. *Ioan.* 18. Ego palam locutus ſum mūdo. Ego ſemper docui in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in abſcondito locutus ſum nihil. *Matth.* 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure audiris in cubiculis, prædicate ſuper tecta. Quod enim in tenebris parabolarum Dominus docuit, voluit quod Apoſtoli publicè docerent [Noctibus vero exiens] de templo & ciuitate: quia in teproba ciuitate non inuenit, qui cum metu Sacerdotum & Scribarum & Pharifæorum auderet hoſpitari [morabatur] ergo [in monte qui vocatur Oliueti] inuigilans orationi. Docuit autem in hoc, quod nos de die prædicationi & operibus bonis debemus inſiſtere: in nocte autem orationi & contemplationi vacare. *Pſalm.* 41. In die mandauit Dominus miſericordiam

cordiam eius, & nocte canticum eius. *Thren.*2. Consurge,lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leua manus tuas ad Dominum pro animabus paruulorum tuorum. Quod autem orauit in monte significat quod in eminentia spiritus orandum est. 1.*Corinth.*14. Orabo spiritu, orabo & mente:psallam spiritu,psallam & mente. *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. In Oliueti autem monte orandum est: quia in affluxo diuinæ bonitatis & misericordiæ. *Cantic.*1. Oleum effusum nomen tuum[& omnis populus manicabat ad eum] hoc est,mane venite ad eum accelerabat [in templo] vt propinquiora caperent loca, & melius possent [audire illum] quia gratia diffusa fuit in labiis suis,& dulce eloquium ipsius, & loquebatur sicut potestatem habens. De primo horum dicitur in *Psalm.*44. Diffusa est gratia in labiis tuis. De secundo *Cantic.*2. Vox tua dulcis. De tertio *Matth.*7. Loquebatur enim sicut potestatem habens,& non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.

CAPVT XXII.

Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: & quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo eum interficerent: timebant vero plebem.

B hoc loco determinat de sacramento Passionis,subiungens de sacramento Sepulturæ,& tertio subnectens de sacramento Resurrectionis:sicut patuit in diuisione libri istius,quam à principio induximus.Sacramentum autem Passionis diuiditur in duas partes, in quarum prima, omnia circumstantia Passionem describuntur: in secunda autem per glorificationem Centurionis,qua Deum glorificauit, aliquid de effectu Passionis aperitur. Adhuc autem Passio ipsa habet tres partes. Dicit enim primò ea quæ circumstabant captiuitatem: in secunda autem ponit ea quæ circumstabant iudicium: in tertia autem ponit ea quæ circumstant mortem Domini. Primum horum trium continetur in capitulo isto, & habet quatuor partes, in quarum prima ponuntur ea quæ faciunt ad Discipulorum confirmationem: in secunda autem,ea quæ ad traditionem: in tertia autem,ea quæ circumstant Principis Apostolorum negationem: & in quarta, ea quæ faciunt ad illusionem & accusationem contra Dominum. In prima istarum tres sunt partes. Ponit enim primo ea quæ cœnam circumstant,in qua confirmauit eos per sacramenti susceptionem; in secunda,eorum de ambitione principatus compescit contentionem: in tertia autem, firmat eos per orationem.Adhuc autem prior harum in quatuor subdiuiditur partes, in quarum prima dicit ad patiendum cõuenientiam temporis:in secunda autem ponit proditionem traditoris; in tertia ponit ea quæ circumstant cœnam,in qua traditoris voluntas est confirmata ad tradendum: in quarta vero ponit tacitam proditoris à proposito malo reuocationem. In prima harum tria continentur, in quorum primo conuenientia temporis ad Passionem Christi describitur:in secundo confirmata voluntas Sacerdotum ad hoc idem ostenditur; in tertio timor plebis ad hoc perficiendum allegatur. Dicit igitur.

Appropinquabat autem] dum ea quæ dicta sunt agerentur. In sabbato enim ante Ramos palmarum in Bethania fuit, vbi Maria super caput ipsius vnguentum effudit in solemni cœna, quæ sibi ibidem parata fuerat. In sequenti autem die, quæ prima feria fuit apud illos, sedens super asellum, venit Ierusalem in templum, & expulit inde vendentes & ementes: & circa vesperam eiusdem diei iterum exiens de Ierusalem rediit ad suum hospitium. Et secunda feria iterato rediit,& docebat in templo, & tunc præsentatam sibi adulteram liberauit: sicut legitur *Ioan.*8. Et dicunt quidam quod tunc exiens de Ierusalem maledixit ficulneæ: sicut legitur *Matth.*21.Tamen hoc non est certum.Tertia autem feria veniens in templum confutauit Scribas & Pharisæos, sicut *Matth.*23. *capitulo* habitum est. Et eodem die ostenso sibi ædificio templi, prædixit ea quæ de destructione templi & mundi habita sunt in capitulo anteriori. Et illo die secundum *Matth* 26.dixit:Scitis quia post biduum Pascha fiet.Et quia tunc dixerat *Matth.*23. Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini:putabant quod vellet Passionem subterfugere: ideo eodem die congregati sunt in atrium Principis Sacerdotum,qui dicebatur Caiphas,& tractabant qualiter caperent eum sine turbis. Illis autem ibi existentibus,audiuit Iudas ibi esse congregatos:& in crastino mane, hoc est, in quarta feria venit ad eos,& pacti sunt cum eo pro 30.denariis,quorum quilibet valebat 10. vsuales argenteos, hoc est, trecentos.Et sic damnum vnguenti,cuius pretium putabat se furaturum, venditione Domini sui & Magistri recompensauit. Et ideo quia in quarta feria venditus est Dominus, legitur prophetia *Isaiæ capitulo* 40. in qua fit mentio de pretio,vbi dicitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Et hæc est etiam causa, propter quam quarta feria in afflictionibus ieiuniorum secundum locum tenet post sextam feriam: quia Principalis est sexta feria, in qua Dominus est crucifixus: secundum autem locum tenet quarta feria,in qua est venditus.Et ideo multi ieiunant illas duas ferias in septimana. Quod autem quædam *Gloss.* hic dicit (Hæc ante biduum Paschæ congregatis Principibus Sacerdotum & Scribis in atrium Caiphæ *Matthæus* gesta testatur) intelligendum ante biduum: ita tamen quod in ipso biduo; quia quarta feria factum est, quando biduum fuit vsque ad sextam feriam, quæ fuit dies Paschæ. Et non fuit factum in tertia feria: sed res gesta se habuit, sicut dictum est. Sic ergo dum ista fierent.

Appropinquabat] per dies sic dictos [dies festus azymorum]hoc est:quintadecima luna quando festum solemnitatis celebrandum fuit. Durabat autem festum septem diebus, in quibus non licebat fermentatum comedere, sicut dicitur *Exod.*13. in memoriam eius quod cum conspersione

sione azyma coacti sunt exire de Ægypto. Hoc autem incepit in die lunæ quartædecimæ ad vesperum, quãdo non inueniebant fermentatum in domibus Iudæorum. Et hoc fuit in feria quinta in vespera, quæ est inter feriam quintam & feriam sextam. Vnde *Exod.* 12. Quattadecima die ad vesperam comedetis azyma: & in quintadecima die solennitas est azymorum. Et sic patet quod cum Dominus in quartadecima luna corpus suum dedit in vespera, quod non erat fermentatum in domibus Iudæorum. Et ideo Latini conficiunt de azymo, sicut etiam in veritate Dominus corpus suum dedit in azymis.

Contra tamen Græci (qui de fermentato conficiunt) sic obiiciunt. *Ioan.* 18. Non introierunt in prætorium ne contaminarentur, sed vt comederent Pascha. Sed cum comedebatur Pascha, erat 14. luna: ergo in Parasceue quando hoc dixerunt Iudæi, luna fuit quartadecima: ergo ante hoc fuit fermentatum in domibus Iudæorum. Et confecit ex hoc pane, quem inuenit in domo: ergo confecit de fermentato: quia ante hoc fuit luna tertiadecima, vt dicunt, quando Dominus fecit Pascha cum Discipulis suis. Quod ante festum Paschæ fecerit cœnam cum Discipulis, probant *Ioan.* 13. vbi dicitur: Ante diem festum Paschæ, sciens IESVS quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo, &c. Et post pauca: Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: ergo IESVS comedit Pascha suum luna tertiadecima. Tunc autem non fuit nisi fermentatum in domibus Iudæorum: ergo dedit corpus suum in fermentato.

Adhuc autem addunt: quia cum vmbra debeat respondere veritati, & è conuerso: tunc debuit immolari in cœna agnus verus, quando in cœna immolabatur agnus typicus: sed quartadecima luna ad vesperum immolabatur agnus typicus: ergo etiam quartadecima luna immolatus est agnus verus: sed in Parasceue fuit immolatus agnus verus in cruce: ergo Parasceues fuit luna quattadecima. Cum ergo Christus præcedenti vespere dederit corpus suum, ipse dedit hoc luna tertiadecima. Et tunc non fuit nisi fermentatum in domibus: ergo confecit de fermentato.

Adhuc autem, *Luc.* 23. dicitur, quod mulieres parauerunt vnguenta in Parasceue. Hoc autem non licuisset, si Parasceues fuisset luna quartadecima: quia ista dies erat celeberrima, sicut dicitur *Leuit.* 23. ergo tunc luna fuit quartadecima. Sed in præcedenti die dedit Dominus corpus suum: ergo quando dedit, luna fuit tertiadecima. Tunc autem non fuit nisi fermentatum in domibus Iudæorum: ergo tunc confecit de fermentato. In his & similibus consistit assertio Græcorum.

In contrarium autem huius obiiciunt Latini. Dicitur enim *Marc.* 14. Prima die azymorum, quando Pascha immolabatur, dicunt Discipuli Domino: Quo vis eamus, & paremus tibi comedere Pascha? Hoc autem Discipuli dixerunt die Iouis, nondum adhuc capto Domino: ergo tunc fuit luna quartadecima, quando ante hoc Pascha non immolabatur: ergo tunc comedebatur azyma. Vnde *Exod.* 12. Primo mense quartodecimo die mensis, ad vesperum comedetis azyma.

Adhuc, *Luc.* 22. Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum & Ioannem, &c. ergo tunc erat luna quartadecima: quia aliter non fuisset necesse occidi Pascha: & tunc fecit cœnam: cum ergo tunc non fuerit in domibus nisi azymum, ipse Dominus confecit de azymo. Et hoc quidem pro certo verum est secundum historiam Euangelicam.

Veritas autem huius disceptationis scitur per distinctionem huius nominis Pascha, quod septem quidem modis dicitur. Primo quidem modo dicitur totum tempus septem dierum Pascha, à luna quintadecima vsque ad vigesimamprimam mensis Aprilis. *Act.* 12. Cum Petrum Herodes apprehendisset misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo. Secundo modo dicitur Pascha hora vnius diei, hoc est, vespera lunæ quattædecimæ: & sic accipitur *Exod* 12. & *Leuit.* 23. Quartadecima die ad vesperam, Pascha Domini est. Et ita accipitur *Ioan.* 13. Ante diem festum Paschæ, &c. Tertio modo dicitur Pascha prima dies azymorum, quæ fuit luna decimaquinta. Et hoc modo dicitur hic, Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. Quarto autem modo dicitur Pascha panes azymi, qui fiebant in Pascha. *Ioan.* 18. Ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed vt comederent Pascha. Quinto vero modo dicitur Pascha agnus paschalis. *Luc.* 22. Venit dies, in qua necesse fuit occidi Pascha. Sexto modo dicitur Pascha festiuitas epularum istius temporis. Sicut dicitur 2. *Paral.* 30. Non fuit Phase siue Pascha simile huic. Septimo modo dicitur Pascha ipse Christus. 1. *Corinth.* 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur. Vnde versus.

Hebdomas, hora, dies, epulæ, pecus, azyma, Christus.

Ad hoc igitur quod dicunt, quod veritas vmbræ debet respondere. Dicendum, quod quoad hoc respondet, quod sicut 14. luna immolabatur ad vesperam: ita etiam immolatio Christi fuit inchoata quartadecima luna ad vesperam, quia tunc fuit captus Dominus IESVS. Cœna autem taliter cœnæ respondet: quia quartadecima luna ad vesperam post cœnam agni typici, sumptus est in cœna Agnus verus.

Solent autem à Patribus quatuor assignari rationes, quare Dominus corpus suum vltimo dedit Discipulis post cœnam illam: cum tamen ita non sumatur ab Ecclesia: quia Ecclesia sumit hoc sacramentum ore ieiuno: quarum prima est potissima: quia hoc sacramentum datum est in memoriale abeuntis Domini. Memoriale autem vltimo post alia datur, vt memoria teneatur. *Luc.* 22. Hoc facite in meam commemorationem 1. *Cor.* 11. Quotiescunque sumitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Secunda autem est quæ post hanc est potior: vt veritas initiata ad vmbram terminata, vmbram ostendat. *Hebr.* 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Vnde etiam Dominus dicit *Luc.* 22. Ea quæ sunt de me finem habent. Et hoc dixit in cœna. Tertia ratio est, quia hoc sacramentum maxime firmat cum Christo, & vnit incorporando. Et ideo Discipulis iam trepidantibus, vltimo datur pro firmamento cordis, & vniendo cum Christo, omnibus aliis iam consummatis. *Ioan.* 17. Tu in me, & ego in eis, vt sint in vnum consummati. Quarta autem ratio est: quia ille cibus non transit ad ventrem, sed ad mentem: & ideo omnibus aliis iam sumptis ad necessitatem corporis & legis,

iste ficut spirituale quoddam est additus. 1. *Cor.* 15. Prius est quod animale est: deinde autem quod spirituale: per animale enim transitur ad spirituale.

His itaque habitis accedamus ad literam. Sic enim [appropinquabat dies festus azymorum] In quo notatur temporis congruentia [qui dicitur pascha] vt quando agnus typicus immolabatur: tunc etiam verus pro salute mundi occideretur [&] ideo tunc cum effectu [quærebant Principes Sacerdotum] in quibus erat auctoritas [& Scribæ] in quibus erat falsi nominis scientia, qui etiam ante hoc sæpe frustra quæsierant, quæ tempore non prædordinato quærebant. *Ioan.* 7. Tempus meum nondum aduenit. *Ioan.* 10. Nemo tollet à me animam meam: sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Vnde etiam *Luc.* 13. dixit Herodi. Dicite vulpi illi: Ecce hodie & cras dæmonia eiicio, & sanitates perficio, & die tertia consumor. Modo autem congruo tempore cum effectu permissi sunt quærere [quomodo] sine turbis [eum] comprehensum [IESVM] [interficerent] *Matth.* 26. Quærebant Principes Sacerdotum, quomodo IESVM dolo tenerent & occiderent. In hoc ergo consenserunt Principes Sacerdotum & Scribæ. *Genes.* 49. In consilium eorum non veniat anima mea. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura.

Adhuc autem Dominus IESVS in membris quæritur ad occidendum à talibus qui ambiunt indigni principatum, & qui vsurpant cathedras Doctorum. Illi enim nollent aliquem viuere qui facta eorum detestatur. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt.

Timebant vero plebem] quæ libenter Dominum audiuit, & quæ eum tanquam Prophetam habuit. Nec tantum timebant quod de manibus eorum eriperetur, sed quod plebs irrueret & manus iniiceret in captiuatores. Vnde *Ioan.* 7. Dixerunt: Nunquid aliquis de principibus credit in eum? aut ex Pharisæis? sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicta est.

Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Scarioth, vnum de duodecim: & abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

Hic ponit conuenientiam iniquæ voluntatis eorum cum proditore: & dicuntur sex, in quorum primo ponitur qualiter conuenit Iudas cum primo omnis malitiæ auctore: secundo describitur quis vel qualis fuit in ista proditione: tertio qualiter conuenit cum principibus in turpis & funesti pretij petitione: quarto qualiter iniqui gauisi sunt, & conuenerunt cum ipso in summæ petitæ promissione: quinto qualiter victus cupiditate spopondit scelus proditionis perficere: sexto qualiter post sponsionem perseuerauit in malitia, in quæsita traditionis opportunitate. Dicit igitur.

Intrauit autem satanas] Non quod menti eius, vel animæ illaberetur: sed quia in eo suggerendo locum suæ inuenit malitiæ. Hunc autem introitum inchoauit in vnguenti effusione in Bethania: quando mulier vnguentum pretiosum effudit super caput recumbentis Domini. Auxit autem malitiam, cum ad Sacerdotes abiens conuenit de pretio sanguinis. Sed in toto consummauit, cum à Christo buccellam accepit, postquam satanas cum toto suæ effectu malitiæ in eum intrauit. *Ioan.* 13. Post buccellam introiuit in eum satanas. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox. Et dixit IESVS: Quod facis, fac citius. Ante autem non immiserat in cor eius diabolus tradendi propositum. *Ioan.* 13. Cœna facta cum diabolus misisset in cor vt traderet Iudas Simonis filius Scariothis. Bene autem dicitur satan intrasse in eum: quia mouit eum vt suum mancipium, vel sicut suum pecus. Quem enim sic diabolus intrauerit, semper in profundum vitiorum impellit. *Matth.* 8. Totus grex porcorum per præceps ferebatur in mare, hoc est, in profundum amaritudinis vitiorum. 1. *Reg.* 16. Exagitauit eum spiritus nequam à Domino.

In Iudam] Ecce quis & qualis est traditor, qui omnem rationem diligendi & obsequendi habuit, & nullam prodendi. Ex nomine enim innuit deuotionem, ex patria sceleris auersionem, ex dignitate gratiarum actionem. Iudas enim confitens, vel glorificans interpretatur: quia confessioni veritatis & glorificationi laudis intendere debuisset. Et ideo Deus eum suo nomine à crimine auertere voluit [Scarioth] autem memoria mortis interpretatur: quia memoria mortis eum debuit compescere ab audacia. *Eccli.* 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Sicut & de Iuda dicitur *Genes.* 49. Iuda te laudabunt fratres tui. Electione autem fuit vnus de 12. super Discipulos exaltatus: & ideo gratias agere debebat. *Psal.* 40. Homo pacis meæ in quo sperabam, magnificabat super me supplantationem. Adhuc autem & depositarius Christi fuit, & conuiua. De primo *Ioan.* 12. Habebat loculos, & ea quæ mittebantur, portabat. De secundo dicitur in *Psalm.* 54 Qui simul mecum dulces capiebas cibos. Hic ergo detestabilis fuit proditor. Dicit tamen *Chrys.* quod ideo dicitur Scarioth: quia non de nouo, sed diu mortem Domini procurare meditatus fuit. *Ioan.* 6. Nonne ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? *Iob* 19. Quem maximè diligebam, auersatus est me.

Et abiit] ecce qualiter iniqui mercimonij contractum quæsiuit. Dicit autem tria, scilicet, quod à via veritatis abiit, quod cum iniquis consilia tractauit, quod de proditione cum iniquis conuenit. De primo dicit quod [abiit] *Psalm.* 1. Abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum stetit, & cum his qui in cathedra pestilentiæ sedetunt conuenit. *Ezech.* 3 Abij amarus in indignatione spiritus mei [& locutus est] de proditione [cum Principibus Sacerdotum] in quibus erat summa potestas [& Magistratibus] hoc est, Scribis, qui magisti erant doctrinæ erroneæ Iudæorum. 1. *Esdr.* 9. Manus magistratuum prima erat in transgressione hac. Tamen dicit *Chrys.* quod magistratus vocantur duces exercitus, quos statuerant Romani ad resistendum vndique seditionibus. *Rom.* 2. Confidis teipsum ducem esse cæcorum, eruditorem insipientium, magistrum infantium. Qui ergo alium doces, teipsum non doces [quemadmodum illum traderet eis] Quamuis enim essent principes & magistratus, nihil reputabant se habere quamdiu Christum videbant,

qui

qui tamen in nullo nocebat eis, nisi quia Patrem glorificabat. 1. *Esther*. 5. Cum omnia hæc habeam, nihil me habere puto quandiu video Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias. Ita dixit Aman, qui interpretatur iniquus. Mardochæus interpretatur amare contereos impudentem: & significat Christum qui contriuit impudentem diabolum, tam in se quam in membris suis, quem iniqui grauiter viderunt. *Sap*. 2. Grauis est nobis etiam ad videndum. Et ideo de eius proditione tractauerunt.

Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit: & quærebat opportunitatem vt traderet illum sine turbis.

Duo tangit: gaudium pessimorum, & consensum. De primo dicitur *Prou*. 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis [& pacti sunt] libentissime damnum subeuntes [pecuniam illi dare] Et ideo dicitur *Eccli*. 10. quod auaro nihil est scelestius. Hic enim in vita sua proiecit intima sua, quoniam & animam suam venalem habet. Non enim vt dicit *Chrysostomus*, curat quid vendat, vtrum Deum aut hominē, dummodo pecuniā accipiat paruam [Et pacti sunt pecuniam] respectu eius quod valuit. Sed ille potius obolo eū commutasset, antequam nihil accepisset. *Zach*. 11. Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, per quos appretiatus sum ab eis. Sic fratres Ioseph *Gen*. 37. vendiderunt Ioseph. Sed ille 20. venditus est. Iste non nisi de tertia reputatus est esse melior Ioseph. Et si corpus Ioseph valuit decem, & anima decem: tunc deitas, in qua Christus abundauit super Ioseph, æstimatione istorum non nisi decem valuit [& spopondit] amore pecuniæ Deum vendens. 1. *Timot. vlt*. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem [&] congruam [quærebat opportunitatem] ipse Iudas [vt traderet illū] Iesum Christum [sine turbis] propter causam quā superius induximus. *Matth*. 26. Ne forte tumultus fieret in populo, & scandalum istud sustinere non possent.

Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.

Hic tangit de cœna, in qua compleuit diabolus cor Iudæ ad tradendum. Diuiditur autem in quatuor partes, in quarum prima agit de cœnæ præparatione: in secunda de discubitu in cœna: in tertia de Sacramenti noui institutione: in quarta autem & vltima de proditoris quadam cauta à proposito reuocatione. In prima harum duo facit: tempus enim necessitatis præparationis determinat, & mittit ministros præparationis. De primo dicit [Venit autem dies azymorum] hoc est quartadecima dies mensis lunaris Aprilis. *Exod*. 12. Mensis iste principium vobis mensium est, primus in mensibus anni: quartadecima die mensis huius ad vesperum tollat vnusquisque vestium agnum. Et hoc est quod dicit [in qua necesse fuit] secundum præceptum legis *Exod*. 12. [occidi Pascha] Et hoc validum est contra Græcos: quia ista fuit dies quartadecima ad vesperum: & tunc nihil erat de fermentato in domibus Iudæorum. Pascha autem hic vocatur agnus, quem omnis multitudo filiorum Israel immolauit ad vesperum. Et ideo *Marc*. 14. dicitur. Erat Pascha & azyma post biduum, hoc enim de quarta feria dicitur: quia post quartam & quintam ad vesperum sunt facta ista quæ hic dicuntur.

Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus?

Et misit Petrum & Ioannem] qui huius cœnæ erant ministri & præparatores. Dicuntur autem hic quatuor, scilicet, quos misit ad præparandum, & præceptum præparationis, & vbi præpararent, & ipsa præparatio quam obedientes fecerunt Discipuli. De primo dicit [Et misit Petrum & Ioannem] qui duo ad omnia legis ministeria implenda erant deuotiores. Præterea per Ioannem perfectio contemplationis: per Petrum autem perfectio designatur actionis. Hi sunt qui simul currebant *Ioan*. 20. Currebant duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro. Hi sunt qui simul ascenderunt in templum *Act*. 3. Hi sunt qui specialis erant familiaritatis ad inuicem: & ideo vnus innuit alij de secretis *Ioan*. 13. & *Ioan*. 21. Horum vnus Romam, alter Asiam adduxit Domino. Hos ergo duos misit, ad significandum quod intellectus & actio Domino cœnam debent præparare

Euntes parate nobis] Hoc est præceptum præparationis [Pascha] hoc est, agnum paschalem, & epulas. Sicut etiam de spirituali cœna dicit 1. *Cor*. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis [At illi dixerūt: Vbi] Quærunt de loco, & expediuntur. Sciuerunt enim quod non in omni loco comuni manducanda esset cœna Dominica, sed in loco honesto & mūdo & sancto: & ideo quærunt [Vbi vis paremus] *Psalm*. 75. In pace factus est locus eius: & in Sion habitatio eius. In pace, scilicet affectus, & speculatione intellectus Loca enim communia, in quibus aliis diebus hospitari consueuerat, sciuerunt: sed quærebant locum conuenientem Sacramento 2. *Paralip*. 7. Elegi mihi domum istam in sacrificij locum. Et hoc est quod sequitur

Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem, inuenerunt sicut dixit illi, & parauerunt Pascha.

Et dixit] ad eos, expediens eos de loco [Ecce introeuntibus vobis] tria autem hic dicit: de indicio introeundi in domum, de facilitate recipien

piendi à patrefamilias domus, & de aptitudine loci. De primo dicit [Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem] Significat autem spiritualiter introitum Discipulorum in verbo Domini ad consciētias hominum. *Psal.* 121. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel, ad confitendum nomini tuo Domine, ad introitum in corda Discipulorum, qui sunt tribus Domini, participatio fit in cœna in idipsum, & confessio fit nominis Domini. Quicunque in hanc ciuitatem communionis non pergit, cum Domino non cœnat. *Eccle.* 10. Labor stultorum affliget eos: quia nescierunt in vrbem pergere. Sic ergo primo oportet intrare in ciuitatem ad communionem Sanctorum. *Act.* 9. Surge, ingredere in ciuitatem in vicum, qui vocatur rectus: & dicetur tibi quid te oporteat facere. Postquam autem ad communionem Sanctorum ingressum est [occurret vobis] Ecce describit ducem à quatuor, ab occursu, cum dicit [occurret vobis] in quo notatur occursus Sanctorum in charitate. *Isa.* 20. Occurrentes sitienti, ferte aquā qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. Sancti enim occurrunt cum aqua refrigerij concupiscentiæ carnalis, & cum panibus refectionis virtutis consortantis conscientiam Aliter enim cœna Domini non debet manducari. Secundum est [homo quidam] in quo notatur rationabilitas, quæ cibum hunc præcedere debet. Vnde 1. *Corint.* 11. Probet autem semetipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne: iudicium sibi manducat, & bibit: non diiudicans corpus Domini. Sic ergo homo [quidam] est probans & diiudicans. Tertium est [amphoram aquæ portans] quæ significat vas expiationis per lacrymas. 1. *Reg.* 11. Inuenies hominem ascendentem habentem vtrem quæ. *Psalm.* 79. Cibabis nos pane lacrymarum. Illo enim ante cibari debet, qui cœnam Domini manducare præsumit [Sequimini eum] Hoc est, quartum quod iste præcedit: quia ista dignitatem conferunt ad cœnam Dominicam. Et ideo dicit quod iste est sequendus [in domum] conscientiæ [in quam intrat] vt ibi in secreto cordis præparetur. 2. *Reg.* 23. O si quis mihi daret aquam de cisterna, quæ est in Bethlehem, hoc est, in domo panis! In hac enim domo lacrymarum cœna Domini præparatur

Et dicetis patrifamilias] Litera est planissima. Paterfamilias est hospes ratio, ad cuius nutum pertinet ista præparatio, quæ alloquenda est de huiusmodi præparatione. *Isa.* 40. Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam [Dicit tibi Magister] cuius magisterium omnes sequi habemus. *Matth.* 23. Vnus est magister vester, qui est in cælis [Vbi est diuersorium] ad quod gratia hospitalitatis est diuertendum. Nascitur enim Dominus in diuersorio, & cœnat in diuersorio, qui nec habuit nec curauit habere locum in palatio. *Matth* 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Pauperis enim hospitium est diuersorium [vbi Pascha cum Discipulis meis manducem] vltimæ cœnæ transitum. *Apoc.* 3. Ecce ego sto ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo, & cœnabo cum eo & ipse mecum. Dicit autem [manducem] hoc est, vt eos mihi ad patiendum vadens incorporem

Et ipse ostendet] ad literam [cœnaculum] hoc est, locum stratum [stratum] pauimento [ostendet] aptum ad cœnandum, hoc est, significat conscientiá mundam & amplam spe, & stratam omni virtute [& ibi parate] cœnam: quia ibi cœnabo vobiscum. *Deut.* 16. Non poteris immolare Phase in omni loco in qualibet vrbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus.

Euntes autem] Discipuli Petrus & Ioannes [inuenerunt sicut dixit illis] Iesus: omnino voci Domini obedientes. *Exod.* 24. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes [& parauerunt Pascha] hoc est, paschalem cœnam, sicut iam superius dictum est. Sic pater Abraham & Sara Angelis parauerunt azymos, & vitulum sacrificij laudis *Genes.* 18. Sic Manue & vxor sua parauerunt hœdum de capris, hoc est, sacrificium pro peccatis *Iudic.* 13.

Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

Hic tangitur de discubitu in cœna: & tanguntur hic duo, quorum primum est discubitus honestissimæ societatis. Secundum autem est dulcedo suauissimæ collocutionis. De primo igitur dicit [Cum facta esset hora] iam præparata cœna. *Eccli.* 3. Omnia tempus habent [discubuit] ad cœnandum [& duodecim cum eo] Ecce Societas honestissima. *Eccli.* 9. Viri iusti sint tibi conuiuæ, & in timore Dei gloriatio. *Psalm.* 100 Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant meum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Cum autem duodecim cum eo discumberent, Septuaginta duo in alia mensa seorsum discubuerunt.

Et ait illis] Ecce dulcedo suauissimæ allocutionis. Dicit autem duo: desiderium noui Sacramenti, & finitionem siue terminationem antiqui. De primo dicit [desiderio desideraui] hoc est, feruēter desideraui. Vel [desiderio] figuratum ab antiquo ostendi, quod nunc innouatione [desideraui: hoc Pascha] cœnæ corporis mei [manducare vobiscum] quia desiderauit veterum abolitionem, & nouorum inchoationem [antequam patiar] vt vobis hoc memoriale relinquam. *Exod.* 12. Comedetis festinanter, id est, desideranter & auidè. Est enim Phase, id est, trāsitus Domini [Dico enim vobis] Tangit cessationem veteris testamenti [quia ex hoc] hoc est, post hanc horam [non manducabo illud] hoc est, agnum typicum, & obseruantes ritum eius, non mihi incorporabo [donec impleatur] figura per veritatem [in regno Dei] hoc est, in Ecclesia, in qua regnum meum erit per iustitiæ perfectæ potestatem. Tunc enim sumentes veritatem sacramenti huius & impletionem incorporabo mihi. *Leuit.* 26. Nouis superuenientibus vetera proiicietis. 2. *Corinth.* 5. Siqua in Christo noua est creatura, vetera transierunt: & ecce noua omnia facta sunt. *Apoc.* 21. Dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.

Et

Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

Postquam dixerat de terminatione agni typici, qui comedebatur: dicit etiam de terminatione calicis benedictionis, qui eadem nocte bibebatur in figuram sanguinis Christi. Quamuis enim *Exod.* 12. non legatur nisi de cibo: tamen etiam intelligitur, quod tunc etiam calix cuiusdam benedictionis sumebatur: sicut ostendit vsus, quem vsque in hodiernum diem obseruant Iudæi. Et de terminatione illius dicit [Et accepto calice] veteri, qui figura fuit sacramenti sanguinis Domini. Calix autem idem est, quod calida potio, hoc est, non quod actu sit calida; sed quia effectu calefacit, vt vinum [gratias egit] antiquo more, vt nostrum sacramentum aliud terminaret [& dixit] Discipulis noui testamenti ministris [accipite] per intellectum figuram huius potionis, quæ charitatem significat [& inter vos diuidite] vt pro capacitate cuiuslibet distribuatur. Hic est calix, de quo secundum sensum literalem dicit *Psalm.* 115. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Accepit enim Dauid in spiritu hunc calicem per intellectum, & inuocabat nomen Domini, vt transiret in nouum. Vnde etiam gratias egit Christus de transitu veterum, & de substitutione nouorum.

Dico enim vobis] de terminatione huius calicis, in quo est figura sacramenti sanguinis Christi [quod non bibam] amodo, sicut dicitur *Matth.* 26. [de generatione vitis huius] de qua conficitur hoc figurale sacramentum, non incorporabo mihi [donec] transiens in nouum sanguinis mei sacramentum [veniat regnum Dei] hoc est, aperta iustitia sacramentorum Ecclesiæ, quæ sunt de cætero tenenda. Tamen quædam *Glossæ* exponunt hoc allegorice, quod vitis sit Iudæa, de qua non bibet Christus vsque in consummationem seculi, quando reliquiæ conuertentur. Et alia *Gloss.* exponit de mortalitate humanæ naturæ, quam non bibet amplius donec pertranseat per resurrectionem ad immortalitatem. Sed prima expositio est literalis & vera. *Matth.* 26. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque dum bibam illud nouum vobiscum in regno meo. Quidam etiam dixerunt quod loquitur de vino materiali, quod in mensa biberunt, de quo ipse statim vsque ad passionem bibere noluit, sed post resurrectionem cum eis in gaudio se bibiturum promisit. Sed nulla istarum expositionum est ad propositum nisi prima, & illa est tenenda. *Cantic.* 5. Comedite amici, & bibite, supple, de veteri: & inebriamini charissimi de nouo.

Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.

Hic tangitur de noui Sacramenti institutione: & tangit primò de Sacramento corporis: & deinde de Sacramento sanguinis. De Sacramento corporis dicit [Et accepto pane] de frumento azymo, sicut iam ante diximus: & hunc quidem accepit in manus, vt sacramentum instituat, & vt se Sacerdotem ostendat. *Psalm.* 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech [gratias egit] de nouæ gratiæ vbertate, cuius est vas Eucharistia [& fregit] vt fractio sit in speciebus, hoc est, in figura & quantitate panis, & non in corpore Christi sub speciebus contento: quia hoc totum fuit sub qualibet parte fractionis illius. Quibus autem verbis gratias egerit non est manifestum [& dedit] non vendidit. Dedit autem ad vsum in sacramento ad communicandum. 1. *Corinth.* 10. Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est [dicens: Hoc] quod sub forma panis continetur [est corpus meum] verè de Virgine natum, & in cruce statim passurum.

Et attende quod his verbis à Domino tunc pronunciatis dedit virtutem de cætero transsubstantiandi panem in corpus suum, quotiescunque cum intentione & loco debito dicuntur à Sacerdote; sicut & ipse tunc ritum & ordinem sacerdotij exhibuit. Si autem ludicre & non à Sacerdote dicerentur, effectum illum non haberent.

Sic igitur intellecta litera octo notantur hic circa corporis sacramentum, quorum primum, quod respicit institutionis Auctoritatem. Secundum autem, quod determinat materiam Sacramento conuenientem. Tertium, de tanto Sacramento gratiarum actionem. Quartum autem, quod tangit huius Sacramenti fractionem. Quintum vero, exercitium Sacramenti & communionem. Sextum autem, huius Sacramenti quæ in forma est propriam institutionem. Septimum autem, significat huius Sacramenti in redimendo propriam virtutem. Octauum autem & vltimum, significat quod datum est in æternæ memoriæ & dilectionis firmitatem. De primo horum dicit.

Et accepto] Propter tria accepit, quorum primum est, vt tactu suæ mundissimæ carnis conferret pani virtutem, vt deinceps possit esse materia corporis: sicut tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Et de hoc significatur *Matth.* 14. & *Ioan.* 6. vbi Dominus prius in manus suas panem accepit, antequam multiplicandum daret Discipulis. *Cantic.* 5. Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Manus, inquam, corporis, tornatiles, in diuinas operationes volubiles: aureæ, quia virtute diuinitatis vbique splendentes: & ideo in omne quod tangit, virtus infunditur diuinitatis. Plenæ autem sunt hyacinthis: quia in omnibus ab eo tactis pretiositas est gratiæ cælestis, & virtutis. Secunda autem causa est: quia porrigere non potuit nisi manu acciperet. Porrigendo autem, se transfundere potestatem consecrandi in Discipulos significauit. Et ex hoc inoleuit, quod quando Episcopus Sacerdotes ordinat, porrigendo calicem cum pane & vino, in eos potestatem transfundendo, ordinem confert sacerdotalem. Hoc significatum est *Iosue* 1. vbi potestas Moysi apparuit in Iosue. Et redditur ratio. Moyses enim super eum posuerat manus suas, hoc est, suam potestatem. Tertia causa est, vt se participare in solo hoc sacramento significaret: quia semper ipse totus est in ipso, cum omnibus aliis

sacramentis non communicet nisi per gratiam. Totus autem secundum corpus & animam & deitatem isti semper communicat. Et ideo istud præ aliis in se, & ad se accepit. Vnde dicit *Innocentius in Lib. de officiis ecclesiasticis*, quod Dominus secundum tria quæ sunt in ipso, in tribus esse creditur. Secundum enim lucem & figuram sui corporis est in cælo in dextra Patris. Secundum formam autem cibi & potus spiritualis est in Sacramento altaris. Secundum deitatem autem est vbique. Sic dicit *Matth. vltim.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quia quotiescunque consecratur, toties omni die nobiscum efficitur.

His igitur de causis [accepit] Et in hoc notatur auctoritas institutionis, quæ ab ipso Domino habet exordium. 1. *Corinth.* 11. Tradidi vobis quod & accepi: quoniam Dominus noster Iesus Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Discipulis suis, dicens: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Quæ enim manus materiæ sacramenti transsubstantialitatem in corpus verum Christi indere potuisset, nisi quæ primo creaturas condidisset? Et ideo dicit *Ambros.* quod non est mirum si Christus creaturas mutat, qui creator est creaturarum.

Panem] Hæc est propria materia. Non autem panis est simpliciter & absolutè, nisi panis de frumento. Hordeum enim cibus est iumentorum, & similiter auena: sed siligo ægritudo est ad frumentum: sicut cætera metalla, secundum Alchimistas ægritudines sunt ad aurum. Et huius signum est, quod in bona terra seminata siligo, infra tres annos nobilitatur in frumentum: & frumentum seminatum in mala terra, infra tres annos degenerat in siliginem. Hoc autem etiam ostenditur ex hoc, quod granum frumenti rubicundius est, & purius in substãtia, & maius inter grana, quæ bene corpus nutriunt. Alia enim grana leguminum ventosa sunt, & corpus non nutrientia. Et ideo hoc solum inter grana simplex est nutrimentum. Propter quod etiam *in Pantegni* tres causæ assignantur, quare granum frumenti simpliciter nutrit. Prima quidem est, quia purioris est substantiæ. Secunda autem, quia propter viscositatem sui & pinguedinem fortius adhæret membris. Tertia autem est, quia citius membra subintrat ad nutriendum. Et ita ex puritate, pinguedine, & subtilitate, membris humanis magis proportionatur. Et ideo Dominus propter puritatem se grano frumenti comparat *Ioan.* 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. De pinguedine autem dicitur in *Psal.* 147. Et adipe frumenti satiat te. De subtilitate autem dicitur *Deuter.* 33. Tantummodo oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. *Psalm.* 4. A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Frumentum enim est subtilitas sacramenti, quod penetrat vsque ad intima. Vinum autem redemptio Sanguinis Sacramenti eiusdem. Et oleum pinguedo gratiæ, & propter illam Eucharistia, hoc est, bona gratia vocatur. Talis igitur est materia: & ideo de nulla pasta confici potest, neque de aliquo pane nisi de frumento. *Psalm.* 103. Panis cor hominis confirmet. Iste enim panis specialiter confirmat cor hominis. *Hebr.* 13. Optimum est enim gratia stabilire cor hominis, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Ista ergo est propria huius sacramenti materia.

Gratias egit] Hic de tanto Sacramento gratiarum egit actionem. Hoc enim Sacramentum mundum est, plenum est, commune est, & efficax. Mundum quidem: quia non in cruore immolati sanguinis est: sed secundum materiam habet munditiam. *Psalm.* 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: qui sicut legitur *Genes.* 14. obtulit panem & vinum. Et subiungitur *ibidem* ratio: quia erat Sacerdos Dei summi. Hoc etiam Sacramentum est plenissimum omni perfectione: quia continet ipsum Christum, qui omni gratia est plenissimus. Et propter hoc ante parum dixit Christus: Non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Q. d. Modo vacuum est, & ideo illud non edo: sed plenum omni gratia de cætero incorporabo mihi. Commune etiam est: quia est secundum duo, quæ communiter nutriunt homines, quæ sunt forma pania & vini. *Psalm.* 103. Vinum lætificat cor hominis, & pania cor hominis confirmat. Cum effectu autem est: quia cum omni gratia quæ efficaciam habet ad peccati relaxationem, & virtutum collationem, quamcunque virtutem homo desiderat. Vnde *Sapient.* 16. dicitur, quod voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Et ideo dicitur panis Angelorum: quia Angelorum gratiam in operibus confirmat. *Psalm.* 77. Panem Angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia. Primum quidem est de effectu: quia si aliquid gratiæ effectum efficit, tunc efficit gratiam panis Angelorum. Abundantiam autem habet in hoc, quod omnis gratiæ est operatiuum. De tam pleno igitur & abundanti sacramento gratias egit Dominus. Loco autem huius gratiarum actionis, Ecclesia habet multorum generum Collectas, quas ante Sacramentum ordinat, & post confectionem ipsius.

Fregit] Hic determinat huius sacramenti fractionem. Cum autem Christi corpus infrangibile sit sub forma sacramenti, eo quod totum integrum & indiuisum sit sub qualibet parte: non potest fractio ad corpus Christi verum referri: sed oportet quod referatur ad accidentia panis, quæ franguntur. Et ideo iam soluitur quæstio quæ fieri consueuit. Vtrum Christus ante passionem suam, Corpus suum passibile vel impassibile dederit. Quoniam si dedit passibile: tunc videtur quod dentibus attritum patiebatur, masticabatur, & diuidebatur. Et hoc non est verum: quia Christus integer & indiuisus sedit cum Discipulis in mensa. Si autem dedit impassibile corpus: tunc videtur quod tale dedit quale non habuit. Et hoc etiam falsum est: quia veritas nunquam in Sacramento veritatis aliud quam erat finxit. Et ideo fractio non nisi in accidentibus fuit. Et hoc quidem est verum. Sic enim diuisum in formis accidentium, & distribuitur in multos, & tamen vnusquisque recipit totum. In signum enim huius *Matth.* 14. fregit panes, & dedit Discipulis suis, vt turbæ apponerent. Turba enim Dei vel in cælo est, vel in mundo, vel in purgatorio. In purgatorio quidem vna pars inuenit propitiationem, in mundo autem remissionem, & quæ in cælo quiescit laudem. Et ideo in tres partes hostia frangitur. Et hoc est quod dicitur *Act.* 2. quod Discipuli erant perseue-

rantes

rantes in fractione panis & oratione. *Ioan. 6.* Colligite fragmenta ne pereant. *Thren.*4.Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Omnis enim boni Sacerdotis paruuli sibi commissi vel innocentes sunt, & pro illis est laudis hostia immolata: vel sunt pœnitentes,& pro istis sunt supplicationes & indulgentiæ: vel sunt tentati, & pro illis sunt intercessiones. Et ideo frangitur hostia. Hoc est ergo quod gratias egit, & fregit.

Et dedit eis] Ecce huius Sacramenti exercitium,siue vsus,& communio. Et ideo in hoc sunt duo: communio quidem intelligitur in hoc quod dicit [dedit eis] ad communionem enim dedit. *1.Corinth.* 10.Panis quem frangimus,nonne communicatio corporis Christi est? 2.*Reg.6.* Dauid partitus est vniuersæ multitudini Israël tam viro quam mulieri singulis collyridam panis vnam, quæ Christum passum significat. Et hoc modo tunc dedit ad communicandum [Dedit] autem, non vendidit: quia *Matth.*10. dixit. Gratis accepistis, gratis date. Dedit autem etiam ad vsum & exercitium: quia voluit vt deinceps frequentaretur. Vnde *Leuit.*23. dicitur: Legitimum sempiternum erit vobis in generationibus vestris. Item *Exod.*12. dicitur. Custodietis illud religione perpetua. Et ideo vsum quantum ad Sacerdotes per hoc voluit inducere, dicens.

Hoc est corpus meum] Hic sexto tangit huius Sacramenti, quantum ad formam propriam, institutionem. Et ideo cum multi hic multas inuenerint opiniones errorum:vna sola vera est, quæ dicit, quod per ista verba & formam conficiendi dedit, & instituit, & etiam Sacramentum iam confectum demonstrauit. Et quod dicitur [Hoc est corpus meum] quærunt quidam in hac forma, cum plures sint dictiones, vtrum quælibet secundum se ad transsubstantiationẽ corporis operetur? Sed dicendum ad hoc, quod non: quia verba ad intellectum,intellectus vero ad rem est referendus. Et ita totum efficitur indiuisibile, sicut est res ipsa:& virtute indiuisibilis rei sub voce significan te operatur. Et hæc est operatio formæ istius Sacramenti: sicut & aliorum sacramentorum, quæ sub forma vocis significantur. Non enim diuisibile est in tot, quot diuisibiliter sub forma vocis significatur. Hoc est enim verbum virtutis de quo scriptum est *Psal.67.* Dabit voci suæ vocem virtutis. Similiter hoc est verbum,de quo dicitur *Psalm.* 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, hoc est, cælestes. Ipse enim dixit, & facta sunt.Et ideo cum sermo Dei non excidat *Tob.*14. oportet quod hoc verbum sit verum. Et sic oportet, quod corpus Christi verum sub hoc fiat sacramento. Hoc igitur efficit ibi hoc verbum. Hoc etiam verbum facit omnem sumentem transire in corpus suum mysticum: quia sicut ex multis granis conficitur panis, de quo fit corpus Christi: ita de multis fidelibus populis colligitur Ecclesia, quæ est corpus Christi mysticum,& hoc etiã corpus Christi. 1. *Cor.*12. Vos estis corpus Christi,& membra de membro, hoc est,singuli estis membra de membro hoc,quod est caput:quod est membrum principale de corpore mystico. Sic enim totus Christus in cælum ascendit, quando dicitur: Ite, missa est ad Patrem hostia: quando panem & vinum mutat in corpus suum verum,& omnia membra mystica in corpus suum mysticum, & cum omnibus his ascendit in cælum. *Ioan.*3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo. Sic ergo dedit eis,dicens:Hoc est corpus meum

Quod pro vobis tradetur] Hoc est septimum, quod significat huius sacramenti in redimendo propriam virtutem. Hoc enim corpus traditum est, vt supra diximus, à proditore sicut vendente, à Iudæis tanquam appretiantibus, à Patre sicut ordinante, à Christo sicut obediente, à Spiritu sancto sicut formam sanctificationis apponente, à Pilato sicut imperante, & à ministris sicut exequentibus traditionem. Et hæc omnia sunt ad nostram liberationem. Et ideo dicit [pro vobis tradetur] quia per hæc peccata nostra abstulit *Isa.* 53. Verè langores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. *Rom.*8. Etiam proprio Filio suo non pepercit Deus,sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam omnia nobis cum illo donauit? Omnia enim nobis cum illo donata sunt: quando ille donatus est,qui omnia donat indulgendo commissa & omissa. Vt sic verum sit quod dicitur *Matth.* 18. Dimisit ei vniuersum debitum. Et ille donatus qui omnia dedit dona gratiarum: vt verum sit illud *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Sic enim traditum est in manus gladij corpus Domini: ne nos traditi in manus gladij partes vulpium efficeremur. *Rom.* 4. Traditus est propter nostra delicta, & resurrexit propter iustificationem nostram

Hoc facite] octauum est, in quo duo sunt notanda. Primum est iniunctio vsus huius sacramenti, quod notat quando dicit: Hoc facite. Secundum autem est, quod sit memoriale abeuntis ad mortem pro nobis Domini. Dicit ergo [hoc facite] Nihil enim vtilius est iniungi, nihil dulcius, nihil salubrius, nihil amabilius, nihil æternæ vitæ similius iniungi potuit. Et hæc per singula ostenduntur.

Vtile enim ad peccati remissionem, & ad gratiæ plenitudinem est vtilissimum in vita. *Hebr.* 12. Hic scilicet Pater spirituum erudit nos ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Sanctificatio autem eius est in sacrificatione eius, hoc est, cum se obtulit in Sacramento, & Patri pro nobis, & nobis se obtulit ad vsum. *Ioan.*17. Pro eis sanctifico meipsum. *Hebr.9.* Christus qui seipsum per Spiritum sanctum obtulit Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Sic igitur [hoc facite] quia nihil vtilius hoc facere potestis ad Patris cælestis recipiendam sanctificationem, quæ in remissione peccati consistit, & in plenitudine gratiarum.

Nihil etiam dulcius facere possumus. Quid enim dulcius, quam id in quo Deus totam suam ad nos ostendit dulcedinem? *Sap.* 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore,habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas:& volũtati vniuscuiusque eorum deseruiens,ad quod quisque volebat,conuertebatur. Ecce quod in hoc Sacramento totam ad nos suam ostendit dulcedinem. Et ideo Sacramentum hoc, mel vocatur: quia & gustus corporis, & gustus sanguinis,mellitam propter deitatem habent dulcedinem.

Psalm. 80. Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petta melle saturauit eos 1. *Corinth.* 10. Bibebant de spituali consequente eos perra: petta autem erat Chtistus. Hæc enim adipem srumenti in pinguedine & dulcedine istius Sactamenti exhibuit. Quia sicut dicit *Isaac in Libro de dietis vniuersalibus*, pinguis sapot, & præcipuè sapor adipis, ptoximus est iuxta dulcem, & amicus, & conueniens secundum naturam. Melleum autem saporem petta hæc ptofundit in sangnine. Hoc significatum est 1. *Reg.* 14. vbi dicitur, quod super faciem agri erat mel: ad quod cum extendisset Ionathas extremum virgæ quam manu tenebat, & gustasset, statim illuminati sunt oculi eius. Aget enim, natuta nostra est in Chtisto, super cuius faciem exaratam atatro passionis, & adæquatam disciplina flagellotum, & fimatam sputis Iudæorum, & eonsossam spinis & elauis & lancea, fructus mellis apparuit: ad quem fructum quicunque Ionathas est, hoc est, filius columbæ, vel donum, hoc est, filius Spiritus sancti: si extendat tectam virgam hoc est, iustitiæ mensuram, quam sempet manu præfette debet, hautit mel istud: & ad gustum spiritualem ipsius, oculorum eotdis tecipit illuminationem.

Nihil etiam salubrius iniungi poterat. Est enim hoc Sactamentum ligni vitæ fructus, quem qui cum deuotione syncetæ fidei sumit, mortem non gustabit in æternum. *Prouerb.* 3. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit illam, bearus. *Ioan.* 6. Qui manducat me, viuit proptet me. Hoc enim viaticum quod in salutem viatoribus est patatum. 3. *Reg.* 19. Ecce ad caput Eliæ subcineritius panis, & vas aquæ: surrexit, & comedit, & ambulauit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus vsque ad montem Dei Horeb. Elias robustus dominator, significat quenlibet in via Dei viatorem, quem robustum oportet esse & dominatorem, ne peccati seruus efficiatur. Caput autem Eliæ est Christus, apud quod caput, panis iste sub cineribus passionum & exprobrationum decoctus, præsto semper inuenitur. Vas autem aquæ quæ cum sanguine fluxit, est Sacramentum istud, in quo populus, qui per aquam significatur, in Christum colligitur vt mixtus populus Christo, sicut aqua sanguini, cum Christo in hoc Sacramento Patri offeratur. Et sic in fortitudine Christi, qui fortitudo cibi istius est, per totum tempus pœnitentiæ, quod per quadraginta significatur, ambulamus. Quadraginta enim suis partibus crescit in quinquaginta, qui iubilæus & remissionis & libertatis est numerus. Ad montem autem eminentiæ spiritus per hoc ascenditur, qui vocatur Horeb, quod mensa latinè interpretatur: quia ibi mensa cælestis refectionis habetur. *Psal.* 22. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.

Nihil etiam amabilius iniungi potuit. Hoc enim Sacramentum & amoris, & vnionis est effectiuum. Amoris enim maximi indicium est, seipsum dare in cibum. *Iob* 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, vt saturemur? Q.d. Tantum dilexi eos, & ipsi me, quod ego in visceribus eorum esse cupiebam: & ipsi me sic sumere. vt mihi incorporati membra mea fierent. Non enim intimius nec naturalius mihi vniti poterant, & ego eis. Et ideo dicit *Hilarius in nono libro de Synodis*, quod per hoc Sacramentum naturaliter in Deo efficimur & ipse in nobis. Et sic verificatur quod dicitur *Ioan.* 17. Tu Pater in me, & ego in eis, vt sint in vnum consummati. Sic ergo vnionis nostri cum capite est effectiuum: vt corpori incorporati simus ad sacramẽtorum communionem: sanguine suo infusi, ad intimorum nostrorum aspersionem: aqua cordis sui abloti, ad conscientiæ emundationem: anima sua redempti, ad perfectam cum Deo Patre reconciliationem: Spiritu sancto suo vegetati, ad omnis spiritualis vitæ deperditæ restaurationem: & deitate sua consummati, ad omnis virtutis perfectionem. Et sic sibi optimè sumus vniti, ad perpetuam in ipso mansionem. *Ioan.* 6. Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Hoc igitur est summi amoris indicium: quia amor, vt Beatus dicit *Ierotheus*, vnitiua est virtus. Vnde *Ioan.* 13. Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et hoc dictum est in cœna corporis & sanguinis sui, in qua nos, sicut dictum est, sibi vniuit vt nos ad suam, vt *Hilarius* dicit, conuerteret naturam & virtutem: & sic nos in ipso Patri offerret.

Nihil etiam æternæ vitæ similius iniungi poterat. Æternæ enim vitæ continuatio ex hoc est, quod Deus sua dulcedine seipsum influit beatè viuentibus. Et huius influentiæ istud Sacramentum est signum, vt dicit *Dionysius in Hierarchia cælesti*. Vnde *Isa.* 66. Ecce ego declinabo in vos sicut fluuium pacem: & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis. Gloria enim Gentium Deus est, quam sugentes in dulcedine perfecta, æterna vita potiuntur Beati. Vnde *Luc.* 14. Beatus qui manducabit in regno Dei panem. *Luc.* 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. *Eccli.* 24. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

Hoc igitur facite vobis vtiliter, dulciter, salubriter, & amabiliter [in meam commemorationem] Si enim aliquis nos ad prandium olerum vocaret: ingratitudinis argueremur, si inuitantis nos obliuisceremur. Qualiter ergo vnquam præ confusione oculos ad ipsum audemus aperire, si istius obliuiscimur, qui in cœna tot & tanta nobis exhibuit de se & in seipso. Est autem commemoratio beneficij in gratiarum actione, patientis autem in compassione, & abeuntis in desiderio consequendi

De primo quidem dicit 1. *Thess.* 5. In omnibus gratias agite. *Eccle.* 1. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Flumina enim gratiarum, per gratiarum actionem reflectuntur in Christum gratiæ omnis fontem: quia *Ioan.* 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. De memoria autem passionis dicitur 1. *Cor.* 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Et ideo cum lacrymis seu lactucis agrestibus præcipitur comedi agnus *Exod.* 12. qui succus amarus est valde: eo quod amaricari debet cor nostrum, quod innocens Filius Dei pro peccatis nostris occisus est. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, transgressionis, absinthij, & fellis. Et respondet *Ieremias* pro se & pro nobis *Ibidem.* Memoria memor ero: & tabescet in me anima mea.

Est autem

Est autem memoriale Domini abeuntis, & est recordatio insequendi in desiderio. Et sic dicit *Dionysius*: quia in memoriam reducit nobis hoc Sacramentum dominicam cœnam, in qua Petrus ad sequendum accenditur, ad detestandum proditorem omnes Discipuli animantur, Ioannes in somnum contemplationis resoluitur, solus Iudas diabolo superadimpletur. Petrus enim dixit *Ioan.*13. Quare te non possum sequi modo? animam meam ponam pro te. *Luc.*22. Paratus sum tecum & in carcerem, & in mortem ire: maius habens desiderium quam vires ad sequendum. Hoc ergo desiderium Petri in memoria tenere debet, qui Sacramento Christi communicat. Turpe est enim Christum præcedere, & non sequi eos, qui iam per Sacramentum sibi sunt incorporati.

De secundo autem dicitur *Ioan.*13. quod omnes Discipuli hæsitantes, Petro innuente Ioanni, & Ioanne interrogante, dixerunt: Domine, quis est qui tradet te? in magna detestatione habentes traditorem. Et similiter omnes dixerunt: Nunquid ego sum Domine? Et in hoc recordandum est, ne Dominum iam susceptum in cordis & corporis hospitium, tradamus vili pretio peccati: & nos ipsos semper examinemus, ne aliquid proditionis in nobis inueniatur. *Hebr.*3. Videte, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Ne cum Iuda proditore communicemus, de quo dicit Christus *Psalm.*40. Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Et præcipue ne Sacerdotes & Episcopi hoc facerent, qui sæpe vendunt sacramenta pretio Iudæ & Simonis magi.

Cum Ioanne autem resolui debemus ad recumbendum in pectore Domini, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi: sicut dicitur *Ioan.*21. Qui & recubuit in cœna super pectus Domini. Signum enim pessimum est, si tam suauis cibus nullum in nobis operatur somnum contemplationis. Præcipuè cum in cœna datum sit, in qua dantur obsonia, hoc est, cibaria ob somnũ, siue propter somnum sumpta. *Psalm.* 116. Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini. In signum huius dixit Discipulis *Matth.* 26. Dormite iam & requiescite. *Psalm.* 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam, hoc est, in pace refectionis & conscientiæ tendam in id quod semper est idipsum. Et sic somno contemplationis dormiam & requiescam.

Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix.

Hic tangit de Sacramento sanguinis. Notantur autem in hoc Sacramento septem, quorum primum diuina institutio, quæ in omni sacramento locum habet: quia sacramentum non habet vim nisi à diuina institutione. Secundum autem est temporis congruentia. Tertium Sacramenti propria materia. Quartum noui testamenti dedicatio. Et quintum in hoc Sacramento res causata, & significata, & contenta. Sextum vero est huius Sacramenti proprius effectus. Septimum autem est summæ dilectionis signum.

De primo horum dicit [Similiter & calicem] supple, accepit. Accepit autem vt institueret, & tactu suo vim transsubstantialitatis inchoaret. Ad hoc enim tactus eius, sicut in præmissis diximus, ordinabatur. Sicut enim dicitur *Luc.*8. & *Marc.*5. ad tactum ipsius, ipse cognouit virtutem de se exisse in omne quod tangit. Et sic egressa est virtus eius in calicem per tactum ipsius. Et hoc præuidens in spiritu *Psalm.*74. dixit. Calix in manu Domini vini meri. Per hoc igitur quod dicitur [Similiter & calicem] quem accepit, virtus institutionis Sacramenti significatur. Cum enim sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non debuit tantum offerre panem, sed debuit etiam offerre vinum. Sic etiam Patriarcha Iacob *Genes.*27. postquam Patri obtulit cibos, obtulit ei similiter & vinum. Hæc igitur est causa institutionis huius Sacramenti. Sicut enim pane confirmatur cor hominis ad conscientiæ confortationem: ita etiam vino lætificatur cor ad gaudij æterni conceptionem. *Psalm.*103. Panis cor hominis confirmat Et addidit: Vinum lætificat cor hominis. Hæc etiam duo sunt satisfacientia duobus naturalibus desiderijs, scilicet, fami, cui spiritualiter instituitur Sacramentum corporis: & siti cui instituitur sanguinis sacramentum. *Matth.*5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Vnde his duobus respondet quod dicitur *Ioan.*6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. In duobus enim ad nos maximam voluit ostendere charitatem, in operando scilicet, & patiendo. In operando autem maximum fuit, quod corpus suum dedit: in patiendo maximum, quod pro nobis sanguinem fudit. Et ideo post corporis Sacramentum, etiam sacramentum sanguinis instituit.

Quærunt quidam magis curiosi quam deuoti: ex quo corpus sine sanguine non est, neque sanguis Christi est extra corpus suum: Ad quid oportuit institui Sacramentum sanguinis, postquam corporis Sacramentum erat institutum? Sed ad hoc dicimus, quod quamuis hæc duo indiuisa sint secundum naturam, tamen diuisos habent effectus: quia vnum est ad incorporandum Christo ordinatum: vt nos in ipso, & cum ipso hostia Patri offeramur. Sanguis est ad ablutionem peccatorum. Vnde dicitur *Hebr.*9. quod sine sanguinis effusione non fit mundatio. *Genes.*49. Lauit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Et quod dicunt, quod corpus non est sine sanguine, neque è conuerso. Hoc verum est: sed tamen ex virtute sacramenti, sacramentalis sanguis non est in corpore: nec sacramentale corpus est in sanguine. Sed vnum est in altero propter vnionem naturalem vnius ad alterum: quia scilicet sanguis non habet naturale receptaculum nisi in corpore, & corpus non habet naturalem infusionem nisi à sanguine. Vt igitur ex sacramento & sacramentaliter cœnam perfectam Christi habeamus: oportuit institui vt & sacramentaliter haberetur corpus, & sacramentaliter haberetur sanguis. Hæc igitur est causa & modus institutionis. Sic nos saluat Rex & Sacerdos noster de area & torculari: quod facere Rex Samariæ non potest 4 *Reg.*6. per quem hæretici significantur. *Matth.*7. Nunquid de spinis colligunt vuam, aut de tribulis ficus? hoc est, corporis Christi dulcedinem? Q. d. Non.

Postquam cœnauit] Ecce tempus institutionis. Prius enim est cœnandum, vt Christo incorporemur,

mur. Et deinde sanguis sumendus: vt intimis nostris influat sanguis redemptionis. Sic enim fit in nobis, quod dicitur *Apoc.* 7. Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Sic enim Christus fuit per intima nostra nos vbique sanctificans. *Psalm.* 50. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Hyssopus enim herba est sanguinem purificans: & significat purum sanguinem Domini IESV, qui nos mundat. *Exod.* 24. *Hebr.* 9. Moyses accipiens hyssopum, sumptum sanguinem respersit in populum, dicens. Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Sic ergo post corporis institutionem, sanguinis Sacramentum est institutum, & hac necessitate.

Dicens: Hic est calix] Hic tangitur istius Sacramenti propria materia [Hic enim est calix] hoc est calida potio, quæ in potionibus simplicibus est vinum. Nec voluit Dominus aquam habere pro materia, quia insipida est: quod non competit maximi saporis Sacramento. Nec voluit liquorem commixtum pro materia habere, sicut medonem, vel ceruisiam, vel moretum, vel aliquid tale: quia non competit simplicitati, & synceritati sacramenti: sed vinum quod calidum, cordis lætificatiuum, & corporis nutritiuum: & calor quidem ipsius competit charitati: lætitia autem concepta, in corde æternæ iucunditati: nutrimentum autem restaurationi spiritus in refectione sapientiæ: intellectui maxime congruit & eleuationi. Est præterea humidum in sitis extinctionem, vaporosum in suauissimæ quietis operationem, & commune satis in omnium commoditatem.

De primo autem, hoc est, de calore charitatis dicitur *Cantic.* 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Charissimi enim tunc charitate, hoc vino calido inebriantur. Hoc vino charitatis est Dominus calefactus, quando sui obliuiscens, præ amore se nobis tradidit: sicut Ioseph inebriatus est coram fratribus suis *Genes.* 43. Hoc calore immaduit Anna, quando seipsam excedens largiter fleuit, petens à Domino magni Prophetæ petitionem 1. *Reg.* 1.

De cordis autem lætitia dicit ipsa viris *Iudic.* 9. Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. In hoc enim vinum fortissimum est, vt dicitur 2. *Esdræ* 3. *Prouerb.* 31. sic præcipitur vinum dari mœrentibus, vt suæ tristitiæ obliuiscantur, hoc est, tristitiæ illius qua quilibet peccator desperat: si eum dulcedo pretiosi sanguinis Christi, qui pro ipso fusus est, non lætificaret.

Refectioni etiam hoc sacramentum congruit: quia inter magis reficientia est vinum dulce rubeum, vt dicit *Auicenna.* Sic enim Christus assimilat se pelicano solitudinis, de quo inter cætera dicitur, quod pullos suo sanguine nutrit, & viuificat, & format. *Ioan.* 6. Sanguis meus vere est potus. Magis enim potu nutrimur, quamdiu sumus paruuli in Christo. Lac etiam, de quo Sancti loquuntur, quod est nutrimentum fidelium paruulorum de sanguine formatur, & per vbera sanguinis colatus ad bibendum sanguis est. Et hoc modo facit nobis Christus. Et ideo ipse est terra lacte manans & melle: lacte in Sacramento sanguinis, & melle in mellea dulcedine Sacramenti eiusdem. *Cantic.* 5. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Hæc enim omnia idem sunt. Fauus enim est sanguis in corpore, sicut mel in cera. Mel autem dulcedo sanguinis eliquata. Vinum autem sanguinis sub sacramenti specie. Lac autem completus sanguis ad nutrimentum.

Hoc vinum est humidum in sitis extinctionem. Et ideo dicitur *Prouerb.* 9. Bibite vinum quod miscui vobis. Vinum enim mixtum est sanguis Christi cum populo. Sicut etiam sanguis mixtus aqua de latere fluxit. Et tale vinum melius sitim refrigerat. Hoc modo dicit *Isa.* 55. Bibite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Iam enim diximus, quod gratis datur Sacramentum, & quod lac est eliquatio sanguinis, & quod vinum est sanguis sub specie Sacramenti. Et sic etiam aqua miscetur in calice tanta, quanta conuerti possit à vino: & in saporem vini transeat: & non vinum ad saporem aquæ conuertatur: quia *Ioan.* 2. Christus conuertit aquam in vinum, hoc est, populum insipidum in saporem diuinum: non autem vinum corrupit in aquam.

Hoc vinum est vaporosum in suauissimæ quietis resolutionem. Vnde & sponsa quæ dormit sic quod cor suum vigilet *Cantic.* 2. se dicit esse introductam in cellam vinariam: cuius vini vapore in quietæ contemplationis somnum resoluatur. Et ideo sponsus dicit *ibidem*: Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Filiæ quidem Ierusalem sunt fideles, aliquando necessitatibus suis contemplationi deditos pulsantes, & curis suis inquietantes. Hi adiurantur per capreas, hoc est, limpidæ veritatis visiones: quia caprea limpidè videt: & ceruos, hoc est, gaudiorum saltus in campis spiritualis libertatis, ne suscitetur dilecta, donec ipsa de tam dulci somno ad seipsam reuertatur.

Hoc etiam vinum commune satis est in omnium commoditatem: quia non vbique quidem vites sunt: sed tamen vinum facile vehitur ad totum orbem terrarum. Et ideo de communi satis habetur materia. Et ideo de vinea Domini quæ mundum operit, dicitur *Psalm.* 79. Operuit montes vmbra eius: & arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare: & vsque ad flumen propagines eius: quia hoc Sacramentum in totum terrarum orbem est diffusum; sicut & Christi sanguis pro omnibus est fusus, & omnibus infusus.

Nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Ecce noui testamenti dedicatio, in quo Deus nobis suam confirmauit hæreditatem, testamento sui sanguinis legatam. Vetera enim transierunt sicut supra dictum est. Et in signum huius in die cœnæ deteguntur, & lauantur altaria quasi innouentur à veteribus, & ad noua sacramenta præparentur. *Isa.* 26. Vetus error abiit. 1. *Corinth.* 5. Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in azymis synceritatis & veritatis. Et *ibidem*. Sitis noua conspersio sicut estis azymi. Hæc autem innouatio per sanguinem Christi facta est. *Rom.* 6. Quomodo surrexit Christus per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, innouati nouo sanguine IESV CHRISTI, & abstergentes sanguinem hircorum

&

& vitulorum, & ea quæ in antiquorum pecorum sanguine immolabantur. *Hebr.9.* Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Et hoc est quod dicit quinto.

In sanguine meo] Per quod notat rem significatam, & causatam, & contentam in sacramento, quæ est verus Christi sanguis, quo sacramentaliter intima conscientiarum nostrarum perfunduntur. *Apoc.1.* Dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo. Efficax enim ablutiuum est sanguis, in quo est virtus deitatis, cui conscientiarum sordes resistere non possunt. *Hebr.12.* Accessistis ad sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel: quia sanguis Abel clamauit vindictam, & sanguis Christi perfectam remissionem.

Qui pro vobis fundetur] Et hic notatur huius Sacramenti proprius effectus. Pro nobis enim qui tradi meruimus, tradetur sanguis Christi vt nos liberemur. *1.Petr.1.* Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine agni tanquam immaculati Christi. Et ideo dicitur sanctificatus, secundum etimologiam quasi sanguine tinctus. *Hebr.10.* Grauis comminatio ponitur ei, qui sanguinem sanctificationis, inquinatione secundarum sordium per reditum ad peccatum, ducit pollutum: sic: Irritam quis faciens legem Moysi, absque vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quanto magis putaris deteriora mereri supplicia, eum qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Q. d. Multo maiora meretur ille supplicia quam mortem temporalem. Hoc etiam est maximi amoris signum: quamuis in magnifico dono quo dedit seipsum, magni amoris sit signum: tamen in patiendo, & sanguinis effusione magis est difficultatis. Et ideo dicit *Ioan.15.* Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Constat autem quod sedes animæ secundum legem in sanguine est. Et ideo sanguinis effusio maximi amoris signum est. Propter quod etiam *Exod.12.* postes fidelium sanguine rubricati præcipiuntur: vt signo diuinæ dilectionis in eis apparente, exterminator in eis non habeat potestatem. Hoc est igitur quod dicit.

Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis secundum quod definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

Hic cautè tangit proditoris reuocationem. Habet autem duas partes, in quarum prima facit quod dictum est: in secunda autem, de hoc inter Discipulos non sibi de tanto scelere conscios, oritur quæstio. In primo horum tria dicuntur, in quorum primo, per dulcem cibum quem ministrat, & per deitatem qua secreta cordis diiudicat, proditorem ad pœnitentiam reuocat: in secundo autem, se à redemptione generis humani propter proditionis horrorem ostendit non deficere, vel desistere: in tertio, per comminationem iterum reuocat proditorem. Dicit igitur.

Veruntamen] Quamuis ego tanta signa dilectionis ad vos ostendam [Veruntamen] hoc est, sed aduersa vice dico vobis [quod manus tradentis] non curantis de amore ostenso: & econtra inimicitias agentis [mecum est in mensa] accipiens cibum in hac mensa maiori, quam vobis duodecim præparaui. *Psalm.45.* Qui simul mecum dulces capiebat cibos. Et ex hoc videtur quod Christus Iudæ dederit suum corpus. Et hoc quidem concedit *Hilarius*. Sed alij contradicunt: sed dicunt quod porrexit ei buccellam intincti panis in vino. Et quia tunc Christus comedit cum Discipulis de eadem cœna, dicunt quod etiam Christus tunc sumpsit corpus suum. Et hoc concedit *Chrysost.* Et hoc videtur mihi esse veritas. Et significauit per hoc quod ipse sibi suum mysticum corpus incorporaret. Vnde *Hebr.2.* quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. Et significauerunt hoc antiqui tali versu.

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Si etiam quæritur, Verum Christus tunc exhibuit corpus suum mortale & passibile, sicut tunc habuit, quare inter dentes masticatus nihil doloris passus fuit? Si autem exhibuit impassibile: tunc tale exhibuit quale non habuit. Et ita in sacramento veritatis finxit. Quod est valde inconueniens. Responsio. Ad hoc dicendum, quod tunc suum corpus quale tunc fuit exhibuit passibile & mortale: sed exhibuit vt integrum & simplicem cibum. Et ideo masticatio (quæ est quædam fractio) non in corpore, sed in formis quæ corpus circumstant, fuit. Et ideo Christus non diuidebatur, sed integer totus sub qualibet particula sumebatur. Et sic etiam nunc masticatur, & masticari debet: quia masticatio sacramentale signum est frequentis reditus super cibum qui sumitur. Sic ergo [manus tradentis me, mecum est in mensa] Sic heu hodie frequenter est, cum mali Sacerdotes & alij mali huic sacramento communicant. *Prouerb.13.* Iustus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insatiabilis. Iusti enim sumunt & sacramentaliter & spiritualiter: & ideo sumunt ad peccatorum propitiationem, & incorporantur Christo. *1.Ioan.2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: & non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi. De indignè autem sumentibus dicitur *1.Corinth.11.* Qui manducat & bibit indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini [Et quidem Filius hominis vadit] hoc est ad patiendum pro redemptione hominis procedit & proficit. *Ioan.14.* Vt sciant homines quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. Surgite eamus hinc. Non dubium quin ad Passionem [secundum quod definitum est] à Patre Deo, ad cuius diffinitionem omnia fecit. Vnde *Philip.2.* Factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et ideo Passio mea Deo gratissima est & accepta: quamuis actio traditoris & occidentium displiceat. Vnde versus.

Actio displicuit, Passio grata fuit.

Et

Et ideo [væ] æternæ damnationis [homini] illi per quem traditur. *Matth.* 26. Melius illi erat si natus non fuisset homo ille. *Matth* 18. Necesse est vt veniant scandala. Væ autem homini per quem scandalum venit [& ipsi] scilicet Discipuli [cœperunt quærere inter se] non sibi de tanto crimine conscij [quis esset ex eis] duodecim [qui hoc esset facturus] Dicit autem *Chrysost.* quod maxime Petrus hoc quærebat. Habebat enim intentionem illum occidendi, sed Christus impedite voluit: & ideo Petro non indicauit. Vnde *Matth.* 16. dixit Petrus: Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Et Christus respondit. Vade retro satana: quia non sapis quæ Dei sunt.

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.

Hic incipit istius capituli secunda pars, quæ est de confortatione Discipulorum. Dicuntur autem hic tria, in quorum primo communis confortatio ponitur contra elationem: in secunda autem parte ponitur confortatio principis Apostolorum contra dæmonis tentationem: in tertia autem confortantur omnes communiter, quod consilio humano vtantur contra Iudæorum persecutionem. In harum partium prima duo sunt, in quorum primo contentionis ponitur occasio: in secundo autem communis ponitur confortatio. In primo horum duo tanguntur: contentio, & contentionis materia. Dicit igitur quod

Facta est contentio] Ex hoc enim quod quendam de proditione suspectum habebant, & ex hoc quod Christus secum tres in monte transfigurationis assumpserit: suboriebatur contentio, quod quidam erunt amplioti honore digni, & quidam magis despiciendi. Cum autem dicat *Ambros.* quod contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Sic non sumitur hic contentio: sed dicitur contentio, quia simul tendebant certatim vt honore inuicem præuenirent: eo quod quilibet alium sibi secundum doctrinam Domini præferebat, & alter illum honorem sibi exhibitum refutabat, & conuertit eum in eum qui se honorabat. Et hoc modo exponit *Ambros.* *Rom* 12. Honore inuicem præuenientes. *Rom.* 13. Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem. Sed ista expositio non videtur conueniens: quia cum hoc bonum sit, superfluè Christus hoc in Apostolis correxisset. Et ideo consentiendum est *Chrysostomo*, qui dicit quod aliquid humanum in hac contentione passi sunt Apostoli, & de aliqua elatione dignitatis in conspectu Christi tentati. Videntes enim quosdam assumi, notati etiam aliquem de proditione: cupiebat quilibet eorum apud Christum maior esse, ne de tali scelere notaretur. Sic mater filiorum Zebedæi *Matth.* 20. quæ dixit: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno tuo. Cæteri autem Apostoli indignati sunt de duobus: quia talia de se præsumerent, & ad petendum pro se matrem incitassent. Propter hoc etiam Dominus redarguit duos illos, quia mater sua talia pro eis petiuisset. Talis igitur contentio facta est inter eos.

Quis eorum videretur esse maior] quod autem hic minus dicitur *Matth.* 18. suppletur. Vbi dicitur, quod accesserunt Discipuli ad IESVM dicentes: Quis putas maior est In regno cælorum? Hæc est enim contentionis eorum materia. Putabant enim regnum cælorum illico esse inchoandum, sicut in præhabitis dictum est: & in regni illius claritate putabant aliquos aliis esse præferendos. Et ideo de dignitate temporali non litigabant: quia nec in illa regem suum videbant excellere: sed de dignitate regni cælorum, quod statim putabant per virtutem apertæ iustitiæ inchoandum. In hoc autem regno maior est, qui in oculis suis minor est. *Matth* 11. Qui minor est in regno cælorum, maior est illo, qui inter natos mulierum maior fuit. *Eccli.* 3. Quanto maior es, humilia te in omnibus. Et hoc etiam per exemplum videbant in Magistro.

Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.

Dixit autem eis] Christus discipulis. Reuocat autem eos ab errore isto per tria: per dissimilitudinem principatus terreni & cælestis, per exemplum sui, & per æqualitatem suæ vocationis ad Apostolatum. De primo dicit tria: primo, in terrenis principantes describit: secundo, dissimilitudinem suorum ad illos ponit: tertio, quales sui esse debeant instruit. Adhuc autem in primo horum duo tangit: dominationem regentium, & potestatem beneficorum. De primo dicit [Reges Gentium] hoc est, qui secundum iura Gentium, quæ tamen à Deo sunt [Reges] sunt, hoc est, qui alios, leges vtiles & honestas condendo, regunt: quia si aliter facerent, non reges sed tyranni vocarentur. Illi ergo tales reges [dominantur eorum] hoc est, dominium exercent superpositionis in eos. Dominus enim cum seueritate coërcet subditos. *Psalm.* 2. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum [& qui potestatem habent super eos] iure ordinatam per gladiom coërcendi malos ad laudem bonorum [benefici vocantur] quia ad literam multis benefaciunt. Tamen quædam *Gloss.* dicit: Qui potestatem habent largiendi, benefici vocantur. Sed hæc expositio non consequens est, neque ad præcedens, neque ad sequens. Vnde præcedens tenenda est. *Rom.* 13. Non sine causa gladium portat, vindex in iram est ei qui malum agit. Sic enim regnum Gentium confortatur in timore. *Iob* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladios est.

Vos autem non sic] Hoc enim in principio Ecclesiæ fieri non potuit, quam in humilitate & charitate fundari oportuit, & non in dominio & fastu regali. 1. *Petr.* 5. Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Postea autem confortata Ecclesia, cum mali in ea multiplicarentur, tunc oportuit redire ad regalem & dominalem timorem, vt mali comprimerentur. Et hoc est quod dicit [Vos autem] Ecclesiæ fundatores non sic [Sed qui maior est in vobis] potestate spirituali [fiat sicut minor] qui ad nullam eligitur potestatem:

potestatem: quia sicut dicit *Philosophus*: Nemo elegit iuuenes duces: quia non constat esse eos sapientes. *Matth.* 18. Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum: quia ille magis est ad fundandum Ecclesiam idoneus. In primitiua enim Ecclesia non curabatur multum de potestate, sed omnes ad humilitatem & charitatis exempla respiciebant. Et hoc etiam voluit Dominus quando dixit *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Nihil enim leuius est quam in humilitate & mansuetudine gubernare subiectos, quamdiu tempora hoc patiuntur. Statim autem quando multitudo malorum cogit cum seueritate & austeritate procedere: tunc sicut & Moysi res intolerabilis esse videbatur *Num.* 20. ita efficitur etiam prælatio Ecclesiæ intolerabilis: nisi aliquis fastu delectatus velit tolerare, vel forte fouere malos: Sicut faciunt Prælati nostri temporis qui magis vicem habent Sardanapali, quã vicem IESV Christi [& qui præcessor] gradu prælationis: quia exemplũ debet præbere & viam ostendere. Et respondit ei quod ante dixerat: Qui potestatem habent inter eos. Præcessores enim sunt in Ecclesia, qui potestatem habent Ecclesiasticam. Illi enim in omni persecutione primi præcedunt ad martyrium. Et illi sunt qui ad omnes bonos præcedunt ad exemplum. Et ideo dicit: sit [sicut ministrator] 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. *Num.* 8. Erunt Leuitæ ministri fratrum suorum; vt custodiant quæ sibi fuerant mandata in tabernaculo Domini.

Iste Sardanapalus fuit vltimus rex Assyriorum, & voluptuosissimus, qui inuentus est à vasallis suis inter mulieres in habitu earũ, & nens: propter quod indignati sibi conspirauerunt contra eum: quod sentiens, finaliter se ipsum concremauit.

Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

Hic seipsum huius doctrinæ ponit exemplum, & duo facit circa hoc. Primo enim recumbentis & ministrantis circa honorem exteriorem ponit commune iudicium: Secundo, seipsum perfectæ humilitatis ponit exemplum. Dicit igitur [Nam quis maior est] iudicio hominum fastum exteriorem attendentium [qui recumbit] sicut Dominus [aut qui ministrat] sicut famulus? Et constat quod in omnibus præfertur Dominus ministro. Et hoc est quod dicit [Nonne qui recumbit] supple, est maior iudicio seculi [Ego autẽ in medio] vt vnusquisque ad me habeat respectum. *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit quem vos nescitis [sicut qui ministrat] *Philip.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. *Eccli.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Sic enim vt diximus oportuit fundari Ecclesiam quamuis iam fundata & multiplicata non ita possit gubernari. *Matth.* 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. *Luc.* 12. Præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:

Hic suadet idem ab æqualitate vocationis, & tangit quatuor: primum est vocatorum meritum; secundum autem in gloria regni vocatorum præmiũ: Tertio tangit eum quẽ percipient in bonis regni fructum: quarto subiungit illum quem habebunt in potestate iudiciaria honoris cumulum. De primo, sicut gratus Dominus dicit se acceptasse virtutis Discipulorum obsequium: & circa hoc dicit quinque, quorum primum, quod signanter obsequentes sibi discernit, cum dicit [Vos estis] Q. d. Non alij tales sunt. *Zach.* 3. Audi Iesus Sacerdos magne, tu & amici tui qui habitant tecum, qui viri portendentes sunt. Magna enim portendunt viri quos signanter Iesus Sacerdos magnus ab alijs discernit, dicens [Vos estis] *Ioan.* 15. Vos dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. *Psalm.* 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Secundo autem perseuerantiam in fide de ipsis subiungit, cum dicit [qui permansistis] 2. *Tim.* 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Non enim sunt de illis de quibus dicitur *Eccli.* 6. Est amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis. Tertio dicit sui associationem, quando dicit [mecum] cum Christo enim est, qui sibi in omnibus consentit, & adiutor suus in bello contra diabolum existit. *Psalm.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes. aut quis stabit mecum aduersus operãtes iniquitatem? 1. *Paralipom.* 12. Tui sumus ô Dauid, & tecum filij Isai. Quarto notat obsequij difficultatem cum dicit [in tentationibus] quia in magnia persecutionibus tentationum permanere est difficile. *Iacob.* 1. Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Sap.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & inuenit dignos se. Quinto addit hoc quod est pleni amoris indicium, cum dicit [meis] Tentationes enim Sanctorum reputat suas esse. *Zach.* 2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. *Act.* 9. Quid me persequeris? ego sum Christus quem tu persequeris?

Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.

Hic tangit in gloria regni vocatorum præmium [Et ego] cuius est ex hæreditate [dispono] omni iure testationis [vobis] qui sic mecum permansistis [regnum] mei principatus, & mei decoris. *Sapient.* 5. Accipient regnum decoris, & diadema pulchritudinis de manu Domini. *Colos.* 1. Eripuit nos de potestate tenebrarũ, & trãstulit nos in regnum filij dilectionis suæ. Et ideo non oportet hic multum contendere de principatu: quia de humilitate suscitantur regni mei principes. 1. *Reg.* 2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Eo autem iure dispono vobis regnum [sicut mihi Pater meus] per naturam [disposuit] *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Vt sicut ego hæres sum per naturam, ita vos sitis hæredes per adoptionis gratiam. *Rom.* 8. Ipse Spiritus testimonium reddet spiritui nostro, quod simus filij Dei. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

Hic tangit eum quem percipient in bonis regni fructum. Tangit autem duo: refectionis videlicet fructum, & sessionis dignitatem. Refectio autem est in duobus, secundum duos naturales appetitus. De primo dicit [Vt edatis] Comestio autem est in dulcedine diuinæ fruitionis & bonitatis. *Psalm.* 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. *Psalm.* 64. Replebimur in bonis domus tuæ. *Ierem.* 31. Inebriabo animas Sacerdotum pinguedine, & populus meus abundabit bonis [& bibatis] in potu sapientiæ. Et hoc est secundum desiderium naturale. Comedent enim de fructu bonitatis, & bibent de liquore limpissimæ veritatis & æternæ iucunditatis. *Isa.* 25. Faciet Dominus exercituum in monte hoc omnibus populis conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiulum pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. *Psalm.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos [super mensam meam] Ecce discubitus honoris. Dicitur autem mensa plena & ornata, exhibitio deitatis ad fruendum. *Psalm.* 22. In loco pascuæ ibi me collocauit. *Psalm.* 76. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

Et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël.

Hic tangit illum quem in iudiciaria potestate habebunt honoris titulum [Et sedeatis] vt iudices. 1. *Corinth.* 6. An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? *Psalm.* 149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis eius [soper thronos] regales [duodecim] hoc est, in mentibus omnium iudicandorum, qui per duodenarium intelliguntur: quia duodenarius habet decalogum præceptorum, & duo mandata dilectionis, per quæ decalogus impletur. Apostoli igitur resultatione doctrinæ suæ in mentibus iudicandorum sedebunt: & per ipsam doctrinam in mentibus iudicandorum depictam discernent, qui & quare saluentur, qui & quales damnentur. *Psal.* 121. Illic sederunt sedes in iudicio [iudicantes] per doctrinæ illuminationem [duodecim tribus Israël] hoc est, vniuersitatem saluandorum, & damnandorum. Omnes enim illi ad salutem vel ad damnationem iudicabuntur per splendorem doctrinæ Apostolicæ in conscientiis vniuscuiusque. *Matth.* 19. Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël

Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

Hic tangit specialiter principis Apostolorum confortationem. In hac autem parte duo facit. In primo quidem satanæ tentationem, qui iam potestatem tentandi accepit, reuelat in communi. Secundo autem huius ordinem prædicit in speciali. In primo horum dicit tria: obtentam scilicet satanæ tentandi potestatem, Petri contra satanam per orationem Domini confortationem, & quod alios confirmans, tentatis exhibeat compassionem & consolationem. De primo dicit [Ait autem Dominus Simoni] qui ipse principalis fuit: & ideo sibi dicitur, vt per ipsum hæc confortatio ad alios ordinate deriuetur. *Psalm.* 132. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti [Simon] Per nomen vocat, vt sciat se esse gratiæ specialis. *Exod.* 33. Teipsum noui ex nomine. Inuenisti enim gratiam coram me [Ecce] quasi in euidenti est: quia iam per apertam malitiam traditoris exercet malitiam [satan] qui saluti aduersatur. *Zach.* 3. Satan stabat à dextris Iesu, vt aduersaretur ei [expetiuit vos] hoc est, tentandi potestatem iam in vos à Deo obtinuit. Vnde *Iob.* 1. Dixit satan ad Dominum: Extende paululum manum tuam, hoc est, Da mihi potestatem tentandi non restrictam [vt cribraret] hoc est, purgaret. Et hoc quidem non est de intentione satanæ, qui semper præcipitare intendit, non purgare. Et ideo, Vt, consecutiuum est: quia ad tentationem suam sequitur purgatio, quamuis non intendat [sicut triticum] à quo per cribrum sordes & paleæ separantur. Et ita separatus fuit proditor ab aliis. *Eccli.* 27. Sicut in percussura cribri remanebit puluis, sic aporia hominis, hoc est, angustia, in cogitatu illius. *Amos* 9. Concutiam in omnibus gentibus domum Israël, sicut concutitur triticum in cribro. Et tunc quidem puluis à palea eiicitur, & triticum reseruatur. *Matth.* 13. Colligite per fasciculos zizania ad comburendum. Triticum autem reseruate in horreum meum.

Ego autem] quem Pater in omnibus exaudit. *Hebr.* 5. In omnibus exauditus est pro sua reuerentia *Ioan.* 11. Ego sciebam quia tu semper me audis [rogaui pro te] *Ioan.* 17. Pater serua eos quos dedisti mihi de mundo [vt non] finaliter [deficiat fides tua] Hoc argumentum efficax est pro sede Petri & successore ipsius, quod fides eius non finaliter deficiat. *Nahum* 1. Non adiiciet vltra vt pertranseat in te Belial: vniuersus interiit [& tu] ergo iam tentatus & expertus infirmitates subditorum [aliquando] post tentationē [conuersus] iterum ad me post negationem [confirma fratres tuos] in tentatione laborantes. Ad hoc enim vtilis erit tibi casus. *Eccli.* 34. Qui non est tentatus, quid scit? *Hebr.* 2. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potest & his qui tentati sunt auxiliari. Expertus ergo teipsum, confirma alios. *Apoc.* 3. Esto vigilans, & confirma cætera quæ erant moritura. Et attende quod conuersus, confirmat. Non conuersus enim sed adhuc negans Christum opere, vix potest confirmare, quia non creditur sibi. *Eccli.* 34. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?

Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.

Qui dixit ei] Petrus scilicet, Domino. Et tanguntur

guntur hic duo: Inexperta Petri præsumptio, & Domini ad cautelam negationis futuræ prædictio. Dicit igitur Petrus [Domine] quem solum elegi sequendum. *Eccli.* 23. Gloria magna est sequi Dominum [tecum paratus sum] non quidem virtute, sed desiderio. *Psalm.* 118. Paratus sum, & non sum turbatus. *Psalm.* 56. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum [& in carcerem] qui est acerbior captiuitatum [& in mortem ire] quæ est acerbior pœnarum. *Matth.* 26. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.

Sed hic oritur quæstio triplex de litera. Vna est: Quia si Petrus Domino credidit, casurum se præsciuit: & sic contrarium asserere non debuit. Secunda: Quia si Petrus à Domino quæ dicta sunt audiuit: tunc Deus casum Petri sibi reuelauit: & sic in tristitiam deiecit: & hoc non videtur pietati Domini conuenire. Tertia quæstio est: Quia si Petrus Dominum negauit, in pristinum gradum honoris Petrus restitui non debuit. Vnde 1. *Esdræ* 2. Vbi sacerdotes non inuenerunt suæ genealogiæ scripturam. Ibi dicit *Gloss.* Si ministri altaris in nefanda flagitia eeciderint, non sunt digni quod ad sacrum gradum restituantur. Ergo & Petrus post negationem restitui non debuit.

Dicendum autem ad primum, quod Petrus Christo in omnibus credidit: sed quia Christus multa comminando, multa etiam figuratiuè dicebat: ideo hoc quod Dominus dixit absolutè, de futuro dictum non contulit: & ideo non ex hoc se negaturum præsumpsit. Ad secundum dicendum, quod in veritate, hoc quod futurum fuit, Christus reuelauit. Et quia non finalis fuit Petri casus: ideo ad cautelam reuelari potuit & debuit. Ad tertium dicendum, quod Petri negatio non ex malitia, sed ex infirmitate processit, neque diu permansit: & ideo restitui potuit. Non enim dicitur diuertisse qui cito rediuit.

Et ille dixit: Dico tibi Petre] Assertionem præmittit, & nomen: vt sciat, & Deum esse qui futura cognoscit, & non finaliter abiiciendum qui nomine proprio designatur [Non cantabit hodie gallus] id est, gallicinium non perficiet. Hodie autem dicit pro die naturali. Vnde *Marc.* 14. Antequam gallus hodie bis vocem dederit, ter abnegabis nosse me. *Iob* 38. Quis dedit gallo intelligentiam? Et ad literam ita fuit quod ante primum galli cantum Petrus negauit, & post primum galli cantum bis negauit: & postea gallus secundum cantum dedit, vt suæ infirmitatis conscius non præsumeret, & in seipso inueniret in quo aliis compateretur. In hoc ergo confirmatio Petri perficitur.

Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis: nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat: similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis: quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce gladij duo hic. At ille dixit eis: Satis est.

Hic confortatio Discipulorum ponitur contra mala mundi. Et dicuntur hic tria. Primum est, quod primæ missionis siue defensionis factæ facit mentionem. Secundum autem est, quod pro diuersitate temporum circa illam missionem facit mutationem. Tertium autem, quod huius mutationis assignat necessitatem. Dicit igitur [Quando misi vos] *Matth.* 10. & *Luc.* 19. [sine sacculo] temporalis subsidij, qui ad æris & pecuniæ pertinet portationem [& sine pera] in qua edulij afferretur adminiculum [& sine calceamentis] in quibus magnus est decor ostentationis pedum. Hæc enim omnia iam in præhabitis exposita sunt [Nunquid aliquid defuit vobis] quia tunc dicebatur: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. *Chrysost.* tamen dicit, quod inopem & nudum neque centum spoliare possunt [At illi dixerunt: Nihil] Cuius causa supra assignata est: quia tunc ad eos mittebantur qui apud se habebant decimas, ex quibus pauperes recipiebantur: & adhuc Discipuli non erant odiosi: neque odiosum erat adhuc nomen Christi quod prædicabant. 1. *Corinth.* 9 Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.

Quod autem dicit [sine calceamentis] *Hieron.* dicit quod *Plato* dixit duas corporis summitates non esse velandas: nec assuetam debere fieri capitis mollitiem, & pedum: cum hæc duo à natura habuerint firmitatem, & cæteris sint robustiora: maxime in terra in qua frigus non est intensum, nec lutum pedes inquinans. Hac igitur de causa tunc illa inhibuit: ne ad superfluitatem de his curare videretur. Sed quia pro varietate locorum & temporum ista varianda sunt: ideo subiungit.

Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum] in quo expensas pecuniæ deferat [tollat similiter & peram] in qua victualia comportet: quia ire oportet ad homines in quibus odiosi eritis: & sæpe latere oportet in desertis & antris, in quibus non habetis comedere, nisi in peris vobiscum cibum comportetis. *Hebr.* 11. In solitudinibus & in montibus & in cauernis & in speluncis errantes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et similiter dicit de armis defensionis [& qui non habet gladium] In quo notatur quod qui habet, potest tollere gladium [& qui non habet] vnde se defendat vndique impugnantibus hostibus, & quærentibus animas vestras [vendat tunicam suam.

Est autem mirabile quia iubet emere gladium: & gladium habitum & exutum iubet in vaginam conuerti. *Matth.* 26. Conuerte gladium tuum in vaginam. Sed ad hoc respondet *Ambros.* quia iubet emi gladium, vt sit parata in Ecclesia defensio, cum opus fuerit: sed tamen fundatores Ecclesiarum, quamdiu præualet iniquitas, magis patientia quam armis præcipit pugnare. Et ideo & gladium in Ecclesia vult esse, & non pugnare: quia defensionis potestas apud Ecclesiam est, & tamē gladius non euaginatur, nisi postquam Ecclesia iam fundata & dilatata, seueritatem cogitur exercere contra malos. Quidam tamen exponunt de gladio

ſpititus, qui eſt verbum Dei. Sed hoc nihil eſt: quia iſte non eſt intellectus literalis. Horum autem quæ dicta ſunt ſubiungit neceſſitatem, dicens.

Dico enim vobis] Et tangit hic duo: cauſam neceſſitatis eorum quæ dicta ſunt, & approbationem prælationis duorum gladiorum. De primo dicit[quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt]hoc eſt, quod adbuc ſcriptum eſt: quia multa iam ſunt impleta: & ea quæ reſtant adhuc neceſſario erunt implenda. *Matth.*5. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege[oportet impleri in me] *Luc.*24. Oportet impleri ea quæ ſcripta ſunt in lege, in Prophetis, & in Pſalmis de me[Et cum iniquis depotatus eſt] Hoc enim ſcriptum eſt *Iſa.*53. quia inter latrones crucifixus eſt: & ſicut iniquus extra ciuitatem eductus. *Ioan.*19. Baiulans ſibi crucem, exiuit in eum locum, qui dicitur Caluariæ locus. Hoc enim eſt potiſſimum de ſcriptis [Etenim ea] ſcripta[quæ ſunt de me]ſcripta[finem habent]hoc eſt, iam in fine ſunt & conſummatione. Vnde *Ioan.*19. dixit: Conſummatum eſt: & inclinato capite tradidit ſpiritum.

At illi dixerunt] Diſcipuli videlicet ad Chriſtum [Domine, ecce duo gladij hic] hoc eſt, ſpiritualis & corporalis: quorum vnum exerit Eccleſiæ miniſter, & pugnat cum eo: & hic eſt de quo dicitur *Epheſ.*6. Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Alter autem eſt defenſionis gladius materialis, in quo non pugnat, ſed manus laica in ipſo pugnat, quando præcipit Eccleſiæ miniſter: & vterque eſt in Eccleſia. Et ideo ſequitur.

At ille dixit: Satis eſt]quia quamuis in primitiua Eccleſia, præualente iniquitate & infidelitate, non fuerit aliquis vſus gladii illo: tamen, vt diximus, hoc præſidium in Eccleſia eſſe Chriſtus voluit: ſciens quod Eccleſia iam dilatata, ſine gladio materiali gubernari non potuit. *Rom.*13. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem: bonum fac, & habebis laudem ex illa. Si autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſa portat gladium: vindex enim in iram eſt ei qui malè agit.

Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in Montem oliuarum. Secuti ſunt autem illum & Diſcipuli. Et cum perueniſſet ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

Hic incipit tertia pars huius capituli, in qua Euangeliſta determinat qualiter Chriſtus ad locum venit ſuæ captiuitatis & traditionis. Dicit autem hic quatuor, in quorum primo dicitur qualiter Chriſtus cum Diſcipulis ad locum captiuitatis deuenit. Secundo qualiter in illo loco orauit. Tertio qualiter ab Angelo quendam modum confortationis accepit. In quarto autem qualiter Diſcipulos ad orandum excitauit. In primo tria facit: ipſe enim ad locum venit, Diſcipuli ſequuntur, & vt orent exhortatur. Dicit igitur.

Et egreſſus]de ciuitate vbi cœnam fecerat[ibat ſecundum conſuetudinem] ſuam, qua ſæpe in nocte ad hoſpitium ſuum in Bethaniam declinabat. Et hoc eſt quod dicitur[ſecundum conſuetudinem ſuam] vt *Ioan.*18. dicit trans torrentem Cedron, vbi erat hortus quidam conſitus oliuis, in quem intrare cauſa orationis conſueuit [in Montem oliuarum] Hunc enim propter myſterium olei dilexit, quod quia lucet, ſignificat lumen cognitionis: & quia fomentum eſt ignis, ſignificat ardorem charitatis: & quia paſcit, ſaporem dans cibis, ſignificat fructum diuinæ comprehenſionis: quæ ſunt tres animæ dotes in beatitudine. Oleum etiam enatat, & ſic ſignificat agilitatem corporis: vngit, & ſic ſignificat impaſſibilitatem: penetratiuum eſt, & ſic ſignificat ſubtilitatem ſiue ſpiritualitatem: eſt etiam purum valde & clarum, & ſic ſignificat claritatem: quæ ſunt quatuor dotes corporis. Et ideo Chriſtus dilexit locum & montem oliuarum præ cæteris.

Secuti ſunt autem illum] illuc vſque[& Diſcipuli] ſignificantes quod etiam in paſſionibus ad prædictas in oleo glorias oportet ſequi Dominum. 1. *Petr.*1. Prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias. Qui enim Chriſtum ſequitur ad montem Paſſionis, inuenit in ipſo oleum glorioſæ delibutionis. *Iſa.*61. Vt darem coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Sic enim vt dicit *Pſalm.*103. Exhilarat faciem in oleo. Sic Propheta magnus 4. *Reg.*4. vaſa vacua, hoc eſt, animas & corpora, oleo iubet impleri.

Et cum perueniſſet ad locum] In quo proditorem expectare diffinierat. Quem quidem locum *Matth.*26. Gethſemani vocat: quia iuxta villam ſic vocatam erat[dixit illis]Diſcipulis[orate]pium affectum & intellectum totum in Deum dirigentes. *Pſalm.*140. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo[ne intretis] per gradus peccati [in tentationem] quia ſi intrabitis tunc cadetis. De hoc autem *Luc.*11. dictum eſt multum, & *Matth.*6. *Iob* 38. Nunquid oſtia tenebroſa vidiſti, aut apertæ ſunt tibi portæ mortis? Cauſam autem reddit *Marc.*14. quia ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat, dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

Hic quatuor docet ſuo exemplo, ſcilicet, quod oratio ſit ſecreta, cum reuerentia, & in tempore neceſſitatis cum inſtantia, & ratione ordinata. De primo dicit [& ipſe auulſus eſt ab eis] quia in oratione etiam ab intimis eſt recedendum. *Geneſ.* 22. Expectate me hic cum aſino: ego & puer illuc vſque properantes, cum adorauerimus reuertemur ad vos. *Matth.*26. Suſtinete hic & vigilate mecum, donec vadam illuc & orem [quantum]ſpatium[eſt iactus lapidis]vt eum gementem & rugientem non audirent. *Hebr.*5. Preces cum clamore valido & lacrymis offerens. *Pſalm.*68. Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. Dicit tamen *Gloſſ.* quædam, quod lapis eſt legis duritia, quæ iactata eſt per directionem in ipſum: quia teſtimonium ei ferebat. Sed hoc eſt allegoricè.

Et poſitis genibus] vt cum reuerentia orandum eſſe doceret. *Epheſ.*3. Flecto genua mea ad Patrem,

Patrem, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Flectit enim genua: de quo *Philip.2.* dicitur quod in nomine Domini IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum [orabat dicens] ostendens quoniam tempore necessitatis post humanum consilium ad orationem est recurrendum. *Luc.18.* Oportet semper orare, & non deficere. *Iacob. vltim.* Multum valet deprecatio iusti assidua [Pater si vis] quia voluntati Patris supponenda est voluntas nostra. [transfer] infirmitatis naturæ indicat veritatem Hoc est, si aliter vis conuenienter saluare genus humanum, tunc[transfer] Vel [transfer]ita quod non diu stet fundatus in me, sed cito transeat: ne & ego diu sim in pœnis, in morte, & ne redemptio humani generis prolongetur. *Psalm.29.* Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendero in corruptionem, hoc est, si descendens mansero in corruptione: tunc neminem sanguine meo saluabo. Transfer ergo calicem à me vt transeat, & non fundetur in morte, sed transeat ad gloriam Resurrectionis. Calix enim iræ Domini non transfertur, sed fundatur super malos. *Isa.* 30. Erit transitus virgæ fundatus, quem requiescere faciet Dominus super eum. Vel[transfer à me] non in me, sed in membris, ne ipsi calice iræ tuæ premantur. Dicit etiam quædam *Gloss.*[à me]hoc est, à Synagoga, hoc est, Si possibile congruenter Gentes illuminari sine Iudæorum excæcatione: tunc[transfer calicem]hoc est, reatum calicia [à me] hoc est, à corpore meo, quod est Synagoga. Et alias multas expositiones non est difficile facere. Sed sola prima & secunda sunt literales. Sic ergo [Si vis] & congrue fieri potest, salua tua præordinatione [transfer à me calicem istum]hoc est, potum istius passionis quæ calida est: quia in charitate oportet quod bibatur.

Sed contra hoc obiicitur, quod Christus tunc petiuit quod sciuit se obtinere non posse. Ad hoc dicendum, quod falsum est: quia bene obtinuit quod calix in ipso non fuit fundatus, & nihilominus veritatem suæ demonstrauit infirmitatis, contra Hæreticos qui eum verum mortalem hominem esse negauerunt. Quod autem quidam dicunt, quod hæc oratio fuit sensualitatis in Christo, & non rationis: nihil est penitus, & est falsum. Rationis enim est orare, & non sensualitatis. Et ideo hæc oratio fuit rationis prout infirmæ naturæ coniuncta fuit, quæ mortem abhorruit. Et maxime si mors non transisset: sed diu in morte permaneret. Omnis enim natura in se horret fieri aliquid terribile, quod nunquam de cætero euitare poterit.

Veruntamen non mea voluntas] Ecce ostendit orationem debere esse rationabilem. Rationabilis enim est, vt Dei voluntas de nobis impleatur. *Matth 6.* Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. *Matth.26.* Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Rom.* 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. *Cant.1.* Recti diligunt te. *Gloss.* Recti sunt qui suam voluntatem diuinæ voluntati conformant. Et hoc est quod dicit[sed tua fiat] *Isa.*52. Voluntas Domini in manu ipsius dirigetur. Hæc autem voluntas Dei est beneplacitum humanæ redemptionis per mortem Redemptoris.

Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad Discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem.

Hic tangitur confortationis quidam modus, Dicit autem tria: modum scilicet, angelicæ confortationis, agoniam angustiosæ luctationis, & signum agoniæ quod est sudor sanguinis. De primo dicit[Apparuit autem illi]visibilem se faciens plus aliis longe stantibus quam Domino, cui semper Angeli sunt præsto obsequentes. *Matth.26.* An putas quia non possum rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum [Angelus de cælo] gaudens de reparatione ruinæ angelicæ *Luc.15.* Gaudium est Angelis Dei in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. Et ideo infinitum gaudium fuit eis de tam multorum peccatorum reparatione [confortans eum] non quod confortatione indiguerit, qui fortior forti tunc superuenit, & fortem alligauit, & vasa eius distribuit: sed quia Angelus administrationis suæ ostendit obsequium. Et ideo ibi, sicut in omnibus aliis sacramentis, modum sui ministerij ostendit, & ad modum confortantis se habuit.

Et factus in agonia] Agon est idem quod pugna, in qua homo vires agit: & ideo ab agendo dicitur: quia ibi vires suas Christus contra mortis auctorem, & ipsam mortem, & Dominum mortis infernum viriliter egit. *Psalm 26.* Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 1. *Corinth.* 9. Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. 2. *Tim.* 2. Qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certauerit. Et quod dicunt quidam, quod agon est pugna spiritus contra carnem: falsum est omnino. Factus ergo sic in agonia[prolixius orabat]docens nos in agoniis, ad orationis debere recurrere refugium. *Prouerb.* 18. Turris fortissima nomen Domini, hoc est, inuocatio nominis Domini: ad ipsam confugit iustus, & saluabitur.

Et factus est sudor eius] vt omnino obstruatur os hæreticorum loquentium iniqua, qui dicunt Dominum non verè passum esse [factus est sudor eius]ex angustia agoniæ expectatæ mortis profusus[sicut guttæ sanguinis] quem angustia de ipsis venis extorserat[decurrentis in terram] Et si quidem Christus in genibus steterit, multæ fuerunt guttæ quæ per vestes quas habuit ad terram distillauerunt: in terram enim cucurrit, vt etiam cineribus mortuorum infunderetur ad potentiam Resurrectionis. *Iob* 16. Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus. Et iste est iam secundus modus quo suum sanguinem Dominus fudit: quia in circumcisione fuit primus: iste autem est secundus: in flagellis & spinis tertius: in clauis quartus: & in lanceatione post mortem fuit quintus. Et primus quidem modus est ad peccati originalis (quod peccatum naturæ est) abstersionem: secundus autem est ad miseriæ expiationem: tertius est ad pœnitentium subleuationem, quia pro nobis flagella

ſuſtinuit: quartus autem eſt ad pretij ſolutionem: & quintus ad ſacramenti communionis conſecrationem.

Et cum ſurrexiſſet ab oratione] qua genua flexerat ſicut ſupra dictum eſt. Ab oratione autem ſurgit, qui poſt orationem ea quæ ſurſum ſunt quærit, ſicut in oratione petierat. *Coloſſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens [& veniſſet] gratia conſolationis & exhortationis [ad Diſcipulos ſuos] *Geneſ.* 37. Vide ſi cuncta proſpera ſunt circa fratres tuos & pecora [inuenit eos dormientes] in negligentiæ torpore. *Matth.* 25. Moram faciente ſponſo dormitauerunt omnes & dormierunt. Et tangit cauſam dormitionis [præ triſtitia] quia triſtitia colliquatiua eſt humidi: humidum autem colliquatum ſecundum naturam inducit ſomnum, & ſic dormiuerunt. *Prou.* 6. Vſquequo piger dormis? Et eſt diſſimile dictum Petri ab opere. Dixit enim quod paratus erat & in mortem & in carcerem ire. Nunc autem etiam vna hora vigilare non poterat.

Et ait illis] ſermone exhortationis, & reprehenſionem negligentiæ præmittit, dicens [Quid dormitis?] Inſtante enim aduerſario non eſt dormiendum. 1. *Petr.* 5. Aduerſarius veſter diabolus circumit quærens quem deuoret: & vos dormitis [Surgite] à ſomno torporis & negligentiæ. *Rom.* 13. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. *Prou.* 6. Paululum dormies, paululum dormitabis: & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus [& orate] ad Patrem cæleſtem. 1. *Tim.* 2. Volo viros in omni loco orare, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione. *Pſalm.* 34. Ego autem cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo conuertetur [ne intretis in tentationem] per paſſum peccati de cogitatione in delectationem, & de delectatione in conſenſum, & de conſenſu in opus, & ſic cadatis: quia iam hora eſt tentationis, qua ſatanas expetiuit vos ad cribrandum. Et ouis quæ præſente paſtore ſecura eſt, paſtoris diligentia deſtituta lupis patebit: lupus enim rapax iam inſidiatur. *Ioan.* 10. Lupus rapit, & diſpergit oues. *Zach.* 13 Percute paſtorem, & diſpergentur oues gregis.

Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim antecedebat eos: & appropinquauit IESV vt oſcularetur eum. IESVS autem dixit ei: Iuda, oſculo Filium hominis tradis?

Hic incipit pars quarta, in qua modum & ordinem determinat Dominicæ captionis: & habet particulas quatuor, in quarum prima tangitur modus proditionis: in ſecunda ex parte ſuorum tangitur modus defenſionis: in tertia autem modus patientiſſimæ tolerationis: & in quarta modus reprehenſionis ex parte captiuantium, & modus inſtructionis. De primo duo dicit: proditionem, & benignam proditoris reuocationem. Dicit igitur [Adhuc eo loquente] quia quamuis *Lucas* breuiter tranſeat, Dominus ter orauit, & ad Diſcipulos ter rediit: ſicut *Matth.* 26. oſtendit. Et ſic diu in eodem loco expectauit. Et ſicut dicitur *Ioan.* 18. Sciebat etiam Iudas locum, hortum ſcilicet illum, quia frequenter Dominus ibi eſſe conſueuerat, & ideo illuc conuenit. Et hoc eſt quod dicit [adhuc illo loquente] de exhortatione Diſcipulorum ad orandum. Voluit enim Dominus, vt in ipſis exhortationibus inueniret eum proditor vt magis erubeſceret [Ecce turba] à turbine dicta. *Nahum* 1. In tempeſtate & turbine via eius. Hæc autem turba fuit de miniſtris Sacerdotum collecta.

Et qui vocabatur Iudas] falſo nomine. Significatio enim nominis eius cecidit ab effectu. Iudas enim confitens & glorificans interpretatur. Et hic pro confeſſione negationem veritatis: pro glorificatione autem contumeliam inhonorationis Domino exhibuit. Et ideo non Iudas ſed diabolus eſt appellatus. *Ioan.* 6. Nonne ego duodecim vos elegi: & vnus ex vobis diabolus eſt? Hic ergo [antecedebat eos] vt dux proditionis. *Act* 1. Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Dominum IESVM. Et attende quod qui cum turba modo venit, familiariter ad Dominum venire conſueuerat: niſi forte de prædicatione aliquando veniens aliquos conuerſos à ſe, vel ab aliis Diſcipulis, aliquando ad Dominum cauſa deuotionis adduceret. Conſueuerat etiam oſculo recipi veniens à magiſtro. Hoc enim illo tempore conſuetum fuit, omnes amicos venientes oſculo recipi. 2. *Corinth. vltim.* Salutate inuicem in oſculo ſancto. Et hoc fiebat vt pacificus ingreſſus venientis eſſe ſignificaretur. Et hoc eſt quod dicit.

Et appropinquauit IESV vt oſcularetur eum] Hæc appropinquatio fuit proditionis, ſicut appropinquatio Ioab ad Amaſan 2. *Reg.* 20. Qui appropinquans dextera tenebat mentum eius, & ſiniſtra arrepto pugione effudit viſcera ipſius in terram. *Iſa.* 29. Appropinquat populus iſte labiis ſuis: cor autem eorum longe eſt à me. *Ierem.* 12. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. Quod autem dicit [vt oſcularetur] Hoc fuit ſecundum conſuetudinem receptionis, vt pacificus notaretur ingreſſus: cum ille in ſigno pacis machinaretur non tantum homicidium, ſed etiam vt ita dicam deicidium. *Prou.* 27. Meliora ſunt vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oſcula. Tales ſunt de quibus dicitur *Eccli.* 29. Donec accipiant, oſculantur manum dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam: & in tempore redditionis poſtulabunt tempus. Sic iſte Iudas ſub ſpecie pietatis accepit & vendidit Dominum. Et ideo ſpeciem habet diſcipuli, & tamen verus eſt hoſtis, & dux hoſtium.

IESVS autem] vt (quantum in ſe erat) à malitia reuocaret [dixit illi] dulciſſimo ſermone pacis. *Pſalm.* 119. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis [Iuda] Tria dicit: nomine proprio nominat vt ſui nominis & priſtinæ familiaritatis recordetur, & inconuenientis ſigni ad prodendum facit mentionem, & dignitatis ſuæ quem voluit quod prodere horreret. Dicit igitur [Iuda] Q. d. O Iuda, nominis tui & meæ familiaritatis qua te ex nomine vocans, & recognoſco, recordare: & reuoca animum à tanto ſcelere proditionis. *Iob* 19. Seruum meum vocaui, & non reſpondit mihi, ore proprio deprecabar illum [oſculo] Hoc eſt oſculum

lum lupi ad agnum. *Matth.*26. Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum, & ducite caute [Filium hominis tradis] qui tam dignus est, quod non hominem habet patrem, sed Deum: & ideo vnius hominis tantum est filius, hunc tu tradis? Sed miser hoc non credidit, & miracula quæ fecit magicis artibus attribuit. Et ideo consors illorum fuit de quibus dicitur *Luc.*11. & *Matth.*12. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Quia immundus spiritus cum septem nequioribus se ad ipsum redierat, & felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis eum repleuerat. *Act.*8. In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Hoc est igitur dictum de modo traditionis.

Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum Principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem IESVS, ait: Sinite vsque huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem IESVS ad eos qui venerant ad se Principes Sacerdotum & Magistratus templi & Seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus? Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

Hic tangitur modus defensionis. Dicuntur autem hic tria, quorum primum est zelus defendentium: secundum autem est repressio vltionis eorum: tertium autem beneficiatio nocentium. De primo horum dicit tria, scilicet, visum terribilem futurorum, postulationem licentiæ ad defendendum, & vltionem sceleris adhibitam maleficiorum. Dicit igitur [Videntes autem hi] Discipuli [qui circa ipsum erant] hoc est, circa Dominum, qui actibus Iudæ non consenserunt [quod futurum erat] quantum ad apparatum turbæ venientis ad capiendum. Tunc enim viderunt primo quod capere Dominum voluerunt: & ideo parabant se ad resistendum. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus ipsius auferebam prædam. *Prouerb.*24. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Et ideo in zelo vltionis videbant ista [dixerunt ei] quia omnia ad imperium eius referre consueuerunt, & sine præcepto suo nihil facere [Domine si percutimus in gladio] *Rom.*13. Non enim sine causa gladium portat: vindex est enim in iram ei qui malum agit. Quamuis autem sic à Domino quærerent: tamen ante responsum Iudæum percussit ille, qui præ cæteris zelum habuit. Et hoc est quod subdit [& percussit vnus ex ipsis] Petrus scilicet, qui præ cæteris sicut Phinees zelatus fuit [seruum Principis Sacerdotum] cui nomen Malchus, vt dicit *Ioan.*18. Et hic seruus significat Synagogam [& amputauit auriculam eius dexteram] Quod significabat quia Synagoga autem, quæ spiritualia & æterna audire debuit, amisit. Dicit autem quædam *Gloss.* quod Petrus sic zelando, meruit sibi tamen ante hoc *Matth.*16. constitutum pactum sacerdotij sempiternum: sicut Phinees *Num.*25. Et hoc non videtur probabile: cum Dominus percussionem istam reprehenderit. Sed ad hoc dicendum, quod zelus Petri commendatur, sed tamen factum indiscretum fuit. Et fuit iste zelus non secundum scientiam: sicut dicitur *Rom.*10. Et hoc est quod sequitur.

Respondens autem IESVS, ait] factum corrigens, sed zelum non vituperans [Sinite vsque huc] hoc est, permittite præualere malitiam vsque ad captiuitatem & mortem: quia sic diffiniuit Pater. *Philip.*2. Factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et ideo dixit: Non mea voluntas, sed tua fiat.

Et cum tetigisset] quia nec tunc cum male fieret ei, oblitus est misereri Deus, nec continuit in ira sua misericordias suas, & reddidit bona pro malis. Sic ergo cum tetigisset [auriculam eius] quia non amputauerat auditum, sed auriculam [sanauit eam] *Osee* 14. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee: quia auersus est furor meus ab eis. Impleuit *Isa.*49. Si potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen nunquam obliuiscar tui. Et ideo etiam dum male faceret, non est oblitus facere contrarium. Dicit autem auriculam eius [dexteram] in figuram, quod quamuis æterna audire noluerint: tamen sinistra aure subtiliter audiunt, quicquid de temporalibus est tractandum. *Matth.*6 Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Hanc igitur sanauit exterius: sed interiorem sicut obstinatus non recuperauit auditum. *Isa* 6. Aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Dixit autem IESVS] caute corripiendo & erudiendo [ad eos qui venerant ad se] capiendum [Principes Sacerdotum] qui tamen non in seipsis, sed in ministris venerant [& Magistratus templi] qui præerant officiis sicut præfecti [& Seniores] qui præerant consiliis tanquam senatores. *Daniel.*13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Ierem.*13. A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram. 1.*Esdræ* 9. Manus Magistratuum prima fuit in transgressione hac. Ad hos ergo dixit [Quasi ad latronem existis] post me capiendum, cum tamen ego latro non sim, quamuis propter vos cum latronibus sim reputatus. *Psalm.*16. Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias latronis [cum gladiis] vulnerantibus [& fustibus] liuorem inducentibus. Et ideo etiam mihi vulnera & liuores inferre cogitatis. Sed tamen sciatis quod scriptum est *Isa.*53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus. In hoc ergo est reprehensio. Eruditio autem est in hoc quod dicit [cum quotidie] sine omni defensione exteriori [vobiscum fuerim in templo] qui est locus solemnis & publicus, & vestræ potestati commissus [non extendistis manus] violentas [in me] Et ideo discite quia nec nunc, sicut nec tunc facere possetis, nisi mea esset hoc dispensatione diffinitum. Vnde *Luc.*4. cum vellent eum præcipitare de rupe, dicitur: IESVS autem transiens per medium

illorum ibat. Et ideo etiam ficnt dicitur *Ioan*.18. Cum quærerent eum capere, processit obuiam eis, & dixit: Quem quæritis? At illi dixerunt: IESVM Nazarenum. Et cum diceret eis: Ego sum: ceciderunt retrorsum.

Adhuc autem Sacerdotes & Magistratus templi cum gladiis & fustibus & aliis impugnationis armis frequenter exeunt comprehendere IESVM in suis membris, obliti quod arma spiritualia conceduntur eis, & non corporalia. 2.*Corinth*.10. Arma nostræ militiæ non sunt carnalia: sed potentia Deo. *Ephes*.6. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die mala.

Sed hæc est hora vestra [hoc est, voluntati vestræ diffinita [& potestas tenebrarum] hoc est, principis tenebrarum harum. *Ioan*.3. Dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Erant enim ipsorum mala opera. *Ioan*.12. Qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. Ita ergo nunc princeps tenebrarum in vobis sicut in organis suis potestatem accepit, & vult mundum priuare lumine meo. *Ioan*.8. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum Principis Sacerdotum.

Hic incipit quinta pars istius capituli, in qua Petri trina negatio per ordinem ponitur: & diuiditur in tres partes. in quarum prima tangitur locus vbi facta fuit ista negatio: in secunda autem tangitur ordo & numerus negationum: & in tertia tangitur Petri conuersio & ad se reuersio. De primo dicitur [Comprehendentes autem eum] IESVM, hoc est, omnes simul comprehendentes: vt nullus esset qui non esset reus tanti facinoris. *Ierem*.15. Omnes maledicunt mihi [duxerunt] captiuum, qui totam diaboli captiuitatem duxit captiuam: sicut dicit *Psalm*.136. [ad domum Principis Sacerdotum] Quis autem fuerit iste Princeps Sacerdotum non dicit. Sed *Ioan*.18. dicitur expresse quod duxerunt eum ad Annam primum: quia cum Dauid vigintiquatuor instituisset summos Sacerdotes: isti duo Annas & Caiphas, qui coniuncti fuerunt sibi affinitate: quia Annas erat socer Caiphæ, emebant vicissim a Romano præside summi sacerdotij administrationem. Et quamuis Caiphas fuisset secundum hanc vicissitudinem pontifex anni illius: tamen quia voluit honorē exhiberi socero: & quia domus Annę prius occurrit cum IESVS adduceretur: ideo, sicut dicit Ioannes, duxerunt eum ad Annam primum: & ibi de accusationibus suis tractare inceperunt. Et ibidem prima negatio Petri prout probabilius æstimatur perfecta est. Licet quidam sanctorum expositorum, omnes tres in domo Caiphæ dicunt esse perfectas. Hoc est igitur quod dicit.

Petrus vero sequebatur eum à longè. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare.

Hic tangit descriptionem negationis Petri: & quia tres sunt, in tres diuiditur partes: in prima autem negatione tria dicit: Petri scilicet insecutionem, Petri ab ancilla deprehensionem, & Petri negationem. De primo dicit [Petrus vero] non oblitus amoris in Dominum [sequebatur eum] *Matth*.26. vt videret finem ad quem res deueniret [à longè] quia iam per dissimilitudinem ex timore, à Domino incepit elongari in mente. *Psalm*.87. Longe fecisti notos meos à me: traditus sum, & non egrediebar. *Psalm*.37. Qui iuxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam

Accenso autem igne] Hic tangitur deprehensio Petri, & dicit tria, scilicet, Petri ad lumen ignis accessum: ancillæ intuitionem in Petrum: & ancillæ deprehensionem, quod ipse Christi esset Discipulus. Dicit igitur [Accenso autem igne] quia frigus erat in nocte, [in medio atrij] Pontificis, hoc est, in curia sua sub dio, ad quem ministri accederent qui captiuauerant Dominum: cum ipse IESVS a Sacerdotibus & Magistratibus intus haberetur [& circumsedentibus illis] ministris ad calefaciendum se [erat Petrus in medio eorum] *Marc*.14. Sedebat cum ministris ad ignem & calefaciebat se. Introductus enim erat per discipulum qui erat notus Pontifici: sicut dicitur *Ioan*.18. Plus autem iam incepit algere, destitutus igne charitatis, quam algore extra frigere aëris [Quem cum vidisset] hoc est, visu discreuisset [ancilla quędam] quæ sicut dicitur *Ioan*.18. erat ostiaria Pontificis, quæ nequam & cupida fuit: sicut ostiarij curiæ Regum & Pontificum [sedentem ad lumen] ignis ad quem accesserat [& eum fuisset intuita] diligenter, vt bene discerneret eum ab aliis. *Eccli*.31. Memento quod malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatū est? *Matth*.20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum [dixit: Et hic cum illo erat] Ecce accusatio Petri quod fuisset cum IESV. Quæ accusatio omni laude est dignissima: sed apud prophanos opprobrium reputatur cum IESV & cum bonis esse. Vnde conqueritur Ecclesia viro suo viduata 2.*Reg*.14. Quærunt extinguere scintillam meam quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram. *Psalm*.136. Dixerunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.

At ille negauit] eum Christum [dicens] ex timore subito [Mulier, non noui illum] *Iob* 21. Scientiam viarum tuarum nolumus. Hæc autem

vox,

vox, non noui illum, longè est ab illa qua dixit *Marc.* 14. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Quidam autem hic sophismata fabricare volunt, dicentes, quod Christum æterna generatione à Patre sciuit esse genitum, quam nemo perfectè cognouit: & de hac dixisse Petrum, Non noui illum, hoc est, notitiam illius secundum æternam generationem non habeo. Sed hoc frustra dicitur in excusationem Petri: quia & ipse fletu suo, & Dominus prædictione sua declarant, quod directè negauit Christum, quem postea coram omnibus *Act.* 3. confessus est. Ex timore autem accidit illi: quia non adhuc erat confirmatus per spiritum charitatis, de qua dicitur. 1. *Ioan.* 4. Perfecta charitas foras mittit timorem. *Psalm.* 13. Trepidauerunt timore vbi non erat timor. Propter quod dicitur *Deut.* 20. quod qui formidolosus, reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum. Petrus enim ignarus suæ debilitatis, non debuit processisse ad certamē persecutionis cum Domino, nisi prius indutus fuisset virtute ex alto. Quia in curia Regis Herodis quærentis paruulum IESVM ad occidendum, & Magi perdiderunt stellam. *Matth.* 2. Et ipse Petrus negauit Dominum in curia Pontificis, tenentis Dominum ad crucifigendum

Et post pusillum] iam ducto IESV de domo Annæ in domum Caiphæ, quia erat pontifex anni illius [alius quidam videns] hoc est, considerans Petrum dixit. *Zach.* 5. Hic est oculus eorum in vniuersa terra. *Eccli.* 20. Oculi eius septemplices sunt [& tu de illis es] hoc est, de Discipulis eius. *Ioan.* 18. Nunquid & tu es de Discipulis hominis illius? [Petrus vero ait] iterum timore perterritus: sicut & *Genes.* 18. negauit Sara timore perterrita. *Hebr.* 2. Timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti [ô homo, non sum] Ideo dixit ei Dominus *Ioan.* 13. Quo ego vado non potes me sequi modo, sequeris autem postea [& interuallo facto quasi vnius horæ] in eodem atrio Caiphæ [alius quidam] nequam de ministris Pontificis. *Prou.* 29. Princeps qui libenter audit verba mendacij omnes ministros habet impios [affirmabat] iuramento, vel alia confirmatione [dicens] Sciuit enim hoc placere Pontifici: & ideo erat adulator potentum, & persecutor bonorum. Isti sunt de quibus dicitur *Ezech.* 13. Qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, qui vitam principum blanditiis palpant, & vitam pauperum blasphemantes accusant. *Matth.* 11. Ecce qui mollibus vestiuntur in domo regum sunt, Ista enim mollia adulatoriè principibus ostendunt, dum mala facta eorũ laudãt, & bonos persequuntur [Verè] Ecce affirmatio [& hic cum illo] Iesu [erat] Et signum ponit: quia Discipuli Domini plerique Galilæi fuerunt, & Galilæi vocabantur. *Act.* 2. Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? [Nam & Galilæus est] Et si Galilæus, transmigrans de vitiis ad virtutes esset, non esset accusabile. Et si cum Domino transmigrasset, esset laudabile. *Act.* 1. Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum.

Et ait Petrus: homo nescio] *Matth* 26. Tunc cœpit detestari & iurare quia non nouisset hominem. Et hoc est quod dicit [nescio quid dicis] hoc est nescio eum de quo dicis. Attende, quod tres Euangelistæ, *Matthæus*, *Marcus*, *&* *Lucas*, videntur velle quod omnes tres negationes in curia Caiphæ factæ sint: solus autem *Ioannes* expressè vult quod prima facta sit in curia Annæ. Et hoc creditur ordinem historiæ dicere, & illum exponendo literam sumus prosecuti. Et quod de prima negatione alij tres dicunt Euangelistæ, creditur esse dictum per recapitulationem [& continuò adhuc illo loquente] negando [gallus cantauit] hoc est, percantauit, hoc est, gallicinium expleuit: sicut in ante habitis expositum est. Petrus igitur negando, multum linguam suæ assertionis mutauit. *Prouerb.* 17. Qui inuertit linguam suam, incidet in malum. *Prouerb.* 8. Os bilingue detestor. *Iudic.* 9. Vbi est nunc os tuum quo loquebaris? quis est Abimelech vt seruiamus ei? Casum autem istum Petri permisit dispensatorie Dominus, vt ex seipso aliis sciret compati. *Eccli.* 31. Intellige ea quæ sunt proximi tui ex teipso. *Gal.* 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis instruite illum: considerans teipsum, ne & tu tenteris. Ideo ignorans peccat *Paulus* 1. *Timo.* 1. Ignorans feci in incredulitate mea: vt ignorantiis sciret condescendere subditorum. Ex infirmitate peccat Petrus vt infirmis compatiatur. Ex industria autem & perseuerante malitia Iudas: & ideo suspensus crepuit medius *Act.* 1. *Iob* 34. Quasi de industria recesserunt ab eo

Quod autem ad galli vocem redit Petrus, mysticè designat quia ad vocem Prædicatoris peccator reuertitur: propter galli sex proprietates, quarum prima est, quia percutit se ante cantum, quod corporis significat castigationem. 1. *Corint.* 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. Intelligentiam habet distinctionis horarum. *Marc.* 13. Sero, an media nocte, an gallicantu, an mane. In omnibus enim illis horis præcipuè cantant galli: sero in prima hora noctis propter iuuenes: media nocte propter in virili ætate existentes: gallicantu propter senes: mane autem quando iam alia lux oritur, propter eos qui vltimo senio sunt confecti. *Iob* 38. Quis dedit gallo intelligentiam? Tertia proprietas est quia gallus, sicut dicitur *Prou.* 30. bene graditur in hoc quod succinctos habet lumbos. *Luc.* 12. Sint lumbi vestri præcincti, hoc est, carnis luxuria per continentiam restricta. Quarta proprietas est, quia gallus inuentorum granorum est communicatiuus cum infirmis sui generis, hoc est, cum gallinis. Et hoc competit Prædicatori vt sua cõmunicet. *Act.* 4. Fuerunt illis omnia cõmunia: & distribuebatur vnicuique prout cuiq; opus erat. Quinta proprietas est, in capite ardens rubicundissimo colore: quod significat decorem fidei per dilectionem operantis in mente. Sic enim dicitur *Cant.* 5. Candidus est in veritate fidei, & rubicundus calore charitatis & ardore. Sexta proprietas est, quod pugnax animal est: vnde & natura sibi calcar acutum dedit quo pugnat. Et hoc significat audaciam pro gallinis, hoc est, congregatione commissorum, se exponendi. 2. *Cor.* 12. Ego libentissimè impendam & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. Istæ sunt veræ & bonæ proprietates galli. Quidam autem multas ponunt galli proprietates falsas, de quibus non curamus: quia non indiget Deus nostro mendacio vt pro illo loquamur dolos.

Et conuersus Dominus] Attende quod sicut dicit

dicit *Augustinus in Libro de concordia Euangelistarum* Si congregantur ea quæ in Euangelistis scripta sunt: inuenietur quod Dominus non corporali oculo, sed oculo misericordiæ diuinitatis suæ Petrum respexit. Fuit enim Petrus in exteriori atrio cum eis qui se calefaciebant sub dio. Dominus autem in interiori domus, vbi quæstiones ei fiebant vt accusatio contra ipsum inueniretur. Dicitur autem *Marc.* 14. Cum esset Petrus in atrio deorsum: ex quo intelligitur per oppositum, quod Dominus erat in interiori domus sursum: ex superiori autem & interiori non poterat corporaliter respicere Petrum, qui erat in exteriori & inferiori deorsū. Cum igitur dicitur [Et conuersus Dominus], intelligitur Dominus ad misericordiam Petri versus, ne amplius caderet Petrum præseruando. *Psalm.* 125. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati [respexit Petrum] oculo miserationis cor eius conuertit. *Psal.* 12. Respice & exaudi me Domine Deus meus. *Sapient.* 4. Gratia & misericordia in Sanctos eius, & respectus in electos illius. Hoc etiam dicit *Leo papa.* Trepidationem Discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauentis animum mox vt respexit erexit, & in fletum pœnitudinis incitauit Et hoc est quod sequitur.

Et recordatus est Petrus,] *Isa.* 46. Redite, redite præuaricatores ad cor [verbi Domini quod dixerat] prædicendo negationem istam [quia priusquam gallus cantet] hoc est, gallicinium expleat [ter me negabis] Vt siquis negaret corde, & siquis ore, & siquis opere negaret, Petrus compati sciret, & vsque septuagies septies remitteret [Et egressus foras] extra consortium malorum, qui sibi causa negationis extiterant, vt liberas habenas lacrymis dimitteret. *Genes.* 19. Non stes in omni circa regione. *Nume.* 16. Recedite de tabernaculis hominum impiorum [fleuit amare] *Ruth.* 1. Vocate me mara, hoc est amara: quia valde amaritudine repleuit me Omnipotens. *Thren.* 1. Vide Domine & considera quoniam amaritudine plena sum, Tamen egressio Petri foras ostensionem peccati per confessionem significat. *Prouerb.* 28. Qui abscondit scelera sua non dirigetur. Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius; & interrogauerunt eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

Ista est vltima pars capituli, & habet duas partes, in quarum prima agitur de illusione Domini: in secunda autem de accusationis inquisitione. in prima harum tria dicuntur. Primu enim ponit quod illudebant ei in communi: deinde ponit tres modos illusionum in speciali: tertio innuit quod multos alios modos blasphemiæ intulerunt. De primo dicit [Et viri] hoc est ministri Sacerdotum [qui] sicut tortores [tenebant eum] ne elaberetur [illudebant ei] *Abd* Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ. *Prou.* 3. Abominatio Domini omnis illusor. Et post pauca *Ibidem.* Ipse deludet illusores: mansuetis autem dabit gratiam. *Isa.* 48. Audite verbum Domini viri illusores, ne forte constringantur vincula vestra. Illusores autem erant qui verba & actus eius deridendo peruerterunt

Cædentes autem eum] Tres modos ponit in speciali. Cædebant autem maxillam & collum palmis. *Iob* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam, saturati sunt pœnis meis. *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis [& velauerunt eum] hoc est, oculos suos. Et hoc quidem erat inconueniens valde velari speciosum præ filiis hominū, in quem desiderant Angeli prospicere, vt dicitur. 1. *Petr.* 1. Cuius faciē Moyses desiderat videre *Exod.* 33. Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam. Quem sponsa desiderat intueri *Cantic.* 2. Ostende mihi faciem tuam. Cuius facies saluat intuentes. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem & salua facta est anima mea. Cuius vultum vniuersa desiderat terra. 2. *Paral.* 9. Vniuersa terra desiderabat videre vultum Salomonis. Hæc ergo facies reuelanda erat, & non abscondenda. Velat autem faciem Domini qui abscondit veritatem. *Isa.* 29. Væ qui profundo estis corde, vt à Domino abscondatis consilium [percutientes faciem eius] Tertium est: quia velatum percusserunt in faciem. *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Ibi habent *Septuaginta* sic: Dorsum meum posui ad flagella, & genas meas ad alapas, faciem meam non auerti à conuersione sputorum. *Mich.* 5. In virga percusserunt maxillam iudicis Israël.

Et interrogauerunt eum dicentes] illudendo. *Matth.* 20. Tradetur enim gentibus ad illudendum [prophetiza] quia propheta vocatis à turbis, & occultorum conscius. Dic ergo [Quis est qui te percussit] *Prou.* 17. Non est bonum damnum inferre iusto, nec percutere principē qui recte iudicat. *Iob* 12. Deridetur iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata lucere in tempus statutum. Quamuis enim modò veletur, non diu postea latebit, quando implebitur quod dicitur *Isa.* 62. Egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Hæc autem omnia Dominus maiestatis sustinuit: vt nobis formam daret humilitatis & patientiæ, & nos suæ charitati obligaret. *Hebr.* 12. Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesv.

Et alia multa blasphemantes] hoc est falso imponentes [dicebant in eum] hoc est, contra eum, Et hoc est quod in communi supponit Euangelista: quia per singula narrare longum esset. *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Hoc præuidens in spiritu *Isa.* 57. contra Israëlitas sic dicit: Vos autem accedite huc filij augutatricis, semen adulteri, & fornicariæ. Super quem lusistis? Super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? nunquid non vos filij scelesti & semen mendax?

Et

Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & Principes Sacerdotum & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis? Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audiuimus de ore eius.

Hic tangitur de inquisitione accusationis contra Christum. Dicit autem hic tria: inquirentium malignam inquisitionem, veritatis humillimam confessionem, & ex hoc peruersam acceptam accusationem. In primo determinat tempus inquisitionis, consensum malignitatis, & dolum totius eorum in vnum conflatæ potestatis. Dicit igitur [Et vt factus est dies] quia nocte afflixerant eum verberibus & sputis & illusionibus. *Psalm.* 37. Impleta est illusionibus anima mea: vim faciebant qui quærebant animam meam. Dies autem est, hoc est, non illustratione luminis, sed potius turbine caliginis & tempestatis Sacerdotum obuoluta. *Iob* 24. Mane primo consurgit homicida, & interficit egenum & pauperem. *Iob* 17. Noctem verterũt in diem: & rursum post tenebras spero lucem [conuenerunt] Ecce malitiæ consensus. *Psalm.* 2. Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius [seniores plebis] Præfecti erant tribuum. Vel etiam, qui quasi senatores inter eos plebibus præerãt [& Principes Sacerdotũ] vt quasi de sacris diuinis videretur procedere iudicium eorum [& Scribæ] vt sententia quasi de lege procederet, & ex his erat conflata iniqua potestas eorum, & sic melius posset palliari coram populo, & iustior coram Pilato videretur. *Psalm.* 21. Concilium malignantium obsedit me. *Eccli.* 16. In Synagoga peccantium exardebit ignis. Isti ergo tales [duxerunt eum] examinandum [in concilium suum] in quo Deus nihil facere habuit. *Genes.* 49. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea *Isa.* 1. Iniqui sunt cœtus vestri.

Dicentes: Si tu es Christus dic nobis] Ecce dolosa examinatio: & adhuc adhibitum est concilium, quod confessio quam de se faceret sibi præiudicaret. *Ioan.* 10. Si tu es Christus dic nobis palam. Accusabant enim Christum de duobus, scilicet, de blasphemia, & de calumnia. De blasphemia quidem: quia se diceret Filium Dei, cum homo esset. *Ioan.* 10. Nos de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. De calumnia autem: quia dixit se esse Christum. Et per consequens Regem super Iudæos. Sed cum Pilatus non moueretur ad primum, quasi hoc friuolum reputaret: ideo insistunt quærentes de secundo: quia per hoc Cæsari videretur contradicere, & regnum de potestate Cæsaris auertere: & sic Pilatum propter hoc contra eum moueri putabant. Et hac vsi calliditate, dicunt [Si tu es Christus dic nobis] hoc ore proprio tuo, vt os tuum te condemnet. *Luc.* 19. Ex ore tuo te iudico. *Iob* 15. Condemnabit te os tuum, & non ego: & lingua tua respondebit tibi. *Math.* 12. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Et ait illis] Ecce simplicissima & in nullo sibi præiudicans confessio veritatis, & continet quatuor: redargutionem incredulitatis, & contra veritatis confessionem obdurationem cordis, & obstinationem animi ad crudelitatem suæ interfectionis, & talem confessionem, quæ omnino liberat eum, simplicis veritatis. De primo dicit [Si vobis dixero] veritatem [non credetis mihi] quia inimici estis veritatis. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis. Et post pauca. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur: quia mendax est & pater eius. Et ita isti mendaciis se armauerunt: & ideo veritatem credere noluerunt. *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus [Si autem interrogauero vos] de veritatis meæ probatione [non respondebitis] per veritatis consensum, vel confessionem. *Luc.* 20. Impositum est eis silentium cum quæreretur: Vtrum Christus sit filius Dauid? & de baptismo Ioannis, vnde esset? Mendax enim animus conuictus & de veritate tabescens, tacet potius in seipso quam veritatem confiteatur. *Psalm.* 111. Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit [neque dimitteris] obstinati ad occisionem meam, si confessionem audieritis Cæsari non præiudicantem: non propter hoc dimittetis, sed falsas calumnias fabricabitis. *Math.* 26. Principes Sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra IESVM: & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent.

Ex hoc autem] Ecce confessio veritatis nihil penitus habens accusationis. Dicit ergo [ex hoc] id est post hanc quam infertis passionem. Vel [ex hoc] hoc pro passione: vt præpositio, ex, notet causam & ordinem temporis. *Hebr.* 2. Eum qui modico ab Angelis minoratus est, videmus Iesum per passionem mortis gloria & honore coronatum [erit Filius hominis] secundum humanitatem, in qua meruit merito operis & merito passionis [sedens] vt quiescens & regens [à dextris] in potioribus bonis [virtutis] hoc est, omnipotentiæ Dei, non amplius circumdatus infirmitate. *Psalm.* 109. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Q. d. Ego ero sedens, & vos conculcari. *Hebr.* 12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, atque in dextra [Dei] sedens. *Coloss.* 3. Vbi Christus est in dextra Dei sedens.

Dixerunt autem omnes] quasi auidi rapientes certatim verbum ex ore eius. Et tangitur hic veritatis calumnia, & habet tres partes: calumniam, & calumniæ iudicium, & iniquum testimonium [Tu es ergo Filius Dei] Ecce calumnia, quia hoc ipse non dixit, sed illi iniqui interpretati sunt: quia omnium electorum est sedere in dextris virtutis Dei. *Ierem.* 9. Vt iniquè agerent laborauerunt. *Psalm.* 118. Redime me à calumniis hominum [Qui ait] benignissimè & sapientissimè respõdens: quia in dicto suo apparebat regnum suum non esse de hoc mundo: & ideo Cæsari terreno nullum fieri præiudicium. Et ideo dicit [vos dicitis] interpre

interpretando ſermones meos prout vultis: quamuis tamen in conſcientiis veſtris ex operibus à me viſis ſciatis [quia ego ſum] Chriſtus Filius Dei. *Iob* 6. Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cum è vobis nullus ſit qui poſſit me arguere? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum.

At illi dixerunt] iudicando de calumnia ſua iniquum iudicium & falſam interpretationem [Quid adhuc deſideramus teſtimonium] vt per illud ipſum mortis reum conuincamus. *Iob* 16. Suſcitatur falſiloquus contra faciem meam, contradicens mihi. Tales ſunt non aduocati, ſed calumniatores, qui ſe aduocatos faciunt, omne verbum de ore ſimplicium rapientes, & in nocumentum eorum peruertentes. *Iudic.* 12. Dic ergo Schibboleth. Quo reſpondente, Sibboleth: eadem litera ſpicam non pronuncians, ſtatim apprehenſum iugulauerunt [Ipſi enim audiuimus de ore eius] Et ſic voluerunt eſſe & actores, & teſtes, & accuſatores: quia omne quod iuſtum eſt ſubuertere quærebant. *Amos* 6. Separati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis. 2. *Mach.* 4. Miſeros qui etiamſi apud Scytas cauſam dixiſſent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.

CAPVT XXIII.

Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

HIc ſecundum quod in antehabita diuiſione habitum eſt, agitur de iudicio quo iudicatus eſt Dominus: & diuiditur in duas partes, in quarum prima oſtenduntur iniuſtè contra Dominum propoſita: in ſecunda parte profertur iniuſta ſententia, vbi Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum, & tradidit eum poteſtate publica crucifigendum. In prima autem harum tria continentur: accuſatio in prætorio Pilati, & deluſio coram ſolio Herodis, & inſtantia accuſationis & poſtulationis eorum apud Pilati iudicium. In prima harum tria continentur, ſcilicet, accuſantium auditus, & interrogatio accuſati Domini, & cauſa quare ad Herodem oportuit cauſam mitti. In primo horum tria dicuntur: omnium ſcilicet ad accuſandum concors malitia, ad Pilatum productio, & accuſatio coram Pilato propoſita. Dicit igitur.

Et ſurgens] impetum concitati ſpiritus non valens ferre, ſed inquietudine indignationis exagitata multitudo [ſurrexit] vt armarentur contra eum. *Pſalm.* 26. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui: & mentita eſt iniquitas ſibi. *Pſalm.* 58. Ab inſurgentibus in me libera me Domine. *Thren.* 3. Labia inſurgentium mihi, & meditationes eorum aduerſum me tota die. Seſſionem eorum & reſurrectionem eorum vide: ego ſum pſalmus eorum [omnis multitudo eorum] *Iſa.* 17. Væ multitudini populorum vt aquæ maris ſonantis. *Iob* 30. In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum: Quia honeſtam eius conuerſationem lacerare præſumebant. *Pſalm.* 53. Alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam [duxerunt] de domo Caiphæ in qua tota nocte Dominum afflixerant [ad Pilatum] vt auctoritate Pilati mala eorum voluntas fieret, & ipſi quaſi immunes reputarentur. *Eccli.* 7. Noli peccare in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum.

Hic autem quærit *Chryſ.* Quare non ſuffocauerunt eum occulte, vel eduxerunt vt lapidaſſent eum ſicut Stephanum *Act.* 7. Cum *Leuit.* 24. dicatur. Educ blaſphemum extra caſtra: & lapidet eum omnis populus. Soluit autem *Chryſ.* ad hoc dicens: quod in publica confuſione Chriſti gloriam eius volebant diminuere. Et ſic, quod coram Diſcipulis & credentibus ſordeſceret, & ad nihilum fides eorum qua in Chriſtum credebant redigeretur. Veruntamen dici poteſt, quod publicè captum occultè occidere non audebant, nec per ſe occidere poterant: quia poteſtas reipublicæ ad Romanos tranſlata erat. Stephanum autem occiderunt, colluſa à Romanis pontificibus poteſtate.

Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.

Hic tangitur accuſationum propoſitio. Et ponunt tres accuſationes, quas maxime iudicem mouere credebant. Prima eſt quam dicunt [Hunc inuenimus] perfecta & veritatis examinatione [ſubuertentem gentem noſtram] & ita non ſinere populum noſtrum in pace viuere: ſed leges nouas docentem, quibus populus rebellare incipiat. Hoc enim intendunt perſuadere nomine ſubuerſionis: quia aliter accuſatio coram iudice non valeret. Et hæc eſt accuſatio Aman iniqui. *Eſther* 3. Nouis vtens legibus & cærimoniis, & regis ſcita contemnens. Et optime noſti quod non expediat regno tuo quod inſoleſcat per licentiam. Hanc igitur & talem intelligunt populi ab obedientia ſubuerſionem. Mentiebantur autem: quia non fecit niſi regni diaboli ſubuerſionem. *Agg.* 2. Subuertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & ſubuertam quadrigam & aſcenſorem eius. *Iſa.* 10. Subuertentur condenſa ſaltus ferro.

Et prohibentem tributa dari Cæſari] ſecunda eſt accuſatio, in qua plane mentiuntur. *Luc.* 20. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. *Rom.* 13. Etiam poſtquam in cælo triũphauit, dixit per ſuum Apoſtolum: Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: & cui vectigal, vectigal: & cui honorem, honorem.

Et dicentem ſe Chriſtum] hoc eſt, vnctum [regem eſſe] Et eſt tertia accuſatio. Cui (ſicut dicitur *Ioan.* 19) addiderunt: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Chriſtus autem ſicut dicitur *Ioan.* 18. dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Vnde in tribus iſtis accuſationibus talem habebant conſiderationem, quod ex prima quies regni turbaretur, ex ſecunda Cæſar vtilitate regni priuaretur, & ex tertia Cæſar in tota poteſtate

tegni

regni destitueretur. Et sic malitiosè concinnauerant mendacia, ex quibus animus Iudicis contra Christum prouocaretur. *Isa.*22. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites, cum loqueretur pauper iudicium.

Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens, ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

Accusationibus propositis Pilatus continuando in iudicio de dictis audit respondentem Dominum. Et iuste quidem in hoc fecit. *Ioan.*7. Nunquid lex nostra aliquem condemnat nisi prius audias ab eo? Facit autem tria in parte ista. Audit enim Christum ad obiecta respondentem, auditum iudicat absoluendum, audit clamorem inualescentem accusantium. De primo dicit [Pilatus autem] præses & gentilis iudex [interrogauit eum] scilicet, Christum [dicens] Sciens in impetu eorum quod ex odio mouebantur, & non ex iustitia. *Sapient.*2. Grauis est nobis etiam ad videndum [Tu es] hoc est [Tu] ne [es Rex Iudæorum] Ac si dicat: Confitere de teipso veritatem. Et non facit mentionem Pilatus de duabus prioribus accusationibua, quia dependebant ab ista. Si enim Rex esset, pro certo commoueret ad se populum, & sibi vendicaret tributum. De Rege autem quærebat: quia iam vulgatum erat, quod & Regem Magi adorauerant, & quod Herodes hac de causa pueros occiderat. Timebat enim aliquem de semine Dauid regnum terrenum occupaturum. Sed quia, sicut *Matthæus* refert, regnum Christi audiuit non esse de hoc mundo, & nullas impensas vidit apud pauperem esse Christum, nec arma, nec acies digestas videbat: ideo conuertit se ad liberandum. Tamen vere Rex erat. Et hoc est [At ille respondens ait] Christus scilicet Pilato [Tu dicis] Q.d. Tu in corde sentis me Regem spiritualem esse, qui me & alios in virtutibus rego. *Isa.*32. Ecce in iustitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt. *Ierem.*23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et *ibidem*. Regnabit Rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Vnde *Matth.*27. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.

Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum] quorum auctoritate hæc fiebant [& turbas] per quas Principes Sacerdotum hoc faciebant [Nihil inuenio causæ in hoc homine] Nec erat hoc mirum: quia *Ioan.*14. dixit. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam [At illi] scilicet Principes Sacerdotum, & turbæ [inualescebant, dicentes] Huius causam assignat *Chrys.* quia Pilatus mollis erat, sicut homo diligens principatum. Pertinaces autem & obstinati erant Sacerdotes: & ideo inualescebant. *Habac.*1. Præualente impio aduersus iustum, egreditur iudicium peruersum [commouit populum] Semper ingeminant de populi commotione, vt inflectant iudicem: cum Christus non ad seditiones, sed ad peccati compunctionem populum commouerit. *Psalm.*59. Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius quia commota est. *Eccli.*43. In conspectu eius commouebuntur montes [docens per vniuersam Iudæam] vbique enim docuit Dominus: quia *Matth.*10. discipulos ad ciuitates Iudææ misit, dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Ite potius ad oues quæ perierunt domus Israël [incipiens à Galilæa] in qua incepit prædicare [vsque huc] Ierusalem quæ est caput regni. *Isa.*9. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentium. Galilæa enim principium prædicationis esse debuit secundum prophetiam, sicut sæpè in anrehabitis est ostensum. Et in Ierusalem finiri debuit, sicut ipse dixit *Luc.*13. Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.

Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.

Hic tangit qua de causa misit causam iudicij Pilatus ad Herodem. Tangit autem tria, scilicet, quod audiuit quod Galilæus esset, quod de hoc inquisitionem fecit, quod comperta veritate Dominum ad Herodem misit. Dicit igitur [Pilatus autem audiens Galilæam] scilicet, quod de Galilæa processisset. *Act.*2. Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt [& vt cognouit quod de Herodis potestate esset] Non quidem quia in Galilæa natus esset: sed quia ibi conceptus erat & nutritus, & ab illa prouincia prædicare est exorsus. Vt ergo veritatem huius facti comperit [remisit eum ad Herodem] Quia sicut *Luc.*13. dictum est, iam alia vice inimicitias cum Herode contraxerat: quia homines suæ iurisdictionis sine iussu Herodis punierat: & ideo sibi cauere de cætero cupiebat [qui & ipse] Herodes [Ierosolymis erat] causa reconciliationis cum Pilato factæ illuc veniens [ipsis diebus] festi paschalis, ad quod forte etiam Herodes aduenerat, volens placere Iudæis, quibus multum placere cupiebat vt posset regnare super eos.

Quærit autem *Chrysost.* Quare Pilatus non quæsiuit de hoc veritatē à Domino. Et respondet, quod libenter accepit occasionem causam referendi ad alium, volens liberare seipsum: quia vidit quod inuidia contra ipsum mouebantur.

Herodes autem viso IESV, gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, &

illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam anteà inimici erant adinuicem.

Hic incipit iudicium quod subiit Dominus ante Herodem. Continet quinque: gaudium scilicet Herodis de præsentato sibi Domino, interrogationes factas ab Herode, constantiam accusantium Sacerdotum, contemptum quem ab Herode sustinuit, & qualiter in morte Domini reconciliati sunt Pilatus & Herodes. Dicitur igitur [Herodes autem] qui Ioannem interfecit, & cuius pater pueros occidit, & cui hæreditaria malitia fuit. *Sap.* 11. Erat enim semen maledictum ab initio, & naturalis malitia corũ immutari non poterat [viso IESV] præsentato sibi, quem ante ad interficiendum quæsiuerat. *Luc.* 13. Exi & vade hinc: quia Herodes quærit te interficere [gauisus est valde] *Prouerb.* 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Quæ autem fuerit tanti gaudij materia, subiungit [erat enim multo tempore cupiens videre IESVM] non quidem ex deuotione: sed quia dolosus erat, simulabat se signa quærere sicut Iudæi, ad fidei Iudæorum confortationem; sed tamen intra desiderabat extinguere omne semen Dauid, vt ipse solus regnaret. *Matt.* 2. Mittens, occidit omnes pueros in Bethlehem secundum tempus quod exquisierat à Magis. Hoc enim fecit pater istius, cuius malitiæ ipse hæres fuit. *Sapient.* 4. Ex iniquis omnes filij qui nascentur, testes erunt nequitiæ in parentes suos [eo quod audiret multa de illo] per famam turbarum & discipulorum Ioannis. *Luc.* 9. Herodes audiuit famam de IESV, & dicebat. Ioannem ego decollaui: quis autem est iste de quo ego talia audio? [& sperabat] curiositate tractus [signum aliquod ab eo fieri] *Ioan.* 4. Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Neque petebat signum vt crederet, sed vt suam pasceret curiositatem, & ideo signum non accepit. *Luc.* 11. Generatio hæc, generatio nequam est, & signum quærit; sed signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Tamen hoc maximè petebat ab eo videre. *Ioan.* 6. Ergo quod signum facis tu, vt videamus, & credamus tibi?

Interrogabat autem illum] Herodes IESVM [multis sermonibus] volens eum ad signum faciendum prouocare. *Prouerb.* 7. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit eum. *Prou.* 26. Cor iniqui exquirit mala. *Eccle.* 13. Non credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela tentabit te: & subridens, interrogabit te de absconditis tuis [At ipse nihil illi respondit] non tamen obmutuit. Et ideo dicit *Matth.* 27. Non respondit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur præses vehementer. Sed hoc fecit vt prophetiam *Isa.* 53. impleret, quæ dicit: Sicut agnus coram tondente, sic sine voce est, & non aperuit os suum. *Psal.* 38. Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. *Isa* 58. Si non fuerit voluntas tua in te vt loquaris sermonem: sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. *Exod.* 14. Vos tacebitis: & Dominus pugnabit pro vobis contra inimicos vestros. Vt ergo prophetiam impleret, vt patientiæ formam daret, vt indignos illos sua responsione ostenderet, vt passionem non prolongaret: ideo nihil respondit.

Stabant autem & Principes Sacerdotum & Scribæ] suæ malitiæ non immemores [constanter] hoc est, pertinaciter [accusantes] eum, inflammati ab illo, de quo dicitur *Apoc.* 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Sic enim Cain stabat contra Abel *Genes.* 4. Sic filij Iacob contra Ioseph *Genes.* 37. Sic Babylonij contra Danielem *Daniel.* 14. Hæc est inuidia, quæ semper malos incitat contra bonos. Hic est vermis, qui percussit hederæ virorem, ne caput Ionæ obumbraret. *Ionæ* 4.

Spreuit autem illum Herodes] hoc est contemptui habuit. *Hebr.* 6. Crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & contemptui habentes. Causa autem fuit, quia nihil diceret ei qui potuit eum liberare: & signa pro eo non faceret, more eorum qui ludos tragœdicos coram nobilibus faciunt, quorum Dominus particeps esse noluit [cum exercitu suo] qui stultum Dominum reputauit: quia se per signa & verba non liberauit ab Herode. 1. *Reg.* 21. Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quia adduxistis eum vt fureret me præsente? Dimittite eum hinc, ne ingrediatur in domum meam [& illusit indutum veste alba] Alba vestis ab istis quidem in illusionem Domini posita est. Sed tamen hoc genus illusionis electum: quia vestis alba, sacerdotalis vestis est, & signum præfert innocentiæ. Ipse enim est de quo dicitur *Sapient.* 7. Candor est lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Et in signum huius, Alba posita est in veste sacerdotali. Et illi qui patiuntur cum Christo, Albis innocentiæ debent esse induti. *Apoc.* 3. Qui non inquinauerunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis. *Eccle.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida: & oleum de capite tuo non deficiet. Ita etiam velum capitis eius amictum sacerdotalem, vt quidam dicunt, prætendebat. Sed tamen hoc conuenientius per sudarium significatur. De illusione autem dicitur *Iob* 30. Nunc derident me iuniores tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei [& remisit illum] sicut contemptibilem & vilem [ad Pilatum] *Prouerb.* 13. Qui illusor est, non audit cum arguitur. *Prou.* 19. Parata sunt derisoribus supplicia: & mallei percutientes stultorum corporibus. Et quia illusor est, illusum Saluatorem à se remisit, nihil penitus reputans eum. *Psalm.* 21. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.

Et facti sunt amici ex ipsa die] illusionis & Passionis Domini [Herodes & Pilatus] Sicut vulpes Samsonis *Iud.* 15. caudis conuenerunt vt illuderent Domino, quamuis capita haberent diuisa: quia in diuersa habebãt tendentes voluntates, & intentiones. In hoc enim solo amici sunt, quia eiusdem innocentis Christi sunt inimici. Et tales viri propriè illusores vocantur, qui in malum concordantes, in aliis malitiam suam dissimulant, donec voluntates suas malas consequantur. 2. *Petr.* 3 Venient in nouissimis diebus in deceptionem illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes [Nam ante inimici erant adinuicem] propter causam, quæ superius satis determinata est. Et hoc ipsum signum

fuit, quod in sanguine Christi inimicitiæ sunt reconciliatæ. *Ephes.2.* Vos qui eratis aliquando longe, facti estis prope in sanguine Christi.

Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum & Magistratibus & Plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis.

Hic incipit pars, quæ est de reditu ad iudicium Pilati, in qua Pilatus videns per inuidiam traditum esse Dominum, intendit ad liberationem ipsius: & habet partes quatuor, in quarum prima, pro ratione liberationis assignat, quia in duobus iudiciis non sit inuenta causa condemnationis contra eum: in secunda pro causa inducit solemnitatem festi instantis: in tertia autem satietatem pœnarum, quia iræ eorum satis esse debebat, quia flagellatus fuit: in quarta autem nullam videns à Iudæis audiri rationem, simplicem Domini allegat innocentiam. Dicit igitur in prima istarum duo, scilicet, absolutionem iudicij sui, & absolutionem iudicij Herodis. In primo horum tria dicit: primò enim accusatores conuocauit, dein de accusationem propositam pronuntiat, tertio innocentem absoluendum sententiat. Dicit igitur.

Pilatus autem] præses [conuocatis Principibus Sacerdotum] qui principales erant [& Magistratibus plebis] qui Sacerdotibus vires administrabant [dixit ad illos] referens quæ dixerunt [obtulistis mihi hominem hunc] ad tribunal siue prætorium meum, accusantes eum [quasi auertentem populum] ab obedientia regni, & tumultus procurantem [& ecce] quod in euidenti est, quia in probatione deficitis [coram vobis] vbi vobis locus impugnandi eum conceditur, & sibi locus defendendi [nullam causam] mortis [inuenio] ex vestris probationibus [in homine isto] cum lex vestra dicat *Exod.23.* Insontem & iustum non occides: quia auersor impium [ex his in quibus eum accusatis] quia in probatione deficitis: & accusationes quas ponitis sunt friuolæ. *Psalm.34.* Surgentes testes iniqui quæ ignorabam interrogabant me. *Act.3.* Nullam causam inuenientes in eo, petierunt à Pilato illum crucifigi, iudicante illo dimitti.

Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum: & ecce, nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam.

Ecce absolutio secundi iudicij. Tangit autem tria: iniquitatem iudicis, examen eiusdem Dominum absoluentis, causam absolutionis, & ex his concludit Dominum esse dimittendum. Dicit igitur [Sed neque Herodes] Qui tam iniquus fuit, quod etiam ante captiuitatem sibi insidiaretur: tam astutus, vt vulpi comparetur *Luc.13.* [nam remisit illum ad me] non damnatum. Et hoc ipsum erat miserabile, auctorem salutis sic per diuersa iudicia distrahere. *Ierem.2.* Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia ambulauerunt post vanitatem & vani facti sunt? *Psalm.16.* Probasti Domine cor meum & visitasti. nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Igne enim inuidiæ & iræ tam Iudæorum quam Gentilium examinatus, vndique purus euadit [& ecce nihil dignum morte actum est ei] hoc est, in actis iudicij Herodis, nihil dignum morte actum est ei. Qualiter enim inueniretur in auctore vitæ aliquid dignum morte? Vnde *Ioan.18.* Ego nullam in eo inuenio causam. *Daniel.13.* Innocentem & iustum ne interficias. *Genes.18.* Absit à te qui iudicas omnem terram, vt condemnes iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius [emendatum ergo illum dimittam] Conclusio est ex præcedentibus. Ac si dicat. Nulla causa est in eo nisi inuidia vestra, quæ exatiari vult pœnis eius. Concedatur vobis, quia ego [emendatum] hoc est, flagellatum [dimittam] *Iob 16.* Saturati sunt pœnis meis. *Psal 37.* Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam: qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere IESVM At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum.

Hic secundam causam inducit suæ liberationis, ex ratione solennitatis instantis Dicit autem tria: dimittendi scilicet necessitatem, & ne dimitteretur, turbæ exclamationem: & electionis peruersitatem. De primo dicit [Necesse autem habebat] ex consuetudine approbata [dimittere] liberum [per diem festum] Hoc propter diem festum Paschæ, in quo ipsi capti liberati fuerunt de Ægypto: & in memoriam illius liberationis aliquis de carcere liberabatur [vnum] vinctum. Et sic dicitur *Matth.27.* Habebat tunc vinctum insignem, qui & latro fuit in viis, & nocturnus ostiorum suffossor, & homicida. Et proposuit Pilatus, vtrum vellent sibi dimitti IESVM innocentem, an illum latronem? firmiter præsumens quod peterent sibi dimitti innocentem. *Ierem.21.* Ecce ego propono coram vobis viam vitæ, & viam mortis. *Deuter.30.* Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.

Exclamauit autem simul] in malo consentiens [vniuersa] generaliter [turba] *Matth.27.* Principes Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis vt magis peterent Barrabam [dicens] *Ierem.12.* Facta

est hæreditas mea mihi quasi leo in sylua, dedit contra me vocem suam [Tolle hunc] Christum. *Sapient*.2. Grauis est nobis etiam ad videndum [& dimitte nobis Barrabam] *Ierem*.8. Elegerunt magis mortem quam vitam qui residui erant de cognatione hac pessima. *Prouerb*.17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum; vterque abominabilis est apud Deum [Qui]scilicet Barrabas[erat propter seditionem quandam] quam ille ex antiqua & mala sua consuetudine concitauerat [factam in ciuitate] Ierusalem, quæ nomine suo,& metropolitica dignitate, pacem in ciuibus, habere debuerat. *Psalm*.121. Fiat pax in virtute tua [& homicidium] quod ipse Deus *Exod*.23. morte plecti præcepit [missus in carcerem]In carcerem autem missus fuit propter instans festum, vt post puniretur. *Act*.12.Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo.Barrabas autem dupliciter inuenitur in antiquis libris. In quibusdam enim libris inuenitur per simplex r sic, Barabas. Sic interpretatur filius patris: quia Bar est filius, & abas pater: quia fuit vnus de illis de quibus dicitur *Ioan*.8. Vos ex patre diabolo estis, & opera illius vultis perficere. Inuenitur autem aliquando nomen suum scriptum per duplex r sic, Barrabas: & sic interpretatur filius magistri: quia omnis erroris magistrum secutus fuit diabolum: de quo *Rom*.2. Qui alium doces, teipsum non doces. *Matth*.23. Magistrum nolite vocare vobis super terram.Quamuis autem isti nequissima voluntate latronem dimitti prælegerint: tamen Dei sapientia malum eorum ordinante, id factum est,vt ipso facto ostenderetur,quod vincti soluerētur de carcerem per Christi Passionem *Isa*.61. Vt prædicarem captiuis indulgentiam,& clausis apertionem. *Zach*.9. Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu,in quo non erat aqua. Significat etiam quod vincula peccatorum soluuntur. *Prouerb*.5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.

Iterum autem Pilatus] Tertia est inquisitio dimissionis. Et ideo [locutus est ad illos] hoc est, concionabatur pro Domino ad eos, vt sedaretur tumultus populi: vt sic rationabiliter persuaderetur dimissio Domini. *Eccli*.4 In iudicando esto pupillis misericors vt pater. *Iob* 29. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam.Causa autem huius concionationis exprimitur *Matth*.27. Quia vxor sua miserat ad eum, dicens: Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa per visum ab Angelo illius in hac nocte.

At illi]è contrario[clamabant dicentes] *Iosue* 9. Congregati sunt cuncti pariter qui erant trans Iordanem,vt pugnarent contra Iosue vno animo, eademque sententia [Crucifige, crucifige eum] Quia in tantum odij deuenerant, quod mulctam mortis voluerunt cumulari horrore confusionis crucis. Adhuc autem,quia affixio crucis acerba & diutina est vexatio mortis. Volebant igitur vt diu morte tortus,multas mortes pateretur. Et ideo nimis desiderantes pœnarum cumulum infligi sibi, ingeminant [Crucifige, crucifige eum] *Ioan*.19. Tolle,tolle,crucifige eum. Christus autem contra mulctam mortis opposuit patientiam, & gaudium sibi fecit de confusione, & taciturnitatem contraposuit clamori. De primis duobus dicitur *Hebr*.12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: atque in dextera Dei sedet.De tertio dicitur in *Psalm*.38.Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me: obmutui & silui à bonis. Et ideo etiam sibi & suis tria meruit. Per pœnam enim meruit beatitudinem citæ & velocis resurrectionis: & per confusionem crucis, coronam gloriæ & honoris: & per inclamationem,meruit ab omni lingua laudis confessionem. *Philip*.2. Factus est obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. Contra pœnam: & dedit illi nomen quod est super omnem nomen. Contra confusionem: vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum. Et contra inclamationem, omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria Dei Patris.

Ille autem] Pilatus [tertio dixit] quamuis plories quam tertio liberationem quæsierat: sicut dicit *Gloss*. Hanc enim quæsiuit primo Iudicis mutatione,ad Herodem mittendo. Secundo flagellorum inflictione,oculos inuidiorum & rapidorum canum laceratione corporis Domini satiando. *Iob* 19. Quare me persequimini sicut Deus,& carnibus meis saturamini? Tertio hoc quæsiuit,Christum latroni conferendo, quis inter duos dimitti peteretur: arbitrans quod innocens latroni, qui recenter læserat,præferretur. Quarto quæsiuit hoc sententiæ dilatione, innocentiam suam in iudicio ostendendo. *Matth*.27.Lauit manus coram populo,dicens: Innocens ego sum à sanguine Iusti huius: vos videritis. Quinto quærit hoc obiectorum annullatione. dicens [Quid enim mali fecit iste?] De quo dicitur *Isa* 53. Qui peccatum non fecit,nec est inuentus dolus in lingua eius. Et maxime,quid male fecit vt maledicto exponatur, & vt morte turpissima condemnetur? *Deuter*.21. Maledictus omnis qui pendet in ligno. *Ierem*.11. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. *Sapient*.2. Morte turpissima condemnemus eum [Nullam enim causam mortis] & præcipue talis mortis [inuenio in eo] quamuis coram vobis positum diligenter examinauerim. Fuit enim Pilatus secutus consilium Sapientis *Eccli*.11.Antequam interroges,ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris, corripe iustè. Concludit autem ex his dicens[Corripiam ergo illum] adhuc amplioribus si vultis verberibus [&] sic[dimittam] quia mortem non meruit. In ipso enim, illis ignorantibus, posita est à Patre nostræ correptionis disciplina. *Isa*.53. Disciplina pacis nostræ super eum,cuius liuore sanati sumus. *Hebr*.12. Quis filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes,ergo adulteri,& non filij estis. Et hic fuit ordo sapientiæ diuinæ.

At illi]è contrario [instabant] hoc est,instanter petentes [vocibus magnis] quia se veritate nudos esse cōfitebantur,quādo clamoribus & multitudine se armauerunt. Petebāt ergo sibi fieri,quod per iudicium obtinere non poterant [postulantes vt crucifigeretur] *Prouerb*.1.Pedes eorum ad malum currunt & festinant, vt effundant innoxium sanguinem. *Psalm*.13.Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & infelicitas in viis eorum,& viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum[& inualescebāt]

continuis

continuis incrementis [voces eorum] 2. *Timo.* 3. Mali homioes proficiunt in peius errantes, & in errorem mittentes. Permixtim enim inter eos fuerunt Sacerdotes & scribæ & Pharisæi, qui ad hæc incitabant populum. Hoc enim semen zizaniæ illi populo superseminauit inimicus homo diabolus. *Matth.* 13. Nonne bonum semen seminasti in agro tuo: vnde ergo habet zizania? Et ait: Hoc fecit inimicus homo. Et sub alia metaphora dicit idem *Isa.* 5. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.

Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: IESVM vero tradidit voluntati eorum.

Ab hoc loco incipit agere de condemnatione Domini: habet autem partes duas: condemnationis sententiam, & qualiter sententia perfecta est in opere. In prima parte quæ parua est continentur tria, quorum primum est iniquus consensus in malum, secundum iniquior absolutio nocentis, tertium autem iniquissima condemnatio innocentis. De primo dicit [Et Pilatus] ambiens principatum, & timens ne contra eum vt ab officio præsidis amoueretur, Romam scriberent [adiudicauit] non quidem ex ratione, sed ex ambitione potestatis [fieri petitionem illorum] in qua per iustitiam nihil obtinere poterant. Fecit ergo contra sententiam Domini, volens placatum habere populum. *Exod.* 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum. *Eccli.* 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Et post pauca. Non pecces in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum

Dimisit autem illis] hoc est, propter illos [eum] latronem insignem Barrabam [qui propter homicidium] *Exod.* 21. præcipitur quod anima detur pro anima [& seditionem] quod est crimen quod totam vrbem commouit, & omni pœna dignum. *Esther* 13. Iussimus vt nefarij homines vna die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbauerant [missus fuerat in carcerem] vt post Pascha publicè puniretur [quem petebant] contra præceptum Domini. *Exod.* 22. Maleficos nō patieris viuere. 3. *Reg.* 20. Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius. *Sap.* 6. Cum essetis ministri regni eius, non recte iudicastis nec custodistis legem iustitiæ [Iesum vero] auctorem salutis innocentem [tradidit] non quidem iustitiæ, sed [voluntati eorum] iniquæ. *Prou.* 25. Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio. *Eccle.* 7. Iustus perit in iustitia sua, & impius multo tempore viuit in impietate sua. *Isa.* 57. Iustus perit, & nō est qui recogitet in corde suo. Et hæc est iusta causa condemnationis Pilati, quia tradidit eum voluntati eorum. Et ideo *Iob* 16. in persona Domini lamentans dicit: Hæc passus sum absque vlla iniquitate, cum ad Deum mundas haberem preces.

Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post IESVM.

Hic tangitur crudelitas voluntatis eorum, qualiter scilicet mandata est executioni. Et in hac parte continentur tria, scilicet, crucifixio, crucifixi obseruatio, & obseruati mortificatio. In primo autem horum quinque per ordinem continentur, scilicet, eductio, turbæ insecutio, suorum allocutio, latronum cum ipso associatio, & loci crucifixionis abominatio. In primo horum duo continentur: eductionis afflictio, & Simonis angariatio. Dicit igitur.

Et cum ducerent eum] ad crucifigendum extra ciuitatem. Et hanc eductionem plenius describit *Ioan.* 19. sic dicens: Exiuit IESVS in eum qui dicitur Caluariæ locum, baiulans sibi crucem. Quia primo cum educerent eum, ipsemet portauit sibi crucem. Hoc enim quamuis sibi ad molestiam fecerint, tamen hoc sapientia ad mysterium ordinauit. Vnde *Hebr.* 13. Quorum animalium sanguis infertur pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum, improperium eius portantes. Tangit *Apostolus* sacrificium vitulæ rufæ *Leuit.* 16. cuius carnes extra castra cremabantur: & sanguis per Pontificem intra Sancta sanctorum inferebatur, & postea in populum aspergebatur. Et sic Dominicum corpus extra portam passum est, & sanguis coram Patre in Sancta sanctorum cælestibus est oblatus, & mundus aspersione sanguinis sui sanctificatus Sic ergo à principio eduxerunt eum per ordinationem diuinæ sapientiæ. *Act.* 4. fecerunt in eum quæcunque manus tuæ Domine decreuerunt fieri. Sed quia tota nocte & diè afflictus fuerat, videntes eum inualidum ad portandum crucem; dum partem viæ portasset eam

Tunc apprehenderunt Simonem, &c.] Et hoc ipsum Spiritus sanctus ordinauit. Non enim sufficit, quod Christus solus pro nobis crucem portet, sed oportet quod etiam nobis imponatur. *Matth.* 17. Siquis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. *Luc.* 14. Qui venit ad me, & non baiulat crucem suam, non potest meus esse discipulus. Sic igitur & hac de causa communicata est crux portanda Simoni. Erat autem iste Simon gentilis, pater cuiusdam Alexandri & Rufi, sicut dicitur *Marc.* 15. natus de Cyrenné quæ est ciuitas Lybiæ. *Amos.* 9. Nunquid non Israël ascendere feci de Ægypto, Palæsthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrenen? Q. d. sic. Iste ergo Simon fuit gentilis Cyrenæus. Et significabatur, quod gentilitas citius ad communicationem crucis per fidem veniret quam circuncisio. Circuncisio enim crucem Saluatori parauit: & hanc gentilitas ab humeris Domini portandam assumpsit. 1. *Petr.* 4. Communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione ipsius gaudeatis exultantes. Hoc igitur est quod dicitur.

Apprehenderunt] in via iam Domino deficiente [Simonem quendam] gentilem: nomen tamen hebraicum habentem, propter hoc quod coïtebatur Iudæis [Cyrenensem] de Cyrene natum [venientem] Dei ordinatione [de villa]

rusticanæ simplicitatis. In hoc autem mysterio in persona Domini dicit *Psalm.* 17. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: filij alieni mentiti sunt mihi. Vnde etiam Simon obediens interpretatur [& imposuerunt ei] per angariam, vt dicitur *Matth.* 27. [crucem portare] hoc est, ad portandum [post IESVM] vt in hoc IESVM imitaretur. Et literalis quidem causa fuit, quod tanti opprobrij erat crux, quod nullus Iudæorum contingere eã voluit: sed gentilis in angaria Iudæorum eam portare coactus fuit. Et ideo de inoitis pœnitentiam facientibus, & Religiosis dicitur, quod portant crucem Simonis. In hoc tamen quod dicitur [post IESVM] imitatio exempli Domini intelligitur. 1. *Petr.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Vnde *Hier.* dicit: In Christo significantur qui sponte portant crucem Domini: in Simone vero illi qui portant inuiti, & cum murmure, qui sunt similes curtui onusto fœno. *Eccli.* 33. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius.

Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

Ecce secundum de sequentibus Dominum. Sequuntur autem duo genera hominum, scilicet, cum turba vt irriderent, & cum amicis suis plures sequebantur vt eum plangerent. De primis dicit [Sequebatur autem illum] exeuntem [multa turba] autem propter videndum supplicium, aut vt viderent si se liberaret per miraculum. Sicut etiam multis de causis, vt superius diximus, sequebantur eum prædicantem. *Ioan.* 6. Cum subleuasset oculos IESVS, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum [& mulieres] deuotæ quæ ascenderant de Galilæa ministrantes de facultatibus suis: & quædam etiam erant de ciuitate. Et forte de Bethania, & de alia vicinia ciuitatis [quæ plangebant] lacrymis. *Ierem.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctũ amarum. *Thren.* 1. Plorãs plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui cõsoletur eã ex omnibus charis eius [& lamentabantur eũ] ne tanquã illamentatus videretur esse abiectus. Est autem lamentũ compositus planctus ex virtutibus, quibus priuatur mortuus. *Isa.* 32. Accingite lumbos vestros. Super vbera plangite, super regione desiderabili, & super vinea fertili. Super humum enim populi mei spinæ & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis? Lumbi enim præcinguntur, cum ad exemplum Christi carnalis concupiscentia frænatur. Super vbera autem accinguntur, cum delectatio carnalis non tamen in carne, sed etiam in corde restringitur. Plangunt autem super regione desiderabili, quando in regione legis diuinæ, filios à patrum gratia sic vident degenerasse. Plangunt super vinea fertili, quando fertilitatem gaudiorum æternorum vident in insaniam crucifixionis Domini esse mutatam. Vident enim spinas pungitiuarum linguarum, & veptes astutiarum quæ detinent in via Dei transeuntes, super humum Domini in Synagoga & Ecclesia iam ascendisse. Et ideo super omnem domum gaudij ciuitatis in crucifixione Domini exultantis, in proximo ascendent spinæ pungitiuæ captiuitatis.

Conuersus autem ad illas IESVS, dixit: Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Hic tangit suorum allocutionem & eruditionem eorum, & dicit hic duo: faciei ad ipsos conuersionem, & ipsam eruditionem. Dicit ergo [Conuersus autem IESVS ad illas] Et ipsa conuersio dignationis fuit. *Psalm.* 89. Conuertere Domine vsquequo, & deprecabilis esto super seruos tuos. *Psalm.* 31. Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina: aculei scilicet angustiæ passionis [Dixit] Tangit autem hic tria, scilicet, super quos est flendum, & quid flendum, & qua de causa. In primo horum duo dicuntur, scilicet, quod super ipsum non est flendum, & quod super ipsas & successores ciuitatis est flendum. Dicit igitur.

Filiæ Ierosalem] Et ex hoc patet, quod multæ personæ de Ierusalem deuotæ sibi fuerunt. Aliter etiam filiæ Ierusalem, sunt filiæ æternæ pacis. *Galat.* 4. Illa quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra. Tamen magis hic literaliter loquitur Dominus. *Luc.* 19. Videns ciuitatem Ierusalem fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu, fleres, supple. Ideo ergo vocat filias Ierusalem [nolite flere super me] Ego enim patior ad redemptionem omnium. Ego etiam morior tertia die resurrecturus. *Osee* 6. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. *Luc.* 10. Sicut fuit Ionas in ventre ceti: ita erit Filius hominis in corde terræ. Vnde *Psalm.* 29. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Eccli.* 22. Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Nequissimi autem nequissima vita, & ille magis plangendus est. Nolite ergo flere super me [sed super vosipsas flete] Quia multæ ex vobis sunt, quæ malum ciuitatis oculis corporis videbunt. *Thren.* 1. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam: quoniam longe factus est consolator conuertens animam meam. *Psalm.* 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei [& super filios vestros] qui in captiuitate Ierusalẽ inuoluentur. *Matth.* 24. Væ prægnantibus & nutrientibus in die illa. Illi enim filij qui nunc nutriuntur, in captiuitatem deducentur. *Thren.* 1. Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. Et est ac si diceret: Ne lamentemini me moriturum, cuius cita resurrectio mortem soluere potest, cuius mors mortem & ipsum mortis auctorem destruet. *Osee* 13. O mors, ero mors tua: morsus tuus ero inferne. Vos potius, vestramque progeniem dignis lacrymarum fontibus abluite, vt non cum perfidis damnemini in vltionem meæ crucis & passionis. Huius autem tangit causam.

Quoniam ecce] Q. d. In euidenti est, iam appropinquant [venient dies] mali destructionis Ierusalem. *Luc.* 19. Quia venient dies in te, & coangustabunt

gustabunt

gustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt [in quibus dicent] habitatores Ierusalem[beatæ steriles] *Sap.*3. Felix sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum:& spado qui non est operatus per manus suas iniquitatem [& ventres qui non genuerunt] *Isa.*54. Lauda sterilis quæ non paris:decanta & hinni quæ non parturis. Omnes ventres qui pariunt, sic pariunt, quod ipsi comedunt partum ventris sui. *Deut.*28. Tenera mulier & delicata quæ super terram ingredi non potest,nec vestigium figere propter mollitiem & teneritudinem nimiam, inuidebit viro suo qui cubat in sinu eius, super filij & filiæ suæ carnibus, & illuuie secundinarum quæ egrediuntur de medio feminum suorum,& super liberis qui eadem hora nati sunt. Comedent enim eos clam, propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas [& vbera quæ non lactauerunt] quia illæ matres in natis non habebunt afflictionem, & fugæ impedimentum. *Iob* 3. Quare non in vulua mortuos sum,ex vtero egressus non statim perij?Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Pondus enim natorum ad pectus pendentium, in illa die erit angustia nutrientium, & fugæ impedimentum. *Deut.* 28. Homo delicatus & luxuriosus inuidebit fratri suo, & vxori suæ, ne det eis de carnibus filiorum suorum quas comedet: eo quod nihil habeat aliud in obsidione & penuria.

Tunc]præ angustia[incipient dicere montibus, Cadite super nos] Incipient inquam:quia dicitur *Matth.*24. *Marc.*13. Initia dolorum hæc. Sed consummatio dolorum erit multo asperior in propriis personis, quam initia fiot in personis natorum. Incipient ergo tunc dicere[montibus] *Apoc.* 6. eadem verba continentur de angustia finis mundi, qui multo erit angustiosior quam captiuitas Ierusalem. *Osee* 10. Dicent montibus, Operite nos:& collibus, Cadite super nos. Desiderabunt enim mortem, & mors fugiet ab eis, vt diu moriantur, & nunquam præmoriantur. *Amos* 9. Ponam oculos meos super eos in malum & non in bonum.

Quia si in viridi ligno] Ecce tangit causam ex iudicio comparationis, dicens [quia si] hæc iudicia fuerunt[in viridi ligno]hoc est, in me & sanctis meis, qui sumus ligna viridia, qui fructum facimus virtutis & honestatis,qui floremus omni pulcbritudine virtutis, qui foliis vmbrosis medicinales sumus in omne medicamentum ægritudinis. *Ezech.* 47. Folia eius in medicinam. Et ista sunt verba *Ierem.* 17. Erit quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radicem suam: & in tempore siccitatis non erit solicitum,nec aliquando desinet facere fructum. 1. *Petr.* 4. Tempus est vt incipiat iudicium à domo Domini. Si autem primum à nobis, quis finis erit illorum, qui non credunt Dei Euangelio? Et si iustus quidem vix saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? 2. *Tim.* 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur [in arido quid fiet] Hoc enim ad nihil aptum est, nisi vt sit æterni ignis materia. *Isa.* 30. Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius,ignis & ligna multa. *Prouerb.*11. Si iustus in terra recipit,quanto magis impius & peccator. *Luc.*16. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua,& Lazarus similiter mala:nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris.

Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris.

Ecce iniquorum cum Christo associatio, quod est quartum istius partis. Dicit igitur[Ducebantur autem]cum amara necessitate tracti. *Thren. vltim.* Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies[& alij duo nequam]Relatiuum diuersitatis virtute grãmaticæ vellet ponere communionem in genere vel in specie, & diuersitatem notare in indiuiduo:sed hic non sic, quia IESVS non fuit nequam. Sed notat diuersitatem in hoc communi, quod est esse damnatos. Duo enim alij damnati secum ducebantur, qui fuerunt nequam. Hoc enim adiectiuum, nequam hic habet vim implicationis:vt sit sensus. Alij duo qui erant nequam. Hoc autem summa sapientia voluit vt prophetia impleretur *Isa.* 53. Cum sceleratis deputatus est. Voluit etiam hoc, vt sciretur quia pro peccatoribus patiebatur *Matth.*9. Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam. 1. *Petr.* 3. Christus semel pro peccatoribus mortuus est,iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo. Omnes ergo hi ducebantur [vt interficerent] Vnam quidem pœnam mortis accipientes, sed non ex simili causa. Illi enim latrones peccatorum suorum pœnas excipiebant:sed Dominus tanquam redemptor peccatorum. Et hoc est quod dicit,quod ducebantur ad interficiendum.

Ista autem eductio damnatorum ab antiquo inoleuit,quia & Cain eduxit Abel cum vellet eum interficere *Genes.* 4. Et Iudas fecit produci Thamar, cum præciperet eam cremari *Genes.* 38. & *Leuit.* 24. blasphemus præcipitur educi extra castra. Et colligens ligna in die sabbati præcipitur educi *Num.*15. Et ita & sub lege, & ante legem, extra communem hominum habitationem producebant. Videtur tamen instantia *Leuit.* 20. de illo qui reuelauerit pudenda sororis suæ,qui ambo in conspectu populi interfici iubentur. Et ad hoc dicendum, quod damnati educi iubentur, ne locus habitationi communis fiat horrori:vt & in campo libero aspectibus pateant, vt sint exemplum timoris. Ille autem qui reuelauit pudenda sororis incestum quidem commisit, & ideo in conspectu populi occiditur. Sed quia hoc aliquando licuit in lege, scilicet, naturali, ideo tanquam horribilis ille non abiicitur. Sic ergo latrones educuntur. Eductio autem Domini figurata est in eductione Abel, & in eductione Isaac ab Abraham ad montem visionis *Genes.* 22. Et per exitũ Ioseph, qui in deserto Dothaym à fratribus in cisternam est proiectus *Genes.* 37. In lege etiam, quia extra castra in deserto *Num.*21. erigitur serpens æneus, qui est figura Christi crucifixionis. Dicit igitur.

Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ]Caluaria vocatur denudatum à pelle,& pilis, & carnibus caput hominis, quod craneum

medici vocant. 4. *Reg.* 9. Non inuenerunt nisi caluariam, & fummas manuum, & pedum. Dicebatur autem locus ille caluaria à contento: quia illic fufpenforum,& decollatorum, & punitorum multæ iacebant caluariæ. Et quod dicit *Ambrof.* quod dicitur caluaria à caluaria Adam ibi fepulta: dicit *Hieron.* quod eft pia quidem, fed mendofa interpretatio: quia *Iof.* 14. legitur, quod Adam iuxta Hebron eft fepultus. Et ideo dicitur, quod hoc dictum non eft *Ambrofij* veri:fed illius *Ambrof.* qui dicitur *Adopertus*, qui in multis dicta *Ambrofij* falfificauit, dicta fua ftulta immifcens dictis illius fapientibus. Tamen pictores videntur hoc fentire, quia caluariam pingunt fub cruce. Sed ad hoc dicit Horatius, quod

Pictoribus atque poetis,

Quidlibet audendi femper fuit æqua poteftas.

Ibi] ergo in loco Caluatiæ [crucifixerunt eum] vt ipfo loco fignificaretur, quod non Iudæis in ciuitate habitantibus, fed Paganis in campis vagantibus crucifixio fua primum prodeffet. *Cant.* 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. *Daniel.* 9. Poft hebdomadas fexagintaduas occidetur Chriftus, & non erit eius populus qui eum negaturus eft[& latrones]crucifixerunt cum eo[vnum à dextris] qui pœnituit [& alterum à finiftris] qui in malitia perdurauit. Et hi, vt dicit *Auguftinus*, duas cruces fignificant, eorum fcilicet, qui crucem inniti fuftinent, & tamen fuftinent, qui ftant à finiftris:& aliorum qui libenter carnem crucifigunt pro Chrifto, & ftant à dextris. *Galat.* 5. Qui funt Chrifti carnem fuam crucifixerunt cum vitiis & concupifcentiis. De alia cruce dicitur *Galat.* 6. Mihi mundus crucifixus eft, & ego mundo. In medio autem pofuerunt Dominum tanquam peiorem. *Habac.* 3. fecundum *Septuaginta*. In medio duorum animalium innotefces. Sic ergo crucifixus eft, & ibi,& cum talibus. *Prou.* 22. Configet eos qui confixerunt animam eius. *Zach.* 12. Afpicient ad me quem confixerunt. *Malach.* 3. Si configet homo Deum fuum quia vos configitis me?

IESVS autem dicebat: Pater dimitte illis: non enim fciunt quid faciunt.

Hic incipit pars, quæ eft de obferuatione crucifixi Domini. Habet autem quinque partes, in quarum prima, charitas maxima Domini etiam ad inimicos oftenditur:in fecunda, fpoliatio nudæ veritatis defcribitur:in tertia, obferuatio & illufio diuerforum aftantium exaggeratur: in quarta autem, titulus crucis Domino fuperponitur: in quinta, ftipendia meritorum latronibus à Domino redduntur. Dicit igitur de primo [IESVS autem] omnia hæc mala & vituperia perpeffus[dicebat]orando[Pater dimitte eis] *Pfal.* 34. Retribuebant mihi mala pro bonis,& odium pro dilectione mea [Pater] inquam,in affectu Patris dilecte, qui me in hanc pro peccatoribus mififti obedientiam. *Ioan.* 11. Ego fciebam quia tu femper me audis [dimitte eis] peccati iftius debitum. Huius orationis figuram præmifit Moyfes dux populi *Exod.* 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quẽ fcripfifti. Hanc orationem prædixit *Ifa.* 53. Ipfe peccata multorum tulit, & pro tranfgrefforibus orauit, vt non perirent. Hanc orationem vt bonus difcipulus imitatur Stephanus *Act.* 7. Domine,ne ftatuas illis hoc peccatum: quia nefciunt quid faciunt. Fecit ergo optimus magifter charitatis quod docuit *Matth.* 5. Diligite inimicos veftros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro perfequentibus & calumniantibus vos.

Sed cum Chriftus in omnibus exauditus fit:videtur, quod omnibus illis debita fint dimiffa. Refpondeo, quod non orauit nifi pro ignorantibus, & animum à propofito reuocantibus. *Ioan.* 17. Pro eis rogo, non pro mundo; fed pro his qui credituri funt per verbum eorum in me. Non tantum autem orat, fed etiam allegat, dicens.

Quia nefciunt quid faciunt]1. *Ioan.* 1. Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Chriftum iuftum:& ipfe eft propitiatio pro peccatis noftris. Quod autem dicit:quia nefciunt; videtur omnes tangere. *Act.* 3. Et nunc fratres fcio quia per ignorantiam feciftis, ficut & Principes veftri. Et hoc quidem concedendum effe videtur. 1. *Corinth.* 2. Si cognouiffent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiffent. Et quod dicunt quidam, quod Principes & Scribæ cognouerunt: hoc eft intelligendum de vehementi præfumptione, quam ex fignis habere poterant. Quidam enim ex inuidia, quam ad eum habebant,fcire eum nolebant:& illi non dicuntur ignorantes, nec excufantur. *Ierem.* 9. In dolo tenuerunt me fcire, dicit Dominus *Ofee* 4. Quia tu fcientiam repulifti, repellam te & ego, ne facerdotio fungaris mihi. Pro illis ergo non orat. 1. *Ioan.* 5. Eft peccatum ad mortem:non dico,vt pro eo roget quis. Dicit igitur hic quædã *Gloff.* quod pro talibus non orat. Et hoc verum eft quantum eft de circunftantia literæ quæ dicit,Quia nefciunt quid faciunt. Tamen pro certo pro omnibus orat, vt non pereant:quamuis propter abominationem circunftantiarum peccati fcienter Filium Dei crucifigentium non dicatur orare. Hoc eft igitur quod dicitur *Rom.* 5. Commendat autem Deus fuam charitatem in nobis: quoniam cum adhuc inimici effemus, fecundum tempus Chriftus pro nobis mortuus eft.

Diuidentes vero veftimenta eius, miferunt fortes.

Hic incipit fecundũ huius partis, in quo tangitur de veritatis expoliatione, vt nuda & non velata, ficut de cælo venit, nobis exhiberetur. Et in fignum huius, altaria deteguntur tempore paffionis. Dicit autem duo:qualiter fcilicet veftimenta diuifibilia diuiferunt, & qualiter fuper indiuifibilem tunicam fortem miferunt. Dicit igitur [Diuidentes vero] fcilicet,veftimenta. Ex *Ioan.* 19. colligitur, quod quatuor exiftentibus militibus qui Dominum crucifixerunt, vnufquifque accepit vnam veftem. Dicit enim fic: Milites vero cum crucifixiffent eum, acceperunt veftimenta fua, & fecerunt quatuor partes, vnicuique partem & tunicam. Erat autem tunica inconfutilis defuper contexta per totum. Dixerunt ergo: Non fcindamus eam, fed fortiamur de ea cuius fit. Et hoc eft quod dicit, quod [Diuidentes] fcilicet veftimenta in quatuor partes:fuper [veftimenta eius] propter, tunicam inconfutilem[miferunt fortes]quis quid tolleret. Tunica autem inconfutilis facta fuit per totum de opere illo, quo fiunt birreta, & quædam chirothecæ.

chirothecæ. Et dicitur quod Beata Virgo tunicam illam fecerit.

Sic fratres Ioseph *Genes.*37. nudauerunt tunica polymita, In signum huius expoliationis. Sic *Isa.*20. tribus diebus ambulauit nudus, & discalceatus. Sie Dauid 2.*Reg.*6. discoopertus est quasi nudetur vnus è scurris. Et ideo Michol,quæ aqua ex omnibus interpretatur, & significat concupiscentiis deditos, quæ leues sunt super faciem aquæ. *Iob* 30. Et effusi sunt sicut aqua.*Genes.* 49. Illi, inquam,despiciunt eum.Quibus ipse respondet:Ludam & vilior fiam, & ero humilis in oculis meis ante Dominum. In cruce enim denudatus, ludis blasphemantium est expositus. Sic in spiritu loquitur ad sponsam *Cantic.*5. Expoliaui me tunica mea:quomodo rursum induat illa?Ecce Iob dolens,sedens in sterquilinio sputorum & opprobriorum patienter requiescens, pompatice ingredientes domum Israël inclamat, dicens *Iob* 1. Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Ecce quod dicit *Iob* 24. nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Vbi est ô milites, diaboli satellites, quod *Luc.* 3. vos docuit Ioannes Baptista. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Ecce nunc crudeliter Dominum gloriæ denudastis,& derisioni nudum exposuistis.Dicunt enim Patres quod totum nudum dimiserunt. Sed pannum, qui pingitur circa lumbos eius, Beata Virgo mater de suo capite sumptum sibi circumligauit. *Psalm.*21.Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Ita enim abominabatur ea quæ de mundo sunt,quod nihil omnium eorum quæ de mundo sunt, secum retinere voluit. Quia enim sauciatus Adam incidens in latrones *Luc.*10. despoliatus est,vestimentum amittens immortalitatis, & vulneratus:ideo etiam secundus Adam spoliari elegit,sicut & vulnerari: vt sua spoliatione illum vestiret, sicut & vulneribus suis curaoit vulnera illius.Et ideo clamat iam Pater de cælo *Luc.* 15. Cito proferte stolam primam pristinæ gloriæ decorem habentem, & induite illum. Statim enim stola gloriæ erit induendus.

Et stabat populus expectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.

Hoc est tertium istius partis,& tanguntur hic tria: expectatio mortis à populo, derisio Principum, exprobratio & illusio militum,& amaricatio. Dicit igitur [Et stabat] minaciter [populus] malus [expectans] cum desiderio mortem eius. *Iob* 16. Irruit in me quasi gigas.Frendens enim & fremens stetit contra eum populus. *Psalm.*2.Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? *Iob* 16. Collegit furorem suum in me,& comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Sic ergo populus mortem eius sitiens, stabat expectans: sicut de damnatis per iustitiam publicam non receditur nisi prius mortui videantur[& deridebant eum Principes]Sacerdotum,qui omnium malorum erant incentores[cum eis]hoc est,cum populis. *Psalm.*21.Omnes qui videbant me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. *Matth.*27. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua. *Iob* 12.Deridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata in tempus statutum. *Prouerb.*19. Testis iniquus deridet iudicium, & os impiorum deuorat iniquitatem. *Ierem.*20. Factus sum in derisum tota die: omnis subsannant me. *Thren.*3. Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die [dicentes] deridendo.

Alios saluos fecit] Hoc solum vere & non bene dicunt: quia deridendo dicunt. *Act.*10. Pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo,quoniam Deus erat in eo. *Matth.*1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum[seipsum saluum faciat] Hoc pessime dicunt: quia seipsum non saluando, nos omnes saluat. *Isa.*53. Cuius liuore sanati sumus. Exponendo enim seipsum passionibus, omnes nos saluauit à peccatis. *Hebr.*9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Obliti sunt isti procaces, quod patres eorum non nisi per sanguinem agni liberati sunt ab exterminatore *Exod.*12. Dicunt tamen illud, ac si illud intendant quod ipse *Luc.*4. dixit: Medice cura teipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua [si hic est Christus Dei electus[sicut iactando dixit. Et hoc penitus dicunt inconuenienter: quia ipsi non credunt Christum Deum esse, & ideo miracula non posse facere: tamen deridendo in hoc dicunt verum: quia ipse est Christus vnctus oleo lætitiæ deitatis,delibutus vnctione Spiritus in assumptione humanitatis.*Isa.*61.Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me Dominus. *Psalm.*44. Vnxit Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis [Dei electus] quem sic elegit, quod nullum elegit nisi in ipso. *Ephes.*1. Elegit nos ante mundi constitutionem in ipso vt essemus sancti. *Cantic.*5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Matth.*17.dicunt:Dixit enim Filius Dei sum. *Sapient.*2. Si est verus Filius Dei suscipiet illum,& liberabit de manibus contrariorum:contumelia & tormento interrogemus eum.

Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac.

Tertium est, & tangit duo: vnum quidem de illusione, & aliud de amaricatione. Dicit igitur [Illudebant autem ei & milites] *Isa.*28. Audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Ierusalem *Ose.*7. Extendit manum suam cum illusoribus: quia applicuit quasi clibanum cor suum. Per istam triplicem illusionem populi, & Sacerdotum, & militum, triplex fit adoratio Crucifixi in Parasceue. Vel quia illusus fuit coram Pontificibus,& coram Herode,& coram Pilato: sicut patet ex præhabitis. Et quia quarta vice hic illusus ab omnibus in cruce, populo scilicet, principibus, & militibus: ideo post triplicem adorationem, cum crux exhibetur omnibus, omnes de contra stantes adorant in recompensationem illusionum, quas pro nobis sustinuit [accedentes] fellito eorde sibi appropinquantes. *Psalm.*87. Repleta est amaritudinibus anima mea:& vita in inferno appropinquauit.

uit. Tam amari enim de se dicere poterant, quod inferno iam appropinquabant. *Act.*8. In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.

Et acetum offerentes] In spongia circumposita Hissopo: sicut dicitur *Ioan.*19. *Marc.*15. dicitur, quod dederunt ei vinum myrrhatum. *Matth.*27. dicitur, quod dederunt ei vinum felle mixtum. Et potest esse quod mixtura fuit ex vino acetoso & felle & absynthio & myrrha: & intentio eorũ fuit vt intus exasperaretur, sicut exterius in amaritudine fuit. Dicunt autẽ quidam, quod bis potatus fuit ante crucem: cum ex ductu lassatus fuit, & tunc acetum dederunt: & secundo in cruce, quoniam tunc clamauit: & potans eum voluit exasperare sibi guttur, ne clamare posset: & ideo socius dixit: Sine: an veniat Elias liberans eum. Quasi dicat. Non exaspetes guttur, vt inclamare possit Eliam. *Matth.*27. Quod autem quidam dicunt quod potatus sit vt citius moreretur, falsum est: quia talia prolongant vitam, & non abbreuiant in eo qui non de febre moritur. Istam autem amaritudinem Dominus subiit propter gustum vetitum. Sicut enim terrenus Adam gustu cecidit: ita cælestis Adam gustu eum releuauit. *Thren.*3. Recordare paupertatis meæ, transgressionis, absynthij, & fellis. *Ierem.*2. Quomodo conuersa es in amaritudinem vinea aliena? Dicit etiam *Ioan.*9. Dominum dixisse: Sitio: quia tunc sitiuit salutem nostram Cui amaritudinem propinat, qui felleos mores iræ & inuidiæ & inimicitiarum reseruat. *Deuter.*32. Vua eorum vua fellis, & bottus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Et ideo dum gustasset noluit bibere. *Matth.*27. Cum amaritudine autem oblata irrogant irrisionem, dicentes [Si tu es Rex Iudæorum] sicut tu dicis [saluum te fac] Sed ad hoc respondet *Ioan.*18. Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtrique decertarent vt non traderer Iudæis: quia milites de regno terreno intelligebant sicut ignari legis.

Erat autem & superscriptio scripta super eum literis græcis, hebraicis, & latinis: Hic est Rex Iudæorum.

Attende quod figura crucis de quatuor lignis, vel forte de pluribus meo iudicio erat composita. Pes enim magnus (& vt quidam dicunt de sex trabibus) compositus erat de cedro. Sex autem trabes dicunt in pede fuisse, quorum quatuor quadratum quoddam super terram iacens describebant, vt fortiter & immobilis staret crux. Duo autem per modum crucis ad rectos angulos, se in ipso quadrato intersecabant, & vsque ad latera quadrati porrigebantur; & quasi quadratum ne dissolueretur continebant: in quarum duarum trabium medio vbi se intersecabant, erat foramen magnum cui stipes crucis infigebatur, qui stipes magnus fuit & altus. Et dicitur fuisse de cypresso. Lignum autem transuersale ad quod brachia fuerunt extensa & manus conclauatæ, fuit de palma, & fortiter in superiori summitate stipiti superfixum clauis validis vt non moueretur. Et sic crux fuit ad modum literæ quæ thau vocatur hebraicè. *Ezech.*9. Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium. In hac cruce sic disposita nihil erectum fuit superius: & verificatur quod dixit *Matth.*8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Pilatus autem superius affigi fecit tabulam, in qua titulum scripsit, quæ fuit de ligno oliuæ. Et dicunt quidam, quod aliud lignum stipiti infixit, quod in altum porrigebatur: & huic ligno tabulam affixit. Et sic dicitur probabilius. Et sic ex quinque lignis composita est crux, stipite, brachiali ligno, & ligno quod supra stipitem vltra caput est erectum, in quo superius transuersaliter tabula est affixa in pede. Pes autem ex sex trabibus est compositus, sicut diximus. Et sic sunt in vniuerso decem ligna crucis. Et multi claui in diuersis locis sunt infixi. Dicunt autem quidam quod omnia hæc ligna à Salomone à monte Libano sunt adducta, & superfuerunt in templo. Et ita iuxta probaticam piscinam remanserunt iacentia. Sed hoc non est authenticum. Sic igitur patet qualiter tabula est affixa, in qua fuit crucis titulus. *Habac.*2. Scribe visum, & exara eum super tabulam, vt percurrat qui legerit. Istam crucis dispositionem videtur describere *Apostolus Ephes.*3. Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Sublimitas enim significauit, quod omnia Patri acquisita attribuit. Profundum autem, quod vsque ad inferos redemptionis suæ gratiam deriuauit. Latitudo autem est extensio charitatis, etiam ad inimicum. Longitudo autem est duratio huius gratiæ in æternum. Hoc est igitur quod dicit.

Erat autem superscriptio] tituli. *Hieron.* autem distinguit triplicem titulum, memorialem, præconialem, triumphalem. Et iste titulus omnes habet rationes titulorum. Memorialis enim est ad memoriam rei æternam. Et talis est iste; quia in memoria æterna erit iustus: sicut dicit *Psalm.*111. Ab auditione mala non timebit. Præconialis autem est, quia est in titulo isto præconium summæ laudis: quia nihil nisi laudabile in titulo isto continetur. IESVS enim saluator, Nazarenus floridus virtutum honestate, Rex à regimine iustitiæ, Iudæorum confitentium recta interpretatione dicitur. Quod nihil est nisi laudabile. *Psalm.* 112. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini. Triumphalis autem est iste titulus: quia triumphum continet perfectum. *Ioan.*16. Confidite, quia ego vici mundum [Superscriptio autem fuit literis græcis, & latinis, & hebraicis] Græcis quidem, propter summum Philosophiæ & sapientiæ quod fuit apud illos: Latinis autem propter summum potestatis: & Hebraicis propter summum cultus diuini. Dicitur autem titulus à græco titan quod est radius, & significat gratiam Christi toto orbe terrarum per istas tres linguas esse diffundendam.

Hic est] IESVS [Rex Iudæorum] Hæc fuit vna accusationum, in qua maiorem vim faciebant: quia per hanc Cæsari contradicere videbatur. Vnde etiam *Ioan.*19. dixerunt: Noli scribere: Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Timebant enim accusabiles fieri coram Cæsare, si simpliciter scriberetur, Rex Iudæorum. *Isa.*19 Erit altare Domini in medio terræ Ægypti: & titulus Domini iuxta terminum eius. Altare super quod oblatus est Dominus est crux. Medium autem terræ dicitur Ierusalem, quæ medium est nostræ habitabilis: quæ quidem spiritualiter est Ægyptus propter malus habitatores: sicut dicitur *Apoc.*11. Titulus autem inscriptio Pilati est

iuxta

iuxta terminum crucis. Tribus autem linguis scriptum est: quia *Deuter.19.* dicitur, quod in ore duum vel trium stabit omne verbum.

Vnus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

Hic vltimo ponitur pars illa, quæ est de exprobratione latronum. Dicuntur autem hic tria: sinistri latronis exprobratio, dextri ad sinistrum increpatio, & deuotio quam habuit ad Dominum. De primo quidem dicit sic [Vnus autem de his qui pendebant latronibus] qui à sinistris pendebat, & ad sinistram pertinebat [blasphemabat eum] *Matth.12.* Spiritus blasphemiæ non remittetur eis in hoc seculo, neque in futuro. Blasphemia est impositio falsi criminis in Deum. *Psalm.68.* Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. *Ierem.15.* Omnes maledicunt mihi. *Ierem.20.* Omnes subsannant me [dicens] improperando [Si tu es Christus] habens diuinam potentiam [saluum fac] principaliter [temetipsum, & nos] postea. *Eccli.14.* Qui sibi nequam, cui alij est bonus? Ordinata enim charitas est vt incipiat à semetipso: & ideo salua te primum, & postea nos.

Respondens autem alter] latro iam ad pœnitentiam conuersus. Quia sicut dicit *Matth. & Marc.* primo ambo blasphemabant. Sed vnus ad cor rediens, veniam petiuit, & socium increpauit [increpabat eum dicens] *2.Timoth.4.* Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina [Neque tu times Deum] Q.d. Qui timere Deum deberes: eo quod tu tanois es mortis & iudicij diuini. *Psalm.13.* Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum [qui in eadem damnatione es] non quidem quoad causam, sed quoad similem pœnam, accepisti enim mortis sententiam sicut ille. Et hoc quidem magna gratia est, quod in eadē damnatione vult esse nobiscum. *2. Reg.18.* Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi det vt ego moriar pro te, fili mi Absalom[& nos quidem iustè] supple patimur: quia peccata nostra hoc meruerunt. *2.Reg.19.* Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia Domino meo regi [Nam digna factis recipimus] hoc est, dignas pœnas recipimus pro malis factis. *2.Corinth.5.* Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit. *Isa.3.* Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei [hic vero nihil mali gessit] Et hoc significatum est in agno paschali, de quo dicitur: Erit enim masculus anniculus absque macula.

Et dicebat ad IESVM] in deuotione compunctionis conuersus [Domine] *Sapient.16.* Tu es qui vitæ & mortis habes potestatem [memento mei] in bonum. *Genes.40.* Memento mei dum bene tibi fuerit. *Prouerb.10.* Memoria iusti cum laudibus. *Psalm.111.* In memoria æterna erunt iusti: ab auditione mala non timebunt [dum veneris in regnum tuum] *Ioan.18.* Regnum meum non est hinc. *Sapient.5.* Accipient regnum decoris, & diadema pulchritudinis de manu Domini: quoniam dextera sua reget eos, & in brachio suo defendet illos.

Et dixit illi IESVS] ostendens quod ipse est verus Saluator, qui venit in mundum peccatores saluos facere: quia sicut dicitur *Matth.1.* Saluum faciet populum suum à peccatis eorum [Amen dico tibi] hoc est, Vere dico tibi[hodie]hac lucente luce: quia nunc lucet lux gratiæ[mecum eris in paradiso] Paradisus autem hic dicitur deitatis plena fruitio, ad quam secum statim soluta à corpore peruenit anima latronis. *2.Corinth.12.* Raptum in paradisum: & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. *Apoc.2.* Qui vicerit, dabo illi edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. Paradisus enim vt dicit *August.* multipliciter dicitur. Est enim terrestris paradisus, regio prima nostrorum immortalium corporum antequam caderent per peccatum. *Genes.2.* Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis ab initio, in quo posuit hominem quem formauerat. Aliquando autem dicitur paradisus regio beatorum spirituum, deitate præsentialiter fruentium, sicut iam ante diximus. Hæc autem regio est in omni loco vbi se deitas ad fruendum exhibet, siue in cælo, siue in terra, siue etiam in limbo patrum: ad quem post mortem anima Christi descendit. Aliquando etiam dicitur paradisus deliciæ sanctæ animæ in consolationibus diuinis. *Eccli.40.* Timor Domini sicut paradisus benedictionis. Aliquando etiam pulchritudo conuersationis Sanctorum dicitur paradisus. *Eccli.41.* Gratia sicut paradisus in benedictionibus. Aliquando dicitur paradisus, amœnitas habitationis Sanctorum. *Genes.13.* Regio Iordanis vniuersa irrigabatur sicut paradisus Domini. Irrigatur autem per fluenta doctrinarum & gratiarum. Aliquando dicitur paradisus multiplicitas amœnitatis Scripturarum. *Eccli.24.* Ego sicut aquæductus exiui de paradiso. Aliquando dicitur paradisus vbertas cordis pleni scientiis & virtutibus. *Cantic.4.* Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Sed hic dicitur paradisus in prima significatione. Et deitas exhibens se fruitioni Sanctorum, est sicut fluuius qui exit de paradiso. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.

Erat autem ferè hora sexta.

Hic post crucifixionem agitur de morte Domini & circumstantiis mortis eius. Dicuntur autem hic quinque, scilicet, tempus morti cōgruum, subtractio luminis mundi ne videret extingui lumen spirituum, scissio veli ad reuelationem secretorum, cum clamore ingenti mors Domini ad detestationem peccatorum tantam mortem causantium, conuersio infidelium, & deuotio fidelium ad ædificationem fidei & bonorum morum. De primo dicit [Erat autem ferè hora sexta] quando sol

ſol medium cœli accepit, & in totum mundum æqualiter virtutem ſui luminis emittere debuit. *Eccli.* 43. In meridiano ſol exurit terram, & refulgens radiis ſuis obcæcat oculos. Alij tamen dicunt quod in tertia: quia in tertia cœperunt linguis crucifigere, & quod ore diffinierunt, per opus in ſexta perfecerunt. Et quod ita ſit dicit *Dionyſ. in Epiſtola ad Appolliphanium.* quod feria ſexta, hora quaſi ſexta, apud Heliopolim ciuitatem Ægypti, hoc ipſe & Apolliphanius conſpexerunt. Dicitur enim in *Pſalm.* 18. A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. Et loquitur de ſole. Hoc autem non niſi in meridie eſt, quod eſt hora ſexta: quia ſicut tunc lumen in totum mundum effunditur, ita gratia redemptionis per gratiam datam in ſanguine Chriſti per totum mundum erat deriuanda. Adhuc autem in meridie comedit homo vetitum. Et hoc accipitur: quia ſtatim ſe abſcondit, & ſtatim poſt meridiem arguitur à Domino quod in meridie commiſerat *Geneſ.* 3. Dum deambularet Dominus in paradiſo ad auram poſt meridiem clamauit, & dixit: Adam vbi es? Eodem ergo tempore etiam paſſionis in morte apposuit remedium. *Ambroſ.* Ipſe lignum tunc notauit, damna ligni vt ſolueret.

Et tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt ſol.

Hic tangit ſecundum de tenebris, & dicit duo: tenebrarum factionem, & cauſam. De primo dicit [Et tenebræ factæ ſunt] *Origenes* videtur dicere, quod ſicut in Ægypto *Exod.* 10. tenebræ factæ ſunt Ægyptiis, non Iudæis: ita è conuerſo modo, tenebræ factæ ſunt Iudæis, & non aliis qui erant in terra. Et hæc opinio non eſt vera, niſi de tenebris ſpiritualibus intelligatur. *Sap.* 17. Totus orbis limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus cuſtodiebatur. Solis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ eos erat comprehenſura. *Beda* tamen videtur velle, quod lumen toti mundo fuit ſubductum, ex hoc quod ſol & elementa retraxerunt lumen ſuum ab inferiori habitatione propter horrorem tanti facinoris. Et hoc expreſſe dicunt factum eſſe qui tenebras illas viderunt: ſicut *Dionyſius, & Apolliphanius, & Policarpus martyr,* & alij quidam. Alij dicunt ſicut *Ambroſius & Auguſtinus & Hieron.* quod tenebræ non erant niſi in Iudæa: quia ibi tantum peccatum commiſſum eſt. Et hoc iterum negant *Dionyſius & Policarpus & Apolliphanius:* & dicunt quod tenebræ ſe extenderunt vſque ad regiones Iliacas, hoc eſt, in Phrigiam, vbi fuit Ilion ſiue Troia: & ipſi in Heliopoli ciuitate Ægypti erant in tenebris. Et hoc quidem eſt verum. Sic ergo tenebræ factæ ſunt *Iob* 5. Per diem incurrent tenebras: & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie. *Exod.* 10. Sint tenebræ tam denſæ vt palpari queant. *Thren.* 3. Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem [in vniuerſam terram] regni Ieruſalem, & in finitimis regionibus. *Pſalm.* 54. Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ [vſque in horam nonam] hoc eſt, per tres horas: per quantum ſpatium eclipſis naturalis non durat: ita quod nulla ſolis appareat repurgatio: quia cito tranſit luna, & ſol in aliqua parte diametri repurgatur, & lucere incipit. Iſtæ autem tenebræ ſine omni lucis admixtione ſtabant tribus horis: quod nunquam poteſt contingere ſecundum naturam. Hoc enim oſtendit hoc quod dixit Dominus *Ioan.* 3. Lux in mundum venit, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim ipſorum mala opera [Et obſcuratus eſt ſol] Quidam mentiuntur quod ſol obſcuratus ſit retractione ſui luminis. Sed *Dionyſius* qui hoc vidit dicit, quod luna ſe ſoli horribiliter ſubmiſit. Et cum in omni eclipſi naturali, luna ſolem eclipſans veniat ab Occidente, tunc è contrario luna venit ab Oriente: & incepit ſol obſcurari à parte orientali ſphæræ ſuæ: & tranſiuit luna ſub ſolem, donec tota fuit obſcurata ſolis linea diametralis: ita quod vltimum obſcuritatis fuit pars occidentalis, quæ prima eſſe debuit ſi eclipſis naturalis fuiſſet. Et toto ſole ſic obſcurato, tenebræ ſteterunt per tres horas æquales. Quod item fuit contra naturam. Adhuc autem luna tunc, vt dicit *Dionyſ.* ceciderat ab angulo plenilunij. Dicit enim quod lunæ deerat, nec erat tempus conuentus ſolis & lunæ, quod non eſt niſi in nouilunio. Erat enim luna 15. ſecundum curſum aſtrorum, & ſecundum computum Hebræorum qui non fallit à curſu ſiderum. Et cum luna, vt dictum eſt, venerit ab Oriente: oportuit quod per eandem curuitatem ſemicirculi rediret ad ſolem, per quam à ſole creſcens receſſerat. Et hoc iterum impoſſibile eſt ſecundum naturam. Adhuc autem oportuit quod in eodem arcu mota, recedendo & accedendo moueretur motu reflexionis. Quod eſt contra omnem naturalem prophetiam: quia in illo motu de neceſſitate intercidunt duæ quietes: & ſic motus lunæ non erat regularis & vniformis. Adhuc autem dicit *Dionyſ.* quod luna poſt nonam reſtituta eſt in locum ſuum: & ſic oportuit quod vnum ſemicirculum & eundem ſui deferentis in tribus horis bis proficeret: ergo in tribus horis mouebatur quantum moueri debuit in his 15. diebus, qui ſunt 30. dies. Hæc omnia mirabilia dicit *Dionyſ.* tunc accidiſſe. Et ideo magiſtrum ſuum *Apolliphanium* interpellaſſe dicendo: O ſpeculum doctrinæ Apolliphani, quid his ſecretis aſcribis? Et ad hoc Apolliphanius: Hæc ô bone Dionyſi iniuriæ ſunt diuinarum rerum. *Ierem.* 15. Occidit ſol cum adhuc eſſet dies. *Amos* 8. Occidet ſol in meridie: & tenebreſcere faciam terram in die luminis. *Sap.* 17. Ignis quidem nulla vis, nec ſiderum limpidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam.

Et velum templi ſciſſum eſt medium.

Hoc eſt tertium, in quo notatur reuelatio aperta ſecretorum. Erat autem duplex velum in templo. Exterius quidem quod oſtium templi recludebat, ne ab interiori atrio in ſancta poſſet aliquis reſpicere. Et aliud velum erat quod Sancta ſanctorum à Sanctis diſtinguebat. Vtrunque autem ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, ſicut dicitur *Matth.* 27. Sciſſum autem eſt [medium] ita quod vna pars cecidit huc, & altera illuc: ita quod ſecretiora templi & interiora omnibus apparuerunt libero aſpectu conſpecta: ſignificantia ipſo facto iam patefactam & propalatam eſſe viam ſanctorum: ſicut dicitur *Hebr.* 9. ita iam quod primum taberna-

culum

culum non vlterius habuit statum. *Apoc.*11. Apertum est templum Dei in cælo, & visa est atca testamenti eius in templo eius, hoc est, in cælo cælante sacra in templo, apertum est templum, vt pateret omnibus via libera ad propitiatorium & atca, quæ corpus Domini significat: quia iam per passionem Christi esset remotum impedimentum. 2.*Corinth.*3. Vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum supra cor eorum. Et hoc est velamen carnalis intellectus legis. Vnde sequitur. Cum autem conuersus fuerit quis eorum ad Dominum, auferetur velamen. Deus enim spiritus est. Hoc totum continetur *Hebr.*9. per totum capitulum, vbi dicit expresse: Per velamentum significabat Spiritus sanctus nondum propalatam esse viam sanctorum. Et aliquibus interpositis subiungit, quod Christus assistens pontifex futurorum bonorum, peramplius & perfectius non manufactum, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, omnibus velamentis depositis: & liberam viam faciendo ad sancta contuenda & habenda omnibus. *Psalm.* 12. Reuela oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Et iterum *Psalm.* 118. Et considerabo mirabilia. Dicit autem *Hieron.* quod in Euangelio quod hebraicis literis conscriptum est, habetur, quod illo cum vela scinderentur lapis miræ magnitudinis scindebatur, & cecidit de superliminaribus templi, in signum futuræ destructionis templi Et de hoc dicitur *Isa.*6. Commota sunt superliminaria domus à voce clamantis. Vtrunque, scissura scilicet, velorum, & scissura templi concordat prophetiæ *Isa.* 22. Reuelabitur operimentum Iudæ: & videbitis in die illa armamentarium domus saltus: & scissuras ciuitatis Dauid videbitis, quia multiplicatæ sunt. Domus saltus dicitur templum, quia factum fuit de lignis saltus Libani. Tacet autem hic *Lucas* de terræmotu, & scissura petrarum, & apertura sepulchrorum: quæ etiam tunc acciderunt, quæ *Matth.* diligenter posuerat.

Et clamans voce magna IESVS ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.

Quartum est quod est de inclamatione peccati, quod est causa tantæ mortis. Et dicit tria: clamorem, orationem, & expirationem. De primo dicit [clamans voce magna] Clamor autem vires interiores adesse significat secundum naturam, quod exangues & iam quasi exanimes clamare non possunt. *Hebr.* 5. Preces supplicationesque ad Deum clamore valido & lacrymis offerens, in omnibus exauditus est. *Iob* 16. Terra ne operias sanguinem meum: nec inueniat in te locum latendi clamor meus. *Isa.*58. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Sic ergo inclamauit peccatum [voce magna] Exilem enim vocem consueuerunt habere & acutam afflicti & exangues, in propria potestate spiritum & vitam non habentes. Et ideo in hac vocis magnitudine ostendit quod dixit *Ioan.* 10. Nemo tollet à me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam: potestatem enim habeo ponendi animam meam, & habeo iterum sumendi eam. *Genes.*enim. 3. quondam clamauerat: Vbi es Adam? quando de manu Dei cecidit in peccatum, hoc est, Vide in quantam incidisti miseriam, quæ & te ad necessitatem moriendi, & me ad mortem conducit tuæ redemptionis. Et ideo clamat hic voce magna. *Matth.*27. Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et subiungit Spiritus sanctus, quod hæc sunt verba delictorum eorum qui sui erant in hoc mundo, pro quibus eū tormenta pati conueniebat. Et antequam congrue redimerentur, ad istum clamorem liquefacta est sponsa *Cant.* 8. Dilectus meus clamat ad me: Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum: quia fortis vt mors dilectio. Sic respondet sponsa *Cant.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Magnitudo pœnæ non ita clamare coegit sicut magnitudo peccati, pro quo talem pœnam sustinuit. Clamat igitur vt ostendat se vitæ & mortis habere imperium *Sapiem.* 16. Quia iam sanguine effluxo, vexatis viribus, prolongato & multiplici martyrio, clauis ad interiora penetrantibus, adhuc mortem sustinet ne nisi volenti superueniat. *Isa.*53. Oblatus est quia ipse voluit. Clamat etiam, ingentem ad nos ostendeos amorem, pro quibus tot pœnas assumpsit. Clamat, immensitatem acerbitatis in dolore mortis ostendens. Quod triplici causa ex fuit. Vna quidem naturalis est: quia speciosus forma præ filiis hominum, optimæ complexionis, & decentissimæ fuit compositionis: & ideo in morte acerbissimi doloris: maximè cum nec ætate confectus, neque infirmitate in aliquo fuerit destitutus. Alia autem diuina fuit: quia morte assumpta mortuus fuit. Hanc autem talē assumpsit, quali tantum lueret peccatum, quantum protoplastus & alij commiserant, qui totam naturam perdiderant. Et hanc oportuit omnibus mortibus esse acerbiorem. Tertia causa moralis est: quia dicit *Aristot.* quod mors tanto est molestior, quanto bonis melioribus priuat morientem. Et ideo dicit mortem virtuosi hominis esse molestiorem quam mortem turpis: quanto bonus per mortem melioribus priuatur sciens. Oportuit ergo istam esse molestissimam, quæ tot bonorum diuitem & inclytum priuauit Deum vita. *Thren.* 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Voce igitur magna clamauit. *Psalm.* 142. Anxiatus est in me spiritus meus: in me turbatum est cor meum [Ait IESVS] inter multa quæ clamauit, sicut, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: & Deus meus vt quid dereliquisti me? Quod bis clamauit: & Sitio: & hoc quod ad Ioannem & matrem dixit: Mulier, ecce filius tuus: ad Discipulum autem: Ecce mater tua. Post omnia autem dixit quod hic continetur [Pater in manus] Et dicunt quidam quod in cruce centumquinquaginta versus psalmorum legit, qui ab isto principio Psalmi, Deus Deus meus respice in me, vsque ad istum quem hic dicit versum continentur. Et hoc vocatur Psalterium Christi. Dicit igitur [Pater] Hic enim à memoria dulcis Filij, etiam inter flagella & pœnas quas ex obedientia Patris sustinuit, non recessit: docens nos quoniam & nos Patris in tribulatione non obliuiscamur: quia flagellat omnem filium quem recipit *Hebr.*12. [In manus tuas] virtuosas [commendo spiritum meum] debentem congredi cum diabolo

diabolo & inferno, ad suorum liberationem. *Sap.* 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Commendatio autem est: vt sicut Pater ostendit virtutem in expugnando peccatum & peccatores, quod ita ostendat virtutem manus suæ in expugnanda morte, & auctore mortis diabolo, & domo mortis inferno: vt spiritus potens forti diabolo superueniat, & intret potenter in domum fortis, & alliget fortem, & omnia vasa domus eius diripiat: sicut *Luc.* 11. dictum est. Hoc enim modo impleuit quod dictum est *Isa.* 49. Equidem à forti tolletur præda: & quod ablatum est à robusto, saluabitur. Sic igitur dicit. In manus tuas [commendo spiritum meum] Alia enim commendatione non indiguit commendare spiritum, qui vnitus fuit diuinitati [Et hæc dicens] ostendendo quid in mortis periculo & domo mortis facere vellet per spiritum. *Eccli.* 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. *Osee* 13. O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne [expirauit] hoc est, spiritum tradidit: ista, quæ de opere redemptionis adhuc restabant, facienda perfecturus. *Deut.* 32. Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Sicut via vitæ, ita & via mortis. *Osee* 13. De manu mortis redimam eos, de morte liberabo eos.

Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.

Quintum est istius partis, quod continet tria: conuersionem gentilium: compunctionem peccatorum: & confortationem iustorum. Primum notatur in hoc quod dicit [Videns autem Centurio] qui gentilis fuit & infidelis, & præfuit ministris crucifigentibus Christum. Quod factum fuerat in omnibus iam inductis miraculis, & præcipuè in hoc quod spiritus suus in passionibus extorqueri non potuit, sed clamore ostendit quod voluntariè animam posuit. Et ideo *Marc.* 15. dicitur. Videns autem Centurio quod sic clamans expirasset [glorificabat Deum] illuminatus fide [glorificabat Deum] confessione veritatis. In hoc enim Deus maxime glorificatur, quando homo peccatum suum recognoscit. *Ios.* 7. Fili mi da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris. Iste enim peccatum infidelitatis suæ recognouit, & eum quem ante blasphemauerat [dicens: Verè hic homo iustus erat] Iustus autem non potuit esse, nisi & verbis verax esset, & opere iustus. *Deut.* 32. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus. Si ergo verax fuit in sermone, ipse Filius Dei erat, quia Filium Dei se esse dixit. Vnde *Matth.* 27. & *Marc.* 15. Verè Filius Dei erat iste. Sic ergo in isto notatur illuminatio gentilium ad fidem [& omnis turba eorum qui simul aderant] Multitudo enim maxima exierat: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixerunt eum: sicut dicitur *Ioan.* 19. Quacunque de causa exiuissent, siue planctus, siue curiositatis, siue malitiæ & derisionis [ad spectaculum istud] 1. *Corinth.* 4. Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus [videbant quæ fiebant] 2. *Mach.* 7. Digna admiratione facta sunt in nobis [percutientes pectora sua] *Matth.* 15. Quæ procedunt ab ore, de corde exeunt, quæ sunt furta & blasphemiæ & cogitationes malæ. Et quia cor est fons omnium malorum, quæ irrogata sunt Domino: ideo pectora percutiebant in signum castigationis. *Luc.* 18. Percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori [reuertebantur] hoc est, à malo se subduxerunt. *Ierem.* 31. Postquam ostendisti mihi, egi pœnitentiam, percussi femur meum, confusus sum & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. In huius signum percussionis, Sacerdos eleuata aliquantulum voce in signum clamoris Domini, tundit pectus in Canone dicens: Nobis quoque peccatoribus.

Stabant autem omnes noti eius alonge, & mulieres quæ secutæ erant eum à Galilæa, hæc videntes.

Hic tangitur confortatio fidelium deuotorum. Noti autem hic dicuntur, qui se esse in dilectione nouerunt. Præ timore autem, & quia impellebantur, & quia noluerunt esse cum ministris sceleris, delonge steterunt. *Psalm.* 87. Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria. *Psalm.* 30. Qui videbant me foras fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde. *Iob* 6. Ecce non est auxilium mihi in me, necessarij quoque mei recesserunt à me [& mulieres quæ secutæ erant eum à Galilæa] Illæ quidem primo longe steterunt, sicut hic dicitur. Compuncta autem turba & recedente, & centurione glorificante Deum, audaciam acceperunt, & accesserunt ad crucem. Et ideo *Ioan.* 19. dicitur: quod stabant iuxta crucem IESV mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. *Iob* 19. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum: & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Carnes hic dicuntur carnales amici, qui à passione consumpti sunt: quia non audebant eum confiteri. Et ideo tunc solum os, fortiores, scilicet. Discipuli, adhæserunt pelli, & hoc est fidei Ecclesiæ. Labia autem sunt mulieres, quæ locutæ sunt ei. Et illæ solæ circa dentes eius erant: quia necessaria ministrabant. *Luc.* 8. Quæ ascenderant de Galilæa & ministrabant ei de facultatibus suis. Illæ enim mulieres ministrabant ei, vicem illius viduæ supplentes, quæ pauit Eliam 3. *Reg.* 17. [hæc videntes] cæteris fugientibus. Et ideo dicit *Chrysost.* quod istæ mulieres doctrices fuerunt Apostolorum & Euangelistarum.

Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

Hic agitur de sacramento sepulturæ: & diuiditur contra præcedens totum quod dictum est de Passione & Morte. Habet autem tres partes, in quarum prima describitur is, qui tantæ sepul-

turæ dignus fuit officium impendere: in secunda autem describitur modus sepulturæ: & in tertia describitur deuotio mulierum considerantium sepulturæ locum. Describit autem Ioseph ab octo. Primo quidem ab animi strenuitate, qua Iudæorum ferocitatem non timuit, quando dicit [Et ecce vir] Vir enim est virilis animi, non timens impetus occurrentes. *Psalm.* 1. Beatus qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. Vnde etiam quidam eundem Psalmum de Ioseph isto dicunt factum fuisse, eo quod non consensit consiliis & actibus Iudæorum tradentium Dominum. Secundo describit à nomine, quoniam dicitur [Ioseph nomine] *Genes.* 49. Ioseph filius accrescens. Vnde etiam accrescens interpretatur: quia continuis incrementis accreuit in gratia. Tertio describitur à potestate, quando dicitur [qui erat decurio] hoc est, princeps super decem: vel quia erat aliquis officialium curiæ. *Genes.* 23. Princeps Dei es apud nos. *Psal.* 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quia cæteris fugientibus, Ioseph & Nicodemus manserunt, sepulturæ Domini officium impendentes [vir bonus] bonitate virtutis, & pietate fidei. Et describitur hic quarto ab habitu animi [& iustus] Quintum est: vbi describitur ab obedientia mandatorum. *Psalm.* 108. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas [hic non erat consentiens consilio] Hoc est sextum. *Psalm.* 1. Non abiit in consilio impiorum [& actibus eorum] Et ideo in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit [ab Arimathæa] Ecce descriptio à loco: & interpretatur vigilia donationis: & est ciuitas iuxta decspolim, quæ olim Rammatha dicebatur. Et præsago nomine sic dicebatur: quia propter vigilia suæ custodiæ corpus Dominicum accepit pro donatione: & maxime quia precepta decalogi custodiuit. *Psalm.* 31. In psalterio decem chordarum psallam tibi. Hæc est ciuitas [Iudææ] quæ confitens interpretatur: quia Dominum in confessione fidei fuit confessus. *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem [qui expectabat & ipse regnum Dei] Descriptio est à spe: quia regnum Dei in reuelatione gratiæ (quæ per IESVM Christum facta est) expectabat. Hoc enim regnum Dei vocatur. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius.

Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus IESV: & depositum inuoluit syndone, & posuit eum in monumentro exciso: in quo nondum quisquam positus fuerat.

Hic tangit de sepultura: dicit autem tria, scilicet, qualiter à iudice corpus obtinuit, qualiter illud inuoluit, & qualiter sepeliuit. De primo dicit [Hic] sicut existens de curia & familia præsidis, audacter sicut dicunt *Matth.* & *Marc.* [accessit ad Pilatum] præsidem, sine cuius licentia corpora damnatorum per iustitiam publicam tolli non poterant. *Eccli.* 7. Mortuo non prohibeas gratiam: neque desis plorantibus in consolationem, cum lugentibus ambula. *Matth.* 27. Pilatus vero iussit reddi corpus. Sic enim præcipitur *Iosue* 8. &c. 10. quod ante solis occasum corpora deponantur de ligno.

Et depositum] supple, de cruce. *Ioan.* 19. Petierunt vt non remanerent corpora in die sabbati. Erat enim magnus dies ille sabbati [inuoluit illud in syndone munda] Syndon autē est pannus factus de lino Ægypti, quod est genus lini candidissimi. Dicitur autem munda: quia ad vltimum erat dealbata. Et hoc significabat candorem gratiæ ipsius corporis. *Apoc.* 3. Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt. Huius mysterij gratia Siluester Papa præcepit, quod corpus Domini non inuoluatur in sericis, sed in linteo mundo de lino facto. Sic enim & Virgo Mater albis castitatis viscerum suorum indutum & inuolutum Verbum protulit in mundum: & iam natum pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio in pabulum iumentorum. *Eccle.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida. Ideo etiam Angeli in albis apparuerunt. *Matth.* 28. Vestimenta eius sicut nix. In figura huius in monte transfigurationis *Matth.* 17. & *Luc.* 9. & *Marc.* 9. vestimenta Domini candida sicut nix apparuerunt, qualia fullo super terram facere non potest.

Et posuit eum] quiescentem ab omni opere redemptionis die septimo: sicut Deus Pater die septimo ab omni opere creationis mundi quieuerat. Ita ergo positus est ad quietis ostensionem. *Hebr.* 4. Qui enim ingressus est in illam requiem, & ipse quieuit ab operibus suis, quemadmodum & à suis Deus [in monumento] quod quasi monens mentem, vel munimentum vocatur, quia munitum fuit. *Matth.* 27 Signantes lapidem cum custodibus. *Isa.* 11. Erit sepulchrum eius gloriosum [exciso] in lapide, vt dicit *Chrysost.* ne dicere possent, quod Discipuli suffodientes, furati sunt eum. Erat enim in lapide in primo introitu quasi cripta vel camera. Et in eodem lapide contra ostium introitus illius cameræ ex opposito, erat spelunca in qua positus est Dominus: & super os speluncæ lapis est maximus superpositus, qui non nisi à multis remoueri poterat [in quo nondum quisquam] alius [positus erat] ne dicere possent, quod alius erat qui resurrexit. Dicit autem *Ioan.* 19. quod erat ibi etiam Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum quo vnxit Dominum: non contra putredinis vel corruptionis fœtorem, quia talem defectum incurrere non potuit. *Psalm.* 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sed quia ita mos erat sepelire corpora charorum amicorum. Et cum essent amici, expensis sepulturæ deesse noluerunt. Referunt autem quidam, & est scriptum in historia Ecclesiastica, quod Iudæi hunc Ioseph propter sepulturæ istius diligentiam captum incarcerauerunt: & quod ille primus fuit, cui post Resurrectionem Dominus in carcere apparuit: quia solus inter Discipulos tunc pro eo captus tenebatur. Nicodemus autem vix manus eorum effugit.

Et dies erat Parasceues, & sabbatum illucescebat.

Determinat hic tempus istius sepulturæ. Dicit igitur [Et dies] sepulturæ [erat Parasceues] hoc est, præparationis: & est nomen græcum, & dicitur præparatio, quia illo die necessaria ad sabbatum præparabantur: maximè ad istud sabbatum, quod

maius erat cæteris, quia vna dies solennitatis paschalis. *Ioan.* 19. Erat autem magnus dies ille sabbati. Et hoc est quod sequitur [& sabbatum illucescebat] ad vesperam parasceues: quia vesperum illucet in sabbati luce: eo quod præcedens vesperum cum sequenti die computetur. Semper enim secundum cursum naturalem, præcedens nox in sequentem diem illucescit. *Psalm.* 138. Nox sicut dies illuminabitur: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Hic tangitur qualis deuotæ mulieres in parasceue locum sepulchri notauerunt Et hoc est quod dicit [Subsecutæ [sunt [autem] ad locum sepulchri [mulieres] in parasceue [quæ cum ipso] Domino Iesv [venerant de Galilæa] Et sicut superius dictum est, ministrauerant ei de facultatibus suis, & pietatem quam exhibuerant viuo, non negauerunt mortuo: quia fideles erant [& viderunt] hoc est, notauerunt monumentum [&] notauerunt etiam [quemadmodum positum erat] in monomento [corpus eius] hoc est Domini Iesv. *Matth.* 24. Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ [& reuertentes] ipsa die parasceues [parauerunt aromata & vnguenta] Quamuis enim parasceues est prima dies Paschæ, luna 14. (aliàs 15.) Et non licebat opus seruile in eo fieri: tamen opera pietatis circa defunctorum corpora non prohibebantur. Aromata autem dicuntur quasi aeromata, & illa corpori Dominico apponebant: in signum quia omni odore virtutum redolebat. *Cantic.* 4. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Vnguenta autem parauerunt, in signum quod vnctum erat vnctione deitatis: & in proximo futectarum oleo lætitiæ delibutum. *Eccli.* 38. Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis [& siluerunt] hoc est, quieuerunt à visitatione sepulchri [sabbato quidem] in quo nihil operis seruilis licebat fieri [secundum mandatum legis] *Isa.* 58. Si abstuleris pedem tuum à sabbato facere voluntatem tuam in die sancto meo, vocaberis sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum. Sic ergo terminatur pars ista quæ est de sepultura.

***

CAPVT XXIV.

Vna autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata.



AB hoc loco vsque in finem agitur de sacramento Resurrectionis & Ascensionis: & diuiditur in duas partes, in quarum prima Resurrectio nuntiatur per Angelos: in secunda autem certificatur ipsa Domini apparitione. Prima harum duas habet partes, in quarum prima nuntiatur per Angelos sanctis mulieribus, & per mulieres Apostolis: in secunda autem, signa quæ retulerunt mulieres, per experimentum probat Petrus nimio desiderio videndi Dominum. In priori autem harum duo dicuntur, in quorum primo reuelationem accipiunt mulieres, & Apostolis referunt: in secundo autem hoc pro deliramento reputatur. Adhuc autem anterior illarum duo continet: acceptationem reuelationis, & reuelationis nuntiationem. In prima harum partium duo continentur, in quorum primo dicitur qualiter ad monumentum veneruni, & quale monumentum inuenerunt: in secundo autem de reuelatione angelica subiungitur, quæ Dominum surrexisse perhibuit, & mulieres præmonuit de verbis Dominicis.

Dicit igitur quando & qualiter ad sepulchrum venerunt, & quale inuenerunt sepulchrum. Quando quidem, quia [Vna sabbati] hoc est, prima sabbati, quam nos Dominicam appellamus. Decuit enim quod hoc in prima sabbati nuntiaretur. Vt qua die septimanæ Deus fecit cælum & terram *Genes.* 1. eadem die terra grata, & cælum gaudio Resurrectionis repleretur. Et qua die Deus dixit; Fiat lux: vt illustraret cælum & terram: eadem die lux surgeret claritatis Resurrectionis, ad cæli & terræ nouam illuminationem. *Cantic.* 6. dicitur de Ecclesia. Quæ est ista quæ processit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Hæc est lux surgentis auroræ, quæ diem caliginis damnatorum non illustrat: sicut dicitur *Iob* 3. Sic ergo vna sabbati Christus surrexit. Et *Marc.* 16. Valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole.

Valde diluculo] Tangit hic horam quæ maxime conuenit: quia in diluculo ad quærendum eum veniebant, qui iam suæ claritatis luce cæli sinum illustrabat. *Psalm.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis turbati sunt omnes insipientes corde. Hoc enim prædixerat de eo Zacharias *Luc.* 1. Illuminate his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Sic enim luce sua nostram noctem transuexit in lucem. Qua autem hora Dominus surrexerit, nemo scit. *Gregorius* tamen videtur dicere quod media nocte: quod duabus probat auctoritatibus, quarum prima est *Iudic.* 16. quod Samson, qui sol fortis interpretatur, media nocte surrexit,

surrexit, & portas Gazæ in verticem montis portauit. Samson enim Christum, Gaza autem significat infernum: quia sicut Samson portas Gazæ, ita Christus confregit portas inferni. *Psalm.* 106. Confregit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis suæ: propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Alia auctoritas est *Prouerb. vltim.* De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Alij autem ferè omnes Sancti videntur dicere, quod iam imminente aurora, cum tamen adhuc tenebræ erant, surrexit: propter auctoritates & rationes prius introductas. *Osea* 6. Quasi diluculum præparatus est egressus eius: & veniet nobis quasi imber temporaneus & serotinus terræ. Tali igitur tempore & hora

Venerunt ad monumentum] desiderio amoris quærentis Dominũ. *Iob* 3. Quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer cum inuenerint sepulchrum. Sic adhuc qui desiderant à tumultu in absconditis esse cum Christo, in deuotione cordis in secreto conscientiæ quærunt eum. *Coloss.* 3. Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Psalm.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Absconditum enim faciei, vt dicit *Maximus Episcopus*, est pretiosissimus in diuinam lucem transitus, qui est à tumultu mundi secretus. *Psalm.* 30. Proteges eos in tabernaculo tuo, hoc est, in sepulchro tuo à conturbatione hominum, siue à contradictione linguarum. Corde igitur ad sepulchrum spirituale: corpore autem ad materiale sepulchrum sic venerunt. Qualiter autem venerunt, subiungit.

Portantes quæ parauerant aromata] hoc est, odores. Odores autem fuerunt maximè myrrhæ & aloes: quorum vtrumque frænat odores malos, non ex corpore Domini, sed ex loco vbi alia damnatorum corpora fœtebant procedentes. Aromata autem virtutum, vt dicit *Gregorius*, odores significant, quæ nobiscum portare debemus, quando Dominum visitamus. *Cantic.* 4. Fluent aromata illius. Et iterum *ibidem* ante hoc dicitur. Emissiones tuæ paradisus, hoc est, spiramentum & fragrantia, quam emittis, est paradisus. *Psalm.* 44. Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, supple, spirant à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Myrrha quidem est iustitia castigans per disciplinam & afflictiones carnis. Gutta autem (quæ lacryma est odorifera) est aroma pietatis. Casia autem concaua, est aroma humilitatis: quæ spirant à vestimentis honestæ conuersationis: à domibus eburneis, hoc est, à corporibus castis. Et ex his Christum delectant vngentes nobiles animæ filiæ regum optimorum prælatorum, in honorem suæ Resurrectionis. Sic ergo magis intus quam extra portauerunt aromata [quæ parauerant] in Parasceuen præparationis, hoc est, in studio bonæ vitæ & studio virtutis. *Prouerb.* 6. Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem: præparat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Messis autem est tempus metendi. *Prouerb.* 10. Qui congregat in messe, filius sapiens est. Qui autem stertit æstate, filius est confusionis. Sic ergo nobis cum sanctis mulieribus aromata paranda sunt, cum quibus ad quiescentem in gloria Dominum in deuotione contemplationis veniamus.

Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini IESV.

Hic quædam signa tanguntur Resurrectionis, & hæc sunt duo: reuolutio lapidis, & quia non inuenerunt in monumento præsentiam Dominici corporis. Dicit igitur [Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento] Non quod Dominus indiguerit hac reuolutione: quia sicut de matris vtero, sic de monumento hinc & inde exiuit intacto clausuræ signaculo. *Ezech.* 44. Porta hæc clausa est, & non aperietur: quia Dominus Deus Israël ingressus est per eam. Clausis enim ostiis hinc & inde exiuit: vt sciamus eum esse, cui nihil obstat, & cui omnia seruiunt ad nutum. Lapis autem iste obdurationem cordis significat, qui deuote Deum quærentibus reuoluitur. *Marc. vltim.* Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti. Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. *Ezech.* 11. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Sic igitur in deuotione spiritus lapidem inuenerunt reuolutum à monumento, in quo cum Domino IESV includi & abscondi desiderauerunt.

Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini IESV] Diximus in ante habitis, quod duplex erat ædificium sepulchri. Quod enim primo occurrit, cripta quædam fuit: & ex opposito ostij illius criptæ, erat spelunca, in qua positum fuit corpus Domini: & lapis prægrandis illi speluncæ suprapositus, quem reuolutum viderunt: & ingressæ sunt mulieres in ædificium anterioris criptæ, & videntes lapidem reuolutum, senserunt non ibi esse corpus Dominicum. Iam enim erat IESVS glorificatus, nec poterat infirmis locis detineri, nec delibutione vnguenti corporalis indiguit, qui surrexerat gloria Resurrectionis delibutus. Et hæc ipsa non inuentio corporis hoc præfigurabat, vt non de cætero in corporis infirmitate quæreretur, sed in gloria crederetur: ita quod omnis lingua sibi confiteretur, quia esset in plena gloria dexteræ Patris. 2. *Corinth.* 5. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem, hoc est, secundum carnis infirmitatem. Et si aliquando cognouimus secundum carnem Christum, hoc est, secundum carnis infirmitatem; sed nunc iam non nouimus: quia iam gloria deitatis eius etiam carnis substantiam tota gloria repleuerat. *Psalm.* 8. Gloria & honore coronasti eum. *Hebr.* 2. Eum, qui modico ab Angelis minoratus est, IESVM videmus per passionem mortis gloria & honore coronatum.

Vnguenta spiritualia parentur, & aromata gloriæ Domini congruentia, & non quæ aliquid infirmitatis ostendant in Domino. Parentur inquam vnguenta compunctionis, deuotionis, & gratiarum actionis. Vnguenta quidem compunctionis ex speciebus pungitiuis, dolorem cordis inducentibus. Quod fit ex consideratione peccatorum, immixtis quibusdam lenitiuis spei, & fiduciæ veniæ. Et *Luc.* 7. significatur per vnguentum, quod peccatrix mulier super pedes Domini (qui sunt misericordia & iustitiæ suæ veritas, siue seueritas cum gemitu) effudit. Vnguentum

tum deuotionis ex consideratione diuinæ bonitatis, & dulcedinis, & gloriæ præparetur. Et significatur per vnguentum, quod *Ioan.*12. Maria Magdalena super caput Domini (quod est Deus) cum magno odore, qui totam Ecclesiæ domum repleret, effudit per deuotionem. Vnguentum autem gratiarum actionis, ex omnibus perceptis à Deo beneficiis commiscetur, & præparatur. Et quia quædam sunt beneficia humanitatis, quædam deitatis, quædam à manu Domini sicut dona sanitatum, quædam ab ore sicut doctrinæ illuminationum, quædam à pedibus sicut fatigatio itinerum, quando nos ad gratiam circumiens quæsiuit: quædam à brachiis & humeris, in quibus nos supportauit: quædam autem à dorso, in quo flagella pro nobis sustinuit: quædam autem à capite, quod arundine percussum & spinis hirsutum fuit: quædam etiam à locis clauorum, & quædam à lanceatione lateris: ideo hoc vnguentum significatur per illud quod ditissimi & inclyti viri Ioseph ab Arimathia & Nicodemus *Ioan.*19. super totum corpus Domini effuderunt. Hæc igitur vnguenta cum virtutum odoribus præparentur. Et sic non mortuis, sed cum Beatis Dominus inuenitur.

Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit.

Hic tangitur de apparitione angelica, quæ instruxit mulieres de Resurrectione: & habet quatuor particulas, in quarum prima dicitur, qualibus existentibus mulieribus Angeli apparuerunt: in secunda autem quot & quales Angeli fuerunt qui apparuerunt: in tertia autem quales factæ sunt mulieres ex Angelica apparitione: in quarta vero qualiter ab Angelis sunt confortatæ & instructæ. Dicit igitur [Et factum est] Dei prouidentia, quæ omnia præordinauit [dum] mulieres [mente] hoc est, animo per cogitationes mensurantes factum hoc, & circumstantias, & causas [consternatæ essent de isto] Dubietas enim Resurrectionis non permisit mentem eleuari ad veritatem, & vehementissimus amor Domini recedere tanquam à re desperata non patiebatur. Et ideo stantes ibi mente consternabantur. Et erat ista consternatio & doloris de absentia, & amoris Domini vehementia, & admiratione reuoluti lapidis confecta. Et sic stabant in mentis agonia stupefactæ. *Act.*3. Impleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi.

Ecce duo viri] Secundum est de apparitione Angelorum [Ecce] in euidenti: quia cum claritate magna apparuerunt: ita quod sicut dicitur *Matth.*28. Exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui [duo] autem fuerunt Angeli, vt duo significarent circa Christum Angelorum officia, scilicet, ministrantes & assistentes. *Daniel.*7. Millia millium assistebant ei: & decies millies centena millia ministrabant ei. Et ideo nascente Domino in loco apparuerunt Angeli. Et sicut tentato Domino accesserunt & ministrauerunt *Matth.*4. Et sicut pugnanti in Passionis angustia astiterunt *Luc.*22. Ita nunc post victoriam paratos se exhibent eis, pro quibus Christus pugnauit deuotis fidelibus [viri autem duo] dicuntur: quia in virili vultu & opere apparuerunt, metum incutientes reprobis, & à timore liberantes deuotos. *Matth.*28. Nolite timere vos. *Gregorius.* Illi timeant qui ad societatem Angelorum non pertinent. Vos autem cur timetis qui vestros ciues videtis? [steterunt] fortiter astiterunt, vt illas ab insidiis custodum protegerent, & hostibus merum incuterent. *Sapient.*11. Steterunt contra hostes, & de hostibus se vindicauerunt. Et hoc est quod dicit [iuxta illas] appropinquando eis per auxilium. *Psalm.*67. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuenculatum tympanistriarum. Istæ enim mulieres tympanistriæ Domini fuerunt, vbique eum sequentes & ministrantes, & laudes suas annuntiantes [in veste fulgenti] candida: vt ex ipsa veste mulcerent pias & deuotas animas: & significarent iam omnes in Christo sperantes (qui vestis eius sunt) ad candorem iustitiæ rediuisse. *Isa.*1. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi lana alba erunt. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi nix dealbabuntur. Sunt rubra peccata quæ de carne oriuntur & sanguine, illa candoris albedinem accipiunt, qui candor in vellere Agni Dei apparuit. Vermiculi autem sunt motus tentationum, qui tortuosi sunt sicut est motus vermis. Et illa quæ de tentationibus oriuntur, ad albedinem niuis conuertuntur, hoc est, cælestis innocentiæ, & luminis cæli candorem. Et sic in veste fulgenti apparet Angelus.

Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram] Tertium est in quo ostenditur timor & verecundia muliebris. Timor quidem in hoc quod dicit [cum timerent] qui timor est terror magnitudinis gloriæ angelicæ. Propter quod etiam *Matth.*28. Dixit Angelus: Nolite timere vos. Vbique enim boni Angeli confortant, & abstergunt timores & terrores. *Luc.*1. Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua. Item: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum. 2. *Paralip.*20. Nolite timere, neque paueatis. Et post pauca: Sed tantummodo confidenter state. *Exod.*14. Nolite timere: state, & videte magnalia. Tamen infirmitatis humanæ, & præcipue pusillanimitatis muliebris est, ad inconsueta timere [&] verecundantes vultus viriles in Angelis [declinarent vultum in terram] *Eccli.*26. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Extollentia enim oculorum superbiam & libidinem carnis, & petulantiam significat in muliere. *Eccli.*23. Extolleutiam oculorum meorum ne dederis mihi: & omne desiderium malum auerte à me. *Eccli.*26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscitur. Et ideo declinauerunt istæ oculos suos in terram.

Dixerunt] Angeli [ad illas] mulieres. Duo dicunt Angeli: modicitatem fidei in mulieribus etiguut reprehendendo & instruendo: secundo autem ad fidem verborum Christi reducunt corda sanctarum mulierum. De primo adhuc duo ponunt: reprehensionem videlicet, & instructionem. Reprehensionem quidem in hoc quod dicunt

eunt [Quid] hoc est, quare [quæritis] sicut dubitantes de resurrectione [viuentem] immortaliter [cum mortuis] hoc est, in mortis vinculis detentis. Filius enim Dei vinculis mortis detineri non potuit, licet pro nobis mortem assumpserit. *Act.* 2. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile fuit detineri ab illo. Dauid enim dixerat in eum: Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me iucunditate cum facie tua. Et ideo solus est inter mortuos liber: quia vinculis mortis in nullo fuit obligatus. Hæc est ergo reprehensio modicitatis fidei. *Matth.* 13. Modicæ fidei quare dubitasti?

Non est hic] Hæc est instructio Resurrectionis [Non est hic] in loco mortuorum detentus. Iste enim locus est eorum, qui apud inferos detinentur. *Psalm.* 29. Abstraxisti ab inferis animam meam. *Osee* 13. O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. *Psal.* 75. Ibi confregit potentias arcuũ, scutum, gladium, & bellum. In morte enim destruxit mortis potentias, quas ante super omnes exercuit. Arcum, hoc est, antiquæ sententiæ obligationem, qua dictum est *Genes.* 2. Morte morieris. Scutum etiam peccati, quo te mors in regno suo defendit. *Rom.* 5. Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt. Et gladium quo iugulauit, hoc est, corporis mortalitatem, propter quam corpus mortis vocatur. Bellum autem est clausura infernorum, quibus mortuus impugnabatur. Hæc enim omnia Christus destruxit [sed surrexit] à mortuis in vitam gloriosam & immortalem. 1. *Corinth.* 15. Christus surrexit à mortuis, primitiæ dormientium. *Rom.* 6. Christus resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo, hoc est, immortaliter & impassibiliter ad similitudinem Dei.

Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.

Hic mittunt ad verborum veritatis firmitatem: de quibus dixit, quod nunquam transibunt, sed æterna stabilitate manebunt. Dicunt autem tria, scilicet, quod cor ad sermones reuocent, & vbi, & quid dixit. De primo dicunt [Recordamini] Summum enim est sermones Dei ad memoriam reuocare. *Ierem.* 51. Recordamini procul Domini. *Psalm.* 136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Ideo dicit Dauid *Psalm.* 118. Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea [qualiter] prædicendo hæc [locutus est] cuius sermones excidere non possunt [vobis] cum de omnibus his vos instrueret [cum adhuc in Galilæa esset] mortalis cum mortalibus [dicens] *Matth.* 20. Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget [quia oportet] ex congruentia redemptionis [Filium hominis] in natura passibili [tradi] Iudæis, & à Iudæis tradi Gentilibus: sicut in ante habitis est expositum. *Psalm.* 86. Traditus sum, & non egrediebar [in manus hominum] tam Iudæorum quam Gentilium [peccatorum] qui iniquę suæ voluntati satisfacient in ipso. De istis autem traditionibus multa in ante habitis dicta sunt [& crucifigi] vt mortis mulctæ crucis horror cumuletur. *Philip.* 2. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis [& tertia die resurgere] *Osee* 6. Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos.

Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumento, nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & non crediderunt illis.

Hic tangitur qualiter mulieres visionem istam Apostolis nuntiauerunt. Dicit autem tria, scilicet, qualiter ex instructione angelica verborum sunt recordatæ, qualiter à monumento regressæ, & qualiter nuntiauerunt Apostolis. Dicit igitur [Et recordatæ sunt] per angelicam instructionem [verborum eius] hoc est, Domini, quæ nimia tristitia ante recordari non permittebat. *Thren.* 1. Multi enim gemitus mei in me, cor meum mœrens: *Leuit.* 10. Quomodo potui placere Deo in cæremoniis mente lugubri? Et ad hanc recordationem [regressæ sunt a monumento] non quærentes cum plus in monumento. Tamen sicut innuitur *Ioan.* 20. Maria Magdalena non recessit: & ideo Dominum videre meruit [nuntiauerunt hæc omnia] quæ viderant & audierant [illis vndecim] Apostolis, qui principales erant [& cæteris] Discipulis [omnibus] membris, vt esset omnium vna causa lætitiæ, quibus vna causa fuit tristitiæ: sicut & Dominus dixerat *Ioan.* 16. Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Per mulieres autem ad Apostolos hæc nuntiari voluit, ne deiectus sexus fœmineus tristitia absorberetur: quia sexus muliebris fuerat nuntius mortis, & ideo releuabatur per hoc quod est nuntius vitæ. *Iudic.* 4. Hac vice victoria non reputabitur tibi viro: quia in manu fœminæ tradetur Sisara. Describit autem Euangelista mulieres per nomina, ne videatur fabula indocta quam dicit.

Erant autem] istæ mulieres non ignotæ, nec ad hoc conductæ, sed honestæ & diuites & famosæ [Maria Magdalena] cuius frater in ipsa ciuitate dominium habuit & possessionem, sicut tradunt historiæ, iuxta ciuitatem residebat. Hæc autem prima nominatur: quia feruentior fuit, & diligentior in omnibus Christi obsequiis, vt dicit *Chrys.* [& Ioanna] quæ sicut *Luc.* 8. dicitur, vxor fuit Chusæ procuratoris Herodis in regno [& Maria Iacobi] mater maioris, & Ioannis, quæ erat vxor Zebedæi. Vel forte fuit mater Iacobi minoris: quia Iacobum & Simonem Cha-

nanezum, & Iudam Taddæum: Ioſeph diſ ipſum Domini, qui cum Mathia ſortitus eſt de apoſtolatu, & iuſtus cognominabatur propter vitam ſuam ſanctiſſimam. Hos enim quatuor ex Alphæo genuerat. Et ideo aliquando Maria Alphæi vocatur [& cæteræ] mulieres [quæ cum eis erant] in obſequio funeris Dominici corporis [quæ dicebant] nuntiantes [ad Apoſtolos hæc] læto corde nuntiantes. *Prou.* 31. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro animo ſunt: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius. Hoc enim nuntium infundebatur eis ſicut ſicera, gaudium generans in cordibus eorum

Et viſa ſunt ante eos] Viderant enim tot opprobria & tot tormenta, quod ita abſcondita fuit virtus deitatis, quod omnino deſperauerunt de ipſo. *Habac.* 3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. *Iſa.* 53. Quaſi abſconditus eſt vultus eius & deſpectus. Vnde nec reputauimus eum. Et ideo iſta viſa ſunt [ſicut deliramentum verba iſta] Et videbantur eſſe inſaniæ & fatuitates quædam. 1. *Cor.* 4. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem ſapientes in Chriſto. Sic eſt etiã quando aliquid dicitur de Deo non credenti, videtur ei ſtultitia. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia eſt enim illi: quia ſpiritualiter examinatur [& non credebant illis] propter cauſam quam iam diximus. Et etiã ideo quia iam per verbum Chriſti ſtabilita corda habebãt, & non cito mouebantur. *Eccli* 19. Qui cito credit, leuis corde eſt, & minorabitur. 1. *Petr.* 4. Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit. 1. *Ioan.* 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus vtrum ex Deo ſint.

Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina ſola poſita, & abiit ſecum mirans quod factum fuerat.

Hic agitur qualiter Petrus iſta per experimentum probare voluit. Hoc omittit *Luc.* quod *Ioan.* plenius ponit. Et hoc eſt, quod Petrus & Ioãnes ſimul cucurrerũt. Vnde *Ioan.* 20. Currebãt autem duo ſimul: & ille alius Diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, & tunc inclinauit ſe Diſcipulus ille, & introſpexit in monumentum, non tamen introiuit. Petrus autem tunc etiam procubuit, ſicut hic dicitur, & non introiuit: poſtea autẽ introiuit Petrus, & tunc etiã introiuit Ioannes. Et in illa diligentia Petri creditur ei apparuiſſe Dominus. Et hoc eſt quod dicitur [& procubens ex deſiderio] vidit ſola linteamina poſita] Quod iã ſicut dicit *Chryſ.* erat ſignum Reſurrectionis, & nõ tranſpoſitiuinis corporis. Et dicit *Ioan.* 20. quod ſudarium, quod fuerat ſuper caput IESV, vidit ſeorſum, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeorſum inuolutum in vnum locum: quæ omnia ſigna erant Reſurrectionis [&] ideo ſequitur quod [abiit] à ſepulchro, in circuitu tamen ſepulchri conſiderans [ſecum] hoc eſt, apud ſe mirans quod factum fuerat] *Pſalm.* 67. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis: qui ſic ſe à quærentibus aliquando abſcondit. *Cantic.* 3. Circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea. Et creditur quod tunc apparuit ei Dominus. Vnde dicunt Diſcipuli: Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.

Et ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emaus. Et ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant.

Hic incipit agere de apparitione Domini, quæ eſt expreſſum & verum argumentum Reſurrectionis. Diuiditur autem in tres partes, in quarum prima agitur de apparitione: in ſecunda de miſſione Diſcipulorum ad Gentes: in tertia de Aſcenſione. In prima autem agit de triplici apparitione: & ſecundum illam triplicem apparitionem diuiditur in tres partes, in quarum prima, de apparitione quæ facta eſt Cleophæ & Lucæ: in ſecunda vero de apparitione facta Petro: in tertia autem de illa quæ facta eſt omnibus ſimul Prima harum diuiditur in quatuor partes, in quarum prima dicitur, quando & vbi apparuit: in ſecunda autem qualiter Chriſtus apparens, ſe ſuis Diſcipulis iunxit, ſcilicet, quando de ſe colloquebantur: in tertia qualiter ſacramenta ſuæ Reſurrectionis per Scripturas oſtendit: in quarta autem & vltima qualiter ab eis cognitus fuit. Dicit autem in prima tria, ſcilicet, nomen loci, longitudinem ab Ieruſalem, & collocutionem. Dicit igitur

Et ecce duo ex illis] ſcilicet Diſcipulis, quorum vnus infra dicitur Cleophas: alter autem iſtius auctor erat libri Lucas. Mos enim eſt auctorum ſacræ Scripturæ, quod nomina ſua in ſolennibus factis non ponunt propter humilitatem. Sicut *Paulus* 2. *Cor.* 12. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit Et non nominat ſe Paulũ, cum tamen ipſe ille homo fuerat [ibant] forte declinãtes perſecutionẽ [ipſa die] hoc eſt, ipſa die dominicæ Reſurrectionis [in caſtellũ] vbi forte aliqui credentes amici Diſcipulorum habitabant [quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem]. Stadium autem à ſtando dicitur, eo quod Hercules gigas, tantum vno anhelitu cucurriſſe dicitur, & ſtetiſſe. Continet autem ſtadium centum viginti quinque paſſus, & eſt octaua milliarij pars. Milliare autem mille paſſus continet Et eſt milliare dimidia leuca. Vel vt alij dicunt, tria milliaria duas leucas perficiunt. Vnde ſexaginta ſtadia 7. millia paſſuum & quingentos continent, hoc eſt, ſeptem milliaria, & dimidium ab Ieruſalem ciuitate metropoli [nomine Emaus] fuit autem Emaus primũ metropolis inſignis Paleſtinæ, quæ poſt expugnationem Iudææ, ſub Marco Aurelio & Antonio principe reſtaurata, cum ſtatu mutauit & nomen. Vnde poſtea Nicopolis eſt appellata: quod vrbs victoriæ interpretatur. Ibi autem domus Cleophæ fuiſſe dicitur, ad quam ibant Lucas & Cleophas [& ipſi] duo colloquebantur ad inuicem] *Epheſ.* 4. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſiquis bonus eſt, vt det gratiam audientibus [de his omnibus quæ acciderant] circa Dominum Ieſum. Loquentibus enim de bonis adiungit ſe Dominus. Et hoc eſt quod ſequitur.

Et

Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse IESVS appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

Dicuntur autem hic tria, scilicet, qualiter de Domino ad inuicem loquebantur: qualiter loquentibus de se, se iunxit Dominus: & qualiter instruxit eos per Scripturas de sacramentis Passionis suæ & Resurrectionis. De primo dicit [Et factum est] præter intentionem eorum ordinatione diuina [dum fabularentur] Non intendit dicere quod fabulam dicerent, sed quod mystica dicebant, quæ in compositione sunt sicut fabula. Et mira de IESV recitabant: ideo fabulari dicuntur: quia fabula componitur ex mysticis & miris. Et talia isti secum tractabant Scripturis de Domino. Et hoc est quod subiungit [& secum quærerent] mutuo vous ab alio. Nisi enim mysteria tractarent, secum non quærerent. Quærere enim est alicuius profundi intellectum indagare. *Psalm.*23. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob, hoc est, notitiam. *Eccli.*39. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conseruabit.

Et ipse IESVS appropinquans] plus & verius interius quam exterius. *Iacob.*4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Deuter.*4. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris [ibat cum illis] *Matth.*18. Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum. *Prouerb.*8. Ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filiis hominum, hoc est, rationabilium, & rationabilia per intellectum tractantium.

Oculi autem eorum] Discipulorum [tenebantur] non quidem à Domino, sed interiori dubitatione: sicut quando homo non confidit de aliquo quod appareat, & indicat impossibile quod ille sit, statim interior æstimatio speciem visam ante oculos conuertit ad aliud. Et de talibus dicitur 2.*Corinth.*3. quod velamen est positum supra cor eorum. Nest est verum quod quidam dicunt, quod percussi fuerint acrisia: sicut Sodomitæ contrectare impudice volentes Angelos. *Genes.*19. Et illi qui missi fuerant ad capiendum Eliseum 4.*Reg.*6. *Sapient.*19. Percussi sunt autem cæcitate sicut illi in foribus iusti, cum subitaneis cooperti essent tenebris. Nihil enim talium passi sunt Discipuli. Sed potius sicut videmus in timentibus & dubitantibus, quod modicas iunctutas & valde dissimiles propter imaginationem interiorem, putant esse animalia nociua & fugiunt: aut forte aliquid desiderabilium, & tunc accedunt. Ita dubitatio Resurrectionis, & timor incussus ex Iudæis, faciebat quod nihil cognoscebant de apparitione Domini extra: quia etiam manifestante se Domino coram oculis eorum, non poterant eum discernere cognoscere. Et hoc modo tenebantur oculi eorum [ne eum cognoscerent] Hoc est, agnoscere possent. Exterius quidem videbant: sed quasi in extasi dubietatis existentes, interius iudicium discretæ cognitionis de ipso facere non volebant. *Isa.*59. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus. *Iob* 36. Omnes quidem vident eum: vnusquisque intuetur procul: quia longe se fecit per dubitationis elongationem.

Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?

Hic incipit instructio illuminationis: & habet partes duas, in quarum prima accipit occasionem ex dictis à Discipulis: in secunda ponit illuminationem instructionis. In prima autem tria continentur, in quorum primo à collatione eorum ponitur quæstio: in secundo admirationis responsio, si res tanta ignoretur ab aliquo: in tertio autem reiteratur quæstio, & ponitur facti narratio. In primo horum duo quæruntur: quæ sit collatio, & quæ tantæ tristitiæ sit causa, qualis apparebat in ipsis. Dicit igitur.

Et ait] Dominus [ad illos] Discipulos, quærens illuminandi eos occasionem. *Ioan.*1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioan.*8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ [Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem] hoc est, de qua materia sunt. Nec quærit ignorans, sed vt detur locus instructioni. Signum enim amoris est loqui de magistro. Et signum est bonorum Discipulorum semper tractare de doctrina magistri. De primo dicitur *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Psalm.*144. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. De secundo dicitur *Ioan.*8. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Ambulantes, & estis tristes] hoc est, quæ est istius tristitiæ causa, quod in tristitia video vos ambulare. Huius autem tristitiæ causa fuit, visa in Domino pœna, & dubitata Resurrectio, & metus à Iudæis incussus. *Ioan.*16. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Psalm.*29. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

Et respondens vnus cui nomen Cleophas] ad cuius domum tunc ibant: quia domus eiusdem fuit in Emaus castro. Dicit autem *Ambros.* quod secundus, qui socius fuit Cleophæ, vocabatur Amon, (aliàs Amaon) filius Rufi Communior autem opinio est, quod fuit ipse Lucas, sicut superius diximus [Dixit ei] Domino [Tu solus peregrinus es in Ierusalem?] hoc est dicere: es ne solus peregrinus? hoc est, alienus [in Ierusalem?] Et ibi est interrogatio. Et post sub alia interrogatione [& non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?] Quasi dicat. Hoc est valde mirabile, si tu solus es alienus ab his quæ facta sunt, & non cognouisti ea quæ de tam famosa, & tam famosa facta sunt his diebus. Sic ergo legenda est litera. Quod autem dicit. Tu

solus

solus peregrious es, hoc est, alienus: significat quod iam à cordibus eorum propter dubitationem peregrinabatur à mentibus eorum. *Isa.*28. Peregrinum est opus eius ab eo. Hoc *Ierem.*14. in admiratione spiritus præuidit, dicens: Quare quasi colonus (*alia litera*) peregrious futurus es in terra, & quasi viator declinans ad maneodum? In hac specie omnes sancti se peregrinos efficiunt: quia ooo se reputant hic habere maneutem ciuitatem, sed futuram inquirunt. *Hebr.*11. Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.

Hoc enim peregrioorum est proprium, non habere in loco peregrinationis mansionem, sed inquirere futuram. Peregrini etiam est continuo transire & non manere. 1.*Petr.*2. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus aoimam. Tertio peregrinorum est signa viæ cognoscere, & tendere in hoc quod quærunt. 2.*Cor.*5. Dum in corpore manemus, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Adhuc quarto loco: qui peregrinatur in loco peregrinationis, paucis ad solam sustentationem pertinentibus est contentus. 4.*Reg* 8. Vade peregrinari vbicunque reperetis. Ita dictum est Sunamiti, qui captiua interpretatur. Quinto etiam peregrious est exul, & in exilio se esse reputat. *Genes.*15. Scito prænuscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua. Sed secundum illam rationem peregrini ponuntur hic, quod alienum se Discipulis ostendit, vt instrueret quod per dubitationem alienatus fuit à mentibus eorum. Sed literalis sensus est, quem diximus superius. Quod autem dicunt.

Et non cognouisti] Tanta enim illa facta fuerunt in cordibus eorum, quod nullum hominem putabant ea ignorare, sed omnibus nota esse, quæ per publicum iudicium in præsentia turbæ facta sunt. *Act.*1. Notum factum est omnibus habitantibus in Ierusalem: ita vt appellaretur ager ille Haceldema lingua eorũ, hoc est, ager sanguinis. Et hoc est quod dicunt [& non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus] *Ioel.*1. Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum.

Quibus ipse dixit: Quæ? Et dixerunt: De IESV Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo: Et quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, quæ dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt.

Quibus ille dixit] Dominus Discipulis [Quæ] vt occasionem instruendi acciperet [Et dixerunt] certatim tunc ambo respondentes: quia audaciam ex collocutione acceperant [De IESV Nazareno] In ista facti narratione quinque continentur, quorum primum est magnificatio eius qui occisus est: secundum qualiter, & à quibus interfectus est: tertium quid sperabatur de ipso: quartum autem relatio mulierum de Resurrectione: quintum autem experimentalis probatio Discipulorum. Dicunt igitur.

De IESV] qui secundum suum nomen maximus fuit in salutem gentis: sicut dicitur *Eccli.*46. [Nazareno] qui ex parentali & patrio nomine totius fuit flos pulchritudinis & honestatis. *Eccli.*24 Flores mei fructus honoris & honesta- [qui fuit] non ab ante heri, & nudiustertius; sed ab omni præterito [vir] à mentis virore. *Iob* 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales [Propheta] conscius omnium Dei secretorum. *Ioan.*1. Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et attende quod isti non agnitum Dominum timentes, timent eum Filium Dei & Deum dicere, sed vt Prophetam conscium diuinorum secretorum. *Deuter.*18. Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris: tanquam me audietis eum. *Luc.*7. Propheta magnus surrexit in nobis. Et quia Deus visitauit plebem suam [potens] *Matth. vltim.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. *Matth.*7. Loquebatur sicut potestatem habens [in opere] miraculorum & virtutum. *Psalm.*113. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra: in mari, & in omnibus abyssis [& sermone] *Ioan.*7. Nunquam sic locutus est homo sicut iste homo loquitur. Fecit enim quod docuit. *Matth.*5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum [coram Deo] *Matth.*3. & 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vnde *Ioan.*12. Venit vox de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo [& omni populo] *Luc.*6. Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Et quomodo tradiderunt] Istud est secundum [summi Sacerdotes] auctoritate & consilio [& principes nostri] per adhibitionem potestatis. *Ioan.*18. Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti [in damnationem mortis] *Act.*3. Auctorem salutis interfecistis, & petistis virum homicidam donari vobis [& crucifixerunt eum] vt horrori mortis, crucis confusionem cumularent. *Act.*4. In nomine IESV CHRISTI Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

Nos autem sperabamus] Tertium est de spe Sanctorum de ipso. *Psalm.*70. Spes mea Domine à iuuentute mea [quia ipse esset redempturus Israël] 2.*Corinth.*1. In quem speramus, quoniam adhuc eripiet. *Ierem.*17. Spes mea tu. *Prouerb.*13. Spes quæ differtur, affligit animam. Israël autem redemit de manu diaboli, & mortis, & inferni. *Osee* 13. De morte redimam eos, & de manu mortis

mortis liberabo eos [Et nunc super hæc omnia] quæ diximus[tertia dies est]in qua se prædixit surrecturum à morte, quæ est dies peremptoria nostræ consolationis. *Matth.*20. Tertia die resurget. *Matth.*12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus : ita erit Filius hominis in corde terræ. *Soph.*3. Expecta me in diem resurrectionis meæ in futurum [quod hæc facta sunt] nec adhuc recepimus desideratam nobis consolationem. *Isa. vltim.* Ecce ego ipse consolabor vos : & in Ierusalem consolabimini: videbitis & gaudebit cor vestrum. *Ioan.*16. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Sed & mulieres quædam] Hoc est quartum de annuntiatione mulierum, de quibus superius dictum est [ex nostris] quia discipulæ Domini fuerunt, sicut & nos, & sequentes eum nobiscum. *Eccli.* 26. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata [terruerunt nos] Ista autem territio fuit de hoc, quod nuntiauerant eum se non inuenisse. *Psalm.* 78. Terrores tui conturbauerunt animam meam. Vel quia terribilem visionem Angelorum nuntiauerunt.quæ quasi mortuos effecerat custodes.Ideo dicit,Terruerunt nos. *Psalm.*75. Tu terribilis es;& quis resistet tibi ? Extunc ira tua[quæ ante lucem]ne ab omnibus viderentur [fuerunt ad monumentum] *Marc.*16. Et valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum. *Ioan.*20. Vna autem sabbati Maria Magdalene venit mane,cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum [& non inuento corpore eius] quod vngere volebant. *Cant.* 3. Per noctes quæsiui quem diligit anima mea:quæsiui illum, & non inueni [venerunt] ad nos redeuntes de sepulchro [dicentes] nobis læto nuntio.4.*Reg.*7.Dies hæc boni nuntij est:si tacuerimus & non nuntiauerimus vsque mane,sceleris argueremur[se etiam] quasi secundo signo Resurrectionis eius. Primum enim fuit quod corpus non inuenerunt:cum tamen linteamina iacuerunt in sepulchro. Secundum autem signum fuit visio Angelorum[visionem Angelorum]*Genes.*32.Castra Dei sunt hæc.Sicut enim Angeli instruxerunt patriarcham, & legislatorem, & ducem *Iosue* 5. Ita nunc recedentes ab illis instruunt Ecclesiam. Vnde *Iosephus* dicit, quod ante destructionem Ierusalem auditæ sunt voces Angelorum in aere dicentium: Transeamus ab his sedibus. *Psalm.*90. Angelis suis mandauit de te : vt custodiant te in omnibus viis tuis[qui]scilicet Angeli[dicunt eum] I E S V M scilicet [viuere] Vnde *supra.* Quid quæritis viuentem cum mortuis ? *Ioan.* 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso : sic & Filio dedit vitam habere in semetipso.

Et abierunt] Istud est quintum in relatione ista [abierunt quidam ex nostris] Ioannes & Petrus, sicut superius dictum est[ad monumentum] vt probarent dicta mulierum. 1. *Thess.* 5. Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos[& ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt]de angelica visione[ipsum vero]Dominicum corpus[non inuenerunt]*Ioan.*4.mulieri dixerunt:Iam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim vidimus & scimus.

Et ipse dixit ad eos : O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Et ipse dicit ad eos] incipiens docere eos ex verbis eorum. *Matth.*5. Aperiens os suum docebat Discipulos suos. Diuiditur autem hæc pars in duas, in quarum prima agitur de Scripturarum instructione : in secunda autem agit de Domini agnitione In prima harum tria facit Primo enim ponit incredulitatis exprobrationem : in secundo veritatis ostensionem:in tertio autem ponit eiusdem veritatis per Scripturas demonstrationem. Dicit ergo [O stulti] Stulti dicuntur quasi stolidi, ex hoc quod ex longo magisterio Christi tam parum profecerunt. *Isa.* 32. Stultus fatua loquetur. *Hebr.*5. Cum deberetis magistri esse propter tempus : rursum indigetis vt vos doceamini quæ sunt elementa sermonis iustitiæ:& facti estis quibus lacte opus sit [& tardi corde ad credendum] *Marc.vltim.* Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis : quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt [in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ] Prophetæ enim maxime prænuntiauerunt de gratia, & sacramentis factis per Christum. Et de verbis illorum sæpe tractauit Christus cum Discipulis suis. 1.*Petr.*1.De salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: scrutantes in quod vel quale tempus in eis significaret Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. Quia hoc ergo sæpe tractauit cum eis Spiritus Christi : propter hoc arguuntur de tarditate credendi in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.

Nonne hæc oportuit pati Christum] Passio enim est ostium gloriæ:quia sanguis Christi romphæam amouit. *Psalm.* 106. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit : suscepit eos de via iniquitatis eorum. Item hoc modo sibi corporis gloriam promeruit.*Philip.*2. Propter quod & Deus exaltauit illum,& dedit illi nomen quod est super omne nomen. Hoc etiam modo nobis reconciliationem inuenit. *Rom.* 5. Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo Patri per mortẽ Filij eius. Adhuc autem quia hoc pretio & non alio mundus redimi potuit : quia illud plusquam totus mundus valuit. 1.*Petr.*1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi. Adhuc autem sic nobis formam patientiæ & spei dedit. 1.*Petr.* 2. Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Tandem etiam sic maximam esse futuram gloriam ostendit, quæ tot & tantis passionibus non est digna, sed melior in infinitum. *Rom.*8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. 2.*Cor.* 4. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur[& ita intrare in gloriam suam] *Hebr.* 2. Videmus I E S V M per passionem mortis, gloria & honore coronatum *Iacob.* 1. Cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Et

Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.

Ecce per Scripturas eius quod dixit probatio. Dicit igitur [Et incipiens à Moyse] hoc est, à Scriptura Moysi. Vnde *Ioan.* 5. dixit Iudæis. Nolite putare quod ego accusaturus sum apud Patrē: est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem verbis illius non creditis: quomodo verbis meis credetis? [& omnibus Prophetis] Vnde de omnibus Prophetis dicit *Eccli.* 36. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Et ideo cum Domino *Matth.* 18. Moyses & Elias apparuerunt, vt legis testimonium haberet & Prophetarum [interpretabatur illis] hoc est, exponebat mysteria in omnibus Scripturis [quæ] hoc est, quia illæ [de ipso erant] *Marc.* 2. Seorsum omnia disserebat Discipulis suis. 1. *Cor.* 14. Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Hoc est sicut *Gen.* 41. vbi captiui somnia viderunt: & Ioseph interpretabatur. *Psal.* 17. Tenebrosa aqua in nubibus aeris, hoc est, doctrina in Prophetis. Sed in fulgore eius, hoc est, in interpretatione eius nubes transierunt: quia obscura luminosa fecit. *Iob* 28. Abscondita produxit in lucem.

Et appropinquauerunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis,

Hic tangitur qualiter agnitus Dominus à Discipulis. Dicuntur autem hic quatuor, in quorum primo meritum commendatur hospitalitatis: in secundo dicitur qualiter cognouerunt eum in fractione panis: in tertio reuersi ad se, signa aduerterunt præsentiæ suæ, cum adhuc essent in itinere ambulationis: in quarto autem ostēditur lætitia tam iucundæ nuntiationis. In primo horum quatuor dicuntur: ad hospitium appropinquatio, Domini vt longius iret fictio, ad manendū cum Discipulis coactio, & Domini cum Discipulis mansio. Dicit igitur [Et appropinquauerunt] Itinere cito perfecto [castello quo ibant] vbi fuit domus Cleophæ, vt dicitur.

Et ipse Dominus finxit se longius velle ire] Attende autem quod licet fictio nullo modo conueniat veritati. Hanc veritatem hæc fictio habuit, quæ hoc prætendit quod in mentibus eorum iam fuit. Longius enim aberat à mentibus eorum. Et hoc hæc fictio prætendebat. Et sic fictio exterior, interioris veritatis erat fictio. Vnde fictio dicitur hic compositio habitus exterioris, ad ostendendum interiorem habitum mentis. *Eccli.* 19. Est iustus qui inclinat faciem, & fingit se non videre quod ignoratum est. Tamen fingere, sicut dicit *Gregor.* componere dicimus. Vnde luti compositores, figulos vocamus. *Rom.* 9. Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? Ista autem compositio fit in bono, & fit in malo. In bono quidem, aliquando in Sapientia fingente sapienter in creaturis. *Psalm.* 32. Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Aliquando autem fingit in præceptis prudenter, in quibus componit difficultatem, vt per obedientiam deleat iniquitatem. *Psalm.* 93. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Aliquando componit ad nobis ostendendum cordis nostri dispositionem, sicut hic, sicut iam diximus. In malo autem sumitur, quando hypocrita componit simulationem. *Sapient.* 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Compositione ergo habitus ostenderis Discipulis qualiter à cordibus eorum elongatus fuit; dicit [& ipse finxit se longius ire] *Marc.* 6. Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans super mare, & volebat eos præterire

Et coegerunt illum dicentes] *Gregorius.* Ostēditur quod hospites non solum inuitandi sunt, sed & trahendi & cogendi. Hoc modo adorando & tenendo Abraham Angelos, quos homines esse putauit, compulit ad secum manendum *Gen.* 18. *Hebr.* 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis [Mane nobiscum] hospitalitatis gratia. *Rom.* 12. Hospitalitatem sectantes. Hic dicit *Beda* Laicus si vnum vel duos recipit, hospitalitatem impleuit. Episcopus si omnes non recipit, inhumanus est [quoniam aduesperascit] & iam tempus hospitandi, & hora aduenit. *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus: ostium viatori patuit [& inclinata est iam dies] sole ad occasum tendente. *Ierem.* 6. Iam declinauit dies: quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Nox enim est tempus quietis hominis, & discursus bestiarum. *Psalm.* 103. Posuisti tenebras & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Et post pauca. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum. Sic etiam detinendus est Dominus cum vita declinat ad vesperum. Et dicendum illud *Psalm.* 70. Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea ne derelinquas me Domine [& intrauit cum illis] hospitium. *Gen.* 24. Ingredere benedicte Domini, cur foris stas?

Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

Ecce secundum, & continet tria, scilicet, qualiter Dominus panem fregit, qualiter in hoc ipso agnitus fuit, & qualiter ab eis euanuit. Dicit igitur [Et factum est] diuina ordinatione [cum recumberet] quasi lassus ex itinere commode sederet, quamuis tunc lassari non posset. *Cantic.* 1. Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum, hoc est, odor humilis hospitalitatis [cum illis] in bonis eorum quærens refectionem.

ne. *Apoc.*3. Siquis apetuerit mihi, intrabo cum eo, & cœnabo cum eo, & ipse mecum [accepit panem] vt ex tactu manus virtutem diuinam contraheret [& benedixit] aliqua benedictione illis nuta [ac fregit] vt cuilibet proportionata pars esset [& porrigebat illis] vt ad vsus suus caperent. *Matth.*14.& *Ioan.*6. Accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Discipulis suis. Sic & à nobis panis verbi vel Sacramenti, denotè est accipiendus, & cum oratioue benedicendus. Et cum intellectu & expositione frangendus: & postea cum omni reuerentia aliis porrigendus. Sed nunc deficientibus discipulis Domini, heu dicitur *Thren.*4. Paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis.

Et aperti sunt oculi eorum] remoto velamento quod superios diximus. *Act.*9. Continuò ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit. Vngulæ enim dubitationum remótæ sunt: & tunc viderunt eum, quem præsentem habuerunt [& cognouerunt eum] quem dubietas quis esset absconderat. Hoc autem duobus maximè factum fuerat, declaratione scilicet, sermonis. *Psal.*118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis: & obedientia mandatorum in merito hospitalitatis. *Psalm.*118. A mandatis tuis intellexi [& ipse euanuit ex oculis eorum] vt gloriam immortalium non subiacere oculis mortalium ostenderet. 1.*Corinth.*2. Quod oculus nun vidit, nec in cor hominis asceodit, nec auris audioit quæ præparauit Deus diligentibus se. Dicit etiam *Gloss.* quod ideo euanuit, vt doceret quod non quærerent sui gloriam coram hominibus. *Matth.*6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.

Et dixerunt ad inuicem] Hoc est tertium, in quo ad se reuertentes, aduertunt signa præsentiæ Domini: etiam dum non cognouerunt eum [Nonne cor nostrum] ex quo vita & motus & sensus procedunt. *Prouerb.*4. Omni custodia custodi cor tuum, quooiam ex ipso vita procedit [ardens erat] ardore charitatis. *Cantic.*8. Lampades ignis atque flammarum. Adhuc autem ardore veritatis diuinæ. *Psalm.*18. Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud. Adhuc autem ardore Spiritus. *Act.*2. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis: seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus. Adhoc autem ardore zeli. *Soph.*3. In igne zeli mei deuorabitur omnis terra. Sic ergo ardens erat [dum loqueretur in via] verbis ignitis. *Psalm.*11. Eloquium Domini igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum [& aperiret nobis Scripturas] hoc est, mysteria Scripturarum per intellectum spiritualem, qui solus est clauis Scripturarum. *Isa.*22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & claudet, & non erit qui aperiat: & aperiet, & non erit qui claudat.

Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes: Quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Hoc est quartum in quo ostenditur qualiter gaudium suum aliis communicauerunt. Dicuntur autem hic quatuor, quorum primum est, qualiter in impetu spiritus in Ierusalem sunt regressi. Secundum, qualiter adhuc non separatos ab amore fraternitatis Discipulos inuenerunt. Tertium, qualiter præuenti à Discipulis, gaudia Resurrectionis ab eis acceperunt. Quartum autem, qualiter vicem illis rependentes gaudia nuntiauerunt. Dicit igitur [Et surgentes] in impetu spiritus in gaudio. *Ezech.*1. Vbi erat impetus spiritus, illuc gaudiebantur. Hinc est quod *Ioan.* 20. etiam Maria, modestiæ fœmineæ oblita, cucurrit, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum. Hinc est quod sicut *ibidem* dicitur: Petrus princeps Apostolorum & Ioannes, maturitatis Apostolicæ no recordati, currebant duo simul. Ita & illi continuò surgunt [eadem hora] quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. *Prouerb.*6. Discurre, festina, suscita amicum tuum [regressi sunt in Ierusalem] *Psal.*121. Cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini.

Et inuenerunt congregatos] in cor vnum & animam [vndecim] Et sic oportuit quod Thomas esset cum eis. *Psalm.*49. Congregate illi Sanctos eius, qui ordinauerunt testamẽtum eius. *Psal.* 110. In concilio iustorum & congregatione. *Genes.* 49. Congregamini filij Iacob, congregamini & audite Israël patrem vestrum [& eos qui cum ipsis erant] *Act.*1. Erat autem turba virorum fere centum viginti. Omnes enim quos dominus congregauerat, charitatis non obliti, simul manebant,

Dicentes, quod surrexit Dominus verè] Ecce qualiter in nuntio gaudij ab aliis sunt præuenti. *Isa.*12. Annuntiare hoc in vniuersa terra. *Apocal.vltim.* Qui audit, dicat, Veni [Verè] autem dicunt surrexisse, ne phantastica credatur Resurrectio. Vera autem quæ ostendit carnem & ossa, & loca clauorum in corpore, quæ in phantasmate & spiritu esse non possunt [& apparuit Simoni] primò quidem inter viros.

Sed tamen ante hoc omnium primo apparuit Mariæ Magdalenæ. *Ioan.* 20. de qua eiecerat septem dæmonia: quia illa multum diligebat: & ideo luctus eius consolationem habere debebat. *Luc.*7 Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Item quia peccatrix fuerat, & per hoc spem peccatoribus dabat. *Matth* 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Tertio, quia illa in deuotione eum sola vnxerat: & ideo ei gloriam beatæ delibutionis ostendebat. *Psal.*44. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quarto, quia illa diligentius quærebat, & ideo etiam inuenit quem quæsiuit. *Cantic.*3. Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Secunda apparitio fuit, quando Mariæ Magdalenæ cum aliis mulieribus apparuit. *Matth. vltim.* Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus ait, Auete. Tunc accesserunt & tenuerunt pedes eius. Tertio autem eodem die apparuit Petro. Quod quia factum sit, hic dicitur: qualiter, & quando, &

vbi non inuenitur, nisi quod scitur quod ideo inter Apostolos primo apparuit Petro, ne despeҫaret ex negatione.

Et ipsi] duo Discipuli [narrabant] toti illi congregationi [quæ gesta erant in via] de confabulatione & interpretatione Scripturarum [& quomodo] in hospitium declinantes, recumbentes [cognouerunt eum in fractione panis] Et hæc est quarta apparitio, eodem die Resurrectionis facta.

Dum autem hæc loquuntur, stetit IESVS in medio eorum, & dixit: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre.

Hic agit de quinta apparitione, quæ facta est eodem die, scilicet, ipsa die Resurrectionis. Hic autem tria dicuntur: qualiter scilicet apparuit, qualiter turbatos confortauit, qualiter se vere resurrexisse probauit. De primo dicit tria, scilicet, qualiter venit, qualiter communiter se eis ostendit, quam benignè salutauit. Dicit igitur [Dum hæc autem] gaudia duplicis apparitionis [loquerentur, & vnus aliis exponeret, & alter alia gaudia referret: quia semper de se tractantibus adest Dominus [IESVS] qui materia erat sermonis. IESVS enim vt dicit *Beatus Bernardus* erat eis mel in ore, melos in aure, & in corde iubilus. Dicit etiam *Psal.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. De secundo autem *Cantic.* 2. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. De tertio dicit *Psal.* 88. Beatus populus qui scit iubilationem. *Iob* 8. Impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.

IESVS ergo qui sic corde, & ore, & aure sonabat & insonabat inter eos [stetit in medio eorum] intellige, quod sicut dicitur *Ioan.* 20. Thomas vnus ex duodecim non erat cum eis quando tunc venit IESVS. Fuit tamen cum eis quando duo Discipuli de Emaus castello superuenerunt: sed statim egressus fuerat ad actus suos agendos: & alij simul remanserant. Et ideo illa visione est priuatus. In Sanctorum enim congregatione semper inuenitur Dominus. Vnde *Beatus Bernardus*: Falleris Thoma sancte, si putas te inuenire IESVM extra congregationem Sanctorum. *Psal.* 110. In consilio iustorum & congregatione magna opera Domini. Stetit ergo, qui iam per mortalitatis passiones inclinari non potuit. Stetit, qui iam totus ad cælum directus fuit. Stetit, qui omnem virtutis & iustitiæ rectitudinem impleuit. Stetit, qui nihil vnquam curuitatis in se exhibuit. Stetit, qui iam de hostibus perfecte triumphauit.

De primo horum dicitur *Habac.* 3. Stetit, & mensus est terram. Mensus enim fuit terram huius mortalitatis & ponderis, ad cælestis gloriæ immortalitatem *Roman.* 6. Christus resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. De secundo *Psalm.* 5. Mane astabo tibi & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Mane enim surgentis auroræ Resurrectionis sic Patri astitit: quia totus ad cælestis Patris voluntatem directus fuit. De tertio dicitur *Cantic.* 2. En ipse stat post parietem nostrum, hoc est, post corporis nostri fragilitatem, implens & ostendens omnem virtutis & rectitudinis iustitiam. *Matth.* 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam. De quarto dicitur *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Nos enim nescimus nisi infirmos & curuos in peccatis. Et rectitudinem eius qui solus in medio vestrum stetit, qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in lingua eius, miramur quidem: sed non plene tantam in nobis cognoscimus perfectionem. De quinto dicitur *Sapient.* 11. de ipso & suis. Steterunt contra inimicos, & de hostibus se vindicauerunt. In illo enim statu quærit commilitones. *Psal.* 93. Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? Sic ergo stetit.

In medio] Discipulorum, in medio virtutis, Patris, & hominum. In medio quidem Discipulorum, vt sine personarum acceptione æqualem curam omnibus impenderet. In medio autem virtutis, vt omnem perfectionem virtutis se attigisse demonstraret. In medio Dei & hominum, vt se mediatorem Dei & hominum esse comprobaret. De primo quidem dicitur *Ioan.* 20. Venit IESVS, & stetit in medio Discipulorum suorum. *Sapient.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter est illi cura de omnibus. Docuit autem per hoc, vt in medio semper haberent fidei prædicationem, & sacramentorum dispensationem. *Ioan.* 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV CHRISTI gloriæ. *Deuter.* 1. Ita paruum vt magnum audietis: quoniam Domini est iudicium. De secundo dicitur *Luc.* 4. IESVS autem transiens, per medium illorum ibat. Transiens enim Dominus IESVS inter peccatores huius vitæ, semper attigit medium virtutis, quod est medium hominum, hoc est, ad quod nati sunt homines. Et hoc docuit *Isa.* 30. Audient verba post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Quia medio tutissimus ibis. De tertio dicitur *Galat.* 3. Mediator vnius non est. Deus autem vnus est. 1. *Timoth.* 2. Mediator Dei & hominum homo IESVS CHRISTVS. Vnde talem mediatorem se non habere deplanxit *Iob*, dicens: Non est qui vtrumque possit arguere, & ponere manum in ambobus. *Iob* 9. Sic dicitur. *Hebr.* 9. Christus assistens pontifex futurorum. Et ibi dicit *Gloss.* Assistens Patri, & assistens nobis. Patri ad intercedendum: nobis autem ad miserendum. Sic aduocat pro nobis: quia aduocatus medius est inter reum & iudicem. 1. *Ioan.* 2. Aduocatum habemus apud Patrem IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. His igitur modis IESVS stetit in medio eorum.

Et dixit eis: Pax vobis] Eulogium salutationis præmittit ad suos. In cuius signum, Pontifex quando primo se conuertit ad populum, Pax vobis, dicit: quia ille specialis est Vicarius IESV CHRISTI. Pacem autem sextuplicem exhibuit Deus suis. Pax enim est, sicut dicit *Augustinus*, concordia fruendi vel vtendi Deo vel inuicem in Deo. Prima pax est ablatio eius, quod hanc concordiam impedit. Et hoc est peccatum.

Et

Et ideo dicit *Rom.* 1. Gratia vobis & pax à Deo Patre oostro & Domino Iesu Christo. Vbi dicit *Gloss.* quod pax est reconciliatio ad Deum. *Luc.* 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tertio modo pax est concordantia ad proximum. *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Quarto pax est tranquillitas conscientiæ. *Iob* 5. Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, hoc est, conscientia tua

Et de hac quadruplici pace dicit Dominus *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Noo quomodo mundus dat, ego do vobis. In hoc enim quod dicit; Pacem relinqoo vobis, remissionem peccatorum intelligit. In hoc autem quod dicit; Pacem meam do vobis, iotelligit reconciliationem ad Deum. In hoc autem quod dicit: Non quomodo mundus, supple, pacem, do vobis: intelligit reconciliationem ad proximum: vt in vna charitate diligant Deum: quod mundus dare oon potest. In hoc autem quod dicit: Ego do vobis, intelligit meotis tranquillitatem, quam ipse solus donare potest. Quinta pax, est securitas ad Deum & ad cælestia. *Iud.* 6. Ædificauit Gedeon altare, & vocaoit illud, Pax Domioi, vsque in præsenteto diem. Hæc enim pax, est securitas qua homo securus gaudet de atrha cælestium. Maximè cum iam carnes agni comedit, & axymos, panes synceritatis & veritatis. Sexta pax, est abundantia suauitatis diuioæ, ex qua non sentitur bellum tentationum, ex redundantia diuinæ suauitatis. *Phil.* 4 Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Istis vt ita dicam pacibus, homo ita à Deo repletur, quod etiam inter persecutores bella non sentit. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Inter dentes enim luporum, bomo pacem habet. Pacem autem non sic dat mundus. Hæc est pax extra, & non secura, & cum conscientiæ bello. De exteriori pace (quando homo in peccatis non impugnatus pacem habet) dicitur in *Psalm.* 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Non secura autem est. 1. *Thes.* 5. Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus, hoc est, cum conscientiæ bello. *Sap.* 14. In magno viuentes inscitiæ bello, tot & tam magna mala pacem tunc arbitrati sunt. De his tribus pacibus dicitur *Ezech.* 13. Deceperunt populum meum, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. *Isa.* 57. Non est pax impiis, dicit Dominus. Primis ergo sex modis dicit; Pax vobis.

Ego sum] Tangit pacis rationem [ego sum] hoc est, qui verum esse habui semper secundum deitatem, & non attigi secundum humanitatem: quia de cætero nihil abiicio ab esse in præteritum, & nihil expecto in futurum. *Exod.* 3. Ego sum qui sum: Hæc dices filiis Israël: Qui est, me misit ad vos. Per hoc ergo assecurat Discipulos, quod verum esse attingere debeant. Et ideo subiungit [Nolite timere] etiam obuiantibus periculis. *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. *Isa.* 51. Quis tu, vt timeas ab homine mortali? 1. *Mach.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, cuius gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam Nolite etiam timere aliquid insolitum apparens circa me. Hoe enim totum pro vobis factum est: & ideo nolite timere. *Psalm.* 45. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Nolite etiam timere mundum. *Ioan.* 16. Confidite quia ego vici muodum. *Ioan.* 14. Non turbetur cor vestrum neque formidet.

Conturbati vero & conterriti] Secundum est, vbi ostenditur, quod humana fragilitas, etiam id ad quod facta est, sustinere non poterit. Ad Resurrectionis enim gloriam facta est, & ad illam conturbatur: sicut ad rem excedentem vires nostræ cognitionis, siue comprehensionis. Et hoc significatum est *Matth.* 17. & *Luc.* 9. vbi discipuli videntes claritatem transfigurati Domini in monte, ceciderunt in terram. Et ostenditur per hoc quod dicit [& conterriti] hoc est, simul territi de magnitudine rei visæ, quam cor miserum & inops sustinere ooo potuit: & ideo in seipso tremebat & terrebatur. *Hebr.* 12. Ita terribile erat quod videbatur, quod primus Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus. Et hoc significatum est *Daniel.* 10. Domine, in visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium [existimabant se] Existimatio, iudicium est æstimatiuæ virtutis, ponderantis sensibilia per ea quæ sensibilibus videntur esse adiuncta: quia isti præ admiratione & terrore, ad rationis actum venire non poterant. Existimabant autem se [spiritum videre] Et huius causa fuit: quia ianuis clausis intrauit. Hunc autem spiritum putabaot assumpta specie corporis, & reflexa ad oculos eorum apparuisse: quia spiritus per se non sunt visibiles. *Iob* 4. Cum spiritus me præsente transiret, stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum: imago coram oculis meis.

Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.

Et dixit eis] Dominus Discipulis. Quatuor autem ponit hic: Resurrectionis suæ argumenta per ordinem: tria in exteriori sensu, ad interiorem rationis actum ordinata: quartum autem, in illuminatione rationis, in perceptione Resurrectionis per Scripturarum intellectum. Tria autem quæ sunt in sensu, sic sunt multiplicata, quod vnum est in visu, secondum autem in viso & tactu, & tertium in gustu. Et hæc per ordinem sunt in litera. Horum autem primum veram demonstrat corporis speciem: secundum autem viui corporis proprietatem: & tertium vitæ naturalis veritatem. Io primo autem argumento duo sunt, in quorum primo depellit turbationem, quæ cognitionem veram impedit: in secundo ipsum ponit argumentum. Dicit igitur

Quid turbati estis] Turbatio autem hic vocatur, quando lumen cordis exteriorem recipit confusionem: & ex ipsa confusione impeditur ab actu discretionis. *Psalm.* 37 Cor meum contur-

batum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum [& cogitationes] dictæ quasi coagitationes in quibus cor fluctuando de vno venit in aliud, vndique timens, & in nullo ausum est remanere [ascendunt] quia de inferioribus, quæ cor meditari consueuit, ascendunt ad cor. Si enim de superioribus descenderent, tunc essent diuinæ & cælestes, & in ipsis cor solidaretur. *Iob* 4. Pauor tenuit me & tremor : & omnia ossa mea perterrita sunt. *Psal.* 54. Timor & tremor venerunt super me : & contexerunt me tenebræ. Tenebræ autem istæ fiunt ex interiori fluctuatione, & impediunt discretam cognitionem

Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum] Duo ostendit membra, in quibus expressa signa suæ apparuerunt crucifixionis : vt ex his cognosceretur esse species eiusdem corporis, quod in cruce pependerat pro ipsis. *Ioan.* 20. Cognosce loca clauorum, & noli esse incredulus, sed fidelis. *Zach.* 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et respondit : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Manus autem specialiter ostendit : quia manibus istis multa mirabilia perfecerat, quibus se Deum probauerat in sanatione infirmorum, & sustentatione mortuorum. *Psalm.* 117. Dextera Domini fecit virtutem. Manus etiam sunt, quæ ad nos in signis vulnerum inscriptam habebant dilectionem, quam nobis patiens pro nobis exhibuit. *Isa.* 49. Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui in conspectu meo sunt semper. Adhuc, Manus exhibuit, quarum virtute nos à potestate mortis extraxit. *Sapient.* 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Adhuc autem, Manus exhibuit, quibus suos ereptos continuit, & vsque in finem continebit. *Ioan.* 10. Non rapiet eas quisquam de manu mea : ego & Pater vnum sumus. Adhuc, Manus exhibuit, quibus nos Patri in munus obtulit. *Habac.* 3. Cornua in manibus eius. Hypallage, hoc est, manus eius in cornibus eleuatæ ad offerendum. Et ideo sic eleuans manus, dixit *Luc.* 23. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Spiritus enim suus, fuit omnis spiritus iustorum.

Sic ergo ostendit manum redemptionis vulneratam. Exhibuit manum virtutis, mira facientem ad omnem contactum nostræ infirmitatis. Exhibuit manum dilectionis, in signis amoris ineffabilis. Exhibuit manus fortes, quibus à forti prædam tulit. Exhibuit manus gubernationis, quibus suos semper continuit. Exhibuit manus Sacerdotis, quibus nos Patri obtulit. In istis enim sex proprietatibus manus, cognoscitur nostri Saluatoris effectus vtrobique

Ostendit autem [& pedes] pedes autem processiui motus sunt instrumenta, quibus vita vera probatur. Hi autem pedes sunt, qui in itinere lassationem sustinuerunt *Ioan.* 4. IESVS fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hi sunt, qui super vndas ambulauerunt *Matth.* 14. Hi sunt qui corpus totum supportauerunt. *Iob* 29. Oculus fui cæco, & pes claudo. Hi qui charismata gratiarum omnibus longe & prope positis intulerunt. *Isa.* 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis : Sion regnabit Dominus Deus tuus. Hi sunt pedes, qui perforati immobiles in opere redemptionis, vsque ad perfectum redemptionis substiterunt. *Zach.* 14. Stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum ad Orientem. Quia supra verticem eleuationis misericordiæ tunc stetit : & omnis gratia ex ipso orta fuit. Primi sunt pedes humanæ infirmitatis, in quibus ambulauit nobiscum. Secundi sunt pedes virtutis, in quibus calcauit nostram infirmitatem. Tertij sunt pedes roboris, in quibus portauit nostram debilitatem. Quarti sunt pedes velocitatis, in quibus ad nostram cucurrit ignorantiam illuminandam. Quinti autem sunt pedes redemptionis, in quibus stans nostram perfecit redemptionem. Hos pedes peccatrix vnxit, lauit, tersit, & osculabatur *Luc.* 7. vnxit vnguento deuotionis, & compunctionis. Lauit lacrymis. Tersit à puluere capillis sanctæ cogitationis. Hos pedes adorauerunt patres. Iuxta hos sederunt omnes, qui doctrina eius fuerunt imbuendi. Illi enim pedes sunt, literaliter quidem sancti pedes eius

Spiritualiter autem misericordia & veritas. Vnde de adoratione dicit *Psalm.* 131. Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. De doctrina autem dicitur *Deuter.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius. Isti sunt tandem pedes eius, qui omnes suos pondere iustitiæ conculcabunt inimicos. *Psalm.* 119. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Taliter autem ostensis manibus & pedibus, in quibus signa suæ pietatis & misericordiæ fortes apparuerunt, dixit.

Quia ego ipse sum] cum in nullo alio tanta signa pietatis & cataractæ gratiarum apparuerant. Auctor enim pietatis & salutis causa, non nisi in signis agnoscitur pietatis. Adhuc autem, Propugnator ad saluandum, in signis victorialibus manifestatur. *Isa.* 63. Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimentum tuum sicut calcantium in torculari? Et ipse respondet : Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum

Palpate & videte] Secundum est argumentum, quod ostendit viui & animati corporis proprietatem ad duos sensus : quorum vnus sensus exteriorem ostendit speciem, alter autem substantiæ materialis proprietatem. Palpatur enim calidum, frigidum, humidum, siccum, molle, durum, & cætera in quibus consistit humana complexio & compositio. Videtur autem color & figura, quæ speciem hominis & naturam consequuntur. Vocem autem ipsius audierunt : & ideo tribus sensibus in vnum concurrentibus certificationem habuerunt. 1. *Ioan.* 1. Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ : hoc annuntiamus vobis. Nos autem audimus veritatis quidem verbum : videmus autem veritatis lumen : & manu spirituali tangimus veritatis soliditatem. *Genes.* 27. Accede huc fili mi, vt tangam te. *Ioan.* 20. Mitte manum tuam, & cognosce loca clauorum. Videmus enim fide, audimus auditu obedientiæ, & tangimus quasi manu virtutis operatione. *Luc.* 8. Tetigit me aliquis. Ego enim cognoui virtutem de me exisse. Phantastica autem non tanguntur. Et hoc est quod subinfertur

Quia spiritus carnem & ossa non habet] Carnem

nem quidem non habet, in cuius infirmitate nostram sentiens infirmitatem, nobis possit exhibere compassionem. Ossa autem non habet, quibus nostram firmet & fulciat infirmitatem. De quibus dicitur *Genes.* 29. Os meum & caro mea vos. Ex carne enim assumpta didici compassionem: & ex osse vobis do confirmationem. In carne enim sustinui pro vobis passionem: in ossibus autem distensionem. *Psalm.* 21. Dinumeraverunt omnia ossa mea, hoc est, nimia crucis distensione dinumerabilia fecerunt [sicut me videtis habere] Ea autem, in quibus talia pietatis indicia exhibui, non deseram neque derelinquam. In carne enim dolorem, in ossibus distensionem, in manibus & pedibus clauorum passus sum perforationem. Et ideo ista videtis me habere, quæ nulla habet spiritualis tantum creatura. *Iob* 19. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

Et cum hæc dixisset] verbo, vt per effectum probaret [ostendit eis manus & pedes] *Gloss.* autem tangit quinque causas, propter quas cicatrices retinuit: quarum vna est, vt ostensa vulnerum cicatrice, infidelitatis vulnus sanaret: quas cicatrices & tunc seruauit, & in iudicio seruaturus est. Secunda causa est, vt Resurrectionis fidem instruat, quod idem sit qui passus est, qui & resurrexit. Tertio, vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro nobis protulerit, ostendat. Quarto, vt sua morte redemptis quam misericorditer sint adiuti, eiusdem mortis indiciis insinuet. Quinto, vt quam iuste damnentur impij in iudicio, insinuet ostensa cicatrice, quam pro illis accepit. Et hæc sunt verba Bedæ. De primo horum habetur *Ioan.* 20. Noli esse incredulus sed fidelis. *Marc.vltim.* Exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis: quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. De secundo *Ioan.* 20. Infer digitum tuum huc in locum clauorum, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis. De tertio 1. *Ioan.* 2. Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Beatus Bernard.* Per matrem habes accessum ad Filium, & per Filium habes accessum ad Patrem. Mater monstrat Filio pectus & vbera. Filius autem Patri latus & vulnera: nec potest esse repulsa, vbi occurrunt tot pietatis insignia. De quarto dicitur *Thren.* 4. Ante faciem nostram Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In vmbra tua viuemus inter Gentes. De quinto dicitur *Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus: & qui eum pupugerunt. *Ioan.* 19. Videbunt in quem transfixerunt. His ergo de causis ostendit eum cicatricibus manus & pedes.

Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.

Tertium est argumentum Resurrectionis, in quo ostenditur veritas naturæ resurgentis. In hoc autem paragrapho tria dicuntur, scilicet, causa, & ipsum argumentum, & ab argumento sumpta instructio. Causa autem huius argumenti tacta est per hoc quod dicit [Adhuc autem illis non credentibus] quamuis iam visu & tactu essent certificati. *Ioan.* 3. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia credetis? *Gregor.* Quod Discipuli tardè crediderunt; non tam illorum infirmitas quam nostra, vt ita dicam, futura firmitas fuit. Minus mihi Maria contulit quæ citò credidit, quam Thomas qui diu dubitauit. Ille enim dubitando cicatrices vulnerum tetigit, & de nostro corde vulnus dubitationis amputauit. Tamen iam tantum per visum & tactum profecerant Discipuli, quod admirari inceperunt. Et hoc est quod dicit [sed mirantibus præ gaudio] Contrbatio enim in gaudium, & dubitatio in admirationem fuit conuersæ. *Isa.* 54. Videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum. Dilatatio autem cordis non nisi in gaudio: & mirans omnis affluit totus ad id quod visum admiratur [dixit: Habetis aliquid quod manducetur] Non quærit ignorans: sed vt ex his quæ illi in cibum offerunt, quæ veros eibos esse cognoscunt, veritatem probet Resurrectionis. Quia si ipse Dominus cibos attulisset, de illis sicut & de ipsa Resurrectione dubitassent. Designat autem, quod & ipsos sibi quærit incorporari per spiritualem manducationem. *Apoc.* 3. Ecce ego sto ad ostium & pulso: siquis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum eo, & ipse mecum.

At illi obtulerunt ei] iam enim conceperant ausum accedendi ad ipsum [partem piscis assi] ad literam. Castos enim cibos secum habebant Apostoli, & quos sua arte lucrari poterant, & quos cum Domino sumere consueuerant. Pisces enim frigidum nutrimentum, & non ad libidinem inclinans generant. *Luc.* 11. Quis vestrum patrem petit piscem: numquid pro pisce, serpentem dabit illi? Q. d. Non. Serpens designat libidinosum cibum, qui luxuriæ in visceribus spargit venenum. Hunc cibum arte Apostolica quærunt homines, quasi pisces de aquis voluptatum extrahentes. *Matth.* 13. Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cum impleta esset educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Hos cum Domino soliti erant in cibum accipere. *Ioan.* 6. Est puer hic vnus, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Et *Ibidem.* Similiter autem & ex piscibus quantum volebant. Iste autem cibus dicitur pars piscis: quia cum Christus passus sit piscis assus: quia non in toto crediderunt, non totum sed partem obtulerunt. Assus autem piscis est ab humore per ignem exiccatus, & castus vsque ad intimorum perfectam decoctionem. Ignis autem est charitatis, exiccantis humorem superfluum concupiscentiæ, &

& decoquentis interiorem pietatis humorem in cibum Christo conuenientem. Vnde *Ioan.* 21. Viderunt prunas & piscem superpositum. Duo autem in pisce mundo considerantur: squamositas, & pinnularum dispositio. Squamositas quidem est in purgationem & protectionem. Et significant squamæ confessionem purgantem, & congeriem virtutum protegentem. Pinnulæ autem quæ faciunt motum velocem, significant motum desideriorum, & opera virtutum, quibus reptamus & rapimus nos ad Deum. *Leuit.* 11. Omne quod habet squamas & pinnulas, tam in mari quam in fluminibus & stagnis, comedetis. Potest etiam dici, quod partem piscis assi obtulerunt: quia cum piscis assus sit Christus passus: passio quidem est relata ad Christum: sed pars quædam etiam reseruanda est nobis, quam nos impleamus, vt cum Christo patiamur: vt totus Christus in omnibus suis membris patiatur. *Coloss.* 1. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia: cuius factus sum ego minister.

Et fauum mellis] Fauus est cera virginea, ex qua mel distillat. Et significat dulcedinem deitatis in puritate carnis. Hoc est quod dicitur 1. *Reg.* 14. quod apparuit super faciem agri fluens mel: quia in agro humanæ naturæ apparuit dulcedo diuinæ naturæ. *Iudic.* 14. A comedente exiuit cibus: & à forti egressa est dulcedo. Christus enim leo est de tribu Iuda *Apoc.* 5. Qui comedens est, electos sibi incorporans: fortis autem est, quia deuicit mortem. *Matth.* 12. Hunc ergo fauum obtulerunt etiam sibi, quando & se & alios ad hanc dulcedinem fidei conuerterunt. *Cantic.* 5. Comedi fauum cum melle meo. Mel enim naturaliter de sublimi venit: quia ros est, linguis apum collectus. *Ioan.* 3. Qui de cælo venit, super omnes est. Apes autem longe odorem dulcedinis huius percipientes, sunt viri sancti desideria ad Dei spiritum protendentes, & lingua doctrinæ hanc ipsam dulcedinem colligentes. *Psalm.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Eccli.* 24. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.

Et cum manducasset coram eis] Sicut dicit *Ambrosius*. Duplex est manducatio, & vtraque veritatis naturæ demonstratiua. Vna quidem indigentiæ, quæ cibum sumptum sibi incorporat, & ex eo accipit confortationem: & hæc est animalis corporis. Alia autem est puræ potestatis, & nullius infirmitatis demonstratiua. Et hæc cibum sumit: sed digerendo non sibi eum incorporat, sed potestate naturæ consumit, & in pristinam conuertit materiam. Sicut radius solis consumit aquam. Et hac potestate Christus manducauit post Resurrectionem. *Act.* 10. Dedit eum manifestum fieri, non omni populo: sed testibus præordinatis à Deo: nobis qui manducauimus & bibimus cum eo postquam resurrexit à mortuis. Hæc autem manducandi potestas non est nisi in verè & viuis corporibus, & non in phantasiis necromanticorum. Vnde ab ista, sicut firmissimo suæ Resurrectionis argumento, sumit instructionis occasionem, dicens.

Sumens reliquias dedit eis] Tanguntur autem hic duo, factum scilicet, & instructio. Factum autem est quod dicit [sumens reliquias] quæ remanserant ex eo quod ipse comederat: vt ex illis sentirent, quod verum cibum comederat manducatione naturalis potestatis, quia & dentibus diuidebat & terebat, & in stomachum traiiciebat. Sed quia non indiguit, non incorporabat ad membra transmittendo. *Ioan.* 6. Colligite quæ superauerant fragmenta, ne pereant. Sic etiam reliquiæ passionum & dulcedinis Christi à nobis sumendæ sunt. Et ideo [dedit illis] *Psalm.* 75. Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. *Psal.* 36. Sunt reliquiæ homini pacifico. *Nehemiæ* 8. Mittite partes eis qui non præparauerunt sibi. 1. *Reg.* 1. Venit dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes. Elcana, Dei zelus interpretatur, & Christum significat, qui immolauit se in cruce pro nobis. Phenenna autem, conuersa interpretatur, & significat Ecclesiam, cui, & cunctis filiis, & filiabus Ecclesiæ Christus partes dedit, ad virtutem vniuscuiusque sacramentorum gratiam distribuens. *Prouerb. vltim.* De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

Et dixit ad eos] ex facto incipiens instructionem Resurrectionis [Hæc sunt verba] hoc est, res de quibus locutus sum vobis [quæ locutus sum ad vos] vos instruens qualiter per passionem venitur ad immortalitatis resurrectionem, quam modo ipso facto probaui coram vobis. Locutus sum inquam [cum adhuc essem vobiscum] mortalis in passionibus vobiscum viuens. *Ioan.* 6. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Hæc enim verba maxime tota die instillabam vobis. *Deut.* 32. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, hoc est, cor irrigando & fœcundando. Dixi enim tunc [quoniam necesse est impleri] *Matth.* 5. Non veni legem soluere sed adimplere. *Matth.* 3. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam [omnia] *Matth.* 5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. *Isa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Quæ scripta sunt in lege] Lex enim continet præcepta iustitiarum: siue istæ iustitiæ sint morales, siue iudiciales, siue cæremoniales, siue sacramentales. Et præter ista quatuor genera præceptorum, nihil penitus est in lege de præceptis. Adduntur autem promissiones hæreditatis obseruantibus: & pœnæ, siue comminationes pœnarum non obseruantibus. *Eccli.* 24. Legem mandauit nobis Moyses in præceptis iustitiarum: & hæreditatem domui Iacob, & Israël promissiones [& Prophetis] Prophetica inspiratione futuram gratiam in me perficiendam enuntiantibus. *Eccli.* 36. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. *Ioan.* 1. Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, inuenimus IESVM, filium Ioseph, à Nazareth. Ideo *Matth.* 11. dicitur. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. A diebus autem Ioannis regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud [& Psalmis de me] Psalmi, sicut dicit *Dionysius*, compositi sunt ex prophetiis & historiis patrum. Et ideo multi Psalmi non nisi historias continent. Continent autem & præcepta legis. Et ideo sunt quasi quædam

dam summa continens meliora totius Scripturæ veteris testamenti. Et ideo hic tertio loco pro omnibus aliis ponit Psalmorum libros. Et sic patet quod in his tribus tota Scriptura veteris testamenti comprehenditur. *Ioan.* 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est.

Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem estis testes horum.

Istud est argumentum quantum ad interiorem fidei illuminationem ordinatum. Qua clauе autem illis sensum aperuerit *Lucas* tacet. Et *Ioan.* 20. ponit dicens, quod insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum. Tanguntur autem hic duo, scilicet, apertio sensus ad intelligendum, & quæ potissimum sint ex Scripturis intelligenda. De primo dicit [Tunc aperuit illis sensum] apertione illa qua remouit obstaculum, quod fuit dubietas, & carnalis sensus legis. 2. *Corinth.* 3. Cum conuersus fuerit quis eorum ad Dominum, auferetur velamen. Deus autem Spiritus est. Sensum autem vocat hic interiorem, qui est intellectus *Psalm.* 118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua [vt intelligerent Scripturas] quæ ab initio de ipso scriptæ erant. Quia forte quidam pagani dicerent eum miracula magicis artibus perfecisse: & ideo Scripturas, quæ antequam natus esset scriptæ sunt, inducit; quas antequam natus esset, facere non potuit arte magica, sed eas de suis futuris sacramentis diuinitus inspirauit. 2. *Petr.* 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines.

Et dixit eis] quid potissimum de Scripturis esset intelligendum [quoniam scriptum est] reuelatione diuina. *Psalm.* 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Dicit autem quatuor [quoniam sic oportebat] non de necessitate ineuitabilitatis, sed de necessitate conuenientiæ. Quia sicut dicit *Augustinus*. Quamuis alius modus nostræ liberationis esset possibilis: tamen nullus modus nostræ miseriæ sanandæ erat conuenientior. *Luc.* 24. Nonne sic oportuit Christum pati: & ita intrare in gloriam suam [pati Christum] vt pretio sui sanguinis mundum redimeret, & eximiæ dilectionis effectu nos sibi ad vicariam dilectionem compararet. De primo *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. De secundo *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Et resurgere à mortuis] vt ad immortalitatem nos reduceret. *Roman.* 6. Mortuus est propter nostra delicta, & resurrexit propter nostram iustificationem. *Osea* 6. In die tertia suscitabit nos. Et hoc est quod dicit [tertia die] quia sic sua vnica morte nostram duplicem mortem curauit. *Matth.* 12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ita erit Filius hominis in corde terræ.

Et prædicari in nomine eius] *Act.* 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius. *Act.* 4. Neque enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri [pœnitentiam] quam agant. *Matth.* 3. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. *Act.* 3. Pœnitemini igitur: vt deleantur peccata vestra [& remissionem peccatorum] quia ad hoc suscipitur prædicatio baptismatis, vt remittantur peccata. In figuram huius dixit *Matth.* 9. Remittuntur tibi peccata. *Ioan.* 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis peccata, retenta erunt. De tali autem prædicatione dicit *Beda*, quod plus valet ad prædicandum sancti amoris conscientia, quam sermonis exercitata scientia [in omnes Gentes] generaliter vt Catholica (hoc est, vniuersalis) Ecclesia. *Isa.* 49. Dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Matth.* 28. Docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti [incipientibus] Apostolis prædicare [ab Ierosolyma] in qua primum accepto Spiritu sancto prædicabant. *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et hoc est quod sequitur.

Vos autem testes horum, supple, eritis. Vos enim vidistis, & audistis, & manibus contrectastis ea quæ sunt prædicanda. *Act.* 4. Non possumus quæ audiuimus & vidimus non loqui. *Hebr.* 2. Salus, cum initium accepisset enarrandi per Dominum, ab his qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & prodigiis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

Et ego mittam promissum Patris mei in vos.

Hic post Resurrectionis argumenta, Spiritum sanctum promittit se missurum in eos, quos mittet ad docendum. Dicit autem duo, promissionem, & promissi expectationem. De promissione dicit [Et ego] à quo procedit Spiritus sanctus [mitto] hoc est, mittam [promissum] neutri generis, hoc est, donum quod promisi. *Ioan.* 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, illè testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Sic enim in spiritu veritatis illuminati, testes eritis veritatis [Patris mei in vos] quia hoc donum à Patre procedit. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum profectum desursum est, descendens à Patre luminum.

Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

Hic tangit de expectatione: non ideo, quia

ſtatim non potuerit eos confirmare per Spiritum ſanctum: ſed quia expectatio deſiderium eleuat, vt deuotius accipiatur ad quod ante ſuſpiratum eſt. *Roman.*8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Dat etiam exemplum: vt qui docere debet, ante ſedeat & diſcat, quam loquatur. *Eccli.*51. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. Dicit igitur [Vos autem] quos elegi in teſtes gratiæ & Reſurrectionis. *Iſa.*43. Vere vos teſtes mei, dicit Dominus. *Act.*5. Nos ſumus teſtes omnium eorum, quæ fecit in regione Iudæorum [ſedete] hoc eſt, corde & corpore quieſcite. Quia ſicut dicit *Philoſophus*. In ſedendo & quieſcendo fit anima ſciens & prudens [in ciuitate] Ieruſalem: quia in illa Spiritus ſanctus dandus eſt. *Iſa. vltim.* In Ieruſalem conſolabimini: videbitis & gaudebit cor veſtrum [quoadusque induamini] ſicut veſtimentis decoris in habitu mentis, & decore conuerſationis. *Iudic.*6. Spiritus Domini induit Gedeonem, qui clangens buccina vocauit domum Abiezer. Gedeon, circumiens in vtero interpretatur, & ſignificat Apoſtolos in vtero Synagogæ circumeuntes qui induti Spiritu ſancto buccina prædicationis clangebant: & ita domum, hoc eſt, familiam Abiazer, qui patris mei auxilium interpretatur, conuocanerunt, hoc eſt, fideles auxilio gratiæ Dei Patris in vnum cor & animam vnam conuenientes. *Roman.*13. Induimini Dominum IESVM CHRISTVM. *Iſa.*61. Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me [virtute] Virtus dicitur quaſi vi tuens: quia tunc Spiritum ſanctum ad robur acceperunt [ex alto] quia illa virtus non niſi de alto deſcendit. In infimis enim eſt infirmitas. *Pſal.*20. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

Attende autem quod *Lucas* tranſit hic à quinta apparitione, quæ prima die facta eſt, vſque ad diem Aſcenſionis, in quo decima facta eſt apparitio: & tranſit (ſicut breuiloquus) quatuor apparitiones, quæ inter primam diem & vltimam factæ ſunt. Prima autem apparitio inter has quatuor, eſt quia octaua die Reſurrectionis apparuit omnibus Diſcipulis, quando Thomas fuit cum eis, & loca clauorum tetigit *Ioan.*20. Secunda fuit ad mare Tiberiadis ſeptem diſcipulis *Ioan. vltim.* Tertio apparuit vndecim in Galilæa Diſcipulis in monte vbi conſtituerat eis. *Matth. vltim.* Quarto apparuit in cœnaculo in Ieruſalem Diſcipulis cœnantibus. *Marc. vltim.* & *Act.*1. Quinto autem in die Aſcenſionis, de qua *Lucas* hic loquitur. Et iſta apparitio facta eſt in monte Oliueti. Dicit igitur.

Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus ſuis benedixit eis.

Dicuntur autem hic quatuor, ſcilicet, Diſcipulorum eductio, eorundem benedictio, Dominica Aſcenſio, & Diſcipulorum in ciuitatem Ieruſalem regreſſio. De primo dicit [Eduxit autem eos] Diſcipulos [foras] vt oſtenderet quoniam de ciuitate egredi oportet, & mundum conuertere, & cælum conſpicere, & de modo nihil curare. De primo dicitur *Ioan.*15. Poſui vos vt eatis & fructum afferatis: & fructus veſter maneat. De ſecundo *Geneſ.*15. Eduxit eum foras, & dixit: Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes. Sic erit ſemen tuum. De tertio dicitur *Hebr.*11. Siquidem illius ciuitatis meminiſſent Sancti de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem: propterea non confunditur Deus vocari eorum Deus. Duxit autem eos [in Bethaniam] quæ domus obedientiæ interpretatur: vt vſque ad mortem obedire doceret. *Philip.*2. Factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. *Hebr.*13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.

Et eleuatis manibus ſuis] Tangit hic benedictionem. Eleuatione manuum fecit in eis confirmationis ſacramentum. *Eccli.*36. Glorifica manum & brachium dextrum [benedixit eis] benedictione confirmationis. *Pſalm.*117. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. *Num.*6. Sic benedicetis filiis Iſraël: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Hæc autem benedictio mutauit contra mundum & hoſtem, & fecit marceſcere concupiſcentiam carnalem. *Geneſ.*32. Benedixit ei in eodem loco, & dixit: Si contra Deum fortis fuiſti: quanto magis contra homines præualebis? Et tetigit neruum femoris eius, qui ſtatim emarcuit. Benedictio quidem contra diabolum confortatio, contra mundum, & hominem. Marcidus autem neruus femoris, debilitatam ſignificat concupiſcentiam carnalem.

Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum.

Tertium eſt in quo tangitur Aſcenſio. Tangit autem tria: benedictionem, receſſum, & locum in quem aſcendit. Dicit igitur [Et factum eſt] Dei diſpoſitione [dum benediceret illis] & manu larga dona eis ſua daret benedictione. *Eccli* 44. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput eius. *Epheſ.*4. Dona dedit hominibus. Et ideo etiam eleuauit manum. *Pſalm.*144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione [receſſit ab eis] aſcendens. 4. *Reg.*2. Aſcendit Elias, qui robuſtus dominator interpretatur, per turbinem in cælum, hoc eſt, nube. *Act.*1. Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Non quidem portatus ab Angelis receſſit, ſed propria virtute. *Iſa* 64. Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Sed Angelis iubilantibus receſſit. *Pſalm.*46. Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ [& ferebatur in cælum] *Pſalm.*65. Aſcendens in altum, capti-

nam

uam duxit captiuitatem. *Ephes.*4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia. *Act.*1. Eleuaris manibus ferebatur in cælum,& benedixit eis.

Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: & erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum.

Tangit bic Discipulorum in ciuitatem tegressionem, & dicit quatuor: adorationem, teuersionem, mansionem, & gratiarum actionem. Dicit igitur [Et ipsi adorantes] *Marci vltim.* Videntes Dominum adorauerunt. *Psal.*44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Adoratio autem est facta prostratione. *Exod.*4. Adorauerunt proni in terram. *Psal.*65. Omnis terra adoret te Deus & psallat tibi. *Philip.*2. In nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum [regressi sunt in Ierusalem] vbi dictum est eis quod promissum expectarent. *Ezech.*1. Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris corusantis: quia & intus ardebant deuotione, & exterius honestatis luce. Processerunt enim cum Domino ad locum Ascensionis, vt viderent quando tolleretur ab eis: sicut Eliseus cum Elia 4.*Reg.*2. Et hoc repræsentat Ecclesia processione sua in Ascensione. Reuertebantur autem in Ierusalem ad imperium Domini, suum promissum expectantes. *Genes.*49. Salutare tuum expectabo Domine [cum gaudio magno] quia in omnibus Christi veritatem & Iudæorum confusionem percipiebant. *Ioan.*16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Philip.* 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus [& erant semper in templo] hoc est, in atrio templi, in porticu quæ dicitur Salomonis. *Act.* 5. *Psalm.* 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. *Psalm.* 83. Elegi abiectus esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum [laudantes] in hymnis & canticis. *Psalm.*33. Semper laus eius in ore meo [& benedicentes Deum] in gratiarum actione. 1. *Thessal.* 4. In omnibus gratias agite. Laudabant enim Deum de Domini demonstrata ab ipso virtute: quia virtus est laudabilium bonorum, vt dicit *Philosophus.* Benedicebant autem de collato, & conferendo sibi in proximo munere. *Luc.*11. Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se. Ipsi laus, honor, & gloria, Amen.

F I N I S.





INDEX

Rerum notabilium quæ in Commentariis in 1. partem Lucæ continentur.

Litera, A, designat primam Columnam, B, secundam.

A

Cur

C

in

D

Index rerum.

E

Index rerum.

H

Humilitas

M

Puellæ

Voluntas

INDEX



INDEX
Locorum ſacræ Scripturæ, qui in Commentariis in primam partem Lucæ explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Exod.

Numeri.

Deuteronomij.

Ioſue

Index Locorum Scripturæ.

Iosue.

Iudicum.

1. Regum.

2. Regum.

3. Regum.

4. Regum.

Tobiæ.

Iob.

Psalmorum.

Index Locorum Scripturæ.

Prouerbiorum.

Canticorum.

Sapientiæ.

Ecclesiastici.

Isaiæ.

Qui

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

Ad Romanos.

1.ad Corinthios.

Ad Ephesios.

Apocalypsis.



INDEX



INDEX

Rerum notabilium quæ in Commentariis in 2. partem Lucæ continentur.

Litera, A, designat primam Columnam, B, secundam.

A

C

Christus

E

G

H

I

L

N

Nocte

Plorant

Sequela



INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, qui in Commentariis in secundam partem Lucæ explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

Exodi.

Deuteronomij.

Iudicum.

2. Regum.

4. Regum.

Nehemiæ siue Esdræ 2.

Tobiæ.

Esther.

Iob.

Psalmorum.

Index Locorum Scripturæ.

Threnorum.

Ezechielis.

Danielis.

Oseæ.

Ioelis.

Amos.

Habacuh.

Zachariæ.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

Marci.

Ioannis.

Actuum Apostolorum.

Ad Hebræos.

3. Epist. B. Ioannis.

Apocalypseos.

FINIS.





